✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 220.

Lo donó con los 3 siguientes tomos ala Librería de Monart.º el Ilt.mo Sor D.n Bernardo Antonio Calderon obispo de Osma año 1786.

JACOBI

PIGNATELLI

CONSULTATIONES CANONICÆ.

Estante 241
Anda 3
Vol. 1

IACOBI

PIGNATELLI

CONSULTATIONES CANONICÆ.

JACOBI

PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris

CONSULTATIONUM CANONICARUM

Tomus Primus,

IN QUO PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ DE IIS, Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sacrum Concilium Tridentinum; ad Episcopos, & Regulares; ad immunitatem, libertatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, ac hujusmodi alia potissimùm pertinent; non solùm ex utroque Jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum decretis, rebus judicatis, placitis, atque consultis, ex prudentum responsis, ex moribus receptis, breviter, ac perspicuè dirimuntur.

OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS, Jurisconsultis, ac politici studii mystis, in primisque Summorum Pontificum, & Rerumpublicarum Consiliariis, & Advocatis utile planè, ac necessarium.

CUM DUPLICI INDICE, ALTERO CONSULTATIONUM Singulis Tomis præfixo, altero RERUM NOTABILIUM ex pluribus in unum Generalem coacto, singularique Volumine comprehenso.

EDITIO QUINTA VENETA SUMMO STUDIO RECOGNITA, Multis in locis aucta, & a mendis expurgata.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS, MDCCXXXVI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PICINATELLI

IACOBI

E CRYPTATEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac I. U. Doctoris

CONSULTATIONUM

CANONICARUM

Tomus Primus,

IN QUO PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ DE IIS,

Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus, ad Sacram

Concilium Tridentinum, ad Pontifices, ac Regulares, ad immunitatem, libertatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, ac pulsatos alia hortantium pertinent,
non tantum ex utroque jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum
decretis, variis indicatis, bullis, stylo confultis, ex fundamentis rationis, ex
multiplici receptis, practici, ac perfpicue difcutiuntur.

Tum Canonistis, ac peritis Juris utriusque, in primisque Causarum Patronis, &
Romanæ Curiæ Consiliariis, & Advocatis nitis bene, ac necessariam.

CUM DUPLICI INDICE, ALTERO CONSULTATIONUM

Singulis Tomis præmisso, altero Rerum Notabilium ex hujusce tomi
Centesimam coacto, singularisque Voluminis comprehenso.

EDITIO QUINTA VENETA SUMMO STUDIO RECOGNITA.

Multis in locis aucta, & a mendis expurgata.

EX Typographia Balleonijana.

VENETIIS, MDCCXXXVI.

AUTHOR
LECTORI SUO.

NON equidem ambigo, quin non nemini videar juſtiſſima ſanna verberandus. Quorſum enim, inquit, toties actum agitur? Quod tot Voluminibus addes, & auges numerum jam innumerum Authorum? Quot enim volumina, libros, codices, centones, tomos, opera, opuſcula explicationum, commentariorum, inſtitutionum, introductionum, iſagogiarum, & ſynopſeon, epitomarum, collectaneorum, compilationum, tractatuum, analectorum, repertoriorum, diſputationum, quæſtionum, diſceptationum, diſquiſitionum, controverſiarum, concluſionum, deciſionum, opinionum, reſponſorum, ſententiarum, conſiliorum, & ſimilium, pluriumque id genus ſcriptionum, circa res, cauſas, & materiam Canonicam Doctores hucuſque ediderunt? Nonne vel ipſi abundanter de iſtis rebus explicarunt? Quinimmò liquidum eſt hìc non utilitati publicæ, ſed privatæ ambitioni litare eos, qui per occaſionem docendi tanquam perſonatos Cupidines poſteritati ſe commendant.

His velitationibus ſteriles aliqui aliorum fecunditati invidentes abortum Operum moliuntur, ſed immeritis, atque apud pueros tantùm, qui pharetra etiam picta terrentur. Quid enim refert, quod aliqui ſcripſerint. Quo jure, & numero Juris Canonici Interpretes, rerumque Canonicarum Scriptores definiti eſſe debent? Certè plures homines ſunt quàm Authores, ſed illi in dies ſeminantur. Quis credet Ægypto fabros, aut fabris opera defuiſſe? Et illi tamen Pomponii Melæ tempore, certè teſtimonio tot Urbes fuerunt, ut nongentis ſupra mille Bactra bis ſuperaret, tam amplæ, ut unæ Thebæ centum portis peterentur. Et tamen adhuc illa ædificat; quia nimirum illi in dies Urbes antiquæ deſinunt, novæ antiquantur. Ita inquam antiqui illi aborigines Canoniſtarum ſenſim ſua fama, noſtra memoria exciderunt, ut niſi quotidie reparetur hæc jactura, denique contingat Academias, & Tribunalia ſine Authoribus, veritatem ſine teſtibus haberi.

Sed fac eos concurrere, non proinde coercendi, ſed colligendi omnes ſunt, ut in Juriſprudentia quaſi in divite cœna diviſa fercula multis palatis præparentur. Quòd licèt abundanter, quantum ego quidem ſentiam, ab aliis id factum ſit, quid tamen facias pravis ingeniis, quæ tergiverſantur, & manifeſtis rationibus repugnant, nec ſe a veritate capi ſinunt? Quid igitur, inquies, tantumne tibi ſumis, tantumque polliceris, ut hos tergiverſantes, ac repugnantes veritati ipſe capias? Minimè. Sed placitum eſt medicos imitari, qui cùm vident ægros ſalutaria quædam medicamenta recuſare, non cogunt illa accipere, ſed alia adhibent, quæ minus putant iri recuſatum. Ita ſæpè fit tempore, ut minora plus aliis ſalutem afferant. Quod mihi in præſentiarum uſu venit. Qui enim magnorum medicorum remedia reſpuunt, noſtra forſitan admittent. Quæ autem iſthæc remedia ſunt? Ea ſanè, quæ novis, & emergentibus caſibus adhibenda ſunt. Ut enim Africa ſemper aliquod monſtri parturit, & producit; ita Forus ad res novas, vel caſus novos edendos deproperat, dubiumque nullum eſt, quin, Foro deproperante novas formas rerum, ac negotiorum edere, nova poſthac cum tempore adhuc cauſarum monſtra, & irregularitates emergant, quibus nova, juris remedia opponenda.

Et quanquam ex illis, quæ hactenus de rebus Canonicis a multis ſatis multa in partem utramque ſunt ſcripta perſpicere quivis non iniqui judicii poſſit, cui veritatis palma cedere debeat, è re tamen magis etiam fore judicatum eſt, ſi quæ fuſiùs alii, & licentiùs literis commendarunt, in brevem velut gyrum redacta certis cancellis, & compendio includerem. Unde præmiſſa facti narra-

tione, mox ſummam cauſæ Conſtitutionem, ſeu controverſiæ ſtatum ſubjunxi, quod eſt fundamentum cauſarum, quanquam plerique id negligent, ſed malè, cùm propè in hoc uno dixerim ſcientiam eſſe. Et ad hunc veluti ſcopum utriuſque partis argumenta ſimplici filo, & citra cujuſque injuriam, de quo proteſtor, direxi, & ſic duobus quaſi agminibus oppoſitis in pugnam æquis locis produxi, ut melius ſingulorum dignoſci robur, ac virtus, & rectiùs de victoria ferri judicium queat.

De pluribus ergo ex operibus meis exaſciatis hiſce utcunque collectas variarum notas Conſultationum edi placuit, ordine minimè ſervato. Quæ tametſi facilè poterant per certa capita digeri, ut ſuo quæque loco, Regularïa, Immunitates, & Juriſdictiones Eccleſiaſticæ, res Conciliares, atque Sacrorum Rituum, diverſique generis jungerentur, ea tamen diſpoſitionis ratio neque quicquam magni commodi allatura erat, & varietas, quæ ipſa delectat, nonnihil habitura gratiæ videbatur non ſecus, ac tabulæ pictorum fluminibus, ſylvis, avibus, atque aliis ornamentis illuminantur, ne rerum ſimilitudine ſatietas generetur. Verè Corn. Gallus Eleg. I.

Ut ſemper varium plus micat artis opus.
Nam quæcunque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alterno potiùs vincta decore placent.

Atque, ut ſtomachum irritarem, bellaria, quæ dicuntur ſplendidæ menſæ clauſula, cum cruſtulis tenellis, & ſaccharatis aromaticè innatantibus, hoc eſt breviores Conſultationes ex Oraculis Sacrarum Congregationum reſolutas in hac menſa ultimò appoſui, quarum deliciarum exemplum eſſe nullum hoc tempore, aut certè rarum fateor.

Admitte igitur Analecta iſta, quibus, ſi non ubique probi ſaporis vigor & nitoris gratia, alicubi tamen erit; ne tu ſi per partes ſingula fercula non probas, univerſa & junctim poſita ſpernes cum Plinio cogitans: *In ratione convivio-rum; quamvis a pleriſque cibis ſinguli temperemus, totam tamen cœnam laudare ſolemus; nec ea, quæ ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur.* Unde nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſe poſſit, cenſuit Plinius, referente eodem Plinio juniore *lib. 3. ep. 5.* præiveratque Varro *lib. 6. de ling. lat.* cujus illa ſunt ſcitè æque, ac verè dicta, *In bona ſegete neque nullum eſt ſpicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.* Poſſis de magna librorum parte verè ſtatuere quod de carminibus ſuis Martialis *lib. 6.*

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis hìc; aliter non fit, Avite, liber.

Vale mi Lector.

Immò audi: Mallem ſcias, me illorum, qui de libris ex more ſolùm, aut ex titulo judicant, approbationem non ambire.

Æſtimat ut pretio Sapiens, non pondere gemmas.
Utilitate probat, ſic quoque mentis opus.

Quòd ſi ad materiam, formamque confugias, quæ tibi moveant admirationem, ipſum verò negligas finem, contra ego, illa omnia futilia cenſebo, quorum finis ab homine ignoratur. Ego enim, ait Scaliger, triticum, & uvam, ac profectò aſellum, qui ad molas eſt, auro, adamanti, elephanto antepoſuerim. Et mollam illam quàm adamantem ſibi malit Sapiens. Eſt enim molla illa Reipublicæ pars, adamas non eſt. Id ſaltem rogo, ut lapſus humani ingenii, qui occurrent, humanitati condonentur. Quid eſt enim ſimul humanum & perfectum?

NUMERUS, ORDO, ET ARGUMENTA

Conſultationum Primi Tomi.

CONSULTATIO I.

An omiſſio examinis unius, alteriuſque, qui comparuerat deſcriptus in concurſu Parochiali, & proteſtatus fuerat, ſit contra formam ſubſtantialem diſpoſitionis a Sacro Concilio Tridentino præſcriptæ, itaut propterea ex hoc capite concurſus vitietur, poſſitque alter tertius Parochialem impetrare?

CONSULTATIO II.

An a proviſione, ſeu decreto Metropolitanæ Audientiæ, tàm in cauſis civilibus, quàm criminalibus indiſtinctè detur appellatio, etiam ſuſpenſiva?

CONSULTATIO III.

An detur appellatio a denegatione licentiæ laborandi feſtis diebus?

CONSULTATIO IV.

An quando non poteſt formari proceſſus pro declaratione nullitatis juxta formam decreti Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 19. de Regul. *propter temporis, quod excurrit, diuturnitatem, poſſit ac debeat diſpenſari ſuper dicto decreto, & cauſa committi Eminentiſſimo Urbis Vicario, ac P. Generali Religionis pro dicta declaratione?*

CONSULTATIO V.

An Regulares, renunciantes ſententiæ Rotali, & exequutorialibus relaxatis pro obſervatione ſuorum privilegiorum, incurrant aliquam pœnam canonicam, præſertim ſi id faciant timore majoris mali?

CONSULTATIO VI.

An functiones Pontificales ſpectent ad Archidiaconum, qui ex ſtatuto Eccleſiæ eſt tertia dignitas Diaconalis, an verò Primicerio, qui eſt quarta dignitas Sacerdotalis?

CONSULTATIO VII.

An Epiſcopus præcedere debeat quoſcumque, etiam Principes ſæculares, in ſua Eccleſia & Diœceſi?

CONSULTATIO VIII.

An poteſtas ſæcularis poſſit ſubditis ſuis indicere, ac præcipere obſervationem alicujus diei feſti, necnon præſcribere modum incedendi in proceſſionibus abſque Epiſcopi authoritate?

CONSULTATIO IX.

De præeminentia Sacr. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſuper Auditoris Cameræ, Sac. Rotæ Romanæ, ac Signaturæ Tribunalia, deque ejuſdem facultatibus præter expreſſas in Conſtitutione Sixti V. vivæ vocis oraculo a diverſis Pontificibus attributis?

CONSULTATIO X.

An adhuc non confirmatus, tenendo in chriſmate, ſpiritualem cognationem contrahat?

CONSULTATIO XI.

Stante diſpoſitione decreti Sacri Concilii Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. de Regul. *videlicet, quod dies feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præcepit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur, quæritur, utrum Epiſcopus poſſit abſque conſenſu Cleri, & populi illos præcipere?*

CONSULTATIO XII.

An profeſſi Regulares, qui literas latinas neſciunt, poſſint Regulam ſuæ Religionis è latino in vulgarem, & patrium ſermonem reddere?

CONSULTATIO XIII.

An examinatores Synodales teneantur emittere juramentum in ſynodo?

CONSULTATIO XIV.

An, & quatenus munus, ac dignitas Apoſtolorum aliquibus Sanctis viris appropriari poſſint?

CONSULTATIO XV.

An ratione conſuetudinis teneamur in jejuniis extra Quadrageſimam abſtinere ab ovis, & lacticiniis?

CONSULTATIO XVI.

Quidam Regulares juſſi a Viſitatoribus generalibus, ut coram ipſis comparerent, & ſcripturas quaſdam conſignarent, non paruerunt, quia Superiores immediati Provinciæ generaliter præceperant, ne aliquis ejuſdem Provinciæ Religioſus dictis Viſitatoribus obediret. Quare ii putaverunt bona fide obediendum eſſe potiùs ſuis Superioribus immediatis, quàm Viſitatoribus. Sed quoniam a Viſitatoribus ob non comparitionem, & non conſignationem ejuſmodi declarati fuerunt excommunicati, ideò quæritur, an ſtante dicta bona fide, poſſint excuſari ab incurſu excommunicationis?

CONSULTATIO XVII.

Ad evitandas controverſias, quæ occaſione electionis ſepulturæ non ſine fidelium ſcandalo excitari ſolent, dubitatur,

An ſit valida electio ſepulturæ, quam quis ſive ſanus, ſive infirmus coram Parocho elegerit?

An ad validitatem electionis ſepulturæ requiratur teſtamentum in ultima infirmitate, vel ſufficiat, quòd eligatur antea per alium actum publicum, qui teſtamentum non ſit?

An ſit nulla electio ſepulturæ, quando ipſa eligitur per teſtamentum factum in vita, & non in morte?

An qui habet Capellam ſuæ familiæ cum propria ſepultura, aut Capellam emerit cum ſepultura propria, moriens abſque ſepulturæ electione, ſepeliendus ſit in Cathedrali?

An validè eligatur ſepultura coram duobus teſtibus?

An electio ſepulturæ per nutus, & ſigna in caſu, quo quis loqui non poſſit, ſit valida?

An Confratres ſodalitatum, non electa ſepultura, poſſint ſepeliri in ſepulchro ſuæ Eccleſiæ?

An electiones ſepulturæ, quæ jure præſumuntur, ſicuti uxoris reſpectu mariti, filii reſpectu patris, ſervi reſpectu Domini ſint validæ?

An qui poſt mortem mandat ſuum corpus indui habitu Tertiariorum, ſit ſepeliendus in Eccleſia Regularium?

CONSULTATIO XVIII.

An uſusfructus bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, qui ex prætenſa conſuetudine conceditur cum ipſis bonis ad vitam pro eorum portione inſervientibus Eccleſiæ, prohibeatur in Extravagante Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.

CONSULTATIO XIX.

An Prior Commendatarius, cui cura animarum incumbit, exercenda tamen per Vicarium perpetuum, teneatur ad Sacros Ordines ſe promovere?

CONSULTATIO XX.

An Epiſcopus vigore Commiſſionis Apoſtolicæ poſſit cum abſente diſpenſare?

CONSULTATIO XXI.

An legitimatus a Principe poſſit aſſumi ad dignitatem Generalatus?

CONSULTATIO XXII.

An Canonicus pœnitentiarius in Cathedrali Eccleſia uti poſſit virga, ſive ut ajunt, bacchetta?

CONSULTATIO XXIII.

An Vicarius capitularis abſque ulla præfinitione temporis electus, poſſit a capitulo ad libitum removeri? Ubi nonnulla de nullitate electionis.

CONSULTATIO XXIV.

Ad quem pertineat deputatio proviſionalis Miniſtrorum, exercentium in Eccleſia Cathedrali curam animarum?

CONSULTATIO XXV.

An quando unus in ſcriptura, vel voce priùs quàm alter nominatur, vel ſcribitur, ſit ſignum demonſtrativum, & illativum præeminentiæ, & prærogativæ?

CONSULTATIO XXVI.

An locus altior, vel primus ſit ſignum prærogativæ?

CONSULTATIO XXVII.

An ſit de pertinentibus ad Auditorem Cameræ Apoſtolicæ cognoſcere de altercatione juriſdictionum inter Judices?

CONSULTATIO XXVIII.

An ſit abuſiva introductio Suffraganei provocandi ad altercationem Metropolitanum circa remiſſionem cauſarum?

CONSULTATIO XXIX.

Quinam dicendi ſint contumaces ad effectum denegandi appellationes?

CONSULTATIO XXX.

An eo ipſo, quòd Metropolitanus inhibeat, ſi Procurator Curiæ Epiſcopalis in criminalibus, & partes litigantes in civilibus prætendant inhibitionem gravaminoſam, debeant inſtare pro revocatione coram Metropolitano?

CONSULTATIO XXXI.

An avocationum, & ſententiarum juſtitia diſcutienda ſit cum partibus, quarum principaliter intereſt ſuos recurſus, & ſententias a ſe obtentas defendere, an verò cum Judicibus?

CONSULTATIO XXXII.

An Metropolitanus in tota Provincia punire poſſit omnia crimina notoria ſubditorum ſuffraganeorum, etiam extra viſitationem, & omnia tempore, dummodo Epiſcopus non prævenerit in puniendo?

CONSULTATIO XXXIII.

An Suffraganeus poſſit aliquid contra Metropolitanum?

CONSULTATIO XXXIV.

An Monialibus expulſis debeantur alimenta? Quomodo ea taxanda? Et, an ex cauſa poſſint augeri?

CONSULTATIO XXXV.

An ſit indulgendum, ut filius poſſit dumtaxat miniſtrare in Eccleſia, in qua ſuus genitor, qui a triginta & ultra annis obiit, Canonicatum obtinuit, ſed in nullo ſacro Ordine miniſtravit?

CONSULTATIO XXXVI.

An Epiſcopus poſſit Monialibus præſcribere tempus, & locum ſuſcipiendi Sacram Communionem?

CONSULTATIO XXXVII.

An ex eo, quòd Ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ ſit inter Miſſarum ſolemnia, dicatur Miſſa ſolemnis, itaut in ea omittenda ſit commemoratio ſimplex?

CONSULTATIO XXXVIII.

An in ſuſcipiendis minoribus Ordinibus ſit permiſſa variatio, itaut qui ab Epiſcopo originis, ſeu domicilii tonſura, aut altero ex minoribus Ordinibus initiatus fuit, poſſit ad alium Ordinem minorem ab Epiſcopo beneficii promoveri?

An ſit permiſſa ejuſmodi variatio in aſcenſu ab Acolythatu, ad Subdiaconatum?

An ſit permiſſa Subdiacono in promotione ad Diaconatum vel Diacono in promotione ad Sacerdotium?

CONSULTATIO XXXIX.

An, & quomodo tranſitus ab una Religione ad aliam ſtrictiorem ſit de jure, & ex Sacro Concilio Tridentino permiſſus?

CONSULTATIO XL.

An Epiſcopus poſſit viſitare Montem Pietatis ſeorſim ab Officialibus laicis, aliàs forſan viſitare ſolitis, & abſque eorum conſenſu decernere, quæ ad bonum ejuſdem Montis regimen expedire cenſuerit?

An ipſe, quando prædictum Montem Pietatis viſitat, poſſit Canonicos illos duos, ſive alias duas perſonas Eccleſiaſticas ſecum ducere, quas earundem conſilio utendi, & Epiſcopalis dignitatis ſervandæ gratia adhibet in viſitatione Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum ſuæ Diœceſis?

An proprio ſuo Cancellario Epiſcopali ad præfatæ viſitationis acta conſcribenda uti poſſit, quamvis Officiales, & Viſitatores laici proprium peculiarem Cancellarium habeant?

An ipſe ab Adminiſtris ejuſdem Montis Pietatis poſſit adminiſtrationis rationem extra viſitationem exigere?

CONSULTATIO XLI.

An debitores frumenti, quod ſibi per Adminiſtratores Montis Pietatis ab Epiſcopo erecti pro ſubveniendis honeſtis familiis egenis, fuit pro una vice tantùm ex permiſſione Epiſcopi menſæ Maji credito venditum juxta communem valorem, ut ejus quantitas pro ipſo Monte neceſſaria ſtatuatur ad ſuccurrendum de cætero, ac in perpetuum mutuò gratuitò eiſdem egenis, teneantur ad ſolutionem pretii conventi juxta formam obligationis Cameralis?

CONSULTATIO XLII.

An Epiſcopus poſſit laicis imponere pœnas, eaſque exigere, ac uſibus piis applicare, eo quòd ipſi contravenerint ejus edictis circa Annonæ inopiam propoſitis?

CONSULTATIO XLIII.

Quæ præſertim, ac quot conditiones exigantur, ut geſta per capitulum valeant?

CONSULTATIO XLIV.

An Canonici Regulares Ordinis Præmonſtratenſis ſint capaces pro obtinendis abſque alio Sedis Apoſtolicæ permiſſu Parochialibus Eccleſiis ſæcularibus, ſaltem Juriſpatronatus ad præſentationem Patronorum? Et quid de aliis Canonicis Regularibus?

CONSULTATIO XLV.

De Clerico conjugato quoad forum?

CONSULTATIO XLVI.

De Clerico carcerato etiam quoad forum?

CONSULTATIO XLVII.

In quibuſdam Diœceſibus ex immemorabili conſuetudine fuit a populis, ſive communitatibus, non autem a Clero perſoluta procuratio Epiſcopo viſitanti, cumque hodie iidem populi cum aſſiſtentia ſuorum Principum ſolvere in futurum renuant, ideò quæritur pro parte Cleri, an obſervatio dictæ conſuetudinis ſit præcipienda?

CONSULTATIO XLVIII.

An occidens inimicum, apprehenſum, & ligatum in manibus curiæ, committat proditorium, ac proinde privetur immunitate Eccleſiæ?

CONSULTATIO XLIX.

An molendina Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum ſub obtentu, quod in illis committantur fraudes, poſſint viſitari a Magiſtratu ſæculari, ejuſque edictis ſubjici?

CONSULTATIO L.

An Eccleſiaſtici tàm ſæculares, quàm Regulares, Abbates, Epiſcopi, Cardinales, Camera Apoſtolica, aliive privilegiati, ſuppoſita præciſa neceſſitate, contribuere debeant laboreriis, excavationibus, & operibus circa flumina, alioſque aquæductus pro conſervatione bonorum etiam Eccleſiarum, necnon pro percipiendis redditibus ex eiſdem bonis?

Et quatenus debeant, an hoc ſit exequendum mediante ordine per literas, & temporaneo pro unica vice, an potius mediante Indulto perpetuo, omnium ſupradictorum comprehenſivo?

CONSULTATIO LI.

An Clericus inſerviens Epiſcopo debeat privari immunitate eidem competente, uti Clerico per virtualibus, eo quod alitur expenſis ipſius Epiſcopi, qui habet franchigiam pro omnibus de ſua familia?

CONSULTATIO LII.

An, & quatenus Parochiæ ornandæ, agendæque ſint?

CONSULTATIO LIII.

An deferente Epiſcopo aliquam Sanctorum reliquiam, etiam Protectoris Civitatis, ſive Patroni in publica ſupplicatione, ſi tranſeat ante Monaſterium, vel Eccleſiam alicujus Ordinis Mendicantis, vel alias regularis, teneantur iidem regulares exire domo, ſeu Eccleſia, & reliquiam cum thurificatione venerari? Et an ad id cogi poſſint, aut debeant?

CONSULTATIO LIV.

Utrum in crimine læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ reatus patris nocere debeat liberis? Sive, an juſtè filii innocentes cum parentibus puniantur?

CONSULTATIO LV.

An obſervatio decretorum S. Inquiſitionis, atque Urbani VIII. de Canonizatione Sanctorum admittat ab initio publicationis eorundem aliquod temporis intervallum ad effectum procedendi ad ulteriora in Canonizatione?

CONSULTATIO LVI.

An, & quatenus requiratur decretum ſuper cohabitatione triennali ad effectum diſſolvendi matrimonium?

CONSULTATIO LVII.

An Epiſcopus teneatur indiſtinctè jurare omnia ſtatuta Eccleſiæ, vel ea tantum, quæ ſunt conformia juri communi, & Sacro Concilio Tridentino, vel aliàs a Sede Apoſtolica confirmata?

CONSULTATIO LVIII.

An pro generali viſitatione indicenda poſſit Epiſcopus ſolus facere edicta generalia abſque conſenſu, & conſilio capituli?

CONSULTATIO LIX.

An ejuſmodi edictis generalibus poſſit Epiſcopus præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ, ut quilibet de populo teneatur revelare ea, quæ correctione, vel emendatione digna judicaverit?

CONSULTATIO LX.

An Epiſcopus teneatur accedere ad locum capitularem pro viſitandis ſingulis Canonicis, quemadmodum tenetur dum viſitat Capitulum in communi, vel liceat illi eos vocare ad ſe in ſuo Palatio, ibique illos viſitare?

CONSULTATIO LXI.

An in gnerali viſitatione poſſit Epiſcopus ſolus ſine Conjudicibus imponere Canonicis pœnam extraordinariam, tendentem magis ad correctionem morum, quàm ad punitionem?

CONSULTATIO LXII.

An viſitatio Eccleſiæ Cathedralis, illiuſque perſonarum poſſit impediri, vel retardari per appellationem, dum non docetur de aliqua particulari exemptione?

CONSULTATIO LXIII.

An in viſitatione Cathedralis poſſit Epiſcopus ſolus ſine Conjudicibus exigere rationem adminiſtrationis quorcunque operum piorum ſub cura Capituli exiſtentium?

CONSULTATIO LXIV.

An Epiſcopus in viſitatione Cathedralis poſſit exigere rationem a capitulo de applicatione, & diviſione diſtributionum quotidianarum, & aliorum emolumentorum, duplarum, & anniverſariorum dictæ Eccleſiæ, præſuppoſito maximè, quòd de fructibus omnium Præbendatorum tàm Canonicorum, quàm Beneficiatorum, & Capellanorum ſit una communis maſſa, cujus adminiſtratio ex conſuetudine dicitur ad ſolum Capitulum ſpectare?

CONSULTATIO LXV.

An Epiſcopus poſſit in viſitatione Cathedralis corrigere, & moderari ſtatuta Eccleſiæ non confirmata a Sede Apoſtolica?

CONSULTATIO LXVI.

An Epiſcopus poſſit viſitare Archivium Cathedralis, & recognoſcere jura, & ſcripturas concernentes ſtatum Eccleſiæ?

CONSULTATIO LXVII.

An Canonici poſſint habere capitulum tempore celebrationis divinorum officiorum in caſu non neceſſario? Etſi non poſſint, ac nihilominùs id faciant, an poſſint puniri per mulctas, & ſubtractionem fructuum, etiam ſine conjudicibus?

CONSULTATIO LXVIII.

An Epiſcopus procedens contra Canonicum propter non reſidentiam citra privationis pœnam teneatur adhibere Conjudices?

CONSULTATIO LXIX.

An Epiſcopus ſolus poſſit Synodum Diœceſanam indicere, ac publicare, an verò requiratur conſilium, vel conſenſus Capituli?

CONSULTATIO LXX.

An Epiſcopus poſſit ad Synodum vocare nedum Clericos ſibi benè viſos, ſed etiam laicos, ſi illorum conſilio uti velit?

CONSULTATIO LXXI.

An celebratio Synodi impediri, vel retardari poſſit per appellationem?

CONSULTATIO LXXII.

An detur appellatio à decretis, & ſtatutis ſynodalibus?

CONSULTATIO LXXIII.

Quomodo procedere debeat Epiſcopus contra Canonicos recuſantes venire ad Synodum ſub prætextu, quòd eorum conſenſus, vel conſilium requiratur?

CONSULTATIO LXXIV.

An quando totum Capitulum delinquit, poſſit Epiſcopus procedere contra ſingulos Canonicos ſine Conjudicibus? Et caſu, quo id non poſſit, quid tandem deſuper agere debeat?

CONSULTATIO LXXV.

An Epiſcopus in ſua Synodo poſſit ſibi reſervare quoad proprios ſubditos caſus jam reſervatos Romanæ Sedi?

CONSULTATIO LXXVI.

An Epiſcopus poſſit ſibi reſervare aliquem caſum concernentem violationem clauſuræ reſpectu monialium exemptarum?

CONSULTATIO LXXVII.

An conſenſus Capituli, qui neceſſariò in unione beneficiorum ſimplicium Seminario facienda debet intervenire in forma ſpecifica, & non per æquipollens, ſufficiat, ſi ſuperveniat unioni jam factæ?

CONSULTATIO LXXVIII.

An Epiſcopus poſſit ſuo edicto injungere tertiæ parti Canonicorum, ut interſit divinis officiis omnibus diebus feſtis ordine ſucceſſivo per turnum ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto?

CONSULTATIO LXXIX.

An ex titulo Beati, ſive ſancti in ſcripturis, libriſque, ac alibi prolato eliciatur aliquod ſignum cultus contra decreta de canonizatione Sanctorum?

CONSULTATIO LXXX.

Epiſcopus ad conſulendum tenuitati præbendarum, qua laborabant Dignitates, & Canonicatus ſuæ Cathedralis, necnon ad inſtituendas præbendas, quibus carebant aliqui Canonicatus ejuſdem Eccleſiæ, tria beneficia ipſis Dignitatibus, & Canonicatibus diſtributivè univit ſine præjudicio illa tunc obtinentis, cui unioni Capituli conſenſus acceſſit. Defuncto poſtmodum in menſe reſervato, & in curia beneficiato, qui ante dicta tria beneficia obtinebat, petitur, an præfata unio cenſenda ſit valida, itaut in præſens ſortiri debeat effectum?

CONSULTATIO LXXXI.

Translatio ad alterum Epiſcopatum quoad vacationem primi quonam tempore perficiatur?

CONSULTATIO LXXXII.

An Officiales, ſive familiares, ac Miniſtri Epiſcoporum gaudeant privilegio fori?

CONSULTATIO LXXXIII.

An Prælati Eccleſiaſtici, poſſidentes loca juriſdictionalia ſub prætextu, quòd ea ſint feuda, debeant in ſucceſſionem cujuslibet eorum ſolvere Cameræ laicali quindennium loco Relevii ſuffectum?

CONSULTATIO LXXXIV.

An Princeps concedens Eccleſiæ jus nundinarum, cenſeatur etiam concedere cuicumque immunitatem a quibuſvis gabellis, datiis, vectigalibus, pedagiis, aliiſque oneribus in acceſſu, mora, & receſſu?

CONSULTATIO LXXXV.

Utrum poſſit licitè, ac juſtè recuſari Viſitator regularis, miſſus a Generali? Et quid de ſententia lata poſt recuſationem?

CONSULTATIO LXXXVI.

An Commendatarius Monaſterii regularis, cui annexa eſt cura animarum, teneatur ad reſidentiam, & per ſeipſum curam exercere?

CONSULTATIO LXXXVII.

An Regularibus, qui è Religione egreſſi ſunt non ex ſua culpa, cum de ſua innocentia juridicè conſtet, ſed ex acerbiſſimo, atque etiam notiſſimo Superiorum odio, quam ob cauſam reditus ad Religionem eſt illis moraliter impoſſibilis, poſſit juſtè imponi obligatio migrandi in alium Regularem Ordinem? Et an ullum eſſe poſſit inconveniens, ſi ejuſmodi Regulares eximantur ab obedientia, & juriſdictione Religionis, & conſtituantur ſub juriſdictione Epiſcoporum?

CONSULTATIO LXXXVIII.

Regularis, completo probationis anno, in conventu tamen ad Novitiatum non deſignato, emiſit juxta Conſtitutiones, & morem Religionis profeſſionem expreſſam, & uti profeſſus perſeveravit in eadem Religione ultra quinquennium; quo tempore cum licentia Provincialis egreſſus prætextu nullitatis profeſſionis, eo quòd Novitiatum non fecerat in conventu deſignato, & de licentia Vicarii Epiſcopi, matrimonium per verba de præſenti contraxit, aſſerens illud contraxiſſe, attenta dicta licentia Provincialis ſimpliciter conceſſa egrediendi ob ſupradictam nullitatem, licèt ab aliquibus audiret, quòd neceſſe erat obtinere licentiam a Sede Apoſtolica. Qua ſerie facti ſuppoſita, quæritur, an eidem Regulari obſtet decretum ſan. mem. Urbani VIII. die 5. Januarii 1636. ex ſententia S. Congregationis Concilii editum, itaut tanquam profeſſus remaneat Religioni adſtrictus, nec ab ea exire, & multò minus validè matrimonium contrahere potuerit?

Et an dictus Provincialis, qui licentiam exeundi, & Vicarius Generalis Epiſcopi, qui licentiam matrimonii contrahendi dederunt, in pœnas inciderint in eodem decreto expreſſas?

CONSULTATIO LXXXIX.

Extat hæc regularis Conſtitutio: Si quis defectum illegitimitatis celaverit, ſtatim arcatur, expellatur, etiam ſi profeſſionem emiſerit: Congregationis quippè animus eſt, eos, qui prædictum defectum patiuntur, & celant, ad profeſſionem non recipere. Ex his quæritur primò, An profeſſio cum tali impedimento emiſſa, ſit nulla? Secundò, An data nullitate, liceat Religioni ſic nulliter profeſſum expellere abſque interventu Ordinarii, & non ſervata forma præſcripta a Sacro Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularibus?

CONSULTATIO XC.

An Collegiata ſæcularis per unionem Congregationi regulari factam remaneat ſuppreſſa, & extincta?

CONSULTATIO XCI.

An ſtatutum a Pontifice approbatum, nimirum quod nemo in Canonicum Eccleſiæ Cathedralis recipi, & admitti poſſit, vel debeat, niſi in jure Canonico, vel civili, aut in Sacra Theologia candidatus fuerit, vel ſaltem per triennium iis facultatibus ſtuduerit, ac etiam quòd inter ipſos exteris cives præferri debeant, ſit confirmandum, non obſtante, quòd multoties fuerit interruptum?

CONSULTATIO XCII.

An Judæus recens baptizatus, & ad chriſtianiſmum converſus, per converſionem & pœnitentiam illam, ab anterioribus & priſtinis delictis in Judaiſmo perpetratis etiam in foro ſæculari quoad pœnam corporalem rectè excuſetur, & impunitatem conſequatur?

CONSULTATIO XCIII.

De Eccleſiis, atque Oratoriis privatis ac publicis quoad immunitatem?

CONSULTATIO XCIV.

An conſulentes, vel mandantes delicta excepta in Conſtitutione Gregorii XIV. gaudeant immunitate?

CONSULTATIO XCV.

An familiares Eminentiſſimorum Cardinalium gaudeant privilegio fori?
An Judex trahens hoſce familiares ad Tribunal laicale incurrat cenſuras?
An ſolicitatio ſit ſufficiens ad talem incurſum?
An familiares renunciare poſſint huic privilegio?
An qui tempore exequutæ citationis eſt abſens, gaudeat privilegio familiaritatis?
An ex capite ignorantia Judex laicus excuſari queat?

CONSULTATIO XCVI.

An attentata per Judices laicos Sacræ Congregationis Immunitatis decreta, præſertim emiſſa cum participatione Summi Pontificis, de jure ſubſiſtant?
Et an rei, qui ad Eccleſiam confugiunt, poſſint ab Eccleſiaſtico Judice extraordinaria puniri?

CONSULTATIO XCVII.

An ſtatuta, ſive edicta laicorum, in quibus puniuntur damna ab animalibus data, comprehendant etiam ruſticos, & laboratores, retinentes, ac conducentes animalia Eccleſiæ, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, dum ipſorum culpa ab illis committitur damnum ſuper bonis laicorum?

CONSULTATIO XCVIII.

An cum officiali curiæ laicæ declarato incidiſſe in cenſuras Bullæ in Cœna Domini, & abſoluto ab Ordinario ſub conditione expreſſa, ut quando poſſet ſe in Romana curia per ſeipſum, vel Procuratorem præſentaret gratia petendi abſolutionem, reſervatam Romano Pontifici, poſſit diſpenſari a dicta obligatione?

CONSULTATIO XCIX.

An filii ſæculares Clerici conjugati gaudeant privilegio fori, quo gaudet eorum pater?

CONSULTATIO C.

An blandis, ſubdoliſque verbis ſuaſus, ut exeat ab Eccleſia, ad quam confugerat, ab illa mox ſponte exeundo, amittat beneficium Immunitatis?

CONSULTATIO CI.

An Clerici ſolùm ex quadam honeſtate, & quaſi ex conſilio debeant tempore peſtis, ac in hujuſmodi caſibus contribuere, vel teneantur ex neceſſitate, & obligatione conſcientiæ?

CONSULTATIO CII.

An occidens amicum reconciliatum committat homicidium proditorium, ac proinde ſit privandus Immunitate Eccleſiæ?

CONSULTATIO CIII.

An ſuſcipiens habitum Clericalem in fraudem laicæ juriſdictionis gaudeat privilegio fori?

CONSULTATIO CIV.

An crimen ſolicitationis ad actus inhoneſtos in Sacramentali Confeſſione ſufficienter probetur per teſtes ſingulares? Ubi multa de hac re, quæ apud alios fortaſſe non leguntur.

CONSULTATIO CV.

Quibuſnam debeatur in Capella Pontificia jus præcedendi, ac ſedendi immediatè poſt Epiſcopos, Generalibus ne Ordinum Mendicantium, an Monachorum?

CONSULTATIO CVI.

An donatio quorumdam bonorum titulo eleemoſynæ facta Religioni, in quam quis poſt quindecim, vel viginti dies ingreditur, & poſtea poſt alios quindecim ex illa diſcedit, ſit judicanda perpetua, itaut non poſſit amplius revocari?

CONSULTATIO CVII.

An Canonicus Clericum in minoribus manuali mercede Sacriſtiæ inſervientem, ac minus promptè ſibi obtemperantem manu leviter percutiens cum aliqua indignatione & increpatione in aliquam excommunicationem incurrat, vel ſaltem mortaliter peccet?

CONSULTATIO CVIII.

An decretum Concilii Trident. cap. 15. ſeſſ. 25. de refor. *obſtet unioni officii ſimplicis aliàs de conſenſu Capituli ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ per Ordinarium factæ Maſſæ Capitulari, ſeu reſidentiali, diſtributionibuſque quotidianis?*

CONSULTATIO CIX.

An promiſſio, ſive donatio facta a Patre Monaſterio, in quo ſuus filius adhuc novitius exiſtit, ſit contra decretum Sacri Concilii Tridentini, atque adeò nulla, etiam ſi facta ſit inter vivos, ac de bonis ipſius donantis, ſitque habitura effectum poſt profeſſionem?

CONSULTATIO CX.

Electio per compromiſſum ut ſit valida, quid præcipuè requiratur?

CONSULTATIO CXI.

An Legati, ſive Oratores, eorumve comites, famuli, aſſeclæ delinquentes in Rempublicam, in Principem, ad quem miſſi ſunt, poſſint ab eo puniri? Et quid de Legatis, ſive Nunciis Summi Pontificis? Ubi pauca de officio Principis.

CONSULTATIO CXII.

An profeſſus in una Religione tranſiens ad aliam, quæ dubitabatur utrum fuerit approbata a Sede Apoſtolica, a qua deinde ſuppreſſa fuit, teneatur redire ad primam, vel ingredi aliam Religionem approbatam?

CONSULTATIO CXIII.

An poſſint eligi in Conſervatores Regularium Archiepiſcopi, & Cardinales?

CONSULTATIO CXIV.

An Patres viſitatores Apoſtolici Urbis poſſint venerabile Hoſpitale & Eccleſiam Sanctorum Jacobi, & Ildephonſi inclytæ Nationis Hiſpaniarum de Urbe facultate ſibi demandata viſitare?

CONSULTATIO CXV.

An crimen polygamiæ ſpectet ad forum Eccleſiaſticum, ſive ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis privativè quoad Judices ſæculares?

CONSULTATIO CXVI.

An concedenda ſit licentia, ut cadaver puellæ Virginis, filiæ magni Principis ſepeliri poſſit intra clauſuram Monialium de earundem conſenſu?

CONSULTATIO CXVII.

De pœna coitus habiti a Clerico cum commatre?

CONSULTATIO CXVIII.

Concurſus in Parochialibus quomodo faciendus? Quis reputetur magis dignus? Quando ab excluſione appellandum, contraque Epiſcopum præſumendum?

CONSULTATIO CXIX.

An Examinatorum extra ſynodum nominatio ſit confirmanda?

CONSULTATIO CXX.

An Monialis, quæ a Monaſterio aufugit, timens juſtè, ac probabiliter a Monialibus ſui Monaſterii mortem ſibi veneno aut incendio inferendam, poſſit tranſire ad aliud Monaſterium diverſæ regulæ etiam laxioris?

CONSULTATIO CXXI.

Dubium grave, & curioſum de promoto ad Ordinem Presbyteratus?

CONSULTATIO CXXII.

An exemptio a proceſſionibus ſit concedenda?

CONSULTATIO CXXIII.

An contra eum, qui gaudet fori privilegio, & aliquod delictum commiſit, poſſit validè Judex laicus procedere, ſi reus non allegaverit ſuum privilegium?

CONSULTATIO CXXIV.

An Clericus offendens ſuum Principem naturalem, ſeu temporalem ſit reus læſæ majeſtatis, poſſitque ab eo puniri?

CONSULTATIO CXXV.

An Regulares, præſertim Ordinis Prædicatorum teneantur ad refectionem viarum?

CONSULTATIO CXXVI.

An Eccleſiaſtici participes debeant eſſe bonorum Communitatis, quorum participes ſunt alii cives oriundi?

CONSULTATIO CXXVII.

An ligare in Eccleſia compedibus, vel manicis ferreis confugientem ad illam, ſit contra Immunitatem Eccleſiaſticam?

CONSULTATIO CXXVIII.

An Epiſcopus in materia Immunitatis Eccleſiaſticæ ſuper prætenſo delicto a Conſtitutione Gregoriana excepto, teneatur ſtare proceſſui Curiæ ſæcularis? Sive quod idem eſt,

An Epiſcopus poſſit ex proceſſibus confectis in Curia ſæculari ante extractionem rei ab Eccleſia cognoſcere, num ille gaudere debeat beneficio Immunitatis, vel ne, an præcisè teneatur novum proceſſum conficere?

Et an proceſſus Eccleſiaſtici ſuper extractionem conſignari debeant Judicibus laicis? Ubi de pœna extraordinaria extractorum.

CONSULTATIO CXXIX.

An ſit annuendum Magiſtratibus laicis, ut promovendi ad ſtatum Clericalem deſcribantur in actibus Curiæ ſæcularis?

CONSULTATIO CXXX.

An conſuetudine induci poſſit, ut unus Canonicus, quo tempore obligatus eſt ſervitio chori, poſſit Canonicum alium pro eo tempore non obligatum pro ſe ſubſtituere, itaut nec peccet, nec diſtributiones amittat?

CONSULTATIO CXXXI.

An cadavera punitorum Medicis ad anatomiam ſint concedenda?

CONSULTATIO CXXXII.

An Vicarius Generalis Ordinis dignioris deputatus per Pontificem, vivente ſuo Generali, tàm eo abſente, quàm præſente, præcedere debeat Vicario Generali alterius Ordinis inferioris etiam per Pontificem deputato in locum tamen Generalis demortui, ut toti religioni præſideat?

CONSULTATIO CXXXIII.

An, & quatenus Epiſcopus poſſit Parochus ritè, ac rectè ſemel examinatos, iterum, ac pluries ad examen vocare?

CONSULTATIO CXXXIV.

An lectoribus Cathedraticis concedi poſſit, vel debeat ex gratia, vel ex juſtitia, facultas recipiendi integras diſtributiones matutinas, & pomeridianas, quando legunt ſub eo prætextu, quod opus ſit aliquo tempore meditationis, & ſtudii, ac quietis ante, & poſt lectionem?

CONSULTATIO CXXXV.

Quæ probationes frequentiores requirantur ad relaxandas cenſuras ob homicidium in Clericum ex mandato, vel ratificatione, præcipuè viri Principis patratum?

CONSULTATIO CXXXVI.

An Conventio, ſive tranſactio inter Epiſcopum, & Monaſterium abſque Priore inita, ſit valida, ac ſuſtinenda?

CONSULTATIO CXXXVII.

An pro authenticis ſcripturis intelligantur tantummodò publica, & authentica Inſtrumenta, non autem ſimplices literæ patentes Baronum, ſive Univerſitatum ad juſpatronatus præſentantium?

CONSULTATIO CXXXVIII.

De præcedentia tàm inter Ordines Mendicantes, quàm Monachorum?

CONSULTATIO CXXXIX.

An, & quando Capellani poſſint celebrando in altari juxta formam præſcriptam a fundatore applicare ad ſuum libitum Miſſæ ſacrificium, & pro illo eleemoſynam a Chriſti fidelibus percipere, vel celebrare teneantur pro anima fundatoris?

CON-

CONSULTATIO CXL.

An Nuncii Sedis Apoſtolicæ poſſint Superiores Regulares compellere ad recipiendum Religioſos expulſos ab eorum Religione?

CONSULTATIO CXLI.

An commenda Monaſterii Regularis habentis annexas Parochiales Clerico 25. annorum non completorum ſub expreſſione, quòd dictum Monaſterium cura carebat, ſit nulliter collata?
Et data illius nullitate, an eidem Clerico, qui vigore dictæ commendæ dictum Monaſterium ultra 20. annos pacificè poſſedit, ſuffragetur regulæ de triennali, & decennali poſſeſſione?

CONSULTATIO CXLII.

An pro ſolvendis impoſitionibus cameralibus tàm antiquis, quàm modernis Religioni impoſitis, & per Monaſteria pro rata ſolvendis, poſſit fieri nova taxatio, & æqua diſtributio impoſitionum præfatarum juxta modernos redditus, itaut tàm antiqua, quàm moderna onera ſint ſolvenda pro rata redditumm tunc exiſtentium, vel potius antiquæ impoſitiones ſint ſolvendæ ſecundum antiquas taxationes?
Et an modernæ impoſitiones dici poſſint a quindecim annis citra, vel a quanto tempore?

CONSULTATIO CXLIII.

An Principes Catholici jure poſſint permittere in ſuis regionibus negotiationem cum hæreticis?

CONSULTATIO CXLIV.

An inferior Epiſcopo, habens juriſdictionem ordinariam procedere poſſit adverſus eos, qui Eccleſiarum ſuæ Diœceſis immunitatem violare non verentur?

CONSULTATIO CXLV.

An cadavera viatorum advenarum, ſeu perfunctoriè commorantium in Civitate, ibi morientium, non electa ſepultura, ſepelienda ſint in Eccleſia Cathedrali, eique ſolvenda quarta funeralis, an verò in Eccleſia Parochiali, intra cujus fines exiſtunt domus, in quibus moriuntur?

CONSULTATIO CXLVI.

An Regulares poſt expreſſam promiſſionem extra Monaſteria ad receptionem Novitiorum deſignata perſeverantes ultra annum in eadem Religione abſque reclamatione, ſeu proteſtatione, habitum profeſſorum geſtantes, ac cætera omnia prout alii Religioſi verè profeſſi peragentes, ſint eidem Religioni in ſpecie, vel in genere adſtricti, non obſtantibus ſa. mem. Clementis VIII. decretis cum clauſula ſublata, & decreto irritante?

CONSULTATIO CXLVII.

An Epiſcopus ad præbendam Theologalem admittere poſſit Doctorem in jure Canonico?

CONSULTATIO CXLVIII.

De diſſolutione matrimonii. An, & quomodo ſit concedenda?

CONSULTATIO CXLIX.

Quiſnam prius admittendus ſit ad profeſſionem Regularem, ac præcedere debeat, ille ne, qui prius receptus eſt ad habitum, an qui prius habitum ſuſcepit?

CONSULTATIO CL.

An intimatio diſdictæ locationis domus facta judicialiter Clerico coram Judice laico ſit contra Immunitatem Eccleſiaſticam?

CONSULTATIO CLI.

An irritationes matrimoniorum in vim S. Concilii Tridentini factæ ſine expreſſione nominis ejuſdem Concilii ſuſtineri poſſint in foro externo?
An ſaltem in foro conſcientiæ?
An poſſint ſaltem tolerari per Summum Pontificem?

CONSULTATIO CLII.

An Regularis, qui ab aliquot annis relicto clauſtro, ſpretaque obedientia vagatur, incedendo tamen in habitu Regulari, an in privata domo vivendo non ſine ſcandalo, inciderit in pœnas etiam apoſtaſiæ, itaut tanquam apoſtata ſit puniendus?

CONSULTATIO CLIII.

An puer nondum in aliqua parte ſui corporis natus in extrema neceſſitate baptizari poſſit in utero matris?

CONSULTATIO CLIV.

An ſubditus Domini temporalis adire poſſit Judicem Eccleſiaſticum, ut a juramento in contractu præſtito abſolvatur, & abſolutione obtenta, petat contractum reſcindi in juriſdictionis ſui Domini præjudicium, qua eſt inveſtitus? Ubi de poteſtate Principis ſæcularis irritante contractum juratum.

CONSULTATIO CLV.

An odor, & ſuffitus carnium, aliarumve rerum frangant jejunium tàm naturale, quàm Eccleſiaſticum?

CONSULTATIO CLVI.

An Epiſcopus poſſit ad rebenedictionem Eccleſiæ pollutæ delegare ſuum Vicarium Generalem?

CONSULTATIO CLVII.

An cauſæ laicorum, qui ſunt adſcripti in Confraternitatibus, etiam Eccleſiaſticis, agitari debeant in foro Eccleſiaſtico?

CONSULTATIO CLVIII.

Verba legati, an, & quando intelligantur pro unica vice, vel in perpetuum, ſive diſcretivè? Ubi, an ſit ſimonia exigere a proviſis aliquam ſummam ad uſus pios?

CONSULTATIO CLIX.

An, & quomodo pro Miſſis manualibus celebrandis in Eccleſiis inſignioribus capſulæ retineri poſſint, & quando ſint reducibiles?

CONSULTATIO CLX.

Beneficia, & officia electi in Epiſcopum quando, & quo pacto vacent?

CONSULTATIO CLXI.

Utrum collatio Canonicatus ſpectet ad Cardinalem Titularem, an verò ad Cardinalem, cujus defunctus Canonicus erat familiaris?

CONSULTATIO CLXII.

An Ordinarius poſſit ſuſpendere Regularem, ex eo quod, cùm ſit Superior ac etiam Parochus, impediverit, ne a Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ duceretur proceſſio ad ſuam Eccleſiam, & an concedenda ſit eidem Capitulo manutentio? Ubi de poteſtate Ordinarii in exemptos, ac de eorum privilegiis non pauca.

CONSULTATIO CLXIII.

In quibus caſibus debeat Epiſcopus contra Regulares ingredientes ſepta Monaſteriorum Monialium illis ſubjectarum procedere ad pœnas etiam cenſurarum?

CONSULTATIO CLXIV.

Ad quas pœnas, & quomodo procedi poſſit contra Clericos beneficiatos non reſidentes, præſertim ſi ad titulum ſuorum beneficiorum ſint ordinati?

CONSULTATIO CLXV.

An poſſint eligi in Conſervatores privilegiorum Regularium ipſi Regulares cujuſcunque ſint Ordinis, aut ſocietatis?

Et an Conſervatores hujuſmodi poſſint in Epiſcopos ferre excommunicationis ſententiam, eiſque carceribus mancipare, Sede Epiſcopali privare, aut inde amovere, ſeu in exilium ejicere, aut ab hominibus relegare?

CONSULTATIO CLXVI.

An edicto poteſtatis laicæ obligentur Clerici, eorumve bona, atque Coloni?

CONSULTATIO CLXVII.

An ſatellites Curiæ ſæcularis poſſint armis ſpoliare confugientes ad Eccleſias, & loca immunia?

CONSULTATIO CLXVIII.

An decretum Sacræ Congregationis controverſiis juriſdictionalibus præpoſitæ ſuper cognitione cauſarum damnorum datorum etiam in ſtatu Eccleſiaſtico ſit omninò ſervandum?

CONSULTATIO CLXIX.

An Epiſcopus dum videt contra reum urgere inditia ſufficientia ad torturam ſuper caſu excepto in Conſtitutione Gregoriana de Immunitate Eccleſiaſtica, debeat quoque ad inveſtigationem veritatis quæſtionem adhibere, ac tormentis uti, ad eam per dolorem corporis eliciendam ab ipſo reo, legitimè interrogando?

CONSULTATIO CLXX.

De cenſurarum declaratoria in materia Immunitatis Eccleſiaſticæ. Ubi plura de literis hortatoriis, minatoriiſque laicæ poteſtatis, annotationibus verè digna, præſertim pro Epiſcopis, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis?

CONSULTATIO CLXXI.

An delinquens in porticu Eccleſiæ dicatur delinquere in ipſa Eccleſia, ita ſanè, ut ex diſpoſitione Conſtitutionis Gregorii XIV. privandus ſit immunitate?

CONSULTATIO CLXXII.

Reſtitutio extracti ab Eccleſia quomodo eidem fieri debeat? Ubi in hanc rem plura non ſpernenda pro Legatis, Nunciis, Epiſcopis, Vicariis, aliiſque.

CONSULTATIO CLXXIII.

An Commendatores Ordinum militarium poſſint retinere, & carcerare Sacerdotes ſæculares ad curam animarum a ſe deputatos cum approbatione Ordinarii in Eccleſiis Parochialibus ſuorum Ordinum ob cauſas ad ipſam curam animarum concernentes?

An eis Epiſcopus poſſit demandare monitionem, ut tanquam excommunicati abſtineant?

Item a quonam delicta ob dictas cauſas cognoſci debeant?

CONSULTATIO CLXXIV.

An Gubernatores, ſive Judices laici prohibere poſſint birruariis, aliiſque exequutoribus curiæ ſæcularis, quominus mandata curiæ Eccleſiaſticæ exequantur, eamque adjuvent ſine ſua licentia ſingulis vicibus imploranda, etiam cum ſignificatione cauſæ, vel capturæ faciendæ, an potius hujuſmodi præceptum revocare teneantur?

CONSULTATIO CLXXV.

An qui veneno proximum ſuum enecat, committat homicidium proditorium, atque adeò privetur Immunitate? Ubi de Religioſo, qui veneno Superiorem ſuum ſuſtulit, quod Regularem obſervantiam jam collapſam reſtaurare conabatur.

CONSULTATIO CLXXVI.

An Advocatus Conſiſtorialis, & pauperum, charactere Clericali inſignitus, debeat gaudere privilegio fori, & exemptionis ab oneribus laicorum, quamvis alicujus Eccleſiæ particularis ſervitio non ſit adſcriptus?

CONSULTATIO CLXXVII.

An taxa pro ſalario Medici dicatur onus perſonale, ita ut Clerici ſelvagii ab oneribus perſonalibus in decreto S. Congregationis exempti, ad illam perſolvendam minimè teneantur?

CONSULTATIO CLXXVIII.

An Clericus raptor cum defloratione Virginis, extractus a domo cohærente Eccleſiæ cum aditu interiori, & ædificata pro habitatione Rectoris, quam uti illius Capellanus habitabat cum parentibus ac fratribus, retinebatque in locationem, quia ſolita eſt locari, ſit reſtituendus, tanquam extractus a loco immuni?

CONSULTATIO CLXXIX.

An, & quatenus novi Conventus, ſive Monaſteria, vel domus Regularium erigi poſſint, ac debeant?

CONSULTATIO CLXXX.

An Epiſcopus in Synodo Dioceſana habeat poteſtatem legislativam, poſſitque condere ſtatuta, vel decreta ſine conſenſu, vel conſilio Capituli, aliorumque vocatorum, ita ſanè, ut abſque ejuſmodi conſenſu, vel conſilio ſtatuta ſint valida?

CONSULTATIO CLXXXI.

An, & quomodo ſit neceſſarius Epiſcoporum conſenſus in erectione Monaſteriorum?

CONSULTATIO CLXXXII.

An præſentia, ſeu cooperatio trium Epiſcoporum ſit de forma ſubſtantiali conſecrationis Epiſcopalis, vel ſaltem ſit ritus, aut ſolemnitas ejuſmodi, cujus omiſſio actum invalidum reddat?

Et quatenus iſtiuſmodi Epiſcopalis conſecratio valida non fuerit, quid circa geſta per Epiſcopum, præcipuè inſpectantibus ad Ordines, & Sacramentalia dicendum ſit, ac quomodo conſulendum animabus, atque conſcientiis?

CONSULTATIO CLXXXIII.

An Parochiales conferendæ ſint dignioribus, vel ſufficiat, quod conferatur dignis?

CONSULTATIO CLXXXIV.

An licentia alienandi data Rectori Eccleſiæ tranſeat in ſucceſſorem?

CONSULTATIO CLXXXV.

An Ordinarius poſſit in cauſa Canonizationis Sanctorum deputare in Judicem pro conſtructione proceſſus ſuper non cultu juxta decreta Urbani VIII. ſuum Vicarium foraneum?

CONSULTATIO CLXXXVI.

An oſſa ſervorum Dei, qui obierunt cum fama ſanctitatis, debeant condi ſub humo?

CONSULTATIO CLXXXVII.

An ex Reliquiis corporis cujuſpiam ſervi Dei delatis ad exteras Civitates arguatur erga ipſas aliqua veneratio?

CONSULTATIO CLXXXVIII.

An pavimentum ſupra ſepulturam tantiſper elevatum, ac epitaphium in lapide gemmato inciſum cum imagine picta prædefuncti cum fama ſanctitatis præferant, aut indicent venerationem?

CONSULTATIO CLXXXIX.

An teſtes, qui induci debent ad probandum non cultum alicujus ſervi Dei, induci poſſint biduò poſt citationem?

CONSULTATIO CXC.

An ſit neceſſe, quod Judex remiſſorialis perſonaliter accedat ad Eccleſiam, ubi aliquis ſervus Dei dicitur ſepultus ad judicialiter inſpiciendum illius ſepulchrum, ibique viſa in actis redigendum, annotandumque?

CONSULTATIO CXCI.

An ſi corpus alicujus ſervi Dei ſepultum fuerit extra Eccleſiam, aut cœmeterium in loco inſolito, eruatur exinde aliquid, cultum, ac venerationem præſeferens, aut indicans?

CONSULTATIO CXCII.

An teſtes, qui ſimpliciter dixerint contenta in articulo eſſe vera, eadem minimè ſpecificando, nec recenſendo quid unuſquiſque ſciret de viſu, & certa ſcientia propria, vel de auditu alieno, ac eorum plerique ſe generaliter retulerint ad alias dicta, & aliqui teſtati fuerint de publica voce, & fama ſuper non ſpecifice prius individuatis, admitti debeant?

CONSULTATIO CXCIII.

An Regulares in cauſa Canonizationis poſſint teſtimonium perhibere, non obtenta a ſuis Superioribus licentia?

CONSULTATIO CXCIV.

An in cauſa Canonizationis ſint idonei teſtes religioſi ejuſdem Religionis, ſive communitatis?

CONSULTATIO CXCV.

An literæ remiſſoriales debeant præſentari omnibus, quibus directæ ſunt?

CONSULTATIO CXCVI.

An Urbanus VIII. in decretis ſuper non cultu voluerit dictionibus illis ſtatim, & omninò aliiſque tollere facultatem deducendi jura, quæ habent nonnulli, ſe verſari in caſibus exceptis, vel alia de cauſa, ſe non teneri ad amotionem cultus?

CONSULTATIO CXCVII.

An in cauſa Canonizationis poſſit qui eſſe Procurator, & teſtis?

CONSULTATIO CXCVIII.

An celebratio Miſſæ ſolemnis de Sanctiſſima Trinitate in gratiarum actionem ob aliquem prædefunctum cum fama ſanctitatis, a Deo Eccleſiæ ſuæ elargitum, ac oratio panegyrica, quæ in ejus obitus die habetur, arguat aliquod genus venerationis, aut cultus?

CONSULTATIO CXCIX.

An etiam in cauſis Canonizationis Sanctorum exequutio Remiſſoriæ ſit legitima, quando forma illius non eſt ſervata in reſcribendo quanta fides teſtibus, & juribus compulſatis ſit adhibenda, prout in literis remiſſorialibus ordinatum fuerat?

CONSULTATIO CC.

Quomodo negativa cultus probetur?

CONSULTATIO CCI.

An ex ſola fide Ordinarii, quæ teſtatur de non cultu cujuſpiam ſervi Dei concedenda ſit remiſſoria in genere?

CONSULTATIO CCII.

An inquiſitio generalis in materia Canonizationis aliquo in caſu omitti poſſit?

CONSULTATIO CCIII.

An literæ remiſſoriales in materia Canonizationis dirigi poſſint, ac debeant aliis, quàm Epiſcopis? Et an Canonicus collegiatæ poſſit in hac re eſſe Judex remiſſorialis?

CONSULTATIO CCIV.

An examen, quod decreta Urbani VIII. de Canonizat. Sanctor. mandant fieri in aliqua Eccleſia, vel loco pio, Deo dicato, fieri poſſit in Sacello Palatii alicujus Principis?

CONSULTATIO CCV.

De citatione ſub promotoris fidei in materia Canonizationis requiſita nonnulla minimè ſpernenda.

CONSULTATIO CCVI.

An exigentibus literis remiſſorialibus, quòd deputetur Notarius publicus Apoſtolicus, ſive Eccleſiaſticus, ejuſmodi qualitas debeat probari in deputato in Actuarium cauſæ canonizationis?

CONSULTATIO CCVII.

An omiſſio unius ex Interrogatoriis contra formam remiſſoriæ inducat nullitatem totius examinis, illique omnem fidem adimat?

CONSULTATIO CCVIII.

An Imagines, in quibus nulli ſunt radii, nulli ſplendores, nullum diadema, ſed dumtaxat denotant aliquod peculiare ſignum Sanctitatis defuncti, ſint amovendæ?

CONSULTATIO CCIX.

An ex proceſſionibus habitis publico decreto, aut voto arguatur aliqua veneratio in prædefunctum cum fama ſanctitatis?

CONSULTATIO CCX.

An, & quomodo in compulſorialibus forma requiſita in cap. fin. de fid. Inſtr. *ſit obſervanda in materia canonizationis?*

CONSULTATIO CCXI.

An originalia debeant recognoſci?

CONSULTATIO CCXII.

An ſit legitima collatio ſcripturarum, quæ facta eſt a ſolo Notario deputato in cauſa canonizationis?

CONSULTATIO CCXIII.

An exemplatio jurium fieri debeat cum annotatione temporis, anni, menſis atque diei cum teſtibus, ac nomine Notarii?

CONSULTATIO CCXIV.

An teſtium depoſitiones ſolummodò recepta ad perpetuam rei memoriam probent in cauſa canonizationis?

CONSULTATIO CCXV.

An teſtes inducti, & examinati ad probandam legalitatem teſtium defunctorum ſint rejiciendi?

CONSULTATIO CCXVI.

An teſtes vocati ſint neceſsariò monendi?

CONSULTATIO CCXVII.

An ſit dicendum quod unuſquiſque teſtis juraverit per diem ante ſuum examen juxta ſtylum Curiæ Romanæ?

CONSULTATIO CCXVIII.

An ſingillatim a quolibet teſte recipi debeat juramentum de veritate dicenda, vel ſufficiat quod pluribus in turba feratur, ab eiſque inſimul præſtetur?

CONSULTATIO CCXIX.

An teſtis iterùm examinatus, iterùm jurare debeat?

CONSULTATIO CCXX.

An omnes teſtes examinari debeant ſuper omnibus articulis in remiſſoria tranſmiſſis?

CONSULTATIO CCXXI.

An atteſtationes teſtium, qui fuerunt examinati, non ſervata forma juris, & remiſſoriæ, ſint penitùs reſpuendæ?

CONSULTATIO CCXXII.

An alicujus ſit momenti examen teſtis, qui repentino deliquio, ac ſuprema infirmitate correptus examen perficere non potuit, ſed poſt aliquot dies obiit?

CONSULTATIO CCXXIII.

An Monaſteria Regularium, atque etiam Collegia Societatis Jeſu teneantur ad ſolutionem taxæ Seminariorum tàm reſpectu redditiuum Abbatiarum iis Collegiis, ac Monaſteriis unitarum, quàm reſpectu reddituum aliorum bonorum, quæ ab ipſis poſſidentur?

CONSULTATIO CCXXIV.

Cùm in Dignitatibus Eccleſiaſticis exigatur gradus Doctoratus, quæritur, an ſufficiat quòd hujuſmodi gradus ſit ab aliquo collatus vigore particularis privilegii, an potiùs requiratur, ut ſit receptus in aliqua publica Univerſitate?

CONSULTATIO CCXXV.

An Clericus, qui nupſit cum vidua, & ſoluto matrimonio, habitum Clericalem reaſsumpſit, quique fuit a Sede Apoſtolica creatus Protonotarius Apoſtolicus honorarius, gaudeat privilegio fori?

CONSULTATIO CCXXVI.

In cap. 4. ſeſſ. 22. de reform. *Sacrum Concilium Tridentinum ita decernit:* Quicunque in Cathedrali, vel Collegiata ſæculari, vel regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi ab aliis hoc fuerit conceſſum. *Nunc quæritur, an hoc decreto comprehendantur Monaſteria Regularium, ſive Religioſi clauſtrales?*

CONSULTATIO CCXXVII.

An qui ſaltem in Subdiaconatus Ordine conſtitutus non eſt, poſſint conſuetudine præſcribere, ut vocem in Capitulo habeat?

CONSULTATIO CCXXVIII.

An renunciationes, & donationes factæ, præſertim a minori inter vivos omnium bonorum ante ſuſceptum habitum regularem ſub conditione, ſequuta profeſſione non aliter, nec alio modo, poſſint infra duos menſes proximos ante profeſſionem emittendam ad præſcriptum S. Concilii Trident. revocari, & ad favorem Monaſterii, vel alterius perſonæ fieri?

CONSULTATIO CCXXIX.

An Clerici penſiones Eccleſiaſticas obtinentes, ſi adſcribantur militiis regularibus, teneantur incedere tempore Novitiatus, ut penſionibus frui valeant, in habitu Clericali ad formam Conſtitut. 92. Sixti V. an verò ſufficiat geſtare inſignia, ſeu numiſmata prædictarum Religionum?

CONSULTATIO CCXXX.

An terminorum inculcatio in cauſa Canonizationis ſit admittenda?

CONSULTATIO CCXXXI.

An conſtare debeat, Notarios deputatos pro collatione proceſſus facienda una cum actuario juraſſe in manibus Judicum?

CONSULTATIO CCXXXII.

An debeat conſtare, quòd collatio cepta in præſentia Judicum coram eiſdem fuerit continuata, & terminata?

CONSULTATIO CCXXXIII.

An Portitor proceſſus teneatur jurare, quòd fideliter illum Romam deferat?

CONSULTATIO CCXXXIV.

An conſtare debeat de actuali obſignatione proceſſus, illiuſque conſignatione Portitori?

CONSULTATIO CCXXXV.

An Proceſſus ſubſcribi debeat in fine per Judices?

CONSULTATIO CCXXXVI.

An liceat pingere imagines cum revelationibus?

CONSULTATIO CCXXXVII.

An, ut concedi debeat remiſſoria in genere, docendum aliquid ſit de continuatione, & percrebreſcentia famæ miraculorum?

CONSULTATIO CCXXXVIII.

An probare negativam cultus ſit onus Poſtulatorum?

CONSULTATIO CCXXXIX.

An ſi teſtes tantùm dixerint: Et de omnibus, & ſingulis fuit, & eſt publica vox, fama, & publicum, & notorium, *eorum dictis aliqua ratio habenda ſit?*

CONSULTATIO CCXL.

An probet teſtis publicam vocem, & famam, ſi utatur ſolo verbo temporis præſentis, eſſe?

CONSULTATIO CCXLI.

De probatione famæ in materia Canonizationis Sanctorum?

CONSULTATIO CCXLII.

An cùm interrogatorium ſit inſertum in remiſſoria ſuper quidditate, & circumſtantiis miraculi, ſi ſuper eo non fuerint interrogati teſtes deponentes ſuper miraculis, proceſſus reddatur nullus ex inobſervantia remiſſoriæ?

CONSULTATIO CCXLIII.

An Procurator cauſæ Canonizationis jurare debeat de calumnia?

CONSULTATIO CCXLIV.

E quibus præcipuè probetur cultus immemorabilis, qui eſt unus ex caſibus exceptis in decretis de Canonizatione Sanctorum?

CONSULTATIO CCXLV.

An verba illa per modum declarationis exceptivè expreſſa in decretis Urbani VIII. nempè: Aut per communem Eccleſiæ conſenſum, &c. coluntur, *ſint intelligenda de Eccleſia particulari?*

CONSULTATIO CCXLVI.

An Prophetia, ſive revelationes præſtent ſolidum Sanctitatis argumentum?

CONSULTATIO CCXLVII.

Quanto temporis ſpatio proceſſus particularis de Canonizatione, authoritate Apoſtolica demandatus abſolvi debeat, ut ſit legitimus, validuſque?

CONSULTATIO CCXLVIII.

Quando concedenda, vel deneganda ſit nova remiſſoria in cauſis canonizationum?

CONSULTATIO CCXLIX.

An ſtandum ſit ſimplici enunciativæ commiſſionis non inſertæ in literis remiſſorialibus?

CONSULTATIO CCL.

An officium Vicarii, cui delegata eſt cauſa canonizationis expiret poſt obitum ſui Epiſcopi?

CONSULTATIO CCLI.

An mulieres in cauſis canonizationis admitti poſſint pro teſtibus?

CONSULTATIO CCLII.

An indulgentiæ conceſſæ die anniverſario cujuſpiam ſervi Dei viſitantibus ejus altare, ſive Capellam, reſpiciant publicam venerationem, ac ſolemnem cultum ab Eccleſia concedi ſolitum Sanctis Canonizatis, aut aliàs ab Apoſtolica Sede in ſanctitate comprobatis?

CONSULTATIO CCLIII.

An Epiſcopus poſſit viſitare Eccleſias, & domos Parochiales Regularium?

CONSULTATIO CCLIV.

An fratres Sacerdotes profeſſi Ordinum militarium poſſint conſequi beneficia ſæcularia cum cura, & ſine cura, nec non Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus abſque diſpenſatione Apoſtolica?

CONSULTATIO CCLV.

An pecunia, quæ loco victualium ex consuetudine Episcopo visitanti præstatur, possit ab eo applicari præbendis Canonicalibus Ecclesiæ Cathedralis?

CONSULTATIO CCLVI.

An Episcopus possit delegare facultatem Vicariis foraneis concedendi literas monitoriales pro rebus deperditis, seu subtractis?

CONSULTATIO CCLVII.

An decretum fel. rec. Urbani VIII. prohibens recipi Monasteria, in quibus duodecim saltem Religiosi sustentari non valeant, sit correctorium, seu abrogatorium Constitutionis Gregorii XV.

CONSULTATIO CCLVIII.

An Judici, ad quem possit sub pœnis, & censuris peti a Notario Judicis, a quo nedum copiam actorum, verùm ad instantiam partis, & expensis ipsius Notarii prætendi, ut ipsa originalia transferantur, & ubi contingat dubitari de exemplo, collatio fiat, parte vocata, & præsente?

CONSULTATIO CCLIX.

An quoties per Judicem appellationis suspenduntur censuræ prolatæ per Judicem inferiorem, si Ecclesiastici illis irretiti, durante suspensione, exerceant actus exerceri prohibitos sub pœna irregularitatis, in illam incidant?

CONSULTATIO CCLX.

An examen factum sine Examinatoribus synodalibus in collatione Parochialium Juris patronatus Ecclesiastici, seu laicalis, vel mixti, quando plures præsentantur, sit contra dispositionem Concilii Tridentini?

CONSULTATIO CCLXI.

An quando Ordinarius suspendit aliquem vigore, cap. 1. sess. 14. de reform. *teneatur exprimere delictum, & causam suspensionis ipsi reo, si illam judicialiter petat?*

CONSULTATIO CCLXII.

An alienatio, seu donatio in Clericum sæcularem, seu regularem, vel locum pium censeatur facta in potentiorem, itaut bona sic alienata, vel donata gaudeant Ecclesiastica immunitate?

CONSULTATIO CCLXIII.

An donatio, quam facit laicus pio loco, ut effugiat solutionem onerum, & sibi reservat ad vitam pensionem ferè æquivalentem fructibus, subsistat, itaut bona donata ab oneribus extraordinariis sint immunia?

CONSULTATIO CCLXIV.

An Ordinarius possit regularibus degentibus absque licentia Sedis Apostolicæ in Hospitiis non approbatis prætextu negotiorum, & litium præcipere, ut revertantur ad claustra sub pœna Apostasiæ, vel alia?

CONSULTATIO CCLXV.

An liceat Episcopo punire Regulares prohibita, vel indecentia in Ecclesiis suorum Ordinum committentes circa Missæ sacrificium?

CONSULTATIO CCLXVI.

An liceat Episcopo ex causa sibi benevisa benedictionem prædicandi in propria Ecclesia dandam Regularibus limitare ad tempus, & absolutè datam revocare, vel Regularibus professionem fidei emittere nolentibus illam denegare?

CONSULTATIO CCLXVII.

An liceat Regularibus in propriis Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis extra tempus Adventus, & Quadragesimæ sermonem habere absque benedictione Ordinarii?

CONSULTATIO CCLXVIII.

An Regulares obloquentes de Ordinario in suis sermonibus, quos habent in Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, possint ab eodem Ordinario puniri?

CONSULTATIO CCLXIX.

An, & quatenus Canonici possint deputare in Parochum Canonicum supranumerarium?

CONSULTATIO CCLXX.

An Episcopus possit ex pœnis, & mulctis assignare portionem aliquam Monasterio lectoris Regularis, qui Clero Diœcesis Theologiam legit?

CONSULTATIO CCLXXI.

An distributiones quotidianæ possint sequestrari ratione debiti?

CONSULTATIO CCLXXII.

An Monialibus, quæ hucusque recitarunt officium juxta Breviarium suorum Ordinum, liceat eo uti?

CONSULTATIO CCLXXIII.

An Clerico, cui ex privilegio, cap. Odoardus, *fuit assignata congrua, sit ea in tot bonis suis stabilibus, assignanda, an verò bona omnia distrahenda cum onere creditoribus dictam congruam solvendi?*

CONSULTATIO CCLXXIV.

An præbendati, qui sunt adstricti certis temporibus interesse choro, dum ex consuetudine canunt in Organo, possint percipere distributiones quotidianas?

CONSULTATIO CCLXXV.

An Generales Ordinum possint propria authoritate celebrari facere in Monasteriis aliarum Civitatum, Provinciarum, & Regnorum etiam extra Italiam quantitatem Missarum, pro quibus uni tantùm Ecclesiæ fuerunt erogatæ eleemosynæ?

CONSULTATIO CCLXXVI.

An fundator Ecclesiæ Parochialis cogi possit ad augendum dotem eidem Parochiali usque ad annua scuta centum?

CONSULTATIO CCLXXVII.

An Clerici, & Sacerdotes subjecti jurisdictioni Abbatum, qui sunt intra Diœceses Ordinariorum teneantur observare Constitutiones Synodales earundem Diœcesum, adeòut controvenientes puniri possint pœnis in eisdem Constitutionibus expressis, nec dicti Abbates, seu illorum Vicarii facere possint edicta ipsis Constitutionibus adversantia?

CONSULTATIO CCLXXVIII.

Qua pœna, & a quo ſit puniendus Sacerdos Regularis, qui abſque prævia Ordinarii approbatione Confeſſiones perſonarum ſæcularium audit?

CONSULTATIO CCLXXIX.

An diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini locum habeat in illegitimo ex ſoluta, dum illius pater fuit ſimplex Capellanus ad nutum amovibilis?

CONSULTATIO CCLXXX.

De unionis beneficiorum ſeminario factæ validitate.

CONSULTATIO CCLXXXI.

An renunciatio facta a Novitio coram Vicario foraneo ſine licentia Epiſcopi ſit valida?

CONSULTATIO CCLXXXII.

An decreta Generalia Clementis VIII. eorumque confirmatio ab Urbano VIII. facta in decretis de Regularibus apoſtatis, extendantur ad Conventus extra fines Italiæ exiſtentes?

CONSULTATIO CCLXXXIII.

An Epiſcopus, qui nunquam adhuc exegit cathedraticum, poſſit pro præterito tempore, & in futurum illud exigere?

CONSULTATIO CCLXXXIV.

In qua quantitate, & qualitate monetæ poſſit exigi cathedraticum?

CONSULTATIO CCLXXXV.

An exactio cathedratici ſit facienda a toto Clero, an verò a beneficiatis tantummodò?

CONSULTATIO CCLXXXVI.

An Regularis, qui habet votum in Capitulo Generali, & ob paupertatem non valet perſonaliter ad locum Capituli ſe transferre, poſſit per Procuratorem in dicto Capitulo votum dare?

CONSULTATIO CCLXXXVII.

Qua pœna puniri poſſint Parochi, qui matrimonia celebrant temporibus ab Eccleſia prohibitis?

CONSULTATIO CCLXXXVIII.

An electio, ſeu approbatio Examinatorum ſynodalium ſuſtineatur, ſi non fiat per vota ſecreta?

CONSULTATIO CCLXXXIX.

An, & quatenus Religio Theatinorum comprehendatur in prohibitione de rebus Regularium non alienandis?

CONSULTATIO CCXC.

De Excommunicato tolerato, ac evitando ad ſuffragium Capituli non admittendo?

CONSULTATIO CCXCI.

An facultas Epiſcopis conceſſa a Sacro Concilio Tridentino, c. 6. ſeſſ. 24. de refor. ſit per Bullam Cœnæ Domini revocata, itaut nequeant amplius ſuos ſubditos a delictis in diſpoſitione ejuſdem Bullæ comprehenſis abſolvere?

CONSULTATIO CCXCII.

An Confeſſores tàm ſæculares, quàm regulares poſſint virtute ſuorum privilegiorum abſolvere a caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſervatis?

CONSULTATIO CCXCIII.

An, & quomodo beneficiati poſſint ſynodo Diœceſanæ intereſſe?

CONSULTATIO CCXCIV.

An ſuppoſita taxa pro ſeminario cum ſolutione continuatæ ultra triginta annos, teneantur Hoſpitalia, & confraternitates ad illius ſolutionem in futurum?

CONSULTATIO CCXCV.

An, & quibus remediis hujuſmodi Hoſpitalia, & confraternitates ab Epiſcopo compelli poſſint?

CONSULTATIO CCXCVI.

An Confratres Ordinum Mendicantium impediri poſſint ab Epiſcopis, quominus eleemoſynam quærant in ipſamet Diœceſi, in qua illorum Conventus exiſtunt?

CONSULTATIO CCXCVII.

An Regulares peccent, ſi omittant in Canone Miſſæ commemorationem pro Epiſcopo loci, vel in ejus loco ponant Superiorem Religionis?

CONSULTATIO CCXCVIII.

An poſſit dici ſatisfeciſſe canoni omnis, qui a Dominica Palmarum per totam Octavam Paſchatis extra Parochiam propriam ſine ſui Parochi licentia communicavit?

CONSULTATIO CCXCIX.

An per licentiam conceſsam alicui Regulari, ut alium quemcunque Religioſum Ordinem ingredi poſſit, liceat ipſi ingredi aliquem ex Ordinibus militaribus?

CONSULTATIO CCC.

An liceat Epiſcopis tolerare, quod debitores non ſolventes habitent aſſiduè in Eccleſiis, & earum domibus ad effectum gaudendi immunitate Eccleſiaſtica?

CONSULTATIO CCCI.

An Archiepiſcopus poſſit per appellationem cognoſcere de cauſis cognitis ab Ordinariis, & Abbatibus nullis Diœceſis, ſitis intra Provinciam?

CONSULTATIO CCCII.

An Epiſcopo, ſeu potiùs cuſtodibus, ſive communitati ſæculari liceat viſitare, & adminiſtrationem recognoſcere Montis Pietatis?

CONSULTATIO CCCIII.

An renunciatio patrimonii donati, ad cujus titulum promotus fuit ad Ordines ſacros, ſi fiat abſque licentia Epiſcopi, poſt obtentum beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens, ſuſtineatur?

CONSULTATIO CCCIV.

An admitti poſſit regularis pro viſitandis Sanctorum Apoſtolorum liminibus?

CONSULTATIO CCCV.

An Epiſcopo in viſitatione Eccleſiarum Parochialium religionis Hieroſolymitanæ liceat decreta facere, eaque exequi?

CONSULTATIO CCCVI.

An liceat regulari commoranti per aliquot dies in ſuis conventibus, ibique defuncto omnia Sacramenta adminiſtrare, & in ſua Eccleſia dare ſepulturam?

CONSULTATIO CCCVII.

An Epiſcopo liceat confratres ſodalitatum renuentes intereſſe proceſſionibus publicis punire?

CONSULTATIO CCCVIII.

An Eccleſia collegiata merè receptitia poſſit reduci ad numeratam?

CONSULTATIO CCCIX.

An in ordine ad dignitates annus incœptus habeatur pro completo?

CONSULTATIO CCCX.

An, & quomodo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, necnon Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrandum ſit condemnatis ad triremes, dum ad mortem infirmantur?

CONSULTATIO CCCXI.

An ad effectum obtinendi beneficia requiratur gradus Doctoratus in jure Canonico, vel Theologia?

CONSULTATIO CCCXII.

An Canonicus poſſit reſidere in Eccleſia campeſtri, Eccleſiæ ſuæ collegiatæ unita?

CONSULTATIO CCCXIII.

De profeſſione ante legitimam ætatem emiſſa convalidanda?

CONSULTATIO CCCXIV.

An Regulares approbati ab Ordinario unius Diœceſis pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, poſſint in alia Diœceſi confeſſiones audire?

CONSULTATIO CCCXV.

An oblati Regularium, qui clauſtraliter vivunt, poſſint ſepeliri in Eccleſiis regularium?

CONSULTATIO CCCXVI.

An in Vicarium Capitularem eligi poſſit non Doctor, rejectis aliis in utroque jure Doctoribus?

CONSULTATIO CCCXVII.

An cap. 19. de duellis, ſeſſ. 25. de reform. *locum habeat in eo, qui abſque aſſignatione loci ad Monomachiam, & abſque vocatione patrinorum in primo iræ impetu alium vulnerat?*

CONSULTATIO CCCXVIII.

An Clerici ritus Græci in Italia commorantes debeant ad Ordines Sacros admitti abſque ſufficienti titulo beneficii, ſeu patrimonii?

CONSULTATIO CCCXIX.

An liceat Epiſcopo conferre eodem die quatuor Ordines Minores, & Ordinem Subdiaconatus? Et quid ſi dictos Ordines ſuſcipiens in iis miniſtraverit?

CONSULTATIO CCCXX.

An, & quatenus a Tribunali Nunciaturæ relaxari poſſint inhibitiones ad favorem Regularium delinquentium?

CONSULTATIO CCCXXI.

An Canonici, & beneficiati pro Miſsa Conventuali, pro qua emolumentum, & diſtributiones recipiunt, poſſint aliam eleemoſynam recipere, & ſacrificium alteri applicare?

CONSULTATIO CCCXXII.

An ſaltem iis debeatur diſtributio ex maſsa communi?

CONSULTATIO CCCXXIII.

An poſſit deputari Regularis, licèt Theologus inſignis, ſua vita durante, ad præbendam Theologalem in Eccleſia Cathedrali per Epiſcopum erigendam ex redditibus ſuæ menſæ Epiſcopalis?

CONSULTATIO CCCXXIV.

An hæres cogi poſſit, ut celebrentur Miſſæ a teſtatore relictæ in Eccleſiis ab eo deſignatis?

CONSULTATIO CCCXXV.

An Regulares poſſint in ſuis Eccleſiis, etiam contradicente Epiſcopo, petita ab eo, & non obtenta licentia, prædicare?

CONSULTATIO CCCXXVI.

An Vicarius Generalis, qui obtinuit a Sede Apoſtolica facultatem faciendi omnes benedictiones fieri ſolitas ab Epiſcopo, in quibus non adhibetur oleum ſacrum, poſſit benedicere Moniales?

CONSULTATIO CCCXXVII.

An ſubcollector ſpoliorum percipere poſſit diſtributiones quotidianas, dum ratione officii ſubcollectoris choro non aſſiſtit?

CONSULTATIO CCCXXVIII.

An Episcopus possit cogere Clericos non habentes beneficium, nec officium Ecclesiasticum ad interessendum processionibus, & obedientiam sibi præstandum?

CONSULTATIO CCCXXIX.

An Judices laici possint decreta interponere in contractibus Virginum, sive puellarum in Monasteriis existentium pro educatione, absque Episcopi licentia?

CONSULTATIO CCCXXX.

An Regii Capellani majores possint prætendere, ut omnes Capellani vulgò nuncupati delle Fortezze, e de' Presidj *sint exempti a jurisdictione Episcoporum?*

CONSULTATIO CCCXXXI.

An Examinatores, tàm ex Capitulo, quàm ex Clero deputati in Synodo, qui non sunt Doctores, debeant denuò deputari ex dispositione Sacri Concilii?

CONSULTATIO CCCXXXII.

An possit denegari copia appellationis, & aliorum decretorum Synodi?

CONSULTATIO CCCXXXIII.

An, & quatenus facultas expiret morte concedentis?

CONSULTATIO CCCXXXIV.

An consuetudo Canonicorum audiendi concionem, & lucrandi distributiones, licèt recitationi Horæ matutinæ non interfint, excuset eos in conscientia ab onere restituendi?

CONSULTATIO CCCXXXV.

An Canonicus, qui ex diuturna infirmitate habet vocem adeò debilitatam, ut canere non valeat, possit Missis conventualibus eidem injunctis per alium Canonicum satisfacere, & distributiones percipere?

CONSULTATIO CCCXXXVI.

An Episcopus possit præscribere numerum Monialium in Monasteriis Regularibus subjectis?

CONSULTATIO CCCXXXVII.

An liceat Confratribus sodalitatem absque legitima facultate juris sepeliendi, & interventu Parochi sepulturam defunctis dare in suis Oratoriis?

CONSULTATIO CCCXXXVIII.

An Regulares pro rata pensionum, quibus fruuntur, teneantur contribuere seminario?

CONSULTATIO CCCXXXIX.

An in Ecclesia collegiata possit absque privilegio, seu legitima licentia Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservari?

CONSULTATIO CCCXL.

An Canonici inservientes alternatim per mediariam, ut vulgò ajunt, si non inserviant per novem menses integros, faciant fructus suos?

CONSULTATIO CCCXLI.

An decretum Sac. Concilii cap. 7. sess. 25. de regul. *ubi de electione Abbatissæ circa annos saltem quinque professionis, habeat locum in Monasterio noviter erecto?*

CONSULTATIO CCCXLII.

An Episcopus, qui non retinet Vicarium, possit exequi literas Apostolicas Vicario directas?

CONSULTATIO CCCXLIII.

An Archiepiscopus possit concedere suis suffraganeis literas dimissoriales? Et quid de promoto cum hujusmodi literis, an scilicet, sit irregularis, possitque cum eo dispensare Episcopus dioecesanus?

CONSULTATIO CCCXLIV.

An Episcopus possit concordare cum suis subditis super vecturis equorum, quæ in visitatione solvuntur?

CONSULTATIO CCCXLV.

An liceat Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis obtinere insimul lecturam in Universitate ejusdem Civitatis, & ulterius Capellaniam unius ex Monasteriis Monialium ipsius Civitatis?

CONSULTATIO CCCXLVI.

An Canonico lectori primario sacrorum Canonum liceat nedum fructus sui Canonicatus, verùm etiam distributiones quotidianas percipere quamdiù in eadem lectura continuaverit?

CONSULTATIO CCCXLVII.

An Episcopus possit visitare Capellas campestres, quas a Regularibus possidentur?

CONSULTATIO CCCXLVIII.

An Canonici Ecclesiæ Cathedralis teneantur inservire Episcopo Pontificalia celebranti in eadem Ecclesia, vel alibi in sua Diœcesi, & an dicti Canonici, ut supra inservientes, amittant distributiones?

CONSULTATIO CCCXLIX.

An Monachus hæres institutus, possit de licentia superioris Regularis acceptare, & habere usumfructum bonorum hæreditariorum pro suis Religiosis necessitatibus?

CONSULTATIO CCCL.

An Parochus duarum Ecclesiarum in eadem Civitate existentium insimul æquè principaliter unitarum, possit ex dispositione S. Concilii residere in altera ex dictis Parochiis sibi benè visa?

CONSULTATIO CCCLI.

An benedictio contrahentium matrimonia possit a Parochis fieri extra Ecclesiam, vel potiùs sit præcisè facienda in Ecclesia?

CONSULTATIO CCCLII.

An puellæ novitiæ, quæ de licentia sui Ordinarii coactæ fuerunt ad proprias domos se conferre, admitti possint ad probationem absque alio probationis anno?

CONSULTATIO CCCLIII.

An inſervientes Principibus laicis excuſentur a reſidentia ſuorum beneficiorum?

CONSULTATIO CCCLIV.

An ea, quæ a Sacro Concilio decernuntur ſpectare ad Epiſcopum antiquiorem abſente Metropolitano, cenſeantur ſpectare ad Epiſcopum antiquiorem ex ſuffraganeis, non autem ad exemptum?

CONSULTATIO CCCLV.

An, & quando Regulares teneantur ad ſolutionem decimarum?

CONSULTATIO CCCLVI.

An Monaſteria conſequi poſſint dotes Novitiarum in anno probationis decedentium, eo non completo, profeſſione tamen ante obitum in articulo mortis emiſſa?

CONSULTATIO CCCLVII.

An carceres Epiſcopales poſſint ab Epiſcopo fabricari, ſeu fabricatas reſtaurari ex pœnis ac multis?

CONSULTATIO CCCLVIII.

An Eccleſia exiſtens in proceſſione percipiendi decimas frumenti, & aliarum frugum, quæ ex prædiis colliguntur, ſi in eiſdem prædiis loco frumenti ſeminetur oriza, poſſit decimam percipere?

CONSULTATIO CCCLIX.

An beneficium ſimplex de jurepatronatus laicorum, cum quo quis fuit ordinatus, donec provideatur de alio beneficio curato, dicatur primum beneficium ſimplex vacare ipſo jure abſque alia ſententia privationis?

CONSULTATIO CCCLX.

An Coadjutores, quando interveniunt Canonici Coadjuti, poſſint Capitulis intereſſe?

CONSULTATIO CCCLXI.

De quadam unione beneficiorum cuidam Eccleſiæ Parochiali facta.

CONSULTATIO CCCLXII.

Manſionarius, an, & quatenus poſſit retinere Canonicatum?

CONSULTATIO CCCLXIII.

An diſpoſitio Sacri Concilii cap. 13. ſeſſ. 24. de reform. *locum habeat in dignitate principali Eccleſiæ collegiatæ curam animarum annexam habente?*

CONSULTATIO CCCLXIV.

An Abbas Regularis non benedictus poſſit ſuis ſubditis Regularibus Ordines minores conferre?

CONSULTATIO CCCLXV.

An Ordines minores per hujuſmodi Abbatem non benedictum collati non ſuis ſubditis ſint invalidi?

CONSULTATIO CCCLXVI.

An dictus Abbas non benedictus conferens Ordines minores non ſubditis in loco exempto, exiſtente in Diœceſi Epiſcopi, poſſit ab eodem Epiſcopo puniri?

CONSULTATIO CCCLXVII.

An Archidiacono, qui uti Canonicus inſervivit Eccleſiæ uſque ad tempus poſſeſſionis ſui Archidiaconatus, debeantur diſtributiones quotidianæ?

CONSULTATIO CCCLXVIII.

An menſæ Epiſcopali debeatur pars legatorum, quæ fiunt Eccleſiæ Cathedrali?

CONSULTATIO CCCLXIX.

An Abbas Regularis nullius Diœceſis, qui exercet jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in locis ſibi ſubjectis, poſſit in eiſdem locis propria authoritate Pontificalia exercere?

CONSULTATIO CCCLXX.

An dictus Abbas poſſit examinare teſtes pro probando ſtatu ſuorum ſubditorum matrimonia contrahere volentium cum cæteris, itaut illorum atteſtatio debeat ab Ordinario admitti?

CONSULTATIO CCCLXXI.

An Epiſcopus poſſit præcipere, quòd proceſſio in die feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti fiat in Eccleſia Parochiali ſæculari, non autem in Eccleſia Regularium?

CONSULTATIO CCCLXXII.

An Moniales ad habitum, & profeſſionem in Monaſteriis Regularibus ſubjectis admitti poſſint abſque exploratione earum voluntatum ab Epiſcopo, vel ejus Vicario facienda?

CONSULTATIO CCCLXXIII.

An Capellanus eligendus ab Epiſcopo pro tempore, cenſeri debeat perpetuus, an potiùs amovibilis?

CONSULTATIO CCCLXXIV.

An dignitates, quæ ſunt de corpore Capituli, teneantur exactionem, aliaque onera ſubire, ſicut Canonici?

CONSULTATIO CCCLXXV.

An Eccleſia Parochialis de jurepatronatus pro duabus partibus laicorum, & pro una juriſpatronatus Eccleſiaſtici ſit providenda de Rectore per examen concurſus?

CONSULTATIO CCCLXXVI.

An per affinitatem ſupervenientem ex illicita copula diſſolvantur ſponſalia de futuro contracta?

CONSULTATIO CCCLXXVII.

An Clericus habita licentia ab Ordinario querelandi malefactores in foro laicali citra pœnam ſanguinis, ſi querelet, & indicia, ac probationes ſubminiſtret ad probandum delictum, incurrat irregularitatem, ſequuta mutilatione delinquentis querelati?

CONSULTATIO CCCLXXVIII.

An Clericus pro delicto in perſonam conjunctam commiſſo, habens licentiam ab Ordinario querelandi, ſi non querelet, ſed tantummodò proſequatur accuſationem, & ſubminiſtrat indicia in foro laicali; inſiſtendo pro punitione, incidat in irregularitatem, ſequuta mutilatione?

CONSULTATIO CCCLXXIX.

An Canonicus Eccleſiæ Cathedralis in ſubcollectorem deputatus teneatur tempore Synodi aſſiſtere Epiſcopo?

CONSULTATIO CCCLXXX.

An quarta funeralium a Monaſterio Monialium ſit Parocho ſolvenda?

CONSULTATIO CCCLXXXI.

An adjuncti a Capitulo electi teneantur jurare, & quando, & quomodo, & ubi, atque in cujus manibus?

CONSULTATIO CCCLXXXII.

An a decretis in visitatione factis detur appellatio?

CONSULTATIO CCCLXXXIII.

An electio ad Canonicatum facta de Clerico, qui non incessit in habitu, & tonsura sustineatur, sitque confirmanda?

CONSULTATIO CCCLXXXIV.

An Clericus provisus beneficio, quod dubitabatur spectare ad collationem Pontificis, possit ad Ordines promoveri?

CONSULTATIO CCCLXXXV.

An Episcopus possit cogere Clerum totius Diœcesis ad interessendum processioni in die solemnitatis Corporis Christi?

CONSULTATIO CCCLXXXVI.

An distributiones quotidianæ debeantur etiam postquam carceratus ab eisdem carceribus solutus, dum revocationem sequestri super dictis distributionibus tempore carcerationis debitis procurat?

CONSULTATIO CCCLXXXVII.

An Confraternitates Ecclesiasticæ teneantur pro rata contribuere Episcopo visitanti?

CONSULTATIO CCCLXXXVIII.

An annus, qui intercedere debet ab una ad aliam Ordinis sacri susceptionem, debeat esse naturalis, an verò Ecclesiasticus?

CONSULTATIO CCCLXXXIX.

Quid agere debeat Episcopus, si in sua Diœcesi omnes Canonici, vel eorum major pars prætextu officii subcollectoris prætendant exemptionem a sua jurisdictione?

CONSULTATIO CCCXC.

An Regulares de licentia suorum Superiorum possint recipere Ordines etiam ab Episcopo, in cujus Diœcesi non existunt Monasteria, in quibus ordinandi degunt?

CONSULTATIO CCCXCI.

An Episcopus præcipere possit sub censuris, ut Canonici, & beneficiati Ecclesiæ Cathedralis celebrare debeant singulis diebus Missam Conventualem?

CONSULTATIO CCCXCII.

An Conservatores regularium in cognoscendis causis eorumdem regularium habeant jurisdictionem privative, quoad Nuncium Apostolicum, habentem potestatem Legati a latere?

CONSULTATIO CCCXCIII.

An in Ecclesia per Communitatem de licentia Episcopi constructa, possit ab eodem Episcopo demandari, ut sepeliantur cadavera defunctorum absque consensu dictæ Communitatis?

CONSULTATIO CCCXCIV.

An licentia requisita in donationibus, & renunciationibus Novitiarum, & Vicariis per Episcopos concedi solita, sufficiat, si non appareat, nisi per æquipollens concessa?

CONSULTATIO CCCXCV.

An a S. Concilio, cap. 3. sess. 24. de reform. *prohibeatur Cathedratici solutio Episcopo facienda?*

CONSULTATIO CCCXCVI.

An Sacerdos Confessarius Hospitalium Expositorum possit celebrare matrimonia puellarum ibi degentium absque licentia Parochi?

CONSULTATIO CCCXCVII.

An Episcopus in Monasteriis Monialium Regularibus subjectis explorare debeat voluntatem puellarum ibidem pro educatione existentium, quando habitum Monialium postea recipere volunt, eo quòd in ingressu pro educatione voluntatem exploravit? Et an Superiores Regulares id permittere renuentes possit coercere, & quibus pœnis?

CONSULTATIO CCCXCVIII.

An Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis, qui actualem curam animarum exercet, dicatur residere ad effectum perceptionis redditiuum, si resideat in suburbiis parum a civitate distantibus?

CONSULTATIO CCCXCIX.

An dictus Archipresbyter, si suo Parochiano vita functo Sacramenta non administraverit, jus ei competat cantandi Missam, & alias functiones funerales faciendi, ac emolumenta ex eis percipiendi?

CONSULTATIO CCCC.

An occurrentibus duobus funeralibus eodem tempore, possit dictus Archipresbyter eligere Sacerdotem sibi benè visum, qui in altero dictas functiones exerceat?

CONSULTATIO CCCCI.

An Canonico infirmo, qui nunquam propter morbum Ecclesiæ inserviverit, debeantur distributiones quotidianæ a tempore possessionis Canonicatus adeptæ?

CONSULTATIO CCCCII.

An ad Scholasteriam obtinendam quis debeat esse Doctor, vel licentiatus?

CONSULTATIO CCCCIII.

An Vicarius Generalis, qui intervenit examini possit ultra examinatores interrogare examinandos?

CONSULTATIO CCCCIV.

An examinatores synodales possint etiam non vocati accedere ad examen etiam ad Confessiones, & ad Ordines?

CONSULTATIO CCCCV.

An Episcopus, vel ejus Vicarius teneatur dare literas approbationis iis, qui fuerunt ab examinatoribus ad Ordines, Confessiones, & ad curam animarum approbati, quamvis certus in conscientia credat, hujusmodi approbatos esse minus idoneos?

CONSULTATIO CCCCVI.

An Episcopus, qui potest punire, & corrigere delinquentes circa clausuram Monialium etiam Regularibus subjectarum, possit ad effectum probandi hujusmodi delicta examinare Moniales intra septa degentes ex officio?

CONSULTATIO CCCCVII.

An Regulares, qui occasione recitandi Rosarium in suis Ecclesiis exponunt sacra mysteria, & faciunt pias exhortationes, teneantur petere benedictionem ab Ordinario loci?

CONSULTATIO CCCCVIII.

An Regulares, qui ob occupata ab hæreticis propria Monasteria, se contulerunt ad aliam Civitatem, possint ordinari ad titulum paupertatis, etiamsi careant Monasteriis? Et quid si sint in Ordine Subdiaconali?

CON-

CONSULTATIO CCCCIX.

An Sacerdotes, vel Clerici non habentes beneficia Ecclesiastica teneantur interesse processionibus, & Episcopo Pontificalia exercenti assistere?

CONSULTATIO CCCCX.

An in Vicarium Capitularem eligi possit magis habilis etiam extra Capitulum?

CONSULTATIO CCCCXI.

An Fratres Sanctissimæ Trinitatis captivorum comprehendantur in decreto Concilii Tridentini super eleemosynis quærendis?

CONSULTATIO CCCCXII.

An Canonici collegiatæ teneantur ad curam animarum exercendam in defectum tantummodò Archipresbyteri?

CONSULTATIO CCCCXIII.

An in Diœcesi, in qua sint duæ Cathedrales unitæ, sint deputandi in qualibet Civitate examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate?

CONSULTATIO CCCCXIV.

An Episcopus pro causis Diœcesanorum unius Diœcesis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diœcesi?

CONSULTATIO CCCCXV.

An Clerici unius Diœcesis delinquentes debeant ibidem carcerari, & non transportari ad carceres alterius Diœcesis?

CONSULTATIO CCCCXVI.

An taxa duorum cum dimidio pro centenario in erectione seminarii facta, sit excessiva?

CONSULTATIO CCCCXVII.

An Episcopus possit cogere Confessarios regulares ad interessendum Congregationibus casuum conscientiæ?

CONSULTATIO CCCCXVIII.

De distributionibus cuidam Canonico instituto debitis.

CONSULTATIO CCCCXIX.

An Canonici, qui sponte per tres menses continuos abfuerunt a servitio Ecclesiæ, & a choro lucrari possint fructus?

CONSULTATIO CCCCXX.

An, deputatis in synodo Diœcesana tantùm quinque Examinatoribus Synodalibus, possint tres ex iis in concursibus Parochialium adhiberi?

CONSULTATIO CCCCXXI.

An elapso anno post Synodi celebrationem, morte sequuta unius ex quinque Examinatoribus, concursus habiti cum tribus ex iisdem quatuor Examinatoribus sint validi?

CONSULTATIO CCCCXXII.

An elapso anno a celebratione dictæ Synodi, concursus habiti sede vacante per Vicarium Capitularem, Examinatoribus Synodalibus non adhibitis, sint validi?

CONSULTATIO CCCCXXIII.

An Episcopo per Sedem Apostolicam notoriè suspenso, possint illius subditi cum literis dimissorialibus Capituli valide Ordines recipere ab Episcopo viciniori?

CONSULTATIO CCCCXXIV.

De Clericis ad Ordines sacros promotis ab alieno Episcopo.

CONSULTATIO CCCCXXV.

An Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, qui dimisit habitum Clericalem possit absque licentia Episcopi illum reassumere, quando adest Constitutio Synodalis prohibitiva, ne reassumatur absque dicta licentia?

CONSULTATIO CCCCXXVI.

An Clericus, qui habet pensionem cum indulto non incedendi in habitu, & tonsura, gaudere debeat privilegio fori, etiamsi Ecclesiæ non inserviat?

CONSULTATIO CCCCXXVII.

An Episcopus possit etiam penis censurarum punire, & corrigere Equites Hierosolymitanos degentes extra claustra, si tempore Paschatis non communicent?

CONSULTATIO CCCCXXVIII.

An eosdem Equites corrigere, & punire possit Episcopus, si eodem tempore Paschali retineant in propriis domibus mulieres amicorum?

CONSULTATIO CCCCXXIX.

An in casu necessitatis, ex quo primus conventus extra civitatem erectus fuerit cum consensu regularium, ibi præexistentium, indèque demolitus ob causam publicam, possit transferri intra civitatem absque alio eorumdem regularium consensu?

CONSULTATIO CCCCXXX.

An Canonico Ecclesiæ collegiatæ debeantur distributiones, quamvis non sit sacris Ordinibus initiatus?

CONSULTATIO CCCCXXXI.

Cuinam competat jus eligendi presbyteros, & Clericos amovibiles in Ecclesia Parochiali?

CONSULTATIO CCCCXXXII.

An dos Monialis, quæ transit ad secundum Monasterium, debeat remanere apud primum, in quo professionem emisit, &c. Et an mobilia, & census habiti, atque empti per Monialem, dum in primo Monasterio commorabatur, fuerint eidem Monasterio acquisiti? &c.

CONSULTATIO CCCCXXXIII.

An Clerico absenti debeantur exemptiones?

CONSULTATIO CCCCXXXIV.

An Clericus repertus in fragranti crimine adulterii in domo immuni Ecclesiæ, possit ab Episcopo absque præjudicio Immunitatis carceribus mancipari?

CONSULTATIO CCCCXXXV.

An carceratus intra spatium quadraginta passuum circa Cathedralem gaudere debeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCXXXVI.

An Clericus primæ tonsuræ, qui assumpto habitu laicali se gessit in omnibus pro laico, in quo etiam deliquit, &c. possit reassumere habitum Clericalem, & privilegium recuperare?

CONSULTATIO CCCCXXXVII.

An balivi Curiæ sæcularis inservire teneantur Curiæ Ecclesiasticæ?

CONSULTATIO CCCCXXXVIII.

An Clerici conjugati teneantur ad impoſitiones laicales, quæ ad capitationem imponuntur?

CONSULTATIO CCCCXXXIX.

An Clerici juxta perſonarum diſtinctionem gaudere debeant exemptionibus?

CONSULTATIO CCCCXL.

An Clerici conjugati teneantur ad ſolutionem donativi Regii?

CONSULTATIO CCCCXLI.

An Equites SS. Mauritii, & Lazari, ac S. Stephani gaudeant exemptionibus?

CONSULTATIO CCCCXLII.

An Magiſtratus, & Judices laici prætextu aſſertæ conſuetudinis poſſint propria authoritate extrahere reos ab Eccleſia in caſibus exceptis, petita dumtaxat, & non obtenta licentia Ordinarii?

CONSULTATIO CCCCXLIII.

An eo caſu, quo reus extrahitur judicio Ordinarii recta via, poſſit duci ad carceres ſæculares, ibique detineri donec per Ordinarium fiat plena probatio an gaudeat?

CONSULTATIO CCCCXLIV.

An toleranda ſit aſſerta conſuetudo, qua Judices laici reos confugientes ad loca immunia extrahunt ſine licentia Ordinarii, ut donec diſcutiatur an gaudeant, interim non aufugiant?

CONSULTATIO CCCCXLV.

An Syndici Conventuum Ordinis S. Franciſci gaudeant privilegio fori?

CONSULTATIO CCCCXLVI.

An bona donata Clerico ſub conditione, quòd ſi acquiſiverit beneficium Eccleſiaſticum, debeant reſtitui donatori, ſint immunia ab oneribus laicis?

CONSULTATIO CCCCXLVII.

An Epiſcopus poſſit ex legitima conſuetudine procedere etiam per cenſuras Eccleſiaſticas contra laicos debitores locorum piorum, & beneficiatorum?

CONSULTATIO CCCCXLVIII.

An Clericos, eorumque bona poſſint repræſaliis pro debito communitatis ſubjici?

CONSULTATIO CCCCXLIX.

An Epiſcopus procedere poſſit ad cenſuras contra Judicem laicum cogentem litigantes adire forum laicalem in cauſis mixti fori?

CONSULTATIO CCCCL.

An Eccleſiaſtici cogi poſſint, ut vendant vinum proprium in locis deſignatis?

CONSULTATIO CCCCLI.

An patentati ab Epiſcopo ſint exempti a repræſaliis tàm in perſona, quàm in bonis?

CONSULTATIO CCCCLII.

An domus Collegii de propaganda fide gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCLIII.

An Clerici, in minoribus gaudeant exemptione bonorum ſibi donatorum cauſa ſtudii?

CONSULTATIO CCCCLIV.

An Clerici qui vivunt in communi cum laicis poſſint cogi ad dividendum ſua bona, ut collectetur portio laicorum?

CONSULTATIO CCCCLV.

An Clericus conjugatus, qui habitum dimiſit, & militiam exercuit, poſſit habitum reaſsumere?

CONSULTATIO CCCCLVI.

An domus Eccleſiæ, quæ inſervit pro habitatione Sacriſtiæ, quamvis ab Eccleſia disjuncta, gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCLVII.

An apothecæ unitæ palatio Epiſcopi, quòd conjunctum eſt Eccleſiæ Cathedrali, & locatæ laicis, gaudeant immunitate?

CONSULTATIO CCCCLVIII.

An domus contigua Eccleſiæ, quæ ultra januas in via publica habet etiam egreſſum in choro ejuſdem Eccleſiæ, gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCLIX.

An Clericus, quamvis gaudeat immunitate, extractus tamen ex mandato laicali a loco immuni, & conſignatus poſtea Curiæ Epiſcopali, contraveniat obligationi de tuto carcere?

CONSULTATIO CCCCLX.

An Epiſcopus poſſit extrahere aliquos a loco immuni ad effectum illos examinandi, & cum intentione eos reſtituendi eidem loco immuni?

CONSULTATIO CCCCLXI.

An ſolutio carolenorum 42. pro foculari impoſita a Regiis ſit perſonalis, non autem realis, itaut ab ea ſint exempti Clerici conjugati, & Diaconi ſelvagii?

CONSULTATIO CCCCLXII.

An cauſæ etiam mercedum motæ contra Sodalitates ſæcularium, erectas authoritate Ordinarii, ſpectent ad forum ſæcularem?

CONSULTATIO CCCCLXIII.

An filii legitimi, & naturales Clericorum gaudeant privilegio fori?

CONSULTATIO CCCCLXIV.

An domus Parochorum, licèt non adhæreant Eccleſiæ, ſint immunes?

CONSULTATIO CCCCLXV.

An Epiſcopus poſſit carcerare regulares renuentes, & impedientes extractionem reorum a ſuis Eccleſiis?

CONSULTATIO CCCCLXVI.

An familiares, & Coloni Eccleſiaſticorum teneantur juſſi ire ad bellum, & ſervire in aliis functionibus pro ſervitio Principis? &c.

Et an propriè dicantur coloni, qui vulgò vocantur Mezzaroli?

CONSULTATIO CCCCLXVII.

An familiares, qui actualiter inserviunt personis Ecclesiasticis sint immunes?

CONSULTATIO CCCCLXVIII.

An contra attentantes extrahere reum ab Ecclesia, effectu non sequuto, possit procedi?

CONSULTATIO CCCCLXIX.

An delicta famulorum inservientium colonis mensæ Episcopalis, sive Ecclesiasticorum, commissa in possessionibus Ecclesiasticis, cognosci debeant a foro laicali?

CONSULTATIO CCCCLXX.

An delinquentes propè Ecclesiam spe confugii gaudeant immunitate?

CONSULTATIO CCCCLXXI.

An Capella carcerum, vel illis contigua gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCLXXII.

An Clerici conjugati possint exercere officia Magistratus sæcularis?

CONSULTATIO CCCCLXXIII.

An Domus Canonicales, sive beneficiatorum, quæ laicis locantur, gaudeant immunitate?

CONSULTATIO CCCCLXXIV.

An fluprum voluntarium a laico commissum sit mixti fori?

CONSULTATIO CCCCLXXV.

An domus Confraternitatum sæcularium positæ intra Monasteria Regularium gaudeant immunitate?

CONSULTATIO CCCCLXXVI.

An Clerici divites tempore penuriæ possint cogi ad vendendum suum frumentum?

CONSULTATIO CCCCLXXVII.

An Clerici selvagii possint eligi in Officiales, sive ministros Magistratus sæcularis?

CONSULTATIO CCCCLXXVIII.

An pro eleemosynis tàm datis, quàm receptis debeatur solutio gabellarum?

CONSULTATIO CCCCLXXIX.

An affictuarii bonorum Ecclesiasticorum teneantur ex fructibus inde perceptis ad gabellam?

CONSULTATIO CCCCLXXX.

An Clerici conjugati, qui ob paupertatem se exercent in agricultura, vel in alio opere, non tamen sordido, debeant esse immunes a solutione capitationis, quæ imponitur personæ absque ulla consideratione bonorum?

CONSULTATIO CCCCLXXXI.

An Episcopus possit procedere etiam contra laicos complices in delicto a Clericis commisso?

CONSULTATIO CCCCLXXXII.

An rei confugientes ad Ecclesiam Regularium ob crimina excepta possint armata manu etiam cum fractura ostii Conventus, jussu, & cum assistentia Vicarii Episcopalis extrahi, si iidem Regulares extractioni se opponerent?

CONSULTATIO CCCCLXXXIII.

An Capitanei, sive Officiales militiarum locorum, qui subjacent jurisdictioni temporali Episcoporum gaudeant privilegio fori?

CONSULTATIO CCCCLXXXIV.

An mancipia Turcica gaudeant immunitate Ecclesiastica?

CONSULTATIO CCCCLXXXV.

An Episcopo liceat aperire, & retinere furnum pro abundantia?

CONSULTATIO CCCCLXXXVI.

An, & quomodo Tertiariæ gaudeant privilegio fori?

CONSULTATIO CCCCLXXXVII.

An Magistratus sæculares, ut facilius exigatur gabella farinæ, possint prohibere Ecclesiasticis, ne molant frumentum pro usu proprio, ac eorum familiæ in propriis molendinis?

CONSULTATIO CCCCLXXXVIII.

An Clerici conjugati gaudeant privilegio fori etiam in civilibus? Et quid de privilegio Canonis?

CONSULTATIO CCCCLXXXIX.

An violans immunitatem Ecclesiasticam possit absolvi virtute Jubilæi?

CONSULTATIO CCCCXC.

An qui ob rixam è fenestris domus immunis Ecclesiæ occidit existentem in Ecclesia gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CCCCXCI.

An laicus percutiens alium laicum in Ecclesia incurrat aliquam excommunicationem?

CONSULTATIO CCCCXCII.

An concedenda sit absolutio in utroque foro excommunicatis ob extractionem ab Ecclesia, quando extracti fuerunt ab eisdem, vel de eorum ordine occisi, vel laqueo suspensi, ex quo Ecclesia non potest reintegrari?

CONSULTATIO CCCCXCIII.

An Clericus bigamus a Sede Apostolica dispensatus gaudeat privilegio fori?

CONSULTATIO CCCCXCIV.

An in causis violatæ Immunitatis Ecclesiæ possint Archiepiscopi procedere saltem in devolutivo in gradu appellationis a sententiis suorum suffraganeorum?

CONSULTATIO CCCCXCV.

An reductio censuum, aliorumque reddituum per Magistratum sæcularem facta, afficiat etiam Ecclesiasticos;

CONSULTATIO CCCCXCVI.

Quænam ætas requiratur ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, in qua nondum facta sit distributio Ordinum?

CONSULTATIO CCCCXCVII.

An conditiones appositæ in Capellaniis amovibilibus, iis tamen non proportionatæ, debeant observari?

CONSULTATIO CCCCXCVIII.

An concedenda sit dispensatio, & absolutio a tribus votis in professione Ordinis militaris S. Jacobi emissis cum commutatione ad aliud beneviſum?

CONSULTATIO CCCCXCIX.

An ex consuetudine, sive potiùs abusu præbendati debeant lucrari distributiones quotidianas Horarum, etsi ad chorum accedant quando decantatur tertius Psalmus, & an assistentes choro Horæ tertiæ possint lucrari distributiones Hora sexta &c.

CONSULTATIO CCCCC.

An tolerari possit consuetudo non augendi distributiones quotidianas, quæ pro quatuor Horis, Missa Conventuali, vesperis, & completorio non excedunt quartam partem unius Julii?

CONSULTATIO CCCCCI.

An emissio votorum arguat cultum publicum? Quinam dicatur cultus publicus, quive privatus?

AD LECTOREM.

Quibus rationibus, quibusque partium ſtudiis hujus Operis author ducatur, ubicunque de Fori competentia Eccleſiaſtici cum ſæculari, ſeu de Eccleſiaſtica immunitate, & illuc ſpectantibus ſcribit, non fuit opus te admonere, Candide Lector. Facillimè etenim id ex lectura animadvertes, & ni fallor tàm ſcribentis genium, & ſtatum, quàm temporum neceſſitatem, ſeu mavis corruptelam agnoſces; Cæterùm, ne imprimendi operis permiſſu, quæ continentur approbari, aut ad Fori praxim, aut quocunque alio modo exiſtimares, permittendum fuit eò impreſſorum dumtaxat rationibus, & mercaturæ id datum fuiſſe, ac ſi id ageretur non deeſſe celeberrimos Doctores, ſolidaſque doctrinas, quibus Principibus, & Magiſtratibus, contra novarum opinionum ſectatores, ſua jura probè conſtent.

D. JACOBI PIGNATELLI

CONSULTATIONUM CANONICARUM.

Tomus Primus.

CONSULTATIO I.

An omissio examinis unius, alteriusve, qui comparuerat descriptus in concursu Parochialis, & protestatus fuerat, sit contra formam substantialem dispositionis a S. Concilio Tridentino præscriptæ, itaut propterea ex hoc capite concursus vitietur, possitque alter tertius Parochialem impetrare?

1 VIDETUR respondendum, omissionem ejusmodi non esse de forma substantiali dispositionis a Sac. Concil. Tridentino præscriptæ, ita quod ex hoc capite concursus sit nullus, & aperiatur via impetrandi cuilibet de populo juxta Constitutionem Pii V.

2 Nam forma substantialis Concilii consistit tantùm in ipso actu concursus de novo per Concilium inrroducto, non autem in præambulis, qualia sunt nominatio plurium ab Episcopo, aut patrono, seu vocatio per edictum, descriptio, admissio, aut omissio, non admissio, sive contemptus, de quibus disponebant jura antiqua, ut in materia electionis est textus perspicuus *in cap. Ecclesia vestra* 57. *§. Denique de elect. & argum. c. Quia propter, eod. tit.* ac jure, & rationibus probat decisio Rotæ hac in re *sub die* 15. *Novemb.* 1634. *in una Tarraconen. Parochialis coram Panzirolo.*

3 Atqui sicut forma substantialis electionis non consistit in præambulis, *d. cap. Quia propter*, ut est Missa de Spiritu Sancto, & ejusmodi alia: ita forma concursus non consistit in omnibus præambulis, quæ *cap.* 18. *sess.* 24. *de refor.* prænarrantur ante actum ipsum concursus. Sicut nec etiam consistit in omnibus, quæ sequuntur actum concursus, ut est collationem facere digniori, ut huic non illi conferatur. Quia ista non est nova dispositio Concilii, sed ante Concilium omnia jura id clamabant in electione, ut advertit Rota *decis.* 65. *numer.* 8. *par.* 1. *rec.*

4 Ratio præmissorum est. Quia duplex est forma. Altera præcisa, quæ consistit in ipsa essentia, & formalitate dispositionis, & legis: Altera quæ dicitur ad favorem, quæ respicit interesse, & justitiam partis. Forma præcisa, quatenus est inducta a lege, reddit actum ipso jure nullum, ea non servata, aperitque viam impetrandi atque dicendi cuilibet de populo. Forma autem ad favorem, sive in præambulis, sive in subsequentibus actum consistat, non irritat ipso jure, ipsa non servata, sed ad favorem Partis dantis de nullitate, a nullo autem potest allegari, ut hic esset admittere ad concursum omnes adscriptos, quod consistit in præambulis, de quo solùm potest contemptus ipse, & non alius, ut apertè habetur eo *cap. Ecclesia vestra* 57. *de elect.*

5 Esset etiam in subsequentibus, si collatio non fuisset facta digniori. Quo casu non tertius, sed solus omissus, aliusve examinatus, qui prætenderet se digniorem dare potest. Et ita in terminis resolvit Barbos. *de Paroch. c.* 2. *num.* 95. sicque observatur. Facto enim concursu, solus ille, qui prætendit se digniorem dat de nullitate. Quia ista forma non est præcisa concursus, sed ad favorem dignioris.

Hæc autem rectè comprobantur ex mente atque re- 6
sponsis S. Congregationis Concilii. Nam si descriptus non veniret ad concursum, vel examinatus non curaret, vel renunciaret, non idcircò deficit forma concursus. Sic apud Garz. *de benef. p.* 9. *cap.* 2. *n.* 14. *& seqq.* Massobr. *de concurs. requis.* 3. *dub.* 7. *&* 11. Quoties enim forma est apta remitti consensu, aut voluntate partis non dicitur substantialis, Jo: Andr. *in regul. Non est sine culpa de reg. jur.* Felin. *cap. Cum dilecta num.* 6. *de rescript.*

Illud verò magis puto considerandum, quod licet hoc 7
casu interesse Ecclesiæ, cujus favore inductus est concursus, ut liquet ex verbis illis Concilii *d. sess.* 24. *cap.* 18. *Expedit maximè animarum saluti*, si conjunctum cum interesse partis, non tamen annullatur collatio facta digno, nisi prosequente jus, & justitiam suam digniore, aliàs valida est collatio de digno, ut peropportune docet Jo. Valer. *de differ. inter utrumque for. v. Electio diff.* 2. *num.* 4. quem sequitur Barbos. *d. cap.* 2. *num.* 85. & approbatur a Rota *in Nicien. Parochialis* 13. *Martii* 1628. *coram Urgellen.* Idque validissima ratione. Nam aliàs sequeretur, quod magis idoneus, in examine gravatus faceret locum devolutioni Parochialis ad commodum alterius tertii impetrantis, ut posset jura sua prosequi, sicut ei permittitur ex Concilio, & Constitutione Pii V. Quod est absurdum, notavitque Rota *dec.* 61. *num.* 2 *p.* 3. *rec.*

Et generaliter hoc verum est in quacumque mate- 8
ria, ut scilicet quando forma est ad favorem, & non præcisa, nullitas non inducatur, nisi volente eo, ad cujus favorem inducta est, non autem alterius. Ut in unione sine consensu Capituli, solum Capitulum potest dare de forma non servata, ac de nullitate actus, Rota *dec.* 133. *num.* 10. *&* 12. *p.* 2. *div.* Quod prosequitur, & exornat Gonzal. *glos.* 56. *a num.* 78.

Id ipsum explicatius etiam confirmatur. Quia non 9
omnia contenta in Constitutione inducuntur formam substantialem, ut ex textu *in d. cap. Quia propter*, & in eodem *c. Ecclesia vestra*, quibus nititur dicta decisio coram Panzirolo, & firmat Anchar. *cons.* 225. *num.* 2. quem sequitur Mant. *dec.* 355. *num.* 4.

Eoque etiam spectat causa considerata a Concilio *in* 10
procem. d. cap. 18. ibi, *Expedit maximè animarum saluti a dignis atque idoneis Parochis gubernari*. Quam quidem causam esse finalem notavit nominatim Paris. *de resign. lib.* 8. *qu.* 9. *numer.* 7. *& seq.* Huic etenim causæ, a qua regulari debet prætensa forma substantialis satisfit eo ipso, quod provisus fuit declaratus idoneus ex novo modo per Concilium inducto, cum sic provideatur necessitati Ecclesiæ, & animarum curæ potissimum consideratæ a Concilio, ut proinde omissio unius ex concurrentibus pariter, vel magis idonei apta non sit imminuere idoneitatem dicti provisi positivè, non autem comparativè in dicta causa finali expressam.

Quæ magis procedunt quando omissus non potest da- 11
re de omissione, aut contemptu, & non examinatus de majori idoneitate. Quia intelligitur de digniore capaci, ac

ac naturali Regni, seu loci qualis fortè non erit omissus, ut egregiè Sanchez *tom. 1. conf. lib. 2. cap. 1. dub. 8. num. 2. & 11.*

12 Nec obstat, quod ista exceptio non sit admittenda de jure Canonico *ex c. ad decorem de instit.* & ex Rota *in Seguntina beneficiorum 9. Junii 1627. coram Virile.* Quia ultra, quod dictum *c. ad decorem* non est dispositio clara, ut advertit Azor. *instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 4. q. 25. §. Ad objecta*, contrarium disponunt jura *in c. Bona 2. de postul. v. Nec poteramus, salva conscientia, eidem Ecclesiæ de persona alterius Regni providere*. Id quod etiam tradit Sanchez *loco allegato*. Et in aliquibus partibus, præsertim Hispaniarum est indubitatum ex immemorabili consuetudine, ut verè asserit Paris. *lib. 4. de resign. q. 7. n. 2.* & testatur Hojed. *de incompat. benef. p. 1. c. ult. n. 115.* Azor. *ubi supra*, Sanchez *ibid. n. 2.* Probaturque ex Indultis Apostolicis, & affirmat Glos. antiqua *super reg. 19. Cancell.* Hojed. ac Paris *locis adductis*, Garz. *p. 7. cap. 9. num. 1. & seqq.* Cabedo *de Patron. Reg. Cor. c. 29.* Sanchez *eo loco*, ac etiam ex Constitutionibus Regnorum, ut firmant omnes allegati, & pro Cathalonia expressit luculenter Oliban. *de jur. fisc. cap. 13. n. 49. 51. & seq.* ac Ferrer. *in Constit. Cathalon. glos. 3. n. 69.* Quas leges a Sede Apostolica confirmatas, & approbatas fuisse, tradit Azor. *loco præcitato*, probatque ratione demonstrativa, nimirum, quia Sedes Apostolica non aliter confert.

14 Non obstat decretum irritans in Concilio appositum. Quia respicit formam præcisam, non autem formam ad favorem, ut scitè Gonzal. *glos. 67. num. 61.* cui pars potest renunciare, Rota post Cenc. *de censib. dec. 59. n. 15.* Gonzal. *ibi. n. 52.* Unde illud referendum est folummodo ad ea, quæ sunt de forma substantiali, remedium verò appellationis ad ea, quæ sunt de justitia, seu de forma accidentali, & ad favorem, ut hoc modo singula singulis congruè referantur, juxta Glos. *in l. quæstionem, v. Universitatis, C. de fideic.* & tradit Garz. *de benef. d. p. 9. c. 2. n. 295.* exemplo *c. Quia propter de elect.* in quo licèt adsit decretum irritans, illud tamen refertur ad ea, quæ sunt de justitia, quia contemptus aliquorum non inducit nullitatem, ut ibi docet Abb. *n. 12.*

15 Ut verò satis perspicuè cognoscatur re ipsa, quæ fuerit in hac materia mens S. Rotæ, juvat decisiones allegatas apprehendere.

Nicien. Parochialis R. P. D. Durano Lunæ 13. Martii 1628.

16 VIcarius Nicien. Sede vacante in dicto concursu ad Parochialem Ecclesiam loci de Roccabigliera de voto trium ex quatuor Examinatoribus Synodalibus aliis prætulit Horatium de Laurentiis, qui habita deinde collatione a Vicelegato Avenionensi fuit etiam possessionem adeptus. Verùm quia Joannes Andreas Martinus eandem Parochialem a Sede Apostolica impetravit sub narrativa, quod in prædicto concursu non fuit servata forma Constitutionis Pii V. & Sacri Concilii Tridentini, mota desuper lite contra Horatium possessorem obtinuit ab A. C. mandatum de immittendo, cujus vigore cum possessionem esset ingressus, postea in gradu appellationis in Rota coram bon. mem. Ubaldo reportavit sententiam confirmatoriam dicti mandati, quæ ob non prosequutam legitimè appellationem, transitum fecit in judicatum. Unde commissa mihi causa restitutionis in integrum, dubitavi hodie, an constet de causis restitutionis. Et Domini affirmativè resolverunt, ex quo constet de injustitia dicti mandati, & sententiæ, & sic de læsione, quæ est fundamentum restitutionis in integrum, *capit. 1.* ubi Abb. *de restit. spol.* Serap. *dec. 245. num. 2.* & Rot. *dec. 532. num. 2. p. 1. & dec. 672. num. 1. & 731. num. 2. p. 2. rec.*

17 Injustitia visa fuit clara; quia non erat expellendus Horatius possessor & danda Joanni Andreæ immissio, nisi prius justificata per Joannem Andream dicta narrativa; quod concursus indictus, & celebratus fuit, non servata forma S. Concil. Trid. & Constitutionis Pii V. quæ fuit causa principalis, & præcipua dictæ gratiæ, Put. *dec. 265. lib. 3. in nov. impref.* Rot. *dec. 282. in fin. p. 2. rec.* & in puncto de narrativa fuit resolutum *in Salamantina Parochialis 21. Junii 1582. & in Cæsaraugustana Parochialis 8. Novembris 1599. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in Vicent. Parochialis 14. Januarii 1612. coram bon. mem. Patriarcha Manzanedo*, quæ est *decisio 323. p. 2. rec.*

18 Nec relevat si dicatur, quod dicta narrativa fuit justificata ex responso S. Congregationis Concilii, quæ concursum fuisse nullum declaravit, cui Rota semper solet deferre, ut firmatur in decisione in hac causa fa. 20. Mart. 1624. coram bo. mem. Ubaldo. Quia cùm postea eadem S. Congregatio partibus pluries auditis & facto plenius justificato recedendo ab anteriori declaratione contrarium declaravit, nempè concursum hujusmodi fuisse validum, consequenter dicta narrativa non justificatur, sed standum est ultimæ S. Congregationis declarationi, & non primæ *ad l. non est novum cum duabus seq. ff. de legat. c. cæterum extra de rejer.* Declarationes enim S. Congregationis semper intelliguntur emanare juxta ea, quæ in facto proponuntur, *lib. 1. C. de diverf. rescrip.* & ibi Pallad. *n. 14.* & ju ta latè tradita per Rub. *conf. 12. n. 2.* Paris. *conf. 9. lib. 2. num. 2.* Alex. *conf. 84. in fin. lib. 1.* Rot. apud Cassad. *dec. 6. de rescript.*

Minus obstat, quod læsio, &c.

Unde nihil relevat fides examinatorum, qua atte- 19
stantur quemdam Maxiliam fuisse repertum magis idoneum ætate, doctrina, & sufficientia. Quia ultra quod fides regulariter, maximè ex intervallo, & sine juramento, & citatione, ut hic, non facit idem, *l. post legatum, §. his verbis*, ubi Bart. *ff. de his, quibus ut indign.* Dec. *conf. 51. num. 7. vol. 2* Rot *dec. 318. n. 4. p. 2. rec.* ex ea non excluditur sufficientia idoneitatis Horatii. Quia comparativum, quod Maxilia fuit repertus magis idoneus supponit existentiam positivi & sic alterius, seu aliorum, qui erant idonei, *l. Ubi autem, §. 1. ff. de verb. oblig.* Surd. *dec. 65. n. 6.*

Propterea Horatius, ut idoneus potuit a Vicario ap- 20
probari. Quia S. Concilium, & Constitutio Pii V. non annullavit electionem idonei ipso jure, sed appellationis remedio magis idonei succurri, & sic constat de jure Horatii interim, & quousque Maxilia non obtinet declarari contrarium Ægid. *dec. 103.* Seraph. *dec. 73. num. 1.* Rot. *dec. 529. n. 1. p. 1. div.* & in puncto Gonzal. *ad reg. 8. glos. 4. n. 139. & seq.* & seprius S. Conc. Congreg. declaravit, Maxilia autem non obtinuit contrarium declarari, &c. Et ita utraque parte, &c.

Tarraconen. Parochialis R. P. D. Panzirolo Veneris 10. Novembris 1634.

VAcavit Ecclesia Parochialis de Alcover Tarraco- 21
nen. Diœcesis, & Sanctissimus illam contulit Hieronymo Bruniquer uti in concursu magis idoneo reperto, sed eam postmodum ab eodem *Sanctissimo obtinuit Jacobus Tortorella sub prætextu quod non fuerit servata forma concursus ex dispositione S. Concilii Trid. sess. 24. p. 18. & Constit. sanctæ mem. Pii V. in novo Bullar. 33.* unde dubitavi, an gratia dicti Jacobi esset justificata, & Domini negativè responderunt; nam cùm ab eo fuerit narratum non fuisse servatam formam concursus, *& hæc sit formalis causa concessionis, debuit plenè, & concludenter probari*, ut fuit resolutum *in Placentina Parochialis de Malpartida 16. Junii 1602. coram bo. me. Lizza, & in Casalen Præposituræ 21. Apr. 1597. cor. bo. me. Gypsio*; licet secus sit *quando narrativa est pars gratiæ*, prout est quando quis narrat se esse Doctorem, vel quid simile, ut distinguendo utrumque casum dixit Rot. *dec. 268. n. 3. p. 1. div.*

Ad ostendendum autem, quod non fuerit servata 22
forma concursus adducit primò, quod Antonius Gual non fuerit admissus ad examen, licèt comparuerit, & protestatus fuerit pro admissione *sum. n. 7.* sed ex tenore dictæ protestationis visum est non sequi, quod vel fuerit spretus, vel neglecta protestatio, sed solum timor, & suspicio non admissionis. *Immò ex responsione facta per Vicarium Generalem, qui præsidebat examini, clare constat, quod in vim descriptionis ipsius Antonii vocatus fuit inter alios* oppositores ad examen per fiscum. Ecclesiasticum juxta ordinem scripturæ, ut in eodem *sum. num. 7.*

Secundò, ad hoc probandum adducuntur testes Sum. 23
num. 9. sed isti etiam visi sunt minus sufficienter deponere, ex quo omnes, excepto 2. super 4. art. loquuntur solum de auditu, vel de publica voce, & fama, cum tamen agatur *de probanda negativa, quæ non sequitur ex probatione famæ concludente affirmativam*, nisi adducatur ratio, quæ sit apta removere sensum ab actu, juxta not. per Bald. *in l. actor. num. 9 C. de prob.* Ang. *in §. hinc nobis n. 37.* Auth. *de hæred. & falcid.* Hercul. *de prob. neg. num. 318.* Dictus verò 2. Testis licet aliam rationem adducat, quod scilicet esset præsens in Civitate Tarraconæ dum factus fuit concursus, in quo etiam ipse fuit examinatus, & pro habili repertus, attamen hæc ratio non concludit, *quod Antonius fuerit prætermissus ab examinatoribus, cùm debuisset deponere, quod prædictus non potuisset examinari, quin Testis id scivisset; quandoquidem hæc sola* possibilitas satis sit ad excludendam probationem ipsius negativæ, ut in similibus terminis fuit resolutum *in Vinc. Paro. dialis*

jis 16. Novembris 1626. coram bon. mem. Cardin. Virili, & 23. Martii ejuſdem anni coram R. P. D. meo Dunozetto.

24 Sed dato etiam, quod d. 2. Teſtis benè probaret de Viſu, ſi ſimul admittatur illius probatio de publica voce, & fama, ac dictum ipſius conjungeretur cum alio teſte eodem modo deponente, qui facit ſemiplenam probationem, & ex his duorum teſtium depoſitionibus reſultare poſſet plena probatio non admiſſionis Antonii, juxta Caputaq. *dec. 300. par. 3. Adhuc tamen Domini ponderabant non ex hoc poſſe dici non fuiſſe ſervatam formam Concilii, & Conſtitutionis Pii V.* ex quo in dicta Bulla *§. 1.* dicitur, Concilium Trid. ſtatuere, quod occurrente vacatione Parochialis Eccleſiæ, Epiſcopus, & qui juſpatronatus habet intra decem dies, & aliud tempus ab ipſo Epiſcopo præſcribendum, aliquot Clericos ad regendas Eccleſias idoneos, examinatoribus, juxta formam ſynodi deputatis, nominet, non niſi ab eiſdem examinatoribus, per concurſum aliorum examinandorum, uni magis idoneo ab Epiſcopo judicato, & electo de Eccleſia provideatur; aliàs proviſiones omnes, & inſtitutiones præter formam prædictam factæ ſubreptitiæ cenſeantur, *& poſtea in §. 3.* omnes, & ſingulas collationes, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præſertim *in examine per concurſum* faciendo præſcriptam, factas, &c. nullas, & irritas, &c. & nullius roboris, ac momenti fore, & eſſe declarat, & Sedi Apoſtolicæ reſervat.

25 Ex his autem videtur apparere, quod omiſſio alicujus ad examen non *eſt contra ſubſtantialem diſpoſitionem Concilii*, ſed debet examinari de juſtitia, & ſi non examinaretur, poteſt agere de contemptu, non autem quod examen ſit nullum, ipſo non reclamante, ut in ſimili dicitur de vocatione abſentium ad electionem, quorum contemptus, ipſis non reclamantibus, non vitiat electionem, *c. quod ſicuti, & c. Bonæ, & c. Eccleſia, el 2.* Abb. *in c. quia num. 12. de elect. Hæc igitur omiſſio non eſt de forma* Concilii, ſed de juſtitia, cum de forma illud ſolum cenſeatur, quod eſt adinventum ab ipſo Concilio, *non autem quæ ab aliis Canonibus prius diſpoſita erant, ſed remanent* in ſuo robore, ut eſt text. expreſſus *in c. Eccleſia veſtra el 2. v. denique ſtatutum de elect.* ubi dicitur, quod ſicut in *c. quia propter de elect.* enunciantur multa, quæ debent ſervari in electione, & poſtea dicatur, aliàs electio facta non valeat, non propterea iſtud decretum irritans efficit, *ut vocatio abſentium ſit de ſubſtantia, ne videatur ſummum Pontificem* velle uno verbo evertere illa, quæ alibi ſtatuta noſcuntur, & ſubdit tex. *neque credendum eſt, Romanum Pontificem, qui jura tuetur, quod aliàs excogitatum eſt multis vigiliis uno verbo ſubvertere voluiſſe*, &c. ſecundum verò Canones antiquos licèt Epiſcopus teneretur eligere digniorem, ſi tamen illum omittebat, & eligebat dignum, proviſio ſubſtinebatur, *Concilium autem ſolum innovavit, ut fiat concurſus, & Epiſcopus* eligat digniorem: unde ſi Epiſcopus reiicit unum, & non vult illum examinare, malefecit, *& ille poteſt dare de contemptu, non autem proviſio eſt nulla*, quia ſecundum Canones antiquos non erat nulla. Pro quo facit, quod ſi cenſus creatus ſuper reſtabili, & cum pecunia numerata adijciantur alia pacta, vitiantur, & non vitiant; non obſtante quod Bulla Pii V. dicat cenſus ſub alia forma factos fœneratitios judicari, Gutier. *can. qu. lib. 2. c. 176. n. 5. verſ. vel 2.* quem ſequitur Rodriq. *de Ann. reddit. l. 2. q. 1. n. 3. in fine*, & fuit reſolutum *in Bonon. Cenſus 26. Junii 1600. coram bo. me. Card. Pamph. & in nullius, ſeu Melivicen. Cenſus 16. Martii 1615. coram R. D. meo Decano*, & aliàs ſæpè.

26 Quibus non obſtat, quod Concilium Trid. & Conſtitutio Pii V. habeant decretum irritans, quia decretum non refertur ad omnia; ad hoc enim ut clauſula ſequens referatur ad omnia debet eſſe uniformis ratio omnibus præcedentibus, ſecus autem ſi poteſt reddi ratio diverſitatis, ut ſupra fuit oſtenſum, Abb. *in d. c. Eccleſia veſtra num. 5.* Beja *reſponſ. caſuum Conſcientiæ par. 4. c. 18. verſ. tanquam ſol. 375.*

Et ſic fuit concluſum pro non juſtificatione gratiæ, Jacobo tantum informante, &c.

27 Hucuſque S. Rota Romana. At ego contra exiſtimo, atque aſſero, quod vera ſententia ſit, omiſſionem examinis unius, aut alterius, qui comparuerat deſcriptus, & proteſtatus fuerat, eſſe contra formam ſubſtantialem diſpoſitionis a S. Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 18. de reform.* præſcriptæ, adeò ut propterea concurſus vitietur, poſſitque ab altero Parochialis impetrari.

28 Probatur, quia in proviſione Eccleſiæ Parochialis requiritur examen per concurſum a Conc. Trid. *loc. cit.* & a Conſtitutione Pii V. *33.* docentque Pariſ. *de reſign. lib. 1. q. 7. n. 7.* Gonzal. *gloſ. 6. n. 111.* Ugol. *de offic. & poteſt. Epiſc. c. 50. §. 4. n. 1. & §. 6.* Fuſch. *de viſit. l. 2.*

& 5. numer. 10. Riccard. *in prax. part. 7. reſol. 518. num. 2. & 3. & part. 1. reſol. 253. numer. 1.* & declaravit S. Congregatio apud Garz. *ubi ſupra num. 37.* eſtque omnibus exploratum. Idque requiritur pro forma concurſus, ut habetur perſpicuè in d. Conſtit. Pii V. ad tradit. Pariſ. *ib. lib. 8. qu. 9. n. 77. & 79.* quod repetit *n. 83. & 84.* atque inculcat *n. 86. & 89.* tenetque Fuſch. *d. c. 5. n. 9. & 10.* Quarant. *in ſum. Bullar. verb. Beneficiorum Parochialium collatio verſ. circa examen*, Theſ. *for. Eccleſ. p. 2. c. 5. n. 23. 31. & 38.* Zerol. *in prax. verb. Parochia*, Garz. *loco alleg. a nu. 99.* Ricc. *var. reſol. p. 1. reſol. 351. n. 1. & ſeq.* Barboſ. *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 60. n. 86. & alleg. 72. n. 120.* ubi dicit ita declaraſſe S. Congregationem, & admittit Rota *in Tarraconen. modò adducta, §. ex his poſt med. verſ. Concilium autem.*

Atqui examen per concurſum debet eſſe de omnibus 29
concurrentibus deſcriptis, venientibus, comparentibus, petentibus, ſeu proteſtantibus ſe velle examinari, ut patet ex eodem Concilio *d. c. 18. ib. Omnes deſcript.* & ex d. Conſtit. Pii V. ibi: *Præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino præſcriptam* in examine pro concurſu faciendo, ut luculenter proſequitur Pariſ. *d. nu. 77. & 101.* Maſſobr. *in pr. fac. concurſ. req. 3. dub. 10. n. 4.* Barboſ. *de Paroch. c. 2. n. 46.* Garz. *d. c. 2. nu. 9.* juncta declaratione S. Congregationis per ipſum adducta *n. 8.* firmatque Rot. *in d. Toletana Parochialis de Alcaudete verſ. nec dominis placuit*, & in eadem coram Litta *verſ. Et dato quod Michael*, apud Garz. *nu. 342.* & coram Seraph. *dec. 1148. n. 2. in fin. & n. 5. ac 6.*

Nec obſtat, quod Concilium, & Conſtitutio inducant 30
formam in his, quæ ſunt adinventa ab ipſo Concilio, non autem in inductis a ſacris Canonibus, quale eſt examen oppoſitorum: ut firmatur in ea deciſione coram Panzirolo. Quia deciſio illa emanavit una tantum parte informante. Quare Rota, iterum cauſa propoſita, eam, inhærendo Conſtitutionibus Pii V. aliiſque concordantibus, ac ſtylo Sacræ Congregationis Concilii hucuſque inviolabiliter obſervato, qui juſtificatur ex reſolutione cauſarum in ejus Regeſto, nec non ex ſententia ipſiuſmet Rotæ *in Litteren. Archipresbyteratus 6. Junii 1582. coram Cardin. Blanchetto*, & in aliis remiſit ad eandem S. Congregationem, ad quam ſolùm ſpectat ejuſdem Sac. Concilii interpretatio. Hæc, re maturè diſcuſſa die 2. Decembris *1634.* ita declaravit, atque decrevit, *Tarraconen. Parochialis Sac. Congregatio Concilii Tridentini interpretum, utraque parte informante, cenſuit, in concurſu præfatæ Parochialis Eccleſiæ Oppidi de Alcover non fuiſſe ſervatam formam a Sac. Concilio præſcriptam.*

Non eſt itaque ea deciſio attendenda, ejuſque objec- 31
tio diluitur tum ex prædictis, tum etiam quia Concilium diſponit ſuper omnibus Parochialibus Eccleſiis tam reſervatis quàm affectis generaliter, vel ſpecialiter etiam vigore Indulti, ſeu privilegii in favorem S. R. E. Cardinalium, & Abbatum, vel Capitulorum, ut patet *ſub princ. d. c. 18.* ejuſdem *ſeſſ. 24.* Atqui notum eſt, quod Ordinarius, ceſſante dicta diſpoſitione Concilii, non poteſt ſe intromittere in proviſione earum Eccleſiarum, ac propterea indubitatum eſt, Concilium in examine omnium deſcriptorum, aliiſque in eo capite expreſſis induxiſſe formam. Quia ubi lex inducit novum jus, dando juriſdictionem cum certis modificationibus in ea declaratis, quidquid ibi exprimitur eſt de forma. Ita Gloſ. *in Clem. 1. v. Inhibentes verſ. ad decretalem*, & docent Provid. *de jurepat.* Felin. *in c. cum dilecta num. 6. de reſcript.* Anchar. *conſ. 6. n. 4. & conſ. 36. num. 1. & conſ. 241. in fin.* Dec. *conſ. 528. n. 12.* Rom. *conſ. 236. num. 8.* ibique Add. *verſ. ſingularis*, Abb. *conſ. 91. ſub num. 6. p. 1. & q. 5. num. 6.*

Præſertim verò, quia dicta forma eſt data ad eligen- 32
dum magis idoneum cum decreto irritante, ut patet ex eodem Concilii loco. Quo caſu in omnibus inducit formam, Roman. *conſ. 66. per tot.*

Et ſanè deciſio eliditur, ad prædicta comprobantur 33
ex ipſamet deciſione, dum firmat illud eſſe de forma, quod fuit adinventum a Concilio. Cùm autem a Concilio fuerit adinventum, quod omnes deſcripti examinentur, & de jure antiquo non eſſet neceſſarium omnes examinari, ut admittit dicta deciſio; utique fatendum eſt, examen omnium eſſe de forma tanquam de novo inductum a Concilio, & non a jure communi. Idque potiſſimum, quia examen omnium oppoſitorum eſt præcipuum requiſitum, Rota *in eadem Toletana Parochialis apud Garz. dict. num. 341. verſ. circa aliam difficultatem, & verſ. & eo magis.* Adeò quod ſi examen omitteretur, concurſus inductus a S. Concilio, & Conſtitutione Piana ſuo fine fruſtaretur cum in hac re per ſolum examen cognoſcantur dignæ, ac magis idoneæ perſonæ, ut graviter juxta, ac verè advertit Rot. *in De-*

Bruſcn. Parochialis coram Gypſio, apud Garz. *d. cap. n.* 232. & paſſim alibi. Ad hunc enim effectum induxit Concilium, & Conſtitutio concurſum, ut ſcilicet a perſonis dignis, a quibus animarum ſaluti maximè expedit gubernari Eccleſiæ, animæque gubernentur, ut benè notavit Pariſ. *d. q. 9. n. 78. &* Fuſch. *d. c. 5. num.* 2. Facilè enim Concilium, & Conſtitutio eluderetur, ſi Epiſcopus omnes deſcriptos ad concurſum non admitteret. Nam poſſet admittere minus dignos, & repellere digniores.

34 Quæ omnia eo facilius procedunt, quod Concilium Trident. hac in re habet triplex decretum irritans. Alterum appoſitum in corpore illius *c.* 18. Alterum diplomate confirmatorio ejuſdem Concilii. Tertium in Conſtitutione Pii V. Perſpicuum enim eſt, quod decretum irritans inducit formam. Ita communiter, & in primis Felin. *in d. c. Cum dilecta n.* 6. Alex. *conſ.* 212. *n.* 5. *l.* 6. Roman. *conſ.* 66. *num.* 2. cum ibi congeſtis per addentem, *& conſ.* 402. Dec. *conſ.* 229. *n.* 1. Et ſpeciatim de concurſu firmat Pariſ. *eod. lib.* 8. *& 9. n.* 84. *&* 86. Garz. *d. c.* 2. *§.* 1. *n.* 230.

35 Ex his autem neceſſariò ſequitur, quod concurſus ob hanc cauſam vitietur, quodque ad hunc effectum ſufficit omiſſio examinis unius, vel alterius ex oppoſitoribus, Rot. *in d. Toletana Parochialis apud Garz. d. n.* 341. Seraph. *d. dec.* 1148. *n.* 2. 5. *&* 6. Regula namq; eſt, & quod actus geſtus, non ſervata forma illius, eſt ipſo jure nullus, & omninò corruit, pulchrè Bologn. *conſ.* 6. *n.* 14. Card. *conſ.* 27. *n.* 3. & Rot. *rec. p.* 1. *dec.* 624. Forma autem debet tam in maximo, quàm in minimo obſervari, Cephal. *conſ.* 601. *n.* 5. paſſimque alii.

36 Nec obſtat, quod forma eſt accidentalis, & ad effectum non præciſa. Quia ex dictis apertè contrarium conſtat ob decretum irritans, ut latè proſequitur Rot. *in Toletana profeſſionis* 27. *Febr.* 1595. *coram Card. Pamphilio*, adducta per Garz. *d. c.* 2. *§. item* 2. *n.* 330. Et præcipuè de forma, de qua agitur, quod ſit præciſa, & non ad effectum explicat idem Garz. *d. §.* 2. *n.* 329. Pariſ. *d. q.* 9. *n.* 84. *& ſeqq.* tenetque Rot. *in d. Toletana de Alcaudete apud Garz. d. n.* 331. & Seraph. *dec.* 1148. *ſub n.* 4. ac præſertim quia forma iſta fuit per Concilium inducta in reformatione ad utilitatem Eccleſiarum, animarumque. Eccleſiarum autem atque animarum intereſt plures oppoſitores concurrere, omneſque examinari. Forma itaque inducta eſt præciſè, Gloſ. *in Clem.* 1. *v. inhibentes de jurep.* maximè, quod in hoc caſu forma eſt data a lege, contra quam factum non valet, Anch. *conſ.* 36. *n.* 1. *in fine.*

37 Hinc liquet hallucinari graviter illos, quorum placitum eſt, quod tota diſpoſitio, & forma inducta a S. Conc. conſiſtat in præambulis concurſus, vel illum ſubſequentibus, dicuntque hæc omnia eſſe de juſtitia, & ſolum actum ipſum concurſus eſſe de forma ſubſtantiali. Sed cùm iſte actus ab iis non exprimatur, profecto convincitur eum eſſe actum faciendi periculum oppoſitorum quoad ſcientiam, vitam, mores, ac prudentiam, qui actus nil aliud eſt, quàm examen omnium concurrentium, ac proindè eſt de forma ſubſtantiali.

38 Ita quoque rejecta hac diſtinctione de præambulis, & ſubſequentibus, ceſſat etiam Deciſio Nicien. deducta, ut ſcilicet electio dignioris uti de ſubſequentibus concurſum non ſit de forma, nec annullet concurſum. Cæterum hæc deciſio non debet admitti uti vera, ſed reijci uti periculoſa. Nam ad fœdum ignorantiæ barathrum ſolicitat improvidos concurrentes. Ægydius quippe, Seraphinus, & Rota in ea allegati non agunt de hac materia, ſed ſolum inquiunt quod non conſtat de non jure quamdiù poteſt de jure doceri. Gonzalez verò perperam in eadem adducitur. Nam *gloſs.* 4. *n.* 139. non figit pedem, ſed ulterius proſequitur, ſuamque mentem ſatis explicat dum *n.* 141. ait, quod ſi Epiſcopus poſſet pro ſua voluntate, & arbitrio ad libitum ſuum eligere, facillimè dicta Conſtitutio Pii V. eluderetur. Item diſertè *num.* 142. addit, quod verbum judicaverit appoſitum in S. Concilio non denotat meram voluntatem, ſed arbitrium boni viri. Et rurſus *n.* 143. quod procedit quatenus Epiſcopus rectè judicaverit. Tum *n.* 136. expreſsè firmat, quod collatio non tenet, & proviſio Apoſtolica eſt ſubreptitia, & nulla, ſi Epiſcopus non elegerit digniorem. Tandem luculenter *n.* 137. *& ſeqq.* quod electio dignioris ſit de forma irritativa, & annullativa concurſus, & proviſio facta, omiſſo digniore, nullum tribuit jus proviſo.

39 Quin etiam coram Greg. XV. *dec.* 11. *n.* 8. fuit reſolutum quod hæc opinio, quam ſequitur deciſio Narnien. non eſt opinio Rotæ, ſed aliquorum, & contrarium, nempè quod in foro exteriori debet eligi magis dignus in electione Eccleſiarum Parochialium, aliàs electio, & collatio eſt nulla, tenuit Rot. *in Tuden. Parochialis* 28. *Aprilis* 1623. *coram Card. Sacrato, & in Ripana Parochialis* 1. *Junii* 1609. *coram Ottembergo*, quas allegat Beltram. *in addit. ad d. dec. Gregorii*, ubi rectè advertit minimè mirum eſſe ſi non fuit firmatum in ea deciſione ſimpliciter ſufficere, quod eligatur idoneus, & dignus, omiſſo etiam magis idoneo, & digniore, ſed tantum fuit ibi dictum fuiſſe opinionem nonnullorum ex Dominis, quod ipſe credit periculoſum, quia obſtat Conſtitutio Pii V. Quod autem proviſio in concurſu Parochialium facta digno, omiſſo digniore, ſit nulla, uti non ſervata forma Concilii, & Conſtitutionis Pii V. ob decretum irritans in eis appoſitum tenent expreſsè Azeved. *conſ.* 9. *n.* 30. ac latè Garz. *de benef. p.* 9. *c.* 2. *§.* 2. *n.* 229. *cum ſeqq.* & Barboſ. ex adverſo allegatus *de offic. & poteſt. Paroch. c.* 2. *n* 95. & nos alibi.

Minus obſtat, quod concurrentes poſſunt renunciare 40
examini, atque adeò non eſt de forma, quod omnes examinentur. Quia id verum eſt, ſi nolint concurrere, & obtinere Eccleſiam. Tunc enim ceſſat totus concurſus, ac proinde ejus forma. Secus verò eſt in concurrentibus, & volentibus concurrere, ac per viam concurſus conſequi Parochialem. In hoc enim caſu ſicuti non poſſunt renunciare concurſui, ita nec ejus requiſitis, nempè edicto, examini, examinatoribus ſynodalibus. Quia hæc forma fuit inducta in favorem Eccleſiarum, non in favorem concurrentium, reſpicitque favorem publicum, non privatum, ut prudenter Barboſ. *d. c.* 2. *n.* 95. Favori enim publico nemo poteſt renunciare; ſed debetur ei obſervantia quoad omnes, quia Concilium indiſcriminatim loquitur de omnibus, & propterea omnes amplectitur, Ricc. *dec.* 31. *n.* 9. *&* 13. *p.* 4. Nec poteſt aſſignari ratio, cur magis unus, quàm alius debeat examinari, & cur magis in uno, quàm in alio debeat, vel poſſit remitti. Quare, quod ſit præcisè in omnibus ſervanda aſſerit Barboſ. *d. c.* 2. *n.* 69. *& ſeqq.*

Ea verò, quæ dicuntur de forma præciſa ſatis ſuper- 41
que rejecta ſunt ex dictis, quæ comprobantur ex eo, quod Conſtitutio Pii V. præcisè voluit, quod forma data a Concilio ſervaretur, quodque ſi quid contra, vel præter illam fieret, proviſio eſſet nulla, nullumque jus tribueret proviſo, & Parochialis, ut prius, vacaret, cujus collatio ad Sedem Apoſtolicam dumtaxat ſpectaret. Certum enim eſt, quod ubi lex procedit annullando geſta præter, vel contra formam, talis forma eſt ſubſtantialis, non accidentalis. Et quamvis Conſtitutio non referat expreſsè illa verba, *Omnes deſcripti examinentur*; tamen ſufficit, quod ea referat Concilium, Quia relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.

Pariter nec obſtat, quod omiſſus non eſt admittendus. 42
Quia id videndum eſt in examine de vita, & moribus, ac donec non conſtet illum non eſſe admittendum, non debet omitti; cùm de jure omnes Clerici non prohibiti ſunt admittendi, Ugol in. *de offic. & poteſt. Epiſcop. c.* 50. *§.* 6. Eo vel maximè, quia Concilium ad effectum examinis exigit ſolam deſcriptionem oppoſitorum, & præcipit illos omnes examinari.

Quod autem non admiſſus poſſit appellare nos ultro 43
concedimus, addimuſque, quod poſſit etiam dicere de nullitate. Nam Conſtitutio Pii V. duplex remedium comparuit, Alterum appellationis. Alterum nullitatis proviſionis. Acquieſcente igitur non examinato, vel non proſequente appellationem eo, qui comparuit, vol uitque examinari, & appellavit, licèt ceſſet remedium appellationis, non ceſſat remedium nullitatis proviſionis, ut Papa, etiam non proſequente appellationem non examinato, non provideat Eccleſiæ juxta dictam Conſtitutionem, *Cap. Cum veniſſent verſ. Sed in hoc caſu de inſtit.*

Ita etiam non obſtat, quod nullitas collationis ob non 44
examinatum Oppoſitorem debeat intelligi ipſo volente. Quia id procederet ſi nullitas fuiſſet inducta ad favorem illius. Et in his terminis loquuntur adducti pro contraria ſententia.

Sicuti neque obſtat, quod decretum irritans ad favo- 45
rem unius non operatur ad favorem alterius. Quia in hoc caſu fuit inductum ad favorem Eccleſiarum, & animarum, & ſic ad favorem publicum, ut diximus. Et propterea operatur ad favorem omnium, quibus Papa voluit conferre Eccleſias, hoc pacto vacantes.

Denique non obſtat, quod rejectus pateretur duplex 46
gravamen. Alterum rejectionis. Alterum impetrationis ipſius, qui Parochialem impetraſſet a Papa. Quia rejectus habet beneficium Conſtitutionis, ut proſequatur appellationem, & impetret gratiam a Papa de Parochiali uti vacante, ut prius ante concurſum: atque adeò non gravatur, ſed potiùs relevatur ex nullitate proviſionis, ex eo quod non fuit examinatus, aut aliàs non fuit ſervata forma Concilii.

Deci-

47 Decisioni Rotali coram Panzirolo nos opponimus resolutiones S. Congregationis Concilii, quæ cum aliàs frequenter, tum distertissimè in d. Tarraconen. die 2. Decembris 1634. censuit, ac declaravit, utraque parte informante, in concursu, in quo fuit omissus unus ex oppositoribus descriptus, non fuisse servatam formam a S. Concilio præscriptam. Et in eadem Tarraconen. 12. Maii 1635. cum dubitaretur, an concursus esset nullus, in quo non fuit examinatus unus ex descriptis, qui in tempore comparuit? S. Congregatio respondit: *esse nullum*.

48 Rursus eadem S. Congregatio censuit beneficia curata Patronatus Ecclesiastici esse conferenda prævio concursu, ad eumque omnes, qui describuntur esse admittendos, tametsi a patronis non fuerint nominati. Ideòque appellationem præsentatorum ab ipsis patronis Ecclesiasticis prætendentium alios ad concursum admitti non debere, concursum, dummodò, aliàs legitimè constitutus, & habitus fuerit, impedire non potuisse.

49 Episcopus, vacante Parochiali, proposuit Edicta ex hoc *cap.* 18. *sess.* 24 *de refor.* & intra decem dies quatuor comparuerunt, qui adscripti fuerunt juxta formam Concilii. Sed in die pro concursu, & examine deputato, duo tantum ex ipsis quatuor comparuerunt, qui examini se subjecerunt, & idonei reperti sunt. Dubitatum itaque fuit, an examen præfatum subsisteret, ex quo duo alii adscripti non fuerunt examinati, cùm Concilium præcipiat, quod omnes descripti examinentur?

50 S. Congregatio censuit, examen illud valuè subsistere. Quia verba Concilii intelliguntur quatenus veniant ad examen. Aliàs in potestate unius esset nolle venire, impedireque, ne ultra procederetur. Quod dici non debet.

51 In una Perusina. Si peracto examine veniat alius, & petat ad examen admitti, non debet audiri. Et idem judicandum est, si compareat elapso termino Edicti. Septembris 1587.

52 Et in terminis fortioribus ita 6. Martii 1592. in una Firmana Parochialis fuit resolutum. Non obstante, quod quidam N. comparuerit in loco examinis post decem dies præfixos in Edicto, stante legitimo impedimento absentiæ, ex quo tempore vacationis Ecclesiæ morabatur in Romana Curia, & statim habita notitia profectus fuerit, esset admittendus ad concursum ex communi Doctorum conclusione, quod comparens post terminum, etiam peremptorium, est admittendus, quando res est integra, & adest justa causa excusationis.

53 Quod cum agatur de interpretatione S. Concilii Tridentini, ejus planè S. Congregationis declarationibus standum est, non verò S. Rotæ decisionibus.

CONSULTATIO II.

1 PRo bono regimine Metropolitanæ Audientiæ cum suis Suffraganeis multa dubia solent emergere, inter quæ illud in primis. Cùm ab indebita carceratione appellari contingat, & per Curiam Metropolitanam, visis actis, cautaque cognita dictum fuerit, illatum fuisse gravamen, & propterea provisum, quod præstita cautione de standi juri, & judicatum solvendo, vel de se repræsentando intus carceres Metropolitanæ Audientiæ, excarceretur, *an ab hujusmodi provisione, seu decreto tam in causis civilibus, quam criminalibus indistincte detur appellatio, etiam suspensiva?*

2 Et negativè videtur resolvendum quoad effectum suspensivum. Nam, etsi aliàs in declarationibus emanatis a Sac. Congregatione, approbante Clemente VIII. adductis per Quarantam *in Summ. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas num.* 20. apparere videatur resolutio hujus dubii, illa tamen non applicatur huic casui. Quia ibi habetur, quod si a Judicis, ad quem, decreto vim definitivæ habente, appellatum fuerit, tunc per appellationem suspendi pronunciatum, donec, &c. Nos verò in dubio nostro versamur in decreto, vim quidem definitivæ habente, sed comperto ex actis gravamine indebitæ carcerationis, quod tunc Metropolitanus possit per decretum provisionale mandare, ut præstita cautione, de qua in dicto dubio, excarceretur, & in hoc casu non esset retardanda exequtio hujusmodi decreti. Qui aliàs reus marceiceret in carceribus.

3 Idque magis suadetur, quia a decreto de carcerando, non datur appellatio ex Claro *in prax. crimin. qu.* 46. *n.* 2. & Guidop. *dec.* 232. ita nec a decreto de excarcerande cum contrariorum eadem sit disciplina, *l. Etsi contra in fin. ff. de vulg.* Eo fortius, quia dubium non loquitur de excarceratione simpliciter, sed præstita cautione.

4 Et hoc videtur absque difficultate procedere in delictis, quibus pœna pecuniaria tantum esset imponenda. Tunc enim reum esse sub fidejussoribus relaxandum haberur tum de jure civili, *l. Divus, ff. de Custod. reor.* tum etiam de jure Canonico, *cap. si Clericos de sent. excomm. lib.* 6. ubi Glossa dixit, procedere tam quoad Clericos, quàm quoad laicos.

Immò & generaliter in omnibus delictis per appella- 5
tionem non potest suspendi pronunciatum de excarcerando, ubi carceratio non processerit, non præcedentibus legitimis indiciis. Tunc enim saltem reus debet sub dicta fidejussione excarcerari ex eodem Claro *d. qu.* 46. statuitque Menoch. *de arb. cas.* 303. Atque ex his videtur etiam pendere resolutio alterius dubii, scilicet posse reum sub dicta fidejussione transferri ad carceres Judicis, ad quem, ut valeat ipsum interrogare, & aliàs prout justitia suadebit, & ordo dictaverit rationis. Est etiam hujus loci.

CONSULTATIO III.

An detur appellatio a denegatione licentiæ laborandi festis diebus?

AFfirmativè respondeo, suppositа tamen legitima 1
causa laborandi. Quia appellatio datur a quocumque gravamine, etiam extrajudicialiter illato, ut probat Rota *dec.* 522. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* An verò appellatio sit admittenda, necne cognitio spectat ad Judicem, ad quem Quarant. *in sum. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas, verj. Item debet citari, & ibid.* Addit. *litt. K verf. in quibus*. Prout etiam, cognita necessitate per Metropolitanum, si judicaverit esse locum dictæ licentiæ, illam non impediri per appellationem, cùm agatur de re necessaria, quæ dilationem non admittit, desumitur ex *cap. licet, & cap fin. extra de feriis*.

CONSULTATIO IV.

AN *quando non potest formari processus per declara-* 1
tionem nullitatis professionis juxta formam decreti Sac Concilii Tridentini sess. 25. cap 19. de Regular. *propter tempus, quod excurrit diuturnitatem, possit, ac debeat dispensari super dicto decreto, & causa committi Eminentissimo Urbis Vicario, ac P. Generali Religionis pro dicta declaratione?*

Affirmo. Primò, quia dispensationis difficillimæ, in 2
jure scilicet divino, ut in votis, & juramentis, maxima difficultas implendi votum est causa sufficiens, quod probatur ex usu Ecclesiæ, quæ sic prospicit filiorum infirmitatibus, & est communis omnium Doctorum, ut testatur Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 20. *num.* 18. Si autem maxima difficultas est causa sufficiens dispensandi, potiori jure impotentia, vel ut ajunt, impossibilitas. Divina enim præcepta impossibilia non sunt, Concil. Trident. *sess.* 6. *c.* 11. Innocentius X. & Alexander VII. in damnatione primæ propositionis ex quinque damnatis: multò minus præcepta Ecclesiæ, seu legis positivæ humanæ; imò longè facilius super lege humana dispensatur, & minor adhuc causa requiritur, Navar. *in sum. cap.* 12. *num.* 57. Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 18. *n.* 4. Quod etiam ex usu Ecclesiæ colligitur, quæ dispensat in suis præceptis jejunii, audiendi sacrum, recitandi officium, etiamsi non maxima difficultas, sed mediocris tantùm interveniat. Cùm autem agatur in præsenti de lege humana, nimirum de prædicto Tridentini decreto, nec tantum mediocris, aut etiam maxima difficultas intercedat dictum decretum servandi, sed mera impossibilitas, eaque non tantùm moralis, sed etiam physica, non sufficiens modò dispensationis, verùm etiam necessaria causa censendum est.

Secundò, quia præfatum Tridentini decretum ex 3
duabus partibus constat. Prima est, ut elapso quinquennio nulliter professus non admittatur ad declarationem prædictæ nullitatis. Altera est, ut ab Ordinario, & superiore loci, in quo emissa est professio, causa judicetur. Quod spectat ad primam decreti partem perspicuum est ex ipso usu sæpè, ac sæpius ab Ecclesia super illa dispensari, quando justa, & probabilis causa movet ad dispensandum, quando scilicet professus reclamare non potuit; sed eadem ratio æquè militat pro altera decreti parte, quando nimirum observari non potest; ut in hoc casu.

Tertiò, & præcipuè id verum est cum causa jam af- 4
fectà fuerit Sedi Apostolicæ ex rescripto Pontificis, ex quo nulla injuria fit Ordinario. Hoc autem colligitur ex doctrina fusè tradita a D. Fagnano *in cap. Verum de for. comp. a num.* 25. *ad* 28. ubi multos citat, & expressa jura adducit, ac testatur ita resolutum fuisse in S. Congregatione a Sanctissimo specialiter deputata die 14.

Martii anno 1650. Uberius adhuc hanc doctrinam tradit idem Fagnan. *in cap. licet eod. tit. a num.* 21. *ad finem*, ubi etiam multa jura, & Doctores refert, nempe Roma, inquit, est patria communis, & Papa communis Superior, & verus Ordinarius, & maximè si partes præsentes sint, & altera saltem instet apud Sanctissimum, ut per textum *in l. Roma, ff. ad municip.* concludit Rot. *dec.* 19. & 21. *de appellat.* Nec dispositio hujus decretalis sublata est per decretum Tridentini *sess.* 24. *c.* 20. ubi plenè docet idem D. Fagnan. *a num.* 24. & testatur de mente S. Congregationis *num.* 23. Præsertim si ex speciali mandato Papæ committatur causa, Rot. *dec.* 169 apud Fagnan. *num.* 36. Item si utraque pars consentiat, Bisignet. *dec.* 18. Immò sufficit tacitus consensus, Rot. *dec.* 245. apud Fagnan. *num.* 37. ubi recenset rationes, ob quas causæ ad Sedem Apostolicam devolvuntur; quibus accedit illa, quæ maximè locum habet in præsenti, quia scilicet ab Ordinario loci processus formari non potest.

5 Quartò, quia maximum damnum, præsertim spirituale, quod inde dispensandus pateretur, sufficientem præbet dispensationis causam, ut colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 97. *art.* 4. Gallieg. *de cognat. spirit. cap.* 22. *n.* 7. & ut prudenter observat Castropal. *p.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *pun.* 8. *n.* 7. Ijcèt regula certa definiri non possit pro statuenda sufficienti dispensationis causa, sed hoc ex prudentum judicio pendeat, attendi tamen debet necessitas, & utilitas supplicantis. Et licet dispensatio cedere debeat in bonum publicum, ut tradunt Panorm *in cap. de multa de præb. n.* 9. Sot. *de just.* non est tamen necesse, ut causa ob quam conceditur dispensatio immediatè, & directè bonum commune respiciat, sed mediatè, & indirectè, quatenus bonum particularium ad bonum totius communitatis refertur, nempè Legislatori etiam competit singulorum necessitatibus subvenire; quia bonum commune id postulat, Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 19. *initio*, Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 8. *num.* 75. Basil. Pontius *lib.* 8. *de matr. cap.* 14. *num.* 12. & colligitur ex doctrina *cap. Requiritis* 1. *qu.* 7. *cap. Necesse est* 29. *d. c. Ipsa pietas* 23 *qu.* 4. *cap. fraternitas* 34. *d.* & Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. *de refor.* Immò Sanchez pro hac sententia adducit S. Thomam, & Sotum, addo perpetuum usum Ecclesiæ in dispensationibus matrimonialibus.

6 Atque hæc præsertim locum habent, si nulliter professus ex rescripto Sanctissimi in Congregatione S. Officii suæ conscientiæ relictus fuerit, ac proinde tutus in conscientia vivere poterat: Inde enim omninò sequitur illum esse in possessione, ut ajunt, nullitatis suæ professionis, ac proindè sumus in casu ab iis diverso, qui ut plurimum contingunt, & quibus cum stet possessio penes Religionem, & professionem validam, hæc valida præsumitur; donec claris, & indubitatis testimoniis authenticè probetur, ac deinde declaretur invalida: non potest autem exturbari, ex dicta possessione, nisi allegata in contrarium probatione secundùm omnia jura.

7 Non obstat primò, si dimisso habitu, aufugerit. Quia cùm aliter reclamare non posset propter rigorem, & authoritatem parentum, vel hujusmodi alia, & pluries reclamare frustra tentasset, nec alia via pateret, dimisit quidem habitum, non tamen ausu temerario, quod a Tridentino tantum prohibetur, Navar. *comm.* 4. *de Regular. num. ult.* Azor. *lib.* 12. *instit. c.* 4. *qu. ult.* Sanch. *lib. de matrim. disp.* 37. *num.* 3. Sanctarel. *var. resol. qu.* 48. *n.* 2. Et in omnem eventum potest causa committi, reassumpto habitu.

8 Non obstat secundò, præsumi ex Tridentino ratificatam esse professionem per illud quinquennium, & ita præscribi, ut professus invalidè resilire ultra non possit. Quia illa præsumptio, & præscriptio fundatur in possessione pacifica quinquennali, reali scilicet, cum tamen hæc per tres, aut quatuor menses tantum duraverit, ac proindè ad legitimam præscriptionem non sufficiat, ut perspicuum est.

9 Non obstat tertiò, quod in re professionis stari non debet juramento professi juxta communem Authorum sententiam, & tradunt omnes ii, qui scribunt non esse fidem adhibendam professio asserenti se fictè emisisse professionem, Turrian. *lib. de vot. mon. fol.* 2. Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *pun.* 1. Aragon. 2. 2. *qu. etiam* 88. *art.* 1. Palac. *in* 4. *d.* 38. *disp.* 1. *concl.* 3. Sot. *lib.* 7. *de justit. quæst.* 1. *art.* 2. Angles *in florib. p.* 2. *de vot. qu. un. art.* 1 *diffic.* 4. Navar. *in sum. cap.* 11. *num.* 27. Primò, quia hoc tantum locum habet, quando possessio omninò est penes Religionem. Nam, ut etiam in aliis casibus fieri videmus, nunquam vi solius juramenti unius partis exturbatur alia pars sua possessione: at in nostro casu possessio nullitatis professionis est penes nulliter professum vi rescripti Apostolici. Secundò, quando sunt aliæ præsumptiones potentissimæ, adminicula, & conjecturæ, quæ nulliter professo favent, multi Authores, iique gravissimi docent stari posse juramento illius. Ita limitant suam doctrinam Angles, Cajetanus, & Navarrus, ac tenent Bart. *in d. l. inter omnes*, §. *Recte de furt.* Marsil. *cons.* 7. *num.* 7. & *cons.* 9. *num.* 36. Menoch. *de arbitr. cas.* 231. *num.* 6. & *de recup. remed.* 16. *num.* 36. Odd. *de restit. in integr. p.* 1. *qu.* 38. *art.* 7. *num* 60.

Non obstat quartò, quod omnia jura faveant validitati Religionis, ex Navar. *cons.* 13. *de regul.* ubi allegat *l. sunt personæ, ff. de relig.* & *sumpt. fun.* in qua dicitur, *summa est ratio, quæ pro Religione acit.* Quia id verum est, quando forus externus non innititur falsæ præsumptioni, nec constat de contraria voluntate, ut sentiunt Sot. *lib.* 4. *de just. q.* 5. *art.* 3. Covar. *in cap. cum esses de testam. num.* 7. Ledesm. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 1. *dub.* 12. In dubio autem recurrendum est ad conjecturas, & præsumptiones, ut tradunt Maschard. *de probat. concl.* 94. *num.* 4. Menoch. *de arb. cas.* 361. *nu.* 1. Mant. *cons.* 24. *num.* 4. Soccin. *vol.* 1. *cons.* 28. *num.* 14. Mandos. *in reg. Cancel. reg.* 5. *op.* 4. *num.* 7. At in hoc casu rationes in contrarium urgent. Cum enim, juribus non obstantibus modò nulliter professus ante quinquennium reclamarit juxta formam a Tridentino præscriptam, & vim ac metum probaverit, professio nulla declaretur, ita prorsus quando illa forma servari non poterit, jura non obsunt, si sufficientes rationes adducantur, jura enim justitiam non evertunt, sed indemnem servant. 10

Non obstat quintò, quod non adsit certitudo causæ sufficientis ad dispensandum. Quia profectò satis est, si prudentis etiam dubitantis arbitrio relinquatur, quod in hoc dubio ad mitiorem partem inclinandum sit; alioquin cùm rarò constet certò de causæ sufficientia, dispensandi potestas inutilis esset, Sanchez *d. lib.* 8. *disp.* 20. *num.* 10. Sylvest. *v. dispensatio q.* 14. *num.* 20. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. & multi alii. 11

Non obstat denique sextò ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 97. *art.* 4. & Soto *lib.* 1. *q.* 7. *art.* 3. *de just.* infidelem fore dispensatorem, nisi propter bonum commune dispenset. Nam ita intelligi debent, ut jam dictum est supra, ut omnis dispensatio, saltem indirectè, ac mediatè ad bonum commune spectet, ita Sanch. *disp.* 19. *n.* 1. aliique adducti. 12

CONSULTATIO V.

AN *Regulares renunciantes sententiæ Rotali, & exequutoxialibus relaxatis pro observatione suorum privilegiorum, nempè distantiæ canonum inter alias Ecclesias ædificandas, ac similium, incurrant aliquam pœnam canonicam, præsertim si id faciant timore majoris mali?* 1

Videtur nullam pœnam incurrere. Etenim *Extravagans Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* non procedit in renunciatione ejusmodi privilegiorum, ut latè, ac benè firmat Pellicion. *illustr. quæst. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 29. Ea ratione, quia per hanc renunciationem res revertitur ad sui naturam, & ad jus commune, ideòque potest fieri conventio super hoc sine authoritate Superioris. Adducit in hanc rem multos, ac nominatim Abb. *in cap. Veniens n.* 22. & ibi Add. *de præscript.* Felin. *in cap. cum omnes num.* 8. *de constit.* qui plura exempla congerit, Gomez. *ad reg. de jur. quæst. qu.* 16. *num.* 3. Gonzal. *glos.* 7. *n.* 14. Moventur ex textu *in cap. de privil. in* 6. ubi rectè notant Gemin. *num.* 6. & Franch. *num.* 3. 2

Non obstat, quod appellatione bonorum in dicta Extravaganti veniant jura. Quia procedit in juribus ad res concernentibus, non in istiusmodi privilegiis, quibus renunciando res revertitur ad jus commune, & non sequitur distractio bonorum in patrimonio ordinato ad alimoniam Clericorum, de quo dicta Extravagans loquitur. 3

Idque potissimum procedit, si Regulares coacti fuerint ad ita agendum propter timorem majoris mali evitandi. Renuncians enim privilegio facit dumtaxat actum nullum, sed nullo jure cavetur, quod possit puniri. Immò contrarium probat text. *in c. Cum tempore de arbitrar.* ubi Pontifex declarat nullam renunciationem privilegii factam ab Abbate, sed nec eum punit, nec etiam redarguit. Signum evidens, quod puniendus non erat. Et ex tertia collectione decretalium Antonii Augustini patet illum textum emanasse, ex quo Monachi renunciaverant propter metum incussum ab Episcopo. 4

Quod autem sit nulla renunciatio propter metum, non potest in dubium revocari. Tradunt id in terminis Canonistæ *in cap. si de terra* 6. *de privil.* ubi Hostien. *n.* 3. 5

Butr.

Butr. *num.* 6. Jo. Andr. *n.* 1. Dec. *n.* 30. ubi de communi, & prosequitur Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 41. *n.* 14. & 15. Avendan. *de met. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 56. *post medium*.

6 Simile videmus in renunciatione beneficii facta per metum, quæ est nulla ipso jure, ut sunt textus clari *in c.* 1. & *duobus sequentibus de his, quæ vi, metuq. cauſ.* traduntque Calderin. *conſ.* 1. *de renunc.* Dec. *conſ.* 219. & Ruin. *conſ.* 121. *lib.* 4. ac resolvit Rot. *in Vercellen. Præpoſituræ* 11. *Decembris* 1647. & 5. *Junii* 1649. *coram Bichio*. Nam quæ fiunt ex metu, sunt contra inclinationem elicitam voluntatis, & proindè ex hoc capite habent rationem involuntarii.

7 Et in terminis renunciationis factæ post expeditas litteras exequutoriales per metum illatum a Rege, quod pars admittatur ad prosecutionem, ac si non fuisset facta renunciatio, testatur fuisse servatum, Papaz. *in addit. ad dictam dec.* 5. *de renunc. in nov.* Quia qui metum injustè incussit, injuriam alteri intulit: unde tenetur illud in priorem statum restituere, & alter jus habet exigendi hanc restitutionem, ut elicio ex *cap.* 2. & 4. *de his, quæ vi*.

8 Nec possunt hanc nullitatem evitare illi, in quorum favorem renunciatum est prætextu, quod metum ipsi non intulerint. Quia sufficit illatum esse a Principe, ut eis lucrum afferret, ut in terminis respondet Decian. *d. conſ.* 219. *num.* 4. Paris. *d. q.* 1. *n.* 199. & *seqq.* ac Rot. *in alleg. Vercellen. Præpoſituræ*.

9 Atque ex his non videntur molestandi Regulares, ex quo timentes tumultum fieri in populo renunciant suo privilegio, ne ædificetur Ecclesia intra certum cannarum numerum, & exequutorialibus pro observatione expeditis. Ut enim malum hoc magnum evitetur, faciunt minus renunciando nulliter. Pro bono enim pacis, & tumultus evitandi receditur a regulis juris, licetque renunciare, quæ aliàs non liceret, Paris. *loc. alleg. lib.* 5. *q.* 3. *n.* 165. & *seq.* ubi plura.

10 Verùm his non obstantibus censeo non esse validam renunciationem illorum privilegiorum, per quæ res non revertitur ad sui naturam, neque ad jus commune, sed fit contra ejus naturam, & contra jus commune, ut est privilegium de dicta distantia, secus autem de aliis privilegiis. Etenim de jure communi non potest nova Ecclesia erigi in loco, ubi jam fundatis afferat præjudicium, *c. quæcumque*, & *can. Ecclesiæ* 17. *quæst.* 1. & *cap. cum dicant de Eccleſ. ædif.* Doctores communiter apud Lezan. *in mari magno Carmel. n.* 434. Quod etiam fuit innovatum ab Urbano VIII. in sua Constitutione Romanus Pontifex 28. Augusti 1624. Et est secundùm rei naturam, quia Ecclesia, quæ debet esse exemplar charitatis, non debet alteri præjudicium afferre. Privilegium autem de distantia Ecclesiæ erigendæ est declarativum juris communis. Nam præfigit hanc distantiam ad tollendum præjudicium, quod afferretur, & quod a jure communi decernitur cavendum, & perindè potiùs sit declaratio juris communis, quàm privilegium, & insit juri declarato, *l. Asse toto, ff. de hæred. inſtit.* & *l. unum de familia*, §. *ſi de falcidia, ff. de leg.* 2. & *Clem.* 1. *de jurep.* & notant omnes cum Gloss. *in cap. Cum te de usur.* & *in cap. per suas, v. novo de donat.* Atque adeò habetur pro jure communi. Et ideò renunciatio illius contineret aliquid contra jus commune, & per ipsum res non reverteretur ad sui naturam, sed reduceretur ad contrarium statum.

11 Præterea quando jus proprium ita est implicitum cum alieno, ut renunciatio ipsius cedat in præjudicium tertii, non tenet, ut tradunt Doctores cum Rota *dec.* 32. *n.* 8. *p.* 2. *div.* & *dec.* 273. *n.* 3. *p.* 4. *rec.* ac decidit textus *in cap. Cum temp. de arb.* Ideòque non valet renunciatio privilegii, quod concernit utilitatem publicam. Quia licèt contineat privatum commodum alicujus, interest tamen omnium, quod in privatis quoque servetur. Ea enim, quæ constituta sunt in favorem Ecclesiæ, Communitatis, & publicæ utilitatis, non sunt sub dispositione privatarum personarum, & ideò deficit in ipsis potestas, quæ requiritur, ut teneat renunciatio privilegii, juxta *cap. Cum ſuper de offic. deleg.* Quare cum privilegium distantiæ cannarum sit ob publicam utilitatem, & in favorem Ecclesiæ, ne scilicet una Ecclesia a nova Ecclesia erecta præjudicium patiatur, & ut ejus ministri commodè, & cum decore subsistentari possint, ut constat ex dicta Constitutione Urbani, non poterit validè ipsi renunciari, tamquam habenti implicitum jus tertii, & publicam utilitatem.

12 Unde renuncians huic privilegio, aut alii privilegio Ecclesiæ, aut cui sit immissum jus Superioris, potest puniri, ut in specie notat Donat. *in prax. rer. Regular. par.* 1. *tract.* 12. *quæst.* 4. *n.* 7. Quia licèt possit quisque renunciare proprio juri, ac privilegio, juxta *cap. de terra, de privil.* Quando tamen implicat jus Ecclesiæ, aut Superioris non potest ipsi renunciari, juxta *d. cap. Cum tempore de arbitr.* & tradunt Abbas, Innocentius, & alii apud Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 3. Quare cum renuncians hujusmodi privilegiis faciat contra prohibitionem, meretur puniri.

Non obstant, quæ in contrarium adduxi. Nam Abbas 13
ille, de quo *in d. cap. Cum tempore*, non renunciaverat alicui privilegio, sed tantùm compromiserat differentias in arbitrum, qui cum pronunciasset, quod renunciaret privilegiis libertatis, & exemptionis, Abbas noluit stare arbitrio, sed recurrit ad Apostolicam Sedem, & Pontifex approbavit arbitrium pro parte, & pro parte reprobavit, quatenùs scilicet continebat renunciationem privilegiorum. Et licèt actus sit; nullus, adhuc tamen est prohibitus, ac proindè violat jus prohibens. Porrò actus nulli solent puniri, ut constat in alienatione rerum Ecclesiæ absque consensu Apostolico, quæ est nulla, & tamen ipsi imponuntur pœnæ in Paulina *Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.* contentæ.

CONSULTATIO VI.

IN quadam Ecclesia ad præscriptum S. Concilii Tri- 1
dentini *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* extant plures dignitates, ac præbendæ Sacerdotales, Diaconales, & Subdiaconales inter se distinctæ hunc in modum. Archipresbyteratus dignitas prima Sacerdotalis. Præpositura dignitas secunda Sacerdotalis. Archidiaconatus dignitas tertia Diaconalis. Primiceriatus dignitas quarta Sacerdotalis. Quoniam autem Archidiaconus in præsens est etiam Sacerdos, & in ejusdem Ecclesiæ statuto, juramento firmato, disponitur, quod functiones Pontificales in Vesperis, & Missa magna aliquarum festivitatum exerceantur per Capitulares habentes dignitates, & præbendas Sacerdotales; ideò quæritur: *An spectet ad Archidiaconum, qui est tertia dignitas Diaconalis hujusmodi munia exercere in absentia primæ, & secundæ dignitatis, an verò ad Primicerium, qui est quarta dignitas Sacerdotalis?*

Spectare ad Archidiaconum ex regula illa, quod in 2
functionibus Ecclesiasticis inter dignitates, & inter Canonicos proceditur gradatim, ut nimirùm, prima impedita, succedat sequens, adeò quod in præjudicium sequentis, nec possint alii deputari pro libidine illius, ad quem deputatio spectat, ne aliàs prærogativæ confundantur, firmat Barbos. *de jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 11. & *de Can. cap.* 5. *num.* 47. Quòd semper fuisse servatum a S. Rituum Congregatione in resolutionibus per eum congestis, *eod. cap.* 5. *num.* 43. & *de dignit.* & *Canonicis*, qui tenentur, & non possunt per se munia subire, asserit *cap.* 31. *n.* 7. & anteà tradiderat Garz. *de benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 496.

Hinc est, quod etiam in materia odiosa id servatur. 3
Cessante enim prima, subintrat secunda gradatim. Ita ad effectus reservationis regulæ quartæ, quod si prima impediatur cadere sub illa, succedit secunda, & successivè aliæ, juxta *decis. in Verunden. Decanatus* 9. *Martii* 1580. *coram Lancellot. apud Garz. eod. loc. p.* 5. *cap.* 1. *num.* 270. & Lotter. *de re benef. lib.* 7. *q.* 33. *n.* 43. censuit Rot. *dec.* 99. *num.* 24. *par.* 10. *rec.*

Et in puncto, quod ad Archidiaconum secundam di- 4
gnitatem, quando Archipresbyter est impeditus, spectet munus celebrandi Missas solemnes, non autem ad Primicerium tertiam dignitatem, licèt aliquando iste celebraverit, absente Archidiacono, resolutum esse, testatur Barbos. *in collect. Apost. dec. coll.* 40. *n.* 24.

Non obstat, quod dignitas Archidiaconatus non sit 5
de sui natura Sacerdotalis, seu Diaconalis, quæ regulariter debet cedere aliis dignitatibus, quæ sunt Sacerdotales in actibus concernentibus Ordinem. Quia prærogativa adhuc illi debetur, si actus sit Sacerdos. Tunc enim cæteris in Ordine dicitur par, & prævalet qualitas dignitatis, quæ aliàs superat juxta resolutiones relatas a Barbos. *de Canon. d. c.* 5. *num.* 42. *in fin.* & *d. collect.* 40. *num.* 20. & 22. ex doctrina Hostiensis *in cap.* 1. *num.* 5. *de offic. Archipr.* de quo Bero. *conſ.* 22. *num.* 31. & *seqq. lib.* 1. inferens ex hac eadem ratione præcedentiam Vicarii Episcopi, qui sit Presbyter. Idque comprobat Rota *in Viterbien. celebrationis Missarum coram Sacrato*, transcripta per eundem Barbosam *d. cap.* 5. *num.* 44. & *repetita p.* 3. *rec. num.* 244. quam notabilem, ac pulchram in hac materia appellat Rubeus *in suis singul. p.* 4. *tit. de præcedentia Prothon. post num.* 100. eamque sequitur Add. ad Greg. *dec.* 411. *num* 5. Lotther. *ibid. lib.* 1. *q.* 16. *num.* 115. & his posteriores quamplurimi.

6 Ac licet jam dicta loquantur inter Archidiaconum, & Archipresbyterum, magis tamen urgent in casu præsenti contra Primicerium, aliaque dignitates, quæ non possunt cum Archidiacono competere, quia sunt inferiores etiam ex statuto, & consuetudine Ecclesiæ, quæ attendenda est, Germon. *de indult. §. etiamsi sæcularia n.* 23. Nam Archipresbyter est illo major in Ordine, ut probant proximè allegati, & plenius Gratian. *discept.* 111. *n.* 80. ac Ricc. *in prax. part.* 1. *resol.* 556. *in fin.*

7 Accedit, quod de jure omnes dignitates, præter Archidiaconatum, & Archipresbyteratum, non sonant in dignitatem, sed sunt nomina officii, Aret. *cons.* 123. *nu.* 4. Germon. *ubi supra n.* 19. *& seqq.* Rot. *d. dec.* 99. *n.* 2. *& 3. p.* 10. *rec.*

8 Ideò subintrat regula, quod potentius est jus prælationis Archidiaconi, tanquam inhærens jure proprio, juxta *dec.* 326. *p.* 2. *div.* & contra dignitates axioma, *l. de except. ff. de diversis temp. præscript. l. æquissimum, ff. ad Tertull.* Quod si Archidiaconus vincit Archipresbyterum, multò magis illas, quæ ab illo vincuntur. In materia verò præeminentiarum, non sapit honestatem, quod minor præcedat majorem, ut sapientissimè statuit, *dec.* 4. *n.* 43. Eminentissimus etiam doctrina Cardinalis Otthobonus S. D. N. Clementis IX. Datarius, ætate, ac rerum experientia tantæ moli par, bis magnus, munificentia, dignitate, ut munere pluribus possit & prodesse.

9 Nec facit, si aliquando inferiores dignitates celebraverint. Quia cum celebratio consistat in arbitrio Archidiaconi, nec ad illam aliqua necessitate adstringatur, ut ex resolutionibus S. Congregationis, de quibus Barbos. *Summ. Apost. dec. dict. collect.* 40. *n.* 20. *in fin.* Rot. *d. dec.* 244. *sub n.* 5. materia remanet merè facultativa, in qua non datur usus, nec contrarius usus, nec firmatur status, nec præscriptio sine prohibitione, & acquiescentia, nec usus præjudicat alteri successori, minùs quando rationabilis causa non concurrit, sed in præsenti repugnaret ad præcedentiam inferiorum, ut benè hac *in re decisio Rotæ* 254. *nu.* 19. *cum seqq. par.* 10. *rec.*

10 Verùm spectare ad Primicerium resolvendum censeo. Siquidem generalis est regula, qua firmatur, distinctionem Ordinum in hac materia potissimum esse attendendam, ex *l.* 1. *&* 2. *C. ut dignit. Ord. serv. lib.* 12. Quod stabilivit etiam Rot. coram Merlino *dec.* 639. *n.* 19. & sæpè alibi, atque habetur expressè *in cap. statuimus de major. & obed.* ad quem locum Doctores omnes suffragantur.

11 Cum igitur Archidiaconus habeat dignitatem, ac præbendam diaconalem a statuto Ecclesiæ distinctam, & determinatam, non potest, nec debet exercere munia, quæ spectant ad dignitatem, ac præbendam sacerdotalem, eò vel maximè, quod a speciali statuto præcisè disponitur, quod ejusmodi functiones exerceantur per turnum a Dignitatibus, & Canonicis, habentibus præbendas sacerdotales. Dignitas enim Archidiaconalis in hac Ecclesia ex dicto statuto non est instituta ad hæc munia obeunda, cum non requirat ex sui institutione sacerdotium. Quod si deindè illud suscipiat, non idcircò potest exercere ea, quæ sunt ordinata Dignitatibus, & Canonicis, habentibus præbendas sacerdotales. Quia qualitas superaddita non est habenda in consideratione in ordine ad has functiones, in quibus attenditur dignitas, cui inest talis ordo assignatus a statuto, & non persona.

12 Neque enim est inconveniens, quod una, & eadem persona, ob varios respectus diverso jure censeatur, cum hoc sit concedendum ratione duplicis juris, quod unus, & idem habet, itaut in uno casu possit esse major, & dignior, & in alio minor, & minus dignus, *l. miles, §. Pro parte, ff. de leg.* 2. Gloss. *in c. Quæritur, verf. Non æquamus* 2. *qu.* 6. Dec. *in cap. sane de offic. Deleg.* Iraq. *de nobil. cap.* 10. *num.* 11. *& cap.* 28. *num.* 15. Menoch. *cons.* 902. *num.* 71. *& seqq.* Add. ad Greg. XV. *dec.* 142. *in fin.* ubi concordat opiniones contrarias, & concludit, non esse incongruum etiam minus dignum in hoc casu præferri in his functionibus digniori, juxta *cap. cum olim num.* 1. *de consecr.* ubi Bald. firmatque Rot. *in Seguntina præcedentiæ* 13. *Junii* 1609. *coram Pamphilio*. Ita quidem Archidiaconus, qui ratione administrationis Archipresbytero præfertur, ratione tamen divinorum postponitur, *cap.* 1. *& cap. Officium de offic. Archid. & Archipr.* ubi communiter Doctores, traditque Navar. *cons.* 636. *n.* 1. Menoch. *cons.* 51. *num.* 56. Purpur. *in l.* 1. *num.* 199. *ff. de offic. ejus*, Contelor. *de præced. n.* 63.

13 Et propterea quemadmodum functiones, quæ ad Ordinem Diaconalem jam statutum, attinent esset absurdum, quod exerceantur a Primicerio, cum non sint sui Ordinis injuncti, ita quoque esset absurdum, quod Archidiaconus se ingerat in illis officiis, ac functionibus, quæ spectant ex statuto ad Ordinem sacerdotalem; atque adeò non potest, neque debet prorogare sua munia, quæ exercet in Ordine diaconali ad munia sacerdotalia, quia hæc materia non admittit extensionem, cum sit odiosa, Rota *in Assen. sedis* 27. *Februarii* 1598. *coram Gypsio*. Quam praxim ipsa Ecclesia Romana in Eminentiss. Cardinalibus observat. Ille enim, qui Diaconus est, tantùm exercet, quæ sui, & non alterius sunt Ordinis, licèt aliàs Diaconi sint charactere non solùm sacerdotali, verùm etiam Episcopali insigniti.

Et sanè, si attendamus rationem naturalem, quæ 14
prout dicit Bartolus, ac Baldus, est tanquam lex muta, quæ loquitur in cordibus nostris, certè non potest excogitari alius finis distinctionis in qualitate obtinentium Dignitates, & Canonicatus, ut aliæ sint Presbyterales, aliæ Diaconales, & Subdiaconales, nisi ut in solemnibus celebratio per integrum corpus obtinentium distinctos Ordines adimpleatur; ita ut habens annexum Ordinem Presbyteralem, officium Presbyteri, habens verò annexum Ordinem Diaconalem, officium Diaconi adimpleat. Ad quid enim ejusmodi Ordinum, ac Præbendarum distinctio tantoperè a Sacro Concilio Tridentino commendata? Inutilis quippè esset, si omnes Dignitates, ac Canonici quoad actus positivos solemnioris celebrationis uniformiter se gererent, cum non daretur actus exercendi distinctum officium ab ipso Ordine, Dignitati annexo promanans. (Unde in hoc casu obesse non 15
potest dispositio Cæremonialis, & Pontificalis, quæ mandat, quod munia sacerdotalia persolvantur a digniori ex Capitulo. Quia præfata dispositio non tradit ritum, & formam illis Cathedralibus, aliisque Ecclesiis, quæ habent proprios ritus, & statuta. Regulare enim est, quod lex, & Constitutio generalis cessat in iis locis, ubi vigent propria statuta, *l. fin. C. de testam.* Doctores *in l. de quibus, ff. de leg.* Gabr. *cons.* 29. *n.* 47. *lib.* 2. Grat. *discept.* 9. *num.* 14. Et in terminis statutorum Capituli, quod debeant ad unguem servari, nec licere recedi ab illorum expressa dispositione firmavit Rot. *dec.* 317. *n.* 1. *p.* 10. *rec.*)

Neque refert, Archidiaconum præcedere Primicerium. 15
Quia non præcedit ratione Ordinis, sed ratione Dignitatis, sicut Cardinales præcedunt Episcopis, qui ratione Ordinis sunt majores Cardinalibus, licet isti digniores sint ratione dignitatis; & cùm hic agatur de materia ratione Ordinis, & non dignitatis ac præcedentiæ, ideo hujusmodi functiones tantum ad Primicerium, & habentibus Dignitates, & præbendas Sacerdotales pertinent. Ac proinde non est dehonestatio, sed summa honestas, ac decor, quod in exercitio harum functionum præferatur major in Ordine, ut requirit statutum.

Minus obstat, quod per ejusmodi statutum videatur 16
tolli jus commune, in quo videtur disponi, Archidiaconum, dummodò sit sacerdos, præferendum esse, etiam in his functionibus, cæteris Dignitatibus, ut nominatim docuit Host. *in d. c.* 1. *sub num.* 5. *de offic. Archipr.* Bero. *consil.* 22. passimque alii, & tenuit Rota *in d. Viterbien. celebrationis Missarum*, ac sæpè etiam censuit S. Rituum Congregatio.

Primò, quia statutum contra aliquem specialiter con- 17
ditum tenet in ejus præjudicium. Angel. Felin. & alii apud Seraph. *decis.* 707. Deinde ejusmodi statutum non tollit jus commune dum mandat in materia, & exercitio hujusmodi functionum, ut stetur consuetudini hujus Ecclesiæ. Jus enim commune idem disponit. Atque licet absente Episcopo, celebratio Missarum, & hujus generalis alia spectent de jure ad Archidiaconum, quando est Sacerdos, tamen id non procedit stante dispositione statutaria in contrarium, vel legitima consuetudine Ecclesiarum, ut limitat idem Hostien. *loc. alleg.* Alex. *cons.* 142. *lib.* 6. Ruin. *cons.* 156. *nu.* 4. *lib.* 4. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 16. *num.* 155. Et declaravit S. Rituum Congregatio in una *Juvenacen.* apud Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *c.* 42. *num.* 43. Quæ consuetudo, vel dispositio super hoc præservatur etiam in Cæremoniali Romano *lib.* 2. *c.* 17. quod facit jus commune, ut firmavit Rota *dec.* 701. *n.* 2. *p.* 4. *rec. tom.* 3.

Ad consuetudinem verò in contrarium objectam res- 18
pondetur, quod ex verbis ejusdem statuti constat de consuetudine præscripta ab immemorabili ad favorem Dignitatum habentium præbendas sacerdotales; quæ verba cùm sint statutaria præcisè, ac propriè sunt intelligenda. Rot. coram Orano *in Asculana bonorum* 17. Junii 1591. Nec ab eis ullo unquam modo est recedendum, Glos. & Doctores *in auth. quas actiones, C. de sacros. Eccles.* Rot. *in Calaguritana juris votandi* 27. Febr. 1595. coram Orano. Neque admittunt aliam interpretationem, eo magis, quia talis interpretatio ab eodem statuto repellitur, ac præcipitur, quod ejusmodi verba intelli-

intelligantur simpliciter, putè prout jacent ad litteram. Cùmque sint conformia Sacr. Concilio Trid. *d. sess. 24. cap. 12. de reform.* sunt omninò servanda, maximè cùm sint jurata; Rot. *in Gadicen. statutorum* 18. Januarii 1581. coram Seraph.

19 Sed concedamus, quod consuetudo in hujusmodi functionibus attendatur, id tamen speciatim fallit, quando consuetudo est contra jus publicum, qualis esset, si Dignitas Diaconalis exerceret ea, quæ sunt Dignitatis Sacerdotalis, ut latè ac rectè Dec. *cons.* 21. *n.* 4. & *seqq.* per text. *in cap. est ordo qu.* 5. Abb. *cons.* 21. *num.* 4. & 5. Præsertim cùm sancitum sit, non solum à jure communi, sed etiam statutario, ne hujusmodi consuetudo attendatur, constituta Dignitatum, ac præbendarum distinctione in Sacerdotales, Diaconales, & Subdiaconales, ut opportunè ad rem notat Abb. *in d. c. statuimus.*

20 Nec est in dubium revocandum, an Primiceriatus in hac Ecclesia sit Dignitas. Cùm quicquid sit de jure communi, de quo alii aliter sentiunt, certum est tam ex statuto hujus Ecclesiæ, quàm ex consuetudine, esse Dignitatem. Generaliter enim Dignitates dicuntur, quæ in ea Ecclesia pro talibus habentur juxta sententiam Sacræ Congregationis Concilii, approbatam a Summo Pontifice die 17. Augusti 1596.

21 Ad extremum authoritates, decreta, & decisiones Rotales, ac rationes, omniaque pro contraria sententia deducta non urgent. Licèt enim verbo destrui possint, scilicet, quod quando munus ex statuto Ecclesiæ speciatim reperitur demandatum Dignitatibus Sacerdotalibus, prout in præsenti, tunc ex regulis juris non potest spectare ad Archidiaconum, qui ex statuto est dignitas Diaconalis. Ac proinde ea tantummodo locum habent in casu simplici, non in casu nostro, in quo pro parte Primicerii adducitur lex statutaria ad præscriptum Sacr. Conc. Trid. de distinctione præbendarum, deque Ordine illis annexo, atque adeò tamquam in casu diverso non possunt applicari.

22 Nihilominùs singillatim respondetur. Declarationem *in Juvenacen.* die 17. Novembris 1607. eadem S. Rituum Congregatio revocavit die 9. Maii 1609. quia attentis Constitutionibus præfatæ Ecclesiæ, eadem Congregatio censuit, Archipresbytero secundæ dignitati, & non Archidiacono, licèt primæ dignitati, competere exercitium Ordinis Presbyteralis, dictumque Archipresbyterum ad exercendas functiones Sacerdotales admittendum jussit, quibuscumque non obstantibus. Illam quoque *S. Agathæ Gothorum* die 22. Martii 1602. pariter revocavit, & die 8. Julii ejusdem anni dixit, Decanum ex noviter deductis manutenendum esse in exercitio Ordinis, & functionum Presbyteralium. Ita in Regesto Sacr. Congregationis. In illa verò *Capuana* die 28. Aprilis 1607. casus est diversus, quia in illa Ecclesia præbendæ non sunt distinctæ, & ideò Archidiaconus, qui habet secundam dignitatem, quando est charactere Sacerdotali insignitus, præfertur Primicerio in functionibus presbyteralibus. Quibus addo declarationem ejusdem Sacr. Congreg. in Lauden. die 18. Septembris 1666. quæ est hujusmodi: *Relata in Sacr. Congregatione controversia orta in Ecclesia Cathedrali Lauden. inter Archidiaconum secundam dignitatem ex una, & Archipresbyterum tertiam ex altera, quisnam eorum, absente, vel impedito Præposito prima dignitate, debeat exercere functionem obeundi Serenissimæ Imperatrici pluviali indutus occasione sui transitus Archidiaconus ne Sacerdos, & secunda dignitas, vel potius Archipresbyter tertia dignitas. Eadem Sacr. Congregatio declaravit spectare dictam functionem ad Archipresbyterum, attento quod Archidiacono obstat statutum dictæ Ecclesiæ Cathedralis, & ita servari mandavit. Et die 21. Julii 1668. in eadem Lauden. censuit functiones omnes Sacerdotales spectare ad Archipresbyterum licet tertiam dignitatem, non verò ad Archidiaconum quamvis actu Sacerdotem, cùm ita disponatur in statuto illius Ecclesiæ, quod est observandum.*

CONSULTATIO VII.

An Episcopus præcedere debeat quoscumque etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, & diœcesi?

1 Affirmativè omninò respondemus. Quippè decet in omni ordinata Republica, & politia distinctionem personarum ad instar cœlestis Hierarchiæ, & corporis humani, in quo multa sunt membra, licèt non eundem actum habeant. Et quemadmodum homo anima, & corpore constat; ita quoque duo principia sunt, quibus secundùm naturam dirigitur, & in suos fines deducitur. Potestas politica, quam ad corporum salutem, pacem, ac vitæ honestatem naturalem Deus esse voluit, & potestas spiritualis, quæ ad divina, & supernaturalia animum attollit. Quamobrem Episcopum debere præcedere quoscumque etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, & diœcesi certi juris est, ex notat. *in c. 1. de præb.* & per Felin. *in rubr. de major. & obed.* Abb. *in c. cum Vintonienſis de elect.* & in *c. Venerabilis de præb.* & *in c. Dilectus de concess. præb.* Jas. *in l. Imperium, ff. de jurisd. omn. Jud.* & decernit Sacr. Concil. Trident. *sess. 25. cap. 17. de ref.* ubi graviter dolet, audiens Episcopos aliquos sui status oblitos Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum ministris, & Regulis, & Baronibus in Ecclesiis, & extra indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc, & similia detestans S. Synodus, Sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque alias Apostolicas sanctiones, scilicet *c. Valentinianus 93. d. c. Episcopus in Ecclesiis 95. dist. c. Quis dubitet, cap. duo sunt cum seqq. 93. dist.* & *cap. solitæ de major.* & *obed.* ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pertinentes, renovando præcipit, ut ab hujusmodi in posterum Episcopi se abstineant, mandans eisdem, ut tam in Ecclesiis, quàm foris suum gradum, & Ordinem præ oculis habentes, ubique se Patres, & Pastores esse meminerint, reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia prosequantur. Atque adeo dum est in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere *d. c. Episcopus 2. d. 95.* & docet Bald. *in addit. ad Specul. tit. de jurisd. omn. Jud.* & in l. *Nullus, qui nexu, C. de Decur. lib. 16.* & in *l. Ad similitudinem, C. de Episc.* & *Cler.* tenetque Jas. *in l. 1. col. 4. ff. de offic. ejus cui mand.* ibique Purpuratus. Nam dicitur Summus Pontifex. Textus *in c. Si officia,* & in *c. Qui Ecclesiasticis 39. d.* & *c. Episcopus 18. d.* Quod latè, ac eleganter prosequitur Bertach. *de Episcop. lib. 1. sub princ.* & *lib. 4. p. 1.* Imò vocatur Sereniſſimus. *Clem. In plerisque de elect.* Item Comes, Marchio, Dux, atque Rex, ut scitè notavit Specul. *tit. de rescript. præsenti, §. fin.* Quare, licet in Ecclesia sint multi ordines, ac dignitates, tamen Papa se appellat Episcopum, quia in Ecclesia nullus est major ordo Episcopali, ut graviter juxta, ac verè dixit Glos. *in proœm. ad 6. v. Episcopus,* & in *cap. quamquam 2. qu. 7.*

Potestas porrò spiritualis absolutè dignior est, & præ- 2
stantior civili. Est enim architectionica, cui subordinata est civilis, cùm finis sacræ potestatis sit multo præstantior. Quocirca & Christus Rex filiæ Sion, Rex mansuetus eam semper, politicam vix unquam exercuit. Hæc autem prærogativa multiplex est. Prima, quod inter Deum, & populum medius constituitur. Hinc etiam magis Numine, quàm sua potentia tutus est Sacerdos. Quæ auctoritas munita est longè Dei sanctissima Deuter. *cap. 17.* Hinc etiam ad Gentium impios Sacerdotes, & idolatras potestatem superstitio derivavit. Legito Strabonem *Geograph. lib. 17.* & Ælianum *lib. 14. cap. 34. var. hist.* Itaque & Romani in jus Sacerdotii multa contulerunt, nempè fœderum, bellorum, pacisque rationem ab hisce petebant.

Altera est in exemptione a legibus, & oneribus civilibus, quæ partim divino, partim jure humano concessa est. De qua totus titulus 3. *lib. 1. de Episcop.* & *Cler.* Doctores, & nos passim.

Tertia prærogativa est, quod in rebus Ecclesiasticis 3
nullum jus est Imperatoris, aut Principis. *Sic* & *Ozias Rex,* inquit Cypr. lib. de unit. Eccl. *cum thuribulum ferens,* & *contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria Sacerdote, obtemperare nolet,* & *credere divina indignatione confusus,* & *lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus offenso Domino, ubi signantur, qui Dominum promerentur. Et filii Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt.*

Itaque in Synodo Romana 3. sub Symmacho decre- 4
tum, ne se Reges rebus sacris miscerent, *d. 96. cap. 1.* Ita & in Chalcedonensi Synodo Martianus non Judex interesse, sed ad tuenda decreta voluit, ad confirmandam fidem, non ostendendam potentiam exemplo religiosissimi Principis Constantini interesse voluimus, ait. Denique de rebus divinis se judicare negat *c. 5.* Nec minus Theodosius cum ad Synodum Ephesinam Candidianum Comitem domesticum mitteret, vetuit cum Ecclesiasticis miscerì tractatibus. Hinc Constantinus Magnus cùm ad eum Donatistæ appellassent, eos ad Melchiadem rejecit. Valentinianus etiam cùm Hypatianus Heracleæ Episcopus eum de loco Concilii consuleret, respondit, non licere sibi negotiis Ecclesiasticis immiscere,

ipsi.

ipsi, ubi libitum sit, conveniant. Socrat. *lib.* 4. *c.* 3. Verùm de his aliàs pluribus.

5 Nunc ad differentiam Imperii, & Sacerdotii dicenda ista fuerunt, quam differentiam tantam esse Ambr. *c.* 2. *de dignit. Sacerd.* refert, *quod aurum in metallis id Sacerdotium fore, si ad regnum compares*. Et Nazianz. *Nos quoque imperium gerere, & præstantius; nisi verò æquum est spiritum carnis fascibus submittere*. Eadem habet Chrysostomus *in Isai. homil.* 4. & 5.

6 Verè itaque has duas potestates dispescuit Gelasius cùm scriberet Anastasio Imperatori d. 9. c. 10. *Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto gravius pondus est Sacerdotum, quantum etiam pro ipsis Regibus hominum in divino, sunt reddituri examine rationem*. Quæ Gregor. Septimus pro veritatis confirmatione adducit.

Princeps igitur quantuslibet maximus debet Episcopo præbere honorem, eique juxta se venerabilem sedem assignare, & sic ad dexteram per textum *in c. solitæ de major. & obed.* ubi Panorm. & Joan. Andr. quibus concinit Corset. *de potest. reg. qu.* 57. & Laudens. *de dign. v.* 10. Quandoquidem, ut Marcellus Maxentio dixit: *Boni Principis est, ac religiosi Ecclesias contritas, atque conscissas restaurare, novas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare atque tueri. Unde Sanctos Apostolos, eorumque successores sub divina testatione constituisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro Dominico, neque expellere æterni Regis dispensatores*. Nec in eo honore facilis est excessus, cùm in ministro suo Deus honoretur.

7 Præferendum autem Principatum spiritualem sæculari, & dignitatibus Principum laicorum firmatur non solum ex *d. c. solitæ, c. omnes Principes de major. & obed.* apud Gregorium, & per Bonifacium *in extr. Unam sanctam eod. tit.* verùm etiam habetur ex eo, quod jussum a Deo sit obedire sacerdotibus. Quòd Samuel unxerit Saulem primum Regem. Quòd decimas filii sæculi solvant Levitis, ab illisque benedicantur. Quòd anima sit pretiosior corpore, spiritualia corporalibus. Quòd una sit Ecclesia, in qua & Principes sæculares sunt, unum caput summus Pontifex, una arca, unum Principium, ad quod omnia ordinantur. Quòd lex Christi sacerdotali potestati tribunalia Principum subjecit, deditque Principatum Ecclesiæ multò perfectiorem Principatibus sæcularibus, ne cedat spiritus carni, ne a terrestribus cœlestia superentur, & divina ab humanis. Quòd Imperator, Reges, Principes filii sint sacerdotum Christi, unde colligitur illis obedire, non dominari debere, *c. suscipitis* 10. *d. c. quis dubitet 96. d. c. Duo sunt, c. sicut ead.* ac alibi.

Quòd quidem confirmatur ex S. Scripturæ testimo-
8 niis, quæ in hanc rem plurima suppeterent, quæque mitto in præsentia, ne videar in re perspicua operam ludere, uno tamen aut altero contentus. Eccles. 7. *Honora Deum ex tota anima tua, & sacerdotes illius honorifica*. De sacerdotibus, ait Dominus Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit*. Divinè D. Petrus ep. 1. *Vos estis genus electum regale sacerdotium*. Cùm autem Christus sacerdotium transtulit, etiam regnum addidit. Non enim abstulit dominatum politicum, sed tamen voluit esse spiritali potestati subjectum. Qua quidem ratione hæc plusquam regia dici potest. Verè Ignatius *Epist.* 10. Si enim jure censebitur pœna dignus qui adversus Regem insurgit, ut qui violet bonas legum Constitutiones; quantò putatis graviori subjacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium honorum ac bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.

9 Et profecto, ut cætera taceam, quis dubitat, Pontificalem dignitatem principium sumpsisse ab ipso naturali jure? Quo, ut inquit Philosophus *in polit.* homines inclinantur ad sacrificia, quæ nonnisi per Pontifices, & Sacerdotes etiam ipsa antiquitas instituenda, celebrandaque duxit. Ipsa quippe Gentilitas naturali jure innitens hanc Pontificum & sacerdotum summam super omnes mortales dignitatem, ac excellentiam nedum instituit, sed humili ac devota observatione professa est. Apud Gentiles enim, ut refert Plutarchus & Policrates eos, qui religionis cultui præerant, quos Pontifices appellabant, quasi typum animæ in corpore humano tenentes, super omnes mortales venerabantur, eique subjiciebantur. Sicut itaque anima totius corporis habet principatum, cunctaque membra vegetat, eique obsequuntur, & illorum gerit Principatum, ita Pontifices, quos ipse Plutarchus etiam Præfectos divino cultui vocat, toti corporis communitati præsint, oportet. Quare Augustus Cæsar Pontificibus eousque subjectus fuit, donec & ipse, ne cui mortalium subesset, Vestalis creatus est Pontifex. Decens namque visum fuit, eum qui totius Imperii possessionem adeptus esset, ipsam quoque supremam divinarum rerum auctoritatem, quæ hoc sacerdotio comprehendebatur, habere. Ideòque post Augustum omnes Romani Principes, qui sub Imperatoris nomine rei Romanæ præfuerunt, Pontificatum vel susceperunt, vel se Pontifices appellari passi sunt, ut Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, & Gratianus Augustus, qui Christianæ Religioni addicti, quamquam a Pontificis munere abhorrerent, id tamen elogiis suis adscriptum non aspernati sunt, donec primus omnium Gratianus Imperator edicto proposito, ut Zosimus docet, se Pontificem appellari vetuit, atque ita ea sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit.

Nec in ipsa veteri lege, in qua hic eminentissimus 10
ordo inchoatus est, nec in nova, in qua plenius est confirmatus dispar unquam fuit. Nam Sancti Doctores sacrificium, & per consequens sacerdotium ab Abel, & Cain incepisse ajunt, qui primò sacrificarunt Deo. Unde creditur Adam in spiritu, & jussu Domini docuisse filios Deo sacrificare, ac proinde asserunt Ordinem sacerdotii tunc primo incepisse. Putamus autem utrumque rectè stare posse. Quoniam ante legem sacerdotium & sacrificium incepit ab Adam, ejusque filiis, nimirùm implicitè, & sub quadam figura; sub lege verò explicitè, & expresè jussu Domini i cepit ab Aaron, qui primus, jubente Domino, victimas obtulit, ut inquit Isidorus, etsi aliis a Melchisedech incepisse placeat. Ex hac autem temporis primitate, & diuturnitate, ac instituentis excellentia Pontificalis status sanctitas atque sublimitas comprobatur.

Immo & ex hoc agnoscitur, quod sublimiori nomi- 11
ne, quam excogitari potest in sacra Scriptura, Episcopi & sacerdotes nominantur. Appellantur enim Dii in Exod. Ideò qui typum tenent cœlestis Hierarchiæ, in sortem Dei electi sunt, & ipse fons illorum est, ac proinde a cunctis sæculi Principibus, & Christianæ fidei cultoribus *Patres & magistri* appellantur. Differtè Gregorius ad Hermanum Metensem Episcopum *lib.* 8. *epist.* 21. quæ refertur *in c. Quis dubitet d.* 96. inquit: *Quis dubitet Ecclesiastici Ordinis viros venerandos fore, quos Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres & Magistros censeri compertum est?* Et mox infert: *Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur si filius Patrem, discipulus Magistrum non honoret, sibique conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credit non solum in terra, sed in cœlis se ligari posse, & solvi?* Et iterum luculenter: *Honor & sublimitas nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati longè inferius erit, quàm si plumbi metallum, & auri fulgorem compares. Quippe cum viderimus Regum colla & Principum submitti genibus sacerdotum, & osculata eorum dextera, orationibus eorum credunt se communiri.*

In eadem sententia longus est D. Ambrosius *in suo* 12
Pastore. Nec dissentit Chrysostomus, aliique Patres, præsertim Augustinus, qui potenter, ut omnia, Sacerdotum sublimitatem & sanctimoniam ita expressit ad Mauritium. *Sacerdotibus & Levitis Ecclesiæ non ex terrena potestate Dominus noster, sed excellenti potentia propter eum, cujus servi sunt, ita dominatur, ut debitam eis cunctis reverentiam impendunt*. Et subdit: *Nam in divinis eloquiis Ecclesiastici Ordinis Clerici, & sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur*. Quid ergo mirum si Principes, si cuncti fideles eos honorent, quibus in suo eloquio honorem tribuens aut Angelos, aut Christos, aut Deos Deus ipse appellat? Ut proinde merito veri Catholici de procaci, immò de Antichristiana quorundam hujus ævi Christianorum Principum ac Magistratuum arrogantia hac in parte expostularint. Jus verò sacrum Ecclesiarum multi alii, tum verò egregiè defendit Gregorius Tolosan. *lib.* 15. *de Repul. cap.* 1. §. 11.

Hinc Constantinus in hoc verè Magnus Imperator, 13
congregatis contra Arium Niceæ Episcopis, curavit loco amplissimo sedes unicuique pro dignitate collocari, ipse verò postremus resedit sede multo humiliori, Episcopis etiam jubentibus, ut accederet. *Hist. tripart. lib.* 2. *c.* 5. Et Martino Imperator non modo assurrexit, sed etiam servivit. Hinc manavit, quod Episcopis & Clero Mediolanensi dixit Imperator Valentinianus ut in Antistitem eligerent eum, cui ipse volens ac lubens caput submitteret, & debita veneratione prosequeretur. *Tripart. lib.* 7. *cap.* 5. *d.* 6. Hinc quoque Theodosius Ambrosium tantoperè reveritus est, quod Constantinopoli intra Cancellos, limenque sacrum, in quo resi-

debant

bant sacerdotes, noluit consistere, licet illum Patriarcha Nectarius invitaret. Ex hac etiam opinione nata est reprehensio, qua Honorius, Theodosii filius, fratrem suum Archadium perstrinxit, quod ejus concessu D. Joannes Chrysostomus a sede sua fuisset ejectus. Baron. *tom. 5. an.* 407. Hinc præterea orta est obedientia, quàm Leoni Pontifici tremens exhibuit Attila, barbarus, ac immanis Rex, quando cum suis victricibus copiis pedem retulit. Paul. Diacon. *de gest. Roman. l.* 15. Hinc profluxit reverentia, qua Imperator Justinus major Joannem Pontificem Maximum Constantinopoli excepit, & ad ejus pedes se abjecit. Hinc honor ac veneratio, qua Pontificem Maximum, tanquam Christi Domini Vicarium omnes Christiani Reges, Imperatores, ac Principes hoc tempore prosequuntur. Hinc quod Martinus Cromerus narrat de Boleslao Rege *hist. pol. lib* 3. quem affirmat nullius rei graviores pœnas a suis exegisse, quàm neglectæ Religionis, & debitæ Sacerdotibus reverentiæ prætermissæ, quem etiam dicit stante coram se Episcopo nunquam sedisse. Hinc quoque, quod in legibus, seu partitis Hispaniæ hunc in modum scribitur: *Sacerdotes prout eorum dignitas, & ordo postulat honore magno afficere, atque observantia colere debent laici. Tum quoniam inter populum, ac Deum mediatores sunt. Tum quia dum illum honorem laici tribuunt, honorant Ecclesiam, cujus sunt ministri, & fidem Domini nostri Jesu Christi, unde Christiani nuncupantur*, part. 1. tit. 6. l. 62. Hinc etiam orti sunt honorifici, decorique tituli, quos Imperatores in suis legibus, & edictis Sacerdotibus, & Episcopis attribuunt, dum eos vocant Reverendissimos, Sanctissimos. Hinc privilegia, immunitates, exemptiones, quas iidem omnibus Ecclesiasticis personis concesserunt, quibus refertæ sunt leges Imperatoriæ, & cujusque Regni sanctiones, quas Principes custodire, & pietatem suam, atque religionem præseferre, ac testari debent, suoque exemplo suis subditis prælucere, atque hac ratione incitamento esse, ut honorem Sacerdotibus habeant, non tam propter ipsos, quàm Deum, cujus personam gerunt in terris.

14 Nam si & Alexander Magnus ut refert Joseph *lib.* 11. *antiqu. Jud. cap.* 8. & August. *lib.* 18. *de civit. cap.* 45. Hierosolymam tendens, ut eam funditus everteret, summum Sacerdotem, Pontificiis vestibus ornatum obviam sibi prodeuntem genibus complicatis adoravit, & Parmenioni, qui ex intimis erat familiarius percunctanti, cur tam humiliter homini se submisisset, respondit: Ego non hominem adoravi, sed Deum, cujus ille Sacerdotem agit, quantus Christi ministris honor a Christiano Principe tribuendus est, cum Ethnicus Rex agnoverit, coluerintque Deum in ejus Sacerdote, cum quo graves inimicias gerebat?

15 Atque hæc reverentia Episcopis, ac supremi Numinis administris, ita debita est, ut Imperator Julianus, etsi Christianæ fidei desertor, ac omnis veræ Religionis acerrimus oppugnator, cùm probè intelligeret Religionem suam, tametsi falsam, & à malo Dæmone profectam non posse diu consistere, nisi sanorum Antistites honore, reverentiaque afficerentur, epistolam scripserit ad Arsacium Pontificem Galatiæ, in qua decrevit, ut Præsidibus, & Gubernatoribus suis nemo Sacerdos obviam prodeat, nisi quando ad templa Deorum accedunt, idque intra fani vestibula, subditque rationem his verbis, columna dignis: *Nam simul, ut Præses ingreditur limen delubri, privati personam induit. Siquidem Sacerdos, ut nosti, iis, qui intus sunt, præest, propterea quod divina lex istud postulat.* Sozom. *lib.* 5. *cap.* 15. Et propterea Petrus Blesensis *ep.* 146. ad Summum Pontificem data, sic eum alloquitur: *Non Rex, non Imperator, aut Dux a jugo vestræ jurisdictionis exuitur. Crux Christi antecellit aquilas Imperatoris, & gladius Petrigladium Constantini, & Apostoli sedes præjudicat Imperatoris potestati.*

16 Ac proinde meritò S. Congregatio Episcoporum, & Regularium die 27. Januarii 1597. Archiepiscopo Januensi scripsit in hæc verba: *Non si dee dar la man dritta al Doge dentro la Chiesa, ne la Sedia del Doge dee esser d' eguale altezza con quella dell' Arcivescovo, la quale sia alta per tre gradi.* Quod pluries etiam S. Rituum Congregatio decrevit, & S. Congregatio Immunitatis confirmavit.

17 Itaque res ipsa naturali, divina, ecclesiastica, civili lege clara maneat, addaturque, dignitatem Episcopi sine Religionis concussu loco moveri non posse.

Non inficior tamen, quod prohibitio Dominorum temporalium erigendi baldachinum in Ecclesia, utpotè in corpore juris, vel in Conciliis, seu Apostolicis Constitutionibus non contenta, originem duxisse videtur a decreto S. Congregationis Episcoporum, & Regularium in una Bojanen. die 12. Januarii 1618. hujus tenoris: *In Ecclesiis nullus neque Dominus loci, præterquam Episcopus, baldachinum potest erigere, & Episcopus omnibus Sacrorum Canonum remediis hujusmodi baldachinum omnino removeri facere debet.* Cùm quo deinde S. Rituum Congregatio in similibus processit. Quare difficultas esse videtur quando, ac ubi hoc decretum obstet.

Ad id autem dignoscendum illud præmonendum est, 18
Principi sæculari tamquam primo, & præcellenti, utque differat a reliquo populo, cum esse dicatur in culmine dignitatis, debitam esse sedem in Ecclesia, immò thronum elevatum a parte tamen sinistra Episcopi, & extra presbyterium, ut non negat textus *in cap. solitæ de major. & obed.* ac per textum *in l. Deprecatio, ff. ad l. Rhod. de jact.* firmant Cassan. *in catal. glor. mund. part.* 5. *consid.* 32. Bellug *in specul. Princip. rubr.* 6. *in princ.* Altograd. *cons.* 1. *num.* 11. 32. 33. & 40. *lib.* 2.

Et licet hoc nomen Principis propriè non conveniat, 19
nisi ei, qui est ita supremus & absolutus, quod nullum superiorem agnoscat, nisi Deum, non autem investitis a Papa, Imperatore, vel Regibus, cùm tunc potiùs abusivè Princeps dicatur, quia recognoscit superiorem. Glos. Anchar. & alii *in Clem. unic. de baptism.* Frecc. *de subfeud. part.* 2. *tit. Quis dicatur Princeps num.* 4. & 5. Nihilominus in hac stricta, & præcisa significatione neque Principes feudatarii sub Principum nomine venire deberent, quia sunt feudatarii dignitatis, a Papa, vel ab Imperatore, aut a Rege investiti, eos recognoscentes in superiores; & tamen hoc assumptum a veritate aberrare videtur. Nam quamvis verè, ac propriè non dicatur Princeps, nisi Imperator, vel Rex omninò independens, attamen habentes etiam hanc dignitatem Principatus, licet subordinatam, in aliquibus tamen Principum beneficio gaudent. Mastrill. *de magistrat. l.* 4. *c.* 3. *n.* 25. Quia maximam dicuntur habere præeminentiam.

Sicut igitur habentibus feudum dignitatis a Papa, Im- 20
peratore, vel Rege cum aliqua majori jurisdictione, ut sunt superius recensiti, non dubitatur hanc throni præeminentiam esse debitam, & congruam; quinimmò eam fortè prætendent privativè ad Episcopum, cui thronum præsentes non permittunt; ita nulla juris repugnantia adest, eandem deberi etiam habentibus a Rege eandem dignitatem, sed cum aliqua majori subordinatione, quia magis, & minus non variat speciem dignitatis; cùm hæc dicatur dignitas præexcellens prima post Reges, & secunda Duces, Marchiones, & Comites, ut per Mastrill. *d. cap.* 3. *n.* 11. 29. & 31. aliosque ibi relatos.

Et quidem sicut Imperatori, vel Regi in proprio Re- 21
gno independenti conceditur elevatio throni cum baldachino, præsente ipso Summo Pontifice, juxta exemplum Concilii Ferrarien sis, relatum per Altograd. *dict. cons.* 1. *n.* 19. ita data proportione non videtur, quod repugnet, ut cum eadem convenienti prælatione Domino temporali habenti regalem dignitatem, quamvis Regi subordinato, concedatur eadem præeminentia cum Episcopo, qui est pariter superior Ecclesiasticus, Papæ subordinatus. Quoniam eadem comparatio Solis, & Lunæ, quæ datur per textum *in d. cap. solitæ* inter supremam potestatem Ecclesiasticam, exemplificatam in Papa, & supremam potestatem laicalem, exemplificatam in Imperatore, vel Rege in suo Regno, rectè intrat inter utramque subordinatam, cùm eadem sit ratio, seu proportio, præsertim ubi accedit consuetudo, per quam cessat ratio scandali.

Hinc propterea, cessante positiva resistentia juris, sa- 22
tis deferendum est moribus & consuetudini regionis, quæ in hac præsertim materia præeminentiarum præ omnibus attenditur, nec ab ea est recedendum, immò totum ei tribuendum est, etiamsi juris dispositioni adversetur. Bald. communiter receptus *in cap. Cum olim de Consuetud.* Quod luculenter prosequitur Menoch. *cons.* 51. *num.* 49. & *seqq.* Altograd. *d. cons.* 1. *num.* 58. Greg. XV. & Adden. *in decis.* 124. Quæ consuetudo attenditur etiam locorum vicinorum. Altograd. *ibid. num.* 59. suffragante etiam receptissima conclusione, ut in ambiguis observantia sit semper optima interpres.

Quare probata consuetudine, sive immemorabili pos- 23
sessione habendi sedem, scamnum, aut genuflexorium in presbyterio, thurificationem triplici ductu, & pacem post Episcopum, & Assistentes ante dignitates & alios Canonicos, nec non retinendi genuflexoria honorifica in aliis Ecclesiis, aut Baldachinum, debent Domini temporales continuare, nec poterunt impediri ab Episcopo. Nam licet laici occupare nequeant res sacras, possunt

tamen

tamen acquirere jus honorificum habendi baldachinum ac ſedem in Eccleſiis in eminentiori loco, ſimileſque prærogativas multis modis, nempè privilegio, conſuetudine, præſcriptione, ut egregiè Pariſ. *conſ.* 949. *n.* 1. *& ſeqq.* ubi hanc opinionem veram appellat, & in judicando, & conſulendo ait ſervari, Gratian. *diſcept.* 210. *num.* 32. Ubi inquit dari actionem injuriarum, & officium Judicis contra amoventes ſedes laicorum, quoque fit licita eiſdem defenſio etiam manu armata. Barboſ. *in collect. ad lib.* 5. *decretal. cap. ad Apoſtolicam de ſimon. n.* 11. & in ſpecie de jure ſedendi Menoch. *d. conſ.* 51. *n.* 50. & Rot. *deciſ.* 22. *n.* 6. *in fin. p.* 8. *rec.*

Nec obſtat, quod in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 13. *de ſedibus Epiſcopi in fin.* ſtatuatur, quod ſedes pro laicis nobilibus, magiſtratibus, magnatibus, & principibus quamlibet magnis, ac excelſis plus, minuſve pro cujuſquam dignitate, & gradu ornata deceat extra chorum & presbyterium collocari, ut referunt Piſcar. *in prax. Cærem. lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 3. *de Ordin. ſedendi num.* 16. Barboſ. *vot. deciſ.* 115. *n.* 3. & 4. *lib.* 3. Altograd. *d. conſ.* 1. *n.* 26. Unde implicitè prohibet, ne ſedes laicorum collocentur in choro, & presbyterio apud altare, prout fuit reſolutum a S. Rituum Congregat. in una *Egitanen.* 10. Junii 1602. *in reſp. ad* 6. *dub.* teſte Barboſa *in ſum. deciſ. Apoſtol. verſ. ſedes collect.* 668. *nu. mer.* 12.

24 Quoniam immemorabilis conſuetudo nunquam cenſetur ſublata per conſtitutionem, ſeu legem contrariam, niſi de ea fiat expreſſa, & individualis mentio, eidemque fuerit in ſpecie derogatum, Gloſ. *in cap.* 2. *de præſcript. in* 6. Mareſcott. *var. reſol. lib.* 2. *reſol.* 101. *num.* 4. *& ſeqq.* Gratian. *diſcept.* 492. *n.* 5. & 578. *n.* 10. Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. §. 1. *n.* 190. Rot. *deciſ.* 614. *n.* 1. *part.* 2. *& deciſ.* 686. *n.* 1. *part.* 4. *& deciſ.* 197. *n.* 6. *part.* 9. *rec. & dec.* 53. *n.* 13. coram Cardinali Otthobono, paſſimque alibi.

25 Et in puncto, quod Cæremoniale non tollat immemorabiles conſuetudines, ſed tantùm abuſus ſæpiſſimè fuit declaratum ab eadem S. Rituum Congregatione, & ſignanter in una *Salamantina* die 10. Januarii 1604. in una *Cæſarauguſtana* die 10. Aprilis ejuſdem anni relatis per Barbolam de *Canon. & dignit. cap.* 33. *nu.* 24. ubi dicit ita ſervari debere in omnibus Regnis, & locis totius Chriſtianitatis ex declaratione ejuſdem S. Congregationis. Idem firmat Garzias utramque reſolutionem referendo *d. part.* 3. *cap.* 2. §. 1. *n.* 191. Unde licet Conſtitutio Clementis VIII. ſuper obſervatione Cæremonialis abroget contrariam conſuetudinem, attameu non debet intelligi de conſuetudine immemorabili, quæ ſemper cenſetur prætervata, & excepta.

26 Eòque faciliùs, quia immemorabilis conſuetudo retinendi ſedes laicorum in presbyterio non eſt directè contra diſpoſitionem Ceremonialis; dum expreſsè non prohibet illas collocari in presbyterio, ſed ſolum ſtatuit, quod deceat Principibus laicis ſedes ornatas plus, & minus pro cujuſquam gradu, & dignitate habere extra Chorum & presbyterium. Ex quo, licet inferri poſſit prohibitio illas collocandi intra presbyterium, ſatis eſt, quod expreſsè id non prohibuerit, ut in terminis loquendo de Cæremoniali, & Conſtitutione Clementis ſuper illius obſervatione ponderavit Rot. *deciſ.* 102. *nu.* 13. *part.* 10. *rec.* Et quidem ratione, quia immemorabilis conſuetudo quando eſt concludenter probata cum requiſitis Gloſ. *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. tribuit quodcumque privilegium, & omnem meliorem titulum de mundo, ad tradita per Gonzal. *ſuper. reg.* 8. *gloſ.* 18. *n.* 11. *&* Rot. *dec.* 677. *num.* 4. *part.* 1. cum aliis relatis in *d. deciſ.* 22. *num.* 4. *p.* 8. *& deciſ.* 110. *num.* 1. *part.* 9. *recent.*

27 Quamvis, ut tandem verum fatear, abſolutè non relevet conſuetudo habendi ſedem intra presbyterium, ubi adeſt, cum S. Rituum Congregatio ſemper declaraverit, laicis non licere ſedem habere in Eccleſiis, niſi extra presbyterium, cumque reſiſtat Cæremoniale loco allegato, quod debet ſervari uti lex, Rot. *deciſ.* 701. *num.* 2. *part.* 4. *tom.* 3. *rec.* ejuſque formam traditam in hac materia non ſedendi laicos intra presbyterium eſſe omnino ſervandam, non obſtante aſſerta conſuetudine in contrarium, eadem S. Rituum Congregatio mandavit, etiam ſi conſuetudo eſſet immemorabilis. Quia adhuc ratione irrationabilitatis non impediret obſervantiam d. formæ a Cæremoniali præſcriptæ, atque ita non obſtantibus contra deductis, uti contra veriorem opinionem, firmat Sperell. *deciſ.* 179. *n.* 23. *& 36. cum ſeqq.* Unde cùm talis aſſerta irrationabilis conſuetudo directè adverſetur Cæremoniali, cenſetur ei quoque, licet immemorabili, derogatum, Rot. *in Caven. collationis ordinum* 26. Junii 1654. §. *Ad eliciendam* coram Veroſpio. Quare exiſtimo non poſſe introduci hanc conſuetudinem tanquam irrationabilem, & eſſe extirpandam, ubi eſt introducta. Quia, ut conſuetudo prævalere poſſit, debet eſſe rationabilis, alioquin tanquam corruptela eſt abijcienda, juxta *cap. fin. de conſuetud.* & notant Archid. *in cap. Poſtulaſti numer.* 2. *de for. comp.* Natt. *in c. cum dilecto num.* 27. *de off. Archid.* Boich *in cap. Abbate num.* 16. *de verb. ſignif.* Pen. *in repet. l. un. num.* 9. *C. de collat. donat. cap. cum inter vos, & cap. cum venerabilis de conſuetud.* Hæc autem conſuetudo non eſt rationabilis, ſed valdè irrationabilis, & proinde non poteſt introduci, & introducta debet abijci.

Quod autem ſit irrationabilis ex eo deducitur, quod 28
collocatio ſedis laicorum intra presbyterium non poteſt eſſe ſufficiens cauſa illorum devotionis, quæ æquè haberi poteſt extra presbyterium, ſed ſemper proveniet ex aliquo minu legitimo affectu, & diminutione reverentiæ debitæ illi loco tanquam peculiariter deputato Dei miniſtris. Conſuetudo autem, quæ provenit ex cauſa prava eſt irrationabilis, *Cap.* 1. *de conſuetud. in* 6. ibi: *Et de ambitionis radice proceſſit.* Secundò, quia Ordo Sacer, & Eccleſiaſticus exigit ex ſui natura, & inſtitutione, quod ſit in loco honorabiliori, itaut ſæcularibus præcedat, quia tantò eſt temporalibus dignior, quantò anima præfertur corpori, & luminare majus, ideſt dignitas Eccleſiaſtica præfertur luminari minori, hoc eſt poteſtati ſæculari, *d. cap. ſolitæ*. Atqui hæc conſuetudo facit, quod ſupremus honor, qui exhibetur Dei miniſtris in loco ſacro remaneat communis cum laicis, quatenus iſti velint habere ſedes in loco æquali intra presbyterium. Unde eſt conſuetudo contraria virtuti Religionis, atque adeò vitioſa, ſicuti ſunt omnia, quæ contrariantur virtutibus, & proinde tanquam irrationabilis reprobanda, juxta *cap. fin. de conſuetud.* ubi Doctores, & *Novell.* 134. *cap.* 1. *in fin.* Itaut propterea poterit hujuſmodi ſedes de facto amoveri, immò & ipſi laici talem locum, ſibi indebitum uſurpantes, uti ſacrilegi ſunt expellendi, Gratian. *d. diſcept.* 210. *n.* 33. Tertiò, quia tunc conſuetudo eſt irrationabilis, quando continet aliquid, quod ſit contra honeſtatem, ut notant communiter Salas *de legib. diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.* 50. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 4. *num.* 14. Pont. *lib.* 6. *de matrim. cap.* 5. *num.* 2. Meroll. *tom.* 3. *Theol. mor. diſp.* 5. *de conſuetud. cap.* 2. *num.* 29. Roch. *cap. fin. n.* 240. *de conſuetud.* Piag. *de Conſuetud. qu.* 9. *num.* 298. Suar. *lib.* 7. *de legib. cap.* 6. Reginald. *lib.* 13. *prax. for. pœnit. num.* 251. Molfeſ. *part.* 1. *ſum. tract.* 9. *c.* 21. *n.* 40. & habetur *ex cap. cum decorem de vit. & honeſt. Cler.* Quia nimirum quidquid honeſtum eſt commenſuratur regulis rectæ rationis. Quare quidquid eſt contra honeſtatem eſt contra dictas regulas, atque adeò irrationabile.

Solum autem permittitur, quod ſedes laicorum in Ec- 29
cleſia collocari poſſit, ac debeat extra presbyterium, quodque dum præſertim audiunt ſacras conciones ſimul cum Epiſcopo, debeat eſſe apud Epiſcopum, quæ non ſit major, vel pulchrior ſede ipſius Epiſcopi, ut declaravit S. Rituum Congregatio in una *Peruſina* die 3. Octobris 1615. Exigitur autem quod ſit uno ſaltem gradu humilior, & loco aliquatenus inferiori, adeò ut non ſit oppoſita ſedi Epiſcopali, ut de ſede Abbatis habentis uſum mitræ cenſuit eadem S. Rituum Congregatio in una *Alexandrina S. Petri in Broglio* die 7. Februarii 1604. Idque de jure. Quia dignitas Principis laici, excepta dignitate Epiſcopi, cui debetur honor, præcedentia, & reverentia, eſt major qualibet alia, itaut ipſe quoque in culmine ſedere debeat, & poſt Epiſcopum præcedere omnibus aliis ex diſpoſitione textus *in d. cap. ſolitæ* cum aliis deductis per Altograd. *d. conſ.* 1. *num.* 31. 33. *& ſeqq.* ac præcipuè *num.* 40.

Quod verò ad thurificationem triplici ductu, licet 30
per regulas ejuſdem Cæremonialis debeatur ſoli Epiſcopo, vel celebranti; nihilominus ſi adeſt immemorabilis conſuetudo, quod alii pariter thurificentur triplici ductu, ea omnino ſervari debet, ut declaravit S. Rituum Congregatio in una *Caſertana* die 18. Septembris 1632. Ita etiam circa thurificationem ante, vel poſt Dignitates, & Canonicos eſſe recurrendum ad conſuetudinem reſolvit eadem S. Congregatio apud Barboſam *in ſum. dec. Apoſtol. v. Thurificatio n.* 17. Et quoad pacem eadem S. Congregatio cenſuit in una *Granaten.* die 9. Maii 1606. & alibi pacis oſculum nulli, nec etiam Præſidenti, vel Conſiliariis Regis dandum eſſe ante Epiſcopum, ſed dandam eſſe Domino loci, & aliis laicis poſt datam pacem omnibus de Choro, & tunc deberi non a beneficiato, ſed ab aliquo miniſtro, Cotta induto, non cum oſculo, ſed cum inſtrumento, ut eadem S. Rituum Congregatio reſolvit in una *Calaguritana* die 5. Julii 1614. & in una *Pacen.* die 21. Martii 1609. ac alias ſæpè.

Ac tandem quoad genuflexoria honorifica in aliis Ec- 31
cleſiis

cleſiis, nec Cæremoniale, nec alia lex, vel Conſtitutio ea prohibent Domino loci, vel Gubernatori, qui ipſum Dominum repræſentat, dummodò collocentur extra præsbyterium, eaque amoveri non licet, cum cederet in læſionem Majeſtatis Principis ſæcularis. Ideòque ad tollenda diſſidia, & odia, quæ foveri poſſent in hac materia inter Epiſcopos, & Dominos ſæculares, Epiſcopi omni conatu, & ſtudio, omnibuſque decentibus officiis incumbere debent conſervationi amicitiæ cum Principibus ſæcularibus, eiſque faciles ſe præbere in conceſſione eorum, quæ eorumdem Principum gratiam, & benevolentiam concilient citra tamen præjudicium Epiſcopalis dignitatis, ac juriſdictionis, ut prudenter monet Altograd. *d. conſ.* 1. *n.* 62. *lib.* 2.

32 Ex his autem infero, præfatum decretum de baldachino a Dominis ſæcularibus non erigendo, abſque difficultate, utpotè uſu receptum tanquam lex, juxtaque legis naturam, reſpicere tantum futura, non autem præterita, ex latè deductis per Farinac. *in fragm. v. lex a num.* 25. Atque ita docet inconcuſſa obſervantia S. Rituum Congregationis in hac ſpeciali materia Baldachini, quæ prohibet quidem novas erectiones, tolerat autem antiquas.

33 Unde liquet, ſucceſſorem non attentare, ſed continuare præeminentiam ab immemorabili annexa feudo, dum in Eccleſia ſui Prædeceſſores baldachinum ab antiquiſſimo tempore retinuerunt. De jure autem præeminentiæ, utpotè acquiſitæ feudo non extinguuntur cum perſona feudatarii poſſeſſoris, ſed tranſeunt in ſucceſſorem, ut plenè Menoch. *conſ.* 905. Franch. *deciſ.* 56. Rovit. *dec. 6. n. 6. cum ſeqq.* Et generaliter de poſſeſſione quæſita prædeceſſori ratione dignitatis, vel feudi tranſeunte in ſucceſſorem, latè Poſt. *de manut. obſerv.* 55.

34 Idque verum, & magis communiter receptum etiam ſi feudum devolutum eſſet ad Regem, per quem deinde ex integro alteri conceſſum ſit, ut apud allegatos videre eſt. Quo tamen caſu viget major difficultas, quia tanquam per reverſionem ad ſuam cauſam, videtur illud primum feudum extinctum, & deinde creatum alterum de novo, multò magis indubitanter ubi caſus devolutionis non evenit, ſed eſt idem feudum, quod ob debita prædeceſſoris tranſivit cum aſſenſu, & authoritate Regis ad alium. Tunc enim eſt caſus indubitatus, dum ſucceſſor eſt ſubrogatus in locum prædeceſſoris in omnibus, eſtque idem feudum.

35 Neque alicujus momenti eſt, quod ſpatio multorum annorum intermiſſus fuerit hujus præeminentiæ uſus. Quoniam cùm agatur de juribus incorporalihus, & facultativis nunquam, etiam per mille annos jus amittitur per non uſum, niſi vel conſtet de prohibitione ſubſecuta, & acquieſcentia, vel quod evenerit occaſio utendi, & per longiſſimum tempus non ſit uſus, ſecus autem ſi nunquam occaſio evenerit. Canoniſtæ communiter *in Cap. Abbate de verb. ſignific. & in cap. Joannes de Cler. conjug.* Surd. *conſ.* 418. *num.* 28. & 29. Buratt. *deciſ.* 704. *num. fin.* Fab. de Ann. *conſ.* 129. Caval. *deciſ.* 80. & omnes. Ac ita paſſim docet obſervantia. Multas enim prærogativas habet Rex Neapolis, & Siciliæ, quas non amiſit ex eo quod per ſæcula propter abſentiam iis uſus non eſt.

36 Adiiciam clauſulæ loco quod habuit S. Congregatio ſuper conſultatione Epiſcoporum, & Regularium die 8. Octobris 1581. nimirum D. Cardinalis Senonenſis renunciavit ſe retuliſſe Sanctiſſimo Conſultationem Congregationis, & quæ in ea pertractata ſunt de loco, & ſede Excellentiſſimi D. Gubernatoris Mediolanenſis in Eccleſia Metropolitana Mediolani, & rationibus intellectis juſſit Sanctitas ſua, ut Congregatio certiorem redderet Excellentiſſimum D. Oratorem Sereniſſimi Regis Catholici, quid in iſto negocio ſentiat. Cupit enim Sanctitas ſua, ut omnia decenter, & cum ordine in Eccleſia DEI fiant, & nihil in primis exiſtimavit preſcribendum Regi Catholico in ſede ſua collocanda in ea Eccleſia, idque religioni, & pietati Majeſtatis ſuæ Catholicæ ſive intra, ſive extra chorum presbyterorum relinquendum. Quo verò ad Excellentiſſimum D. Gubernatorem, & Locumtenentem probatur a Sanctitate ſua ſententia Congregationis, ut in eodem permaneat loco, in quo hactenus ſedebat, & ubi collocari ſolebat extra chorum ejus ſedes, ac in eadem altitudine graduum, quam adhibere conſuevit, ne ſi altius tollatur, forſan Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & populi, ac Diaconi, qui Evangelium cantabit, viſum, & conſpectum impediat, & efficiat, ut Archidiaconus minus conſpicuus ſit in benedictionibus, & Officiis Eccleſiaſticis obeundis, vel ſi melius ei videbitur, poterit ſedere ex alio latere ferè a regione Archiepiſcopi extra tamen eoſdem cancellos presbyterii ad dexteram ingreſſus Eccleſiæ, ac in illo loco adijcere, ſi velit, duos gradus ad illos tres, quos hactenus tempore bonæ memoriæ Cardinalis S. Praxedis adhibuit, nec enim ultra quinq; graduum a fundo altitudinem ullus Prælatorum, aut Principum ſedere ſolet.

Item & quod habuit S. Congregatio Concilii pro diœ- 37
ceſi Seguntina ſub die 25. Auguſti 1587. Hæc enim ſupplex libellus continebat. In diœceſi Seguntina ſunt aliqua oppida ſub temporali juriſdictione Dominorum laicorum, in quibus vel adſunt Eccleſiæ Collegiatæ cum numero dignitatum, & Canonicorum ſæcularium, vel Parochiales Eccleſiæ cum propriis Presbyteris, & Clericis: prædicti Domini tam occaſione temporalis dominii, quàm juriſpatronatus, quod in eiſdem Eccleſiis aſſerunt ſe habere, quandocumque ad illas accedunt cauſa audiendi divina officia, quando dicitur generalis confeſſio, & decantatur Kyrie eleyſon, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus, Magnificat, &c. faciunt, & cogunt Canonicos, & Clericos, qui juxta dictarum Eccleſiarum conſtitutiones illis diebus, & ſolemnitatibus induuntur pluvialibus, & ſceptris, ut accedant cum apparatu, & cæremonia ad loca, ubi Domini, uxores, & filii eorum ſedent, & quod præſentes, facta profunda inclinatione, recitent illis ibidem dictas orationes, & iterùm, facta eadem inclinatione, revertantur ad chorum. Item quod poſt Evangelium Diaconus ſacris veſtibus paratus recedat ab altari, ut dictis Dominis librum oſculandum offerat, ac etiam, ut ſuis loco, & tempore eiſdem incenſum, & pacem tribuat. Præterea quia in eiſdem Eccleſiis intra Cancellos, & Chorum Canonicorum, & Clericorum adſunt ſedes in præeminentiori loco pro Epiſcopo deputatæ, prædicti Domini laici dictas ſedes tanquam proprias, & inter Canonicos occupant. Et cum prædicta magis dignitati Pontificali, quam poteſtatibus ſæcularibus conveniant, Epiſcopus Seguntinus, Canonici, & Clerici dictarum Eccleſiarum credunt eſſe contra Pontificale, & cultum divinum, quare ab Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis dominationibus veſtris quæritur, utrum dictis Dominis temporalibus, & patronis dictarum Eccleſiarum debita ſit talis reverentia, & cæremonia per præfatos miniſtros facienda, vel ſatis ſit illis pacem, & incenſum dare per aliquem Capellanum Eccleſiæ ſacris veſtibus non indutum? Item an liceat dictis Dominis intra Cancellos, & Clericorum choros Epiſcopales ſedes occupare, vel potius debeant inter laicos in potiori gradu ſedere?

Sacra autem Congregatio ita reſpondit. Perilluſtris, 38
& Reverendiſſime Domine, uti frater. Vidit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ex libello, qui erit cum iis literis, quid Domini temporales laici, forſitan etiam patroni Eccleſiarum, ad quas conveniunt, ab earundem Canonicis, & miniſtrantibus Clericis ſibi tribui expoſcunt. Quare Congregatio ad amplitudinem tuam ſcribendum cenſuit, non ſolùm decere, ut actus hujuſmodi coram Dominis ipſis ullo modo fiant, ſed ne coram quoque Principe ſæculari fieri debere; immò verò nec Eccleſiaſticis Prælatis, Epiſcopo minoribus id tribuendum eſſet, cum ſoli Epiſcopo in ſua diœceſi hæc conveniant, & debeantur. Incenſum verò, & pax excipienda, quæ Dominis præfatis tribuenda ſunt a Miniſtris, qui eadem Canonicis, vel Epiſcopis, ſi adeſſent, dare conſueverunt. Sedes Epiſcopi Dominis antedictis nullo modo convenit, quin potiùs eorum ſedes non intra, ſed extra Chorum, in digniori tamen loco, erunt collocandæ. Quare Congregationis ſententiam Amplitudini tuæ, & per eam, ſi opus erit, ipſis Dominis, notam eſſe voluimus, ut ipſam Eccleſiaſticam dignitatem tueatur, & illi nobilitatis, & modeſtiæ ſuæ exiſtiment, debito ſibi honore, & loco eſſe contentos.

CONSULTATIO VIII.

An poteſtas ſæcularis poſſit ſubditis ſuis indicere, ac præcipere obſervationem alicujus diei feſti, necnon præſcribere modum incedendi in proceſſionibus abſque Epiſcopi authoritate?

NEgativè. Licet enim ſecularis poteſtas poſſit lai- 1
cos ſubditos punire, feſtos dies non obſervantes juxta Pii V. Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum primum Apoſtolatus* §. 7. quod etiam cenſuit S. Congregatio *in Theatina* die 29. Maii 1582. & in *Neapolitana* die 22. Junii 1621. ac proinde detur locus prævention, cùm non ſit inconveniens, quod poteſtas ſæcularis contra tranſgreſſores legis Eccleſiaſticæ procedat in auxilium Eccleſiæ, ut probat Suar. *de Relig. l.* 2. *cap.* 12.

Non

Non tamen ex hoc inferri potest, ut eidem laicali potestati liceat observationem festorum indicere, ac præcipere etiam laicis subditis sine Episcopi authoritate. Ita magistraliter docuit Abb. *in cap. 2. num. 2. de fer.* & post eum atque alios Suar. *d. cap. 12.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 1. c. 26. quæst. 5. & 6.* ac declaravit sua Constitutione Innocentius X. die 6. Octobris 1653. quæ incipit, *Cum nuper* relata per D. Fagnanum *in cap. Conquestis num. 80. de fer.*

2 Ratio autem est, quia festorum observatio ad publicum Dei cultum ordinata inter spiritualia continetur, super quibus laica potestas, nec principaliter, nec incidenter disponere potest, etiam in ordine ad laicos, *c. Benè quidem 96. d. c. tuam*, & ibi Abb. *n. 7. & 9. de ord. cognit. cap. Lator, & cap. Causam il 1. & cap. causam il 2. qui fil. sint legit.* tenetque Glos. *in cap. si Judex v. Spirituali de sent. excom. in 6.* Bart. *in l. fin. ff. de Colleg. illic.* Roman *cons. 129. per tot.* Vant. *de nullit. ex defectu juris. n. 54. & seqq.*

3 Ac propterea neque ad sæcularem potestatem pertinet concedere licentiam operandi, & contraveniendi diebus festis. Angel. *v. dies festos*, Sylvest. *v. Dominica num. 4.* Sot. *de just. lib. 2. q. 4. n. 4. post med.* & decrevit S. Congregatio Immunitatis in una *Castren.* die 2. Martii 1629. ubi reprobavit tanquam absurdum ejusmodi sæcularem prætensionem. Idem quoque statuit S. Congregatio Concilii apud Dianam *part. 4. tract. 1. resol. 94.* Megal. *cons. 97. num. 2.* & Homob. *in exam. part. 3. tract. 15. cap. 7. quæst. 17. resol. 3.* ac alibi alios referens. Nam talis dispensatio est propria solius potestatis Ecclesiasticæ, a qua festivitates Dei, & Sanctorum, earumque observationes dependent. Doctores *in cap. licet de fer.* Butr. *in d. cap. Conquestis n. 19.*

4 Atque ex his deducimus etiam præscribere modum, & ordinem incedendi in processionibus, easque facere, ac præcipere ad obtinendum a Deo temporale beneficium salutis, vel aliud simile non pertinere ad sæcularem potestatem. Quia tales actiones sunt merè spirituales, & ideò quoad omnia extra sphæram potestatis sæcularis, ut in puncto determinant Jo: Vinc. de Anna *sing. 9.* Genuen. *in prax. cap. 69. num. 9.* & Bellet. *asp. Cleric. part. 1. de favor. Cleric. real. §. 2. n. 5.* & decrevit S. Congregatio Immunitatis in una *Mediolanen.* die 13. Jan. 1634.

5 Ejus enim est ordinare processionem, cujus est illam indicere: at nemo indicere potest processionem, nisi Ordinarius ex Trid. *cap. 13. sess. 25. de regul.* & Rituali Romano *rubr. de Processionib.* Quare S. Congr. Concilii in una *Abulen.* die 3 Augusti 1586. & S. Congr. Episc. & Regular. in una *Cajetana* die 25 Octobris 1602. resolvit ad Episcopum pertinere cum consilio Capituli dicere, & decernere quò ducendæ, dirigendæque sint processiones etiam exemptorum. Quod tamen S. Congregatio Concilii in una *Eluen.* pro Oppido Perpiniani 1596. ac sæpè alibi declaravit intelligi non de publicis, sed de privatis processionibus, ac de iis, quæ fiunt in Civitate, non autem in decernendis, ac dirigendis processionibus Oppidi suæ diœcesis, in quibus consilium Capituli Cathedralis Episcopus non tenetur requirere.

6 Enim verò Principi tuendæ veræ Religionis cura commissa est, instituendæ tamen, aut innovandæ nulla est omnino potestas. Nutritius Ecclesiæ est magistratus, gladium portat ad vindictam malorum, tutelam bonorum. Non enim suam dumtaxat majestatem ulciscitur, sed multò magis divinam, quæ vera est, & immensa majestas, cujus est rivulus, & vestigium omnis, quæ in purpura, & diademate apparet humanis oculis grandis, & tremenda majestas. Decet certè optimum ab optimo coli, Numen a Principe, Regem omnium Regum præcipuè ab omnibus Regibus. Primam Regiam curam, ait Aristoteles *lib. 7. cap. 8. polit.* eam esse, quæ circa divina est, solicitudinem.

7 Certum igitur, fixumque maneat, Principem & ipsum esse religiosum oportere, & arcem Religionis custodem, vigilantem impietatis vindicem. Hoc tamen sedulò attendet, ut ipse Religionem veterem ne innovet, nec ullos nomine reformationis cudat articulos. Non est enim arbiter Religionis Princeps, sed discipulus. Teneat animo, usuque ostendat pietatem colendam non esse politicis edictis perplexam reddendam. Audiat S Cyprianum ep. 73. *Nec hoc, frater charissime, sine scripturæ divinæ authoritate proponimus, ut dicamus certa lege, ac propria ordinatione divinitus cuncta esse disposita, nec posse quemquam contra Episcopos, & Sacerdotes usurpare sibi aliquid, quod non sit sui juris, & potestatis. Nam, & Core, & Dathan, & Abiron contra Moysen, & Aaron Sacerdotem sacrificandi sibi licentiam usurpare conati sunt, nec autem quod illicite ausi sunt, impune fecerunt.*

8 Multa hac de re sunt non modo Sanctorum Patrum, verùm etiam Imperatorum, ac Regum constituta, quæ persequi omnia non est hujus loci. Hoc solum monebo, quod annexa est cum Religione Reipublicæ administratio: mutata itaque Religione, necesse est Reipublicæ commotionem, aut commutationem sequi.

Quod si quis ex me quærat, cur Imperatores, Reges, & Principes, quos sæculares dicimus, cùm rebus simpliciter Ecclesiasticis se implicare non possint, ut hactenus ostendimus, leges tamen ferant, & decreta fecerint, quæ ad Sacerdotes, Religiosos homines, Ecclesias, & Monasteria pertinerent, ut in Theodosii, & Justiniani Codice multorum Principum novellis, & constitutionibus licet animadvertere?

Huic respondebo quod Magnus Constantinus olim 9
Episcopis dixit apud Euseb. *de vit. Constant. lib. 2. cap. 26. Vos Episcopi intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam Episcopus constitutus sum.* Quibus verbis significasse, atque annuisse visus est, Præpositorum Ecclesiæ proprium esse, judicium ferre, definire, ac decernere quid credendum sit, quidve faciendum in iis, quæ fidem, quæque personas ac res Ecclesiasticas attingunt, quibus in rebus Princeps sæcularis nec suffragium habet, nec dijudicandi potestatem, posse tamen, ac debere iis, quæ sacri Antistites decreverint, & statuerint, adjumentum afferre, authoritate fulcire, & summa severitate, propositis etiam pœnis cavere, ne a quoquam ulla ratione violentur, repugnantes verò etiam exquisitis suppliciis afficere, qua ratione suo quodam modo Episcopus extra Ecclesiam dici possit, cum provideat & curet, ut Ecclesiæ leges ac decreta diligentissimè serventur.

Atque ut id melius intelligatur prudenter admodum 10
in eisdem legibus, & constitutionibus quò tendant, designant. Nam aliquando, ut optimè annotavit Anastasius Germonius *de sacr. Immun. lib. 2. cap. 1. & 11.* dicunt ea, quæ præcipiunt conformia esse Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum sanctionibus; subinde esse secundum præceptum Apostoli; nonnunquam esse juxta Sacras, vel Ecclesiasticas regulas, formam canonicam, vel sanctorum Canonum instituta, ut liquet ex *C. de sum. Trin. & fid. cath. l. 9. C. de Episc. & Cler. novel. 123. §. omnibus*, ac alibi. Neque sanè Principes ad eas leges ferendas cogitationes suas adjecissent, quemadmodum ex Concilio Carthaginensi 5. *c. 5.* & Africano *c. 28.* intelligimus, nisi illos ad hanc Provinciam suscipiendam Pontifices ipsi, & eorum conventus solicitando impulissent. Quamobrem Valentinianus, & Marcianus Imperatores ad Palladium Præfectum scripsere, omnes principales constitutiones, omnes pragmaticas sanctiones, quæ contra Ecclesiasticos Canones elicitæ sunt, suo robore ac firmitate penitus carere, *l. 12. C. de sacr. Eccles.* Nec modo ejusmodi decreta, sed etiam quæcumque statuta, & consuetudines, quæ cum Ecclesiæ libertate pugnarent, jussit Fridericus Imperator ipso jure nullas esse *auth. Cassad. C. eod.*

CONSULTATIO IX.

De præeminentia S. Congregationis Episcoporum, & Regularium super Auditoris Cameræ, S. Rotæ Romanæ, ac Signaturæ Tribunalia, deque ejusdem facultatibus præter expressas in Constitutione Sixti V. ac vivæ vocis oraculo a diversis Pontificibus attributis.

AUditoris Cameræ inhibitiones revocat, & moderatur Sacr. Congregatio mandans eidem, ut revocet, vel moderetur, ut die 5. Septembris 1605. in *Sutrina* fuit dictum non esse impediendum Episcopum pro exactione subsidii charitativi; & ideò esse revocandam inhibitionem. Et 17. Septembris 1610. ut revocaret inhibitionem contra Episcopum *Interamnen*, ne meretrices habitarent in viis publicis, in quibus fiunt processiones, & 11. Januarii 1622. in *Nucerina*, ut moderaretur suspensionem censurarum contra N. legitimè ab Episcopo excommunicatum ob fraudes in administrationem montis, & 12. Januarii 1622. ut moderaretur inhibitiones relaxatas contra Vicarium *Baren.* ad instantiam Capituli *Polignanen.* & 8. Januarii 1627. ut moderaretur inhibitionem contra Episcopum *Asculanum*. Idem 27. Januarii 1618. *Civitatis Plebis*, & 21. Januarii, & 2. Aprilis, & 21. Junii 1630. in *Bonnonien.* & 27. Augusti 1632. in *Agrigentina* mandavit. 1

Aliquando injunctum fuit eidem a Sac. Congregatione, ut revocaret inhibitiones etiam absque citatione partis, ut secunda Septembris 1622. in *Tarracinen.* Quandoque etiam per simplices litteras, ut 23. Maii 1621. in *Hydruntina*, ut ex sequentibus.

A. C. M'hanno gl' Illustrissimi Signori Cardinali della 2
Sacra Congregazione ordinato di far sapere a V. S. Illustrissima,

che

che sia contenta di moderare per sue lettere private l' Inhibizione estorta da cotesto suo Tribunale ad instanza di Nicolò Gonzales contro il Cherico Giuseppe Blago della Diocese d' Otranto per conto di certe pecore levate con l' autorità de' Ministri Regii al medemo Cherico, per le quali il sudetto Nicolò è stato scomunicato da quel Vescovo, affine ch' egli possa passare avanti nella restituzione delle sopraddette pecore.

3 Item ut moderaretur per simplices literas inhibitiones contra Episcopum *Tarraconen.* 20. Junii 1627.

4 Sæpissimè injunctum fuit eidem, ut reintruderet in censuras, ut 6. Julii 1621.

5 *Al' hanno gl'Illustrissimi Signori Cardinali della Sac. Congregazione ordinato di far sapere a V. S. Illustrissima, che sia contenta di reintrudere nelle censure i Decurioni, e Governatori di Foggia luogo della Diocese di Troja, dichiarati scomunicati da Monsignor Vescovo di quella Città per ordine della medema Sacr. Congregazione per aver estatto certa gabella da' compratori del vino in pregiudizio e danno degli Ecclesiastici, e che di più sia contenta di moderare l' inhibizione estorta da cotesto suo Tribunale dalli medemi Governatori, e Decurioni, e rimettere questa causa a questa Sacr. Congregazione, nella quale fù introdotta molto tempo fa, e quì resto, &c.*

Præterea 27. Julii 1622. in *Squillacen.* & 14. Junii 1625. in *Vulturarien.* & 11. Augusti 1626. fuit injunctum in una *Sorana*, ut reintruderet in censuras etiam absque expensis, & 21. Novembris 1606. ut reintruderet in censuras Gubernatorem *Andrien.* & causam remitteret Ordinario. Item 23. Martii 1621. *Si è doluto alla Sacr. Congregazione il Promotor fiscale della Curia Vescovale di Termoli, che il Commissario mandato gia da V. S. Illustris. per ordine della Congregazione contro N. N. & altri Preti, che si pretendono compresi nell' omicidio del Francolino, pigliasse anche informazione contro il medemo N. per conto di certo stupro, che si pretende commesso da lui; onde m' hanno i medemi Illustrissimi Signori ordinato di farle sapere, che per essere la causa del suddetto stupro in prima instanza, e già fattone il processo dall' Ordinario del luogo, ma poi sopraseduto per la riverenza, che dee a V. S. Illustrissima, sia contenta di rimettergliela, acciocchè la possi terminare per giustizia.*

6 Et septima Octobris 1625. Fuit injunctum eidem, ut moderaretur Inhibitionem relaxatam ad instantiam Marci Antonii Romagnoli Imolen. & simul provideret, ut in posterum similes non relaxarentur.

7 Multoties significatum fuit eidem, ut transmitteret omnes processus contra personas particulares formatos ad Sacr. Congregationem, præsertim 13. Octobris 1605. ut processus contra Episcopum *Asculanum* transmitterentur ad Illustrissimum Cardinalem Bandinum, cui a S. Congregatione fuit causa commissa.

8 Insuper 6. Maii 1622. ut transmitterentur processus formati contra Vic. Generalem *Terracinen.* & 3. Februarii 1635. in causis *Assisien. Saleritana, Lucana* sub eisdem die mense, & anno, quo supra 1625. & 16. Novembris 1621. in *Sipontina*, & 14. Septembris 1621. in *Rossanen.* & 11. Januarii 1622. in *Sulmonen.* & 15. Decembris 1628. *Civitatis Castellanæ*, & 22. Decembris 1628. in *Ruben.* pro causa alapæ in faciem Laurentii de Rugerio, & 8. Martii 1629. *in nullius Canusiæ*, ut moderaretur literas pro capiendis inditiis, remittendo partes, & querelas ad Sacr. Congregationem, & 28. Martii 1607. fuit injunctum eidem, ut non expediret commissiones, neque Commissarium contra Episcopum *Andrien.* absque scientia Sacr. Congregationis, vel Sanctissimi, & 28. Martii 1680. ut revocaret commissionem pro capiendis inditiis, & citationem ad comparendum personaliter contra Vicarium Generalem Montis Pilosi ad relationem Eminentissimi Cardinalis Gymnasii.

9 Atque 26. Novembris 1624. fuit significatum eidem, ut non transmitteret Commissarium contra Episcopum *Hostien.* cum causa esset jam introducta in Sacr. Congregatione, & 13. Novembris 1615. ut revocaret literas pro capiendis inditiis pro causa *Montis Pilosi*, & *Martyranen.*

10 Rursus 22. Januarii 1613. in *Ruben.* & 18. Junii 1624. in *Tarracinen.* & 17. Augusti 1621. in *Martyranen.*

Sæpè injunctum fuit eidem, ut supersederet in causa usque ad aliud mandatum S. Congregationis, ut nominatim in *Tarentina* 16. Aprilis 1615.

11 Frequenter significatum fuit eidem, ut ejus Ministri non molestarent, neque vexarent Episcopum *Theatinum*, ut resolvit 10. Aprilis 1620. & 15. Februarii 1622. in *Sulmonen.* pro Pamphilio Cantelmo, qui fuit absolutus a Sacr. Congregatione & injunctum A. C. ut eum ampliùs non vexaret, &c. Et 23. Junii 1634. in *Juvenacen.* ut Capitulum non molestaretur in causa electionis Vicarii capitularis & 19. Julii 1622. ut cassaretur fidejussio ducat. 500. pro Paulo Cornia, & non molestaretur pro dicta fidejussione.

Idem observat passim Sac. Congregatio Immunitatis, 12
præcipuè in una *Aquilana* mense Maii 1630. censuit, ut A. C. cassaret fidejussionem, & non se ingereret in causa Præpositi Dragonetti, & 18. Junii 1628. in *Licien.* S. Congregatio Episcoporum mandavit A. C. ut non reciperet appellationes, neque relaxaret inhibitiones contra decreta Episcopi Venusini, Visitatoris Apostolici, sed eas remitteret ad eandem S. Congregationem.

Immò S. Congreg. injungit Episcopis, ut observent, & 13
executioni mandent sua decreta non obstantibus inhibitionibus A. C. ut fuit dictum Episcopo *Terusino* 30. Julii 1613. & Episcopo *Fanen.* 4. Julii 1614. ac Episcopo *Tropien.* 16. Julii 1629.

Verùm tamen est S. Congreg. multoties remittere Au- 14
ditori Cameræ processus graves, & delinquentes puniendos, ut 7. Martii 1630. in *Alifana*. Item committit eidem causas ad referendum, & post relationem ejus Locumtenentis criminalis in plena Congregatione, solet ab eo causa expediri juxta votum S. Congregationis, ut constat ex actibus apud Simoncellum A. C. ac S. Congreg. Notarium.

Immò Auditores Sacr. Rotæ Romanæ non infrequenter inhibentur a Sacr. Congregatione, ut non procedant contra aliquas personas, ut 2. Maii 1612. *in Novarien.* fuit significatum R. P. D. Manzanedo, Sac. Rotæ Anditori, ut moderaretur inhibitionem contra Episcopum Novarien. relaxatam ad petitionem Cleri, & Communitatis Palanzanæ.

Et 5. Decembris 1607. fuit injunctum R. P. D. Ludovisio, ut desisteret procedere in causa inter homines Turris Græci, & Canonicos Neapolitanos super Jure sepeliendi, cum causa esset terminanda in Sacr. Congregat.

Ac 16. Novemb. 1621. in *Andrien.* ubi censuit Com- 15
missionem Rotalem contra Episcopum Andrien. esse reformandam, & 6. Julii 1621. in causa recusationis assistentiæ consecrationis Olei Sancti per Decanum Collegiatæ Sancti Michaelis Episcopo Lucano factæ, Sacr. Congreg. commissionem Rotalem quoad hunc articulum dumtaxat reformandam, ipsiusque articuli cognitionem ad S. Congregationem reijciendam esse censuit, firma in reliquis manente causa in Rota.

Tandem eadem Sacr. Congreg. Episcoporum signatu- 16
ræ Commissiones reformat, ut ex seqq. *Ravello per il Vescovo, il quale dice, che avendo citato D. Pietro Confalone, Rettore di due Parocchiali a mostrare i titoli, e la dispensa sopra l' incompatibilità, egli abbia estorto un Breve della signatura, diretto a Monsignor Nunzio di Napoli, che faccia, e termini questa causa. Dimanda però, che la detta causa sia rivocata dal medesimo Monsignor Nunzio, e rimessa a lui come ordinario, al quale si deve la cognizione delle cause in prima instanza.*

Si Sanctissimo D. N. placuerit, S. Congreg. &c. Commis- 17
sionem reformari, ac Petrum Confalonem de titulis duarum Parochialium, quas obtinet coram Episcopo docere debere censuit. Romæ 6. Martii 1619.

1588. *die* 30. *Martii.*

Cùm quæsivisem ego Frater Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus in Audientia Conciliatoriali a S. D. N. Sixto Papa V. An in tangentibus materiam Regularium, & jam a S. Tridentino Concilio, & ejus Congregatione decisis, deberet Congregatio nostra Regularium procedere, vel Sanctitati suæ referre? Respondit, placere, quod omnia ad Regularium materiam pertinentia, & per Concilium Tridentinum, ejusque Congregationem decisa per ipsam Regularium Congregationem audiantur, agnoscantur, & debitæ executioni demandentur.

Cardinalis Alexandrinus.

1588. *die* 6. *Aprilis.*

Quæsivi parit r ab eodem S. D. N. quid de frangentibus ignoranter clausuram, & censuras quandoque etiam cum irregularitate incurrentibus. Respondit placere, si casus fuerint simplices, quod ab eadem Sacr. Congregatione absolvantur.

Cardinalis Alexandrinus.

1588. *die* 17. *Octobris.*

Insuper attestor, qualiter S. D. N. Sixtus Papa V. concessit, ut sine incurtu irregularitatis in casibus gravibus, & benè visis Congregationi, Congregatio eadem

valeat

valeat ſcribere, monere, hortari, & urgere Judices, & Principes ſeculares ad delinquentes laicos, veluti ſacrilegos, & ſimiles capiendos, & caſtigandos, cæteraque exequenda, quæ neceſsaria ei videbuntur.

Cardinalis Alexandrinus.

1589. die 17. Julii.

S. D. N. Sixtus Divina Providentia Papa V. in Conciſtoriali audientia conceſſit Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus Sac. Congregationis Regularium omnes facultates, quas habent Ordinarii locorum, & Superiores Ordinum in perſonas Regulares utriuſque ſexus ſubditas, & illarum Monaſteria, domos, & loca, præſertim verò circa abſolutionem a cenſuris, & diſpenſationem ab irregularitate.

Julius Antonius Card. S. Severinæ.

1592. die 7. Junii.

Sanctiſſimus D. N. Gregorius in cubiculari audientia conceſſit ita me præſente, ut S. Regularium Congregatio Regularibus licentiam ad æqualem Religionem transferendi poſtulantibus indulgere poſſit ex cauſa.

Cardinalis Alexandrinus.

1592. die 31. Januarii.

Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa VIII. in cubiculari audientia vivæ vocis oraculo Sacr. Congregationis Regularium conceſſit, præter cæteras facultates omnimodam poteſtatem, & facultatem ſuam Pontificiam circa correctionem, regimen, ſtatum, & diſciplinam bonorum, & perſonarum utriuſque ſexus Regularium, & ita retuli.

Ego Cardinalis Alexandrinus.

Reſponſo cum Oraculo S. mem. Urbani VIII.

1 COnſtitutio Sacr. Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, edita juſsu ſa. mem. Urbani VIII. de rebus Regularium non alienandis, niſi cum licentia in ſcriptis ejuſdem Sacr. Congregationis loquitur tantùm de alienationibus, quæ fiebant a Regularibus vigore particularium privilegiorum Apoſtolicorum, & propria authoritate abſque præſcitu ſedis Apoſtolicæ prout ſonant verba ejuſdem Conſtitutionis, & fuit expreſsè declaratum per eundem Urbanum vivæ vocis Oraculo, ac proinde non fuit ſublata facultas, quam ſemper habuit, & exercuit Sacr. Congregatio ſuper negociis Regularium concedendi hujuſmodi licentias, tam ante, quàm poſt emanatam dictam Conſtitutionem. Immò conſultius etiet, ſi Sacr. Congregatio Concilii remitteret inſtantias Regularium, & præcipuè Monialium ad eandem Sac. Congreg. ſuper Regularibus, utpotè magis informatam.

Die 14. Januarii 1586.

Sixtus V. in Conſiſtorio, petente Cardinali Senonenſi, Sacr. Congregationis tunc Viſitationis Apoſtolicæ, nunc Epiſcoporum & Regularium nuncupatæ Præfecto, vivæ vocis oraculo conceſſit eidem Sacr. Congregationi facultatem abſolvendi omnes, & quaſcumque perſonas a cenſuris, in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita, reſervatis, exceptis caſibus gravioribus, ut hæreſeos, tranſportationis armorum ad infideles, & ſimilibus, ut in regeſto dictæ Sacr. Congregationis fol. 64.

Quæ facultas nec per Bullam Cœnæ revocatur. Nam hac facultate uſque ad hodiernam diem S. Congregat. ſemper uſa eſt. Neque per Conſtitutiones Gregor. XV. & Urbani VIII. revocatoriis gratiarum, vivæ vocis oraculo conceſsarum. Quia vivæ vocis oracula, quæ ſortita fuerunt effectum ante revocationem, non ſunt comprehenſa, neque egent revalidatione, quamvis effectus habeat tractum ſucceſſivum, ut eadem Sacr. Congregatio declaravit, ſignatè 11. Aprilis 1625. fol. 86.

CONSULTATIO X.

An adhuc non confirmatus, tenendo in chriſmate, ſpiritualem cognationem contrahat?

1 REſpondeo, nullam contrahere cognationem ſpiritualem, quia nulliter tenet in confirmatione, qui non eſt confirmatus. Ita etiam in naturalibus non ſufficit, ut quis concurrere poſſit ad generationem viventis, ſi ipſe ſit vivens, ſed requiritur præterea quòd ſit ætate ac robore confirmatus. Atque hæc eſt communis, ſeu magis communis DD. ſententia. Pro ea enim ſtat Sanch. *de matr. diſp. 60. n. 20. lib. 7.* cum Gloſ. ad *c. In Baptiſmate, verb. ſuſcipere de conſecr. d. 4.* Angel. Victor. Palac. Snar. Henriq. Tolet. Ledeſm. Vivald. & Beda. Tenetque Bonac. *de ſac. matr. q. 3. pun. 5. §. 2. n. 21.* cum Coninch. Reginaldo & Filiucio, ac tradit Barboſ. *d. c. In Baptiſmate n. 1.* cum Poncio, Ugolino & Rebellio, quibus adſtipulatur Diana *reſol. 21. tr. 4. de ſacram. p. 3.* & Candid. *diſquiſ. mor. t. 3. diſp. 1. art. 9. dub. 27.* ſuntque Auctores ſupra viginti. Pro contraria autem parte ſunt novem recenſiti a Sanchez loco citato *n. 21.* aliique perpauci. Præterea trado pro hac ſententia Pontificale Romanum *p. 1. tit. 1. de Confirmat.* in cujus rubrica ſic diſponitur: *Nullus, qui non eſt confirmatus poteſt eſſe in confirmatione patrinus.*

Ex quibus infero quod ſi non confirmatus teneat in con- 2
firmatione, licet non impediatur effectus Sacramenti, qui eſt de jure divino, tamen actus tenendi, & effectus illius, qui eſt de jure poſitivo, eſt irritus, ut tenet multi nominis Theologus, & Canoniſta Turrecrem. *in d. c. in baptiſmate*, aliiſque ſuperius citati.

Et ita S. Congregatio Concilii in una Licien. die 13. Ju- 3
nii 1654. declaravit, nimirum, *Non confirmatum non contrahere cognationem ſpiritualem.*

CONSULTATIO XI.

STante diſpoſitione decreti Sacri Concilii Tridentini 1
ſeſs. 25. cap. 12. de Regular. videlicet, quod dies feſti, quos in diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præcepit ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur, quæritur,

Utrùm Epiſcopus poſſit abſque conſenſu Cleri, & populi ſolus ipſe præcipere?

REſpondeo, Textus *in cap. fin. de fer.* præcipit in fe- 1
riis introductis in honorem Dei, & Sanctorum niſi ob neceſſitatem, vel pietatem judicium exerceri non poſſe, & poſt enumeratos dies feriatos in honorem Dei, & Sanctorum conſtitutos, ſubdit idem ſervandum eſſe in cæteris ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus cum Clero, & populo duxerint ſolemniter ſervandas.

Textus quoque *in cap. 1. de conſecrat. d. 3.* diſponit po- 2
pulo denunciandum, ut ſciat tempora feriandi, & nominatim enumeratis diebus, addit generaliter eas feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint.

Ex quibus juribus Doctores *in d. cap. fin.* ubi præſertim 3
Abb. *n. 4.* & 5. determinant, Epiſcopum non poſſe in ſua Diœceſi ſolemnitatem feſti diei introducere abſque conſenſu Cleri, & populi, licet Butr. *ibi num. 17.* recedendo ab hac opinione, quam dicit olim ſe tenuiſſe, velit, Epiſcopum id poſſe cum Clero, aut Capitulo, & Abbatis, aliorumque ſententiam ſequitur etiam Sayr. *in Clav. reg. lib. 7. cap. 3. n. 16.* Sylveſt. *v. Dominum n. 3.* Suar. *qui de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 7.* latè tractat hanc quæſtionem, & primò affirmat in rigore juris non ſolùm, ſed cum Clero, & populo poſſe præſcribere leges de peculiaribus feſtis in ſuo Epiſcopatu ſervandis. Quia ejus poteſtas circa hunc actum expreſsè limitatur per jura ſupra allegata. Et *ibi n. 8.* examinando dicta Abbatis *in alleg. cap. fin.* quatenus ait Abbas, quod ſi populus ſine legitima cauſa contradicat, non obſtabit ejus diſſenſus, concludit contra ipſum Abbatem; immò requiri conſenſum populi: quia cum talia præcepta ſint potiùs ad quendam majorem ornatum, & devotionem, quàm ad ſalutem populi neceſſaria, & contra populus poſſet inde gravari, meritò potuit jure ſtatui, ut ſine ſuo conſenſu ad id ſervandum cogi non poſſit.

Id tamen temperat *n. 18.* ut intelligatur, quando po- 4
pulus unanimi conſenſu contradiceret; ſed ſi Epiſcopus cum Clero conveniret, & aliqui de populo conſentirent, licet plures contradicerent, tunc fortè hujuſmodi contradictio non eſſet attendenda juxta opinionem Abbatis.

Tandem advertit, ſupradicta locum habere inſpectis 5
terminis juris communis. Quia per conſuetudinem videtur huic juri derogatum, cùm ſoleant Epiſcopi cum conſilio Cleri vel aliquorum de Clero hujuſmodi præcepta populo indicere, eo minimè vocato, quam conſuetudinem, inquit, ſervandam eſſe ubi introducta eſt.

Hinc enim cum idem quæſitum fuiſſe a Sacr. Rituum 6
Congregatione die 15. Decembris 1629. Sacr. Congregatio Concilii reſpondit, decretum Sacr. Concilii Tridentini *cap. 12. ſeſs. 25. de Regular.* non tribuiſſe Epiſcopis majorem facultatem dies feſtos indicendi, quàm habeant a jure communi.

CON-

CONSULTATIO XII.

An professi Regulares, qui literas latinas nesciunt, possint Regulam suæ Religinis è latino in vulgarem, & patrium sermonem reddere?

1 REspondetur, id rectè fieri posse. Debent enim intelligere omnia, quæ in Regula continentur, ne incidant in peccatum, aliquid omittendo, cum sit materia gravis, quæ obligationem suaptè inducit sub mortali. Tenetur enim Religiosus obedire Superiori præcipienti, quæ directè, & explicitè, sive indirectè, vel implicitè sunt consentanea Regulæ, cui generaliter ille se adstrinxit, ut docent D. Thom. *quod l.* 10. *art.* 10. & *in* 2. *d.* 44. *qu.* 2. *art.* 3. & ibi Durand. *qu.* 4. *n.* 5. Rosell. *v. obedientia n.* 10. Angel. *v. Religiosus num.* 9. Sylvest. *v. Religio* 6. *quæst.* 6. Cajet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *dub. ult.* Et pluribus prosequuntur Cordub. *in expos. Reg. D. Franc. cap.* 10. *quæst.* 2. *dict.* 6. Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 51. *dub.* 9. *nu.* 77. Tapia *auth. ingressi vers. Ipso ingressu cap.* 1. *n.* 44. & 59. *C. de Sacros. Eccles.* Vasquez 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. *disp.* 154. *cap.* 4. *num.* 20. Sanchez *in decal. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 9. Navar. *de Regularibus comment.* 2. *num.* 59. *vers. sed quia*, Reginald. *in prax. pœn. lib.* 58. *Rub. de Ratione judicandi de peccatis in ordine ad relig. stat.* Quia promittit obedientiam secundùm Regulam, & omnia hæc verè pertinent ad regulare institutum conservandum. Ubi enim non est certitudo per veram intelligentiam perpetuæ fraternitatis, ubi non consideratur perfectio, neque amor, cùm quisque cogitet posse dissidium fieri; prout in simili respondit Card. Contarenus *de Sacram. Christianæ legis lib.* 4. *c.* 2.

2 Et in materia ferè pari habemus dispositionem *l.* 1. *§. fin. ff. de verb. oblig.* ubi sancitur, quod in stipulationibus ita loquendum sit, ut quisque alterius intelligat linguam. Quod etiam docet Bart. *eo loco num.* 1. & Alex. *num.* 8. Idque repetit idem Bart. *in l. decreta* 48. *ff. de re judic. num.* 1. quod scilicet Judex inter vulgares loqui debeat vulgariter, & inter literatos literaliter. Ac *in l. Judices*, *C. de sent. & interl.* quod inter Græcos debeat ferri sententia in græco sermone, scilicet vulgari, quia verbis intelligibilibus. Quod sequitur Bald. *in prin.* Nam ubi non est intellectus, ibi non est sententia. Oportet autem, quod partes intelligant quid Judex loquitur. Unde potius debet attendi idioma partium, quàm Judicis. Et *num.* 4. ait, Notarium posse transumere ex literalis, mente non mutata, & in literali verba vulgaria. Atque in proposito tradit Gratian. *dist.* 73. *cap.* 1. & 2. Burcardum Vvormacien'em ex Synodo Nicena scripsisse Valterio Spirensi Episcopo græco idiomate, ut acceptor epistolæ de omnibus conscriptis magis certior redderetur.

3 Constat igitur ex prudentium sententia pro recta ratione intellectiva deberi in eo idiomate jus dici, quo legentes loquuntur. Immò & Justinianus *in l.* 2. *§. hoc autem, vers. Nisi tantum si velint.*, *C. de vet. Jur. enucl.* præcipit leges in græcam vocem a latina transferri sub eodem ordine, eademque consequentia, qua sub una voce Romana positæ sunt. Quare Felin. *in rub. num.* 8. *vers. ubi autem de Constitut.* firmat incumbere onus omnibus, quorum interest, adire translatores.

4 Exempla de hac re extant in pluribus Religionibus, præsertim S. Basilii, & S. Augustini, ac Carmelitarum, quæ prius habuerunt Regulam, & Constitutiones materna lingua Tyriis donatas. Quia dulcius ab uno quoque suscipitur, quod patrio sermone narratur, ut probè ad rem dixit Cassiod. *præf. in scrip. Divin.*

5 Qui porrò voluerunt idiomate vulgari, seu quod intelligeretur a vulgo commercia, & negotia in Republica expediri rectè consuluerunt, ne per captiones verborum incognitorum fraudes, & doli tegerentur. Et ita è Republica fuit, quod Tyberius Cæsar prohibuerit Romæ uti in judicio, & testimoniis lingua græca, ut testantur Dio *lib.* 7. & Svet. *in ejus vita cap.* 71. Edoardi quoque tertii Regis ejus nominis Anglorum sententia decretum est, ut Judices atque litigatores, Patroni, procuratores, cognitoresque causarum Anglicè loquerentur, ac causarum actiones, & cætera acta lingua Anglica conscriberentur, quod populo fuit commodo. Quippè quem deinceps in causis agendis non oportuit interprete uti. Polyd. *lib.* 19. *hist. Ang.* Franciscus quoque primus Rex Galliarum statuit *in Constit. edita* 1539. *art.* 11. ut in posterum in Gallia verbis vulgaribus vernaculo, & materno idiomate patriæ tam contractus, processus, sententiæ, arresta, quàm alia acta fierent & instrumenta, justissimas ob causas, cum antea ferè latinis verbis fierent. Tum quoad variis modis unum & idem verbum latinum ad varia torqueretur. Tum quod latinè, & eloquenter loqui volentes totam obscurabant sententiam per scripturam dictionum aliò tendentium. Unde major de verbis, quàm de intellectu actionis sæpissimè excitabatur in litibus controversia. Ignorantiæ enim præcludit excusationem quod claris, & vulgaribus literis, ac idiomate concipitur, *leg. sed si pupilli* 11. *§. præscribere de instit. act.* Et facilius capitur, quod eo idiomate, quod cognitum est, jubetur, ut proinde & leges sic, & decreta, seu mandata subditis communicari, seu reservari meritò statuerint *§. Alienationis*, *authent. de non alienan. aut permut. reb. Eccles.* facitque *§. fin. ibid.* ut *præpon. nom. Imper.* ac firmant Doctores *ad l. fin. de verb. obl.* Felin. *in rub. de constit.* Eademque ratione & decreta a Prætoribus latinè interponi debuisse puto *d. l. decreta* 48. *de re jud.* & non nisi latinè causas in foro actas fuisse.

Locutio quidem, seu oratio interpres est mentis, ver- 6
bis discrepans, sententiis congruens. Atqui verba inventa sunt non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. Cæterùm non omnia verba, non omnis oratio talis semper est, sed tantum sermonis, qui notus est nobis, & audientibus, & compositus illis verbis, quibus conventum est in societate hominum quacumque aliquid significari.

Nec aliquod detrimentum videtur universo cœtui 7
Religiosorum causari posse ex hac traductione. Immò ex ea tollitur non solùm omnis causa peccati, sed etiam periculum; cùm non sufficit pro illius evitatione sola ignorantia rerum agendarum circa essentiam, dum illa deducitur ex prava hominis voluntate, nolente habere diligentiam ad sciendum jus illud, quod scire obligatur; vel ad considerandum factum suum, quod eidem Juri conformari tenetur ex 1. *ad Corinth.* 14. si quis ignorat, ignorabitur, & post D. Thom. 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. Reginald. *in d. prax. lib.* 11. *rub. de generali ratione judicandi de peccatis ad eam spectantibus ex parte intellectus humani part.* 1. *numer.* 15. sed etiam requiritur, quod apponatur diligentia, ut eam ignorantiam corrigat, quando advertit eam causari ex Regula non intellecta, & periculum illius transgressionis sibi affere, gravisque offensionis, & scandali causam aliis esse. Siquidem, ut ait Cajet. *in sum. verbo Religiosi*, *Quædam sunt iis propria ex propria sibi Regula*, *aut Constitutionibus*, & *hæc quilibet de se ipso sciat*. Ut proinde non immeritò Esdras 17. 23. reprehendat Judæos, quia duxisset uxores Azotidas, Amonitidas, & Moabitidas, & filii eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Judaicè, & ideò prævaricati fuerunt legem Dei.

CONSULTATIO XIII.

An Examinatores Synodales teneantur emittere juramentum in Synodo?

COncilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 18. *de ref.* ubi 1
agit de Examinatoribus Synodalibus, inquit, debere eligi, & approbari ab ipsa Synodo, subdens autem ibidem de juramento ab eis præstando, absolutè loquitur, nec determinat, quod præstetur in eadem Synodo.

Tenendum igitur est, posse etiam præstari extra Sy- 2
nodum. Ita censet Garz. *de benef. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 356. quem sequitur Gavant. *in prax. Synod. c.* 31. *num.* 8. quod etiam confirmatur. Quia cùm idem Concilium concedat posse eligi in Examinatores etiam Regulares, qui non interveniunt in Synodo, manifestè colligitur, quod extra Synodum possint hujusmodi juramentum præstare. Gratis enim diceretur, quòd ad hunc effectum tantum debeant intervenire in Synodo, cum Concilium non determinet expresè de juramento in ipsa Synodo præstando.

Nec obstat decisio Forosempronien. coram Manti- 3
ca, quam refert idem Garz. *ubi sup. num.* 133. Nam in ea tantum dicitur, concursum fuisse nullum, quia coram examinatoribus factum fuerat, qui non præstiterant juramentum, sed nihil in ea dicitur, quod sit præstandum in Synodo.

CONSULTATIO XIV.

An, & quatenus munus ac dignitas Apostolorum aliquibus Sanctis viris appropriari possint?

MUnus & dignitatem Apostolorum Eminentissimus 1
eruditione ac pietate Cardinalis Baronius, historiæ Sacræ verè Cæsar anno 32. *n.* 5. hisce verbis describit:

bit : *Apoſtolos*, inquit, *ea de cauſa elegit Chriſtus, ut verbi prædicatione Orbi caligine offuſo lumen veritatis impartirent*. Hæc tamen deſcriptio propter multiplicem omiſſionem vitioſa videtur. At in Hiſtorico poteſt quidem hæc negligentia ferri.

2 Obſervandum igitur eſt, non uno modo in Scripturis, & apud Patres hoc nomen reperiri uſurpatum. In communi enim Græcorum uſu Apoſtoli dicebantur certi homines, qui negotii gerendi gratia magis, quàm deferendi nuntii aliquò mittebantur. Sic accipitur Joan. 13. 16. *Non eſt miſſus major eo, qui miſit*. Et *in epiſtol. ad Hebr.* 3. 1. Chriſtus ipſe dicitur *Apoſtolus, & Pontifex confeſſionis noſtræ*, vel quia caput ipſe eſt, & Princeps Apoſtolorum, unde omnis in illos vis divina, atque auctoritas manavit, vel quia ipſe quoque in hunc mundum a Patre *miſſus eſt*. Matth. 15. 24. Sic & Epaphroditum vocat Paulus ſcribens ad Philippenſes illorum Apoſtolum 2. 25. tanquam ad ſe miſſum ab illis, qui ipſi miniſtraret.

3 At notione peculiari, ac propria illi duodecim Chriſti Diſcipuli ſic dicti ſunt, quibus ipſe, non quidem jure ordinario, quod ſoli Petro, veluti Paſtori ordinario Eccleſiæ, contulit, ſed extraordinario, & delegato Orbem terrarum non ſolùm verbi prædicatione erudiendum commiſit, ſed etiam auctoritatem ampliſſimam dedit, Eccleſiam ſuam fundandi, conſtituendi, verbo, ſcriptiſque docendi, & Epiſcopos illi, Paſtoreſque alios imponendi, qui deinceps eſſent eam recturi. Inter autem proprias Apoſtolorum notas ſunt hæ duæ: quod a Chriſto, aut a Spiritu Sancto immediatè electi, & miſſi ſunt, ut eſſent teſtes reſurrectionis ipſius, & omnium, quæ vidiſſent. Ad priorem notam reſpicit Paulus, cùm aſſerens ſui Apoſtolatus dignitatem initio Epiſtolæ ad Galates, *factum ſe*, ait, *Apoſtolum non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*. Plerique autem Sancti Viri ſunt a Deo quidem Apoſtoli, ſed per hominem. Ad poſteriorem notam pertinet, quod ait Dominus initio Actorum: *Teſtes mihi eritis in tota Judæa, Samaria, & uſque ad ultimos mundi fines*, & quod Petrus capite eodem *v.* 21. & 22. Oſtendit enim neceſſarium fuiſſe, ut quicumque eſſet futurus Apoſtolus, Chriſtum in terris vidiſſet, atque earum rerum teſtimonium poſſet præbere, quarum ipſe extitiſſet rei geſtæ ſpectator, ſive oculatus teſtis. *Act.* 10. 41. Petrus ſe & reliquos Apoſtolos vocat teſtes præordinatos a Deo, & de miniſterio Apoſtolorum ſæpè uſurpantur voces *teſtimonium exhibere*, ut Act. 10. 42. & 23. 11. Quare Paulus 1. Corinth. 9. 1. cur Apoſtoli nomen jure poſſet ſibi vindicare, hanc cum primis rationem affert, *quia Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum viderat*. Cæteri autem Sancti eundem Chriſtum prædicant, ut teſtes inſtructi, & fide illuminati, ac miſſi a Chriſti Vicario.

4 Tertiam conditionem Apoſtolatui propriam notant Evangeliſtæ, cùm dicunt juſſos fuiſſe illos ire per totum mundum, & prædicare Evangelium *omnibus creaturis*, ut loquitur Marcus 16. 15 Propterea Chryſoſtomus eximia quadam homilia in editione Savil. *tom.* 8. *pag.* 110. inquit: *Principes ſunt Apoſtoli, a Deo conſtituti, Principes, qui non gentes aliquas, aut Urbes diverſas regendas acceperint, ſed quorum fidei Orbis terrarum in commune fuit concreditus*. Unde eorum doctrina vel eo ſolo nomine, qua Apoſtolorum eſt velut ſacra, & irrefragabilis, colitur. Quod de aliorum Sanctorum doctrina ſub eo titulo, qua Sanctorum eſſe perhibetur, dici non poteſt.

5 Quarta nota eſt poteſtas & dignitas longè major, & auguſtior, quàm ulli unquam alii functioni ſpirituali fuerit attributa. Solis enim Apoſtolis dictum eſt a Chriſto: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Joan. 20. 21. non quidem æqualitatem, ſed ſimilitudinem tantum poteſtatis inſinuante. Quod etiam ſignificat Apoſtolus 1. *Corinth.* 12. 28. Beatus verò Chryſoſtomus eum locum tractans ea, quam dixi, homilia, ut magnitudinem muneris Apoſtolici exprimeret, ait, Apoſtolatum ſupra omnes alias functiones ſpirituales ſic eminere, ut ſupra omnes civiles Magiſtratus eminet poteſtas Conſularis. Itaque Apoſtolatum nominat *poteſtatem omnium maximè ſpiritualium caput, radicem, & originem, ſive fundamentum*. Quoniam, inquit, in Apoſtolatu continentur omnes inferiores poteſtates, quas eo loco Paulus enumerat. Atque hinc vocantur fundamentum Eccleſiæ, *ſuper ædificati*, inquit Paulus *ad Epheſ.* 2. 20. *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*. Quibus verbis ſignificatur ſummum quidem Eccleſiæ fundamentum eſſe Chriſtum, Apoſtolos autem eſſe veluti primos illos lapides, qui in fundamenta jaciuntur. Quod explicans Evangeliſta Joannes: *Murus*, inquit *Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum*. Apocal. 21. 24. Hæc autem denominatio ipſorum poteſtatem, doctrinam, ac theologicum lumen reſpicit, quæ tanto majora in iis fuerint neceſſe eſt, quanto fundamentum cæteris ædificii partibus firmitate antecellit, ut proinde eo ſapientiæ, ac poteſtatis faſtigio alii decorari non poſſint.

Benedictus autem Pererius inter cæteras prærogativas, atque excellentias Apoſtolorum, quas collegit, has etiam adnumerat *in cap.* 1. *ad Rom. diſput.* 11. *numer.* 9. nimirum quod cum Chriſto familiariter verſantes ejus magiſterio in theologia inſtruerentur, ac proficerent, cujus gratiæ, ne Prophetæ quidem participes fuere, licet voluerint videre, & audire, quæ Apoſtoli in ſchola Chriſti percipiebant. *Matth.* 13. Quòd habuerint notitiam, poteſtatem, ac jus diſcernendi Canonicas ſcripturas a non Canonicis, quin & novas condendi, idque fecerunt Petrus, Paulus, Matthæus, Joannes, Jacobus, Judas. Quòd compoſuerint ſymbolum fidei, quod eſt ſumma, compendium, epitome doctrinæ theologicæ conſummatiſſima. Quòd fuerit in illis excellens poteſtas faciendi miracula, adeòut vel ipſa umbra Petri ægrotus ſanaret. *Act.* 5. Quod habuerit donum linguarum. *Act.* 2. 1. *ad Corinth.* 14. Quod futuri ſint præcipua quadam, & ſingulari ratione Judices hominum. *Matth.* 19. Quòd poteſtas illis erat conferendi hominibus Spiritum Sanctum viſibili aliquo ſigno per impoſitionem manuum. *Act.* 8. Quod poſt acceptum Spiritum Sanctum in Pentecoſte confirmati fuerint in gratia, & facti quodammodo impeccabiles quoad mortalia, quod elicitur ex illis Jo. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*. Et rectè accommodatur illud Pſalm. 74. 4. *Ego confirmavi columnas ejus*. Quòd in iis, quæ ducebant, tradebantque Eccleſiæ ſive credenda, ſive agenda, & circa Sacramenta obſervanda, erant infallibiles, id eſt, nec ipſi falli poterant, nec fallere alios. Quod in gratia, ſcientia ſacra rerum divinarum, & cognitione theologica myſteriorum fidei præſtantiores fuere omnibus, quicunque ante eos, vel poſtea unquam extiterunt, eruntque. In quibus quidem primi Eccleſiæ magiſtri a ſucceſſoribus differunt. Apoſtoli enim, quia Spiritus Sancti Amanuenſes, & organa, primique fidei Evangelicæ magiſtri fuerunt, qui omnia de novo abſque duce, præcedentis Eccleſiæ docere debebant, ideò immediata revelatione Dei, ac ſcientiæ ſacrarum ſcripturarum plenitudine indigebant, necnon peculiari Spiritus Sancti directione tàm circa media, quàm concluſiones, ut omni ex parte doctrina eorum eſſet certa, infallibilis, atque divina. Unde illis ſolis conceſſum fuit novos fidei articulos in ſymbolo condere, nova Sacramenta promulgare, ſcripturam canonicam ſcribere; ſuccedenti verò Eccleſiæ, quia iſta neceſſaria non ſunt, ideò nihil eorum facit, ſed majorum veſtigiis inſiſtente, traditæque doctrinæ inhærens, partim ſua authoritate credentibus pro tempore fidei doctrinam confirmat, partim dubia emergentia aperit & explicat, atque ita potius teſtem agit, quàm authorem, nec fundamenta ponit, ſed ſolum ſuperædificat, non plantat, ſed rigat, nec prima ſemina jacit, ſed potius in aliorum labores ſubintrans, ſeminata colit, tuetur, & metit. Longè autem majori peritia & certitudine opus eſt ad prima principia rerum ſtatuenda, quàm ad conſervandum res jam exiſtentes. Satis enim fuerit ſemel acceptis diligenter inſiſtere, & ex eis alia deducere, quod faciliùs eſt, quam rem penitùs ignoratam de novo explorare & docere. Unde in Concilis Patres non nova, ſed ab antiquis accepta poſteris tradidere, & contra emergentes hæreſes, novas & peregrinas doctrinas obtrudentes, depoſitam, ſeu ab Apoſtolis acceptam fidei doctrinam conſervarunt, nihil novi addendo, ſed perperam intellecta corrigendo, & obſcuriùs credita ex præcipuis quibuſdam articulis, in quibus ut in principiis, ac ſemine latebant, eruendo. Atque hoc ſenſu intelligendum eſt, articulos fidei non creſcere ſecundùm ſubſtantiam fidei, ſed tantùm ſecundùm explicationem, propter quam contra nova hæreticorum commenta nonnunquam novas voces introducere cogitur, ut contra Arianos Homouſion, contra Neſtorianos Theotocon, contra Sacramentarios Tranſubſtantiationem, quales voces non pertinere ad profanas vocum novitates, quas in hæreticis Apoſtolus reprehendit, oſtendit D. Auguſtinus *in Joannem tr.* 98. videnduſque D. Thomas 2. 2. *q.* 4. *art.* 7.

Hæ igitur notæ, cùm nemini unquam mortalium verè competierint, aut competere poſſint præter illos duodecim Apoſtolos, qui ſunt a Domino inſtituti, & Mathiæ, Paulo, & Barnabæ, qui poſteà in illum divinum chorum a Spiritu Sancto immediatè ſunt cooptati, certum 7

tum eſt, appellationem Apoſtolicorum nemini præter illos, quos dixi, poſſe tribui, niſi fortaſſe figuratè, & æquivocè, impropriè ac durè. Ita etiam in ſcriptis B. Athanaſii, Epiphanii, Euſebii, ac præſertim Sidonii Apollinaris, & aliorum Scriptorum eſt invenire, Epiſcopos non rarò nominari Papas & Summos Pontifices, impropriè quidem, quando diſcrimen eſt ingens inter Papam, Summum Pontificem, & Epiſcopos. Hinc ſapientiſſimè Congregatio Sacrorum Rituum die 4. Auguſti anno 1663. cum accuratè, ut ſolet omnia, examinaret lectiones S. Franciſci Xaverii, in Breviario Romano nuper appoſitas, noluit in eis admittere cognomen Apoſtoli Indiarum, quo vir Dei denominabatur, ſed illud deleri juſſit. Confirmatur ex Canoniſtis nominatim ex Hoſt. *in c.* 1. *dereliq. & ven. ſanct.* ubi concorditer docent quod quiſque canonizari debet ad ordinem & dignitatem ſibi competentem. Quia in conferendis dignitatibus debet haberi ratio gradus & dignitatis perſonæ, ex *cap. de multa in fin. de præb. c. ſtatuimus*, ubi gloſ. *de mai. & obed. cap. jus militare* 1. *d.* 1. *fin.* Ergo non Apoſtolus non debet canonizari ad dignitatem, & ordinem Apoſtolorum, nec Apoſtolus ad dignitatem, & ordinem Confeſſorum &c. Indecorum quippè eſſet, ſi pro Apoſtolo fieret officium de Confeſſoribus, ut obſervat Contelor. *de Canoniz. ſanct. cap.* 12. Vide omnino *cap.* 1. *de reliq. & ven. SS. in* 6. Prætereà etiamſi non dubitetur qui titulus Apoſtoli aliquibus Sanctis debeatur, non facilè tamen Romanæ aures pati debent has vocum novitates, ut advertit P. Baronius Sacræ Religionis Dominicanæ Hercules Alexicacos *in Apolog. pro Relig. ſua* adverſus Raynaudum *lib.* 1. *ſect.* 3. §. 4. ubi eruditè ſubjungit, ſe reperiſſe, datum S. Xaverio titulum primi Indiarum, & Japonum Apoſtoli, quod cùm minimè verus eſſet & legitimus, & S. Thomas Apoſtolus, pluresque alii poſterioribus ſæculis eò navigaſſent, evangelii promulgandi cauſa, hæc laus illi præripi non debet.

8 Hoc etiam ex eo conſtat, quod primis Eccleſiæ temporibus ea nominis Apoſtolici uſurpatio prorſus fuit inaudita. Nam Apoſtolos a Petro, vel ab aliis Apoſtolis fuiſſe conſtitutos nuſquam legimus. Hinc priorum ſæculorum Patres, & interiorum pii, atque eruditi Scriptores, eos, qui Evangelium prædicarunt Gentibus, non Apoſtoli nomine, ſed Evangelii præconis honore dignati ſunt. Euſebius enim *lib.* 5. *cap.* 10. narrat, Pantænum, cùm in ſchola Alexandrina doceret, tanto fuiſſe præditum zelo, *ut ordinatus fuerit Evangelii ſecundum Chriſtum præco Gentibus in Oriente poſitis*. Obſervent antiquitatis ſtudioſi dicere Euſebium, fuiſſe Pantænum ordinatum præconem Evangelii, non autem Apoſtolum. Melius id declarat hiſtoria Chriſtianiſmi apud Indos inſtituti, quam totidem ferè verbis exponunt, Socrates *l.* 1 *c.* 19. Theodoretus *l.* 2. *c.* 24. Socratis verba ſunt: *Athanaſius, rei utilitate conſiderata, effecit, ut ipſe Frumentius cum Epiſcopatum ſuſciperet, quod diceret, aptiorem illo habere ſe neminem alium. Ita igitur factum eſt, ut Frumentius honore Epiſcopatus ornatus in regionem reverteretur Indorum, & Chriſtianiſmi fieret præco*. Addit Sozomenus, Frumentium in India tantam adeptum eſſe gloriam, ut illum Indi non minus mirarentur, quàm Apoſtolos. At fuiſſe Frumentium Apoſtolum, aut vocatum eſſe illum Apoſtolum non dicit Sozomenus, neque veterum quiſquam. Omitto ſimilia exempla, quæ veritatis ſtudioſi ex hiſtoria priſca facilè colligent vel plurima.

9 Ex quibus nos aſſerimus pro Servis Dei omnes habere Evangelii ſinceros præcones, & eorum memoriam religiosè colimus, Apoſtolos propriè ſic dictos non alios agnoſcimus, niſi eos, quorum nomina in Scripturis ſunt prodita, adjicimuſque Martialem, alioſque nonnullos, eo modo Gallorum Apoſtolum appellari poſſe, quo Paulus Epaphroditum Philippenſium Apoſtolum vocat. Duo enim legitima Apoſtolorum genera fuiſſe tradit Hieronymus *in Epiſt. ad Galat.* Primum, quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, aut Spiritum Sanctum. In hoc genere fuerunt duodecim Apoſtoli, a Chriſto ordinati, & cum his Mathias, Paulus, & Barnabas. Alterum quod a Deo quidem, ſed per hominem. Hujus generis fuit Epaphroditus, Silas quoque & Judas, qui teſte Hieronymo ab Apoſtolis Apoſtoli nominati ſunt, Martialis & alii, qui, ut idem Hieronymus teſtatur, ab Apoſtolis ordinati ſunt Apoſtoli Eccleſiarum, de quibus ſcribit Paulus 2. Corinth. 8. *Sive fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti*. At quanti facienda ſit de iſtis Apoſtolis gloriatio, qui uſurpatione alieni nominis ſic dicti ſunt, alii dijudicent.

CONSULTATIO XV.

An ratione conſuetudinis teneamur in jejuniis extra Quadrageſimam abſtinere ab ovis, & lacticiniis?

NEgant Henriquez, Vaſquez, Sanchez, Rodriquez, 1
Villalobos, Filliucius, Portel, Diana, Sancius, Boſſius, Vega, Murcia, Narbona, Martinus a S. Joſeph, Trullench, quos ſectatur Paſqualigus *in prax. jejun. deciſ.* 69. *n.* 2. Moventur præcipuè, quia, ut conſuetudo obliget ad mortale, non ſufficit, quod etiam ab immemorabili tempore introducta ſit, ſed debet eſſe introducta cum animo ſe obligandi ad mortale, & quatenus introducta cum tali animo approbata a Superioribus. In hoc autem caſu non conſtat, an conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in jejuniis extra Quadrageſimam ſit introducta cum animo ſe obligandi. Item, quod hæc conſuetudo non eſt neceſſaria pro bono Communitatis, atque adeò non poterit habere rationem legis. Tum quia hæc conſuetudo fundatur in ignorantia, & errore, ideòque non poteſt acquirere vim legis, ut tradunt communiter DD. cum Gloſ. *in c. fin. de conſuetud.*

Hanc opinionem, ut ingenuè loquar, ſemper repu- 2
diavi, cumque omni averſione repuli Auctores illos, quibus in more poſitum eſt e regione univerſorum caſtrametari, dum nimirum indulgent ingenio, & paulò ſtudioſius itinera non trita, ſenſuque fidelium revicta falſitatis ſectantur, a veritate frequenter aberrant. Quod, ut alia taceam, manifeſtè apparet in re præſenti. Adverſus illam reclamarunt Bonaccina *diſp. ult. de præcept. Eccleſ. qu.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Tamburin. *tom.* 2. *de jur. Abb. diſp.* 12. *qu.* 9. *num.* 7. atque adeò peccare mortaliter ſi quis in jejuniis extra quadrageſimam ova, vel lacticinia comedat, tradiderunt Angles *in florib. qu.* 9. *de jejun. art.* 1. *diff.* 2. Navar. *in ſum. cap.* 21. *num.* 13. hiſpanicè, latinè *n.* 15. Medina *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 10. Alcozer *cap.* 24. *ſum.* Candelab. aur *in append. cap.* 15. *n.* 16. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 8. Layman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *cap.* 1. *num.* 3. & alii. Hujus ſententiæ ſufficientia pulchrè demonſtratur ex eo, quod conſuetudo legitimè introducta, & præſcripta habet vim legis, ac proinde vim obligandi. Imol. *in cap. cæterum num.* 2. *de donat. & in cap. Dilecti nu.* 5. *de arb.* Butr. *in dict. cap. fin. de conſuetud. num.* 51. Bart. *in l.* 1. §. *Denique*, *ff. de aqu. pluv. arc.* Bald. *in l. De quibus num.* 3. *in* 2. *lect. & in l.* 2. *n.* 2. *C. quæ ſit long. conſuet.* Et proſequuntur communiter Doctores apud Piagium *de conſuetud. qu.* 8. *num.* 160. Siquidem cum juris civilis ſpecies ſit atque jus ſcriptum, *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* §. *ex non ſcripto*, *inſtit. de jur. nat. gent. cap. conſult.* 1. *diſt. cap. Cum ſit conſuetudo extr. eod.* Guidopapa *in præf. deciſ.* & altera quædam natura, Menoch. *conſ.* 13. *n.* 22. Itaque omnes obligat ad ſcientiam, & ad obedientiam, aut ad pœnam in contractibus, *l. fundus* 6. *de evict. Cod. quod ſi* 1. §. *quia aſſidua* 18. *de ædil. edic. l. ſine* 32. §. *Lucius*, *de adm. tut.* In delictis, *auth. qua in Provincia*, *Cod. ubi de crimine*, *l. laccularii* 7. *de extr. crim. l. aut facta* 16. §. *pen. de pœn.* In judiciis, *l.* 3. §. *fin.* ubi Gloſ. *de teſt. auth. jubemus*, ubi Bald. *C. de judic.* Et in aliis id genus actionibus humanis, *lib.* 4. §. *fin de vectig. l. ſi quis donaturus* 14. *de uſufr. lib.* 4. *C. de ædif. priv.*

Motiva autem contraria licet viri magni, inter quos 3
Leander. *part.* 3. *in præcept. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. quem malè rejicit Paſqualigus *loc. cit. numer.* 9. lucùlenter everterint, tamen non abs re fore arbitror, ſi ego quoque illis occurram. Ad primum ſanè hæc intentio ſatis videtur præſumptivè probata, ubi de actibus frequentatis, & diuturnitate temporis obſervatis legitimè conſtat. Proinde hic allegantis de infirmandæ conſuetudinis intentione partes erunt probare, quod populus errore facti eſſet ductus, atque ita intentionem ſtabiliendæ conſuetudinis non habuiſſet. Sic poſt Curtium in ſpecie reſpondit Decian. *conſ.* 41. *numer.* 118. *volum.* 2. & ſentit Vveſembec. *ad tit. ff. de legib. ſub. num.* 9. Obſervantia igitur declarat ejuſmodi conſuetudinem obligare. Poteſt enim obſervantia conſtituere jus, & facere, quod id obliget, quod de ſe non obligat, *l. De quibus*, *ff. de legib. & l. nulli*, *ff. quod cujuſque univerſ. & l. Obſervare*, §. 5. *de offic. Proconſ.* Unde quamvis conſuetudo non obliget ex eo quia non conſtat, quod ſit inducta animo ſe obligandi, obligat tamen, quia obſervantia ita declarat. Porrò quod arbitrantur plerique neceſſum eſſe, ut aut a toto populo, aut majore ejus parte conſuetudo inducatur, id, ut in ſtatutis obtineat *l. quod mai. ff. de mun.* certè in conſuetudine admitti non debet, neque etiam poteſt, cùm hujus origo plerumque ignoretur, nec in conſiderationem veniat, ſatiſque ſit actus ſingulares probare, & de his oſtendere, eorum uſum in

verisimilem notitiam populi pervenisse, Jas. *in dict. l. de quibus n.* 48. Curt. *in rep. cap. fin. de consuet.* Cor. *cons.* 292. *vol.* 1. quòd si vel totius populi, vel majoris partis usurpatio esset demonstranda, profectò aut impossibilis, aut difficilis admodum efficeretur consuetudinis probatio. Quare omnes illæ disputationes inutiles sunt, an induci consuetudo possit a muliere, Bart. *in l.* 1. *ff. de leg.* Panor. *in cap. fin. extr. eod.* A minore, Bart. *in l.* 2. *C. quæ sit longa consuet.* A familia, Doctores *in d. leg. de quibus*, & *d. cap. fin. in l. si non speciali* 9. *C. de testam.* Nec enim consideratur a quo sit orta consuetudo, id, quod plerumque, ut in vetustis, sciri non potest, *l. si arbiter* 28. *ff. de prob.* sed an in notitiam, & usum popularem transierit, Jas. *num.* 48. & Doctores *in dict. l. de quibus*, cùm forma essentialis consuetudinis consistat in tacito consensu populi, qui non aliunde, nisi ex actibus colligi potest. Ad secundum consuetudinem introducere potest populus, qui & legem condere, *dict. l. de quibus*. Quod in libero populo minus habet dubitationis, Bart. *in dict. l. de quibus num.* 11. In eo, qui superiorem recognoscit plus quæstionis est, aliis existimantibus scientiam & patientiam superioris opus esse, *cap. cum non ignores, de præb.* Cyn. & alii *in l.* 2. *C. quæ sit long. cons.* aliis verò contra judicantibus, sufficere, si Princeps superior non contradicat, Bart. *numer.* 11. Jas. *num.* 39. *in d. leg. de quibus*, Fab. *in l.* 1. *C. de sum. Trin. & in §. fine scripto*, ubi Ang. *instit. de jur. nat. gen. & civ.* Innoc. & Canonistæ *in rub. & c. fin. extra. eod.* quorum sententia usu est acceptior. Quinimmò superioris consensum ad substantiam consuetudinis non requirunt Doctores apud Cevall. *quæst.* 358. *num.* 3. & hanc esse magis communem opinionem etiam Canonistarum comprobat Moneta *de decim. c.* 1. *n.* 88. At esto quod requiratur, esset id intelligendum, quando consuetudo esset contra jus commune. Cravet. *cons.* 96. *num.* 6. quem cum aliis in specie sequitur Borellus *cons.* 65. *n.* 4. Item quando tempus immemoriale non intercesserit. Nam ubi immemorialis est consuetudo, Superioris consensum accessisse haud erit necesse probare. Decian. *resp.* 15. *n.* 113. *vol.* 2. & *resp.* 124. *num.* 49. *vol.* 3. Intrigl. *de feud. q.* 39. *a num.* 49. & alii quamplures. Ad tertium. Sufficit, quod consuetudo sit rationabilis, *d. cap. fin. de consuet.* Natt. *in cap. Dilecto num.* 27. *de offic. Archid.* & *in cap. Postulasti n.* 2. *de for. comp.* & *in cap. Dilectus num.* 4. *de appell.* & *in cap. Extirpandæ n.* 8. *de præb.* & *in cap. Tuas in princ. de spons.* & *in cap. Omnis num.* 19. *de pœnit.* & *remis.* Henric. Boich. *in cap. Abbate num.* 76. *de verb. signif.* Luc. de Penn. *in repet. l. Unicæ num.* 9. *C. de collat. don. lib.* 10. Aym. *cons.* 952. Et quod sit forma consuetudinis sola rationabilitas voluit Petr. de Raven. *de consuet. num.* 107. Talisque dicitur, quæ non est contra legem divinam, gentium, vel positivam, eoque magis quando cohæret alicui ipsarum, ut per eundem *ubi supra n.* 31. & Fulgos. *cons.* 155. *n.* 3. Quæque circa tria versatur, scilicet, ut Religioni conveniat, disciplinæ congruat, & saluti proficiat. Roch. *d. cap. fin. de consuet. num.* 213. Ad quartum. Nego quod sit fundata ignorantia, & errore, ut ante dixi, principium consuetudinis non considerari, & alioqui traditum est: Actus consuetudinis in dubio semper præsumi animo confirmandæ consuetudinis factos esse, Glos. & Doctores, præcipuè Curt. *in d. cap. fin. in* 7. *requisit.* & hujus requisiti magna non sit habenda ratio, nisi error facti populum consuetudine usum esse ostendi posset. Præterea mirum est, quod error præmissus fuerit in populo, in quo sunt tot ac tam præstantissimi viri, quo casu non esset præsumendus error docet Faber apud Piagium *qu.* 5. *num.* 26. Qui subdunt errorem non obesse consuetudini, quando esset circa causam impulsivam, ut per Cynum, & alios ibi relatos.

4 Atque hactenus Adversariorum error ex nostris, aliorumque dictis castigatus manet.

CONSULTATIO XVI.

1 QUidam Religiosi, jussi a Visitatoribus generalibus, ut coram ipsis comparerent, & scripturas quasdam consignarent, non paruerunt, quia Superiores immediati Provinciæ generaliter præceperant, ne aliquis ejusdem Provinciæ Religiosus dictis Visitatoribus obediret. Quare ii putaverunt bona fide obediendum esse potius suis Superioribus immediatis, quàm Visitatoribus. Sed quoniam a Visitatoribus ob non comparitionem, & non consignationem ejusmodi declarati fuerunt excommunicati, quæritur,

An stante dicta bona fide, possit excusari ab incursu excommunicationis?

CEnseo affirmativè respondendum. Quandoquidem 2
neque in modo loquendi, neque in re est aliqua difficultas. Nam quoad modum loquendi Theologi in materia censurarum varias causas adducunt, quibus asserunt fideles excusari ab earum incursu, ut ignorantiam, impotentiam, metum, absque ullo scrupulo utentes hoc modo loquendi: Homo excusatur ab incursu censuræ propter ignorantiam invincibilem facti, vel juris, propter metum, propter impotentiam. Ita Filliuc. *de censur. tract.* 1. *c.* 8. *n.* 239. & *seqq.* Bonac. item *de censur. disput.* 1. *quæst.* 2. *per tot.* & Doctores, quos citat, quibus alii adstipulantur.

Hoc eodem modo loquendi passim etiam utuntur Ju- 3
risperiti in materia excommunicationis, ut videre licet apud Genuen. *in prax. cap.* 29. *num.* 15. ubi quod ignorantia pœnæ statuti non excusat in facto, benè tamen excusat in sententia excommunicationis, & apud Barbos. *c. A nobis il* 1. *de sent. excom. n.* 10. ubi post multos Doctores, quos congerit, sustinet, ignorantiam legis novæ excusare ab excommunicatione. Immò & apud Glos. *cap. si verò de sent. excom. il* 2. ubi quod ignorantia probabilis excusat eum, qui percutit Clericum, ignorans esse Clericum. Et hoc ipsum vult textus expressus in *cap. Apostolicæ de Cler. excom.* ibi: *Quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos.*

Quod verò attinet ad rem, certum est, bonam fidem 4
excusare ab excommunicatione. Tum quia ex communi sententia bona fides excusat a culpa, & per consequens etiam a censura. Nam rem, quę culpa caret in damnum vocare non convenit, *c. Cognoscentes de constit.* Tum quia bona fides quemadmodum excludit contumaciam, ita etiam impedit, ne locum habeat excommunicatio, ut docent communiter D. Thom. *in supplem.* 3. *p. q.* 21. *art.* 3. Alens. 4. *part. q.* 2. *membr.* 1. *art.* 3. D. Bonav. *in* 4. *d.* 18. *part. ult. q.* 2. Richard. *art.* 3. *quæst.* 2. Bachon. *q.* 1. *art.* 1. Durand. *q.* 3. *n.* 7. Gabr. *q.* 2. *art.* 1. *cor.* 1. Sot. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. Ledesm. *p.* 4. *q.* 23. *art.* 3. Henriq. *lib.* 13. *sum. cap.* 17. *num.* 3. Navar. *cap.* 27. *n.* 9. *Man.* Covar. *in c. Alma mater. p.* 1. *§.* 9. *n.* 4. & Sayr. *lib.* 1. *de censur. cap.* 9. *n.* 29. Tum quia ignorantia invincibilis, seu probabilis facti, vel juris excusat a censura, *cit. cap. si vero*, & ibi Glos. *v. Ignoraverit*, Filliuc. *loco allegato a n.* 249. Bonac. *ubi supra p.* 1. *num.* 6. *cum seqq.* Ignorantia autem invicibilis, seu probabilis, vel est idem quod bona fides, vel illam producit. Unde invincibiliter ignorans rem esse alienam dicitur possessor bonæ fidei. Doctores citati ab eodem Bonac. *de contract. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 1.

CONSULTATIO XVII.

Ad evitandas controversias, quæ occasione electionis sepulturæ non sine fidelium scandalo excitari solent, dubitatur

PRimò, *An sit valida electio sepulturæ, quam quis sivè sanus, sivè infirmus coram Parocho elegerit?* 1

Secundò. *An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui testamentum non sit?* 2

Tertiò. *An sit nulla electio sepulturæ, quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, & non in morte?* 3

Quartò. *An qui habet Capellam suæ familiæ cum propria sepultura, aut Capellam emerit cum sepultura propria, moriens absque sepulturæ electione sepeliendus sit in Cathedrali?* 4

Quintò. *An validè eligatur sepultura coram duobus testibus?* 5

Sextò. *An electio sepulturæ per nutus, & signa, in casu, quo quis loqui non possit, sit valida?* 6

Septimò. *An Confratres Sodalitatum, non electa sepultura, possint sepeliri in sepulchro suæ Ecclesiæ?* 7

Octavò. *An electiones sepulturæ, quæ jure præsumuntur sicuti uxoris respectu mariti, filii respectu patris eorumque Majorum, ac servorum respectu dominorum, sint validæ?* 8

Nonò. *An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu Tertiariorum sit sepeliendus in Ecclesia Regularium?* 9

Ad primum respondetur affirmativè, etiam si electio 10
fieret coram simplici Confessario. Ita Molfesius *in sum. tom.* 2. *tract.* 13. *c.* 8. *n.* 32. Dian. *p.* 5. *tract.* 3. *resol.* 106. quos adducit, & sequitur Pasqualigus *in decis. moral. decis.*

406. *num.* 1. Idque esse in praxi apud Curiam Neapolitanam ex decreto Concilii Provincialis *tit. de sepult.* testatur Lavor. *tom.* 1. *var. Lucubr. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 20. Ratio. Quia Parochus sive Confessarius constituitur veluti exequutor eorum, quæ ad animam concernunt: unde non se habet, ut purus testis, ac propterea standum est ipsius dicto, quod alioquin, utpotè singulare, non faceret plenam fidem, ut rectè advertit Pasqualigus *ibid. num.* 2.

11 Ad secundum. Non requiri testamentum ultimæ voluntatis, sed sufficere, quod sepultura eligatur longè ante mortem. Quia, licet electio sepulturæ sit actus ultimæ voluntatis. Glos. *in cap.* 1. *de sepult. in* 6. quando tamen est facta longè ante mortem habet robur in morte, ut pars ultimæ voluntatis. Nam moriens censetur illam approbare per suam ultimam voluntatem.

12 Ad tertium. Non esse nullam ex ratione proximè allata; nimirum, quod censetur approbata per ultimam voluntatem, donec illam non revocaverit.

13 Ad quartum. Negativè. Ex *dict. cap.* 1. *de sepult.* & *ex cap. Is, qui eod. tit. in* 6. Ubi habetur expresè, quod qui poterat eligere sibi sepulturam, & moritur absque electione, debet sepeliri in sepulchro Majorum suorum, si adsit, & in defectu ipsius in Parochiali. Ita tradunt Jo. Andr. *in cap. Licet de sepult. in* 6. Gemin. *ibid.* Sylvester. & alii. Sufficit autem, quod sepulcrum sit destinatum pro familia. Nam eo ipso quod est destinatum pro familia, si nulla fiat specialis electio sepulturæ, remanet illi addictus quicunque est de familia; quia censentur omnes de familia acquisiviss ibi domicilium mortuorum.

14 Ad quintum. Affirmativè. Sebast. Medic. *quæst.* 8. *de sepult.* Lauret. de Franch. *in controv. inter Episcop.* & *Regul. q.* 64. Genuens. *in prax. c.* 61. *num.* 10. Lavor. *supr. num.* 18. Diana loco citato, Pasqual. *d.* 404. *num.* 3. Nam agitur de præjudicio Ecclesiæ, in qua defunctus erat de jure sepeliendus, & comparatur dispositioni quoad pias causas, quæ saltem per duos testes debet probari, *c. Cum esses*, & *cap. Relatum* 1. *de testam.* ubi Abbas, & alii. Bartolus, cæterique Doctores *in lib.* 1. *C. de Sacros. Eccles.* Covar. *cap.* 11. *de testam. n.* 9. Clarus *§. Testamentum, q.* 6. *num.* 1. Tiraquel. *de privil. piæ caus. privil.* 3. & 164. Nicol. Ever. *tom.* 1. *cons.* 27. & 28. ac omnes.

15 Ad sextum dicendum est. Si nutus & signa hujusmodi sint sufficientia ad manifestandam voluntatem eligentis, ac de ipsa voluntate sic manifestata constet, electionem ejusmodi esse validam. Sunt enim nutus & signa quædam expressio propriæ mentis quoad ea, quæ fieri volumus, & substituuntur loco vocis, unde habent etiam eandem vim, quam haberet locutio: nam subrogatum est ejusdem naturæ cum eo, in cujus locum subrogatum est, *l. Imperator*, *§. fin. ff. de legib.* & *cap. Ecclesia S. Mariæ* 1. & 2. *tit. ut lite pendente*, Crot. *cons.* 76. *num.* 13. Tiraquel. *de jur. primog. q.* 40. *n.* 43.

16 Nec obstat, quod electio sepulturæ sit actus ultimæ voluntatis: mutus autem & qui loqui non potest, nequit talem actum facere: nequit enim testari. *Instit. quib. non est permissum fac. testam. §. Item Surdus*, & *l. Jubemus*, *C. de testam.* Nam respondetur, id esse verum, quando mutus scribere nescit, vel quando non potest intelligi, aut quando agitur ex jure civili, non ex Canonico in ordine ad pias causas, inter quas est electio sepulturæ. Posse autem mutum explicare, signis, aut nutibus suam voluntatem, ait textus *in l. servo invito* 65. *§. Item Surdus eod.* & *l. Discretis*, *C. qui test. fac. pos.*

17 Ideòque qui natura mutus, ac surdus est voluntatem suam ad causas pias posse quomodocumque declarare, scite firmarunt Abb. *in rubr. de testam. num.* 9. Clarus *d. §. Testamentum q.* 6. *num.* 7. Glos. *in cap. Cum tibi eod. tit.* & affirmat communis Doctorum sententia apud Molinam *de just. disp.* 134. passimque alios, & generatim si mutus talis sit, qui signis percipiat quidquid ei dicitur, & seipsum explicare sciat, poterit disponere de bonis suis, disertè docet Bart. *in l.* 1. *ff. de verb. oblig.* ibique Alciat. *num.* 51. & facit textus *in l. Patris*, *ff. de acq. hæred. l. ubi non voce*, *ff. de reg. Jur.* & prosequitur Spin. *in spec. testam. in rubr. glos.* 9. *per totam.* Quare illa tantum notitia voluntatis requiritur ad electionem sepulturæ, quæ sufficiens est ad causas pias. Tunc autem censendum est sufficienter esse notam voluntatem eligentis sibi sepulturam, quando constat se voluisse nutu, vel signis declarare suam voluntatem. Quod per duos testes probari potest, quamvis desint necessariæ solemnitates a jure civili requisitæ, *d. cap. Cum esses*, & *cap. Relatum* 1. *de testam.* ibique Doctores communiter, & habetur *l. nutu*, *ff. de legat.* 3. docetque inter alios Covar. *in d. c. Cum tibi num* 4. & 5. Tusc. *cons.* 120. *num.* 9. Quantenus igitur spectat ad causas pias tam in testamento, quàm in legato sufficit quocunque signo externo voluntatem eligentis declaratam esse. Quia jure naturali & gentium plus non requiritur. Hoc autem sufficere in hujusmodi dispositionibus dictum est.

Ad septimum. Extat decretum S. Congregationis Epi- 18
scop. & Regul. in una Anconitana 19. Decembris 1608. hujus tenoris: *Conceditur ex gratia Confraternitati, ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos Confratres ante infirmitatem, de qua decesserint, in ea Confraternitate descriptos, de consensu hæredum*, & *sine præjudicio quartæ funeralis, aliorumque emolumentorum, quæ spectarent ad Capitulum. vel Parochum.* Sed decretum istud est locale. Unde dicendum est, de jure absque privilegio Apostolico non posse. Ita etiam decrevit eadem Sac. Congregatio Episcop. & Regular. *in una Bergomen.* 12. Augusti 1582. per hæc verba: *Observetur de sepeliendis sodalibus in Societatis Oratorio privilegium illis super sepulturam concessum: ac illud, quod statuit Concilium Provinciale Mediolanen. ad obviandum fraudibus: ut videlicet sepeliendus verè fuerit sodalis illius societatis sex mensibus ante mortem*, & *saltem in articulo mortis quando elegerit sepulturam.* Perspicuè liquet ex juribus superiùs adductis, nimirum, quod quilibet decedens absque electione sepulturæ, sepeliendus est in propria Parochia. Ut autem Confrater, sive sodalis sepeliri possit in Ecclesia Sodalitatis, exigitur ut sibi in ea eligat sepulturam. Et ita sanè apertè tradunt Petr. de Ubald. *loc. alleg. c.* 1. *in fin.* Sebast. Medic. *de sepult. quæst.* 8. *n.* 41. Quod sequitur Lavor. *cap.* 11. *num.* 106. ac alii recentiores communiter, estque indubitatum.

Ad octavum. Affirmativè. De sepultura enim uxo- 19
ris respectu mariti habetur ex Petro de Ubald. Craveta, & aliis, quos sequitur Barbos. *de Parocho cap.* 26. *n.* 29. ubi *num.* 28. refert decretum S. Congregationis Rituum in Senogallien. 15. Januarii 1633. De sepultura autem filii respectu patris, sive Majorum dictum est supra *in respons. ad* 4. Idemque dicendum esse videtur de servo respectu domini, qui comparatur ad servum sicut pater ad filium. Asinius *in l. familiaria sepulchra*, *ff. de relig.* & *sumpt. fun. n.* 52.

Ad nonum extat etiam declaratio antiqua S. Congre- 20
gationis Episcop. & Regular. die 23. Novembr. 1582. Episcopo Novarien. in hæc verba: *V. S. non permetta in modo alcuno che i Terziarii confessino, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle confessioni da lei, benche siano frati, perche niuno dee confessare senza l' approvazione dell'Ordinario. Facendo intendere in oltre alli Terziarii, che habitano nelle case loro, che s'ingannano pensando, che tutti quelli, che hanno l'habito da Terziario si debano senz' altro, quando muojono, sepellire alla Chiesa de' frati, se essi non si sono eletta quella sepoltura, e gli faccia capaci, che non hanno tanti privilegi, quanti forse si persuadono, come si può vedere nel Concilio Lateranense ultimo nella sess.* 11. *Nè meno è vero, che ogn'uno, che lascia morendo d' esser vestito con l' habito di Terziario ò di frate, perciò debba esser sepellito nella Chiesa de' frati, se non hanno monstrato più che chiaramente la loro volontà circa l' elezione della sepoltura, ma doveranno esser portati dove di ragione sarebbono andati senza quell' habito.*

Cùm autem hæc dubia in Sac. Congregatione Con- 21
cilii Tridentini nomine Eminentissimi Cardinalis Ginetti, Commendatarii, Abbatiæ, & Ecclesiæ Parochialis S. Joannis Majoris Civitatis Neapolitanæ proposuissem, eadem S. Congregatio ad singula capita earundem controversiarum, seu dubiarum quæstionum respondens, ita die 13. Februarii 1666. declaravit, censuit, & decrevit, ut hic inferiùs explicatur.

Ad 1. *censuit, esse validam; dummodò Parochus non* 22
testetur ad proprium commodum.

Ad 2. *Censuit, non requiri necessariò testamentum.* 23

Ad 3. *Congregatio censuit, non esse nullam.* 24

Ad 4. *Non esse sepeliendum in Cathedrali.* 25

Ad 5. *Esse validam.* 26

Ad 6. *Esse validam; dummodò sufficienter constet de* 27
voluntate eligentis.

Ad 7. *Negativè.* 28

Ad 8. *Censuit, quatenus electa non fuerit sepultura,* 29
uxorem in sepulchro ultimi viri sepeliendam, filios verò in sepulchro Majorum, servos autem in Parochia.

Ad 9. *Sacr. Congreg. censuit negativè.*

CONSULTATIO XVIII.

An usufructus bonorum Ecclesiasticorum immobilium, qui ex prætensa consuetudine conceditur cum ipsis bonis ad vitam pro eorum portione inservientibus Ecclesiæ, prohibeatur in Extravagante Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien ?

1 OMninò. Nam, etsi non alienentur immobilia, sed solus conceditur ususfructus, attamen quia regulatur tanquam si esset locatio, quæ est prohibita sine solemnitate ultra triennium in d. Extravagante, utique censendum est prohiberi etiam usumfructum.

2 Hoc idem elicitur ex d. Extravagante, in qua nedum prohibetur alienatio bonorum Ecclesiæ, sed etiam rerum, ibi: *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem fieri prohibemus*. Ponit enim Pontifex tanquam duo distincta *res*, & *bona*, ut exprimeret quod Constitutio procedit non solum de bonis, verùm etiam de quocunque alio, quod non possit venire appellatione bonorum. Et cùm non distinguat de rebus, aut de usufructu earum, nec nos distinguere debemus, *l. Non distinguemus, ff. de recept. arb.* cum aliis. Quin cum rei appellatione veniat quidquid quocunque modo est aliquid, *l. si quis cum totum, init. ff. de excepi. rei jud. & l. si defensor, §. Qui interrogatus, ff. de interrogat. act. & l. de pupillo, §. Qui nunciat, ff. de nov. oper. nunc.* subdicta dispositione, quatenus prohibet res Ecclesiæ alienari, comprehenditur etiam earum ususfructus. Præsertim quia edita est in favorem Ecclesiæ ad illi conservanda bona, & res ipsius, & ideò tanquam lex favorabilis extendenda est. Nam in favorabilibus lex extenditur ad omnia, quæ sub aliqua significatione verborum sive naturali, sive civili comprehenduntur, ut docent communiter Doctores apud Suarez *de legib. lib. 6. cap. 2. num. 5.* Salas item *de legib. disp. 21. sect. 3.* Palaus *part. 1. tr. 3. disp. 5. n. 5.* & alii alibi.

3 Consentit *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* ubi habetur, prohibita alienatione alicujus rei, censeri prohibitum concedi usumfructum illius. Cujus rei non est alia ratio, nisi quia concessione ususfructus transfertur dominium utile. Quare cùm concessione ad longum tempus, utile quoque dominium transferatur, consequens est, ut prohibitione alienationis ejusmodi rerum Ecclesiasticarum sine solemnitatibus, prohibitus similiter censeatur ususfructus earum ad vitam. Ita Molina *de just. & jur. tract. 2. disput. 466. num. 4. & 5. §. In posteriori verò*, ac Doctores ab eo laudati, qui addunt, commoditatem fructuum, quæ ad longum tempus transfertur, pro vera haberi alienatione in materia prohibita, idque ad vitandas fraudes.

4 Nec juvat, si dicatur non alienari rem ipsam prohibitam, sed solum concedi ipsius commoditatem, seu rem quoad illius commodum, ac fructus percipiendos nomine concedentis, atque adeò dum jus in concedente circa eam rem perseveraverit, ea concessione non transferri utile dominium. Nam ista vera sunt, modo ipsi fundi non concedantur. At secus est, quando fundus ipse conceditur, ut in casu nostro. Hæc enim concessio ipsum fundum immediatè attingit, & ideò non potest concedi, nisi ad tres annos per d. Extravagantem, ut rectè Panormit. *in cap. Continebatur de his, quæ fiunt a Prælat. n. 7.* Lessius *de just. & jur. lib. 2. cap. 24. n. 70* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 24. n. 39. cum seq.* Filliucius *tom. 3. tract. 45. c. 6. num. 24.* aliique. Unde quamvis Bartolus communiter receptus in *l. Codicillis, §. Institutio, ff. de leg. 2.* dicat prohibitionem alienationis rei non extendi ad fructus, quoniam aliud est res, aliud fructus rei; nihilominus Extravagans comprehendit etiam fructus, quando locatur ultra triennium ex verbis claris, cùm excipiat fructus, qui servari non possunt, Rota in Comen. locationis 20. Martii 1600. coram Pamphilio. Hinc alenare dicitur Ecclesia non solum quando annectit & incorporat, sed etiam quando dat bona in administrationem, licet dominium remaneat penes Ecclesiam, quidquid dicat Glossa *in Clem. fin. §. v. Eccles. non alien.* post Host. ubi ait, non esse alienare propria, quod in dominio Ecclesiæ retinentur. Nam contrarium ibi tenuerunt Zanzel. & Imol. *num. 17.* & Bonifac. *num. 16.* Rota in Cæsaraugustana alimentorum 11. Decembris 1572. & 20. Februarii 1573. coram Seraphino, confirmata 23. Janu. 1574. in eadem causa coram eodem.

5 Pariter nec suffragatur asserta consuetudo, licet immemorabilis. Quia adhoc, ut consuetudo prævaleat adversus Canones, & leges Pontificias, opus est, quod introducta sit non solum cum scientia, sed etiam cum expresso consensu Summi Pontificis, ut præter Doctores tradit Rota *in Triverensi Abbatiæ S. Maximini* 24. Januarii 1635. *& in Messanensi Decanatus* die 21. Maii 1641. Quod in præsenti non contingit, cum singulis annis Pontifex potius reclamet in Bulla Cenæ, & Urbanus VIII. ediderit Constitutionem super præservatione jurium omnium Ecclesiarum, quæ incipit, *Romanus Pontifex* 5. Junii 1641. Ubi annullat, reprobat, & declarat semper fuisse nullas, & reprobas, ac illicitas omnes consuetudines contra indemnitatem Ecclesiarum ex quocumque temporis cursu, & ex quacumque prætensa observantia quantumlibet diuturna, longæva, longissima, seu immemorabili, etiam cum fama prætensi privilegii Apostolici.

Præterea non obstat prætensa utilitas, ac melioratio, 6
etiam in substantia rei concessæ cum permissione Prælatorum ejusdem Ecclesiæ. Quoniam Prælati Papa inferiores in hac materia non possunt aliquid statuere tam in generali, quàm in particulari defectu jurisdictionis, ut patet *ex cap. Solitæ de major. & obed.* & ex *cap. 1. de constitut.* & ex ipsa Extravagante, in qua id reservatur Summo Pontifici, & ex communi tradit Chartar. *de crim. 46. n. 48.*

Ad prætensam verò utilitatem respondetur, quod non 7
ita facile salvari potest Ecclesiæ utilitas in his concessionibus ad vitam, & tamen hæc præcipuè est attendenda; ita ut solemnitates inventæ sint pro justificanda utilitate, ut tradit Rota coram Merlino *decis. 702. n. 76. & decis. 624. n. 3. p. 1. rec.* Examinandum igitur est, an interveniat utilitas, quæ examinatio fieri non potest, nisi per Sedem Apostolicam. Præterea in alienatione, sive concessione rerum Ecclesiæ duo copulativè requiruntur, utilitas & solemnitas, adeò quod una sine alia non sufficiat. Doctores apud Covarr. *l. 2. var. cap. 17. n. 2.* Rota coram Coccino *decis. 34. n. 3. & decis. 58. n. 11. p. 4. recent.* & in causa *dismembrationis* 14 Februarii 1594. coram Pamphilio. Et ideò in præsenti hæc concessio, sive alienatio, tametsi præsumatur utilis, cum tamen careat solemnitate, hoc est authoritate Sedis Apostolicæ, est invalida, & irrita, ut habetur in d. Extravag. & in decreto S. Congregationis jussu Urbani VIII. edito die 7. Septembris 1624. Per decretum enim irritans inducitur forma, sine qua ipso jure corruit actus, Rot. *in Romana Societatis officii* 14. Jan. 1613. coram Pamphilio.

Hinc licet interviat evidens utilitas Ecclesiæ, non 8
tamen facit cessare adæquatè causam finalem prohibitionis. Nam finis prohibitionis est non solum evitare damnum Ecclesiæ, quod pati potest ex hujusmodi concessionibus, sed etiam providere, ne inferiores auctoritate propria alienent, concedantur. Quare, ut actus sit permissus, non solum debet cessare finis, sed etiam debet concedi facultas ad actum. Si igitur concessio hæc ususfructus, sive commoditatis ad vitam, non observata solemnitate ad res Ecclesiasticas requisita, valida esset, cederet profectò non solum in præjudicium rerum Ecclesiasticarum, ipsarumque Ecclesiarum, sed etiam auctoritatis Sedis Apostolicæ, viaque aperiretur fraudibus, quibus in effectu res Ecclesiasticæ sine requisita solemnitate alienarentur. Quod nulla ratione est admittendum, ut scire resolvit Covar. 7. *var. resol. c. 15. n. 6.*

Accedat, quod usufructuarius substantiam, & for- 9
mam rei immutare non potest. Immutatur autem etiam tum cum per immutationem illam res fit melior. *l. Usufructuarius 24. ff. de usufr. l. fin. ff. de usu, & habitat.* Nam quod usufructuarius meliorem causam proprietatis facere posse dicitur *in l. si cujus 13. §. fructuarius, ff. de usufruct.* id intelligendum est non de substantia, seu forma rei, sed de qualitate, sive adjuncto.

Denique non obstat Oldrad. *cons. 226. num. 6.* Federic. de Sen. *cons. 52. ad fin.* ubi dicunt, quod agitur de modico præjudicio, quando alienatio, vel concessio non est perpetua, sed ad vitam, quia tunc potius judicatur temporalis. Nam declaratur a Rota coram Card. Pamphilio in Senen. prædii 8. Octobr. 1584. Quod quidquid alias fortè dicendum sit, certè in materia alienationis, sive concessionis rei Ecclesiasticæ falsa est prædicta conclusio, & contra textum in *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* ubi expressè prohibetur alienatio, sive concessio rei Ecclesiæ ad vitam sine solemnitatibus juxta tradita ibi per Glos. *v. Eris*, & *v. Habeat*, & Cardin. Anchar. Imol. & alios, traditque Rebuff. *in comp. alien. rer. Eccles.* Covarr. *var. resol. lib. 2. c. 17. num. 3.* ubi alios adducit. Quod maximè procedit stante Paulina; quia prohibentur omnes locationes, concessiones, & alienationes ultra triennium, nedum Prælatis sæcularibus, sed etiam regularibus.

Et hæc consulendi causa a me dicta sint. Cæterum

Sac.

Sac. Congregatio super Episcopis concedit licentiam dividendi bona capitularia, dummodò relinquatur massa non minor tertia parte pro distributionibus quotidianis, ut in Spoletana 24. Aprilis 1626. Immò Capitulum propria authoritate id facere posse dixit in Monopolitana 3. Februarii 1608. Præcipuè si non reperiantur idonei conductores dictorum bonorum, & deputentur visitatores, Capitulares, qui saltem quolibet triennio illa visitent ac referant illorum statum. Quod in pluribus Regni Neapolitani diœcesibus cum magna Ecclesiarum utilitate observatur, nominatim a tempore, cujus non extat memoria in insigni, ac vetustissima collegiata Ecclesia Cryptaliarum, diœcesis Tarentinæ, in qua ego baptismi Sacramento renatus sum.

Quibus addo, quod si locator faceret locationem ultra triennium, & ad longum, & longissimum tempus, & in locatione exprimatur expresè, quod nullum utile dominium transferatur in conductorem, isto modo talis locatio procederet etiam in terminis dictæ Extravagantis. Nam ratio cur locatio prohibeatur ultra triennium est, quia videtur esse alienatio quædam. Hæc autem ratio cessat, quando exprimitur, quod non transferatur utile dominium. Ita singulariter declarat Bald. *In cap. quæ in Ecclesiarum de constit.* & Imol. *in capit. ad audientiam de reb. Eccles. non alien.* cum aliis allegatis per Felin. *in dict. capit. quæ in Ecclesiarum col.* 30. Quòd est adnotandum.

CONSULTATIO XIX.

An Prior Commendatarius, cui cura animarum incumbit, exercenda tamen per Vicarium perpetuum, teneatur ad Sacros Ordines se promovere?

1 D. Fagnanus *in cap. In Ecclesiis de Capell. Monach. num.* 6. tenet Commendatarium exercentem Curam per Vicarium non teneri Sacros Ordines suscipere. Et faciunt quæ de beneficio Curato alteri unito dixit Barbosa *de Paroch. c.* 2. *num.* 74. ob non requisitas qualitates scientiæ, ætatis, & ordinis.

2 At Ministri Datariæ distinguentes dicunt, quod eorum stylus est, ut teneatur se promovere, si exercet per Vicarium amovibilem, secus verò si per Vicarium perpetuum. Ratio autem talis distinctionis potest esse, quia amovibilitas Vicarii demonstrat curam esse penes principalem. Barbos. *d. cap.* 2. *numer.* 75. ubi sic intelligendam esse dixit declarationem Congregationis Concilii.

3 Verùm ego censeo, non teneri. Quia cum hujusmodi Commendatores non teneantur ad personalem residentiam, nec per seipsos curam animarum exercere, ut aliàs probavi ex pluribus etiam Sacr. Congregationis Concilii declarationibus, utique nec tenentur ad Sacros Ordines se promoveri. Id enim sequitur necessariò. Nam deficiente qualitate pro explicatione actus necessaria deficit etiam obligatio exercendi actum. Surd. *decis.* 39. *num.* 3. Ludovis. *decis.* 451. *num.* 6. Et sicut ex positione consequentis resultat positio necessarii antecedentis ad *leg.* 2. *ff. de jurisd. omn. Jud.* Everard. *loc. argum.* 49. ita, retorquendo argumentum, ex remotione antecedentis consequens removetur, *l. Veteres, ff. de itinere actuque privat.* Everard. *ubi supra*, & benè Anton. Monach. *dec. Floren.* 29. *n.* 16. Cum igitur hujusmodi Commendatariis necessitas residentiæ personalis sit sublata, sublatum quoque remanet onus se promovendi ad Sacros Ordines.

CONSULTATIO XX.

1 QUidam vir Gallus dum animi remittendi gratia venationi una cum sibi amicissimo vacabat, sui sclopi rotula, nullo attactu incitata, sed contusis vetustate dentulis consistens improvisa vertigine ignem in foculo parum excitavit. Quapropter plumbeis glandibus explosis amicus confossus, ipso ingemiscente, occubuit. Subindè Orator, pace, & concordia cum fisco inita, petebat secum ad Ordines, & beneficia dispensari, cujus petitioni Sanctissimus D. N. ex S. Congregationis Concilii sententia benignè indulsit juxta infrascriptam commissionis formulam in Dataria Apostolica sola supplicationis signatura, prout consuetum est cum Oratoribus Gallis expeditam. *Cum absolutione, &c. Et committatur Episcopo, sive ejus Officiali, qui constito sibi legitimè de narratis, ipsum Oratorem, impositis illi aliqua pœnitentia salutari, & parito judicato, si quid sit, pro ejus arbitrio, & conscientia gratis absolvat, secumque suffragantibus sibi alias meritis, & idoneitate & nullum aliud ei obstet Canonicum impedimentum, dispenset, ut supra. Ita tamen quod ipse Orator in eventum absolutionis, & dispensationis hujusmodi postquam presbyter fuerit, in loco commissi delicti non celebret.*

Dum autem in Urbe Oratoris procurator prænarratum Indultum impetrare curabat, Orator sive moræ impatiens, sive ratus facilius rem suam per se ipsum gesturum ad Urbem se contulit, ubi in præsens degit, & in futurum degere intendit. Itaque transmissis ad Ordinarium literis, illi dubius, an cum Oratore absente possit vigore d. Commissionis dispensare, demandatam sibi provinciam explere abnuit. Quæritur itaque. 2

An Oratoris absentia obstet, quin D. Episcopus possit vigore prænarratæ Commissionis Apostolicæ cum illo dispensare?

DIcendum censeo, non obstare. Quia dispensatio optimè concedi potest absenti. Nam actus jurisdictionis voluntariæ possunt extra territorium extendi, seu exerceri, ut probat Sanchez *lib.* 5. *de matr. disp.* 16. *n.* 7. Atque ita de dispensatione docet Innoc. *in c. Per venerabilem num.* 3. *qui fil. sint legit.* Abb. *num.* 23. Bart. *in l. legitimos, & de legit. tut.* Decian. *cons.* 207. *num.* 6. & 8. Suar. *de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 10. Quæ doctrina procedit non solum si sit jurisdictio ordinaria, sed etiam si delegata, ut ex magis communi, & probabiliori, firmat Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 24. *num.* 2. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *a num.* 129. Quare posse absolvi, & dispensari, vel per literas docent expresè, Glos. *in c. de manifesta, v. Judicavi* 2. *q.* 1. *&c. Quanto v. Epistolam* 2. *q.* 5. Astens. *p.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *q.* 3. Richard. Sylvester, & alii, quos adducit, & sequitur Sayr. *de cens. lib.* 2. *c.* 21. *num.* 12. Qui omnes statuunt, quod licèt a peccatis nonnisi præsens per confessionem, & absolutionem sacramentalem quis absolvi possit, ab excommunicatione tamen, & ab aliis censuris, ac pœnis possit per literas absolutionem petere, ac obtinere. 3

Vel per Procuratorem tradunt Jo. Andr. *in cap. Qui ad agendum de proc. lib.* 6. Archid. *in c. Eos, qui*, & ibi Gemin. & Costa *n.* 16. *de sent. excom.* Soccinus sen. *in c. Super eo n.* 7. & 8. *eod. tit.* Specul. Tabien. & alii plures apud Sayrum *num.* 13. ubi asseritur, ac firmatur absolutionem ab excommunicatione, adde & dispensationem ab irregularitate in foro pœnitentiali, nec per procuratorem peti, nec dari posse, cum ad hanc necessaria sit præsentia ejus, qui absolvendus sit, secus autem in foro externo. Et hanc veriorem, & tutiorem sententiam appellat Thesaur. *de pœn. Eccles. p.* 1. *cap.* 22 §. *secunda differentia*, quam sequuntur Doctores adducti a Diana *resol.* 25. *tract.* 11. *tom.* 1. & *resol.* 20. *tr.* 2. *resol.* 63. *tr.* 4. *tom.* 2. & tenent Garz. *de benef. p.* 11. *cap.* 10. *nu.* 129. *cum seqq.* referens declarationes S. Congregationis. Idque maximè quando ponitur clausula, *juncta pœnitentia salutari*, ut benè Suar. *de cens. dispu.* 41. *sect.* 2. *n.* 10. Bonac. etiam *de cens. disp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 6. *num.* 8. etsi contrariam sententiam teneant Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 13. & *de matr. lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 29. & plures alii, quos allegat, & sequitur Diana *ibid.* quam communem appellat Garz. *loc. cit. num.* 138. ubi multos refert, qui asserunt illam clausulam *pro foro conscientiæ* intelligendam non esse de foro pœnitentiali, seu sacramentali, sed de foro quasi pœnitentiali, seu animæ, quacunque Suar. *de Relig. tom.* 4. *tr. ult. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 28. dicit practicari tutè posse ex causa rationabili; ut si quispiam censura ligatus, non sit tunc dispositus ad confessionem, vel si Confessarius tunc non possit totam audire confessionem. Tamen certò certius tenendum est, in commissionibus S. Pœnitentiariæ non esse recedendum a priori sententia, quia solet apponi clausula illa, *in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantùm, nec aliter, nec alio modo*; nisi ubi major Pœnitentiarius concedit extra Sacramentum expediri, ut rectè notat Thesaur. *eod. loc.* qui testatur de stylo Sacræ Pœnitentiariæ. 4

Quamvis multi Doctores contra existiment, nimirum, eum cui concessa est facultas absolvendi pro foro conscientiæ tantùm, posse etiam absolvere, & dispensare absentem immediatè proferendo formam absolutionis in ordine ad absentem; vel saltem mediantibus literis, vel nuncio, vel procuratore. Quia putant illam particulam, *pro foro conscientiæ* non limitare modum, sed effectum absolutionis. Ita Suar. *de cens. d. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 11. & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 14. Ubi testatur de communi. Et idem a fortiori de dispensatione a pœnis dicunt, cum minorem habeat connexionem cum Sacramento Pœnitentiæ, quàm absolutio a censuris, Suar. *ibid. num.* 10. & de communi pronunciant Laym. *l.* 1. *tr. de excom. c.* 6. *n.* 9. ubi plures adducit. Unde Avila *p.* 2. *c.* 7. *disp.* 2. *dub.* 1. & Laym. *ibi* cum 5

aliis adducunt cautelam pro confessario, qui oblitus est absolvere pœnitentem a censura, ut scilicet eum absolvat absentem; vel si erat censura reservata obtineat facultatem, & sic absentem absolvat. Sed hæc praxis a S. Pœnitentiaria est penitus exposa, ut etiam testatur idem Thesaur. *super. §. Tertia differentia in fin.*

6 Dispensatio verò a pœnis, & absolutio a censuris pro foro externo dari potest absenti, vel immediatè per quodcunque signum expressivum actus absolutionis, aut dispensationis; vel mediatè per literas, vel nuncium, vel dando absolutionem, & dispensationem procuratori habenti speciale mandatum, quamvis non conveniat sine causa rationabili absentem absolvere ab excommunicatione, aut dispensare ab irregularitate. Et ita de communiori, & veriori sententia testatur Sayr. *ubi supra num.* 12. & 13. ac P. Leo *in prax. S. Pœnit. p. 3. de form. absol. & disp. §. Dubitatur*, asserens id observari de stylo Romanæ Curiæ, malè reclamantibus, Innoc. *in cap. Cum desideres de sent. excom.* Hostien. & Panorm. *ib. num.* 7. & Anchar. *in cap. Eos in fin. eod. tit. lib.* 6. Quandoquidem, & absens, & invitus aliquando absolvi poterit. Immò verò etiam si sine causa sic absolvat, absolutio tamen tenet. Nam si valet excommunicatio in absentem illata, multò magis valebit absolutio, & a fortiori dispensatio, præsertim cùm adsit favor animarum per ea, quæ tradit Jas. *in l. fin. ff. de jurisd. num.* 11.

7 Adversus hanc doctrinam objici poterit, quod Summus Pontifex in suis literis censetur inhærere decretis S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* ubi decernitur, quod liceat Episcopis in irregularitatibus, &c. dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos *in Diœcesi sua, & in foro conscientiæ, &c.* absolvere. Quæ objectio comprobatur ex S. Congregatione Concilii, quæ in hoc casu declaravit, posse hujusmodi subditum absentem absolvi ab Episcopo illius diœcesis, in qua commoratur, non verò a suo. Loquitur enim Concilium de absolutione Sacramentali in foro conscientiæ. Igitur videtur requiri præsentia delinquentis. Absolutio enim Sacramentalis non potest impertiri absenti, ut docent communiter Theologi cum Magistro in 4. ubi D. Th. *d.* 17. *art.* 4. *qu.* 3. Scot. *qu. un.* Durand. *q.* 15. adeò quod oppositam sententiam damnaverit Clemens VIII. die 20. Junii 1602. ac declaraverit esse falsam, temerariam, scandalosam, & in nullo unquam casu probabilem.

8 At responderunt. Tridentinum duplicem facultatem Episcopis concessit. Alteram dispensandi. Alteram absolvendi. Neutra restrictio apposita est in priori parte. Quare ea facultas potest exerceri erga subditum suum ab Episcopo in absentia, & sive Episcopus, sive subditus, sive ambo sint extra diœcesim, dispensatio proderit. Quia Tridentinum absolutè id concedit, & jurisdictio voluntaria, ad quam dispensatio pertinet, potest extra territorium exerceri. Ea itaque restrictio *in foro conscientiæ, & diœcesi sua* est adhibita in sola posteriori parte, in qua Tridentinum concedit Episcopis facultatem absolvendi a reservatis. Ut optimè de more advertit Suar. *de cens. d. disput.* 41. *sect.* 2. *n.* 10. *ac* 12. & Sanchez *in Decal. d. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 12. contra Henriq. Avil. Rodriq. & Perez.

9 Ex resolutione verò S. Congregationis potius nostra doctrina stabilitur. Nam ea expressè dicit in hoc casu posse quidem subditum absentem absolvi ab alieno Episcopo, in cujus diœcesi commoratur, non tamen dispensari. Et ita tacitè declarat restrictionem illam Concilii referendam esse ad posteriorem facultatem absolvendi, in qua ponitur, non autem ad priorem dispensandi, cùm Tridentinum in Episcopo requisiverit præsentiam ad absolutionem, non ad dispensationem. Quia potestas dispensandi simpliciter conceditur, & dispensatio ipsa ex se non pertinet ad forum pœnitentiæ, & ideò æquè in absentem, ac præsentem exerceri potest. Siquidem est actus jurisdictionis, qui semper retinet subjectionem subditi etiam absentis in ordine ad talem actum.

Atque ita S. Congregatio Concilii Tridentini die 27. Februarii 1666. in una Andegavensi Dispensationis respondit, *Absentiam hujusmodi non obstare.*

CONSULTATIO XXI.

1 NAtus ex soluto, ac soluta, cum quartum adhuc ætatis suæ annum non expleret, petente patre fuit a DD. de Campegiis, quorum nota sunt in hac re Pontificia, Cæsareaque privilegia, natalibus restitutus, & amplissimè legitimatus, ita ut comprehendatur a qualibet lege, statuto, & dispositione loquente de filiis legitimis, & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis; quodque illæ, ac illa in eo verificentur, & procedant, necnon & effectum suum sortiantur, perindè ac si ipse ex legitimo matrimonio natus esset, & in nullo penitus a filiis ex vero, ac legitimo thoro procreatis, discreparet. Postea cùm adolevisset in approbatam Religionem triginta circiter ab hinc annis ingressus fuit, in eaque professionem emisit, ejusque omnibus muneribus, gradibus, honoribus, & dignitatibus, præterquam Generalis, ac Procuratoris Generalis spatio octodecim annorum, perfunctus fuit, in quibus, quia summa cum laude sui Ordinis Patribus, se gessisse videtur, illique tam hac de causa, quàm ob alia ejusdem viri promerita eum ad Generalatus dignitatem assumere cupiunt, verenturque, ne ab aliquibus fortè æmulis Constitutiones Sixti V. ei objiciantur, quæritur propterea.

An ad dictam Generalatus dignitatem, non obstantibus præfatis Constitutionibus assumi possit?

REspondeo affirmativè; ita quod non solum postulari juxta terminos *c. Innotuit de elect.* Sed etiam eligi possit, licèt requiratur legitimitas, sicut ad Episcopatum, & Archiepiscopatum, quibus Generalatus æquiparatur *in c. Cum in cunctis de elect.* Nam plenissimè est legitimatus, & restitutus natalibus quoad spiritualia, illegitimè natis per Sacros Canones, sive per jus positivum prohibita. 2

Idque non ex eo solum, quia per professionem in Religione approbata tollitur illegitimitas, & irregularitas ex defectu natalium, inducturque a jure legitimatio etiam quoad Dignitates juxta plurium gravissimorum sententiam, ut per Rodericum *tom.* 1. *qu.* 13. *art.* etsi alii aliter opinentur, unde quæstio adhuc videatur controversa *ex c.* 1. *de fil. presbyt.* de qua latè, & benè, ut solet Sanch. *in Decal. tom.* 2. *l.* 5. *c.* 5. *n.* 16. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 11. *a num.* 3. Suar. item *de cens. disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 15. & prosequitur Campanil. *in diverf. Jur. rubr.* 11. *c.* 13. *n.* 115. *& seqq.* ac Sanctarell. *var. res. qu.* 40. *n.* 1. 3

Verùm etiam ex legitimatione plenissima ab homine habente facultatem a Sede Apostolica in amplissima forma, perindè ac si ipse ex legitimo matrimonio natus esset. Quo fit, ut omnia, quæ a jure filiis natis ex legitimo matrimonio indulgentur, censeantur etiam huic legitimato concessa. Ita Soccin. sen. *cons.* 63. *n.* 22. *l.* 3. Gozad. *cons.* 6. *n.* 36. & 76. & *cons.* 25. *n.* 12. & *cons.* 48. *nu.* 13. Curt. sen. *cons.* 72. *n.* 23. Ruin. *cons.* 161. *num.* 25. *lib.* 2. Roland. *cons.* 67. *num.* 40. & *seqq. lib.* 3. Decian. *cons.* 33. *num.* 41. *lib.* 5. Et in proximis, immò fortioribus terminis Abb. *in c. Cum Vintonienfis n.* 8. *de elect.* Rot. *dec.* 368. *n.* 11. *p.* 1. *diverf.* Atque adeò sicut ille in Prælatum etiam Generalem absque ulla difficultate eligi posset, si ex legitimo matrimonio natus fuisset, *d. c. Cum in cunctis de elect. c.* 1. & *ult. de fil. presbyt.* ita eligi potest stante dicta legitimatione, Abb. *loco allegato* ubi etiam Bald. *n.* 1. traditque Soccin. sen. *in l. Gallus, §. si ejus n.* 5. *ff. de lib. & posth.* Covarr. *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 8. *§.* 8. *n.* 4. & 5. Lup. *de illegit. com.* 3. *§.* 51. & 77. Paleot. qui graviter, & accuratè universum hoc argumentum versavit de *noth. & Spur. c.* 57. *n.* 3. Roderic. *supra art.* 10. Garz. *de benef. p.* 7. *c.* 2. *n.* 45. 4

Et licet Doctores materiam legitimationis, ut plurimum tractent ad effectum successionis, seu Molin. *de primog. Hispan. lib.* 3. *c.* 3. Fusar. *de fideicom. qu.* 408. & 409. aliique passim, ac ii qui hac de re agunt in ordine ad spiritualia loquantur de habilitate ad Ordines Sacros, & beneficia, ut per Covar. proximè adductum *n.* 5. in puncto tamen, quod taliter legitimatus simpliciter, & absolutè ab habente facultatem circa spiritualia sit habilis absque ulla dispensatione, non solum ad Ordines Sacros, ut per Glos. *in c. Tanta, qui fil. sint legit. & in cap. Ex tenore, v. legitimum, eod. tit. & in c. Innotuit de elect. v. Conjugata*, quod firmat Suarez. *d. disp.* 50. *sect.* 2. *n.* 2. & 6. *sect.* 5. *n.* 10. Mayol. Sylvest. Sayr. Henriq. Abb. apud Sanctarell. *var. resol. qu.* 42. *n.* 18. ex *d. c. Tanta ex c. Conquestus qui fil. sint legit.* Sed etiam reddatur habilis ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopatum, & consequenter ad Generalatum, sicut verè legitimus docet Paleot. *loc. cit.* Avil. *de censur. p.* 7. *disp.* 3. *dub.* 6. *notab.* 4. Mayol. *lib.* 1. *de irreg. c.* 4. *n.* 14. Campanil. *d. rubr.* 11. *c.* 13. *n.* 168. ac exquisitè Suarez *ead. sect.* 5. *n.* 10. & 11. *ad fin.* Ubi æquiparat. inter se ad effectum obtinendi Episcopatum, adeòque Generalatum, legitimationem a jure per subsequens matrimonium *ex d. c. Tanta*, & legitimationem ab homine; hoc est a Pontifice, seu ab eo facultatem habente. 5

Porrò in legitimatione a Canone, scilicet, quod legitimatus per subsequens matrimonium, sit legitimus quoad Episcopatum, etiam absque alia dispensatione est 6

ferè

ferè omnium concors opinio, & reſolutio, quàm in rem luculenter diſſerunt, eamque approbant Mantic. *de conject. lib.* 10. *tit.* 12. *n.* 2. Suar. *ibid. n.* 10. & 11. Fuſar. *d. q.* 409. *n.* 8. Peregr. *eod. arg. art.* 24. *n.* 11. Sayr. *laudato cap.* 11. Molin. *de Juſt. tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 172. *§. Denique*, Campanil. *ead. rubr.* 11. *c.* 13. *n.* 127. Barboſ. *in collect. jur. Can. lib.* 4. *decret. tit.* 17. *qui fil. ſint legit. in c. Tanta* 6. *n.* 24. & *de poteſt. Epiſc. p.* 1. *alleg.* 1. *n.* 32. & *ſeqq.* ubi benè reſpondet ad Mayolum, declarans textum *in d. cap. Innotuit de elect.* prout etiam declarat Suar. *d. n.* 11. Menoch. *conſ.* 16. *n.* 5. & 17. *conſ.* 399. *n.* 12. Azor. *to.* 3. *lib.* 2. *c.* 14. *q.* 14. ac idem omninò ſentit Covar. *de ſponſal. p.* 2. *c.* 8. *§.* 2. *n.* 24. Bellet. *p.* 1. *diſq. cler. §.* 3. *num.* 18. Sylveſt. *v. Illegitimus q.* 3. Piſanell. *eod. v. §. quid ſi natu*, approbantque Gloſ. *in cap. Innotuit de elect.* & perſpicuè colligitur *ex d. c. Tanta*, *c. Ex tenore*, *c. Conqueſtus qui fil. ſint legitim. atque ex cap. Videtur*, *qui matr. accuſ. poſs.* Ratio eſt, quia legitimatio eſt totalis diſpenſatio: ergo tollit omnes effectus, qui oriuntur ex defectu natalium, inter quos unus eſt, ut illegitimus reddatur inhabilis ad Ordines, beneficia, & Dignitates.

7 Contra hanc ſententiam opponitur cum Mayolo *d. lib.* 1. *de irregul. c.* 14. *n.* 15. Abb. *in c. Ad extirpandas de fil. presbyt. in fin.* qui citat etiam Raymundum, aſſerentibus, hunc abſque diſpenſatione non poſſe promoveri ad Epiſcopatum, ac proindè nec ad Generalatum, quia *in cap. in cauſis de elect.* præcipitur, ut nullus fiat Epiſcopus, niſi ex legitimo matrimonio fuerit procreatus. Ergo illegitimus, licèt canonicè fuerit factus legitimus, ad Generalatum ſive ad Epiſcopatum promoveri non poteſt. Verùm oppoſitio diluitur. Quia illegitimus factus canonicè legitimus cenſetur natus ex legitimo matrimonio, ut conſtat ex *d. cap. Tanta*, unde Gloſ. *ibi v. legitimus* ait, hos eſſe legitimos quoad omnia, & quoad Ordines, & quoad Dignitates. Quod etiam cenſuit Sylveſter *v. legitimus n.* 4. aliique his recentiores, qui tamen excipiunt Cardinalatum. Nam illegitimi etiam per ſubſequens matrimonium facti legitimi ſine expreſſa authoritate, & facultate Sedis Apoſtolicæ ad Cardinalatum promoveri non poſſunt, ut notant Sayr. *d. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 14. & *c.* 11. *n.* 2. Henriqu. *lib.* 11. *c.* 20. *§.* 2. Barboſ. *de offic. Epiſcop. p.* 2. *alleg.* 1. *n.* 25. *in fin.* Bellet. *p.* 1. *diſq. Cler. §.* 3. *n.* 22. & conſtat ex Conſtitutione Sixti V. edita anno Domini 1596. tertio nonas Decembris, quæ incipit, *Poſtquam*, eſtque Conſtitutio 50. Quicquid dixerit Ugol. *de irreg. cap.* 44. *§.* 3. *n.* 1. cum Vivio. Adven. & Natta, qui volunt legitimatum eſſe habilem etiam ad Cardinalatum, & Papatum.

8 Quo item modo declinatur *cap. Innotuit de elect.* ubi videtur dici, poſtquam illegitimus factus eſt legitimus etiam per ſubſequens matrimonium, adhuc requiri diſpenſationem, ut hic ad Epiſcopatum promoveatur. Innocentius enim III. qui in eo cap. id decrevit, judicavit eſſe illegitimum, & inhabilem ad Epiſcopatum eum, qui natus fuerit ex ſoluto, & ſoluta, licet poſtea contraxiſſent inter ſe matrimonium. Nam reſpondeo primò, in noſtro textu hodie hoc non legi, quamvis id habeatur in corpore juris Canonici, edito Pariſiis anno 1477. Deinde cùm illegitimus *in d. c. Tanta* dicitur abſolutè legitimus per ſubſequens matrimonium, dicendum eſt, talem legitimatum eſſe habilem non ſolùm ad Ordines, & beneficia, ſed etiam ad Epiſcopatum, ſive ad Generalatum. Ita Suar. *d. diſp.* 50. *ſect.* 5. *n.* 11. Conſule de hac textus diverſitate Anton. Auguſt. *collect.* 3. *ad decret. tit.* 6. *cap.* 5.

9 Quòd verò aliqui Doctores legitimationem Papalem non extendant ultra ſacros Ordines, & beneficia ſimplicia, quaſi ad illa tantùm ſit limitata, non rectè objicitur. Tum quia hoc mirum non eſt, cùm id etiam Raymundus, & Mayolus controverterint circa legitimationem a jure per ſubſequens matrimonium. Tum etiam quia præfati Doctores confundunt terminos diſpenſationis, ac legitimationis. Quippè legitimatio differt a diſpenſatione. Nam diſpenſatio eſt, cùm quis ad certum actum fit legitimus. At legitimatio efficit hominem abſolutè, & quoad omnia legitimum, ac ſi revera eſſet omninò legitimus, ut rectè obſervant Covar. *in* 4. *decret. p.* 2. *cap.* 8. Avil. *de cenſ. p.* 7. *diſp.* 31. *dub.* 6. notavitque ſapientiſſimè, ut ſemper Suar. *d. diſ.* 50. *ſect.* 7. Roderic. *d. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 10. Portel. *v. illegitimus num.* 3. Quibus præiverat Bald. *in l. Eam*, *quam*, *C. de fideic. col.* 1. Joan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de ſucceſſ. ab inteſt. §. fin.* Et adſtipulantur Rimin. jun. *conſ.* 46. *n.* 12. Dec. *conſ.* 888. *n.* 2. & 365. *n.* 5. Jaſ. *vol.* 2. *conſ.* 202. & *in l. ex facto*, *ff. de vulg. n.* 14. Tiraquell. *in repet. l. ſi unquam*, *v. ſuſceperit liberas n.* 78. Angel. *conſ.* 17. *col.* 2. Ruin. *col.* 3. *conſ.* 49. *n.* 7. Alciat. *lib.* 9. *conſ.* 14. *n.* 1. Pariſ. *vol.* 1. *conſ.* 1. *n.* 33.

10 Hinc liquet, hallucinatum graviter eſſe Sayrum loco allegato *n.* 17. *ac ſeqq.* ubi de induſtria æquivocare voluit, ſeu errare.

Nam agnoſcens verè in rigore juris adeſſe hanc diſtinctionem, nihilominus utramque definit ſtrictè, cùm tamen diſpenſatio ſola ſit odioſa, & reſtringenda, ut benè vidit Avil. *ubi ſupra*, Molin. *d. tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 173. Quia eſt ſtricti juris *ex d. c.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. *§. ille verò*. Quod eſt exploratum, ac in praxi indubium. 11

Atque hinc etiam depellitur objectio ex eo ducta, quod plerique aſſerant diſpenſationem, ſeu legitimationem in ſæculo conceſsam non ſuffragari in Religione ad beneficia regularia, nec ad dignitates. Quod inter alios cenſuit idem Sayr. *d. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 4. ac Navar. *conſ.* 1. *n.* 2. *qui fil. ſint legit.*

Nam ii non diſcriminant legitimationem a diſpenſatione. Id enim procedit in diſpenſatione, non autem in legitimatione, quæ non eſt reſtricta, ſicut diſpenſatio ad certum effectum limitatum, ſed abſolutè liberat perſonam ipſam a maculis juris canonici, ut appoſitè, ac ſtrenuè ex Rebuffo, ac aliis evincit, uterque Rodericus, Alter *d. q.* 13. *art.* 10. *alter reſol.* 66. *n.* 6. 12

Nec obſtat, quod in legitimatione non legatur expreſsè habilitatus ad Prælaturas Eccleſiaſticas, præſertim ad Regulares. Quia eo ipſo, quod Apoſtolica authoritate decretum fuerit, quod habeatur, ac ſi ex legitimo matrimonio natus eſset, & in nullo penitus a filiis ex vero, & legitimo thoro procreatis diſcreparet, cenſetur etiam ad omnes Eccleſiaſticas dignitates etiam Epiſcopalem, & omnes Prælaturas regulares habilitatus, quamvis de illis expreſsa mentio facta non fuerit, ut ex multis tradunt Abb. *in alleg. cap. Cum Vintonienſis n.* 8. *de elect.* & Roder. *d. art.* 10. 13

Minus obſtat, quod in *cap.* 1. *de fil. presbyter.* illegitimis, etiam monachis factis, vel in Congregatione Canonica regulariter viventibus Prælatio omnis interdicatur. Quoniam non loquitur de legitimatis, ſed de illegitimis, quibus etiam Prælatura in Ordinibus regularibus non interdicitur, niſi abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, gloſ. *in d. c.* 1. *v. Prælationem de fil. presbyt.* per text. *in c. fin. eod. tit.* Idem Abb. *in cap. Per venerabilem num.* 5. *qui fil. ſint legit.* Unde multò minùs cenſeri debet prohibita legitimatio, cum legitimatio ſit favorabilior diſpenſatione, Lap. Abb. *in cap.* 1. *n.* 7. *de fil. presbyt. in* 6. Abb. *in d. cap. Cum Vintonienſis n.* 8. Anchar. *conſ.* 427. *n.* 1. Covar. *d. c.* 8. *§.* 8. *n.* 1. Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 14. *q.* 1. & 2. ac diſertè Lap. *d. com.* 3. *§.* 1. *n.* 51. 14

Poſtremò non refragantur Conſtitutiones Sixti V. Quia Gregorius XIV. Conſtitutione 3. quæ incipit, *Circumſpecta* eas ad terminos juris communis, & privilegiorum conceſſorum Religionibus revocavit, reduxitque, ut notat Scortia *in ſelect. Summ. Pontif. Conſtit. theorem.* 371. *n.* 4. & *theor.* 375. *col.* 3. & *theor.* 383. *ſub principium*. Eaſque expendunt Roderic. *tom.* 1. *q.* 8. *art.* 5. Cherub. *in Conſtit. Gregorii*, Sanchez *de matrim. diſp.* 37. *n.* 55. Beja *p.* 4. *reſp.* 18. aliique recentiores. De jure autem communi, ut ſupra probatum eſt, legitimati authoritate Pontificia admittuntur ad quoſcunque honores, & munera Eccleſiaſtica, quatenus fieri poſſit ſine præjudicio tertii, cui eſſet jus quæſitum, *d. cap. Per venerabilem qui fil. ſint legit.* Sayr. *eod. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 6. Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 2. *n.* 45. cum pluribus allegatis. 15

At contrarium cenſuit S. Congregatio Concilii his verbis: *Illegitimus Regularis*, *ſed ad inſtantiam patris legitimatus in infantia per legitimationem ampliſſima vigore facultatum Dominorum de Campegiis*, *non poteſt eligi Generalis in ſua Religione* 12. *Martii* 1629. Idque per rationes, quas noſtris objectionibus adduximus.

CONSULTATIO XXII.

An Canonicus pœnitentiarius in Cathedrali Eccleſia uti poſſit virga, ſive ut ajunt, bacchetta.

NON poteſt. Quia eſt præjudicialè Pœnitentiariis Eccleſiarum Patriarchalium Urbis, & novitatis introductivum. Quippè quælibet Cathedralis poterit ſibi tanquam licitum arrogare, quod in ſimili Romæ geſtum fuerit. Non enim talis Canonicus Pœnitentiarius eſt Pœnitentiarius D. Papæ, ſed inſtitutus ad obſervationem decreti Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *c.* 8. *de ref.* Cùm autem tenere virgam in manibus ſit ſignum ſupremæ authoritatis, unde ſolus ſummus Pœnitentiarius illam tenet, eoque præſente, minores Pœnitentiarii virgam dimittunt; ideò concedi non debet cuicumque Pœnitentiario cujuslibet Eccleſiæ, ſed ſolum illis, qui immediatè ſunt Pœnitentiarii Summi Pontificis. 1

Accedit reſolutio S. Congregationis ſuper cauſa *Abulentium* anno 1587. die 21. Aprilis. Quæſitum enim fuerat, an Canonicus pœnitentiarius teneretur auſcultare confeſſiones etiam non reſervatorum? An ſedere, & 2

assistere in sede determinata statis temporibus, & horis ante, & post meridiem? An deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in Cathedralibus Urbis? Et responsum fuit affirmativè ad duo priora quæsita, ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit S. Congregatio Episcop. & Regul. die 16. Maii 1576. in una Neapolitana per hæc verba: *Che senza privilegio Apostolico non possono i Confessori tenere in mano le baccbette, come fanno i Penitenzieri di Roma.*

3 Quare cùm sit contra usum totius Ecclesiæ; nusquam enim tales Pœnitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem, & rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit Sac. Congregatio Concilii in una *Romana Pœnitentiarii Lateranensis die* 13. *Novembris* 1639. De qua testatur Dominicus Andolphinus, Parochus S. Luciæ ad Apothecas, vir pius, & Ecclesiastica eruditione apprimè imbutus.

CONSULTATIO XXIII.

An Vicarius Capitularis absque ulla præfinitione temporis electus, possit a Capitulo ad libitum revocari? Ubi nonnulla de nullitate electionis.

1 AFfirmativè juxta opinionem, quam tenet D. Antonin. 3. *p. sum. tit.* 10. *c.* 10. *§.* 2. *in fin.* & ita se Paduæ consuluisse testatur Pavin. *de potest. Capit. sed vac. p.* 2. *qu.* 10. *sub n.* 7. traditque Garz. *de benef. in addit. ad p.* 5. *cap.* 7. *n.* 22. qui ejusdem sententiæ refert Sbrozium, Zerolam, Azorium, & Molinum Marincol. Episcopum Theani, olim Secretarium S. Congregationis Concil. ad *tit. Ne sede vac. c.* 3. *qu.* 23. ac voluit Ricc. *p.* 4. *dec.* 178. qui multis juribus, & argumentis id comprobat, extantque plures declarationes S. Congregationis Concilii *in c.* 16. *sess.* 24. *de ref.* quæ referuntur a Garzia *d. cap.* 7. *n.* 23. a Riccio *d. dec.* 178. *n.* 3. & ab Episcopo Theani *d. q.* 23.

2 Verùm quidem est, quod S. Congregatio Episcoporum solet suam authoritatem interponere, præcipiendo, ne Vicarius simpliciter electus removeatur absque causa ab eadem S. Congregatione cognoscenda, ut testantur Add. *ad prax. Archiep. Neapol. cap.* 86. & Garz. *d. cap.* 7. *in addit. sub n.* 22.

3 Sed quando Vicarius est electus ad præfinitum tempus, tunc non est agendum de revocatione, sed eo ipso per lapsum temporis expirat jurisdictio, & deveniendum est ad novam electionem, ut post relatum stylum S. Congregationis Episcoporum subjungit, Idem Garz. *in addit. ad d. cap.* 7. *sub n.* 22. & in terminis extant plures declarationes S. Congregationis Concilii, relatæ ab eodem Garzia *ibid. sub n.* 37. a Quaranta *v. Capitulum sub n.* 9. ab Episcopo Theani *d. c.* 3. *q.* 14. & pro Capitulo Hydruntino fuit declaratum a S. Congregatione Episcoporum die 19. Martii 1622.

4 Similiter quando electio est nulla, sive fuerit simpliciter, sive ad tempus facta, potest etiam durante tempore, & absque causa retractari, & ad novam electionem deveniri, ad tradita per Garz. *in addit. ad d. cap.* 7. *sub n.* 22. ubi etiam refert S. Congregationem Episcoporum hoc ipsum rescripsisse Archiepiscopo Surrentino, neque electio nulla solet a superiore validari, *cap. nihil* 44. *§. Cæterum de elect.*

5 Nullitas autem erit patens, si non solum non fuerint vocati omnes ex Canonicis Electoribus, cùm tamen ad irritandam electionem sufficiat contemptus unius, Glossa, Abbas, & alii *in cap. Quod sicut de elect.* Rot. *in Meten. Administrationis Episcopatus* 14. *Junii* 1618. *coram Remboldo*, sed etiam si apparuerit, electum ex suffragatoribus habuisse solùm medietatem suffragiorum, quæ non sufficiunt ad legitimam electionem, cùm requiratur major pars, non respectu aliorum, qui minora vota habuerant, sed respectu totius Capituli, *cap. cum Ecclesia vestra il* 2. *§. Verùm cum super*, ubi Glossa, & Doctores, *cap. In Genesi de elect. cap. Cum in cunctis, de his, quæ fiunt a major. par. Cap.* traditque Abb. *cons.* 25. *n.* 4. *lib.* 2. *Reg. de voc. canon. in cap. q.* 13. Mirand. *in man. Præl. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 27. *concl.* 1. & Rota *in Meten. Monasterii* 15. *Julii* 1621. *coram Coccino.*

6 Nec dicatur hujusmodi electum habere majorem partem, eo quod habet tantum medietatem votorum. Quoniam debet excedere saltem in uno voto, aliàs electio est nulla, Glos. *in cap. unic. v. Assensu, ne sed. vac. in* 6. Abb. *in cap. Postulasti n.* 14. *de concess. præb.* Bellam. *in c. Quia propter §. Nisi forte dub.* 3. *n.* 8. & resolvit Rot. *Hispalen. Canonicatus* 13. *Februarii* 1617. *coram Buratto.*

7 Neque hujusmodi electio poterit validari ex subscriptione literarum patentium, facta a majori parte Canonicorum. Quia vota debent dari collegialiter, & in Capitulo; itaut non sufficiat consensus postea datus, uti a singulis, Innoc. *in d. cap. in Genesi n.* 7. *ad fin.* & Butr. *num.* 28. *de elect.* Glos. Abb. Imol. Card. aliiq. *in d. cap. Ecclesia vestra il* 2. idem Abb. *in cap. Auditis n.* 7. & 8. *eod. tit.* Calder. *cons.* 1. *de elect. p.* 3. *c.* 7. *n.* 3. & *seqq.* Rota *in d. Hispalen. Canonicatus coram Buratto.* In Capitulo autem, & collegialiter electum habuisse tantum medietatem votorum apparere poterit ex publico instrumento, cui creditur, ut in his terminis tradunt Innoc. *in cap. Innotuit n.* 3. ubi etiam Jo. Andr. *n.* 20. Card. *n.* 7. Bellam. *n.* 20. *de elect.* Burs att. *cons.* 159. *num.* 15. & Rot. *in Treveren. Abbatiæ S. Maximi* 20. *Novemb.* 1624. *coram Coccino.*

Nec refert, quod S. Concilium non det formam præ- 8
cisam eligendi Vicarium Capitularem. Nam satis est, quod dicat, electionem esse faciendam a Capitulo. Non enim dicitur facta a Capitulo, dum non est facta a majori parte, collegialiter congregata, etiamsi postea Canonici, uti singuli accesserint in numero sufficienti, *d. cap. Audistis, cap. in Genesi*, ubi Doctores *de elect.* Abb. *in cap. Omnes n.* 5. ubi Felin. *n.* 25. Decian. *n.* 47. *de constit.* Bertach. *de Episcop. l.* 1. *p.* 3. *q.* 32. *n.* 8. Mirand. *in man.* Præl. *tom.* 2. *q.* 13. *art.* 29. *concluf. unic.* Sigismund. de Bonon. *de elect. dub.* 111. *n.* 3. & Rota *in d. Hispalen. Canonicatus*, ac sæpè alibi. Eo magis, quia S. Concilium utitur verbo *constituere*, quod est simul statuere, Rebuff. *in l. verbis legis v. Constituendi de verb. signif.* Et proindè non sufficit subscriptio facta a Canonicis, uti singulis, Cavaler. *dec* 193. *n.* 5. & resolvit S. Congregatio Episcop. & Regul. die 18. Novembris 1625.

Ac minus electio subsistinetur, ex eo quod electus unus 9
ex vocalibus poterit consentire propriæ electioni, ut ejus vox computetur pro constituenda majori parte votorum. Quia ubi electio procedit per secreta suffragia, non poterit seipsum eligere, nec suum votum computare in numero, juxta distinctionem Hostien. *in cap. Per vestra n.* 5. *de jurep.* quem ibidem sequuntur Jo. Andr. *n.* 4. Anchar. *n.* 3. Butr. *n.* 3. ac tradunt Sylvest. *v. Electio* 2. *n.* 23. Borgnin. *dec.* 4. *p.* 1. Tusc. *concl.* 72. *n.* 1. & *seq.* Lamber. *de Jurep. art.* 4. *q.* 8. *in princ. p.* 4. *lib.* 2. Rota *in Bergomen. Capellaniæ* 26. *Junii* 1615. & 23. *Martii* 1618. *coram Buratto.* Præterquamquod non sufficit hoc facere posse, si non fecerit, neque in Capitulo seipsum nominaverit. Si enim alii Canonici non possunt, uti singuli consentire extra Capitulum, multò minus poterit idem electus propriam electionem validare, si in Capitulo non habuerit vota sufficientia.

Cæterùm adverto, quòd novissimè Sac. Congregatio 10
Episcop. & Regul. sæpè decrevit, Vicarium Capitularem non posse eligi ad certum tempus, puta tres menses, sed eligendum esse pro toto tempore vacationis Ecclesiæ. Ita in una Sutrina die 14. Februarii 1653. in una Puteolana die 14. Novembris 1659. & alibi. Nec posse capitulum ad sui libitum Vicarium revocare sine causa per S. Congregationem approbanda, ut in una Neapolitana die 1. Septembris 1603. & in una Messinen. die 16. Martii 1618. Et quidem summo jure. Nam aliàs Vicarius metu remotionis ab officio non exercet suam jurisdictionem, cùm opus fuerit, etiam in capitulum, & Canonicos. Unde, cùm S. Concilium arctaverit capitulum ad constituendum Vicarium intra octo dies, voluit id necessariò fieri per electionem. De jure autem nullus Officialis, per electionem canonicam constitutus, amoveri potest absque causa ad nutum: quia non subest amplius Electoribus quoad exercitium jurisdictionis, etiamsi Superior esset Regularis, *c.* 2. *§. Priores de stat. Regul.* Quapropter eadem S. Congregatio censuit, unam ex causis removendi Vicarium Capitularem uti indignum, esse, si patiatur aliquid fieri contra libertatem Ecclesiasticam. Ita in una Materana die 16. Julii 1601. Item si absque causa inhibeat suffraganeo, vel ejus Vicario exercitium sui officii, ut in una Tarentina die 17. Januarii 1600. & in alia Materana die 8. Maii 1604. Pariter si non resideat, si sit debitor capituli, si acciperet pecunias pro dimissoriis, si patiatur exceptiones, vel odio habeatur a populo, & id genus alia, ut censuit eadem S. Congregatio in una Triventina die 7. Junii 1622. in nulla Nullius Altamuræ die 13. Julii 1646. in una Tranen. die 17. Maii 1604. & in una Neapolitana die 26. Januarii eodem anno, quam proposuit tunc temporis ejusdem Sac. Coagregationis Secretarius, nunc verò Eminentiss. Cardinalis Hieronymus ex Farnesia, matre Magnatum familia, vir consummatissimus, quo neminem ætas nostra doctiorem privati juris, & publici, sanctiorem, prudentiorem, denique tulit,

CON-

CONSULTATIO XXIV.

Ad quem pertineat deputatio provisionalis ministrorum exercentium in Ecclesia Cathedrali curam animarum?

1 DIcendum existimo, hujusmodi deputationem spectare ad Episcopum, nec in ea posse a quacunque dignitate Ecclesiæ Cathedralis prætendi manutentio. Quia cura animarum in Cathedrali non residet penes Dignitates, sed penes capitulum, ut post alios Gonzal. *ad regul. 3. Cancel. gl. 6. n. 71.* Rebuff. *in prax. de union.* Rot. *dec. 340. par. 2. rec.* & coram Cavaler. *dec. 274. sub numer. 4. & 5.*

2 Nec obstat, quod quando adest prima Dignitas, ad illam spectet ex Innoc. *in cap. Cum non ignores de præb.* Calder. *cons. 18. eod. tit.* Cardinal. Zabarel. *cons. 30. in princ.* Primùm, quia Innocentius dum dicit, debere esse unum in Ecclesia super alios, qui curam habeat animarum, Cardinalis, & Calderinus id intelligunt de cura actuali, seu exercitio, non de habituali. Ideòque Calderinus ait, quod Plebanus est Curatus cura Collegii, omnesque loquuntur in Collegiatis, non in Cathedralibus, in quibus Episcopus est Prælatus, intitulatusque, Innoc. *ibid. ante num. 2.* Card. *cons. 30. col. 1.* & in puncto Gonzal. *d. gl. 6. n. 83.* juncto *n. 66.*

3 Deinde, quia ex eo, quod non Dignitates, sed Capitulum deputat Vicarios annales pro exercitio curæ, a quibus illa exercetur, sequitur, quod Rector curam habens, sit capitulum, non autem aliqua Dignitas, *cap. 3. & 4. de offic. Vicar.* Innoc. *ubi supra n. 2.* Vitalm. *in Clem. 1. n. 33. de offic. etiam Vicar.* Paris. *cons. 49. n. 36. & seq. lib. 4.* Cavaler. *dec. 695. n. 1.* ubi plenè, quod cura habitualis resideat penes capitulum, deputans Vicarium amovibilem, exercitium verò solum penes Vicarium, atque adeò Dignitates ab actuali, & habituali excluſæ remanent. Idque eò magis, quia sicut capitulum deputat, ita idem capitulum, non dignitates congruam assignat deputatis, sicque cura est penes illud, Abb. *in cap. extirpandæ, §. Quia vero num. 15. de præb.* Seraph. *dec. 1304. n. 1.*

4 Cùm itaque cura non pertineat ad Dignitates, sed ad capitulum, sive etiam ad Episcopum, non rectè applicatur concluſio illa, quod inferior, habens curam animarum deputare potest ministros, sed benè dispositio S. Concilii Trid. *sess. 25. de ref. cap. 18.* quod scilicet Ordinarius deputet Vicarium, seu œconomum, quomodocunque vacatio contigerit. Quod procedit etiam ubi collatio, vel electio spectat ad inferiorem, non obstantibus his, quæ notantur *in c. Cùm vos de offic. ordin.* ut per Sac. Congregationem *ibi §. 9. v. Idoneum*, ac per Thes. *for. Eccl. p. 2. c. 3. num. 52.* & Garz. *de benef. p. 9. cap. 2. n. 124. & 127.*

5 Neque dicatur, quod hìc non sumus in vacatione Ecclesiæ, vel curæ, sed tantùm exercitii. Nam cùm Concilium loquatur *quomodocumque contigerit vacatio*, & ubi cura Ecclesiæ, vel capitulo incumbit sive per unum, sive per plures administratur, ut advertit etiam Garz. *ubi supra n. 20.* & dictio, *quomodocumque*, includat etiam vacationem impropriam, *cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* Grat. *cons. 70. n. 76. lib. 2.* curæque Ecclesiæ, vel capitulo incumbenti deputetur Vicarius etiam temporalis, meritò casus dicitur comprehensus, etiam ubi Moniales habent curam, & nominant, Rota *in Januen. Parochialis S. Andreæ 19. Aprilis 1627. coram Durano.*

6 Et quidem saltem casus iste deciditur ex ratione salutis animarum, ut cura a dignis, & idoneis gubernetur, ex qua super eodem *cap. 18. sess. 25.* idem respondit S. Congregatio. Etenim ratio dicitur lex communis ad omnes casus, neque ex rationis identitate dicitur extensio, sed comprehensio, ut scitè post alios docet Cravet. *cons. 190. n. 2.* Rimin. jun. *cons. 69. num. 17. & seq.* Quod confirmatur, quia etiam quando Canonicus, vel alius appellat a mandato de residendo, potest Episcopus apponere Vicarium, *cap. Pervenit il 2. de appell.* Lancellot. *de attent. c. 12. limit. 18. n. 2.*

7 Non obstat prætensa quædam possessio Dignitatum. Quia, præter quod debet probari in specie de deputatione ad exercitium curæ animarum, in quo Episcopus fundatam habet intentionem, cùm contra ipsum quædam possessio certorum actuum non extendatur ad alios, Bart. *in l. 1. §. si quis hoc interdicto n. 1. ff. de itin. act. privat.* Felin. *in c. Auditis n. 10. de præscript.* Rot. coram Coccino *decis. 497. n. 2. & 6. & in Cremonen. Canonicatus 9. Decembris 1624. coram eodem*, ubi quod tunc possessio esset probanda individualiter, quoniam una possessio non trahitur ad actus diversæ speciei, Alex. *cons. 68. n. 18. lib. 2.* Soccin. jun. *cons. 187. n. 28. lib. 2.* Rota *div. dec. 17. n. 3. & seq. p. 2. in Burgi S. Donnini Præposituræ 4. Decembris 1624. coram Buratto, & in Cracovien. juris legendi 18. Decembris 1626. coram Coccino*, ubi firmat opus esse, ut res, super qua fiunt actus, sit ejusdem qualitatis ex Rom. *cons. 368. n. 13. & 16.* & manutentionem dari ad limites possessionis, ideòque probandam esse quasi possessionem qualitatis, Rot. *decis. 409. n. 1. & 2. par. 2. rec.* Sacrum Concilium Trident. propter decretum irritans tollit possessionem, & consuetudinem contrariam, ut declaravit Sac. Congregatio *ad d. c. 16. §. 9. v. Debeat*, & sic non est considerabilis, Caputaq. *dec. 15. p. 3.* Gratian. *discept. 383. num. 5.* Præsertim si non adsint septem illa requisita ad acquirendam quasi possessionem incorporalium, illudque præcipuum, quòd actus fuerint facti jure proprio, & a credente uti jure suo, de quibus Gonzal. *glos. 45. §. 1. a num. 30.*

Declaratio autem Sac. Congregationis est hujusmodi. 8
Cùm cura civium Visentium intra certos limites ad capitulum Cathedralis Ecclesiæ spectaret, quæ ab immemorabili tempore consuevit exerceri per duodecim Capellanos a capitulo deputandos, & ad ejus nutum amoveri solitos absque eo, quod Episcopus in ipsorum examine, vel approbatione quoquomodo se intromiserit, quod etiam observatum fuit cum aliqui coadjutores dati sint Capellanis a capitulo; nam nullum convenit adhiberi examen ab Episcopo, dubitatum fuit, an ex decreto Tridentini Concilii sit in aliquo dicta quasi possessio, & jurisdictio ab immemorabili tempore præscripta, itaut non liceat Episcopo examinare dictos Capellanos, & eorum coadjutores, ac Dignitates, & Canonicos, qui quandoque per seipsos dictam Curam exercent, & eis prohibere, ne absque sua approbatione curam exerceant, vel Sacramenta ministrent? In hac quæstione Tridentinum *cap. 18. sess. 24.* loquitur quando Parochiales Ecclesiæ vacant, quarum collatio facienda est, hic autem nulla Parochialis vacat, nulla collatio est facienda. Licèt autem casus hic verbis expressis Concilii non sit decisus, ex mente tamen Concilii satis decisus videtur, ut non permittantur isti exercere curam animarum, nisi examinati, & approbati priùs fuerint ab Ordinario. Hæc autem mens colligitur primùm ex *cap. 7. sess. 7.* quod licèt loquatur, quando beneficium curatum est unitum capitulo, eadem ratio tamen est, quando cura animarum est unita capitulo. Deinde ex *cap. 11. sess. 26. de Regul.* quod si habet locum in Regularibus Ecclesiis, multò magis habere debet in sæcularibus ex *cap. 18.* Quamvis enim nulla Parochialis vacet, quæ conferenda sit, tamen Ecclesia Cathedralis ista est, quæ curam in se habet per plures exercendam. Postremò idem colligitur ex *cap. 8. sess. 7.* dum Episcopus visitando potest providere, item ex *c. 6. sess. 21.* quando ignari sunt Rectores Parochialium & ex *c. 13. sess. 7.* quando nominantur vel præsentantur, ac denique ex *cap. 3. sess. 13.* quando inepti administrant sacramenta. Unde aliàs S. Congregatio in quadam Tarvisina censuit, nullum Capellanum posse exercere curam animarum, qui non sit ab Ordinario approbatus. Igitur eadem S. Congregatio censuit respondendum esse interrogationi, *licere*, nullo expresso verbo, an id ex verbis, vel mente Concilii sit.

CONSULTATIO XXV.

An, quando unus in scriptura, vel voce priusquam alter nominatur, vel scribitur, sit signum demonstrativum, & illativum præeminentiæ, & prærogativæ?

REspondendum videtur affirmativè. Ordo enim scri- 1
pturæ designat excellentiam, & gradum personarum, quia digniora sunt præponenda, *Instit. de jur. nat. gent. & civil. §. fin.* ubi Glos. fin. & digniores prius debent scribi, *l. 1. ff. de alb. scrib.* per quem textum dicit Bald. *in l. Cùm quidam in 3. oppos. C. de verb. signif.* quòd prior nominatus præsumitur cæteris major. Quo facit elegans juris civilis locus *in l. 1. C. de summ. Trin.* ubi priori loco nominatur Damasus Pontifex, & posteriori Petrus Alexandriæ Episcopus, ideòque prærogativa præ aliis debetur Pontifici Romano. Eodem etiam facit *l. generaliter, §. quis ergo, ff. de fideic. liber.* ibi, *ordinem scripturæ sequendum*, & *l. qui solvendo de hæred. instit.* ubi Imol. post Angel. dicit per illam legem, quod ordo verborum designat, & inducit ordinem prælationis. Quod etiam dicit Gemin. *in c. fin. in princ. de offic. de leg. in 6.* & colligitur *ex cap. Veritatis de dol. & contum. & ex cap. 1. de reb. Eccl.* & alia multa ad hoc propositum adducit Dec. *in cap. Nicolao de appel.* & ibi declarat, quod hoc est regulariter verum, & procedit in dubio, secùs quando esemus certi de majori dignitate, quia tunc ordo literæ non attenderetur, *l. Nec*

enim

enim de ſolut. & ibi Imol. traditque Bart. *in l. 2. §. prius de vulg. & pupill.* Sic procedunt jura, in quibus quandoque digniores ponuntur poſteriori loco.

2 De iſto etiam ordine literæ multa tradit Felin. *in cap. Cum dilecta v. Ordo ſcripturæ, de reſcript.* & Decian. *conſ.* 161. *col.* 2. & Caſſan. *in catal. glor. mund. conſid.* 17. & plenè per Everar. *in libel. locor. legal. in loc. ab ordin. col. fin.* & Gloſ. 96. *in d. cap. Benè quidem v. Mediolanenſem*, quæ ex textu colligit argumentum ad prærogativam, & dignitatem majorem Eccleſiæ Mediolanenſis ad Ravennatem. De qua etiam quæſtione meminit Gloſſa *in l. Decernimus, C. de Sacroſ. Eccleſ.*

3 At verò infirmius eſt hoc argumentum, quàm ut quiſpiam ſuſtinere ſuæ prærogativæ molem valeat. Quis enim non rideat, ſi audiat hanc majorem propoſitionem? *Quicumque priori loco nominatur, is gaudet prærogativa præ aliis, & in alios, ante quos nominatur*, cùm nominationis ordo ſæpè ſit fortuitus. Huc ſpectat textus *in l. In his, §. ult. & l. ſeq. ff. de ſol. & liber.* ubi ex Ulpiano apud Marcellum *lib.* 20. *digeſtor.* quæritur: ſi quis ita caverit debitori in ſortem, & uſuras ſe accipere, utrùm pro rata & ſorti, & uſuris decedat, an verò priùs in uſuras, & ſi quid ſupereſt in ſorte? Sed ego non dubito, quin hæc cautio in ſorte, & in uſura prius uſuras admittat; tunc deinde ſi quid ſuperfuerit in ſortem cedat. Et ex Paulo: Nec enim ordo ſcripturæ ſpectatur, ſed potius ex jure ſumitur id, quod agi videtur. Eodem facit ordo *in ep. ad Galat. 2. v. 9.* ubi D. Jacobus D. Petro præponitur, & quod D. Andreas prior Chriſtum ſequutus eſt ante D. Petrum fratrem. Jo: 1. *v.* 37. *& ſeqq.* Hinc etiam non incongruè quæri poteſt.

CONSULTATIO XXVI.

An locus altior, vel primus ſit ſignum prærogativæ?

1 AFfirmandum videtur. Et locus altior eſt, ſi ſupremo Domino proximior ſedeat, ut eſt textus cum Gloſ. *in §. Aliam, inſtit. de bon. poſſ.* traditque Caſſan. *in catal. glor. conſid.* 12. 13. & 19. Item ſi quis ſedeat vel incedat a dextris. Nam qui a dextris ſedet, vel a manu dextra incedit honorabilior eſt eo, qui ſedet, vel incedit a ſiniſtris, de quo eſt textus cum Gloſ. *in l. Decernimus, C. de Sacroſ. Eccl.* ubi quando dicitur de prærogativa in ſedendo Gloſſa exponit, ſi a dextris ſedeat, qui locus eſt dignior. Et qui ſedet juxta Principem cenſetur magis honoratus, quàm alius, *C. de propoſ. labor. l.* 1. Et ordo ambulationis denotat eminentiam honorum, ut per Imol. *in l. qui ſolvendo de hæred. inſtit.* dicitque Gloſ. *in c. Quam periculoſum 7. q.* 1. quod primogeniti, ut honorarentur ſedebant ad dexteram patris, ut in *pſal.* 110. dicitur, *ſede a dextris meis.* Et tradit Felin. *in rubr. de major. & obed. in* 4. *col. in fin.* ibi: *nota etiam, quod qui ſedet a manu dextera*, & ſubjicit, quod qui ſedet dicitur honorari magis, quàm qui ſtat, allegatque Bald. *in l. Quoties, C. ubi ſen. vel Clariſs.* per illum textum *v. Sedendi*. A quo ergo aliquid primum fieri incipit, denotatur in eo honoris præeminentia, ut ſi uni primo incenſus exhibetur, vel pax primo datur, hic cæteris honorabilior demonſtratur.

2 Eadem de Oratoribus Principum dicenda ſunt, ut honor, qui debetur Domino, idem debeatur illi, qui Dominum repræſentat. De quo allegatur textus *in c. fin. 93. diſt.* ubi dicitur, quod Diaconus, tenens locum Patriarchæ, honoratur ſicut dominus ſuus. Quem textum ad hoc allegat Abb. *in cap. fin. de offic. de leg.* ubi etiam Dec. 1. *col.* allegat Gloſſam *in cap. de cauſa 2. qu.* 5. dicens, quod Legatus Papæ debet honorari, ut Papa, & alia plura ad hoc adducit Decius *ubi ſupra*, & Cepol. *ſuo tr. de Imper. elig. col.* 10. ibi: *Pro Imperatore verò*. Legatus enim majoris Principis debet eum, qui minoris eſt, præcedere, *c. ſi a ſede de præb. in 6.* Gloſ. *in l. reſtituendæ, C. de adv. diverſ. jud.* Laudenſ. *in tr. de Legat. q.* 27. Prærogativa enim, quæ eſt in principali, eadem eſſe debet in Locumtenente ſuo, Angel. *in l. ſi prior, ff. qui potior. in pign. hab.* & Anchar. *in cap. Grandi not.* 5. *de ſuppl. negl. Præl. in 6.* ubi honor, qui debetur Domino, debetur Adminiſtratori ſuo.

3 Quæ concluſio procedit, quando Orator unius Principis contenderet cum Oratore alterius Principis. Nam cuilibet locus, & gradus aſſignaretur ex perſona Domini ſui. Sed ubi ex parte unius Principis interveniret Orator ſuus, ex alia verò parte eſſet alius Princeps in propria perſona, tunc eſſet ſecus. Ita Dec. declarat *in d. cap. fin.* Quod etiam refert Purpurat. *in l.* 1. *de offic. ejus num.* 633.

4 Verùm enim verò jus ante alios ſedendi non tribuit majorem poteſtatem. Nam & Præfectus Urbis in Conciſtorio Principis priori loco ſedet, quem ſequuntur Patricii, Conſules, Conſulares, & tum Præfecti Prætorio *Novel. 62. l. 3. C. de offic. Urb.* Et tamen Præfecti prætorio longè major poteſtas eſt, & ſublimior juriſdictio, quàm eorum, qui ante ipſum ſedent, quod vel ex eo ſolo perſpicitur, quòd a Præfecto prætorio non appellatur, *l. un. C. de ſent. Præf. Præt.* cùm tamen a Præfecto Urbis appelletur, *l. 2. C. de his, qui propt. met. jud. non appell.*

CONSULTATIO XXVII.

An ſit de pertinentibus ad Auditorem Cameræ Apoſtolicæ cognoſcere de altercatione juriſdictionum inter Judices?

1 REſpondetur negativè, ac proindè inhibitiones quæcumque hac in re ſunt abuſivæ, nec ullibi reperiuntur permiſſæ, immò expreſsè prohibitæ a Congregatione aliàs ſuper abuſibus Tribunalium reformandis ab Innocentio X. inſtituta, quæ præſentiens hiſce vagis, ac generalibus inhibitionibus earum curſus involvi, & intricari, præ cæteris ordinavit, non deberi inhibitiones expediri, niſi pro exequutione particularium decretorum, quæ juxta caſuum contingentiam a Sacris Congregationibus emanant, illis in forma authentica inſertis. Unde rationabile eſt, quod quando ſuffraganeus contendit cauſam a Metropolitano avocari, & ad ſe remitti deſuper pro terminatione adeat vel S. Congregationem inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos invicem contendentes præ cæteris opportunam, vel Præfectum Signaturæ Juſtitiæ, ad quem etiam pertinet contentiones juriſdictionales manu Regia, appellatione, ac recurſu ſublatis, & abſque ſcriptura terminare ex reformatione Pauli Papæ V. *tit. de Auditore Cameræ, §. Et quoad præventionem*, ibi: *Orta inter Tribunalia differentia, ad Præfectum Signaturæ Juſtitiæ recurri mandamus*. Et regulare eſt, ubi agitur de cognitione juriſdictionis, manu Regia, & ex abrupto procedi, Maur. *de mod. proced. ex abrupt. q.* 5. *n.* 146. & 177.

CONSULTATIO XXVIII.

An ſit abuſiva introductio Suffraganei provocandi ad altercationem Metropolitanum circa remiſſionem cauſarum?

1 REſpondeo affirmativè. Quia remiſſio cauſæ petenda eſt a parte intereſſata, citato collitigante, cujus etiam intereſt, non ab uno Judice, alio Judice citato juxta morem majorum, & ſtylum hucuſque ſervatum non pervertendum, *l. more majorum*, & ibi Gloſ. *ff. de juriſd. omn. Jud.* atque obſervantiam Romanæ Curiæ, aliarum Curiarum magiſtræ, ob quam principales intereſſati, collitigantibus citatis in dies remiſſionem petunt, prout teſtatur Ridolph. *in prax. p. 3. c. 5. n.* 13. Et maximè quia hæc abuſiva introductio Suffraganei in trahendo ad Judicium ſuum Metropolitanum circa id, quod partes, non Judicem tangit, in vilipendium vergit ipſius Metropolitani, cui Suffraganeus tanquam patri, & paſtori præſtare tenetur reverentiam, & pium devotionis gerere reſpectum, Quarant. *in ſumm. Bullar. v. Archiepiſcopi authoritas, n.* 6.

CONSULTATIO XXIX.

CUM ſuffraganeus ſæpè abutatur in ſententiis, excommunicando inquiſitos, uti contumaces, & dum inquiſiti appellant ad Metropolitanum, contendit, hunc non poſſe illos audire, uti contumaces, & ut plurimum comminatur excommunicationem, cùm verè non adſit contumacia, & ad effectum appellationis non cortex verborum ſententiæ, ſed ſubſtantia, & natura judicii attendi debeat, Duran. *dec.* 60. *n.* 47. *& ſeq.* Merlin. *dec.* 694. ubi monet, nullatenus admittendum eſſe modum ferendi ſententias, per quem certiores juris effectus ſubverterentur, & tollerentur appellationes, & via fraudibus aliis panderetur; ideò quæritur

Quinam dicendi ſint contumaces ad effectum denegandi appellationes?

2 REſpondetur, eos tantum, qui perſonaliter fuerint moniti. Quod namque de cætero ficto contumaci, qualis eſt, qui perſonaliter non fuit citatus, appellationis remedium concedatur, habet Ciarlin. *contr.* 148. *n.* 4. & 5. Farinac. *conſ.* 85. *n.* 10. & 151. Scacc. *de appell. q.* 12. *n.* 14. Et tantò magis, ubi agitur de excommunicatione, quæ ſine prævia citatione perſonali eſt nulla, Rota *dec.* 90. *n.* 1. *p.* 1. *rec.* cum aliis vulgaribus. Requiritur etiam,

ut

ut procedant legitima ad inquirendum indicia, ſine quibus ſententia contumacialis nomen meretur, Chartar. *de exequut. ſent. c. fin. n. 60. & 66.* Farinac. *de inquiſ. q. 1. n. 40. & 46. q. 11. ante num. 17.* Rot. *dec. 663. num. 3. p. 1. rec.* Et ulterius pro conſtituendo reo in contumacia mediante excommunicatione exigitur, ut cauſa ſit gravis, quæ ſecum afferat pœnam corporis aflictivam, in qua ſententia in abſentem ferri non poſſit juxta animadverſa per Foller. *in prax. crim. c. 5.* Vel non comparentes contumaces reputentur *n. 3. & ſeqq.* Et quia pro regula eſt, quod remedium excommunicationis non niſi ex graviſſima cauſa eſt adhibendum, Sperell. *dec. 129. n. 6.* & in levibus cauſis non eſt abutendum excommunicatione, eo quod ſit major pœna, quæ ab Eccleſia dari poſſit, *c. Corripiantur 23. qu. 3.* cum aliis per Dian. *in ſum. v. Cenſura nu. 15.* & conſuluit Antonius Savus, Parochus S. Joannis in Ayno, præſtantiſſimus ſui ſæculi Canoniſta, nunc autem Epiſcopus Termularum.

CONSULTATIO XXX.

An ipſo quod Metropolitanus inhibeat, ſi Procurator Curiæ Epiſcopalis in criminalibus, & partes litigantes in civilibus prætendant inhibitionem gravaminoſam, debeant inſtare pro revocatione coram Metropolitano?

1 AFfirmativè. Quia ad eundem Judicem, qui inhibuit pertinet id cognoſcere, Ubert. *de mod. citand. fol. mihi 104. circa fin.* Quatenus Metropolitanus habeat ſuam inhibitionem pro juſta, & perſiſtat in ordine tranſmiſſionis actorum, æquiſſimum eſt a Suffraganeo non retardari obedientiam in illa tranſmittenda. Quia Suffraganei Metropolitano ſuo obedientiam, & reverentiam debent, Quaran. *v. Archiepiſcopi authoritas n. 6.* Et in tranſmittendo acta ſumptibus petentis ſine præjudicio recurſus ad Superiores jus ſalvum remanet Suffraganeo abſque ullo ſuo detrimento circa petitam remiſſionem, & interea evitantur contentiones, & abſurdum, quod Suffraganeus non aſſumet ſibi authoritatem judicandi circa juſtitiam, & injuſtitiam inhibitionis Metropolitani, quod ſpectat ad ſuos Superiores, & Metropolitanus pro debita ſibi obedientia tuenda non cogetur ob pertinaciam coercendam uti remedio interdicti contra Epiſcopum, & excommunicationis, aliiſque pœnis contra inferiores, prout de jure ſibi permittitur, *c. 1. §. fin. de offic. Ordin. in 6.* Genuen. *in prax. Archiep. c. 88. n. 6.*

CONSULTATIO. XXXI.

An avocationum, & ſententiarum juſtitia diſcutienda ſit cum partibus, quarum principaliter intereſt ſuos recurſus, & ſententias a ſe obtentas defendere, an verò cum Judicibus?

1 REſpondeo. Archiepiſcopi nunquam cauſas componant, ſed ſolo zelo juſtitiæ aperiant gremium recurrentibus, nec affectent cauſas, ſciantque, judicare onus eſſe, *c. Paſtoralis*, ibi: *exonerare, de Offic. Deleg. & in l. fin. §. judicandi, ff. de mun. & honor.* nec affectari oneroſa. Gloſ. magna *in c. ſi contra unum de offic. deleg. in 6.* Proindèque ſi aperiretur via, quod Metropolitani ſumptibus ſuis deberent diſcutere ſententias a ſe latas, & avocationes cauſarum a ſe factas, ſe exonerarent a dicto onere judicandi, & non invenirentur Metropolitani, qui vellent audire recurrentes. Unde non videtur pervertendus mos majorum, ut avocationum, ac ſententiarum juſtitia diſcutiatur cum partibus, quarum principaliter intereſt ſuos recurſus, & ſententias a ſe obtentas defendere, non cum Judicibus.

CONSULTATIO XXXII.

An Metropolitanus poſſit in tota Provincia punire omnia crimina notoria ſubditorum ſuffraganeorum, etiam extra viſitationem, & omni tempore, dummodò Epiſcopus non prævenerit in puniendo?

1 REſpondetur affirmativè ex deductis per Genuen. *in prax. c. 88. num. 12.* & etiam in prima inſtantia eſt Judex competens in cauſis contra Officiales Epiſcoporum ſuffraganeorum, quando delinquunt in officio juxta illud, quod S. Congregatio Concilii in una Tarentina die 15. Februarii 1642. declaravit.

CONSULTATIO XXXIII.

An Suffraganeus poſſit aliquid contra Metropolitanum.

REſpondetur. Juris eſt indubitati, quod inferior Superiorem ſolvere nequit, vel ligare, *c. Cum inferior. de major. & obed.* Et quod in Patriarchas, & Archiepiſcopos ſolus ſummus Pontifex juriſdictionem habet, *cap. fin. 22. diſt.* Innoc. *in d. c. Cum inferior in princ.* Clar. *in pract. crim. q. 35. v. ulterius quæro*, Alphonſ. de Leon. *de cenſur. recollect. 2. n. 285.* Quare ſub Anno 1653. a S. Congregatione Immunitatis fuit ordinatus acceſſus ad Urbem Epiſcopo Uritano, ex eo ſolum capite, quod auſus fuerat ſub prætextu Immunitatis Archiepiſcopum Tarentinum excommunicare, & a S. Congregatione Epiſcoporum fuit acriter punitus Vicarius Epiſcopi, qui auſus fuerat excommunicare Vicarium Archiepiſcopi, ſicut teſtatur idem Alphonſ. *dict. recollect. 2. num. 301.* Quod & confirmavit eadem S. Congregatio Immunitatis judicio Eminentiſſimi Cardinalis Brancacii, qui majoribus ſuis major inter Principes ſapientia claret, ſupra ſapientes Principatu. 1

CONSULTATIO XXXIV.

An Monialibus expulſis debeantur alimenta? Quomodo ea taxanda? Et an ex cauſa poſſint augeri?

ALimenta deberi Monialibus a Monaſterio, dum lis pendet ſuper validitate expulſionis, tenent uno calamo Doctores, nuncupatim Bartol. *tr. de alim. n. 42.* Affict. *dec. 10. n. 1. in fin. & ſeq.* benè Corduba *de lib. agnoſc. §. ſi vel parcus n. 58.* Surd. *de alim. tit. 1. qu. 128. num. 9. in fin. & ſeq.* Joſeph. Ludovic. *dec. 46. n. 3.* Coler. *de alim. lib. 1. c. 14. nu. 53.* Rodriq. *tom. 2. q. regul. 24. art. 2.* & ſtatuit Rot. *dec. 109. n. 6. p. 2. rec.* quæ loquitur de moniali expulſa propter rixas, etiam ad aliud Monaſterium translata, & in Tullen. Monaſterii 5. Martii 1608. coram Sacrato, ſicut etiam quotidie ſervatur in uxore, dum pendet lis ſuper divortio, vel ſeparatione thori, aliiſque ſimilibus. 1

Circa quantitatem verò alimentorum, taxanda videntur ſaltem juxta quantitatem bonorum per eas Monaſterio datorum. Quia Monialibus, ſive Monachis, etiam quando legitimè propter delictum expelluntur, & ad aliud monaſterium transferentur; donec vivunt, debetur uſusfructus bonorum primo Monaſterio datorum, ut eſt textus *in c. 21. ſi quis rapuerit*, juncta Gloſ. *v. Cautiori 27. q. 1.* traditque Hoſtien. *in c. Quoad te 3. n. 4. de Cler. conjug.* & ibidem Butr. *num. 9.* Anan. *num. 6.* ubi de communi, Imol. *num. 9.* Panorm. *n. 6. ad fin.* & proſequitur Calder. *conſ. 23. num. 1. tit. de Regul.* Lap. *alleg. 61. n. 6.* Soccin. *conſ. 52. n. 18. lib. 4.* ubi teſtatur etiam de communi. Quod apertè confirmat Rebuf. *ad concord. tit. de Reg. ad Prælat. nomin. §. ult. gl. conceſſa.* ubi quoque fatetur de communi, Covar. *in c. 1. n. 20. de teſtam.* & Molin. *de juſt. & jur. tom. 1. diſp. 140. n. 26.* Et multò magis debentur Monialibus iniquè circumventis, & innocenter a Monaſterio expulſis. 2

Fructus autem dotis ad minus taxantur ad rationem quinque pro centenario etiam Monialibus, ut in ſpecie de dote debita Moniali dixit Rota *in Novarien. Legati 20. Maii 1622. coram Coccino*, cujus verba hic appendemus. Imò ultra ſummam prædictam debentur in caſu, quo pro alendis Monialibus non ſufficiunt annui redditus. Quoniam alimenta ſunt taxanda etiam Monialibus juxta perſonarum qualitatem, ut poſt relatos advertit Pontan. *de alim. c. 13. n. 3.* computando etiam impenſas, quæ fiunt pro veſtibus, & ſuppellectilibus, confeſſario, famulis, aliiſque perſonis neceſſariis pro concedenti reſtitutione, Rota coram Mantic. *dec. 331. n. 4. & ſeqq.* 3

Nec obſtaret concordia. Nam ad effectum alimentorum ſatis eſt, Superiores arbitrarii, non eſſe ſufficienter alimentis proviſum. Tunc enim neque ſpontanea renunciatio, neque ſententia Judicis per partes approbata, etiam cum juramento, obſtat augmento alimentorum, ut ad rem firmavit Rota coram Mantica *d. dec. 331. n. 1. & ſeq.* 4

Atque ita cenſuit S. Congregatio Epiſcop. & Regular. die 6. Decembris 1641. & die 10. Martii 1645. ac 10. Januarii, & 10. Maj 1647. ac 17. Martii 1661 in una *Florentina*, quam propoſuit Eminentiſſimus Cardinalis Marcellus, maturus prudentia, ſpectatus doctrina, veteri, atque inſita Sanctacruciæ familiæ pietate.

R.P.D.

R. P. D. Coccino, Novarrien. Legati.
Veneris 28. Maji 1622.

Hoc dubio, An conſtet de bono jure Monialium, &c.

QUantum attinet ad ſecundum principale quæſitum, an conſtet de bono jure reſpectu condemnationis ad rationem ſex pro centenario, & anno a die ingreſſus, viſum fuit non conſtare de bono jure. Quia cum durante anno probationis hæredes ſolverint alimenta, ad fructus non tenebantur, cùm teſtator expreſsè caverit, quod donec Hippolyta ſe nuberet, debeat habere victum, & veſtitum. Nuptæ autem in Domino tunc perficiuntur, quando ingreſſæ vota ſolemnia emittunt, *c. un. de vot. in 6.* S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 7. & 11. *in corp.* latèque Sanch. *de matr. lib.* 7. *diſp.* 24. *n.* 7. Quo verò ad ſequentes annos, cùm agatur de legato dotis, de duobus eſt videndum. An poſt emiſſam profeſſionem ob retardandam ſolutionem dotis fructus debeantur? Secundò, quatenus ſic, an taxatio fuerit exceſſiva?

6 Et quantum attinet ad primum, quando agitur de matrimonio carnali ad effectum, quod fructus dotis debeantur duo copulativè requiruntur, quod ſcilicet mulier diligentias fecerit pro dote habenda. Secundò, quod aliunde non habuerit, unde vivere poſſit, Afflict. *dec.* 284. Theſaur. *dec.* 43. & fuit reſolutum *in cauſa Spoletana uſusfructus* 18. Maji 1589. coram Cardinali Mantica, & aliàs ſæpiùs, & iſti fructus debentur marito ſuſtinenti onera matrimonii, Doct. *in c. ſalubriter de uſur.* & fuit reſolutum in cauſa Bononien. dotis 4. Februarii 1605. coram bon. mem. Cardin. Lancellotto. Sic in hoc caſu iſti fructus debentur Monaſterio, quod ſuſtinet onera matrimonii ſpiritualis. Validum enim eſt argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale, adeòque a pari procedunt, *cap. ſicut vir 7. q.* 1. Marſil. *ſing.* 215. *n.* 1. *incip. Validum eſt*, Natt. *conſ.* 296. *num.* 3. *lib.* 2. ubi quod dos matrimonii carnalis, & ſpiritualis non judicatur ad imparia, ſed favor, qui tribuitur doti matrimonii carnalis, tribuitur etiam ſpirituali, quando non militat diverſitatis ratio, Gail. *obſer.* 94. *n.* 16. & *ſeqq. lib.* 2.

7 Quantum verò attinet ad ſecundum, cùm taxatio fuerit facta ad rationem ſex pro centenario, & anno, viſa fuit Dominis nimis exceſſiva, cum regulariter taxatio fieri ſoleat ad rationem quinque pro centenario, Cæſ. de Graſſ. *dec.* 2. *n.* 3. & 4. *de uſur.* Natt. *conſ.* 497. *n.* 11. Honded. *conſ.* 30. *n.* 2. *lib.* 1.

CONSULTATIO XXXV.

An ſit indulgendum, ut filius poſſit dumtaxat miniſtrare in Eccleſia, in qua ſuus genitor, qui a triginta, & ultra annis obiit, aliàs Canonicatum obtinuit, ſed in nullo Sacro Ordine miniſtravit, prohibente hoc Sac. Concilio Trident. ſeſſ. 25. *cap.* 15. *de ref.* & *cap.* 2. 3. & 4. *de fil. presb.*

1 AFfirmandum videtur. Quoniam quando per triginta annos obliterata eſt memoria paterna, conſuevit S. Congregatio Concilii benignè illegitimis favorabili voto ſuccurrere, ut ex gratia Apoſtolica valeant in Eccleſia, ubi eorum patres beneficia obtinuerunt nedum miniſtrare, ſed etiam beneficia habere; qua de re extant plurimæ ſupplicationes ſignatæ ex voto S. Congregationis, & noviſſimè in una Biſuntina 1663.

2 Et quidem non abſque ratione. Quia per triginta annos de jure cenſetur inducta oblivio. Ubi autem ceſſat omne periculum ſcandali propter obliteratam memoriam paternam, ſuccurritur filio illegitimo, qui ex perſona ſua in nulla prorſus eſt culpa.

3 Unde tantò fortiùs videtur indulgendum, quantò quidem Orator non petierit beneficium ſimile aut diſſimile, aut penſionem in dicta Eccleſia, in qua pater beneficium habuit, ratione quorum dumtaxat cenſetur prohibitum miniſtrare per Tridentinum loco allegato; ita ut univerſalitas verborum *quoquomodo miniſtrare* afficiat tantum caſus in ipſo Concilio expreſſos. Nam quando filius miniſtrat ex devotione tantum, ſeu etiam alia de cauſa, quæ non profluit ab ipſa Eccleſia, in qua miniſtrat, non deſunt Doctores, qui affirmant eo caſu licere filio in Eccleſia, ubi pater beneficium habuit, miniſtrare, ut tradit Garz. *in prax. benef. p.* 7. *c.* 3. *num.* 70. ubi ait, hoc ipſum praxim oſtendere.

4 Idque faciliùs procedit, ſi orator per decennium, & ultra toleratus fuerit miniſtrare in dicta Eccleſia ratione munerum ſibi incumbentium, nimirum ſi eſſet de Sodalitate presbyterorum, qui pia legata adimplent, nullumque prorſus beneficium, aut aliquam penſionem, ſeu firmum ſtipendium in dicta Eccleſia habeat. Iſta enim decennalis obſervantia non ſolum corroborat praxim, & trahit ſecum favorabilem explicationem Concilii pro oratore, quod fuerit ſibi licitum peragere illud, quod aliàs, circumſcripta hujuſmodi obſervantia decennali, dubitari potuiſſet, an id fuerit licitum, ſed etiam videtur operari, quod pro eodem ſumi debeat diſpenſatio, quæ ipſo jure cenſetur conceſſa ex ſola continuata poſſeſſione decem annorum, ut pulchrè docet Caſſad. *dec.* 8. *n.* 1. *ſuper reg. Cancell.* ea potiſſimum ratione, quod Epiſcopus, qui quotannis tenetur viſitare ſuam diœceſim non cenſetur per integrum decennium permiſiſſe in ea exerceri actum, de jure improbatum.

Cùm itaque nullum ſit ſcandalum, quinimmò illud potiùs reſultaret, ſi ejuſmodi Oratori petita gratia denegaretur. Tum quia inde daretur occaſio publicandi, cur in miniſterio, in quo adhuc toleratus fuit, non poſſit continuare. Tum etiam quia in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogeretur, ideòque Oratori videtur indulgendum.

CONSULTATIO XXXVI.

An Epiſcopus poſſit Monialibus præſcribere tempus, & locum recipiendi Sacram Communionem, etiam ſub pœna excommunicationis?

SAcrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 6. ſic ait: 1 *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, ut ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior perveniret.* Quibus ex verbis negativè reſpondendum videtur.

Primò, quia excommunicationis majoris pœna infligi nequit, niſi ob culpam lethalem, cùm ſit graviſſima pœnarum, ut nulla major in Eccleſia *can. nemo* 11. *q.* 3.

Nec obſtat, quod quando ponitur comminatoria, vel abſoluta pro aliquo futuro, non oporteat illud in ſe eſſe mortale, immò nec veniale, ſed ſufficiat ſi ſit inobediens ratione præcepti incluſi, tranſgreſſio eſt mortalis.

Quia reſpondetur, hujuſmodi præceptum debere eſſe conforme juri communi, aliàs, ſi contra illud, attentet; vel conſuetudinem totius Orbis, eſt nullum. Quia hæc attentatio, ſive contraventio militat contra legem Superioris, cùm Summus Pontifex, & jus commune talem conſuetudinem habeat, ſcilicet frequenter ſine limitatione communicandi pro lege, vel conſilio, ut latè Sylveſt. *v. Excommunicatio* 3. *n.* 20.

Secundò, quia S. Congregatio Concilii menſe Januario 1587. declaravit, obſtare Concilium Tridentinum Epiſcopo volenti præſcribere certa tempora, ut dies dominicos, quartam, & ſextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis conjugatis, negotiatoribus, & mulieribus, etiam non conjugatis, Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, ob irreverentiam, quam poteſt quotidiana hujus Sacramenti ſumptio in ſua diœceſi parere, & hanc declarationem refert Anton. de Molina *in inſtruct. Sacerd. tr.* 7. *de frequent. Sanctiſſ. Sacram. cap.* 4. §. 4.

Tertiò, quia Catechiſmus Romanus *c. de Euchar. Sacram.* ait, parochi partes eſſe fideles crebrò adhortari, ut quemadmodum corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare, neceſsarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ, ac nutriendæ animæ curam non objiciant. Quoniam, inquit, non minus ſpirituali cibo animam, quàm naturali corpus indigere perſpicuum eſt. Et ſubjungit, eos ſe maximis, & cœleſtibus privare bonis, qui cùm ad corporis Domini Sacramentum etiam ſumendum poſſint eſſe parati, ſatis habent Spiritu tantùm Sacram Communionem accipere.

Ejuſmodi Catechiſtica monitio fundari videtur in Apoſtoli doctrina 1. *Cor.* 11. *Probet*, inquit, *ſeipſum homo*, & *ſic de pane illo edat*, quem locum exponunt Sancti Patres de quotidiana communione, modò accedens probatus reperiatur.

Secundum verò D. Thomam *in* 3. *p. q.* 80. *art.* 10. ſi conſideretur hoc Sacramentum ex parte ſua, quotidie eſt ſumendum, & ſimiliter ſi conſideretur ex parte ſumentis laudabile eſt quotidie ſumere, modò paratum ſe, ac probatum reperiat. Et *in* 4. *diſt.* 12. ait, ſimpliciter loquendo melius eſſe ſumere, quàm abſtinere. Quia illud per ſe, aliud per accidens eſt bonum. Et ibidem *q. ult. in fin. in corp.* videtur etiam tenere, omni die communicandum eſſe, licèt ex una parte minuatur reverentia, dummodo ex altera fervor charitatis accreſcat.

Quartò, quia juxta S. Auguſtinum *de Eccleſiaſt. dogmat.* & habetur *de conſecr. diſt.* 2. quotidie Euchariſtiæ communionem accipiens nec laudatur, nec vituperatur; attamen ſi dixerit quiſpiam, inquit, non quotidie accipien-

piendam Euchariſtiam, alius affirmat, quotidie accipiendam Euchariſtiam, faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit faciendum. Probatque exemplo Zacchei, & Centurionis, quorum unus Chriſtum in domum ſuſcepit, alter ad id præſtandum ſe indignum exiſtimavit, & tamen uterque licèt non uno modo, miſericordiam conſequutus eſt.

Hinc Gloſſa ſumit argumentum diverſarum perſonarum ſententiam neutram reprobari, ſed utramque teneri *can. in ſcripturis diſt. q. 1. can. beatus 25. qu. 5.* Sicque obſervat Curia non reſcribens, dum diverſorum contrariæ occurrunt opiniones, ne videatur unam reſcribendo probare, alteram reprobare. Igitur præceptum comminatorium Epiſcopi in caſu juſtificari non poſſet, etiamſi Concilii in contrarium authoritas eidem non obſtaret propter occurſum diverſarum opinionum.

Non obſtat, Eccleſiam circa Euchariſticam Communionem pro ſtatus, ac temporum varietate ſæpius variaſſe. Nam in primitiva Eccleſia, *Act. 2.* legitur, populus fidelis quotidie in fractione panis conveniſſe. Unde Calliſtus Papa, vel ſicut ait Sanctus Thomas, Anacletus *in can. peracta de conſecr. d. 2.* præcipit omnibus, finita conſecratione, communicare. Sic enim, inquit, & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia, mox tamen, tepeſcente Chriſtiano populo, ſtatutum fuit non niſi dominicis diebus communicare. Deinde amplius Eccleſia dilatata, & refrigeſcente devotionis calore Fabianus Papa inſtituit, ut ter in anno celebraretur communio, *Can. Et ſi non frequentius de conſecr. diſtinct. 2.* ſcilicet in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini, cui ſtatuto poſtmodum a Concilio Agatenſi, & Eliberitano pœna adjecta fuit non communicantibus præfatis tribus diebus, & Soter Papa illis adjunxit quartam, neque Cœnam Dominicam. Poſtremò enim Innocentius Tertius, videns fidelium teporem, Euchariſtiæ communionem reduxit ad ſemel dumtaxat in anno faciendam, *cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* per quam Conſtitutionem videntur omnia præcedentia ſtatuta eſſe abrogata, nec amplius ſuaderi poſſe frequentiores Euchariſtiæ communiones.

Quia reſpondetur, per *cap. omnis utriuſque ſexus* abrogata quidem eſſe præcedentium ſtatuta, & non amplius habere vim præcepti, ſed remanere ſub conſilio. Nam quicquid ſub quatuor Statibus Eccleſiæ reperitur circa frequentiam Sacræ Communionis diſpoſitum, præceptivè obligavit, prout nunc obligat dicta Conſtitutio, *omnis utriuſque ſexus*, quam & innovavit Concilium Tridentinum, exhortans nihilominus, & ſuadens, obſecrans, & rogans per viſcera Jeſu Chriſti populum Chriſtianum ad talem frequentiam, qualem in primitiva Eccleſia de præcepto obſervabat.

At verò affirmativè reſpondendum eſt. Habetur diſertè ex Concilio Trid. *ſeſſ. 22. in decret. de obſervat. & evit. in celebr. miſſ.* & alibi, quibus in locis tribuitur Ordinariis etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatis facultas extirpandi quoſcumque abuſus circa Sacramentorum tum adminiſtrationem, tum ſuſceptionem. Quod præcipuè curandum eſt in Sacræ Euchariſtiæ frequentatione, ut æmulationes, & ſingularitates, unde certa Congregationibus imminet ruina, evitentur, & impediantur, cum communicantes non communicantibus ſe putant meliores, & ſanctiores, ſuaque exemplo aliàs ſæpè non debitè præparatas, ne deterioris, aut pejoris vitæ in hominum oculis habeantur, ad communicandum indignè incitant, & quaſi inducunt. Qua ratione id ipſum in Monialibus obtinere debet ſi in illis ſcandala, & abuſus timeantur.

2 Nec dici poteſt, quod hæc ordinatio non inſerviat, niſi ad retrahendum Moniales a devotione, & Sacra Communione contra diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 22. cap. 6. de ſacrif. Miſſæ*. Nam reſponſio in promptu eſt, Ordinarium ſcilicet libenter conſenſurum, ut frequentiùs ad menſam Domini accedant, immò quotidie, ut optat quidem Sacroſancta Synodus, in ſingulis Miſſis eæ adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent, ut illis ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniat, ubi tamen informatus fuerit, quod tam benè, ac ſanctè vivant, ut quotidie corpus Domini mereantur recipere. Quod judicium cum ſit apud Paſtorem, ad ipſum ſpectat dignoſcere præparationem, quæ animi puritate, quaque reverentia tam auguſtum, ac ſuper venerabile Sacramentum frequentandum ſit, quod ſufficienter exprimit idem S. Concilium *ſeſſ. 13. cap. 7. & 8. de Euchar.*

3 Præterea diſpoſitio *d. c. 6. ſeſſ. 22. de ſacrif. Miſſæ*, ac tota ejus ſeſſio non ſubſervit ad determinandum aliquid de quotidiana communione, ſed ad declarandum contra quoſdam hæreticos, Miſſas illas, in quibus adſtantes non communicant, non eſſe illicitas, uti ex ipſo textu facilè intelligi poteſt. Quid autem idem Sacrum Conlium in hac materia ſenſerit reſpectu Sanctimonialium, quæ ſponſæ ſunt Chriſti, ſibique ac ſæculo mortuæ, jugiter orationi, ac Deo vacant, conſtat ex *c. 10. ſeſſ. 25. de Regular.* ubi illas monendas cenſet, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant. Unde facilè colligi poteſt quid ſit cenſendum juxta mentem ejuſdem Concilii de Monialibus, in quibus Epiſcopus abuſus aliquos circa frequentationem venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ compererit.

Atque ita S. Congregatio Concilii Tridentini die 7. 4
Maji 1652. in una Gandegavenſi declaravit Monialibus hujuſmodi diſpoſitionem S. Concilii *ſeſſ. 22. c. 6. de ſacrif. Miſſ.* non ſuffragari, Ordinarioque licere præſcribere illis dies, & locum accipiendi Sacram Communionem.

De quotidiana verò communione, præter Doctores, ac decreta antiquiora, extat ſequens decretum S. Congregationis Concilii Tridentini nuper editum hujus tenoris: *Cùm ad aures S. D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit in quibuſdam diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis; etiam in feria ſexta Paraſceve, & ſimul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam eſſe a jure divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe, videlicet, quod aliqui non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & domi, immò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, ſumat Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferant ſacerdotes ſæculares, aut regulares, aliique in communione accipiant plures formas, ac particulas vel grandiores ſolito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici ſacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis unanimi ſententia ita cenſuit: Et ſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a Sanctis Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Conc. Trid. præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum judicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes ſacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent. Idque non immeritò. Multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa, quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certe de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam acceſſus Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius, animadverterent, cum Beatus Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi eos ſeriò admoneant, tantò magis ob Sanctiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam, continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium epularum communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudque omninò provideat, ut nemo a ſacro Convivio ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admovendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſit, id illis a ſuperioribus permittatur. Prodeſt etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutifici cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur,*

tur, debere sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri. Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur S. Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceves Missalis rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formulas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas, non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu; facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Datum Romæ 12. Februarii 1679. Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens decretum typis dari, ac publicari voluit.

CONSULTATIO XXXVII.

An ex eo quod Ordinatio ministrorum Ecclesiæ fit inter Missarum solemnia, dicatur Missa solemnis, itaut in ea omittenda sit commemoratio simplex?

1 REspondeo negativè. Quia etiam ille, qui celebrat Missam cum simplici ministro, dicitur celebrare missæ solemnia, dummodò in conventu populi celebret, ut habetur Can. *si quis de consec. dist.* 1. & expressius *Can. Missarum eod. tit. eademque dist.* ibi: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebranda esse censemus*: Quare Missarum solemnia peragere idem est, ac Missæ sacrum facere apud sacrorum Rituum Scriptores. Confirmatur, quod etiam publicationes matrimoniales, quæ a Tridentina Synodo fieri præcipiuntur inter Missarum solemnia, habentur a Parocho, dum Missam celebrat sine ministris, & sine cantu, publicè tamen, & in conventu populi.

2 Dicitur ergo Missa solemnis ex pluralitate ministrorum. Ita præter adducta habetur ex testimonio Soteris Papæ Can. *Hoc quoque de consecr. dist.* 1. Ubi ad majorem solemnitatem statutum legitur, quod Episcopus cum pluribus Missarum solemnia peragat. Quod in sensu composito est per se notum, quia de intrinseca ratione hujus solemnitatis est pluralitas ministrantium, nempè Diaconi, Subdiaconi, Acolythorum, quia ad hunc effectum consecrantur ab Ecclesia. Nam cùm importent decorem, & majestatem in offerendo sacrificio, fit quod Missa ex tali institutione dicatur solemnis. Missa igitur, ut sit solemnis, necesse est, ut plures in ea ministrent. Non enim nisi juxta vulgi consuetudinem nunc dici solent Missæ solemnes, quæ canuntur, quamvis formaliter loquendo, si solam solemnitatem attendamus, cantus non requiratur, qui tantum adjungitur propter populum, ut excitetur ad cupiditatem ejus rei, quæ canitur. Itaque juxta Ecclesiasticum ritum illa dici solet, ac debet Missa solemnis, quæ celebratur cum Diacono, Subdiacono, & cæteris ministris, de qua loquitur D. Thomas *3. p. q. 83. art. 5. ad 12.* & passim alii.

3 Et quamvis Missa, in qua consecratur Episcopus, vel conferuntur Ordines sacri, sit solemnis, quia celebratur cum pluralitate ministrorum, tamen non est in ea omittenda commemoratio simplex. Quia non est solemnis de festo secundæ classis. Ut enim commemoratio simplex omittatur, requiritur ex Rubrica non solùm, quod sit Missa solemnis, sed etiam quod sit de festo secundæ classis. Enimverò sequeretur, quod etiam in Missa solemni, quæ Dominicis, cæterisque diebus celebratur in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis debeat omitti commemoratio simplex, quia celebratur cum pluritate Ministrorum, quod est contra Rubricam, quæ solum loquitur de Missa solemni in festo primæ, vel secundæ classis.

CONSULTATIO XXXVIII.

QUidam Neapoli natus, ibique ab Archiepiscopo minoribus Ordinibus initiatus, mox ad Civitatem Fundanam matris suæ patriam se contulit, nonnullaque bona in agro Fundano possidet, prout etiam in Cathedrali Fundana beneficium a prædicta sua matre dotatum obtinet. Nunc ab Ordinario Fundano ad Sacros Ordines se promoveri cupit. Sed quoniam veretur, ne hujusmodi promotio injuriosa reputetur jurisdictioni Archiepiscopi, quærebatur, An ipse jure possit ab Episcopo Fundano ordinari? Quare posita Decretali Bonifacii VIII. *in c. Cùm nullus de tem. ordin.* cujus dispositionem non fuisse a Concilio Tridentino abrogatam sæpiùs declaravit S. Congregatio, quæritur 1

Primò, An in suscipiendis minoribus Ordinibus sit permissa variatio, itaut qui ab Episcopo originis, seu domicilii tonsura, aut altero ex Minoribus Ordinibus initiatus fuit, possit ad alium Ordinem minorem ab Episcopo beneficii promoveri? 2

Secundò, An sit permissa variatio in ascensu ab Acolythatu ad Subdiaconatum? 3

Tertiò, An sit permissa Subdiacono in promotione ad Diaconatum, vel Diacono in promotione ad Sacerdotium? 4

Negativè respondet Molfes. *in sum. tom. 1. p. 2. c. 2. num.* 10. nisi Episcopus, qui prius illum ordinavit, judicasset cessare causam ordinationis, & remitteret ordinatum ad alium ex dictis Episcopis. Id quod post Archid. *in c. Ne captandæ de concess. præb. in 6.* Achil. de Graf. *decis. 13. de pens.* Quaranta *verbo Ordo*, & alios notat Riccius *decis.* 306. Quoniam si semel est factus subditus Episcopi ordinantis, non potest talis subditus eligere alium Episcopum in præjudicium Electi per primam ordinationem. Idem etiam docet Baun. *in theol. mor. to. 1. tr. 11. q. 3.* & elicitur *ex l. 2. & seqq. ff. de opt. legat.* ubi statuitur, quod optione semel facta omne jus consumitur. 5 6

At tenendum est, variationem præfatam esse licitam, ita Zypeus *in Consul. Canon. lib. 1. tit. de æt. & qualit. ordin. consul. 3.* Præpositus. *in 3. p. D. Thom. q. un. de Sacram. Ord. dub. 14. n. 136.* & Henriq. *lib. 10. c. 22. n. 1.* Quia hic adest causa, propter quam aliquis sufficienter censeatur subjici Episcopo, ut ab eo possit Ordines recipere, sicut habetur ex *d. c. Cum nullus*, ubi Pontifex non solùm vult ratione originis aliquem subjici Episcopo, ut possit ab eo ordinari, sed etiam ratione domicilii, & beneficii; ergo illæ sufficient, quamvis aliquis propter eas non sortiatur domicilium. Atque ita statuit lux Summistarum Diana, scriptor multiplicis oblectamenti, & utilitatis *p. 4. tr. 4. resol. 51. & p. 6. tr. 7. resol. 35.* & declaravit S. Congregatio Concilii tempore Cardinalis Alciati, & 20. Maji 1594. Quod etiam censuit in una *Fundana* die 27. Februar. *1666.* per hæc verba: S. Congregatio, &c. respondit, *esse licitam dummodo non in fraudem.* Secus autem censeo quando beneficium esset tenuissimi redditus, quia censeretur procuratum in fraudem, ut declaravit eadem S. Congregatio 28. Novembris *1633.* in una *Venetiarum*. 7

Nec obest, quod dicebatur. Constat enim quod hic variatio non contingit circa unum, & idem subjectum, sed respectu diversorum: quoniam Ordo susceptus Diaconatus distat ab Ordine suscipiendo Presbyteratus. Itaque, ut exclusa sit variatio quoad unum, qui & natura irreptibilis est, nihil vetat quod alterum variare, & alterum Episcopum adire. Siquidem nullus id juris textus prohibet, immò permittit, ut adire liceat quemcumque lubeat originis, domicilii, aut beneficii Episcopum. Ordinationis enim legitimæ causa efficiens est propria ex una trium causarum, ex qua derivat jurisdictio Ordinantis in ordinandum, qua manente, manet legitima, & legalis possibilitas effectus, quæ neque pactis, aut factis privatorum tolli potest. 8

Ad *l.* verò *1. & seq. ff. de opt. legat.* respondetur, verum esse, quod optione quidem semel facta omne jus consumitur. 9

mitur, sed unius rei eligendæ, non autem omnibus exhibitis. Quippè quod ad non exhibita, integra manet optio *l.* 4. & rationem assignat *l.* 20. ejusdem tituli. Quia nimirum omne jus prima testatione consumpsit, quoniam res continuò ejus fuit simul, ac se dixerit eam sumere. Cùm igitur non eadem ratio in casu nostro obtineat, aditione unius Episcopi non tolletur facultas a jure concessa pro alio Ordine alium adeundi, quem alioquin jus adire permiserit.

CONSULTATIO XXXIX.

1 PRo componendis controversiis, quæ non sine scandalo inter Regulares sæpè oriri solent super transitu aliquorum ab una Religione ad aliam strictiorem, quæritur,

2 *An, & quomodo hujusmodi transitus sit de jure, & ex S. Concilio Tridentino permissus?*

3 REgula quidem est, de jure Regularibus permitti transitum ad strictiorem ex *cap. Licet.* 18. ubi Doctores communiter *de Regular. cap. Sanè*, *cap. Statutum eod. tit.* & nominatim tradunt Glos. *c.* 2. *v. Monachus* 19. *q.* 3. *& in cap. Intelleximus in fin. de stat. & qual.* ubi Innoc. *n.* 2. Abb. *n.* 1. *oppos.* 1. Host. *n.* 5. *& in d. c. Licet*, ubi etiam idem Abb. *n.* 12. Anchar. *n.* 12. *q.* 1. Jo. Andr. *n.* 21. Cardin. *n.* 3. *q.* 2. Butr. *n.* 13. Henr. *n.* 8. & prosequuntur Lapus *alleg.* 130. *aliàs* 135. *n.* 2. ibique Mandos. tenetque Calderin. *cons.* 25. *de Regular.* Rom. *cons.* 341. *n.* 5. Navar. *cons.* 59. *n.* 2. *de Regular. in* 1. *edit. in* 2. *verò cons.* 52. & concinunt. D. Anton. 3. *p. tit.* 16. *cap.* 4. *§.* 1. Major. *in* 4. *d.* 38. *q.* 21. *in arg. contra* 2. *Concl.* Rosel. *v. Religio* 4. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 41. *dub.* 13. *n.* 101. Sanch. *lib.* 6. *in decal. c.* 7. *n.* 95. Azor. *to.* 1. *instit. lib.* 12. *c.* 14. *q.* 1. Sayr. *in clav. reg. lib.* 6. *cap.* 10. *d. num.* 9. Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 3. *c.* 9. *a num.* 2.

4 Quæ sanè regula intelligenda est, ut inquit Host. *in d. cap. Licèt n.* 9. juxta terminos ejusdem *cap. Licet*, ubi ita habetur: *Debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur*, & loquitur Pontifex de volente transire ad strictiorem Religionem. Cùm enim professio sit contractus spiritualis, qui hinc inde inducit mutuam obligationem, *cap. Porrectum, & cap. ad Apostolicam de Regular.* & notat Glos. *ibid. v. Non faciat*, Abb. *n.* 16. Navar. *cons.* 26. *n.* 1. *de Regular.* Rodriq. *qu. reg.* 15. *ar.* 12. *tom.* 3. Sanch. *lib.* 5. *in decal. c.* 4. *n.* 62. & communiter, non potest religiosus sine licentia se retrahere ab obligatione assumpta inserviendi Religioni.

5 Præterea dicta regula procedit concurrentibus hisce requisitis. Primum, quod transitus fiat mero studio, & zelo perfectioris vitæ, non autem temeritate, levitate, odio, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, ut indicant verba ipsis *cap. Licèt*; necnon *c. statuimus* 19. *q.* 3. & utrobique firmant Doctores, speciatim Abb. *in d. c. Licèt n.* 2. Host. *n.* 7. Joan. Andr. *n.* 3. Silvest. *in sum. v. Religio* 4. *sub n.* 2. *circa fin.* & latiùs Sanch. *d. c.* 7. *n.* 11.

6 Ideò transiens tenetur causam exprimere suo Prælato, & iste illam ponderare, ut notat idem Jo. Andr. *in eodem cap. Licet*, & ibidem Innoc. *n.* 1. Cardin. *n.* 14. Adeò ut non sit standum assertioni volentis transire, an ex justa causa, seu zelo, an ex levitate, aut alia ex causa id faciat. Et in casu controversiæ requirendum est judicium Superioris ipsius Prælati regularis, nempè Sac. Congregationis, ut firmat Abb. *in d. cap. Licèt n.* 3. Host. *n.* 13. Butr. *n.* 8. Cardin. *n.* 3. *&* 14. *in fin.* ac tradit expressè Cochier. *de jurisd. Ordin. in exempt. p.* 4. *q.* 13. ubi rectè advertit, nullum Regularem se transferre debere ad strictiorem absque authoritate Sedis Apostolicæ, seu S. Congregationis.

7 Secundum requisitum est, ut præcedat petitio Licentiæ a suo Prælato regulari, ut apertè disponitur *in d. Licet*, ubi id stabiliunt Abb. *n.* 2. *&* 11. Host. *n.* 15. ac sequitur Suar. *de Relig. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 6. & Sanch. *eo c.* 7. *n.* 34. Aliàs potest Prælatus regularis ad religionem suum subditum vindicare ex *d. c. Mandamus* 19. *q.* 3. & docent *in d. c. Licèt*, Abb. *n.* 10. *&* 15. Host. *n.* 5. *&* 7. Jo. Andr. *n.* 1. & plures alii, ab iis relati.

8 Tertium requisitum est, ut ex transitu prima Religio jacturam, seu læsionem non recipiat, ut benè asserunt in eodem *c. Licèt*, Abb. *n.* 12. Host. *n.* 5. *&* 12. Innoc. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 22. Butr. *n.* 14. Anchar. *n.* 11. Cardin. *n.* 13. Sanch. *ubi supra.*

9 His autem non repugnat conclusio, quod transitus ad strictiorem permittitur, licentia petita, quamvis non obtenta. Siquidem illa procedit concurrentibus supradictis, necnon quando Prælatus regularis, exposita sibi a volente transire causa justa, licentiam denegat, vel non respondet petenti, vel alia ejusmodi adducit. Ita declarat Abb. *in cit. cap. Licet n.* 9. Innoc. *n.* 20. Jo. Andr. *n.* 7. Butr. *n.* 6. aliique plures apud ipsos. Idque maximè obtinet, quando Prælatus regularis dubitare probabiliter potest de justitia causæ transire volentis, ut dissertè habetur *in d. c. Licet vers. si vero*, & alibi, traditque Host. *ibid. n.* 15.

Nam indubitatum est, Prælatum regularem posse ex justa causa denegare hujusmodi licentiam petenti, ut in eodem *c. Licet* comprobant Host. *d. n.* 15. *& seq.* Innoc. *n.* 4. Jo. Andr. *n.* 9. *&* 10. Card. *num.* 3. *q.* 14. Sanch. *loco alleg. d. cap.* 7. *num.* 37. 10

Hinc est, quod transire volens tenetur petere responsum, seu causam denegationis, ut notat Innoc. *ibid. n.* 4. Butr. *n.* 12. Cardin. *n.* 7. Host. *n.* 10. Cùm aliàs Regularis teneatur obedire ipsi Prælato, *cap. Qui resistit.* 11. *q.* 1. cum similibus. Et si prætendat responsionem, seu denegationem injustam, recurrendum est ad judicium Superioris ipsius Prælati regularis, ut supra dicebamus. 11

Atque opinio ista eò vel maximè amplectenda est, cùm plures tenuerint pro hujusmodi transitu requiri expressam licentiam Prælati regularis, ut *ex d. cap. statuimus* 19. *q.* 3. *c. Cum in veteri de elect.* notant Glos. *in c.* 1. *v. licentia de excessib. Prælat.* ibique Jo. Andr. *col.* 1. Silvest. *d. v. Religio* 4. *n.* 2. Sanch. *d. cap.* 7. *n.* 39. Castropal. *par.* 3. *tract.* 56. *disp.* 4. *punct.* 16. *§.* 3. *n.* 4. Bonaccin. *de clausur. q.* 2. *punct.* 9. *§.* 13. *diffic.* 1. *n.* 3. Pro qua opinione facit regula, *l. qui potest, ff. de regul. jur.* cum plerisque aliis. 12

Quapropter S. Congregatio Concilii sequendo declarationem antiquam sub anno 1483. censuit in una *Rothomagien.* die 18. Julii 1658. & in una *Venetiarum* 17. Julii 1649. transitum ad strictiorem permitti non debere, nisi petita licentia a suo Prælato regulari, & quatenus constet fieri mero zelo majoris perfectionis vitæ, auditis Superioribus ejusdem Religionis, a qua recedit circa causam hujusmodi transitus, necnon quatenus jactura ipsius Religionis cesset, cùm, ut inquiunt Anchar. *in d. c. Licèt n.* 7. Butr. *n. etiam* 7. *in fin.* Cardin. *n.* 4. præsumatur in dubio transitum, ut plurimum, fieri ex levitate, vel alia simili causa, non autem ex mero zelo, eo quod Angeli Sathanæ sæpiùs se transforment in Angelos lucis. 13

Quare eadem S. Congregatio in decreto de Apostatis, & ejectis jussu Urbani VIII. *§.* 3. prudentissimè statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem transire, nisi prius Prælato regulari legitimè constiterit religionem illam paratam esse recipere eum, qui hujusmodi licentiam petit, aliter Superior præsumens facere, incurrit eo ipso pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac inhabilitatem ad alia, cujus dispensatio reservatur Papæ, privativè etiam ad Generalem, & Protectorem. Et hanc ob causam plures Religiones, prudentibus constitutionibus erectæ, prohibuerunt transitum, etiam ad arctiorem. 14

Motivum verò communicationis privilegiorum Ordinum non subsistit. Licèt enim aliqui tenuerint privilegia prohibentia tranfitum absque expresso consensu Prælati regularis suffragari posse, ut observat Host. *in d. c. Licet num.* 1. *v. Transire*, Jo. Andr. *n.* 2. Butr. *n.* 2. Horum tamen opinio intelligitur, quando denegatus consensus est justus, & discretus, secus verò. si injustè denegaretur, ut egregiè ponderat ibidem Cardinal. *n.* 1. Butr. *n.* 3. Anchar. *n.* 1. Silvest. *d. v. Religio* 4. *sub n.* 2. quos alii sequuntur. 15

CONSULTATIO XL.

Ut etiam differentiæ inter Episcopum, & Administratores Montis Pietatis componantur, quæritur,

1 PRimò, an Episcopus possit visitare Montem Pietatis, seorsim ab Officialibus laicis, aliàs forsan visitare solitis, & absque eorum consensu decernere, quæ ad bonum ejusdem Montis regimen expedire censuerit?

2 Secundò, an ipse, quando prædictum Montem Pietatis visitat, possit Canonicos illos duos, sive alias duas personas Ecclesiasticas secum ducere, quia, earumdem consilio utendi, & Episcopalis dignitatis servandæ gratia adhibet in visitatione Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum suæ diœcesis?

3 Tertiò, an proprio suo Cancellario Episcopali ad præfatæ visitationis acta conscribenda uti possit, quamvis Officiales,

ficiales, & Viſitatores laici proprium peculiarem Cancellarium habeant?

Quartò, an ipſe ab Adminiſtris ejuſdem Montis Pietatis poſſit adminiſtrationis rationem extra viſitationem exigere?

4 Reſpondeo ad omnia poſſe, ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 8. de ref. verſ. Epiſcopi etiam*. Nam Epiſcopus omnium piarum voluntatum exequutor eſt, niſi in earum fundatione, per Sedem Apoſtolicam confirmata, aliter diſponatur; in caſu tamen negligentiæ ſemper eſt exequutor per *c. Tua nobis de teſtam.* Atque ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii quoad omnia ſupradicta in una *Foroſempronien.* die 23. Maji 1667.

CONSULTATIO XLI.

1 AN debitores frumenti, quod ſibi per Adminiſtratores Montis Pietatis ab Epiſcopo erecti pro ſubveniendis honeſtis familiis egenis, fuit pro una vice tantùm ex permiſſione Epiſcopi menſe Maji creditò venditum juxta communem valorem, ut ejus quantitas pro ipſo Monte neceſſaria ſtatuatur, ad ſuccurrendum de cætero, ac in perpetuum mutuò gratuitò ejuſdem egenis, teneantur ad ſolutionem pretii conventi juxta formam obligationis Cameralis?

2 Et re conſiderata affirmativè abſque controverſia mihi videtur reſpondendum. Etenim obligatio Cameralis, ut notiſſimum eſt, exequutionem habet paratam, & regulariter non admittit niſi exceptionem ſolutionis, falſitatis, & pacti de non petendo, ut per Galleſ. *ad formul. Cam. oblig. p. 4. q. 1. n. 2.* Caſſad. *dec. un. n. 2. de mut. petit.* & ideò cum nulla ex iſtis tribus exceptionibus nunc afferatur, exequutio impediri non poteſt, ut fuit deciſum *in Romana executionis contractus 27. Maji 1594. coram bon. me. Litta*, & ſæpiùs alibi.

3 Exceptio autem nullitatis, quæ deducitur ad effectum retardandi exequutionem, nullatenus videtur admittenda; quia debet eſſe liquida, clara, & omninò probata ex inſpectione inſtrumenti. Nam quando eſt extrinſeca, & ambigua, exequutio non eſt retardanda, ut fuit reſolutum *in Romana executionis de Anguillaria 6. Martii 1592. coram Orano*, & *in Romana affictus 2. Aprilis 1593. coram Cardinali Mantica*. In dubio enim tutiùs eſt procedere ad exequutionem ratione juramenti juxta textum *in cap. debitores de jurejur.* & fuit deciſum *in Romana reſciſſionis inſtrumenti 27. Junii 1575. coram Robuſterio*, & in ſpecie quando exceptio nullitatis contractus eſt extrinſeca, & ejus diſcuſſio requirit altiorem indaginem, quando non revelet ad impediendam exequutionem Cameralis obligationis, tuetur, Galleſ. *ubi ſupra q. 3. n. 4.* & 5. & fuit deciſum *in dicta Romana exequutionis de Anguillaria coram Orano*.

4 Quæ maximè procedunt in caſu iſto, in quo agitur de exequutione ad favorem Montis Pietatis, & ſic cauſę Piæ, pro qua etiamſi verſaremur in dubio, pronunciandum foret, illi locum eſſe, *vulg. l. ſunt Perſonæ, ff. de relig. dom.* Tiraquell. *de privil. cauſæ piæ, privil.* 148. firmans *privil.* 146. id procedere etiamſi ſuſtineatur pars actoris, cujus quidem munus utique piiſſimum eſt, quia per illud exerceretur opus pietatis pro ſalute animarum, quod ex ſe pium eſt, *§. ſi unum de prædictis, Auth. ut cum de appellat. cognoſc.* cum aliis relatis per Tiraquel. *eodem tract. in præfat. circa princip.* & quia finis illius præcipuus eſt ſubveniendi honeſtis familiis, quæ licèt ſatis bonorum habeant, ut poſſint vivere, ac frumentum reſtituere, & ad id idoneam fidejuſſionem præſtare, non tamen ſatis habent, ut commodè ſe ſuſtinere valeant ſecundùm conditionem, & qualitatem perſonæ: ii namque & pro pauperibus habendi ſunt, ita ut ſubſidium, quod eis præſtatur, piæ quoque cauſæ attribuatur, ſicut finis ſubveniendi etiam agricolis egenis cauſam quoque piiſſimam concernit, cùm erga illos opus miſericordiæ exerceatur, quod in publicam utilitatem inſimul redundat, & pium pariter cenſetur, ut per eundem Tiraquellum locis ſupra citatis.

5 Itaque nullatenus videtur refragari, quod excipitur non potuiſſe frumentum creditò vendi, ex quo in erectione Montis jam fuit conſtitutum, ut debeat mutuò gratis dari. Quia exceptio iſtius nullitatis tantum abeſt, ut ſit liquida, & clara, ut appareat omninò irrelevans ex pluribus. Et quidem primò, quia ultra quod id intelligendum eſt poſtquam aderit quantitas frumenti neceſſaria pro ſubveniendis familiis honeſtis, & agricolis egenis loci juxta finem erectionis, quoque in ipſa erectione apparet fuiſſe Epiſcopo reſervatam facultatem faciendi capitula, & ordinationes ſibi beneviſas, & neceſſarias pro meliori directione Montis, inter quas adeſt expreſsè conſtitutum, quod omnimoda illius diſpoſitio, & juriſdictio pertineat ad ipſum Epiſcopum, qui facto etiam declaravit, permittendam eſſe in ſpecie ejus venditionem pro hac vice, cum facultas faciendi conſtitutiones non expiret prima vice, ſed duret quoties opus fuerit, ex quo ſumus in materia favorabili, juxta tradita per eumdem Tiraq. *in l. Boves, §. hoc ſermone, limit.* Tertiò & præcipuè *n. 16. de verb. ſignif.*

Ideòque indubitatum eſt potuiſſe frumentum ex permiſſione ejuſdem Epiſcopi creditò vendi, quia poteſt in hoc diſpenſare ex facultate ſibi in ipſamet erectione reſervata, ut in individuo conſuluit Roman, *conſ. 325. ſub num. 11. verſ. 30. principaliter conſidero*. 6

Quod faciliùs in hac ſpecie procedit. Quia dum in actu erectionis non fuit aſſignata quantitas frumenti neceſſaria pro ſubveniendis omnibus egenis loci, utique augmentum, quod in præſenti anno fit ex illius venditione, non repugnat fini ipſius erectionis, ſed plurimum ad illum confert, ſcilicet, ut Mons hoc modo augeatur, & reducatur ad quantitatem neceſſariam in utilitatem, & perpetuum commodum eorumdem egenorum, ad quem finem fuit conceſſa facultas Adminiſtratoribus Montis ſingulis annis quæſtuandi in ipſamet erectione. Mens enim ipſius erectionis, quoties eſt perſpicua, ſervari debet, quamvis verbis non eſſet expreſſa, *l. nominis rei, §. verbum ex legib.* cum ibi communiter notatis, *ff. de verb. ſignif.* Immò & verbis præfertur, *l. non dubium, C. de legib. l. ſcire oportet, §. aliud, ff. de excuſat. tut.* Caſtrenſ. *conſ. 380. num. 1. lib. 2.* Et hoc procedit etiam in materia, in qua ſtricta eſt facienda interpretatio; quia nunquam excluditur interpretatio, per quam mens ipſa colligitur, etiam in contractibus, *l. fin. C. quæ res pign. oblig. poſſ.* & *penul. C. pro ſocio*. 7

Deinde quatenus in aliquo adverſaretur erectio, quod non creditur, attamen cùm illa fuerit facta ab Ordinario, certum eſt potuiſſe ab ipſo in ea diſpenſari, etiam ſine cauſa, ut poſt alios plenè probat Romanus *d. conſ. 325. ſub num. 8.* Gamb. *de offic.* & *poteſt. legat. lib. 10. concl. 18. n. 437.* ſubdens *n. 444.* hanc opinionem etiam ubique ſervari, & plenius ad partes diſputando tuetur poſt alios Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 17. n. 26. cum pluribus ſeqq.* 8

Tum quia indubitatum eſt, Epiſcopum poſſe in ſua erectione, ſive qualibet conſtitutione diſpenſare ex juſta cauſa, qualis in propoſito concurrit, nempè augmenti Montis, ut ille ſtatuatur in utilitatem egenorum, ac publicam in perpetuum, quæ ſanè cauſa eſt piiſſima, ut plenè ſuperius oſtenſum eſt, adeòque cenſetur juſta, ac potens, ut dum Epiſcopus ob tenuitatem redituum ſuæ menſæ non poteſt omnibus egenis, & pauperibus, quorum in ſua Diœceſi magnus eſt numerus, ſubvenire, negociatio aliis Clericis prohibita, ei permiſſa, dummodo fieret per alios, & lucrum cum effectu ipſis egenis diſtribueretur, ut ex traditis per Archid. & Præpoſit. *in can. conſequens eſt 85. diſt.* firmatur *in manuali Paſtorum Epiſcopi Montis Marani cap. 53*. 9

Unde concurrente tam pia, juſta, & rationabili cauſa, nemini dubium eſt, quin permiſſa ſit Epiſcopo diſpenſatio, quantumvis erectio, & talis conſtitutio a ſe facta haberet vim contractus, aut etiam fuiſſet jurata, etſi id in præſenti non concurrat, ut per Aret. *in cap. at ſi Clerici, §. de adulteriis n. 24. de Judic.* Gambar. *de offic.* & *auth. Leg. lib. 10. n. 44.* & poſt alios plenius idem Sanchez *de matrim. d. diſput. 17. n. 29. cum ſeq.* Quinimmò Epiſcopos poſſe ex juſta cauſa etiam in ſacris Canonibus diſpenſare, probat Roman. *d. conſ. 325. ſub num 7.* & *conſ. 438. n. 13.* & *ſeq.*

Præterea cum talis venditio fuerit pro una vice tantùm permiſſa, & quidem ad inſtantiam tam Communitatis, pro qua interceſſit etiam loci Dominus temporalis, ut nimirum duæ partes frumenti creditò venderentur, & alia tertia pars mutuò gratis daretur, quamvis conſenſus Communitatis, nec aliorum ſit in hoc requiſitus, cùm nemo in iſto Monte authoritate ordinaria, & ſub omnimoda diſpoſitione, ac juriſdictione ipſius Epiſcopi erecto, jus aliquod habeat, quàm etiam ad inſtantiam particularium perſonarum, quæ magnoperè inſtituerunt ſibi in præſenti anno creditò vendi, & ſua ſpontè ſe ad illius pretii ſolutionem juxta communem valorem menſe Maji obligarunt, profectò nullum dubium eſt, quin Epiſcopus potuerit pro hac vice tantùm in eo diſpenſare, ut in fortioribus terminis, quod cùm conſenſu Patronorum, qui jus habent præſentandi, poſſit diſpenſare in qualitatibus beneficii contra fundationem, nempè ut poſſit ad beneficium ſacerdotale non Sacerdos præſentari, tradunt DD. *in cap. cum acceſſiſſent*, & ibi Abb. *n. 5.* & plenè Felin. *n. 29. de conſtit.* Dec. *conſ. 121. n. 3* & adeſt adnotatio Cancell. 2. *in §. nota quod Epiſcopus cum conſenſu Patroni*, &c. Quinimmò cum 10

conſen-

conſenſu hæredum, ſive exequutorum, eorum loco, poteſt ex juſta cauſa commutare etiam voluntatem teſtatoris; Rot. *diverſ. dec.* 574. *n.* 1. *p.* 1.

11 Et quicquid ſit, quando diſpenſatio fieret in perpetuum, attamen pro una vice videtur indubitanter id Epiſcopo permiſſum, ut planè firmat Felin. *in d. c. cum acceſſiſſent n.* 29. *de conſtit.* & ſequitur poſt alios Paul. Borg. *de irregularit. & diſpenſat. p.* 6. *tit. de teſtam. & ult. volunt. ſub num.* 21.

12 Quod facilè procedit in erectione iſtius Montis, quæ non concernit favorem certarum perſonarum, ſed omninò incertarum, cujus diſpenſatio permiſſa eſt, juxta tradita per Oldrad. *conſ.* 61.

13 Atque id eo magis videtur ſubſtinendum, quia non poteſt attribui negociationi, ex quo fuit venditum frumentum, quod non fuit emptum, ſed erat proprium Montis, ut per Roland. *conſ.* 61. *n.* 11. *cum ſeq. lib.* 4. quæ neque etiam pro una vice Clericis illicita cenſetur, ut per Gloſ. & Bart. *in l.* 1. *§. licèt, ff. de tribut. act.* Salced. *in prax. Can. Clim.* ubi Diaz. *c.* 53. & præcipuè cùm id evenerit per accidens, quod eo minus eſt in conſideratione habendum, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *ar.* 4.

14 Poſtremò additur, quod quatenus venditio fuiſſet facta contra erectionem etiam ſine cauſa, immò contra proprium juramentum, non idcircò illius contractus rederetur nullus, ex quo communiter receptum eſt, Epiſcopum poſſe, ut dicebamus, contra erectionem, ac conſtitutionem a ſe factam diſpenſare, ut per Gambar. *loc. cit. d. lib.* 10. *n.* 452. Sanchez *d. diſput.* 17. *ſub num.* 31. & comprobatur ex plenè traditis per Felin. *in d. c. cum acceſſiſſent ſub num.* 17.

15 Secunda exceptio, quæ deducebatur ex eo, quod contractus eſſet illicitus, minus videtur recipienda ad effectum retardandi exequutionem obligationis Cameralis. Quia iſta exceptio neque pariter admittitur, niſi quatenus ſit clara, & ita apparens, ut tergiverſari in aliquo minimè valeat, ut per Abb. Felin. & alios *in d. c. debitores de jurejur.* ſecus verò quando altiorem requirit indaginem, ut fuit in ſpecie deciſum *in alleg. Rom. exequut. de Anguillaria*, & latiùs deductum *in Romana uſurariæ pravitatis* 4. *Julii* 1597. *coram Peregrino*, & alibi pluries. Illius autem juſtitia liquet. Siquidem certi juris eſt licere vendere frumentum creditò ſecundùm communem valorem menſe Maji, prout in illis partibus, ac generaliter ubique fieri conſuetum eſt, cum dubium ſit, an eo menſe plus, minuſve, quam tempore contractus valere poſſit, & venditor non erat eo tempore venditurus, ſed ſervaturus, ut in fortioribus terminis, videlicet quod ratione hujus dubii permiſſum ſit creditò vendere carius certo pretio taxato frumentum, ſoluturum menſe Maji, quàm valeat tempore contractus, eſt *text. in c. naviganti*, & ibi omnes Canoniſtæ communiter, & ſpeciatim ad partes diſputando firmat Bero *n.* 12. *cum plur. ſeqq. de uſuris*, Covar. *var. reſol. lib.* 2. *c.* 3. *ſub n.* 6. Rodulph. *de uſur. q.* 27. Cravet. *conſ.* 145. *n.* 22. *vol.* 1. *& conſ.* 594. *n.* 11. *vol.* 4. Lup. de S. Gemin. pariter *de uſur. com. §.* 4. *n.* 95. Rota Genuen. *dec.* 212. Soccin. jun. *conſ.* 147. *n.* 16. *vol.* 1. & latè diſputant Theologi nempè Sot. *de Juſtit. & jure lib.* 6. *q.* 4. *ar.* 3. Molin. *eod. tr. tom.* 2. *diſp.* 335. *n.* 5. & Summiſtæ *verb. Uſura.*

16 Et quod quis eſſet ſervaturus, ſtandum eſt ſimplici aſſertioni venditoris, a cujus conſcientia id dependet etiam abſque juramento, ut plenè per eundem Bero. *in d. c. naviganti ſub num.* 23.

17 Cæterùm, quod denique dicebatur illicitum eſſe Adminiſtratoribus aliquid accipere ultra ſortem juxta Conſtitutionem fel. rec. Leonis X. incipiente *Inter multiplices*, quæ loquitur de Monte Pietatis authoritate Apoſtolica erecto, minus refragatur. Quia Conſtitutio expreſsè loquitur, quando accipitur ratione mutui ab ipſis mutuatariis, & ſic non habet locum in venditione frumenti creditò facta per Adminiſtratores ipſius Montis authoritate ordinaria erecti, quæ fuit ab eodem Ordinario permiſſa pro hac vice ex juſta cauſa, prout ei conceſſum eſſe jam oſtenſum eſt. Non enim prohibitum eſt Adminiſtratoribus iſtius Montis lucrum ex contractibus, aliàs licitis, ac aliundè quàm ratione mutui conſequi ad ejuſdem Montis utilitatem. Nam etiam vigore ejuſdem Conſtitutionis permiſſum eſt aliquid lucri accipere pro Miniſtrorum impenſis, & indemnitate Montis Pietatis, etiam occaſione mutui, quod eſt fortius, ſive ratione damni emergentis, ſive lucri ceſſantis, ſive ratione pacti taciti de indemnitate ſervanda, & hoc jure licere ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. probantque Navar. *in man. c.* 17. *nu.* 213. & fuſiùs *in d. c. Naviganti n.* 64. *cum plur. ſeqq. de uſur.* & poſt alios Molina *de juſt. & jur. d. tom.* 2. *diſp.* 325. Valentia, Salas, Bannez, & alii apud Paſqualigum *in dec. moral. dec.* 182. *n.* 3. & docent Canoniſtæ, ac Theologi cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1.

Nec obſtat Conſtitutio Pauli V. in Bullario *n.* 82. 18
quæ prohibet, ne pecuniæ Montium Pietatis ad uſus pauperum mutuò dandæ, in alios uſus convertantur.

Nam illa videtur loqui in Montibus Pietatis erectis 19
Apoſtolica authoritate, ut ſunt omnes in ſtatu Eccleſiaſtico inſtituti juxta Conſtitutionem Leonis X. qui ab initio erectionis habuerunt certam ſummam pecuniarum ſufficientem, aſſignatam cum præſcripta forma, ut debeant illæ perpetuò gratis mutuò dari pauperibus, quorum ipſi Epiſcopi ſunt ſimpliciter protectores, defenſores, ſeu etiam adminiſtratores, & ſic optima ratione prohibet, ne poſſint illæ pecuniæ in alios uſus, quovis prætextu converti.

At Mons iſte eſt valdè diverſus, quia fuit erectus au- 20
ctoritate ordinaria, habetque latiores partes, cum finis illius fuerit, ac ſi exercenda omnia opera pietatis erga familias honeſtas, quæ non habent ſatis bonorum, ut commodè ſe ſuſtinere valeant ſecundum conditionem perſonarum, & inter alia ſubveniendi cum quantitate frumenti, quæ poterit illis mutuò dari, & abſque eo quod fuerit pro forma præſcriptum, ut frumentum mutuò dumtaxat detur, cum non prohibeatur illud poſſe vendi quoties expediens fuerit, immò & hoc eſt expreſsè reſervatum arbitrio Epiſcopi, quia eſt erectus ſub libera diſpoſitione, ac reſervatione regiminis, & Juriſdictionis abſolutæ, plenariæ, & immediatæ ipſius, ejuſque ſucceſſorum.

Itaque cum Conſtitutio iſta imponat pœnam ſuſpenſio- 21
nis Ordinariis in caſu contraventionis, & ſic eorum reſpectu ſit pœnalis, & odioſa, loquaturque abſolutè de Monte Pietatis Authoritate Apoſtolica erecto, non debet extendi ad Montem, qui eſt longè diverſus, ac ſub diverſa forma erectus, *c.* 1. *de filiis præſbyt. in* 6. *c. odia, & in pœnis de reg. Jur. eod. lib.* 6. & fuit reſolutum *in Brixien. confidentiæ* 5. *Junii* 1591. *coram Pegna*, & aliàs ſæpiùs.

Maximè quia cùm Conſtitutio loquatur de Monte Pie- 22
tatis conſiſtente in pecunia, minus creditur poſſe de rigore extendi ad Montem conſiſtentem in frumento, & aliis bonis, quæ haberi poſſunt pro ſubveniendis honeſtis familiis, & agricolis egenis, ut eſt *deciſio* Cardinalis Seraphini 965. *n.* 2. *p.* 2.

Quare, cùm ceſſent verba Conſtitutionis, ceſſat quoque 23
illius diſpoſitio, *vulg. l.* 4. *§. toties, ff. de damn. infect.* & fuit deciſum *in Romana domus* 26. *Februarii* 1590. *coram Pegna, & in Calaguritana motus proprii de Victoria* 15. *Junii* 1592. *coram Cardinali Pamphilio*, in qua fuit deciſum id procedere etiam ſi verba eſſent univerſalia.

Rurſus Conſtitutio prohibet, ne pecuniæ, mutuò pau- 24
peribus dandæ, convertantur in alium uſum in diminutionem Montium Pietatis, ut ſunt verba proœmialia clara, ibi: *Cum itaque ſicut accepimus pecuniæ Montium Pietatis ad uſus pauperum mutuò dandæ, in alios uſus convertantur, & in dies minuantur, &c.* & in diſpoſitiva, ibi: *Nos huic malo opportuno remedio, &c.* & ideò nullatenus poteſt applicari ad propoſitum caſum, in quo fuit dilata mutuatio gratuita per annum, & venditum frumentum ad hoc, ut Mons augeatur, & ſtatuatur ad utilitatem egenorum in perpetuum, qui eſt caſus directè contrarius, immò potius permiſſus ex eadem Conſtitutione, quæ prohibet converſionem ad diverſum uſum in diminutione Montis, quo deficiente, non habet locum, quia ceſſante præſumptione, ceſſat quoque ipſa Conſtitutio, ejuſve diſpoſitio, *vulg. l. mancipia*, & ibi Fulgoſ. & Salicet. *C. de ſerv. fugit.* Dec. *conſ.* 201. *n.* 2. Soccin jun. *conſ.* 114. *n.* 22. *lib.* 3. & fuit deciſum *in Placent. Parochialis de Malpartida* 29. *Novembris* 1593. *coram Lita, & in Calag. Indulti* 11. *Martii* 1596. *coram Cardinali Seraphino.*

Item eadem Conſtitutio loquitur, quando pecuniæ mu- 25
tuò dandæ, convertuntur in alium uſum, & diverſum, ideòque minus intrat in caſu iſto, in quo frumentum non fuit applicatum ad diverſum uſum, ſed venditum pro una vice, ut illud abundantius daretur mutuò in perpetuum, & ſic ad eundem finem, ac proindè cum loquatur in uno caſu, non debet extendi ad alium, & præcipuè longè diverſum, Aym. *conſ.* 236. *n.* 6. *& ſeq.* Honded. *conſ.* 99. *n.* 51. 54. *&* 55. cum aliis.

Præterea applicatio pecuniæ Montium Pietatis ad di- 26
verſum uſum eſt prohibita propter damna, quæ illis afferuntur: igitur contractus venditionis frumenti facti in utilitatem iſtius Montis, non poſſunt cenſeri invalidi; niſi quatenus ejus Adminiſtratores voluerint. Sicuti alienatio bonorum Eccleſiæ, facta contra formam *Extravagantis Ambitioſæ*, quæ imponit pariter pœnam cenſurarum, addito etiam decreto irritanti, eſt valida, quando eſt utilis Eccleſiæ, Dec. *in cap. quæ in Eccleſiarum n.* 28. *de conſtit.* Gabr. *concluſ.* 1. *n.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.*

& ita ſuſtinetur, Eccleſia tamen volente, ut dicatur contractum claudicare poſſe ad ejus favorem, ne, quod ipſius favore inductum eſt, reſultet in odium, Fab. *dec.* 225. *n.* 4. *lib.* 2. Rot. *dec.* 133. *n.* 11. *p.* 2. fuit deciſum *in Romana palatii S. Mariæ Majoris* 15. *Martii* 1604. *coram Cardinali Pamphilio*. Unde Conſtitutio hæc, non impedit quominus frumentum potuerit vendi, & præcipuè ex cauſa utili, ac neceſſaria ſuperiùs expreſſa; quia Conſtitutio nunquam cenſetur derogare juri, & facultati in ipſamet erectione reſervatis, niſi in ſpecie ſit expreſſum. Diſpoſitio enim erectionis, & fundationis ſemper eſt obſervanda, ut fuit reſolutum *in Ulyſbonen prioratus* 4. *Julii* 1601. *coram Cardinali Seraphino*, & ſæpiùs in terminis diſpoſitionis Sacri Conc. Trid. cenſuit ejus Sacra Congregatio.

27 Cùmque præfata Conſtitutio prohibeat converſionem ejuſmodi pecuniæ ſub pœna cenſurarum, & non annullet contractus aliter factos, certum eſt, illos in caſu contraventionis non irritari. Nam quando diſponitur aliquid, & non proceditur ultra, annullando factum in contrarium, tranſgreſſio non vitiat diſpoſitionem, ſive contractum, Bart. *in l. non dubium* 3. *notab. n.* 20. Bald. *in* 4. *notab.* & Jaſ. *n.* 12. *C. de legib.* Pariſ. *conſ.* 19. *n.* 187. *lib.* 7. & fuit deciſum in *Romana Vineæ* 5. Maji 1589 coram Card. Platto. Et eo magis dum in Conſtitutione eſt appoſita certa pœna in caſu tranſgreſſionis, ut notiſſimi juris eſt?

CONSULTATIO XLII.

An Epiſcopus poſſit laicis imponere pœnas, eaſque exigere, ac uſibus piis applicare, eo quod ipſi contravenerint ejus edictis circa Annonæ inopiam propoſitis?

1 EXploratum eſt in jure, Epiſcopum, ingraveſcente Annona, ut jam planè caritas atque inopia timeatur, ne pauperes fame pereant, juriſdictionem habere etiam in laicos, ut *l.* 1. & ibi Doctores, nominatim Caſtr. *C. de Epiſcopo aud. & cap.* 1. ubi Hoſt. & alii *de empt. & vend.* Idque nedum in ſubſidium, cùm Magiſtratus ſæcularis opportunè non providet, ſed principaliter, & per ſe. Dicitur enim pater pauperum, & ad eum præcipuè ſpectat providere, ne iis neceſſaria deſint, *d. l.* 1. *& c.* 1. *& ſeq. diſt.* 82. ac in pleriſque locis S. Concilii Tridentini idem ſupponitur, præſertim *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* Adeò quod, neceſſitate ſubſiſtente, poteſt divitem cogere ad erogandum eleemoſynam pauperi eſurienti, Gloſ. *v. Eſurientium*, *c. ſicut ii diſt.* 47. traditque Bertach. *tract. de Epiſcop. lib.* 4. *par.* 4. *qu.* 2. Etenim ubi verſatur cauſa pietatis, ejus juriſdictio extenditur etiam in laicos, Tiraquel. *de privil. piæ cauſæ privil.* 149. Pia autem cauſa, licèt non merè Eccleſiaſtica ſit, mixti tamen fori eſt. Nam quod paſſim dicitur, Judicem Eccleſiaſticum poſſe jus dicere in laicos, ſi Judex ipſe ſæcularis deficiat, procedit generaliter in omnibus cauſis, etiam merè laicalibus, & alioquin ad forum Eccleſiaſticum nullo jure ſpectantibus, latè Abb. poſt Innoc. *in cap. ſignificantibus num.* 5. *& ſeqq. de offic. deleg. & in cap. ex tenore de for. comp.*

2 Hoc fixo, non videtur dubium, quin pœnæ contravenientium edictis ea de cauſa per Epiſcopum propoſitis, exigi & uſibus piis applicari per eumdem poſſint, etiam reſpectu laicorum, Aufr. *in tr. de poteſt. Eccleſ. ſuper laic. num.* 3. Sarnen. *de viſit. lib.* 1. *cap.* 32. & expreſsè diſponitur per Concilium Tridentinum *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de ref. §. Sed liceat eis.*

3 Non tamen negatur, quin Magiſtratus ſæcularis poſſit, ac debeat ipſe quoque pauperum egeſtati conſulere, & laicos contravenientes ſuis edictis punire. Sed ob id non tollitur, nec in aliquo minuitur auctoritas Epiſcopi, quominus & ipſe poſſit, ac debeat in hoc invigilare, & edictis etiam propoſitis tam in Eccleſiaſticos, quàm in laicos contemptores animadvertere, ita quidem, ut in concurſu pœnæ exigendæ præventioni tantùm locus ſit. Nam quod ab aliquibus aſſeritur, Epiſcopum non poſſe imponere, atque exigere mulctas a laicis, id verum eſt in cauſis, vel delictis ad forum, & juriſdictionem Epiſcopalem nullo modo ſpectantibus, ſecus in cauſis, vel delictis Eccleſiaſticis, vel quæ mixti fori ſunt, quale hoc eſſe, de quo agimus, ſupra probatum eſt, prout non ſolùm a frequentiori ſchola Doctorum, ſed ab ipſa, & jam allegata diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini expreſsè fuit deciſum illis verbis: *Sed liceat eis*, nempè Epiſcopis, *ſi expedire videbitur in cauſis civilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcumque etiam laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi exiſtentibus, eo ipſo quod exactæ fuerint, aſſignentur, &c.* Et aſſeruerant Hoſt. ac Jo. Andr. *in c.* 1. *de homicid. in* 6. ubi etiam Gemin. & Franch. item Abb. *in cap. Licet num.* 8. *de pœn.* ibique poſt eum Marian. & Andr. Sicul. fusè Aufrer. *d. tr. de poteſt. Eccleſ. ſuper laic. num.* 3. & Sarnen. *ubi ſup.* Præſertim cùm multæ non Fiſco Eccleſiaſtico, ſed locis piis, vel pauperibus applicantur. Quo pacto ceſſat objectio aliter opinantium, quia excluditur omnis ſuſpicio avaritiæ in Judicibus Eccleſiaſticis, ut proinde a Concilio id ſuppoſitum fuiſſe loco ſupracitato dicendum ſit.

CONSULTATIO XLIII.

Quæ præſertim, ac quot conditiones exigantur, ut geſtæ per Capitulum valeant?

REſpondeo, duo potiſſimum requiri. Alterum circa 1
ſubſtantiam actus, quod ſcilicet duæ partes ſint ei præſentes, quodque major pars illarum conſentiat per text. *in l. Nulli, ff. quod cujuſque univerſ. nomin.* ubi Gloſ. *v. Duæ partes*, Bart. *n.* 3. Alberic. *n.* 6. Bald. *in* 1. *lect. n.* 2. *& in addit. n. item* 2. *l. Quod major.* ubi Bart. *in princ. ff. ad municip.* & Canoniſtæ communiter, ſpeciatim Abb. *in c.* 1. *n.* 16. *de his, quæ fiunt a major. par. Capit.* Soccin. *conſ.* 95. *num.* 4. *vol.* 3. Roland. *conſ.* 90. *n.* 19. *vol.* 1. Alterum circa formam, quod Capitulum convocetur, & vota exiſtentium in Capitulo exquirantur, prout natura cauſæ, de qua tractatur, expoſtulat per textum *in l.* 2. *& in l. fin. Cod. de præd. Decur. lib.* 10. *c. Quia propter*, ibi: *Vota cunctorum diligenter exquirantur, &c. de elect.*

Quare quoties dicitur Capitulum congregatum fuiſſe 2
debet apparere quod conſtituerit duas partes ex tribus intervenire deſentium, quodque intereſſentium major, & ſanior pars conſenſerit electioni, venditioni, emptioni, &c. de quo facienda expreſſa, ac ſpecifica mentio in earum inſtrumento ex theorica Bart. *in d. l. fin. num.* 4. *Cod. de præd. Decur.* dicentis non ſufficere, ſi in Inſtrumento dicatur convocatis, & ordinatis Decurionibus ad ſonum campanæ, &c. ſed requiri, quod dicatur, quod fuerit omnes, vel major pars, ubi Alex. *in addit.* refert idem ſentire Specul. *tit. de Sindic. n.* 10. cum Ubert. de Bobio, nec ſufficere, ſi Inſtrumentum dicat, Abbas cum omnibus Monachis, cùm abſentes vocandi ſint; ideòque dicendum cum duabus partibus, ubi etiam Bald. *in addit.* negat excipienti duas partes non fuiſſe congregatas in conſtitutione Syndici incumbere onus id probandi, ſi tenor inſtrumenti non ſignificat de duabus. Idem quoque docent Alex. *conſ.* 114. *n.* 12. *vol.* 4. Afflict. *deciſ.* 245. *n.* 10. Soccin. *conſ.* 45. *n.* 5. *vol.* 1. Rolandin. *in ſum. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 7. *de contr. & pact. rub. Inſtrum. Syndic. & tom.* 2. *p.* 3. *c.* 9. *rubr. An curat. per adult. &c.*

CONSULTATIO XLIV.

An Canonici Regulares Ordinis Præmonſtratenſis ſint capaces pro obtinendis abſque alio Sedis Apoſtolicæ permiſſu Parochialibus Eccleſiis ſæcularibus ſaltem Juriſpatronatus ad præſentationem patronorum? Et quid de aliis Canonicis Regularibus?

REſpondendum videtur, quod Canonici Regulares, 1
quales conſtat eſſe Præmonſtratenſes, qui ab Honorio Papa II. Canonicum Ordinem S. Auguſtini aggregati, & confirmati ſunt, poſſint obtinere Eccleſias Parochiales ſæculares, obtenta dumtaxat ſui Superioris licentia. Quia id non repugnat eorum inſtituto, quod eſt laxius inſtituto Monachorum, nulloque pacto eis reperitur prohibitum, ſed potiùs expreſsè permiſſum a jure, quicquid aliàs dicendum ſit de Monachis. Ita ſtatuitur *in cap. Quod Dei timorem*, ubi Doctores communiter *de ſtat. Monach.* & cenſuit Rot. *dec.* 5. *de Jurep. in nov.* traditque Rocch. *de Jurep. verb. Honorificum q.* 4. *n.* 13. Silv. *de benef. p.* 3. *q.* 70. Guidob. *dec.* 96. Navar. *conſ.* 11. *n.* 5. *de ſtat. Monach.* Seraph. *dec.* 1269. *per tot.* ubi aſſerit, quod idem videtur ſentire S. Concilium Tridentinum *cap.* 11. *ſeſſ.* 14. Quia dum decernit, Canonicum Regularem translatum ad alium Ordinem non eſſe capacem beneficii ſæcularis curati, tacitè innuere videtur, non translatum eſſe capacem, *cap. fin. de cland. deſponſ* Bald. *in l. fin. n.* 14. *ſua princ. C. de edict. D. Adr. toll.* latèque firmat Gabr. Pennot. *in hiſtor. Can. regul. lib.* 2. *cap.* 72. ac fuſius arguit Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 7. *poſt n.* 55. *in ult. impreſſ.* Quibus addo Cardin. Lancell. ſen. *in alleg. pro Canonicis Regularibus num.* 168. apud Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 25. *q.* 1. Leſſ. *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 12. *n.* 98. qui id tenet etiam in Monachis, & reſolvit S. Congregatio mox alleganda.

Non obſtat declaratio Gregorii XIII. qua prohibetur 2
Canonicis Lateranenſibus, ne poſſint obtinere Parochiales Eccleſias ſæculares abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Tum quia inter Pontificias Sanctiones non reperitur.

Tum

Tùm quia ejus voluntas per ejus mortem expiravit, dum non fuit redacta ad actum legis, *cap. si gratiosæ de rescript.* & notat Gonzal. *loc. cit.* Quodque verè ita evenerit, ostendunt decisio Rotalis post Gregorium emanata, & decretum S. Congregat. Concilii sub anno 1602. in hæc verba: *Congregatio Concilii censuit decretis ejusdem Concilii Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia Curata sæcularia, nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto c.* 11. *sess.* 14. Tum etiam, quia cùm versemur in materia correctiva juris communis, ac pœnalis, quatenus inducit novam inhabilitatem Canonicis Regularibus, dictam declarationem debemus strictissimè interpretari, solumque obstare Canonicis Lateranensibus, & non extendi ad Præmonstratenses, neque ad alios juxta regulam *in auth. Quas actiones, C. de Sacros. Eccles.* & alibi sæpè. Tandem quia generatim loquitur de Canonicis non privilegiatis, ac proinde non potest inferri ad privilegiatos. Quia lex, seu quæcumque alia generalis dispositio particularibus privilegiis non censetur derogare, Surd. *cons.* 325. *n.* 8. Seraph. *dec.* 612. *n.* 2. Atque ita in dubio pronunciandum esse docet Cravet. *cons.* 21. *n.* 14.

3 Minus obstat declaratio S. Congreg. Concilii de Canonicis S. Georgii in Alga. Quia, ut refert idem Penot. S. Congregat. de an. 1602. resolvit simpliciter, Canonicos Regulares esse capaces, & ideò declaratio ultima an. 1629. ubi requiritur expressa permissio Sedis Apostolicæ, est reducenda ad concordiam, ut intelligatur solùm de Canonicis Regularib. S. Georgii in Alga, quorum Constitutiones particulares, & observantia subsequuta possunt requirere, quod concurrat permissio Sedis Apostolicæ.

4 Quod verò ad alios Canonicos rata remanet alia declaratio simpliciter firmatos Canonicos Regulares esse capaces, quæ est etiam conformis dispositioni juris. Nam Concilium nihil innovavit, sed potius in hoc favet Canonicis Regularibus, ut in *addicta decis.* Seraph. in qua de jure communi firmatur hujusmodi Canonicos esse capaces, satisque censetur adesse Sedis Apostolicæ permissio, dum *in d. c. Quod Dei timorem* dicitur *sic annuendum duximus*. Quia cum emanaverit vel per viam legis, vel per modum privilegii semper loquitur, *l. Ariani, C. de hæret.* Seraph. *dec.* 951. *n.* 3. Cùmque hoc jus illis competat, ac semel fuerit præstitus consensus, non est de novo impetrandus per ea, quæ notat Bar. *in l.* 1. *ff. ad municip. n.* 23. Præsertim quia privilegium de sui natura est perpetuum, & non indiget confirmatione Principis successoris, *c. Decet de regul. Jur. in* 6. *l. Privilegia, C. de Sacros. Eccl.* & latè Sur. *cons.* 419. *n.* 16. Ideòque ita debet intelligi hujusmodi privilegium, ut non sit opus novo consensu, addaturque aliquid juri communi, *cap. si Papa de privil. in* 6. Surd. *cons.* 521. *n.* 4. Nec in dubio censeri debet illi fuisse derogatum juxta tradita per Felin. *in c. Nonnullis de rescript.* & Gonzal. *glos.* 35. *n.* 32. Ac proindè audiendi planè illi non sunt, qui pro obtinendis Curatis beneficiis requirunt in Canonicis Regularibus dispensationem. Nam quicquid nonnulli dixerint, verius esse probatur, quod Canonici Regulares, tamquam de jure dispensati, alia non indigent dispensatione, sed sola licentia eorum Superioris eis sufficiat ex præclarè congestis per Lambert. *de jurep. lib.* 2. *par.* 1. *ar.* 19. *q.* 7. *n.* 13. & 15. Id quod etiam de Monachis diffusè prosequitur Pennot. *eod. lib.* 2. *cap.* 72. Bellam. *decis.* 750. *sub n.* 6. affirmans, quod omnes fermè Doctores, & Glossæ, reclamante solo Joanne de Lignano, videntur docere, præsertim in Canonico Regulari, quod dispensatio homiais non requiratur, satisque sit dispensatio juris communis atque hanc esse mentem Rotæ habetur in prædallegata *decis.* 1269. *in fin.* dum firmat sufficere licentiam eorum Superioris.

5 Prætereà concurrit pro Canonicis Præmonstratensibus expressa Sedis Apostolicæ approbatio ex privilegio Urbani IV. & Clementis V. confirmato per Gregorium XIII. cui jungitur observantia subsequuta, quæ probatur ex Jacopo Vitriaco *in Instit. Occid. cap.* 22 Uberto Mirræo *in Chron. Præmonstr.* Francisco Zypeo *in Analyt. Jur. Eccles. de privil.* & *excess. privil.* Servatio Layrnelz *in opt. regul. spec.* 44. aliisque Historicis, quibus standum est, donec probetur contrarium, Bald. *in l. Cum servo num.* 2. *ff. de offic. Quæst.* habetque vim declarandi verba cujuscumque dispositionis sive legis, sive hominis, & secundum illam dispositio interpretatur, Rota *decis.* 256. *in fin. par.* 2. *divers.* Honded. *cons.* 13. *num.* 35. *vol.* 2. Surd. *cons.* 335. *num.* 27. ubi ait, quod etiam modici temporis observantia, nimirum triginta annorum facit præsumere confirmationem Sedis Apostolicæ. Quod etiam firmavit Seraphin. *decis.* 478. *num.* 2. dicit, quod ejusmodi tolerantia habet vim tacitæ concessionis. Quapropter usque dum non doceatur in specie de ejus revocatione, numquam dici potest, quod in hoc casu deficiat Sedis Apostolicæ consensus. Adeòque ex ea oritur titulus, ac suffragatur non solùm ad ostendendum permissionem Sedis Apostolicæ, quatenus illa requireretur, sed etiam ad præscribendum contra jus, *c.* 1. *de rescript. in* 6. Cùmque sit immemorabilis, proculdubio iis prodest, cùm nullibi a Concilio Tridentino hæc immemorabilis sit sublata, prout oporteret, ut illa allegari non possit. Doctores, quos adducit Gonzal. *glos.* 33. *nu.* 2. & *seqq.* præsertim *n.* 5. referens S. Congregationem Concilii ita censuisse *ad c.* 20. *sess.* 24.

Ex his autem principiis meritò rejicitur attestatio Ric- 6
cii *decis.* 159. *p.* 1. de assertа Datariæ, ac Sedis Apostolicæ praxi. Siquidem, præter quod ejus attestationi standum esset circa consuetudines Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, in qua versatus fuerat, non autem Romanæ, ut advertit Alex. *cons.* 5. *num.* 7. *lib.* 3. Dec. *cons.* 472. *num.* 16. Roland. *cons.* 57. *nu.* 27. *lib.* 4. Menoch. *cons.* 54. *nu.* 5. Surdus *cons.* 74. *nu.* 14. Greg. *dec.* 274. *c.* 5. & 6. ibique Add. *num.* 8. ex pluribus sanè exemplis quæ Pennot. *ubi supra*, exscripsit, inter quæ *n.* 6. habetur collatio facta per S. Carolum Borromæum anno 1584. sicque per tres annos post prætensum decretum Gregorii Decimitertii & *nu.* 7. legitur exemplum provisionis Apostolicæ tempore Clementis Octavi absque alia dispensatione in exequutionem superiùs relatæ declarationis anno 1602. atque ex aliis infra adducendis liquet contrarium longè verius esse.

Quatenus verò ipse intelligeret praxim ita se habe- 7
re, ut obtineatur ad cautelam dispensatio Apostolica, id forsan locum sibi vindicat in beneficiis sæcularibus non curatis, in quibus major est difficultas, cessante ratione majoris boni, scilicet prædicationis verbi Dei, & Curæ animarum, licèt non desint authoritates, & rationes pro contraria parte, de qua re Pennot. *n.* 12. ubi quod Paulus V. mandaverit examinari, an Canonicus Regularis esset capax Canonicatus sæcularis, & comperta capacitate, Pontifex supplicationem signavit Don Æmilio Caracciolo, qui obtinuit Canonicatum sæcularem sub anno 1616. in Ecclesia Cathedrali Caprensi.

Idem usu, & observantia comprobatum fuisse docent 8
luculenter multiplices provisiones Canonicis Regularibus de Curatis Ecclesiis sæcularibus pro tempore factæ, & inter cæteras provisio Parochialis Vismonduni Mediolanensis Don Theophilo Vantio de Triviglio 4. Idus Januarii 1584. Item provisio Parochialis Ecclesiæ Sanctorum Galli, & Nicolai loci Corniliani Astensis Diœcesis, Præposituræ nuncupatæ per Clementem VIII. Don Valerio de Rodda Canonico Regulari sub anno 1602. Alia per eundem Clementem Archidiaconatus Ecclesiæ Alexandrinæ Don Cherubino Ariminensi. Multa alia proferuntur exempla, & nonnulla recentioris notæ, sed satis illustria sunt ista. Paulo V. sedente Don Franciscus Venetus obtinuit Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Justinopolitana, Don Adeodatus Vicentinus Capellaniam S. Christinæ in Ecclesia Cathedrali Vicentina, Don Joannes Baptista Patavinus Capellaniam in Ecclesia Parochiali S. Sophiæ Patavi, Don Ludovicus Regiensis Capellaniam S. Barbaræ in oppido Rolli Regiensis diœcesis, Don Hieronymus Veronensis Capellaniam juris patronatus Ecclesiæ S. Hieronymi Pontinelli diœcesis Veronensis. Sub Urbano VIII. Capitulum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ concludit Capellaniam Sanctorum Simonis, & Judæ in eadem Ecclesia Don Camillo Patavino.

Quæ quidem observantia comprobatur a Rota coram 9
Cardin. Seraph. in præcitata *decis.* 1269. Itaque hujusmodi immemorabilis consuetudo a prima fundatione Ordinis Præmonstratensis promanans, & in alios Canonicos Regulares diffusas semper firma, & inviolabilis permanere debet quousque Sedes Apostolica expressè eam non destruxerit, cum certi juris sit, quod Statutis primæ fundationis nunquam censeatur derogatum sub generica revocatione, nisi de ea specialis fiat mentio, Rom. *in l. si vero, §. de viro n.* 45. *ff. sol. matr.* Rot. *dec.* 1270. *n.* 2.

Quod autem dictum est de Canonicis Regularibus, 10
multò magis asserendum videtur de Canonicis sæcularibus Congregationis S. Georgii in Alga, qui sunt, & connumerantur inter Clericos Capituli sæcularis, ut patet ex Constitutione Pii V. ac præcedunt omnes Canonicos Regulares etiam Lateranenses, ut in Constitutione ejusdem Pii V. quæ est 92. ac nituntur antiqua consuetudine ejusdem Congregationis, ut probatur ex pluribus exemplis, & præcipuè sub Urbano VIII. de anno 1624. in una Vicentina pro Don Bernardo Trissino ejusdem Congregationis Canonico, & de anno 1628. in duabus Parochialibus Tarvisii pro Don Marino de Marinis, & Flavio Jordano absque Apostolica dispensatione.

11 Nec refragatur conclusio illa, quod scilicet beneficia sæcularia Regularibus non sint conferenda. Nam procedit in Monachis, quorum munus est vacare vitæ contemplativæ tantùm, *c. Alia causa 16. qu. 1.* & de Monachis loquuntur alii, qui in contrarium allegari possent, ut ex lectura, & advertit Guidob. *d. decis. 96.* Canonici autem regulares contemplativæ vitæ, & activæ intendunt, atque ideò possunt quibuscumque Parochialibus Ecclesiis deputari, ut *in d. cap. Quod Dei timorem*, & ibi Abb. *n. 7.* habeturque *c. Placuit il 2. 16. q. 1.* & tradit Gemin. *in cap. 2. 58. d.* ac Rot. *d. dec. 5. de Jurep. in nov.* Quibus contrait Cardin. Lancell. *in cit. allegat.* apud Tambur. *eod. in loco.*

12 Nec est cur etiam quis opponat, quod dispositioni juris communis censeatur derogatum per Concil. Trident. *sess. 14. c. 6.* Nam solum loquitur de Canonicis Regularibus translatis ad alium Ordinem, ut supra insinuavimus. Quod satis superque videtur probari ex verbis ejusdem Concilii. Quippè certum est, quòd sub principium loquitur duntaxat de translatis ad alium Ordinem, postea in fine subdit: *Ac taliter translatus, etiamsi Canonicorum regularium fuerit ad beneficia sæcularia etiam curata, omnino incapax existat.* Ergo a contrario sensu in non translatis jus commune remanet incorrectum, prout hunc textum ponderat Rota apud Seraph. *cit. dec. 1269.* Solum itaque ex Tridentino sunt incapaces translati ad alium Ordinem. Quoniam illa dictio *Taliter* repetit qualitates præcedentes, Seraph. *dec. 822. n. 2.* Ideò dispositio restricta ad illum casum ad alium extendi non debet. Surd. *cons. 499. n. 4.* Quia lex, quæ loquitur limitatè limitatum producit effectum, *l. in agris, ff. de acquir. rer. dom. l. Cum servo in princ.* ubi Bald. *ff. de contrab. empt.* Maximè cùm debeat summi interpretatio pro evitanda legum correctione, *cap. cum expediret de elect. in 6. l. fin. C. de eden.* Nec implicat illa dictio *etiam* tanquam expressiva casus majoris dubitationis. Peregrin. *de fideic. ar. 16. n. 20.*

13 Statuendum tamen omninò est, Canonicos Regulares Ordinis Præmonstratensis, cæterosque alios Regulares esse incapaces Ecclesiis Parochialibus sæcularibus tam quoad eas, quæ sunt Jurispatronatus, quàm quoad omnes alias generaliter, cùm non possit assignari respectu capacitatis major ratio in una, quàm in alia, nec a S. Canonib. super hoc ulla reperiatur constituta distinctio.

14 Nam *cap. Quod Dei timorem de stat. Monach.* procedit solum, ut inquit textus, in iis Canonicis, qui laxiori inserviunt Regulæ, non autem in Præmonstratensibus, qui arctiorem vitam, & regulam instar Monachorum profitentur, eorumque Fundator, ut tradit Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. disp. 1. qu. 14. nu. 8.* pauperem habitum indutus nudis pedibus incedebat, & cum sociis ad voluntariam paupertatem, & reliquas Religionis observantias institutis suis solitariè vivebat, quod est proprium Monachorum, strictiorem vitæ regulam profitentium, *c. Placuit il 2. 16. quæst. 1.*

15 Equidem Ordinem Præmonstratensem, qui a servo Dei Norberto anno 1120. ortum habuit, quia Canonicam Regulam S. Augustini profitendo assumpsit, Canonicorum regularium nomine vocari cœpisse, sed revera fuisse Ordinem Monasticum, eumque professos, Monachos appellari refert D. Antonin. *in Chron. p. 3. tit. 15. cap. 19.* Ideòque non inter Canonicos regulares, sed inter Monachos ab Azor. *in Instit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 21. sub fin.* Joan. Trullus. *in Ordin. Can. regul. lib. 1. c. 34. num. 4.* Rebuff. *super concord. tit. de form. mand. Apost. verb. Parochial. Ecclesia*, passimque ab aliis Præmonstratenses connumerantur.

16 Quamvis non ignorem quoad Ecclesias non subjectas, in quarum locis monasteria non habent populum in terminis juris communis, non obstante textu *in c. Quod Dei timorem*, qui dicit Canonicis regularibus non reperiri specialiter cautum non levem fuisse concertationem non solum inter Doctores, verùm etiam inter Rotæ decisiones, multique sint, qui teneant curam his Canonicis non licere saltem sine dispensatione Episcopi, in quam rem latissimè differit Gonzal. *glos. 7. a num. 49.* & Sanchez *in Decal. lib. 7. c. 29. a num. 34.* ut proinde decisiones ipsæ inter se pugnent, ut videre est *decis. 28. de præb. in nov.* & *decis. 5. de Jurep. etiam in nov.* Veral. *decis. 85. p. 1.* Guidob. *decis. 97.* quam adducit Paris. *de resign. lib. 2. quæst. 1. num. 1.* quasque tanquam Judex maximus ad partes vocat Card. Seraphin. *dec. 1269.* ubi ait magis standum esse Guidobono quàm Verallo circa licentiam Episcopi, ut accuratè prosequitur Gratian. *discept. for. lib. 1. c. 123. n. 22.* & *seqq.*

17 Certum tamen est etiam de jure communi Canonicos regulares, qui strictiori inserviunt Regulæ nullo modo esse capaces, cùm ii plangentis, & non docentis habeant officium, *c. Monachus, c. Alia*, & *c. Placuit 16. quæst. 1.* & benè Rebuff. *in praxi de dispens. cum Regul. n. 5.* Gomez *de expect. n. item 5.* Mandos. *de Signat. grat. tit. de dispens. Monach. pro obtin. benef.* Ceval. *com. contra com. q. 28.* Paris. *loco cit. l. 4. q. 5. n. etiam 4.* In iis enim, qui strictiori inserviunt Regulæ non militat dispositio, textus *in d. c. Quod Dei timorem*, ut docent Doctores adducti, & tenuit Rot. *dec. 5. num. 3. de Jurep. in nov.* Seraphin. *dec. sæpè alleg. 1269. num. 2.* Lambert. *de Jurep. lib. 2. p. 1. q. 7. ar. 19. n. 11.* & alii alibi.

Et sanè privilegia, quæ in hac re prætendunt Præ- 18
monstratenses, arguunt ipsos non esse capaces de jure communi. Quia jus singulare sive privilegium ostendit jus commune esse in contrarium, *l. Jus singulare*, & *l. Quod verò, ff. de legib.* Glos. *in c. Per tuas, verb. Eligendi de præbend. in 6.* Surd. *cons. 140. num. 13.* Quæ, si quæ sint, in præsenti recipiunt interpretationem passivam a jure communi, *cap. ex parte il 1. de verb. signif.* Paris. *cons. 40. n. 7. l. 4.* Ideòque sunt intelligenda in casibus, in quibus non reperiuntur Sacerdotes sæculares idonei, ut in specie de Canonico regulari docet Hostien. & Innoc. *in d. c. Quod Dei timorem*, ac post Magistros tenent Fastol. *dub. ult. num. 7.* Lambert. *d. art. 19. num. 22.* & *art. 22. num. 1.* & 4. Rebuff. *proximè alleg. n. 40.* Garz. *de benef. p. 7. c. 10. nu. 19. in fin.* Attenditur enim semper necessitas, & utilitas Ecclesiarum in præfigendis Regularibus ad curas animarum, *c. Priscis 55.* & *c. Monachi*, & *c. Cum pro utilitate 16. q. 1.* Corrad. *de benef. par. 1. c. 5. n. 7.* & probè declarat Glos. *in d. c. Quod Dei timorem, verb. Regimen.* Et propterea in casu permisso requiritur dispensatio Episcopi, quam non nisi ex justa causa, & neces- 19
sitate concedendam, tradit Bellam. *decis. 718.* & *decis. 751.* Rot. *dec. 18. de præb. in nov.* Veral. *dec. 83. par. 1.* Paris. *d. q. 5. n. 5.* Barbos. *ad d. cap. Quod Dei timorem, n. 2.* Valdèque laudantur Episcopi, qui tales dispensationes negarunt, ut refert Anastas. Gemon. *in Act. Tarantas. Eccles. lib. 3. c. 2. de stat. Monach.* ubi ait in Synodo Archiepiscopatus Tarantasii sancitum esse, quod Canonici regulares sint incapaces sæcularium Parochialium.

Atque hanc sententiam esse certissimam judico præser- 20
tim post S. Concilium Tridentinum, quod *cap. 11. sess. 14. de reform.* expresè id prohibet etiam Canonicis regularibus, ibi; *Taliter translatus etiamsi Canonicorum regularium fuerit ad beneficia etiam curata, omninò incapax existat.* Quam quidem dispositionem arbitror esse satis claram, animadvertens, quod Tridentinum loco adducto non loquitur, ut malè opinati sunt omnes, qui contrarium tenuerunt, de Canonico ad strictiorem Regulam translato, sed de alio simplici Regulari ad ipsos Canonicos translato.

Quod mihi suadetur ex eo, quia, si secus S. Conci- 21
lium intellexisset, vana quidem fuisset hæc resolutio, cùm jam certum esset per Concilium Lateranense, relatum *in cap. Monachi de stat. Monach.* quod taliter translatus, tamquam effectus filius alterius Religionis strictioris, omninò erat incapax hujusmodi beneficiorum sæcularium. Sed quia in translato ad Canonicos non modò erat dubium, sed contrarium expresè erat dispositum per *cap. Quod Dei timorem eodem tit.* ideò Sacrum Concilium ad corrigendam hujusmodi dispositionem statuit, quod etiamsi sit de iis, hoc est, etiamsi ad ipsos Canonicos, qui alias admittebantur, fuerit translatus, ad beneficia præfata omnino, sicut alii, incapax existat. Verbum enim illud *Taliter* demonstrat qualitatem Religiosi, de quo loquitur Sac. Concilium, nempè de jam translato, ad text. *in l. tali ff. de jur. dot.* Decian. *cons. 2. num. 32. lib. 2.* Peregrin. *cons. 51. num. 9. lib. 1.* Et dum postea subdit, *etiamsi Canonicorum regularium fuerit*, explicat casum magis dubitabilem, repetendo qualitatem præcedentem de jam translato, *l. etiam ff. sol. matr.* Surd. *cons. 160. n. 57.* & *dec. 210. num. 14.* & 15.

Nec ex eo quod de translatis solummodò mentio fiat 22
ad illos est restringenda dispositio S. Concilii, quasi, ut arguunt Adversarii, in non translatis dispositio *d. c. Quod Dei timorem* incorrecta remaneat. Etenim advertendum est, quod S. Concilium de translatis loquutum fuit ratione facilioris, & frequentioris contingentiæ, ut benè colligitur ex lectura totius textus, & præsertim sub principio, ibi: *Quia verò Regulares de uno ad alium Ordinem translati facile a suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent.* Non autem ut excluderet, quin de aliis omnibus etiam non translatis esset intelligenda, in quibus eadem & major ratio prohibendi militabat, ad latè & rectè tradita per Becc. *cons. 83. num. 16.* & *seq. lib. 1.*

Inspecta igitur dispositione Conciliari, per quam cen- 23
setur innovata dispositio textus *in d. c. Quod Dei timorem*, sine dubio requiritur dispensatio Pontificis, quemad-

modum

modum declaravit S. Congregatio ejusdem Sac. Concilii ex mente Gregorii XIII. Quod scilicet *d. c.* 11. *sess.* 14. habeat locum in omnibus Canonicis regularibus. Quæ declaratio cùm habeat vim legis, ut sæpiùs est decisum, non est ampliùs dubitandum, quin hodie obstet S. Concilii dispositio sic declarata, & per consequens cessent omnia privilegia, quæ quidem redacta esse ad formam Concilii testatur inter Regulares Roderic. *tom.* 1. *qq. regul. qu.* 8. *art.* 6.

24 Et ita, quod hodie requiratur dispensatio Pontificis, ut Canonicus regularis ad sæcularem Parochialem promoveri possit, quodque hoc sit indubitatum, etiam inspecta mente S. Concilii, per Eminentissimos Patres ejus Interpretes declarata, tradunt Quarant. *in Sum. Bullar. verb. Canonicus regularis*, Mandos. *loc. jam cit.* Sanch. *ubi supra num.* 71. referens verba declarationis. Garz. *etiam supra num.* 32. Barbos. ultimùm adductus *num.* 3. Anton. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 49. Azor. *lib.* 6. *cap.* 4. *q.* 22. & *seq.* ac diserte Ric. *dec.* 159. *par.* 1. & Roderic. *d. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 5. aliique recentiores.

25 Id autem probatur ex sensu S. Congregationis Concilii, cui solemne est decernere, quod nullus hodie Regularis absque dispensatione Papæ possit obtinere sæculare beneficium, licet Curatum, ut in una *Cremonen.* 1. Septembris 1630. & in una *Taurinen.* 27. Octobris, itaut neque Canonicus regularis non translatus degere possit extra claustra in habitu presbyteri secularis sub prætextu, quod obtineat beneficium seculare. Quia si beneficia sunt simplicia, obstant Sacri Canones. Si curata, obstat decretum sa. mem. Gregorii XIII. quod refert in regestis S. Congregat. Concilii tenoris sequentis. *S. D. N. Gregorii XIII. noluit licere Canonicis Regularibus absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum etiam ad tempus.* Quod Clemens VIII. mandavit inviolabiliter observari, non obstante quod id fortasse per Sacros Canones permitteretur Canonicis regularibus, præterquam translatis, ut censuit eadem Sac. Congregatio in *Cremon. & Taurinen.* allegatis. Quare cùm hic casus die 15. Maii 1655. fuisset iterùm propositus, eadem Sacr. Congregatio perstitit in decretis, Canonicosque hujusmodi ad concursum admitti vetuit. Ita quidem, ut super hoc eorum Generalis nequeat dispensare, ut declaravit 24. Augusti 1628. Et sub die 17. Novembris 1629. pro parte Jacobi Vantii ex Canonicis S. Georgii in Alga, qui sunt verè seculares, ut in citata Constitutione Pii V. quæ incipit, *Lubricum vitæ genus*, & tales appellat Tambur. *ubi supra disp.* 18. *quæst.* 3. *num.* 3. his verbis post longam discussionem materiæ prudentissimè respondit: *dictum Canonicum Sancti Georgii esse capacem pro obtinenda Ecclesia parochiali sæculari, concurrente tamen expresso Sedis Apostolicæ permissu*, quem postea ab Urbano VIII. optimo juris Servatore nec etiam potuit obtinere, & sic declaratum fuit esse capacem propter secularitatem, sed necessarium permissum, qui idem est ac dispensatio propter vitam, quam ducunt ad instar Regularium.

26 Quapropter si de Canonicis Præmonstratensibus, qui, ut ipsi etiam fatentur, sunt verè Regulares, & vitam regularem agunt austeram potiùs, quàm ut alii laxiorem eadem S. Congregatio interrogata fuisset, utique multò magis omninò eos incapaces esse declarasset absque præfato permissu, seu dispensatione, cùm de iis propriè loquatur decretum superius adductum, secundùm quod etiam in Dataria, & per Sedem Apostolicam practicari solet, ac testatur non solum Ric. *in dec. cur. Archiepiscopi Neap.* 159. *p.* 1. sed etiam Mandosius, & alii recentiores passim. Idque tribus potissimum fundamentis.

Primò, quia, ut patet ex citatis Doctoribus, ita Sedes Apostolica, Pius Papa V. & Greg. XIII. judicare, & facere consuevere. Quod enim Sedes Apostolica judicare consuevit, idem semper, & ubique judicandum est, *c. In causis* 19. *de re jud.* & maximum est argumentum ab usu patrisfamilias, & ab eo quod Sedes Apostolica facere consuevit, Put. *dec.* 347. *n.* 3. & 6. *l.* 1. *in nov.*

27 Secundò, quia S. Congregatio ita respondere solita est, cujus responsiones habent vim interpretationis authenticæ, atque adeò vim legis, juxta tradita per Suar. *de legib. l.* 6. *c.* 1. *n.* 2. ubi tres afferuntur interpretationum species. Altera authentica, altera emanans a conditore legis. Tertia ab eo authoritatem habente, ut est Sac. Congreg. usualis, & Doctoralis.

28 Tertium deducitur a ratione, in qua primum, & secundum fundamentum niti videntur. Eaque est, quia *a cap. Quod Dei timorem*, ideò permittit Canonicis curam animarum, quam negat Monachis, quia non tantum habent Religionis, idest vitam non ita strictam, quippè qui, ut inibi habetur *Regula inserviunt laxiori*. At verò succesu temporis Canonici regulares propter suas Constitutiones vitam degunt strictiorem, ut per Tamb. probavimus supra ex D. Antonino. Cùm ergo eadem ratio militet in his Canonicis, quæ in Monachis militabat ratione Religionis, eadem quoque juris censura eos afficiat necesse est.

Hinc autem fit, quod quando lex fundatur in Religione ita accipit Canonicos regulares, sicut & Monachos. Exemplum esto de Canonico Regulari, qui æquè ac Monachus non potest esse patrinus, elevando baptizatum de fonte. Quia lex, quæ id prohibet Monachis, cùm fundetur in Religione, ad Canonicos Regulares etiam extenditur, Navar. relatus a Roderic. *resol.* 21. *num.* 2. qui *n.* 1. id firmat in omnibus casibus, in quibus pro utroque eadem sit ratio. Idemque ex D. Thoma, & aliis tenet Sarav. *de Jurisdict. Adjunct. qu.* 12. *n.* 31. 29

Unde nullum profectò fundamentum Præmonstratenses constituere possunt super assertis privilegiis contentis in Diplomate Clem. VII. Quia ut perspicuè videri potest, loquitur tantummodò de Parochialibus ad collationem ipsorum Abbatum pertinentibus, & eorum Ordini unitis. Quatenus autem de aliis loqueretur, esset per S. Concilium Tridentinum, & decretum Gregorii XIII. abrogatum, ac præcipuè per Constitutionem Pii IV. quæ incipit, *In Principis Apostolorum Sede*, in fine Concilii appositam, qua Pontifex revocat expresse omnia privilegia, indulta, exemptiones, dispensationes, immunitates, aliaque jura quomodolibet concessa Monasteriis, Conventibus, Abbatibus, Regularibus, omnibusque cujusvis gradus, & qualitatis personis, ea omnia reducens ad terminos decretorum Concilii cum clausula sublata, & decreto irritanti, quod afficit titulum, & possessionem, ac operatur nullitatem ab initio, & postea quandocunque, itaut nec effectum nec juris fomentum, nec exequutionem habeant juxta tradita per Gabr. *de clausul. concl.* 3. *n.* 53. & 58. & Rota *in dec.* 141. *n.* 9. *prope fin. p.* 1. *rec.* 30

Quibus nequit suffragari aliud Diploma Gregorii XIII. confirmatorium aliarum Constitutionum, & privilegiorum ejusdem Ordinis. Nam & illud loquitur dumtaxat de Parochialibus unitis, ac sub conditionibus, quatenus non sint decretis S. Concilii repugnantia, nec reservationes, aut affectiones Apostolicas impediant. 31

Et licet inspecta juris communis dispositione, etiam Monachus valeat sine dispensatione ad parochialem Ecclesiam promoveri, prout de communi testantur, Abb. *in d. c. quod Dei timorem sub num.* 7. Jo. Selv. *de benef. p.* 3. *qu.* 70. *num.* 1. latè Lambertin. *de jur. patr. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 7. *princ. ar.* 19. Gambar. *de offic. & potest. Jud. deleg. l.* 8. *tit. de potest. legat. in Reg. exempt. num.* 22. Curia tamen Romana, inspecta sola dispositione juris communis, non ejusdem semper videtur fuisse sententiæ. Siquidem in *dec.* 5. *de jurepatr. in nov.* sequuta est opinionem, ut nequeat Monachus ad parochialem promoveri, nisi ex Apostolica dispensatione, & hoc etiam decrevit *in dec.* 28. *de præbend. in nov.* & apud Ægid. *dec.* 132. & 214. & apud Chisan. *dec.* 170. ubi expressus censuit collationem Monacho factam de parochiali absque dispensatione nullius esse momenti, etiamsi motu proprio sit facta. Sed apud Guidobon. *dec.* 95. & apud Verall. *dec.* 85. *par.* 1. censuit Canonicum Regularem posse ad parochialem promoveri, dummodò adsit Episcopi dispensatio, recedens a *d. dec.* 5. *de jurepatr.* & probans dicta Doctorum *in d. cap. quod Dei timorem.*

At quicquid sit de jure communi, hodie regulares nullatenus queunt ad parochiales, vel ad secularia beneficia promoveri ex dispositione S. Concilii Trid. *sess.* 14. *cap.* 10. & 11. *de reform.* & ex *regul. Cancell.* 42. quibus cavetur, ut regularia beneficia Regularibus, secularia verò secularibus conferantur. Quod etiam extat declaratum per S. Congregationem Concilii ex decreto Greg. XIII. superius relato. Quibus additur, & Pauli IV. Constitutio, quæ incipit, *Postquam divina bonitas*, qua privantur Regulares quibuscumque beneficiis secularibus, quæ sine Apostolica dispensatione obtineant. Et quamvis illa Constitutio quoad pœnas apostasiæ fuerit per Pium Papam IV. reducta ad terminos juris communis, tamen quoad hujusmodi partem Curiam illam semper amplexa est, perinde ac si reducta non foret, ut testatur Rota apud Paleot. *dec.* 148. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 5. *n.* 4. Ideò praxis inolevit, quæ ad præsens viget illibata, ut Monachis, aliisque Regularibus non concedatur indultum retinendi beneficia curata, ut testatur Mandos. *in prim. signat. grat. tit. de dispens. v. Monachi, & tit. de licent. v. fratrib.* Hoyed. *de incomp. p.* 1. *c.* 24. & Gonzal. *reg.* 8. *glos.* 7. *n.* 53.

Id tamen non procedit in partibus Indiarum, in quibus ex speciali indulto B. Pii V. ad preces Regis Catholici Philippi II. sub die 3. Martii 1567. concessum est Capitulis provincialibus Indiarum quorumcumque Ordinum, etiam non

non Mendicantium, ut possint impartiri licentiam suis fratribus, ut in Monasteriis sui Ordinis, vel extra commorantibus in locis assignatis, & assignandis officium parochi exerceant, sacramenta ministrando, prout hactenus consuevere, Ordinariorum licentia minimè requisita, & quod ubi dicti Religiosi curam animarum exercent, nihil innovent Episcopi, ut testat Rodriq. *tom. 1. qu. regul. 34. art. 1.* ubi alia in hanc rem.

Ex his porrò, ritè perpensis evanescunt, quæ in contrarium pro altera sententia dicebamus.

CONSULTATIO XLV.

De Clerico conjugato quoad forum.

1 CAsum Clerici conjugati in his terminis, scil. *quando Judex Ecclesiasticus præventivè illum retinet in carceribus, illeque non incessit in habitu, & tonsura, sævis, & enormibus se immiscens, ac deprehensus in habitu meræ laicali*, non invenio post diligentem perquisitionem decisum a S. Congregatione Concilii, neque a S. Congregatione Episcoporum, nec a S. Congregatione super controversiis jurisdictionalibus, prout nec a Doctoribus, sed declarationes repertæ in Clerico conjugato, vel loquuntur generaliter, ut in sequentibus.

2 *In una Ausculana S. Congreg. Concilii censuit, Clericum in minoribus Ordinibus constitutum, qui unicam, & virginem uxorem duxit, si Ecclesiæ inserviat, & tonsura, ac vestibus utatur clericalibus, utique gaudere privilegio fori, & canonis.* Cùm ista aliæ similes concordant.

3 *S. Congreg. Episcoporum respondit, Clericos conjugatos gaudere privilegio fori, & canonis, qui contraxerunt cum unica tantum, & virgine, & incedunt in habitu & tonsura.* Idem pluries resolvit eisdem verbis Sac. Congregatio super controversiis jurisdictionalibus.

4 Vel in Clerico conjugato, qui postquam dimiserat habitum, & laicalibus se immiscuerat, habitum reassumpsit, quo casu post assumptionem gaudet privilegio fori, & canonis, ut in sequentibus declarationibus, & latiùs tradunt Doctores, & signanter Graff. *de effect. cleric. effectu 1. n. 85.* qui alios cumulat.

5 *In una Nuscana die 19. Decembris 1584. S. Congregatio Concilii, ad primum respondit, Clericum conjugatum, qui post dimissum habitum, & tonsuram clericalem delinquit, quamvis pro eo delicto in Curia laicali citatus, & in contumaciam condemnatus fuerit, si deinde, modò non in fraudem, reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiæ inserviat juxta decretum Sacri Concilii cap. 6. sess. 23. non posse a Judice laico propter idem delictum in carcerem conjici, aut personaliter restringi.*

6 *In una Aquilana Sac. Congregatio Concilii censuit, Clericum prima tonsura initiatum, qui contracto matrimonio cum unica, & virgine habitum clericalem dimisit, ac deinde, reassumpto habitu, & tonsura Ecclesiæ inservit, debere utique in causis gaudere privilegio fori, nisi in fraudem habitum reassumpsit, quod Judex Ecclesiasticus inspicere debebit.*

7 Et in his terminis loquuntur plures Doctores, præsertim Christoph. de Castelliono *cons.* 5. in eo, qui reassumpserat habitum clericalem; licet tempore capturæ illum non haberet. Nam depositio habitus ad breve tempus non præjudicat privilegio fori secundum communem, & ex opinione S. Congreg. Concilii in hisce declarationibus. *In una Mediolanen. Sacra, &c. respondit, si habitum clericalem, quem gestabat, ad breve tempus deposuerit, non ideò fori privilegium amittere.*

8 *Sacra, &c. censuit hunc ita captum cum pugione, & archibugio in habitu sæculari, si ante incedebat in habitu, & tonsura, quamvis tunc in eis non fuerit deprehensus, gaudere privilegio fori.*

9 Et quia uno tantùm homicidio se immiscuerat absque perseverantia, quæ plurimum in hoc attenditur ex cumulatis per Farinac. *de Inquis. qu. 8. num. 1.* & notatur *in c. cum ab homine de jndic. & in c. Perpendimus de sent. excom. & in c. Ex parte 3. de privileg. &c.*

10 Verùm ex identitate rationum, & declarationum, quas alibi adduxi, cum quibus aliæ concordant etiam in terminis fortioribus, scilicet repetitionis a laico, ut a Sac. Congregat. Concilii in una *Murana* de anno 1594. & in *Leodien.* die 9. Novemb. 1630. & a S. Congreg. super controversiis jurisdictionalibus in una *Montis Marani* die 6. Octobris 1626. & in *Parmen.* die 28. Junii, die 6. Novemb. 1628. & die 9. Octobris 1629. & eodem anno *in una Papien.* ac noviſsimè observatum a laicis in una Neapolitana in persona D. Francisci Aquavivæ, qui non habebat qualitates, & fuit cum effectu restitutus. Idem etiam in aliis. Ad quod facit egregiè doctrina Anchar. *in cap. si Judex sub n. 5. de sent. excom. in 6.* ibi; *Quod si Clericus sumptis armis, & dimisso habitu ingrediatur bellum, vel agressiones quoad illos, qui tunc eum percutiunt, perdit privilegium, sed non quoad forum, quia captus debet restitui Judici Ecclesiastico.*

Ex his, inquam, non auderem de rigore Juris recedere a conclusione firmata in Clerico non conjugato, saltem ratione exempli, & ne detur occasio laicis impugnandi conclusionem quoad Clericos non conjugatos; non obstante, quod respectu istorum fuerit ita observatum cum potestate laica. 11

Nec obstat exceptio, quod dicta conclusio procedat, Ecclesiastico volente. Nam præterquod Sac. Congregatio super controversiis jurisdictionalibus in supradictis causis contrarium matura consideratione declaravit, Doctores, qui nituntur hujusmodi exceptione, loquuntur in repetitione tantum Clerici a Curia seculari, quæ prævenerat, non autem in retentione, qui est casus noster, & in hoc longè major ratio urget.

Nec facit, si captura sequatur ad instantiam ministrorum laicorum. Nam instantia non privat Judicem capientem jurisdictione sibi competente, nec excluditur quin esse debeat Judex capti, si alias sit competens, cum instantia deserviat, ut capiatur & puniatur, non ad effectum præjudicandi Judicem Ecclesiasticum. 12

Crederem tamen adesse modum, quo ni fallor, excluditur recessus a dicta conclusione, & satisfit instantiæ curiæ laicalis. Videlicet, assignato juxta mentem sacrorum Canonum termino, præcedat consignationi curiæ laicali declaratio Judicis Ecclesiastici, vel quod non probetur, illum esse Clericum, quatenus non docuit saltem sufficienter de clericatu, vel quatenus de illo sufficienter docuerit, illum esse privatum omni privilegio clericali. Siquidem conclusio procedit in casu, quo nulla esset facta declaratio præcedens per ipsummet Judicem Ecclesiasticum. 13

Prò justitia autem declarationis hujusmodi faciendæ advertendum est, ut excludatur, quod ex parte carcerati copulativè probetur qualitas se cum unica & virgine contraxisse, & se esse in possessione clericatus, ut requiritur ex *c. 1. de cleric. conjugat. in 6.* firmavitque Alex. de Nevo *cons. 59. n. 26.* juncto *cons. 60. n. 2.* cum aliis allegatis per Graff. *de effect. clericat. effect. 1. n. 79. & seqq.* 14

Siquidem jus, non obstante matrimonio, præservavit privilegium fori cum dictis qualitatibus, & non aliàs, & negari non potest, quin diversimodè ambulent Clerici conjugati a Clericis non conjugatis, & præcipuè respectu exemptionum ex opinione communi, ut latius idem Graff. *ubi supra num. 91.* 15

Item quod excludatur probatio reassumptionis habitus, & tonsuræ clericalis ex allegatis. 16

Ac pariter quod probetur fuisse deprehensum, seu captum in habitu laicali, & prorsus alieno ab ordine clericali, & quod diu sine habitu, & tonsura incesserit, se immiscens in sævis, & enormibus delictis, ac multò magis si in atrocioribus. Nam ex hujusmodi perseverantia reputatur ab Ecclesia tacitè dimissus ex Jo. Andrea, Butr. & aliis *in d. cap. Perpendimus* cum cumulatis per Farinac. *de inquis. quæst. 8. num. 51. 55. & 59.* & facit text. *in cap. 1. cum ibid. not. de Apostat.* notantque omnes *in d. cap. Cum non ab homine de judic.* & in eodem *cap. Perpendimus de sent. excomm. & in cap. Ex parte il 3. de privil.* Quodque probetur, uti laicum aliàs comparuisse coram Judicibus laicis, fuisse inquisitum, condemnatum, vel gratiatum ab illis, & quid simile, absque eo quod allegaverit privilegium clericatus. 17

In quo advertendum est, quod post Conc. Trid. non requiritur de necessitate, ut præcedat hujusmodi Clericis monitio, quidquid sit dicendum inspecto simpliciter jure communi, ut de opinione Doctorum attestatur Riccius *in prax. resol. 172. nu. 2.* & declaravit S. Congregatio Concilii *in seqq.* declarationibus. *Sacra, &c. in una Licien. 7. Septembris 1624. censuit, ut Clerici non habentes qualitates a Concilio requisitas fori privilegium amittant, nullam monitionem requiri, &c.*

Die 16. Novemb. 1591. S. Congreg. Concilii censuit Clericum, qui sine habitu, & tonsura incedit, & sævis se immiscuit privari sine monitione privilegii fori, attenta mente Concilii, quod hoc addit Juri communi. 18

Et ad supradictum modum me potissimum movent duæ sequentes declarationes Sacræ Congregationis Concilii, altera antiqua *in una Camerinen. an. 1573. Fuit dubitatum pro parte Episcopi Camerinen. an Clericus delinquens qui non incedit in habitu, & tonsura, & sævis se immiscet, sit puniendus a Curia Episcopali, quæ prævenit? S. Congr. censuit, attentis circumstantiis facti, Episcopum prius declarare illum esse privatum privilegio Clericali, & postea eundem relaxare Gubernatori Marchiæ.* 19

Altera moderna *in una Cathanen. 1617. in qua agebatur, quod N. Clericus, qui, relicto habitu Clericali per multum tempus* 20

tempus dixit, & probavit ſe eſſe laicum, quamvis antea habens ſimplex beneficium, tonſuram deferret, deinde iterùm ſe induens veſtibus laicalibus, poſt motum judicium coram laico, dixit, ſe eſſe Clericum, qua oppoſitione non obſtante, cum Judex laicus pronunciaverit, recurſum habuit ad S. Congreg. Concilii.

21 *Sacra Congregatio, inſpecta Oratoris variatione, cenſuit, ipſum tanquam Clericum non eſſe in præſentia audiendum.*

22 Ut autem ex proceſſu pro iſta declaratione facienda evitetur occaſio eludendi proceſſum principalem, poterit carceratus retineri benè cuſtoditus in aliquo cubiculo tuto, nec permittatur eum alloqui, niſi Procurator, & Advocatus pauperum, ac ſimiles.

23 Atque ita cenſuit S. Congreg. Immunitatis in una *Romana*, ſive Terracinen. 17. Septembris 1632.

CONSULTATIO XLVI.

De Clerico carcerato etiam quoad forum.

1 SI carceratus præventivè per Curiam Eccleſiaſticam ſit verè clericali charactere inſignitus, non debet dicta Curia illum remittere ad forum laicalem, etiam ſub prætextu, quod in habitu clericali non incederet, ſeu quod non habet alias qualitates a Conc. Trid. requiſitas *c. 6. ſeſſ. 23. de refor.* ut in puncto cenſuit S. Congregatio Concilii in ſequenti declaratione. *in una Baren. 6. Septembris* 1607. *S. Congregatio, &c. cenſuit, ſi Orator ante delictum conſueverat Eccleſiæ inſervire, etiam ſi interruptè, & abſque mandato Epiſcopi, debere gaudere fori privilegio, & multò magis ſi Epiſcopus prævenerit, cùm etiam quoad Clericos carentes qualitatibus requiſitis a decreto c. 6. ſeſſ. 23. Epiſcopus præventionem habet.*

2 *Dubitatum fuit, an Decretum Sacræ Congregationis, quo ſancitum eſt, Clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut clericalem habitum, & tonſuram deferentes Eccleſiæ deſerviant juxta c. 6. ſeſſ. 23. Judicis laici forum declinare non poſſe. Epiſcopo tamen in illos delinquentes, ſi prævenerit, animadvertere licere, habeat locum etiam quando cauſa agitur contra contumacem pro delictis, quæ non ſunt mixti fori, itaut ceſſante Judicis laicis præventione, Epiſcopus ſolus procedere poſſit?*

3 *S. Congr. Concilii cenſuit utique ex hoc caſu locum ſibi vendicare declarationem alias editam.*

Hoc idem firmavit S. Congreg. ſuper controverſiis Juriſdictionalibus in una *Umbriaticen.* 4. & 14. Auguſti 1626. quæ reſolutio effectum fuit ſortita poſt longam controverſiam miniſtrorum laicæ poteſtatis, & in una *Civitatis Ducalis* die 17. Jan. 1628. ac ſæpius in aliis cauſis abſque contradictione.

4 Ratio autem ſupradictæ concluſionis eſt, quia cùm character clericalis, præſertim quoad præjudicium Juriſdictionis Eccleſiæ, ſeu Epiſcopi dicatur indelebilis, Trid. *can. 4. ſeſſ. 23. de Sacramento Ordinis*, ideòque inſignitus hujuſmodi charactere, donec non fuerit illius privilegio denudatus, ſervatis ſervandis, ſive ab homine, ut puta per privationem, per depoſitionem, per degradationem, & per declarationem, ſive a lege per bigamiam, & hujuſmodi alia, ſemper remanet ſubjectus eidem Juriſdictioni Eccleſiaſticæ, ut firmat Garz. *de benef. part. 2. cap. 2. n. 16. 17. & ſeqq.* Juriſdictio enim Eccleſiaſtica in Clericos competit ratione Ordinis, & Characteris, *cap. contingit il* 1. ubi Gloſſa, & Doctores *de ſent. excomm.* ac propterea non poteſt, nec debet eſſe in poteſtate Clericorum per non geſtationem habitus, & tonſuræ clericalis, vel per aliud factum, præſertim omiſſionis, præjudicare hujuſmodi Juriſdictioni, ſicuti a fortiori non poſſunt Clerici ex facto expreſſo renunciationis, confeſſionis, & ſimilis ab hujuſmodi Juriſdictione ſe eximere, *cap. Significaſti de for. comp.* Gloſſ. *in d. cap. Contingit, ver. favorem Ordinis*, paſſimque Doctores ſpeciatim in *cap. Cum non ab homine de judic.* & facit ad rem *text. in cap. Si diligenti de for. comp.* ubi ex facto privatorum non derogatur juri Ordinis.

5 Et licet in *d. c. 6.* Concilii dicatur fori privilegio non gaudere Clericos non habentes qualitates, id tamen intelligitur, ut illud ab iis omittentibus dictas qualitates injunctas non poſſit allegari. Siquidem dictum decretum emanavit in odium ipſorum Clericorum omittentium qualitates requiſitas ſervare. Et hinc eſt, quod verba ipſa Concilii ſunt in ipſos ſolos Clericos directa, non autem in perſonas Epiſcoporum, de quibus nulla mentio habetur, nec de illorum jure, ſeu Juriſdictione, cui propterea abſque derogatione non cenſetur præjudicatum, nec inducta correctio aliorum decretorum, concedentium abſolutè, & ſimpliciter Epiſcopis facultatem puniendi Clericos abſque alia reſtrictiva, quod habeant qualitates, ut in *capite 4. ſeſſ. 14. de reform. cap. 1. ſeſſ. 22. de reform. cap. 20. ſeſſ. 14. verſ. Ad hæc, de reform.* Et ita ſæpiùs declaravit eadem Sac. Congregatio Concilii, præcipuè verò in ſequentibus declarationibus.

In una Murana 21. Januarii 1594. *S. Congregatio Concilii reſpondit, licèt Clerici in minoribus dumtaxat Ordinibus conſtituti, niſi beneficium habeant, aut clericalem habitum deferentes Eccleſiæ deſerviant, vel in Seminario, aut aliqua ſchola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi verſentur juxta decretum Sacri Concilii c. 6. ſeſſ. 23. de reform. forum Judicis laici declinare non poſſint, non tamen propterea Sacr. Congregatio cenſuit, Epiſcopo obſtare, quominus jure ſuo in hujuſmodi Clericos delinquentes, ſi adhuc Clerici permaneant animadvertere poſſit.* 6

In una Valentina 27. Martii 1627. *S. Congregatio Concilii cenſuit, ſervandas eſſe declarationes antiquas, approbando diſtinctionem, ut non poſſit a Clerico, non habente qualitates in decreto Sacri Concilii Tridentini cap. 6. ſeſſ. 23. allegari privilegium fori, ſed non impedire quominus Epiſcopus utatur jure ſuo.* 7

Nec aliquam difficultatem faciunt verba illa: *ſi adhuc Clerici permaneant*, cùm importent quatenus a Jure, vel ab homine non ſint privilegio denudati per privationem, per depoſitionem, per bigamiam, & ſimile. Cùm enim declarationes loquantur de Clericis, non habentibus qualitates *d. cap. 6.* dum poſtea ſubjungunt, dummodò Clerici permaneant, nequaquam referri poſſunt ad qualitates a Sacr. Concilio requiſitas, quæ in illis ſupponuntur non concurrere, ſed neceſſariò intelligendæ ſunt de ſupradicta denudatione, & privatione privilegii clericalis. Et ita cenſuit eadem S. Congreg. Concilii die 8. Novembris 1630. in una *Leodien.* ſemel, iterùm, ac tertiò diſcuſſa, & a Sanctiſſimo approbata tenoris ſequentis. 8

Die 12. Novembris 1630. in S. Congr. Concilii facta relatione Sanctiſs. D. N. in cauſa Leodien. 8. ejuſdem in S. Congr. Concilii propoſita, & reſoluta, Sanctitas ſua approbavit declarationem factam, ut Clerici etiam non habentes requiſita c. 6. ſeſſ. 23. de reform. licet ipſi tanquam contravenientes ordinationi S. Concilii non poſſint per ſeipſos allegare privilegium fori, nihilominus ſubſint Juriſdictioni Epiſcoporum, & Ordinariorum cognitioni, nedum in cauſis in quibus iidem Epiſcopi, ſeu Ordinarii prævenerunt, ſed etiam in quibus non prævenerunt, & illos e manibus Judicis laici repetant, quando iidem Clerici adhuc Clerici permaneant, videlicet ſi a Jure, vel ab homine per declarationem ſervatis ſervandis factam, privilegiis clericalibus denudati, ſeu privati non ſint. 9

Die 1. Aug. 1634. facta denuò relatione SS. D. N. Sanctitas ſua ad removendam omnem difficultatem denuò juſſit omninò obſervari ſupradictam declarationem, ut ſupra firmatam in dicta cauſa Leodienſi. 10

CONSULTATIO XLVII.

IN quibuſdam Diœceſibus ex immemorabili conſuetudine fuit a populis, ſeu Communitatibus, non autem a Clero perſoluta procuratio Epiſcopo viſitanti, cumque hodie iidem populi, ſeu Communitates cum aſſiſtentia ſuorum Principum ſolvere in futurum renuant, ideò quæritur pro parte Cleri. 1

An obſervatio dictæ conſuetudinis ſit præcipienda?

IN hac re habemus concluſionem receptam, ut nimirum in procuratione ſolvenda Epiſcopo viſitanti attendatur conſuetudo, *cap. Sopitæ*, ubi Doctores *de cenſib.* & in terminis de conſuetudine ſolvendi procurationem a populis, & a Communitabus cenſuit Sac. Congregatio Concilii in ſequenti declaratione, quæ habet concordantes. 2

In Nucerina die 5. Junii 1607. Sac. Congreg. Concilii cenſuit, ſi Populus Caſtri Collis conſueverit ſolvere procurationem Epiſcopo viſitanti, hujuſmodi conſuetudinem eſſe obſervandam. 3

Verùm concluſio hæc ex opinione ejuſdem Sac. Congregationis non eſt perpetua. Quia non procedit quando populi conqueruntur, & in futurum ſolvere renuunt, ut poſt Armendariz, & plures alios tradit Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 73. n. 45.* ac firmat eadem Sacra Congregatio in declarationibus mox adducendis. Ea, ni fallor, ratione, quod cum laici de jure non teneantur ad hujuſmodi procurationis præſtationem Epiſcopo viſitanti, ut in puncto firmat *Gloſſ. in cap. 1. verbo laicos de cenſib. in 6.* & ibidem Hoſtien. *num. 14.* & Gemin. *in fin.* præſumitur quidem illam ſolviſſe ex mera liberalitate, & facultate, ut colligitur ex Gloſs. *in cap. Cavendum, verbo ſumptus 11. quæſt. 3.* junctо *textu in cap. Cum Apoſtolus de cenſib.* ibi: *Cum gra-* 4

tiarum

tiarum actione recipiant quod honestè, & competenter illis fuerit ministratum, & ponderat Innocentius infra allegandus.

5 Quæ sanè opinio videtur procedere etiamsi consuetudo sit immemorabilis, quando non probetur actionata ex actibus contradictoriis cum subsequuta coactione, & patientia, seu non constet de titulo coactivo. Non enim in facultativis inducitur consuetudo, etiam per mille annos, ut firmat Innoc. *in c. Cum Ecclesia Sutrina sub num.* 5. *de causa possess. & propr.* Dec. *cons.* 8. *col.* 4. *in princip. & circa fin.* Beltrad. *cons.* 3. *num.* 5. *vol.* 2. post Cravet. *de antiq. temp. p.* 4. *sub n.* 4. Et assentitur Rot. *dec.* 400 *num.* 3. & 4. *p.* 2. *in posthum.* ac tenet in terminis Franciscus Leo *in prax. fori Eccles. p.* 2. *cap.* 16. *n.* 23. & *seqq.*

6 Et in his etiam terminis immemorabilis consuetudinis reperiuntur infrascriptæ declarationes ejusdem Sacr. Congregationis.

7 *In una Ventimilien. Sacra, &c. censuit, si ex consuetudine immemorabili Populus subministret victualia Episcopo visitanti, Episcopum posse servare hujusmodi consuetudinem, uti Ecclesiæ utilem, si Populus de hoc non conqueratur. Laudabile tamen esse, ut Episcopus minus illum gravet, & non posse illum compellere, si noluerit amplius ea præstare, exigenda tamen esse ab aliis, qui visitantur juxta formam decreti S. Concilii c.* 3. *sess.* 24. *de reform.*

8 *In una Cæsaraugustana* 20. *Decembris* 1681. *Sacra, &c. ad secundum respondit, servari posse consuetudinem immemorabilem Ecclesiis utilem, si Communitas non conqueratur laudabilius tamen esse, quod Archiepiscopus illam non gravet. Quod si a Communitatibus exigit victualia, nihil a Clericis exigat.*

9 Et in terminis quando concurrit Principum temporalium assistentia ultra renitentiam Populorum eadem Sac. Congregatio satiùs duxit respondere, ut in sequenti declaratione.

10 *In una Bisuntina* 15. *Septembris* 1607. *Sacra, &c. Perpensa opinione Glos. in cap. Cavendum, & aliorum, quod de jure laici ad procurationem non tenentur, quodque Doctores testantur ita servari, quamvis contraria opinio forsan sit receptior, tamen satius putavit nihil in hac re decernendum contra laicos, mandavitque, ut Secretarius oretenus insinuet Agenti Archiepiscopi, ut sua prudentia, & dexteritate, si impedimentum, & retinentia removeri non possit, si abstineat ab executione exactionis a Populis, &c.*

11 Neque obstare debet allegata forsan paupertas, & impotentia cleri ad solvendam hujusmodi procurationem. Nam paupertate cleri existente, Episcopus tenetur sibi de suo providere, Glos. *in cap. Cum instantia, verbo pergravari circa medium.* Hostien. *n.* 5. & 6. Anch. n. 9. *de censib.* Eadem Glos. *in cap. Graves de offic. Ordin.* Abb. *in cap. Procurationis n.* 7. *etiam de censib.* cum aliis ibidem adductis.

CONSULTATIO XLVIII.

Utrum inimicum occidens apprehensum, & ligatum in manibus Curiæ, committat proditorium, ac proinde privetur immunitate Ecclesiastica?

1 NOn committitur proditorium. Quia homicidium non est patratum prætextu amicitiæ, sine qua verè dici nequit proditorium. Est textus *in l.* 1. *C. de prævaric.* Atque hanc qualitatem ad mentem Constitutionis Gregorianæ requiri, ut reus immunitate privetur, docent communiter Doctores, nominatim Giurb. *cons.* 20. *n.* 12. qui plures congerit, Sperell. *dec.* 23. ubi potenter de more id tuetur, Castill. *dec.* 156. *n.* 38. & *seqq.* aliique non pauci ab aliis relati, qui firmant homicidium non esse proditorium juxta theoricam Bartoli in *l. Perspiciendum, §. delinquitur n.* 1. *ff. de pœn.* nisi sub specie amicitiæ committatur, adeò quod occidens inimicum a tergo per insidias, dormientem, aut clam a fenestra non sit homicida proditorius, ac proindè gaudeat immunitate. Consonant uno calamo Vermigliol. *cons. crim.* 94. *n.* 3. & *cons.* 92. *n.* 4. Ciarlin. *par.* 1. *controv. cap.* 10. *n.* 109. & 117. & *cap.* 14. *n.* 21. Alvar. Guerrer. *in thes. Christ. relig. cap.* 21. *n.* 15. Gizarel. *dec.* 16. *a n.* 2. Larat. *cons.* 102. *n.* 19. Baron. *de effect. inimic. effect.* 14. *a n.* 1. Jordan. *lib.* 11. *elucubrat. tit.* 3. *de Imm. Eccles. n.* 342. & planè idem vult Delbene *de Imm. tom.* 2. *cap.* 16. *dub.* 20. *sect.* 5. *n.* 3. quo loco multa omninò insigniter disputat, ratumque habet Thor. *in comp. decis. Neap. ver. Proditorium*, Antonell. *de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 79. Bassæus *in flor. verb. Immunitas n.* 10.

2 Fundamenta hujus opinionis sunt plurima, illa verò præcipua, quod occisus a suo inimico non potest censeri affidatus, vel diffidatus, cùm carere suspicione mortis, & insidiarum non possit. Quod teneatur inimicus se præcavere ab insidiis inimici, & ita circumspectus incedere, ut incautus nequeat occidi, nam ut verè Vates dixit 2. *Æn. Dolus, an virtus quis in hoste requirat?* Id quod amittit D. August. *q.* 10. super Josue, & concedit Marquez. *de gubern. Christ. lib.* 1. *cap.* 14. *§.* 1. aliique quamplurimi.

Muniunt has rationes, quod in dubio in jurisdictionalibus dissidiis ad favorem Ecclesiæ sit pronunciandum, sitque præferenda opinio, quæ favet immunitati tamquam pia, & Ecclesiæ favorabilis. Quod in hac materia est decantatissimum, & ex variis confirmant Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resolut.* 30. Delbene *d. cap.* 16. *dub.* 37. *sect.* 1. *v.* 27. Ciarlin. *par.* 2. *c.* 129. *ver.* 48. Sperell. *p.* 2. *dec.* 105. *n.* 46. Quodque ego quidem ultro admitto. Quia finis politiæ sæcularis, nempè tranquillitas, sive felicitas naturalis Reipublicæ est inferior favore immunitatis, cujus finis terminans ad Deum cognitum per fidem theologicam exhibendo ei cultum, tanquam spiritualis, & supernaturalis est supremus, & excellentior. 3

Mihi tamen multò magis placet contraria sententia, 4
quæ statuit hujusmodi reum non gaudere. Nam proditorius proximi sui occisor ille est, qui eum incautum, nihil sibi præcaventem per insidias, & industriam occidit, *l. propter insidias, C. qui accus. non poss. fin. C. de elat. lib.* 10. *l.* 4. *ff. ad leg. Jul. majest. cap.* 1. *de homicid. cap. Clericus* 46. *dist. cap. Si cupis* 16. *quæst.* 1. & docent ex communi Gomez 3. *var. cap.* 2. *de homic. n.* 5. Farinac. *de carcer. quæst.* 18. *n.* 23. & *quæst.* 18. *n.* 76. & *in append. de imm. cap.* 9. *num.* 135. Suar. *l.* 3. *de Relig. tom.* 1. *c.* 11. *n.* 12. Sanch. *tom.* 2. *cons. lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 7. *n.* 26. aliique passim. At inimicus comprehensus, & ligatus in manibus curiæ est repositus sub fide publica, ac proinde tutus, atque incautus. Igitur si occidatur ab inimico, incautè occiditur, cum ab eo non possit præcavere. Id confirmo ex eo quod carceratos sub fide publica tutos non licet occidere, *l. fin. de cust. reor.* Bart. *l.* 3. *§. transfugas, ff. de ficar.* Apprehensosque a curia sub securitate publica repositos non posse offendi, tradit apertè Sesse *de inhib. c.* 8. *§.* 4. *n.* 65. Portel. ad Molin. *tit. de compet. q.* 7. Giurb. *cons.* 20. *n.* 8. Adeò quidem, ut qui carceratos offenderit dicatur committere crimen violationis fidei, includens specialem deformitatem contra Justitiam legalem, quæ respicit bonum commune, ac fidem publicam, ut scitè D. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art.* 3. *ad* 3. patrarique censetur crimen læsæ Majestatis, tanquam frangens securitatem a lege elargitam per text. *in l.* 1. *ad l. Jul. majest.* ut rectè admiserunt Put. *de Syndic. verb. Adulterium cap.* 1. *n.* 5. Dec. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 1. Marc. Curg. *de mod. proced. ex abrupt. cent.* 1. *q.* 19. *n.* 208. Muta *super pragm. Regn. Sicil. tom.* 1. *cap.* 45. *n.* 13. & *dec.* 36. *num.* 17. Unde bannitus qui aliàs a quocunque posset offendi, eo ipso quod carceribus mancipatur, tutus est ab omni molestia, & offensa, Mut. *loc. cit.* Bobadil. *in polit. lib.* 2. *cap.* 4. *part.* 1. *num.* 13. his verbis, *ò contra preso en qualquier carcel, la qual sellama lugar Santo, ylos presos estan sula proteccion real, yquien los ofende comete crimen de lesa magestad, aunque el preso esse condennado à muerte, ò sea è nemigo publico yassi vi alorcar a un moco porque herio levamente en la carcel de esta corte à un preso, aunque nò murio dela herida.* Idcircò officium Judicis interponitur extraordinariè, & ex abrupto contra offendentem carceratos, prout peculiari lege constitutum esse in Regno Siciliæ referunt iidem Mar. Burg. & Mut. *loc. alleg.* ille *n.* 209. & iste *n.* 13.

Ex fractione igitur securitatis, & impotentia se præ- 5
cavendi, ac defendendi qualitas proditorii stabilitur, licet inter occisum, & occisorem probata extaret capitalis inimicitia, quæ etiam per testes singulares potest probari. Quod ex instituto *tract.* Grasset. *de homicid. prod. §.* 29. *n.* 299. Ac licet opinio altera circa constituendam qualitatem proditionis, ut reus immunitate privetur, asserat, proditorium crimen non dici, nisi sub colore, ac fide amicitiæ patretur, ita sanè ut implicet dari simultaneo concursu proditionem, & inimicitiam, quam tuentur Authores, quos capitatim duntaxat recenseo, nempè Bartolus, Ambrosinus, Remigius de Gonni, Gomesius, Igneus, Ancharanus, Baldus, Aretinus, Cepolla, Clarus, Gerardus, Emmanuel, Farinacius relati a Peregr. *de immunit. c.* 7. *n.* 2. 20. & 21. Bonaccina, Ricius, Genuensis, Vincentius de Franchis, adducti a Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 5. ac alibi, quibus favet Delbene *loco alleg. dub.* 20. *sect.* 3. *n.* 3. aliique innumeri, verioremque in puncto juris appellent. Altera tamen opinio, quæ proditoriam qualitatem juxta Constitutionem Gregorianam non in velamine amicitiæ, sed in insidiis, & impotentia se præcavendi, ac defendendi,

di, hìc, & nunc collocat, adeò quod ſi inimicus per inſidias cum impotentia phyſica, vel morali ſe præcavendi, & defendendi occidatur a ſuo inimico, occiſor debeat dici proditorius homicida, privarique immunitate, ut ingenuè fatear, mihi communiſſima videtur, quam multis ſtabiliunt Covar. *lib. 2. var. cap. 26. n. 7.* aliique ab ipſo relati, Plaza *in epit. delict. lib. 1. cap. 21. n. 2.* Acunna *de pœna delict. cap. 25.* Canter. *in qq. crim. cap. 6. de homicid. n. 32.* quibus aſtipulatur Sanchez moralis theologiæ ſcriptor, incorporabilis *in conſ. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 26.* Protel. *v. Eccleſiæ immunitatis num. 15.* Villag. *de extenſ. leg. cap. fin. n. 53.* Bobadil. *loco alleg. lib. 2. cap. 14. n. 34. & ſeqq.* Marius Italia, & pro omnibus Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 11. n. 10.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. tract. 1. lib. 46. n. 46.* Gambac. *lib. 5. cap. 28. n. 3.* Cutell. *de immunit. Eccleſ. lib. 1. quæſt. 5.* & plenè confirmat inter graviſſimos recentiores Graſſet. *de homicid. prod. §. 10. a n. 16.* ubi alia ex aliis in hanc rem ſolidè adducit. Verùm de hac re vide conſultationem noſtram de eo, qui proximum ſuum veneno enecat, *§. Quidquid autem.* Imo quod non gaudeat immunitate, niſi qui ex impetu, vel caſu proximum ſuum occidit docuit Innoc. Canoniſtarum verè maximus *in cap. Inter alia de immun.* quem ſequuntur Boer. *dec. 109. n. 3.* & latiùs *n. 5. & ſeqq.* Dec. *tr. crim. lib. 6. c. 28. n. 13.* qui teſtatur de communi, veriori, & æquiori, reſpondetque contrariis. Paſſim quoque idem firmant Anchar. Specul. Alex. Guidop. Alciat. Plot. Joſeph. Ludovic. Cler. Menoch. & Fachin. relati a Farin. *de imm. cap. 7. n. 112.*

6 Illud verò quod favendum ſit immunitati, ajo habere locum in dubiis, non in opinionibus. Quare non aſſentior Graſſetto, qui *§. 8. n. 66.* & ſequentibus pluribus aſſerit cauſam immunitatis eſſe civilem ex Manriquez, atque tunc opinionem faventem Eccleſiæ eſſe præferendam, quando certò appareat, rem eſſe Eccleſiæ, vel ad illam ſpectare. Diſtinguendum namque eſt inter dubium, opinionem, & certitudinem. Si enim cognoſceretur certò rem eſſe Eccleſiæ, cognoſceretur veritas, ſi autem cognoſceretur veritas, altera opinio eſſet determinatè vera, & certa, & altera falſa, unde non haberet locum probabilitas. Atque adeò nunquam contra liceret certitudinem operari, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæſt. 19. art. 5. & 6.* Quia certitudo importat applicationem legis hic, & nunc certò obligantis, & ideò operari hic contra certitudinem, eſſe violare legem.

7 Nihilominus, quia non eſt certum, quod hujuſmodi homicidium ſit proditorium, idcircò moneo tam in hoc caſu, quàm in ſimilibus, in quibus dubitatur, an reus gaudeat, vel ne immunitate Eccleſiæ, conſulendam eſſe Sedem Apoſtolicam, cujus eſt ſuas leges in dubio declarare, ac interpretari. Quod in materia immunitatis benè advertit, ut omnia, Delbene *d. c. 16. dub. 31. ſect. 7. num. 6.* Farinacius, & Diana apud ipſum.

CONSULTATIO XLIX.

An Molendina Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum ſub obtentu, quod in illis committantur fraudes, poſſint viſitari a Magiſtratu ſæculari, ejuſque edictis ſubiici?

1 NEgo. Etenim conſtat, bona Eccleſiaſtica jure cum Divino, tum humano libera eſſe, immunia, & exempta a foro, ſubjectione, opere, juriſdictione, legibus, aliiſque quibuſcumque laicis oneribus. Quod adeò certum eſt, ut putidum ſit locos notare. Ita Geneſ. *c. 47. n. 3.* 1. Eſdr. 7. *Pſalm.* 114. Matt. 17. Concil. Nicen. general. *in hiſtor.* Concil. Lateran. ſub Alex. III. *in cap. Non minus.* Item aliud Concil. Lateran. ſub Innoc. III. *in cap. Nimis, & in cap. Adverſus de immun. Eccl.* Et Conc. Later. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. in Bulla reform. Cur. §. & cùm a jure.* Conc. Colon. *par. 9. cap. 20.* Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 20. de reform. cap. Præſertim, cap. Relatum, & cap. Placuit 11. qu. 1. cap. 1. & ſeqq. de immun. Eccleſ. cap. 1.* & deinceps eodem titulo *in 6. cap. Dudum de decimis, cap. Nullus judicum, cap. Si diligenti, & cap. Conqueſtus de for. comp.* Symmach. Pap. *in 3. ſynodo Romana,* Joannes VIII. *in cap. Si Imperator d. 96.* S. Gregor. Magn. *lib. 4. epiſt. 75.* Nicolaus I. *in epiſt. ad Michael. Imperat.* Innoc. III. *in cap. 2. de major. & obed.* Bonif. VIII. *in cap. Quamquam de cenſib. in 6.* Juſtinianus Imper. *in l. Sancimus, Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. Nemo Cod. de Epiſcop. & Cleric. & l. Reſcripto, ff. de muner. & honor.* & in *Inſtit. lib. 2. de rer. diviſ. §. ſacra res ſunt,* Ruffinus *lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 2.* Sozomen. *lib. 1. hiſtor. cap. 16.* Gloſs. *in dict. cap. Si Imperator, & in dicto capitulo Quamquam.* Hoſtien. *in capitulo ſecundo de major. & obed.* Archid. *in eodem cap. Quamquam,* ibique Anchar. traditque Felin. & Abb. *in cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. & in cap. Non minus de cenſib. num. 17.* Almain. *in tract. de ſupr. poteſt. Eccl. cap. 8. prop. 3. ad fin.* Angel. *in ſumm. v. immunitas n. 33.* Sylveſt. *eod. verb. n. 16. §. ſecundum ad munera.* Cajetan. *in ſumm. Cardin. in cap. Perpendimus de ſent. excomm. & in d. cap. Quamquam de cenſibus,* ubi etiam Imola, & Dec. Azor. *p. 1. inſtit. mor. lib. 5. c. 12.* aliique innumeri. Sed præ cæteris legendus Bellarminus *de Cleric. tom. 2. controv. lib. 1. cap. 29.* & in Barclajum, Suarez *in Regem Angliæ,* Delbene *de imm.* Ribadeneira in *Machiavellum,* Pſeudopoliticorum Patriarcham.

Quare immunitatem Eccleſiaſticam eſſe naturalis ju- 2
ris, quod gentium dicunt, & evidenti, ac neceſſaria conſequentia deduci ex iis, quæ naturali lumine primo, & per ſe cognoſcuntur, nimirum, *colendus eſt ſuper omnia Deus,* etiam atque etiam aſſero.

Quæ quidem exemptio realis ſuffragatur etiam colo- 3
nis, ac conductoribus eorumdem bonorum in iis omnibus, quæ ſpectant ad dominium, poſſeſſionem, culturam, uſum, atque ſervitutem, ut plenè firmavit quampluribus cumulatis Surdus in luculento illo *conſ. 301.* per totum, præſertim *a num. 69.* & Menochius *conſ. 101.* fuitque reſolutum a Rota *in Corrigen.* gabellæ coram Juſto 29. Novembris 1602. & 17. Maii 1603. ac ſæpiſſimè deciſum a Sacra Congregatione Immunitatis, nominatim in cauſa Vercellen. per biennium diſcuſſa ſuper onere colonis, & conductoribus impoſito ob negotiationem. Atque ita etiam felic. rec. Gregorius XIV. determinavit, edicto Gubernatoris Mediolanenſis non ſerendi orizam ad conſervandam aeris ſalubritatem, non ligari colonos, & conductores, ſive affictuarios prædiorum Eccleſiaſticorum, ſed Archiepiſcopum debere hoc ipſum præcipere, quatenus bono publico expedire judicaverit. Quinimmò eadem exemptio extenditur etiam ad illos, qui habent in emphyteuſim bona Eccleſiaſtica, licet in illis Eccleſia non habeat, niſi directum dominium, ut firmavit Rota in deciſione illa magiſtrali *Romana demus de Scapuciis 19.* Jan. 1611. coram Coccino, quam ibi pluries ſectata eſt, Sperell. *dec. 121.* & S. Congreg. Immunit. præſertim in Imolen. 27. Maii 1654.

Et hanc planè theoricam, atque praxim ſemper eſt 4
ſequuta S. Congreg. Immunitatis in re de qua agimus, ſicque reſponſitavit, præcipuè in una *Firmana* die 2. Julii 1630. *Molendinum menſæ Archiepiſcopalis non comprehendi ſub prohibitione per Communitatem facta; ideòque Archiepiſcopus utatur jure ſuo, & remediis ſacrorum Canonum.* Item & in alia *Firmana* die 19. Novembris 1630. cenſuit, *Communitatem Montis Georgii teneri facere declarationem, quod prohibitio emanata eundi ad alia molendina, quam ad Molendina ipſius Communitatis non comprehendit molendina Archiepiſcopi, Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, quamvis extra territorium ejuſdem loci exiſtentia. Ipſamque Communitate renuente, procedi poſſe remediis Sacrorum Canonum, ſervata tamen eidem communitati facultate probandi, ſervatis ſervandis, allegatam quaſi poſſeſſionem immemorabilem, ſuper cujus relevantia erit poſtea diſcutiendum in hac Sac. Congregatione.* Hæc autem declaratio quod non comprehendantur molendina Eccleſiaſtica eſt prorſus juridica juxta doctrinam Jo. Andr. *in cap. fin. ſub num. 4. de immun. Eccleſ. in 6.* Felin. *in c. Eccleſ. S. Mariæ n. 51. de conſtit.* Capr. *concluſ. 15. n. 38.* Gabriel. *conſ. 47. n. 3. vol. 2.* Surd. *conſ. 301. n. 45.* & in puncto electi de molendino conſuluit Anchar. *conſ. 155. n. 11.*

Idem cenſuit in *Æſina* die 8. April. 1631. his verbis: 5
Standum eſſe in decretis, ſcilicet ſub decreto Gubernatoris comprehendi non potuiſſe molendina Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, non ſuffragari concordiam a Sede Apoſtolica confirmatam, cum ſit inita inter mere laicos. Ideòque Gubernatorem teneri facere declarationem, & conſulere propriæ conſcientiæ.

Et in una *Cephalunen.* die 11. Auguſti 1931. decre- 6
vit: *Epiſcopo, qui procedat, ſervatis ſervandis, ad cenſuras contra Marchionem, & alios impedientes olivas macinare in molendinis ipſorum Eccleſiaſticorum.*

Idipſum in una *Maceraten.* die 27. Septembris 1632. 7
injunxit *Epiſcopo, ut tueatur Immunitatem Collegio Societ. Jeſu competentem reſpectu Molendini exiſtentis in territorio Maceratæ.*

Ac in una *Ugentina* die 15. Febr. 1633. cenſuit, *Ec-* 8
cleſiaſticos non poſſe cogi ire ad certum molendinum juxta edictum Baronis, vel Communitatis, illiſque Epiſcopum tueri remediis Sacrorum Canonum, eiſdemque Eccleſiaſticis ſervandam eſſe ſolitam franchigiam.

Et in una *Polignanen.* die 21. Martii 1634. cenſuit, 9
edictum publicatum a Gubernatore dictæ Civitatis, prohibens

molen-

molendinariis olei facere eleemoſynam eſſe omnino revocandum, & quatenus revocari renuat, utendum remediis Sacrorum Canonum.

10 Quod etiam reſpondit in una *Baren.* die 11. Septemb. 1634. ſcilicet *edictum Univerſitatis Terræ Modugni prohibens macinare frumentum, niſi in certis molendinis, eſſe contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, ideò Archiepiſcopus curet revocari.*

11 Similiter in una *Laquedonen.* die 22. Decembris 1636. *remiſit Eminentiſs. S. Xiſti, ut facta declaratione in edicto, & inſtrumentis, non comprehendi Eccleſiaſticas perſonas, nec earum molendina, nec non refectis molendinis deſtructis, ac aliis de jure reſciendis oratores abſolvantur.*

12 Rurſus in una *Maceraten.* die 19. Jan. 1638. cenſuit, *ſub prohibitione ſolvendi gabellam della Peſa, non comprehendi molendina Eccleſiaſticorum, nec molentes in dictis molendinis.*

13 Iterùm in *Baren.* die 27. Aprilis 1638. declaravit, & 20. Septembris 1650. in una Licien. cenſuit, *perſonis Eccleſiaſticis eſſe permiſſum retinere molendina vulgò nuncupata Centomole in propriis domibus pro eorum uſu, & familiæ, ideòque injungendum Epiſcopo, ut immunitatem Eccleſiaſticam tueatur.*

14 Et in una *Illicen.* die 30. Septembris 1636. reſpondit *Epiſcopo, molendina menſæ Epiſcopalis, & aliorum Eccleſiaſticorum non comprehendi, nec poſſe comprehendi in bandimentis, & edictis laicorum, & propterea cogendos eoſdem remediis Sacrorum Canonum ad hoc declarandum, ne libertas Eccleſiaſtica impediatur.*

Explicatius in una *Auximana* die 23. Julii 1647. decrevit, *utraque parte informante, appaltatoribus non licere perquiſitionem facere in molendinis, & aliis in bonis, ſeu locis commendæ S. Philippi Religionis Jeroſolymitanæ, niſi mediante miniſterio curiæ Eccleſiaſticæ, cui dentur literæ pro hujuſmodi perquiſitione.*

15 Pariter die 13. Auguſti ejuſdem anni in una *Viterbien.* cum Commiſſarius ſæcularis Vetrallæ prætenderet propria authoritate ingredi in molendina Eccleſiaſtica ad effectum revidendi menſuras, reſcripſit, *hoc non eſſe permiſſum in molendinis Eccleſiaſticorum, etiam ſi molendinarii ſint laici, ſed inſpectionem, cognitionem, ac punitionem delinquentium circa menſuram ſpectare ad Eccleſiaſticum.*

16 Idem luculenter die 12. Januarii 1649. in una *Velitern.* cenſuit, nimirum *menſuras vulgò nuncupatas le ſcodelle, ablatas a molendinis Eccleſiaſticorum de ordine Gubernatoris d. Civitatis eſſe reſtituendas Curiæ Epiſcopali, & eumdem Curiam eſſe adeundam ſuper cognitione fraudum, ut prætenditur in dictis molendinis commiſſarum.*

17 Atque ex his manifeſtiſſimè liquet perpetua mens Sacræ Congregationis, ac reſponſio ad rationes ſæcularium. Et primò ad immemorabilem, qua ſanè machina frequenter immunitatem impetunt, reſpondetur vel non probari, vel non poſſe probari, eaque probata, nullius eſſe relevantiæ contra immunitatem Eccleſiaſticam ſine fama privilegii Apoſtolici, & abſque licentia, & patientia Eccleſiaſticorum, immò conſtat evidenter contrarium ex contradictione eorundem, qui ſemper ſe oppoſuerunt, quoties in eorum notitiam id pervenerit. Quia de re prolixè Delbenè de immun. Layman, Duardus, & alii. Nullo enim pacto hujuſmodi conſuetudo imaginari poteſt, cùm non poſſit induci quadragenaria, quæ eſt fundamentum immemorabilis, Gloſs. *in cap.* 1. *v. memoria de præſcript. in 6.* Rot. *dec.* 254. *n.* 1. *part.* 1. *recent.* Etenim in hac materia quolibet anno interrumpitur omnis poſſeſſio ex publicatione Bullæ Cœnæ Domini, & docent Felin. *in cap. Cum non liceat ſub n. 9. de præſcript.* Gratian. *diſcept.* 52. *n.* 6. Creſcent. *deciſ.* 4. *n.* 5. *de collat. & condit.* Cùmque laici ſint incapaces juriſdictionis Eccleſiaſticæ non poſſunt ſe tueri conſuetudine etiam immemorabili, quæ nunquam legitima eſſe poteſt ad præſcribendum defectu incapacitatis. Hinc reprobatur in *cap. Noverint de ſentent excomm.* & in *auth. Caſſa de ſacroſ. Eccleſ.* Videndus Suarez *contra Regem Angl. lib.* 4. *capite* 32. & Tanner. *in* 2. 2. *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *dub.* 4. *n.* 132. Idque contra Covarruviam, ejuſque Summiſtas.

18 Scheſma etiam illud, quo ferè ſemper utuntur Magiſtratus ſæculares, dum manus in Sanctuarium injiciunt, nimirum damni, ac præjudicii publici, & fraudum, quas ajunt, exemptos committere, excutitur. Reſponderi enim poterit id, quod Rota in *Barchonen. exemptionis* die 13. Junii 1646. coram Cardinali Corrado, §. *Neque obſtat*, reſpondit, verum quidem eſſe, quod obviandum ſit fraudibus, ſed imprimis, ac ſuper omnia cavendum eſt, ne donec ſæculares aliorum fraudibus remedium adhibere velint, ipſi fraudem majorem non committant, excedendo limites propriæ juriſdictionis in præjudicium immunitatis Eccleſiaſticæ. At ſatius eſt reſpondere cum Sac. Congregatione ejuſdem immunitatis, Quod ſcilicet ſi Communitates, vel earum miniſtri prætendant ab Eccleſiaſticis, eorumve conductoribus fraudes committi recurrant ad locorum Ordinarios, qui eas recognoſcent ſummariè, punientque rigoroſè. Interim obſervent exemptiones, & franchitias, quæ iis debentur, cùm non deceat propter fraudes a paucis commiſſas, privilegiis omnes privare, aut propter quorundam abuſus, inobſervantia Sacr. Canonum, vel legum introductos, cæteros in exilium eiicere.

Eodem ſpectat, & illud, quod iidem ſæculares aſſe- 19
runt, ab ejuſmodi recognitione, atque viſitatione nullum præjudicium Eccleſiæ oriri poſſe. Nam ſatis eſt, quod oriatur præjudicium immunitati, exercendo hos actus juriſdictionales in bonis Eccleſiaſticis. Injuria namque eſt ſupremi Principis, aut Regis, ejus familiam, ſeu bona ab inferiori, ac altero illius ſubdito Principe judicari, aut diſponi. Matt. *cap.* 17. ibique S. Hieronym. *in comm.* D. Auguſtin. *lib.* 1. *qq. Evang. quæſt.* 25. Injuria igitur etiam DEI erit, ſi bona illius alii ſubjecta ſint Principi, quam Deo, aut illi, quem in rebus divinis conſtituit Principem, & caput, ſeu Judicem Deus: ut proinde indignum ſit, Eccleſiaſticos, eorumque bona ab alio Judice, quam Eccleſiaſtico judicari, *cap. ſatis evidenter, cap. in ſcripturis, cap. quis dubitet, cap. ſi Imperator, cap. nunquam, cap. Conſtantinus* 1. & 2. *d.* 96. *cap.* 1. & *ſeqq. de for. comp.* Alias Dei miniſtri, quibus debetur honos, contemnerentur, nec dum arguunt, aut corripiunt, in viamque ſalutis dirigunt, audirentur. Et dum contra tectam rationem operarentur Principes, vel temporales Magiſtratus, ac Judices, temporali abutentes facultate contra fas ac juſtum, non poſſent a Sacerdotibus ſalubriter corripi, ſi eorum bona Principum ſæcularium eſſent juriſdictioni ſubjecta. Statim namque alicujus ſaltem colorati criminis ficta ſpecie a malis Principum miniſtris, ipſorum Coloni, affictuarii, & conductores accuſati, atque in carcerem detruſi, tanto & ipſi Eccleſiaſtici terrore afficerentur, ut rationabiliter judicare poſſent ſe poteſtate tradita fruſtra uti, & ab officio proprio abſque conſcientiæ ſcrupulo deſiſtere poſſent.

Itaque cùm in dies inter Magiſtratum ſæcularem, & 20
Eccleſiaſticos plures controverſiæ, animorumque odia excitarentur tam ob præcedentias, quàm ob alias prætenſiones, ſi iſtorum molitores illius juriſdictioni ſubjicerentur, quàm multas, graveſque profecto vexationes paterentur in ſpretum, atque odium Eccleſiaſticorum, ut proinde indirectè cogerentur illorum molendina relinquere in libertatis Eccleſiaſticæ præjudicium, in Eccleſiaſticorum detrimentum.

Nuper tamen aliqui, hac certiſſima doctrina convul- 21
ſa, aſſeruerunt, quod poteſtas Eccleſiaſtica tranſeat ad Principes, ac Magiſtratus temporales, quando Eccleſiaſtici illa abutuntur. Sic effutivit præter cæteros Zevallos *in Specul. aur. opin. Commun. contra Commun.* Sed hæc Ethniciſmi aſpergo eſt. Secundum enim fidem catholicam poteſtas Eccleſiaſtica data eſt a Chriſto S. Petro, & ſucceſſoribus, & ab illis ad Epiſcopos, & Sacerdotes derivatur. Non ergo poteſt tranſire ad Principes temporales, cùm hoc in nulla Scriptura habeatur, neque unquam factum ſit. Et proinde hæc ſit de hæreſis planè delira ſine ullo fundamento excogitata.

Quæ autem hic idem author addit num. 84. inſignes 22
ineptiæ, ac verè aberrationes ſunt. *Tde a qui naſce*, ait, *que no ſolo el lego, ſino el Eccleſiaſtico aggravado per ſentenza del Obiſpo puede immediatamente acudir al Tribunal Real per via di fuerza ſin a guardar la ſentenza del Metropolitano, ni del Nuncio, porque queda probado, que en caſo de aggravio, y de fuerza bolverſi la juriſdicion a ſuo principio.* Quippè hæc eſt hæreſis manifeſta, & intolerabilis. Extant enim plurimi Canones, qui prohibent Clericos recurrere ad fòrum ſeculare, vide Concil. 3. Carthag. *cap.* 9. Milevit. *cap.* 19. Chalcedon. *cap.* 9. Agathen. *cap.* 3. & alia plurima. Quod autem dicit, Juriſdictionem Eccleſiaſticam redire ad ſuum principium, quando laici in judiciis Eccleſiaſticis recurrunt ad Magiſtratum laicum, eſt merum figmentum. Nunquam enim fuit illud tempus, quo in Judiciis Eccleſiaſticis recurreretur ad Principes laicos tamquam ad veros, & proprios Judices. Quod ſubdit in caſu violentiæ licere omnibus recurrere ad tribunalia ſecularia, videtur prohiberi in Bulla Cœnæ Domini num. 13. Denique quod iſte fingit quaſi longiſſimum, & moleſtiſſimum recurſum, ſi aliquis cogatur adire primùm Epiſcopi Vicarium, deinde ipſum Epiſcopum, poſteà Nuncium Apoſtolicum, denique ipſum Pontificem Maximum, & ideò conſulit ab ipſo Vicario Epiſcopi ad Judicem ſæcularem violentiæ cauſa recurrere, mirum eſt, ſi quis non videat, quæri occaſiones impediendi fòrum Eccleſiaſticum

præ-

prætextu vaniſſimo violentiæ. Sed de hac re vide noſtram Conſultationem peculiarem: An recurſus ad Judices ſeculares per modum violentiæ ſit licitus, ubi contra Solorzanum, Pereiram, Salgadum, Seſſe, ac alios negativam propugnamus.

23 Verùm hic peropportunè, ac ſerio morendi ſunt Eccleſiaſtici circa edicta, ac leges Magiſtratus ſecularis, quæ ad politicum regimen ſpectant. Scilicet quando non extat Eccleſiaſtica lex, vel Eccleſiaſtici Superioris, in tali caſu debent Eccleſiaſticæ perſonæ dirigi, non quidem vi legis, ſed naturali lumine, atque prudentia dictante, juſtum ſervandum eſſe, honorem Principi a quolibet deberi, ac nemini ſcandalo eſſe. Eſſent autem ſcandalo multis, nec honorem debitum exhiberent Principi, neque rationis dictamine uterentur, ſi in iis, in quibus non eſt Eccleſiaſtica lex, a Principis juſta lege in rerum temporalium contractibus, atque negotiis ad evitandas fraudes non dirigerentur, & ſi contra eas delinquerent, eſſent pœna digni, quam non laici Principis judicio, ſed Eccleſiaſtici ſententia ſubire debent. Id aſſumo a Nicolao I. *in Ep. ad Michael. Imp.* D. Chryſoſt. *in cap.* 13. *ad Rom.* Imperatore Valentiniano *in epiſt. ad Epiſcop. Aſiæ*, quam refert Theodor. *lib.* 4. *hiſt. cap.* 7. Sot. *lib.* 1. *de Juſt. q.* 6. *ar.* 7. Angelo *v. lex q.* 5. Sylv. *eod. v. n.* 15. Nav. *in ſumm. cap.* 23. *n.* 88. Bannez 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *dub.* 2. & aliis. Item ex Conciliis Chalced. *can.* 9. Aghat. *cap.* 32. Chartag. 3. *can.* 8. Tolet. 3. *can.* 13. Matiſconenſe *can.* 8. Cajo Papa *in ep. ad Felicem Epiſc.* Marcellino *in ep.* 2. S. Gregorio Magno *lib.* 4. *Regeſti ep.* 45. & *l.* 11. *ep.* 54. *ad Joan. Defenſor.* Ruffino *lib.* 10. *hiſt. cap.* 2. Bellarmino *tom.* 2. *contr. lib.* 1. *cap.* 28. & Azorio *dict. part.* 1. *Inſtit. lib.* 5. *cap.* 12. *in fine.* Quod eſt contra Caſſan. *in conſ. Burg. rub.* 1. §. 5. *n.* 90. Cenedum *in collect. jur. can. part.* 1. *collect.* 97. *n.* 18. Mexiam *pragm. pax. concl.* 5. *n.* 29. & alios.

CONSULTATIO L.

An Eccleſiaſtici tàm ſæculares, quàm Regulares, Abbates, Epiſcopi, Cardinales, & Camera Apoſtolica, & conſequenter alii privilegiati, ſuppoſita præciſa neceſſitate, contribuere debeant laboreriis, excavationibus, & operibus circa flumina, alioſque aquæductus pro conſervatione bonorum etiam Eccleſiarum, nec non pro percipiendis reditibus ex eiſdem bonis? Et quatenus debeant. *An hoc ſit exequendum mediante ordine per literas, & temporaneo pro una vice, an potiùs mediante Indulto perpetuo, omnium ſupradictorum comprehenſivo?*

1 QUoad primum multi quidem voluerunt, Eccleſiaſticos quoſcumque teneri ad contributionem in concernentibus communem utilitatem, ſeu neceſſitatem, & ſpeciatim Anchar. *in cap. Non minus de Immunit. Eccleſ.* Turrecrem. *in can. Placet* 16. *quæſt.* 1. Bart. *in l. nullus, C. de curſu public. & angariis lib.* 12. Barbat. *conſ.* 1. *col.* 28. *num.* 95. *& ſeqq. lib.* 3. qui allegat Jo. de Imol. Corn. *conſ.* 72. *num.* 15. *vol.* 4. Decian. *conſ.* 14. *num.* 16. *lib.* 1. Rip. *in tract. de peſt. part.* 1. *num.* 456. *cum ſeqq. & in reſponſo* 168. cum aliis, qui præcipuè fundantur *in l. ad inſtructionem, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & juxta illorum opinionem in Villa Matriti extat gabella nuncupata la *Siſa*, quæ ad ſimilem effectum ſolvitur ab Eccleſiaſticis.

2 Verùm multò plures, iique majoris auctoritatis, ac firmioribus rationibus contrarium tenuerunt, cum diſpoſitio *d. l. Ad inſtructionem*, fuerit correpta tàm ab ipſomet Jure Civili, *in Authent. Item nulla Communitas, C. de Epiſcopis, & Clericis*, ut benè advertit Cardin. Alban. *in ſua diſp. de Immunit. Eccleſ. num.* 79. *in fin.* quàm a Jure Canonico *in d. cap. Non minus, & in cap. Adverſus de Immunit. Eccleſ.* ut nominatim notat Abbas *conſ.* 3. & 6. Sylveſt. *in verb. Immunitas* 1. *num.* 20. poſt Gloſs. *in c. Generaliter, §. Novarum in verb. Collationib.* 16. *quæſt.* 1. quàm ſequuntur Gulielmus, & alii relati a Jo: de Imol. *in c.* 1. *de Immunit. Eccleſ. lib.* 6. Franchus relatus per Archidiaconum, & Butrium *in d. cap. Non minus*, quem refert, & ſequitur Franch. *in d. cap. de Immunit. Eccleſ. lib.* 6. Innoc. *d. cap. Non minus*, ubi Joan. Andr. & Jo: de Anan. *num.* 3. Lap. allegatus a Calder. *conſ.* 2. *de cenſ.* Hoſtien. *tit. de Immun. Eccleſ. §. Quibus munerib.* Summ. Angel. *verb. Immunitas n.* 32. Card. Alban. *d. diſp. ſub num.* 13. & *per tot.* & inter recentiores Delbene *de Immun. cap.* 5. *dub.* 6. *n.* 21.

3 Itaut propterea in hoc conflictu opinionum fuerit firmata diſtinctio receptiſſima. Quòd aut Eccleſiaſtici ſentiunt commodum in communi, & a remotis, videlicet quando contributio imponitur pro refectione, ſeu reparatione viarum, murorum Civitatis, ſi ſimilium, & hoc caſu iidem Eccleſiaſtici non tenentur, niſi in ſubſidium, ſi facultates laicorum non ſuppetant, & concurrant alia requiſita, *d. c. Non minus, & c. Adverſus*. Ea ratione, quia hujuſmodi commodum univerſale non tangit illos principaliter, & quia laici debent ſubire onera Reipublicæ laicalis, Eccleſiaſtici verò Reipublicæ ſpiritualis, orationibus, jejuniis, aliiſque operibus meritoriis pro avertenda a nobis ira Dei, ut in Moyſe, & Joſue ponderat Card. Alban. *ubi ſupra num.* 87. *cum ſeqq.* & in his terminis firmat Abb. *in d. c. Non minus num.* 5. & 20. & *in c. Adverſus num.* 4. & *in conſ.* 3. *num.* 2. *lib.* 1. Everard. *conſ.* 42. *num.* 19. Jacob. Butricar. *relat.* a Bald. *in d. l. Ad inſtructiouem num.* 1. & 3. & latius *in cap.* 1. *§. Imperialis verbo muniti n.* 15. *niſi de pac. Conſtantiæ*, Sylveſt. *d. verb. Immunitas num.* 20. Laym. *Theolog. mor. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 6. *n.* 9. Graſs. *de effect. Cler. effect.* 3. *num.* 206. & *ſeqq.* Duard. *ad Bull. in Cœna Domini can.* 15. *qu.* 19. *num.* 119. Alter. *de cenſ. tom.* 1. *diſp.* 19. *lib.* 6. *cap.* 6. *dub.* 8. Diana *de Immun. Eccleſ. part.* 2. *reſol.* 38. Portel. *in addit. ad dub. Regular. verbo Tributum num.* 5. 8. & 11. & firmavit Rota in deciſ. Brunduſina 13. Februarii 1604. coram Pegna, in qua alii allegantur, nec non S. Congregatio Immunitatis ſæpiùs, & præſertim in Januenſi anno 1630. in Placentina, & in aliis infra allegandis.

At verò Eccleſiaſtici ſentiunt commodum privatum, & 5
particularij ratione bonorum ſuorum ex cauſa reparationis, excavationis, bonificationis, expurgationis, ac ſimilium, & hoc caſu dicitur adeſſe juſta cauſa, ob quam Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici de conſenſu Sedis Apoſtolicæ contribuere debeant proportionabiliter pro rata commodi, ſeu utilitatis, quam recipiunt, ut benè declarat idem Abbas *d. cap. Non minus* n. 20. Anan. *§. Quando*, firmavitque Purpur. *conſ.* 50. *num.* 4. *lib.* 1. Everard. *dict. conſ.* 42. Natt. *conſ.* 301. *n.* 4. *lib.* 2. Angel. *ver. Immunitas n.* 36. Sylveſt. *eodem verb.* 20. Craſſ. *d. effect.* 3. *num.* 207. *ver. Aliud*, Mainard. *de privil. Eccleſ. ar.* 23. *num.* 427. & 31. Atque ita ſæpius cenſuit eadem Sac. Congregatio Immunitatis, & præcipuè in d. Januen. die 19. Februarii 1627. in una Fulginat. die 20. Martii 1650. in una Aſſiſien. die 18. Februarii 1651. & in Spoletana Terræ Bevagnæ die 24. Octobris ejuſdem anni. Cujus quidem concluſionis ea potiſſimum ratio eſt, quod hujuſmodi onera pro conſervatione, ac melioratione bonorum, fructuumq; perceptione deſerviunt pro utilitate eorundemmet bonorum, & quia videntur ineſſe a natura ipſiſmet bonis, quæ in Eccleſiaſticos cum iſtis oneribus tranſierunt, *cap.* 1. *ubi Gloſs. v. Senioribus de cenſibus*, Summ. Angel. *ubi ſupra num.* 36. & ita videtur fuiſſe de mente Rotæ in deciſ. Brunduſina coram Pegna, in Corrigien. coram Juſto, & in aliis frequenter.

Quare cum in hoc caſu ſupponantur non adeſſe red- 6
ditus publici, ſaltem ſufficientes ad hujuſmodi laboreria, excavationes, & opera, ſi enim adeſſent, nullo modo Eccleſiaſtici, & alii Privilegiati tenerentur contribuere, Azor. *inſtit. moral. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 19. *verſ.* 10. paſſimque alii, & inſuper cum dicta laboreria, & opera tendant ad reparationem, & conſervationem bonorum, ac perceptionem fructuum ſaltem in meliori, uberiorique quantitate, ac conſequenter in utilitatem, & commodum privatum ipſarum Eccleſiarum, atque Eccleſiaſticorum, proculdubio videtur locus contributioni pro rata, habita proportione ad utilitatem, & commodum, prævio tamen beneplacito Apoſtolico, ac mediante authoritate Superioris Eccleſiaſtici, ut firmat Sylv. *verbo Immunitas num.* 20. *circa fin.* Natt. *conſ.* 311. *num.* 4. *lib.* 2. Diana *de Immun. reſol.* 41. *fol.* 44. Jo. Lap. *in tract. de libert. Eccleſ. in* 4. *quæſt.* ubi multis juribus, & rationibus comprobat, & ſæpè cenſuit Sacra Congregatio Immunitatis, præſertim in una Anconitana die 16. Julii 1627. Cujus Superioris authoritate Eccleſiaſtici ſibi ipſis collectam imponant juxta taxam bonorum, pecuniæque inde exactæ de ordine ejuſdem Superioris Eccleſiaſtici conſignentur miniſtris deputatis ad hujuſmodi laboreria, excavationes, & opera perficienda, ut in una Lucenſi ſequentis tenoris Epiſcopo. *Atteſa la relazione di V. S. con la ſua de' 10. Luglio proſſimo paſſato, e condiſceſa la Santità di N. S. dopo aver ſentito il parere di queſta Sacra Congregazione, che V. S. col mezzo de' Miniſtri della ſua Curia Veſcovale facci contribuire gli Eccleſiaſtici tanto Secolari, quanto Regolari alla ſpeſa da farſi nell' avvenire nella reparazione del Fiume Serchio, e ciò per la rata del comodo, & utile particolare, e privato, che ciaſcheduno d' eſſi ECcleſiaſtici ne riceverà; qual rataſi dovrà da V. S. ſentite che averà le parti, dichiararſi. Avvertendo inoltre, ch' ella per ſe ſteſſa, o con deputare perſona Eccleſiaſtica idonea, ed abile, che aſſiſti cogli altri deputati alle diſcuſſioni, e terminazioni circa il modo, e qualità di detta reparazione, acciocchè ſegua con la dovuta*

vuta circonſpezione, & utilità, e la preſente facoltà dovrà durare per un' anno avvenire. Così dunque eſeguirà V. S. con darne avviſo, &c. Roma a' 4. Agoſto del 1654.

7 Quod ad ſecundum crederem reſpectu Epiſcoporum, Abbatum, & Cleri ſecularis, & Regularis ſufficere poſſe Breve ad inſtar illius ſan. mem. Clem. VIII. pro Civitate Ferrariæ, cum illos comprehendat, & loquatur de laboreriis, operibus, & munimentis quibuſcumque aggerum fluminis Padi, & aquarum ductuum publicorum. Hoc modo excluditur innovatio, & occaſio Eccleſiaſticis, præſertim Regularibus conquerendi de violatione ſuorum privilegiorum ex cauſa oneroſa. Ubi autem Breve huiuſmodi extat, poſſunt quidem ſcribi literæ excitatoriæ pro illius executione.

8 Eminentiſſimi verò Cardinales non videntur comprehenſi. Licèt enim partem affirmativam comprehenſionis in indulto particulari, & odioſo poſt Anch. Jo. Andr. & alios *in cap. Si nemo deinceps de elect. in 6.* tenuerint Rota coram Mohed. *dec. 23. de renunc.* ubi dicitur, quod Rota non ſequitur opinionem Anchar. & Jo. Monach. qui ſe retractavit *in Extravag.* 1. ſuper Gloſs. *verb. Cler. de ſent. excom.* aſſerens non eſſe illi credendum de opinione contraria, quam tenuit, ex quo fuit deceptus propria paſſione, cum eſſet Cardinalis, Gemin. *in cap.* 1. *de ſchiſm. in 6.* Gamb. *in tract. de off. Leg. lib.* 4. *num.* 145. Ruin. qui de veriori atteſtatur *conſ.* 4. *n.* 19. *lib.* 5. Ferret. *conſ.* 314. *num.* 10. & admiſit Rota in Firmana Penſionis 27. Februarii 1627. coram Remboldo, & 4. Martii 1627. coram Durano.

9 Quorum opinio eo magis procedere debet in caſu, in quo verba Brevis eſſent hujuſmodi; *quacumque dignitate, & præeminentia etiam ſpeciali nota digna, præfulgentes.* Quia attento commodo, ſeu utilitate privata, non poteſt dici diſpoſitio odioſa, in quibus terminis Doctores contrariam opinionem tenentes, loquuntur. Hæc ratio deducitur in d. Firmana coram Remboldo, & Durano.

10 Nihilominus negativa tanquam æquior, & favorabilior dignitati Cardinalitiæ videtur amplectenda. Hanc tenuit Anchar. *conſ.* 297. Roman. *conſ.* 298. Felin. *in cap. Cum in jure ſub num. 6. de offic. Deleg. cum ſeqq.* Quorum opinioni potiſſimum adſtipulatur regula ultima Cancellariæ Sanctiſſimi Domini Noſtri, præſertim juncta obſervantia ſubſequuta, non ſolvendi vigore dicti Brevis, quæ eſt optima interpres, *l. Si de interpr. ff. de legib. cum vulg.* Eſtque attendenda, ſive intellectus de ea ſit bonus, ſive malus, Rot. *dec.* 256. *in fin. part.* 2. *div.* Honded. *conſ.* 92. *num.* 30. *& ſeqq. lib.* 1. & latiùs Rota in una Patavina Prioratus 5. Decembris 1614. coram Pirovano.

11 Ac prætereà requiritur ſpecifica juſſio, quæ, ne ſequatur alteratio, & repugnantia, fieri poterit per literas, & pro unica vice, ac cum clauſulis præſervativis, immò per viam voluntariæ contributionis, cùm hæc via fuerit ſemper uti melior approbata pro conſervanda dignitate Cardinalium, & ut evitetur exemplum in laicorum Principum dominiis. Ita videtur de mente *d. c. Non minus*, ut tradit Sylveſt. *ubi ſupra num.* 20. Graſs. *de effect. Cleric. effect.* 3. *num.* 285. Duard. *in Bulla Cœnæ quæſt.* 16. *num.* 13. *num.* 2. *cap.* 18. qui alios adducit.

12 Idem ſervandum arbitror quoad Cameram Apoſtolicam, cujus exemplo omnes facillimè acquieſcerent, & præcluderetur via querimoniis, cum ratione commodi privati, & particularis non reperitur quod ſit de jure magis privilegiata, quàm Eccleſia, ut bene per Tiraquell. *de privileg. piæ cauſæ privileg.* 143. qui plures allegat, & in fortioribus terminis Cardinalis Alban. *dict. diſput. num.* 8. *cum ſeqq.* Et ita obſervari mandavit Sacra Congregatio Immunitatis in Ferrarien. Contributionis 1631. pro flumine Padi.

CONSULTATIO LI.

An Clericus inſerviens Epiſcopo, debeat privari immunitate eidem competente, uti Clerico pro victualibus, eò quia alitur expenſis ipſius Epiſcopi, qui habet immunitatem pro omnibus de ſua familia?

1 NOn videtur privandus. Nam hujuſmodi immunitas eidem Clerico competit ratione Ordinis Clericalis, tam de jure communi, Abb. *c. Non minus in fin. de immun. Eccleſ.* & ex Authent. *Item nulla Communitas*, quàm ex particulari conventione in Regno Neapolitan. per Honor. Papam IV. deſuper inita.

2 Et licèt, dum inſervit Epiſcopo, alatur expenſis Epiſcopi, non tamen ex hujuſmodi ſervitio videtur privandus immunitate eidem competente ratione Ordinis Clericalis, cùm immunitas Epiſcopi ſit diverſa ab immunitate ipſius Clerici, nec ex uſu immunitatis per Epiſcopum pro ſuis familiaribus debet reſultare privatio immunitatis Clerici inſervientis, eique competentis titulo, ſeu jure prorſus diverſo a titulo familiaritatis Epiſcopi. Nam in una eademque perſona Clerici poteſt concurrere duplex lux, ac duplex portio, ſcilicet ratione familiaritatis, & ratione Clericatus, ut benè *per cap. alleg. poſt princip.* Jo. Andr. *& in cap. Cum olim num.* 8. *in fin. verſ. item cauſæ diverſæ uſq; ad fin. de ſent. & re jud.* ubi qui gerit duplicem perſonam, ut in caſu noſtro, familiaris, & Clerici, non habet repugnantiam juris, quin habere debeat duplices portiones, etiamſi habeat unum tantùm caput. Hoc idem firmat Anch. *ibid. ſub n.* 1. Azor. *inſtit. moral. lib.* 7. *de quarto præcepto c.* 7. qui omnes loquuntur etiam in diſtributionibus quotidianis, quæ reputantur victualia, *c. De cætero*, ibi: *Victualia de Cleric. non reſid.* Et in puncto de iſta immunitate aliàs cenſuit S. Congr. Immunitatis in una Neriton. 3. Mart. 1628.

3 Quod eo maximè dicendum eſt, quia concurrit obſervantia conformis favore Ordinis Clericalis, pro quo ſemper in dubio capienda eſt interpretatio, *vulg. juribus*, & quia nullum poteſt conſiderari damnum Communitatis, ſeu laicorum, cum immunitas Epiſcoporum ſit pro omnibus inſervientibus, itaut ſive laicus, ſive Clericus inſerviat, ſemper immunitas debeatur. Et deniq; quia daretur occaſio retrahendi Clericos a ſervitio proprii Paſtoris, ſeu privarentur indirectè, ratione ſervitii, immunitate, qua directè, etiam expreſsè conſentientibus, privari non poſſunt, *cap. Clericos, §. nos igitur*, ibi: *Conſenſerint, de immunit. Eccleſ. in 6.* Immò efficerentur deterioris conditionis, quàm laici, qui ex ſervitio Epiſcopi recipiunt commodum abſque præjudicio. Clerici verò privarentur ſua immunitate, non reſtricta ad proprias perſonas, ſed etiam comprehenſiva ſuorum conſanguineorum, & aliorum ipſis inſervientium, quos alere conſueverunt, ut poſt Gloſs. *in l. Univerſi verbo proprium, C. de vectigal.* Quod approbatur a Boer. *deciſ.* 213. *num.* 8. Jo. Franc. de Caſtill. *dec.* 104. *n.* 64. *cum ſeqq. lib.* 1. & in puncto firmat Viv. *dec.* 88. *lib.* 1. Ricc. *in prax. variar. reſolut.* 393.

4 Neque obſtat, quod alimenta, ſeu victualia ſemel uni cuique tantùm debeantur, *leg. Alimenta, §. Baſilica liber. ff. de alim. & cib. leg.* Nam præterquam quod hujuſmodi immunitas non probatur conceſſa ad ſolum uſum alimentorum, ſed potius pro quadam præeminentia, ſeu acceſſione ratione Ordinis Clericalis, quod potiſſimum reſultat ex eo, quòd poteſt titulo venditionis, vel alio transferri in alium, ut firmat Quarant. *in ſumm. verbo vectigal. &* cenſuit eadem Sacra Congregatio ſuper controverſ. juriſdict. in una Licien. 4. Decemb. 1625. prout videmus practicari in immunitatibus Romanæ Curiæ. Item quod abſentes illa fruuntur, etiamſi non utantur ad uſum alimentorum, ut comprobat Ricc. *deciſ. Cur. Neap.* 44. *n.* 5. *& ſeqq. part.* 2. & cenſuit eadem Sac. Congregatio in una Salernitana 2. Julii 1630. ac ſæpè alibi. Quorum neutrum eſſet permiſſum, ſi ad ſolum uſum alimentorum fuiſſet conceſſa, ut ponderat Surdus *in tr. de alim. tit. 9. q.* 4. *n.* 11. *in fin.*

5 Immò aliàs ſequeretur, quod pro tempore, quo Clerici cum amicis, vel aliundè viverent, non expenſis propriis, & pro eo, quod in fine anni illis reſtaret pro alimentis non conſumptum, eſſet facienda detractio, cujus contrarium evidentia facti docet, & in ſimili advertit Azeved. *lib. 9. recopil. tit.* 13. *lib.* 7. *n.* 9.

6 Ceſſat quidem difficultas, quia ex pluribus cauſis lucrativis, ſeu ex diverſo jure dantur alimenta multiplicabilia, cum poſſit id, quod datur pro alimentis in alium uſum per alimentandum converti, ut ex communi, & veriori opinione poſt Sim. de Pret. & alios latè firmat Surd. *d. tit. 9. q.* 4. *num.* 3. *&* 11.

7 Et ex his puto, Clericum Epiſcopo inſervientem non debere privari immunitate, ipſi, uti Clerico competente. Quòd etiam cenſuit iterùm, ac tertiò Sacra Congregatio Immunitatis in una Laquedonenſi die 17. Septembris 1630.

CONSULTATIO LII.

An & quatenus, quibuſve remediis, ac mediis Parochiæ ornandæ, augendæque ſint?

1 IN pluribus Orbis Chriſtiani partibus, Parochiis non ſolùm Oppidorum, ſed etiam Urbium minùs commodè proſpectum eſt. Defectus eſt in ſubſtentatione Parochi. Cum enim neceſſe ſit, Parochum eſſe doctum, laborioſum, vitæ bonæ, cum magni ſint ejus labores, majoraque pericula in canendo, concionando, hortando ægros, etiam contagio infectos, viſitando, minor eſt tamen, quàm Canonicorum proventus, minor etiam dignitas

gnitas æſtimatur. Grave quidem hoc eſt Eccleſiæ vulnus, & ab animoſo, prudentique viſitatore ſanandum.

Parochorum autem benè conſtituendorum una eſt, & 2 facilis ratio, ſi Parochiæ conſtituantur rectè, hoc eſt, ejuſmodi ſint Parochiæ, ut ſint labori non omninò fructus impares. Sunt enim Parochi de jure divino in Eccleſia, ſicuti etiam Epiſcopi, quòd tam ex Chriſti inſtitutione, quàm ex Apoſtolorum doctrina perſpicuum eſt. De Epiſcopis perſpicua ſunt Pauli verba Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* De Parochorum verò poteſtate agit idem Paulus his verbis ad Timotheum, ſcribens: *Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur.* Et ad Titum: *Et conſtituas per Civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Denique de divina tam Epiſcoporum, quàm Parochorum inſtitutione mentionem facit Apoſtolus ſub nomine Paſtorum cum Eccleſiaſtica munera a Deo inſtituta diſtinguens, ſic ad Epheſios ſcribit: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores;* & de Parochis loquitur D. Petrus 1. cum ait: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſentior, & teſtis Chriſti paſſionum, paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei.* Addo & illud, Parochorum juriſdictionem, ſicut etiam Epiſcoporum a Deo in genere tantùm inſtitutam eſſe. Quare errant quicumque presbyteros Parochos propriam, atque ordinariam poteſtatem habere negant. Sunt enim quaſi parvi Epiſcopi, qui verè officium in ſuis populis præsbyterorum exercent. Ideòque liberaliter illis ſubveniendum eſt. Præſunt enim verbo, & opere. Quam in rem Concilium Colonienſe ſub anno 1536. ita ſtatuit par. 8. *Cum lex divina præcipiat, non alligandum os bovi trituranti, quod utique non boum eauſa, ſed propter nos Chriſtus in Evangelio explicat, dignus inquiens, eſt operarius mercede ſua, ac Paulus toto c. 9. 1. ad Corinth. confirmat: Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Neque enim magnum eſt, ſi qui ſpiritualia ſeminant, carnalia etiam metant. Quamobrem deſpiciendum eſt, ut Parochis, Evangelii prædicatoribus certa, ac competens ſubminiſtratio victus, & veſtitus fiat.* Et mox ſubdit: *Porrò decimas potiſſimum Parochis deberi non dubium eſt. Nunc cum illæ paſſim a laicis magna ex parte uſurpentur, neque facilè ex eorum manibus divelli poſſint, videndum num diligenti cohortatione, aut alia via juri conſentanea a Parocho, cui Eccleſiæ redditus ad victum non ſufficiunt, hinc aliquid emendicari poſſit.*

3 Multa quidem remedia excogitari poſſent ad Parochiarum ſqualorem abſtergendum. Mihi autem aptiora ſunt. Primum, ut adamuſſim obſervetur *Clementina Dudum de ſepultur.* ubi pro Parochis multa decernuntur, ex quibus ad rem maximè inſignia, §. *Verùm*, hæc ſunt: *De obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuſcumque, & quomodocumque relictis diſtinctè, vel indiſtinctè ad quoſcumque certos, vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta; ſive Canonica portio dari, ſive exigi non conſuevit, vel non debet de jure. Necnon de datis, vel qualitercumque donatis in morte, ſeu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit quomodocumque directè, vel indirectè fratribus ipſis, vel aliis, pro eiſdem quartam partem, quam authoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus, Parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integrè teneantur.* Ex quorum verborum amplitudine manifeſtè conſtat, quod nihil excluditur ex iis, quæ ex teſtamento, vel ex occaſione mortis obveniunt, ſed de omnibus debeat quarta Parochialibus ſolvi, etiam de legatis promiſſis, ut rectè ibidem deducit Gloſs. *v. Funeralibus*, ſtante verborum univerſalitate. Nec quidem ſine jure.

4 Primò, quia ſolvi debent Parochis ratione curæ Paſtoralis in adminiſtrandis Sacramentis, ut *in cap. Delatum de ſepultur. & cap. 2. eod. tit. in 6. & in dict. Clem. Dudum.* Deindè quia in tantùm conceditur Eccleſiis *in dict. Clement.* ut habeant facultatem ſepeliendi quoſcumque, qui in tali Eccleſia ſibi elegerint ſepulturam, in quantum illæ obligantur *ibid.* ad ſolvendam ejuſmodi quartam, ne ex hac occaſione Parochiales Eccleſiæ fraudentur totaliter ſuis emolumentis, ut ſatis conſtat ex textu, ibi: *Hujuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adjicimus, ut fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis, vel locis ubilibet conſtitutis, liberam, ut ſequitur, habeant ſepulturam.* Videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis: *Verùm, ne Parochiales Eccleſiæ &c.* & ſubdit diſpoſitionem de ſolvenda quarta, ne fraudentur ex occaſione ſepulturæ debitis, & neceſſariis beneficiis, cum operariis merces debeatur. Ubi eſt notanda dictio illa. *Verùm*, quæ eſt adverſativa reſpectu præcedentium, & operatur, quod ita concedatur ſepultura, ut tamen non concedantur omnia emolumenta, quæ proveniunt ex occaſione ſepulturæ; & ideò quarta Parochialis eſt ſolvenda de obventionibus Eccleſiæ ex eo, quòd admittit de jure, etiam quoad legata Miſſarum Doctores non heri, & nudiuſtertius nati, ſed antiquiores, quos in his rebus ſimplex juvat veritas, & præ cæteris *in cap. In noſtra de ſepultur.* Jo. Andr. *in cap.* 1. Gloſſa, & Doctores *in c. Certificari eod. tit.* Hoſtienſis *in ſumm.* Petr. de Ubald. *p. 1. de Canon. port. c. 7.* Bald. *in repet. cap. Si pater q. 6. de teſtam. in 6.* Alexand. *conſ. 196. v. 5. & 16.* Sylveſt. *v. Canonica portio num. 9.* Gloſsa *in d. Clem. Dudum, §. Verum, v. Funeralibus*, per eumdem textum, quibus ſubſcribunt recentiores non pauci, & cum primis Lavor. *var. lucubr. tit. de priſc. funer. rit. cap. 17. num. 18.* Quia cum hæc omnia obveniant Eccleſiæ cauſa mortis, detrahi ab ipſis debet quarta Parochialis, ad argument. *cap. Requiſiſti de teſtam. cap. Cum ſuper de ſepultur. cap. In noſtra, & cap. 2. eod. in 6.*

Neque hic obtinendi poteſt conſuetudo contraria. Quia 5 cum hoc conſiſtat in facto, non ſtatur aſſertionibus Doctorum, qui tuentur cauſam propriam, quique tamquam pro aris, & focis dimicarè ſolent, nec percutiunt locum, & caſum præciſum, prout exigitur. Nam conſuetudo non extenditur de loco ad locum, nec de caſu ad caſum, nec de perſona ad perſonam, *leg. Quòd verò contra, & l. Jus ſingulare, ff. de legib.* Bart. *in l. 1. §. Si quis hoc interdicto, ff. de itin. actuq; privat.* Innoc. *in cap. Dilecto de offic. Archid.* Mantic. *deciſ. 284. n. 6.* ac diffusè Menoch. *conſ. 228. num. 28.* Ut idcircò Cravetta *concil. 464. n. 7.* quem ſequitur Gratian. *tom. 2. diſcept. 254. num. 69.* negaverit, generalem probationem per ſolam conſuetudinis allegationem ſufficere, affirmavitque requiri probationem talis conſuetudinis loci in ſpecie, non in genere, cum ſit ſtricti juris. Obſervatio enim legum, atque Conſtitutionum Summorum Pontificum præſumitur, allegantique contrarium incumbit onus probandi per concludentes probationes cum ſuis juridicis requiſitis, quod eſt vulgare; nam lex ſemper loquitur, *l. Ariani, C. de hæret.* Itaut non ſufficiat, quòd aliquando dicta quarta non fuerit ſoluta, cum unus Parochus alteri præjudicari nequeat. Eò vel maximè, quia privilegium fuit conceſſum Clero; & ideò eſſet neceſſarium probare, quòd omnes Parochi ſciviſſent legata, & exactionem quartæ neglexiſſent ſpatio temporis ad præſcribendum neceſſario. Quod tradunt Doctores, & Gloſsa *in l. De quibus, ff. de leg. in l. 1. v. Probatis, & in l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo*, ac proſequitur Cornel. *conſ. 174. n. 5. lib. 2.* Rimin. ſen. *conſil. 307. num. 16.* Pariſ. *conſ. 25. n. 28. lib. 1.* Natt. *conſ. 514. num. 14.* Merlin. *decif. 353. num. 54.* Rot. *dec. 255. n. 4. & deciſ. 524. n. 3. part. 1. recent. & dec. 497. n. 2. part. 2.*

Itaque nec præſcriptionis, neque conſuetudinis vim eſſe 6 aliquam in hac materia certum omninò eſt. Quare & hìc, ut jus ſe eximendi a ſolutione hujuſmodi quartæ proprium fiat, nullo tempore efficitur. Nec titulus hic adſuiſſe poteſt, nec bona fides, quæ cum manifeſto deſinit, præſcriptio ſecundùm Canones non jus dicitur, ſed injuria. Quin & ipſa non ſolvendi quaſi poſſeſſio non ex jure proprio contigiſſe videtur, ſed ex ipſis Parochis, qui id neglexerunt, non quidem Regularium gratia, ſed quia ita ſibi expedire crediderunt. Quod nihil obſtat, quominùs ubi ſuaſerit utilitas id facere poſſint, quod antea non fecerint. Certiſſima enim illa regula a Doctoribus traditur in his, quæ ſunt arbitrii, ſeu meræ facultatis, itaut per ſe actum tantùm facultatis ejus, non autem jus novum operentur, nec præſcriptionis, nec conſuetudinis titulo annos etiam mille valituros. Quòd & affirmativè, & negativè procedit, ut docent Gloſſa, & Bart. *in l. Viam publicam, ff. de via public.* Balb. *in 4. p. de præſcript. p. 5. part. princip. quæſt. 1.* Panormit. *in cap. ex parte de conceſſ. præb.* Doctores *in l. Qui jure familiaritatis ff. de acq. poſſeſſ.* & allegata per Covarr. *in c. Poſſeſſor. p. 2. §. 4. in 6.* & Valquium *controv. 115. freq. c. 40. num. 10. & 12.* Nec enim quod liberè feci, facere cogor, nec quod non feci, omittere. Alioquin quid eſſet abſurdius, quàm ex eo, quòd ſinguli non poſſumus cum ſingulis ſemper contrahere, ſalvum nobis in poſterum non eſſe jus cum illis, ſi uſus tulerit, contrahendi? Idem Uaſquius. Et illud rectiſſimè, ne infinito quidem tempore effici, ut quid neceſſitate potiùs, quàm ſponte factum videatur. Probanda itaq; foret coactio, quæ tamen ipſa cum hac in re juri naturæ, ut mox videbimus, ſit contraria, & omni hominum generi noxia, jus facere non poteſt. Deindè illa coactio duraſſe debuit per tempus, cujus initii non eſſet memoria, cuique reſtitum non ſit. At reſtiterunt

olim,

olim, ac pridem Parochi Urbis, aliique. Neque sufficit, aliquos esse coactos, sed ut omnes coacti sint, requiritur, cum per unum coactum servetur in causa communi libertatis possessio. Nihil igitur prodest ista usurpatio.

7 Ac præterea considerandum est, denegationem ejusmodi quartæ maximum detrimentum afferre Parochis. Quia eorum jura, quibus vivunt, diminuuntur circa stipendium laborum in administrandis iis, quæ necessaria sunt ad salutem animarum, itaut ex diminutione dictorum jurium, diminuantur etiam alimenta, quæ ex eis proveniunt, quod lex abhorret, ad text. *in l. solent, ff. de alim. & cib. legat.* Bart. *in leg. Cum hi, §. Vult igitur, ff. de transact.* Rota in Romana alimentorum 20. Julii 1642. coram Bichio. Ut proindè subintret jus naturale de sustentandis Parochis, uti Ecclesiæ Ministris, quod est immutabile, *§. Sed naturalia, Institut. de jur. natur. & cap. Sunt quædam 25. qu. 1. &c. Non debet de consanguin. & affinit.* traduntq; D. Augustin. *quæst. 81.* & communiter Doctores scholastici cum D. Thoma 1. 2. *q. 94. art. 4.* quos refert, ac sequitur Salas *disp. 5. de legib. sect. 7. num. 32.* & Suarez item *de legib. lib. 2. cap. 14. num. 5.* Atque adeò nulla consuetudo potest prævalere contra jus naturale, *cap. Cum tanta de consuetud.* Quia cum jus naturale sit ipsa ratio dictans de honestate, omnis consuetudo contra ipsum est irrationabilis, utpotè contra ipsam rationem. Consuetudo autem nulli juri, etiam positivo præjudicare potest, nisi fuerit rationabilis, *cap. ultim. de consuetud.* Nam cum lex nitatur rationi, non potest corruere, nisi in virtute ejusdem rationis, & non propriæ voluntatis. Nihil enim hæc consuetudo haberet rationis, quoniam esset contra id, quod præcipitur a lege, tanquam jus debitum Parochis, ac valdè necessarium pro publica utilitate, ut diserte ait dicta *Clem. Dudum, eo §. Verum, ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire fidelium, debitis, & necessariis beneficiis defraudentur, cum operariis mercedis exhibitio debeatur, authoritate Apostolica, &c.* Unde Josephus verè scripsit *lib. 4. antiquit. c. 8.* Iniquum est laboris tui socios fructibus arcere, quos ut perciperes ipsi adlaborarunt, & Theodoretus *quæst. 31. Quid est*, inquit, *non alligabis os bovis triturantis? Siquidem periniquum est, terram arantem, & messem cum labore triturantem non esse fructus participem.* Iisdem verbis, quasi adagio usus est Apostolus, 1. *Corinth. 9.* ad probandum, esse æquitati apprimè consentaneum, ut qui in vinea, vel agro laborant cœlestis patrisfamilias, Ecclesiæ triticum in horrea, botros in cellaria ejusdem inferant, & labore suo hos exprimant, illud excutiant, & a paleis seperent, ipsi quoque redditibus, ac stipendiis Ecclesiæ, vel privatorum, quibus laborant piis legatis nutriantur. Ut proindè meritò Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem. c. 24. & lib. 5. cap. 7.* exponens eadem verba in hunc modum exclamaverit: *Quis magis pronuntiarit, quàm Deus Judex, dignum esse operarium mercede sua? Quia & hoc ipsum judicasse, est dignum facere mercede operarium.* Nec ullum legis Patrum, qui aliter senserit. Etenim Regulares sunt tantummodò Coadjutores Parochorum, deputati a Summo Pontifice, ut desumitur ex *d. Clem. Dudum de sepult.* ibi: *Tanquam cooperatores eorum idoneos*, ut notat etiam Rodriq. *tom. 2. qu. 31. art. 4.* Unde S. Facultas Theologiæ Parisiensis die 2. & 7. Januarii, & die 1. 3. 4. 5. & 15. Februarii 1631. præsentibus sexaginta Doctoribus, & ampliùs in quarundam propositionum censura doctrinali, non autem authoritativa, quæ ad Summum Pontificem, ac Sedem Apostolicam duntaxat pertinet, hanc propositionem: *Regulares sunt veri, & soli Curati, sive Pastores*, censuit esse falsam, temerariam, schismaticam, & hæreticam. Item & hanc aliam: *Regulares ex suo instituto sunt auxiliatores subordinati immediatè universali Episcopo, ut adhibeantur ab eo pro bono universalis Ecclesiæ, ex natura, inquam, status eorum, sepositis privilegiis exemptionum, stando in rigore divinæ institutionis Regulares immediatè subjiciuntur Papæ, & liberantur ab Episcopis, ut Regulares sunt, secundum votum obedientiæ, & Regularium observantiarum, ad quas obligantur voto, regula, & constitutionibus*, censuit falsam, temerariam, præsumptuosè assertam, authoritatis Episcopalis, & Curatorum imminutivam, in Summos Pontifices, & alios Episcopos, privilegiorum authores, ingratam, schismaticam, & hæreticam. Ideòque ejusmodi consuetudo esset irrationabilis, quæ quantocumque tempore duret, non potest prævalere contra jus, qui remanet semper ejusdem qualitatis, & inducit diuturnitatem peccatis, quæ agravat delictum, non autem solvit a lege ex *cap. Quanto de consuetud.* redditq; dignum graviori punitione, *cap. Cum in Ecclesia, & cap. Cum haberet de eo, qui dux. in matrim. quam poll.* Ideòque non valet, sicut non valeret lex, *l. fin. C. si contra jus, vel util. public.* & notat Abb. *in d. cap. Quanto num. 23.* Quia nimirùm esset etiam contra jus naturale assistens positivo, quatenùs obligat ad non lædendum jus alienum, neque publicam utilitatem. Præscriptio enim, a jure est civili, unde locum habere non potest, ubi jus naturæ resistit. Contemnit igitur hunc morem, & usurpationem vocat inter Christianos Doctores Ambrosius 1. *de off. c. 28.* Multòq; minus consuetudo, quæ species est juris positivi, quod legi perpetuæ derogare non potest. Est autem lex illa perpetua, ut *operariis mercedis exhibitio debeatur.* Id quod præcipuè locum habet in hac materia. Nam solutio quartæ legatorum est de jure Canonico. Contra autem jus Canonicum non potest induci consuetudo, nisi accedat præscriptio præscribens legem, ut habetur *in d. c. fin.* ubi Abb. *n. 7. de consuetud.* Præscriptio autem non potest esse, ubi est mala fides, est autem mala fides, quando fit irrationabiliter contra legem.

Minùs etiam obduci possunt privilegia, quibus tan- 8
quam umbellis, & velamentis clarissimum veritatis solem recti oculi liberè intueri nequeant. Nam ea omnia fuerunt sublata per dictam *Clem. Dudum*, & per S. Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3. de reformat.* Ibi enim demandatur ejusce quartæ solutio, non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mare magnum nuncupatis, ut aliis quibuscumque. Quo loci Concilium loqui etiam de quarta legatorum evincitur, quia quarta funeralium comprehendit legata a defuncto, & omnia cum defuncto asportata, ut ante nos pronunciavit Federic. de Sen. *conf. seu quæst. 6. per tot.* aliique passim. Id ipsum etiam liquet ex eo, quod privilegia concessa Regularibus, & speciatim Mare Magnum, sunt simpliciter restricta ad exemptionem hujus quartæ legatorum. Nam quoad alia emolumenta fuit semper reservata justitia Ecclesiarum, a quibus corpora defunctorum assumuntur, ut legenti patet, atque adeò dum Sac. Concilium derogat privilegiis, non nisi de quarta legatorum sentiisse censendum est, alia namque derogatione non indigebant. Quòd si dicas, Concilium loqui tantùm de quarta funeralium, respondeo, id esse, vel quia nomine quartæ funeralium venit etiam quarta legatorum: ut jam dictum est, vel quia illam reliquit dispositioni juris communis dict. *Clement. Dudum.* Ac demùm non obstat Constitutio 41. Pii V. in Bullario Cherubini. Quoniam illa fuit a Gregorio XIII. in sua Constitutione *9. §. 6.* sublata, & ad terminos juris veteris redacta, omniaque decreta, decisiones, ac resolutiones, quæ vigore Constitutionis Pianæ emanarunt, sunt per eamdem constitutionem Gregorii *§. 9.* revocatæ. Eam refert in fine sui Manualis Navarrus, vir pius, ac doctus, magnæque fidei, & authoritatis, qui tunc temporis vixit, jussuque Pontificis compilavit, quem alii sequuti sunt, nempè Archangel. Carrac. *de quarta funer. cap. 1.* Barbosa *de jur. Eccles. lib. 5. cap. 74. num. 14.* Guttier. *de jur. confir. p. 2. cap. 4. n. 3.* Fusch. *de visit. lib. 2. cap. 2. num. 27.* Bellet. *disq. cleric. par. 1. tit. de favor. Cler. §. 2. num. 56.* & habetur *tom. 2.* Bullarii. De jure autem communi, ac veteri regula est per Rotam in una Alisana apud Sanctorium stabilita, quod derelictis ad pias causas debeatur quarta, ut *in c. Requisisti, & in c. Officii de testam. & in c. Conquerente de off. Ordin. & in d. Clem. Dudum*, firmatque Bald. *in l. si quis ad declinandum, §. In omnibus a num. 19 post princ. C. de Episc. & Cler.* minimè attentis limitationibus, *c. fin. de test.* tanquam revocatis a *d. Clem. Dudum*, ut etiam Glois. *eo. loco* rectè adnotavit.

Hisce porrò juribus suffragatur Romana observatio. 9
Nam anno 1303. per Instrumentum publicum, impressum in Statuto veteri Cleri Romani, ac celebratum inter Clerum ipsum, & Regulares fuit conventa continuatio solutionis quartæ legatorum juxta vetustissimam Urbis consuetudinem. Anno 1431. 8. Kal. Martii Eugenius IV. enunciando consuetudinem solvendi ejusmodi quartam, illam confirmavit, solvique jussit ab Ecclesia tumulante. Innocentius VIII. concessit domui de Aracœli exemptionem ab illius solutione. Quæ localis exemptio demonstrat ejus solutionis observationem. Et anno 1659. eidem domui de Aracœli publico Instrumento apud Bonannum, Notarium Capitolinum eam condonavit pro illa vice tantùm Joannes Bernardinus Durante, Parochus S. Angeli in foro piscium, de juribus Parochialibus benemeritus, ingenio in causis agendis acer, multiplex ardens, sive meditata, sive subita proferat. Hæc ita esse, ne illi quidem ignorare possunt, qui magna redemptum velint, id ab omnibus ignorari, quique vetera illa vera initia,

initia, quantum poteſt, obruunt, ac præſenti potentia præteriti etiam ævi memoriam extinguere conantur, nec minùs auſuri cum iis vires ſuæ placuerint.

10 Malè autem hoc pervertere nituntur aliqui, adducendo Rotæ Romanæ deciſionem in una Licien. quartæ funeralium coram Coccino. Oppido falluntur. Quia in caſu illo agebatur pro conſecutione quartæ contra Clericos Regulares, recentiſſimè inſtitutos, nec ſolitos illam ſolvere, quod fuit præcipuum fundamentum illius deciſionis, an rectè, non eſt hujus conſultationis diſſerere. Remedia nunc proponimus, non præjudicia diſcutimus. Quare videtur in hac parte nobiſcum eſſe ſaltem contra Monaſteria ante Concilium Tridentinum fundata, & quartam ſolvere ſolita. Ita quoque fundamentum aliarum Rotæ deciſionum ruinoſum eſt, quod obiter, mollique brachio evertimus. Innituntur enim privilegiis Regularium; at illa redacta ſunt ad diſpoſitionem Sac. Concilii Tridentini, ac juris communis: ergo & deciſiones. Et ut radice ſuccisa, arbor corruit, ita ſummota veterum illorum, ac Rotæ authoritate, recentiorum cuncta ab ea tantum ſuffluta, enervantur. Quatenus verò non eſſent revocata poſſunt revocari, ut aliàs tradidi, & propoſitionem iſtam: *Privilegia Regularium non poteſt Papa revocare*, eadem Sacra Facultas Theologiæ Pariſienſis cenſuit falſam, temerariam, ſeditioſam, authoritati Summi Pontificis, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ contrariam, & originis privilegiorum deſtructivam. Cùmque per ejuſmodi privilegia enormis fiat Eccleſiis Parochialibus, & Parochis ipſis vel amiſſa ſunt, vel ſunt referenda ad arbitrium Judicis, qui circumſpiciat onera, & tenuitatem Parochorum.

11 Secundum remedium eſt obſervatio *cap. Ad Apoſtolicam de Simon.* in quo Innocentius III. ex Concilio Generali laudabiles conſuetudines erga Sanctam Eccleſiam, pia devotione fidelium introductas offerendi aliquid pro exequiis defunctorum, aut aliis ejuſmodi, idque ſecundum qualitatem perſonarum præcipit obſervari, ſtatuens, ut per Epiſcopum loci ii compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabiles haſce conſuetudines immutare. Quibus ex verbis induci præcepti obligationem communis ſententia docet, quam tenet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. & ibi Aragona, & alii, Major *in* 4. *d.* 15. *qu.* 4. *concluſ.* 2. firmant; Panormit. Hoſt. aliique *in cap. Suam nobis, & in d. c. Ad Apoſtolicam de Simon.* Sylveſt. *v. Decima quæſt.* 2. & frequentiùs Summiſtæ, ac tradit Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 3. ubi ait, eſſe communiter receptam, *nemine refragante*, quam etiam multis allegationibus expreſſit Guttier. *Canon. qu. cap.* 21. *num.* 140. *& ſeqq.* ac videtur ſufficienter probari ex dicto *c. Ad Apoſtolicam*, ubi primum laudabilis dicitur conſuetudo, introducta in Eccleſia pia devotione fidelium offerendi aliquid pro exequiis defunctorum. Deindè dicitur non eſſe permittendum fidelibus, ut has conſuetudines laudabiles infringant, aut immutent, ſed compeſcendos eſſe, qui hoc tentaverint. In quo apertè ſupponitur, hanc conſuetudinem inducere obligationem. Non enim poſſet Epiſcopus cogere fideles ad ſolvendas hujuſcemodi oblationes titulo conſuetudinis, niſi eadem conſuetudo obligationem induxiſſet. Quando enim Superior punit non ſervantes conſuetudinem, tunc illa fuit inducta cum animo ſe obligandi, Suar. *lib.* 7. *de legib. cap.* 15. *num.* 13. Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 13. Præpoſ. 1. 2 *q.* 97. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 7. Gordon. *lib.* 2. *theolog. moral. part.* 14. *cap.* 4. *n.* 16. Megal. *in prompt. v. Conſuetudo n.* 15. Quòd ſaltem in foro exteriori certum planè exiſtimo. Poſſe autem per conſuetudinem voluntariam induci obligationem, ut aliquid ex ea miniſtris Eccleſiæ detur, probat Innoc. *in d. cap. Ad Apoſtolicam*. Quia qui tanto tempore, ait, exolverunt, creditur, quod voluntariè ſe obligaverint. Quippè cenſenda eſt introducta cum animo ſe obligandi, quando ejus materia confert ad utilitatem Reipublicæ, Suarez, Palaus, Præpoſitus, Gordonus, Megala *locis allegatis*. Multùm autem confert ad utilitatem Reipublicæ, quod Parochi ex hac oblatione fidelium adjumento aliquo ſubleventur. Ex hoc enim motivo exigentiæ boni publici inductus eſt tacitus conſenſus, quo communiter illi conſenſerunt ad ſe obligandum in ordine ad hanc conſuetudinem. Cum namque unicuique a natura impreſſum ſit, quod ad ipſum tanquam ad membrum Communitatis ſpectet ipſam conſervare, & ejuſdem bono cooperari, ideò ſtatim, ac ipſi oblatum fuit, quod bonum Communitatis hoc exigebat, natum fuit in ipſo quodam judicium rationis, dictans id fuiſſe faciendum, quia ita exigit bonum Communitatis in ordine ad ſalutem animarum, ut ſcilicet Miniſtri Sacramentorum ab hiſce oblationibus ſubſidium acciperent, ac propterea debet ejuſmodi conſuetudo exequutioni demandari. Eſt enim animus publicus, quia eſt eorum, qui ſunt de Communitate, quatenus, ut membra Communitatis reſpiciunt bonum commune, ac proindè eam amplexati ſunt cum dictamine de neceſſitate ipſius pro bono Communitatis, & conſequenter cum animo ſe obligandi. Certum enim eſt, quod omnes jam cives de Reipublicæ ſalute una, & mente, & voce conſentiunt. Nec decurſu temporis cenſeri poteſt non ampliùs obligare. Quia finis adæquatus, qui induxit Communitatis animum ad ita ſe obligandum, nempè ſuſtentatio Parochorum, nondum ceſsavit.

Confirmatur, quia vel talis conſuetudo non obligat, 12
vel quia per ſpontaneam actionem labe infecta eſt. Hoc poſterius dici non poteſt. Tum quia illomet textu hæc conſuetudo compellatur pia. Tum etiam quod ibi non datur aliquid pro re ſpirituali, licèt ſimul detur, ſed datur gratis. Hæc enim duo non repugnant. Primum, item non rectè dicitur. Quandoquidem in aliis exemplis admittitur per gratuitam oblationem continuatam poſſe obligationem induci.

Et ſanè hujuſcemodi oblationum exhibitio eatenus 13
ſpectat ad Religionem, quatenùs per eas fovetur cultus divinus, ſuppeditata ſacris Miniſtris ſuſtentatio debita, qua ſubtracta, non poſſent erga divinum cultum affici, & in eo toti eſſe, ut eſt per ſe perſpicuum. At quatenùs oblationes iſtæ directè exhibentur Miniſtris ſacris debentur ex vera juſtitia commutativa, & ad eam pertinet actus, quo exhibentur. Juſtum enim eſt, ut Parochus & populus in his, quæ ad Deum ſunt commodantibus hæc ſubſidia rependantur, qui eſt modus, ad quem admetienda eſt oblationum quantitas, cæteroqui pro circumſtantiarum varietate multiplex. Et in hac quoque parte Gentilium Religio nituit. Nihil quippè vulgatius eſt, quàm perſolutas ab eis ſtudioſè, & fideliter decimas. Quòd de Arabibus notat Plinius *lib.* 2. *cap.* 14. & de Æthiopibus ibidem *cap.* 19. de Romanis innumera exempla congerunt Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *qu.* 2. Anaſtaſius Germon. *lib.* 1. *de Sacror. Immun. cap.* 14. Baron. anno Chriſti 57. *n.* 74.

Quoniam verò nulla eſt tàm liquida veritas, cui non 14
poſſint obtinendi offuciæ, non defuerunt, qui tàm conferta, & expreſsa teſtimonia, conflataſque ſententias obtenebrare niterentur. Annuit Thomas Cajetanus *in ſumm. v. Horæ Canonicæ, §.* 2. & Sotus *lib.* 2. *de juſtit. q.* 7. *ar.* 9. & latè nuper redivivi eorum ſequaces, qui opinione præjudicata ajunt per ejuſmodi conſuetudinem non induci præcepti obligationem. Quia ſemper fit ex devotione tantùm ſpontanea, quæ non inducit legis obligationem, etiamſi diuturna ſit. Nam actus agentium non operantur ultrà eorum intentionem. Et declaratur argumento Innocentii *in d. cap. Ad Apoſtolicam*, quo nuper ad impugnandam hanc veritatem uſus eſt in diſputatione publica, quæ haberi ſolet a Parochiis Archigymnaſio Romano, Dominicus Baptiſta, Curatus S. Cæciliæ, vir paratus, ac vehemens, quodque ſyllogiſticè ſic expreſſit. Vel oblatio in principio fuit ſpontanea, vel extorta. Si extorta, eſt injuſta, & ſimoniaca, ideòque ex vi illius non poteſt induci obligatio, licèt ſæpiùs repetatur. Si ſpontanea, non inducit obligationem. Confirmo *ex cap. Cum Eccleſiæ, & d. cap. Suam nobis de Simon.* ubi damnatur exactio talium oblationum, non obſtante quacumque conſuetudine, quæ ibi corruptela dicitur, & magis aggravare culpam, quàm excuſare.

At contrarium eſt omninò certum, ut demonſtravi- 15
mus, utque omnes flexus, & præhenſiunculas hominum, ſupplantandique artificia eludamus, præter dicta ſciendum eſt, duobus modis poſſe intelligi hanc obligationem, vel per modum conſuetudinis habentis vim legis, & præcepti, vel per modum præſcriptionis Eccleſiæ, ſeu Parochorum contra Parochianos offerentes. Si priori modo intelligatur, conſequitur, quod licèt hæc conſuetudo in principio fuerit ex ſpontanea intentione, poſtea paulatim mutata eſt intentio in voluntatem ſolvendi oblationem, ut jam debitam, ſive ex voluntate ſponte ſe obligandi formali, aut virtuali, ſive ex conſcientia erronea. Quia cum priores offerentes gratis darent, ſucceſsores cogitantes illam eſse obligationem, in eodem officio perſeverarunt, & cum illa apprehenſione reliqui proſecuti ſunt, atque ita tandem inducta eſt conſuetudo habens vim legis. Sic explicat hanc obligationem Major. *d. qu.* 5. qui non putat eſse ſingulare in hoc genere operis pii, ſed generale ad ſimilia opera Religionis publica, & communia, ut eſt obſervatio alicujus diei feſti, jejunii alicujus vigiliæ. Unde doctrina Cajetani, Soti, & aliorum intelligenda eſt, quando uſus incipit ſui apprehenſione, & intentione voluntariæ intentionis, & cum eadem continuatur; ſecùs verò ſi paulatim mutetur intentio.

16 Sed, ut pergamus ingenuè loqui, quandoquidem aliter agi neſcit hæc cauſa, difficultatem id mihi faceſſit. Nam cum fideles ex erronea conſcientia habuerint illam intentionem ſolvendi debitum, non videtur ſufficiens ad inducendam obligationem; quia debet eſſe voluntariè inducta. Error autem cauſat involuntarium. Non itaque ſufficit ad inducendam obligationem. Quare ſi aliquando hæc conſuetudo obtinet vim legis, neceſſe eſt, ut non præſumatur ex errore fuiſſe inductam, ſed ex voluntate ſe obligandi. Difficile igitur eſt hoc modo ſalvare ejuſmodi obligationem cum ſolido fundamento, niſi aliquid aliud addatur.

17 Præter igitur exigentiam boni publici, ex qua deſumpſimus animum Communitatis ſe obligandi in hac conſuetudine, alia ratio eſt, quod hæc obligatio intelligi poteſt per modum præſcriptionis, in qua non intervenit abrogatio, vel inductio legis, ſed acquiſitio dominii, vel juris in re, vel ad rem, quod acquiri ſolet per diuturnum uſum cum bona fide, & aliis conditionibus requiſitis, *ad cap. Cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Hæc autem præſcriptio non requirit ex parte ejus, ſuper quem cadit, conſenſum ſpecialem in voluntariam oblationem continuatum tanto tempore, aut voluntatem dandi tale jus alteri, aut obligandi ſe illi, ſed ipſo uſu, ipſoque facto acquiritur adminiculo juris, eaque conſummata, ille, contra quem præſcriptum eſt, obligatus manet ex juſtitia ad ſervandum alteri jus per præſcriptionem acquiſitum, non quidem virtute alicujus legis poſitivæ, inductæ per conſuetudinem, ſed ex vi naturalis juſtitiæ, quæ obligat ad ſervandum unicuique jus ſuum. Itaque per diuturnam conſuetudinem offerendi acquiſitum eſt Eccleſiæ, ſeu Parochis jus ad ejuſmodi oblationes per modum cujuſdam præſcriptionis, & conſequenter Parochianos manere obligatos ad oblationes, non ex ſpeciali voluntate, & intentione ſe obligandi, ſed ex vi juris acquiſiti Eccleſiæ, quod ſervandum eſt, poſtquàm revera ſemel eſt acquiſitum. Neceſſarium verò eſt adminiculum juris, & hoc præſtatur *in dict. cap. Ad Apoſtolicam*; in quo præſertim hæc obligatio fundatur. Quod ſanè jus non eſt inductum propter præſumptionem, ſed ob favorem Eccleſiæ, & piæ cauſæ ex Covarruvia, & Panormitano *locis adductis*, addimuſque cum eodem Panormitano, ac Bartolo ab eo relato, hoc maximè habere locum in actionibus, quæ referuntur ad alium ſub aliquo reſpectu ad recompenſationem, ut in præſenti offertur aliquid Parochis in recognitionem beneficii, & in ordine ad ſuſtentationem eorum, ſimulque in Dei honorem, ac defunctorum ſalutem. Quandoquidem, ut ait Nazianz. 1. *Invect. in Julian defunct. Conſtantii*, luminibus accenſis Chriſtiani tranſitum honorare pium cenſemus. De quo ritu plura loca Patrum ſignat Durant. *de ritib. Eccleſ. cap. 23. lib. 1. & Caſal. cap. 67.* libri ejuſdem argumenti. Ideòque Eccleſia ita acceptat hanc oblationem, ut ſi tanto tempore duret, etiam jus acquirat. Et in hac re neminem reperies ab alio diſcrepare. Ita planè ſentiunt nominatim Panormitanus, Ancharanus, & alii in rubrica de Parochis, Summiſtæ omnes, aliique Doctores, quos refert, ac ſequitur Covar. *eod. cap. 17. numer. 3.* Guttier. *cit. cap. 21. num. 139.* Lopez *in lib. 9. tit. 1. p. 1.* Sotus *lib. 9. de juſtit. q. 3. art. 1.* Tempus enim tam prolixum, totque ætatum decurſu munitum obtinet vim legis, ſpecialiſque conceſſionis, *l. 4. §. ff. de acquir. quotid. l. 1. §. fin. l. 2. ff. de aqu. pluv. arc.* Unde Doctores communi conſenſu tradunt, quod etiam Regalia, & ſi quæ alia nequeunt, niſi privilegio obtineri, immemoriali, ſeu centum annorum, nedum tàm amplo tempore præſcribantur, Jaſ. *in leg. de quibus, ff. de legibus.*

18 Ad jura verò, quæ videntur prohibere exactionem talium oblationum Major breviter, ſed optimè reſpondet, illi loqui de oblationibus nondum ſatis præſcriptis, & conſuetudine firmatis. Addo etiam poſt jus acquiſitum prohiberi indebitum, ac indecentem modum exigendi, in quo non contradicit *d. cap. Ad Apoſtolicam*, & ideò ſervandum eſt, ut etiam D. Thom. & omnes Doctores admonent. Unde propoſitionem hanc. *Audeo affirmare illos fore conſiliarios intempeſtivos, ſi qui proponerent neſcio, quam Parochiarum, & Parochorum inſtitutionem, unde nihil aliud hiſce temporibus lucri fieri poſſet, quàm mutatio charitatis in inferiorem aliquam virtutem, & amiſsio illius gloriæ a Chriſto Domino Apoſtolis commendatæ; gratis accepiſtis, gratis date; ut nihil dicam de ſtricta obligatione, cui adſtringerentur, ſi eſſent Curati, propter tam miſerum ſtipendium*; eadem S. Facultas Theologiæ Pariſienſis in citata cenſura cenſuit eſſe falſam, ſcandaloſam, veteri Parochiarum inſtitutioni injurioſam, & in quantum ait per inſtitutionem Parochorum charitatem mutari in aliquam inferiorem virtutem, hoc eſt deperdi, ſimulque etiam amitti illam gloriam, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis per hæc verba: *Gratis accepiſtis, gratis date*, commendavit, & conſequenter negare videtur Apoſtolos habuiſſe jus ad ſtipendia accipienda, aut eo jure unquam uſos fuiſſe, & Regulares, ſeu quicumque mittuntur, nec ſunt Curati, de ſuſtentatione, & commodis temporalibus ullo penitùs modo cogitare, quoad omnes partes eſſe falſam, & præterea, quoad priores partes, temerariam, ſcandaloſam, ac hæreſim redolentem, totique Eccleſiæ, & Paſtoribus omnibus valdè injurioſam. Qua de re uberrima, & luculentiſſima diſputatio extat apud Petrum Lippam, olim Cleri Romani Camerarium, Parochum S. Nicolai ad Cæſarinos, virum antiquum, diſertum, gravem, quam ſolidè defendit & a calumniis vindicavit Joannes Antonius Brutius, Parochus S. Dorotheæ, vir exquiſitæ doctrinæ, commotus Anonymi libidine, qua iſtiuſmodi jura Parochialia procacibus ſcriptis impugnaverat. Nos verò de hoc jure quædam hic perſtrinximus; nam de tota hac quæſtione accuratè, ſi Deus volet, altero tomo ſumus acturi.

Suggerunt hic Parochorum adverſarii: opes Paſtorum 19
eos laſcivos efficient, paupertas occaſio virtutis eſt, atque adeò non expedit magnas eſſe in Parochis divitias: eſſent enim magnæ, ſi legatorum, ac funeralium quarta ſecundum conditionem morientium exigeretur. Ego primum quidem ſentio, falſum hoc eſſe, plures inopia, & difficultatibus domeſticis lapſos; nam plures pauperes quàm divites in ſordibus illis ſunt. Deindè indigna eſt Eccleſiaſtico homine objectio. Si è Parochis virtus paupertate extendenda eſt, ſi in liberaliori ſtipendio, in ſtudioſa, & laborioſa vita periculum eſt ruina, cur id non primum fugiunt illi, qui Parochis tam ſcrupulosè conſulunt? Cur illi aliquot Canonicatus, Prælaturas, Dignitates poſſident; pluribus inhiant? Parochis pro integritate pauperiem delegant? Poſtremò magnas eſſe Parochorum opes cum ad vitæ ſubſidia, tum ad authoritatem tuendam Eccleſiæ eſt perquam utile, idque non tàm ob eam rationem, quàm Conſtantienſis Concilii Patres articulo Vviclephiano de non dotanda bonis temporalibus Eccleſia quondam oppoſuerunt ex *Pſ. 80. v. 3. ſumite Pſalmum, & date tympanum, ideſt, ſumite ſpiritualia, & date temporalia*, quam ut panis acquirendi ſolicitudine liberati tanto intentiùs animarum curæ, diviniſque meditationibus incumbere poſſint, quando nec B. Paulus exemplo ſuo aliis Eccleſiæ miniſtris hac in parte legem præſcribit, nec cæteros Apoſtolos, ipſumque adeò Paulum auditorum ſuorum aſpernatos eſſe munera conſtat. Per hæc enim legatorum ac funeralium commoda fit, ut ad rerum aliarum curam, quæ docere eos parum poteſt nequaquam convertantur. Turpe ſanè eſt primam viris Eccleſiaſticis curam eſſe vivendi, domeſticarumque rerum ſolicitudine diſtringi, in ſecundis tantum docendi curam habere. Nihil enim generoſum poteſt ſapere qui quotidiani victus penuria premitur.

Ea etiam eſt horum temporum pravitas, ut qui ali- 20
quas nacti ſunt opes, facile pauperes Parochos contemnant, ac nullo in loco habendos eſſe exiſtiment. Unde fit, ut ipſa apud eos Religio vileſcat, quos Religionis miniſtrorum dignitas ſine opibus non movet. Jam verò ſi nulla civilis poteſtatis excellentia eſt ubi nullæ ſunt opes, quomodo Magiſtratuum Eccleſiaſticorum, quorum eſt de cœleſtibus, ac æternis rebus judicare incolumis ſtabit authoritas, ſi nullo divitiarum præſidio firmetur? Mancipia ſint oportet, ac non cenſores morum, qui ſupplicare pro victu aliis, & alienam quærere menſam coguntur. Nec increpare audent, nec punire, ac fruſtra tot, tantiſque ſumptibus ad eruditionem contenderunt, ut in Parochia egeant. Enimverò cura ipſa gravis, infructuoſa, vili in diem ſtipendio anima, & corpus æſtimatur. Nolo equidem nullus ſit hic modus, copia tamen etiam eſſe aliqua debet, neque ad luxum, ſed ad Eccleſiæ ac Reipublicæ emolumentum. Nam Parochorum opulentia magnum eſt pravitatis omnis, & impietatis impedimentum, & ipſorum redditus, Eccleſiarumque divitiæ majeſtatem Religionis, qua publica ſalus continetur, amplificant. Quippè ubi inopia eſt, ibi vilitas; ubi ſplendor, ibi cultus. Apparatu enim & magnificentia quadam etiam homines trahuntur, nec quempiam revereri pudet eos, quos honeſto apparatu venerabiles admiratur. Deinde nam hic alter eſt Eccleſiaſticarum opum uſus, Parochorum facultates, quantum eorum, & Eccleſiarum neceſſitas patitur, ad inopum multitudinem ſuſtentandam conferuntur. Sed hic ſiſto. Ex Parocho malo odium naſcitur univerſi Cleri, hinc hæreſis, decimarum fraudatio, bonorum Eccleſiaſticorum rapina, Canonum everſio. Conſtituendi itaque

Paro-

Parochi idonei, qui duplici honore digni ſunt, qui laborant verbo, & opere, danda illis ſtipendia liberalia, & videbimus omnia melius ceſſura.

21 Haud pigebit referre D. Chryſoſtomi perpulchram ſimul ac gravem diſputationem de bonis Eccleſiæ, & de cauſa cur ea poſſideantur. In homilia enim 86. *in cap.* 26. D. Matth. inter cætera hæc ſcribit: *Deplorandum eſt, quod Domini Sacerdotes vindemiæ, ac meſſi, & venditioni, & emptioni frugum aſſiſtunt, & cum olim Levitæ, & Sacerdotes, qui umbras tantum colebant, nihil horum habebant, & quamvis corporalior eis adminiſtratio erat conceſſa, hodie tamen Sacerdotes, qui ad penetralia Cælorum vocantur, quique ad vera Sancta Sanctorum ingrediuntur, mercatorum, & propolarum curas ſuſcipiunt, unde, & magna Scripturarum oritur negligentia, ingens in orando ſegnities, & cæterorum omnium contemptus, illudque Evangelii vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me*, Matth. 19. *opportunè nunc ad Eccleſiæ Præſides propter latas Eccleſiæ poſſeſſiones, & meritò dici poteſt.* Et paulò ante. *Veniat in mentem vobis octo millia Levitarum Judæos alere fuiſſe ſolitos, & cum his viduas, & parentibus orbos, præterea muneribus ſubjectos, militiæque operam dediſſe. Nunc autem agros, domos, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia ejuſmodi propter vos, veſtramque crudelitatem Eccleſia poſſidet. Oportebat enim vos hunc Eccleſiæ theſaurum retinere, & Eccleſiam non parvos ex veſtra devotione conſequi fructus. Modo autem duo mala quædam committuntur. Nam & vos quaſi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei Sacerdotes a Sacerdotio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore Apoſtolorum domus, & agri ab Eccleſia poſſideri? Cujus igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multò melius erat profectò. Nunc verò ſæcularium cura rerum, vobis furentibus, loquitur populo, timor noſtros invaſit patres, nedum nihil colligere, aut nihil ſeminare ſtudeatis, Viduarum, Orphanorum, & Virginum multitudo fame depereat, quare commoti hæc ſibi comparare coacti ſunt.* Propter eaſdem cauſas fuerunt prohibitæ bonorum Eccleſiaſticorum alienationes, *cap. Non liceat Papæ* 12. *qu.* 2. *& tot. tit. de reb. Eccleſ. non alien. & Novel. juris civilis.* Ut proinde ſit optandus pro Parochis Argyropolus aliquis, qui, ut ſcribit Zonaras *to.* 3. *in vita Imper. Roman. Argyrop.* Monachis ſumptus ſuppeditavit, conſecratis è publico Provinciis totis, & Urbibus, iiſque pinguiſſimis, & fertiliſſimis; vel aliquis Michael Comnenus, qui fortiſſimus atque cordatiſſimus Imperator, ut eſt apud Nicetam Coniatem *Annal. lib.* 3. *cap.* 5. cum Monaſterium in Ponti faucibus extruxiſſet, cum alios Monachos poſſeſſionibus, & negotiis turbatos tranquillitate animi, Deique cultu excidere intelligeret, illis nullas vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones aſſignavit, ſed ex fiſco tantum pendi juſſit, quantum ad victum, & cultum opus eſſet, ut ea ratione monaſticam ſanctimoniam nutantem, ac potius humi ferè proſtratam, fulciret.

22 Tertium remedium eſt conſtitutio Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de ref.* quæ, ſi ſervetur, nulla querela futura eſt. Ita enim habet: *In parochialibus etiam Eccleſiis, quarum fructus æquè adeò exigui ſunt, ut debitis nequeant oneribus ſatisfacere, curabit Epiſcopus, ſi per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non poſſit, ut primitiarum, vel decimarum aſſignationem, aut per Parochianorum ſymbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat.* Et in *c.* 16. *ſeſſ.* 26. ſtatuit S. Synodus, *ut Eccleſiaſtica beneficia ſæcularia quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum inſtitutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in ſimplex beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione non convertantur.* E contrario ſimplicia in Curata mutentur, illiſque addantur. Nec illa modo, ſed tot perſonatus, tot altaria, quæ tenentur ab otioſis, & ſæcularibus, immò Monaſteriorum bona, & in varios uſus, variaſque menſas converſorum ad Parochias augendas conferantur. Hoc eſt è re Chriſtiana, Parochos eſſe eo loco, auctoritate, eruditione, copiis, quibus nunc ſunt aliarum Eccleſiarum Prælati. Sic enim utiliter munere ſuo fungentur.

23 Quartum remedium eſto. Cùm Eccleſiæ parochiales abs politia Eccleſiaſtica inſtitutæ ſint recipiendis, & diſpenſandis Sacramentis fidelibus, & occaſione diverſarum Indulgentiarum, quæ Dominicis, & feſtis diebus in diverſis Eccleſiis, & maximè Regularium occurrunt, laudabilis, & antiqua conſuetudo frequentandi dictis diebus Eccleſias parochiales ſenſim evaneſcat, dum populus relicta Miſſa, & concione parochialibus ad alienas Eccleſias ſe ſe confert, ut una, & eadem opera ibidem lucretur Indulgentias, & præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa ſatisfaciat. Hinc neceſſarium foret, quatenus in favorem Eccleſiarum parochialium per Breve Apoſtolicum ordinetur, ut deinceps in dictis parochialibus ad lucrandas quaſcunque Indulgentias quibuſvis Eccleſiis, Capellis, Oratoriis, Confraternitatibus, aut etiam Archiconfraternitatibus uſque adhuc a Sede Apoſtolica conceſſas, & in poſterum concedendas in dictos dies Dominicos, aut feſtos incidentes unuſquiſque Miſſam ſuam parochialem, aut concionem itidem parochialem audire, vel ſi ob legitimum impedimentum neutrum iſtorum adimplere queat, ad minus in eadem Eccleſia ſua parochiali communicare, aut veſperas, vel doctrinam Chriſtianam audire teneatur; itaut auditio Miſſæ, vel concionis parochialis, aut ſaltem communio in Parochia, vel auditio veſperarum, vel doctrinæ Chriſtianæ ibidem ſtatuatur pars operis injuncti ad hujuſmodi Indulgentias conſequendas.

Rationes autem, cur quod petitur concedendum ſit, 24
præcipuæ ſunt. Sacroſanctum Concilium Tridentinum *ſeſſion.* 22. *decreto de obſer. & evit. in celebr. Miſſ.* inter cætera ſic ordinat: *Epiſcopi moneant populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedat.* Ibidemque ſubdit, ut Epiſcopi ea omnia, quæ ibi ordinata ſunt curent, & mandent obſervari inviolatè, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas, non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, & conſuetudinibus quibuſcunque. Et rurſus *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de ref.* ita ſtatuit: *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt ad audiendum Verbum Dei.* Ex quibus abundè liquet quanti Sacroſanctum Concilium laudabilem, & antiquam conſuetudinem Dominicis, & feſtis diebus Eccleſias parochiales frequentandi æſtimaverit, quantave inſit Epiſcopis obligatio ſatagendi, ut dicta conſuetudo, quæ ubivis locorum in dies magis ac magis prolabeſcit omni meliori modo revocetur, maximè cùm ex Parochiarum neglectu diſciplina Eccleſiaſtica ſenſim langueſcat, & mutua charitas, quam multum foveret oratio, & participatio Sacramentorum communis tepeſcat, ac quod caput ac ſumma malorum eſt mentibus fidelium denſiſſimæ circa fidei myſteria tenebræ obducantur. Siquidem plerique ſub eo prætextu, quòd ad Miſſam parochialem non credunt ſe obligatos, frequenter ne quidem alibi Dominicis, & feſtis diebus Miſſam audiunt, & ſuæ ſalutis immemores a quacunque concione, etiam parochiali prorſus abſtinent, quo fit, ut rerum fidei, quandoque adeò ignari exiſtant, ac ſi inter paganos, & infideles educati forent, & cùm in fide tam leviter ſint radicati, omni vento circumferuntur, & facilè in varios errores prolabuntur.

Accedit, quod hac etiam ratione Paſtores animarum, 25
qui ad clavum Eccleſiæ ſedent, contemnuntur, & vultum pecoris ſui nequeunt agnoſcere. Qui certè contemptus tantum nocumenti Eccleſiæ Dei affert, ut Caniſius, graviſſimus è Societate Jeſu Theologus, tractans Evangelium: *Ego ſum Paſtor bonus*, communem contemptum ac neglectum Paſtorum, qui nunc paſſim irrepſit, omnium ferè malorum, hæreſum, ac ſchiſmatum fontem ac fomitem præbere non dubitaverit affirmare.

Inſuper, uti etiam expreſsè animadvertit S. Carolus 26
Borromæus in ſua verè paſtorali epiſtola pro Parochis, quæ extat in Concilio 6. provinciali Mediolanenſi, fideles in ſuis Parochiis audiunt, qui dies feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ, jejuniave ſervanda ſint. Item diſcunt quæ chriſtianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præſtare oporteat, ac quæ præterea ſupplicationes, proceſſioneſve, orationes, indulgentiæ, ac jubilæa indicantur, quæ matrimoniorum denunciationes fiant, quæ item pro ratione temporum admonitu, juſſuque Epiſcopali ad diligentiorem eorum inſtructionem promulgentur, quæ plerumque non ſine gravi ſalutis detrimento eos ignorare contingit, qui ad Miſſam parochialem Dominicis, feſtiſque diebus convenire negligunt. Hinc denique in Eccleſiis parochialibus, quæ a majoribus tanto pietatis ſtudio ædificatæ ſunt, inſtaurandis, ornandis, ſartis tectiſque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illiſque nulla, aut exigua Eccleſiaſtica ad divina officia obeunda neceſsaria ſuppellex.

Equidem niſi ſpecialibus gratiis, & favoribus hoc in- 27
felici ſæculo, quo omnes libertatem ſapiunt, & jugum Eccleſiaſticæ diſciplinæ excutere geſtiunt ad Eccleſias ſuas parochiales frequentandas populus ſuaviter alliciatur, aut aliàs de opportuno remedio provideatur, non eſt ullatenus ſperandum, quod Sacroſancti Concilii Tridentini de Eccleſiis parochialibus frequentandis tam ſeriò, & non ſemel inculcata admonitio effectum ſuum unquam ſortietur. Quandoquidem innumera ſunt, quæ alli-

alliciunt populum ad privilegiatorum Ecclesias, & eundem a suis Parochiis abstrahunt. In illis namque adsunt frequentes confessarii, sacra communio assiduè distribuitur, nec desunt singulis horis Missæ breviores, Religiosi toti sunt in Ecclesiis suis ordinandis, & ordinatio inter illos, unus, & alter excellunt in concionibus, & super hæc omnia ad illorum Ecclesias populus variis Indulgentiis pertrahitur; itaut omni festo, & ferè qualibet Dominica adsint Indulgentiæ apud hos vel illos. E contrà verò in Ecclesiis parochialibus Missa parochialis cum concione, & mandatis, ut vocant, durat ad sesquihoram, & frequenter ad duas horas. Sed etsi Pastores dicendi gratiam polleant, non expedit, ut cum tanto verborum ornatu, & applausu sermones instituant, quin potiùs debent rudioribus sese accommodare.

28 Denique Ecclesiæ parochiales communiter sunt destitutæ omni beneficio Indulgentiarum, adeòut Rodriquez Minorita ausus fuerit dicere *tom. 1. qq. Regular. quæst. 43. artic. 7.* esse commodiùs audire Missam, & verbum Dei apud Regulares. Quia in illorum Ecclesiis ut plurimum sunt Indulgentiæ, quæ non adsunt in Parochialibus. Immò non nemo pronunciavit, securius, & salubrius esse peccata Regularibus, quàm Pastoribus confiteri. Quæ propositio per eandem Sacram Facultatem Theologiæ Parisiensis, tanquam falsa, scandalosa, temeraria, & Ordinis Hierarchici destructiva damnata est. Quibus sic stantibus non possunt dictæ Ecclesiæ parochiales non esse desertæ, omninòque expectandum est, ut ubique locorum disciplina Ecclesiastica prælabescat, nisi Sedes Apostolica pro sua pastoralis in omnes cura, & solicitudine de opportuno remedio quantocyùs provideat. Scio, modum illum, nempè censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas a Concilio præallegato decreto *sess. 27. de observat. & evit. in celebrat. miss.* excogitatum adigendi populum ad suam Parochiam esse fortè nimium rigorosum ac difficilem in praxi post tantam desuetudinem Parochias frequentandi, ideòque multum juvaret, si privilegiati frequenter, & seriò tàm in concionibus, quàm in confessionibus populum ad frequentationem Ecclesiarum suarum parochialium hortarentur, uti expressè illis injunxit Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit *Relatum est nobis*. Cæterùm nisi calcaria proprii commodi illis adhibeantur, nunquam sperandum est, quod id præstabunt, vel si ad instantiam Pastorum de his quandoque per transennam loquantur, postmodum toti sunt in monstrando nullam esse obligationem in conscientia ad Missam parochialem audiendam; unde plus destruent quàm ædificaverant.

29 Modus itaque omnium optimus, & facillimus, qui indubiè dictam laudabilem consuetudinem Ecclesiis parochialibus per necessariam revocabit, est concedere quod supra petitum est. Et notandum quod hoc concesso non habebunt Regulares unde conquerantur. Nihil enim eis hac ratione demitur. Siquidem qui volet eorum Indulgentias lucrari debebit ultra frequentationem Parochiæ, illorum etiam Ecclesias visitare, uti priùs; atque hoc pacto fiet, ut Regulares excitent populum, ut dictis diebus Dominicis, & festis ad Parochiam suam conveniat, & vicissim Pastores eundem populum hortabuntur, ut ad Regularium Ecclesias pro consequendis illorum Indulgentiis sese conferat. Unde inter Pastores, & Regulares mutua unio, & amicitia succresceret. Et sanè videtur hæc nova obligatio valdè rationabilis. Non enim æquum est, Ecclesiam tam liberaliter thesauros Indulgentiarum suarum profundere, nisi in eos, qui tàm seriæ ejus cohortationi de Missa, & concione parochiali audienda sese reddunt morigeros. Naturale autem est, & summo juri, atque etiam æquitati conveniens, ut lucrum in medio positum suum quisque malit, quàm alterius etiam qui ante perceperat, interque certissima juris enunciata est, nec in dolo eum versari, nec fraudem facere, nec damnum quidem alteri dare videri, qui jure suo utitur. Quod maximè verum est, si non ut alteri noceantur, sed rem suam augendi animo quippiam fiat. Inspici enim debet id, quod principaliter agitur, non quod extrinsecus in sequentiam venit, Vasquius *contr. usu freq. cap. 4. num. 3. & seq. l. Proculus de damno infecto*. Neque hoc rectè dicitur ad æmulationem fieri. Aut enim planè hoc negandum est, aut asseverandum ad bonam modò, verùm etiam ad optimam æmulationem fieri juxta Hesiodum: *Bona lis mortalibus hæc est*. Atque esto quod talibus modis minuatur quorundam Regularium Ecclesiarum frequentia, sed minuitur cum universorum hominum commodo. Propositionem verò illam: *Licèt obligatio justitiæ, quàm intrant Curati, sit strictior, & majoris obligationis quoad peccatum, tamen obligatio charitatis, obedientiæ, & Religionis, qua Religiosi se obligant ad adjuvandas animas est altior, excellentior, & major quoad meritum, præsertim quia tenentur ex statu laborare in messe animarum puriori intentione, & liberiori a terrena mercede, quàm sæculares Sacerdotes tenentur, qui non laborant sine stipendio, atque adeò debet Ecclesiis Regularium quasdam peculiares Indulgentiarum gratias concedi*, eadem S. Facultas Parisiensis in prælegata censura censuit, in quantum a vinculo, quo obligantur Curati excludit charitatem, esse falsam, temerariam, & verbo Dei contrariam. In quantum ex obedientia, & religiosi status instituto animas juvare immeritò præfert animarum curæ ex obligatione justitiæ, falsam item esse, temerariam, & præsumptuosè asserta. In quantum denique Religiosos puriori intentione teneri, sæculares verò Sacerdotes pro stipendio tantùm laborare asserit, esse falsam, temerariam, scandalosam, & toti Curatorum ordini malignè contumeliosam.

Quid ergo ad ista omnia? Quæ quidem, nisi nimis 30
exerceret præsens Consultatio, plenius planiusque exponere esset in proclivi. Sed nec valdè opus esse judico, cum attendenti cuncta ista sint perspicua, iis verò, qui attendere ac meditari aut non possunt, aut non volunt, nihil unquam satisfieri potest. Unum dico non esse cur ullo modo succenseant Parochis Adversarii, quod hæc vel ex uno doctrinæ nostræ principio luculenter adeò videant esse demonstrata, quæ ipsi per sua principia, & privilegia, ut omnes eorum copias explicarent, demonstrat satis nondum valuere, de quibus aliàs in tomis sequentibus diserere proposueram.

CONSULTATIO LIII.

AD tollendas difficultates, quæ oriri possent, vel fortè oriuntur inter Episcopos, & Regulares circa ritus venerandi Reliquias Sanctorum, dum publicè supplicationibus deferuntur, quæritur

An, deferente Episcopo aliquam Sanctorum Reliquiam, etiam Protectoris Civitatis, sive Patroni in publica supplicatione, si transeat ante Monasterium, vel Ecclesiam alicujus Ordinis Mendicantis, vel alias Regularis, teneantur iidem Regulares exire domo, seu Ecclesia, & Reliquiam etiam cum thurificatione venerari, & an ad id cogi possint aut debeant?

PLanè certum est, Sanctorum Reliquias ex traditione ac præcepto Ecclesiæ esse venerandas, & quidem ea veneratione, qua Sancti ipsi venerantur, si mens ad eum ipsum, cujus Reliquiæ sunt, referatur, inferiori tamen, si per se considerentur, ut latè Signius *de Reliq. & venerat. Sanctorum cap. 8.* Quare ex consuetudine Ecclesiæ possunt transferri, deferrique processionaliter per Episcopum, vel Sacerdotem, & tunc in signum venerationis inter alia thurificationes adhiberi. Hinc Signius *cap. 11.* ait illas transferri cum processione solemni, Psalmis, Litaniis, Canticis, precibusque, ac dignioribus Clericis, sacris vestibus indutis arcæ, vel vasa portanda committuntur, luminaribus, thurificationibusque adhibitis quamplurimis. 1

Ordo autem harum translationum, utilitates, & miracula ab eodem Signia, & a Casalio *de sacr. Rit. cap. 38.* ex veteri ac novo Testamento Sanctis Patribus, & Conciliis diffusè describuntur. Unde certum est, Regulares omnes ad supplicationes ejusmodi posse invitari, ac etiam propter causam publicam cogi ex Concilio Trid. *sess. 21. cap. 13. de Regular.* etiamsi sint exempti, præter eos, qui habent privilegia particularia. 2

At nullibi, quod viderim in Sacris Canonibus cautum est, quod Regulares exeant domo, vel Ecclesia pro hac thurificatione. Ex quibus censeo hujusmodi egressum, venerationem, ac thurificationem esse quidem piam, ac Religioni, Religiosisque viris consentaneam, non tamen necessariam; ac proinde posse Episcopum Regulares hortari, non tamen cogere, maximè exemptos, ac peculiaribus privilegiis Sedis Apostolicæ præmunitos. Facit ad rem exemplum Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quod licèt assiduè ab iis, qui supplicationibus interveniunt, thurificetur, non tamen ab illis, ante quorum Ecclesiam defertur, solet thurificari. 3

CON-

CONSULTATIO LIV.

Utrum in crimine læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ reatus patris nocere debeat liberis? Sive, an juste filii innocentes cum parentibus puniantur?

1 INiquum, durum, rigorosum, irrationabile contra jus naturæ, & divinum esse videtur, ut unus pro alio, filius pro patre puniatur. Ad quod probandum plura quidem argumenta adferri possent.

2 Faciunt primò, generales illæ regulæ, statuentes, ne sine sua culpa quispiam puniatur, *cap. Sive 23. de reg. jur. in 6.* Quod pœnæ, & delicta suos teneantur authores, *l. Sancimus 22. C. de pœn. cap. 2. extr. de his, quæ fiunt a major. par. l. 6. ff. de bon. damnat. l. Si pœna 20. ff. de pœn.* Ne quis alterius odio prægravetur, *cap. Non debet 22. de reg. jur. in 6. l. Si quis 23. §. 1. C. de inoffic. testam. arg. cap. Nobis 27. extr. de Simon. cap. Sicut juis 33. cap. Si compromissarius 33. de elect. in 6.* Ut nemo criminis alieni successor constituatur, sed unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, *l. Crimen 26. ff. de pœn. cap. Crimen 6. qu. 4.* Ut illo, qui reus fuit criminis, defuncto, pœna extinguatur, *l. Defuncto 26. ff. de pub. jud.* Ut non puniantur qui non deliquerunt, videlicet liberi, & hæredes noxiorum, *l. 20. ff. de pœn.* Cùm pœna non sit sine delicto, *l. Aliud fraus est 131. in princip. ff. de verb. signific.* Et ibi pœna esse debeat, ubi noxia est, *d. l. Sancimus C. de pœn.* Quis enim locus innocentiæ relinqueretur, si alienum crimen macularet innocentem? *c. Nullus 1. c. Qui locus q. 4.*

3 Faciunt secundò, regulæ quædam magis speciales, singulatim de parentibus, & liberis loquentes, veluti sunt: Non parentum, sed propria culpa quemque condemnat, *cap. Novis 5. dist. 26. c. 3. ibid. c. 6. ibid.* & passim tota illa distinctione. Paternum crimen nullam maculam filio infligere debet, *l. Crimen 26. ff. de pœn. d. cap. Crimen 6. 1. qu. 4.* Filio magis prodesse debet sua innocentia, quàm nocere culpa patris, *l. 3. §. Si emancipatus in fin. ff. de bon. poss. contr. tab.* Calamitas patris non debet nocere filio, *l. 3. §. 9. ff. de mun. & honor. l. Div. 17. §. 1. ff. de jurepatr.* Vitia parentum filiis non imputantur, *c. 3. dist. 56.* Parentum error filiis non officit, & reatus patris filio non obest, *l. Et qui 3. §. Quod pater 10. ff. de muner. & honor.* Nullum patris delictum innocenti filio pœnæ est, *l. Qui ad tempus 2. §. Nullum 7. ff. de cur. tot. tit. C. ne filius pro patre, vel pater pro filio.*

4 Facit tertiò ipsa Sacra Scriptura. Scriptum enim est Ezechiæ *cap. 18. v. 19. Filius non portabit iniquitatem patris.* Et Deuteron. 24. *v. 16.* Non occidentur patres pro filiis; & filii non morientur pro patribus, unusquisque suo peccato morietur, 2. *Reg. 14. v. 16. 2. Paral. 25. v. 4. c. Judæi 1. qu. 4.* Et *Genes. 18. v. 23.* Perdes ne pium cum impio: Anima, quæ peccaverit ipsa morietur, *Levitic. 3.* Hinc putant nonnulli, quod *l. Quisquis* in foro conscientiæ non valeat. Adducunt in exemplum Amaziam, qui, firmato regno, percussit servos suos, qui percusserant Regem patrem suum, filios verò percussorum non affecit morte. Unde textus *in c. 10. caus. 1. q. 4.* dicit, non imputari filiis peccata parentum, & *in cap. Si habes 1. caus. 24. qu. 3.* S. Augustinus ad Auxentium Episcopum ita scribit: *Classicani filius quicquid posteaquam eum genuit peccati pater ejus admisit, ubi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere quis ambigit?* Similiter *in cap. Jam ita 8. caus. quæst. 4.* idem S. Augustinus ad Bonifacium *ep. 23.* scribit his verbis: *Cùm homo in seipso est, ab eo, qui genuit eum, alter effectus, peccato alterius sua consensione non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, a quo traxit, quando quod traxit, admissum,* (alii admixtum) *est. Non autem traxit alter ab altero, quando sua unoquoque propria vita vivent jam est, unde dicatur: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

5 Facit quartò, quod delicta morte delinquentium unà cum pœna extinguantur, ideòque ab hæredibus pœna exigi minimè possit, *d. l. Defuncto, ff. de pub. jud. tot. tit. C. si reus vel accus. mort. fuer. l. 1. C. ne ex delict. defunct. l. Crimen, ff. de pœn. l. Ex judiciorum in fin. ff. de accus.*

6 Quintò, *in auth. Ut nulli judicum, §. fin.* disertè habetur, quod illis casibus, in quibus leges pœnam mortis, aut proscriptionis, seu deportationis imponunt, non possint Judices pœnas etiam pecuniarias infligere. Ergo in crimine læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ non habet locum pœna mortis, & publicatio bonorum.

7 Sextò, pœna *l. Juliæ Majestatis*, quæ est capitis, & publicationis bonorum, est hodie immutata per *d. auth. Ut nulli Judicum c. 3. Auth. bona damnatorum, C. de bon. damn. Novel. 17. §. oportet autem*, quæ volunt, hodie bona damnatorum deberi ascendentibus, & descendentibus, & usque ad tertium gradum collateralibus. Vide Julium Clarum *§. fin. qu. 78. in princ.* Capycium *decis. 153. n. 4.* Boer. *dec. 264. n. 14. cum seqq.*

Septimò, *in l. antepen. ff. ad Jul. Majest.* expresè sta- 8
tuitur, quod libertorum bona reserventur filiis damnatorum crimine læsæ Majestatis. Si ergo liberto Majestatis damnato, liberi fiscum excludunt, cur non idem in liberis Ingenuorum?

Octavò, per *l. Sancimus 22. fin. C. de pœn.* statuen- 9
tem, quod ex delictis ipsi authores puniantur, recessum est a *l. Quisquis*, ut docet Budæus *ad d. l. Sancimus*, Julius Clarus *§. læsæ Majestatis n. 14.* Idque propterea quia *d. l. Sancimus* posterior est. Posteriora autem derogant prioribus.

Nonò, etiam in casibus, quibus publicationi bonorum 10
locus est, si condemnatus liberos habeat, iis reservatur dimidia pars bonorum, *l. Cum ratio in princip. ff. de bon. damnat. l. Si quis, §. quod verò, C. eodem*, Emman. Soar. *commun. opin. lit. L. n. 72.* Vvesemb. *§. Publica 2. n. 4. Instit. de publ. Jud.* ubi dicit, quod ex bonis etiam publicatis liberis legitima debeatur per *d. l. Cum ratio*, quæ nullo partis facto auferri potest, *l. Quoniam, & auth. novissima, C. de inoff. test.*

Decimò, Textus in *l. ult. ff. eod.* loquens de eo, qui 11
perduellionis reus est, dicit hoc crimen non extingui morte, sed si a successoribus non purgetur, hæreditatem fisco vindicari, Capyc. *decis. 130. n. 18.* Atqui dum liberi parati sunt purgare crimen patris sui, ipsis bona paterna non debent adimi.

Undecimò, Crudelis videtur pœna *l. Quisquis, §. fi-* 12
liis, C. ad l. Jul. Majest. Si bona publicentur liberis extantibus *l. Eorum, ff. ad l. Jul. Majest.* ipsique filii notentur infamia, & factione testamenti careant. Ignæus *ad l. ult. n. 44. ff. de S. C. Silan. & Claud.* ubi dicit, *d. l. Quisquis* esse odiosam, injuriosam, iniquam, contra naturalem rationem, & juris divini, humanique dispositionem.

Decimosecundò, Licèt pœna *l. Quisquis* juri non re- 13
pugnet, tamen de consuetudine non servatur, Angel. *in l. Fallaciter 4. C. de abolit.* & post eum Jul. Clar. *d. §. Læsæ Majestatis n. 14.* ubi ait revera apud nos nunquam vidi tales pœnas in filiis observari.

Decimotertiò, Etiam aliæ pœnæ in vindictam hujus 14
criminis a lege introductæ non æquè ubique servantur, & contra ipsum delinquentem mitiùs proceditur, quàm legislator *in d. l. Quisquis* præscribit. Gregor. Tholos. *lib. 55. q. 3. Syntagm. cap. 1. n. 32.* Multò magis ergo contra filios innocentes. Idem Tholos. *n. 36.* ubi ait, filii tamen insontes non sunt infames, vel inhabiles successionibus, sed capiunt ex testamento, & ab intestato, & ad honores possunt promoveri, ut notat Boer. *tr. de sedit. §. 6. n. 23.*

Decimoquartò, adduco exemplum Marci Antonini, qui 15
filiis Avidis Cassii, qui in eum conjuraverat, veniam dandam existimavit. Similiter & Aurelius, qui Cassii perduellionis damnati bona, liberos possidere jussit, quod non modò Romani, sed etiam Persarum Reges facere consueverunt. Ut Poloni quoque non modò proscriptiones nullas probant, sed ne perduellionis quidem damnatorum bona fisco adjudicant. Et P. Suilio adempta tantum bonorum pars, filio autem & nepoti pars altera concedebatur, eximebantur etiam quæ testamento matris, aut avi acceperant. Sic Julius Cæsar admisit ad honores proscriptorum liberos, Svet. *in ejus vit. c. 41.* Adrianus Cæsar liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit, Majestatis crimen non admisit. Hinc boni Principes, cum injurias suas, & læsæ Majestatis crimen ulti sunt, ne magnitudinem pecuniæ, quam damnatus habebat, & avaritiam suam reo exitium attulisse dici posset, bona damnatorum liberis, & agnatis transmiserunt. Quod Cosmus Hetruriæ Dux, qui pluribus quam quisquam alius suorum temporum conjurationibus petitus fuit, sæpius fecisse dicitur. Nec mirum, quando Cornelium Syllam, libertatis hostem, & sævissimum mortalium, primum proscriptionem inveniisse Authores asserunt.

Nihil omissum puto, quod in hac quæstione negantium opinionem quoque modo juvare possit; sed omnia exactè conquisita sunt. Et quamvis satis speciosa videantur, non tamen eam vim, ac firmitatem habent, ut clarissimos juris textus, quibus contrarium disertè constitutum, & definitum est in crimine læsæ Majestatis tum divinæ, tum humanæ, filios etiam propter reatum patris puniri refellant, & evertant.

Nostram itaque affirmativam sententiam confirmat 16
quoad crimen læsæ Majestatis divinæ textus expressus *in cap. Vergentis de hæret.* ubi Innocentius III. hæc habet: *Quum enim secundum legitimas sanctiones reis læsæ Majestatis punitis capite, bona confiscentur eorum, filiis suis vita solummodo ex misericordia conservata, quantò magis qui aber-*

aberrantes in fide, Domini Dei filiam Jesum offendunt, a capite nostro, quod est Christus, Ecclesiastica debent districtione præcindi, & bonis temporalibus spoliari, cum longè sit gravius æternam, quàm temporalem lædere majestatem? Idem statuit Alexander IV. *in cap. Quicunque, §. Hæretici autem*, ac Bonifacius VIII. *in cap. Cum secundum leges, & cap. Ut commissi §. Privandi de hæret. in 6.* atque habetur ex Constitutione Friderici Imperatoris, quæ incipit *Catharos*, sive *Gazaros* apud Pegnam inter literas Apostolicas, & *in auth. C. de hæret. & manich.* Quod verò ad crimen læsæ Majestatis humanæ confirmat primò textus apertissimus simul ac notissimus in *l. Quisquis 5. §. filiis 1. C. ad l. Jul. Majest.* in qua Imperatores Arcadius, & Honorius postquam rescripsissent bona fisco addicenda esse, ulterius sic sanciunt: *Filii verò ejus, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur) a materna, vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla Sacramenta perveniant, sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.*

Secundò, textus in *leg. Quando, Cod. de bon. proscript.* ubi statuitur, condemnatum, si liberos habeat ad ipsos bona transmittere, excepta sola Majestatis quæstione, *quam si quis sacrilego animo adsumpsit, justè pœnam ad suos etiam posteros transmissurum*, juxta *l. Quisquis*, ut notat eo loco Gotofredus.

17 Tertio, textus in *Nov. 134. c. ult.* in qua licèt Imperator substulerit publicationem bonorum, & confiscationem, in fine tamen differtè addit, in Majestatis crimine condemnatis veteres leges servandas esse, nimirum *d. l. Quisquis*, ut ibi notat idem Gothofredus, & Conrad. *in tract. de Regal. cap. 3. num. 137.*

18 Quartò, textus *in c. Felicis de pœnis in 6.* illis verbis: *Sicut reus criminis læsæ Majestatis perpetuò sit infamis, &c. Quicquid etiam in bonis invenitur, ipsius fisci, vel Reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis nihil transmittat ad posteros, sed potius cum ipso damnentur quodammodo, & sua.* Si qua verò feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, fit eis ipso jure privatus, quæ sic liberè ad Ecclesias revertantur, quod Ecclesiarum Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quod si quis prædictorum filium, vel filios habent, nepotem, vel nepotes per rectam lineam descendentes, beneficiatum, seu beneficiatos quovis beneficio, etiam pontificalem adeptus, vel adepti fuerint dignitatem sint eis ipso jure privati, spe promotionis omnino sublata. Nulli præterea talium filiorum, atque nepotum, ex virili sexu descendentium ab eisdem, alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici, vel mundani, seu ad alicujus loci regimen sit ascensus, sit eis postulandi negata facultas, sit notoriè judicatus, & quodlibet aliud officium, seu ministerium publicum interdictum, in judiciis eorum assertio contra quenquam nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad testimonium prorsus reddantur indigni, sit eis ad Ordines ascensus inhibitus, sit ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum denegatus accessus, & ut magis famosa sit eorum infamia, ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eisdem super aliquo præmissorum, omni spe dispensationis adempta.

19 Quintò, textus *in cap. un. Quæ sint regal. in usib. feud.* ubi jus confiscandi bona committentium crimen læsæ Majestatis specialiter Regalibus adjicit Federicus Rosenthal *cap. 5. concl. 69.* Conrad. *de Regal. loc. cit. num. 187.* Gothofred. *ad d. c. un.* ubi iterum refert ad *l. Quisquis C. 5. ad l. Jul. Majest.*

20 Manet ergo firma, stabilis, & inconcussa *l. Quisquis* ab Arcadio, & Honorio primùm promulgata, a Theodosio & Valentiniano in *l. 10. C. de bonor. proscript.* repetita, a Justiniano Imperatore in *Nov. 134. c. ultim.* confirmata a Friderico *in c. un. Quæ sint Regal. in usib. feud.* renovata ab Alexandro IV. & a Bonifacio VIII. Summis Pontificibus *in c. Felicis 5. de pœnis in 6. in cap. Quicunque, in cap. Cum secundum leges, & in c. Ut commissi de hæret.* pariter *in 6.* canonizata, a Carolo V. denique in filiis Joannis Friderici Saxonis, & ab aliis piis, & Catholicis Principibus in praxim deducta, præsertim a Ferdinando II. in filiis Friderici Palatini quoad privationem bonorum observata.

21 Quod si verò allati textus alicui non sufficiant, sed insuper etiam rationes simul cum aliquibus exemplis desiderentur, quas tamen requirere propterea superfluum est, quia sola voluntas legis, & auctoritas Superioris pro ratione est, *arg. §. furtivæ 3.* ibi: *Nam furtivarum, Instit. de usuc. l. 1. §. Initium*, ubi Glos. *in v. ratus, ff. de postulan. prin. Inst. quibus ex caus. manum. non licet, §. Sed & quod, Instit. de jur. nat. gent. & civil.* ecce illas etiam exhibemus, & judicio Lectoris submittimus.

Rationem primam, quare in hisce criminibus confi- 22
scentur, & adimantur liberis bona, suppeditat *l. Quisquis*, ut subtrahatur filiis materia idem scelus committendi. Hac de causa non nemo dixit, id in bonum liberorum, non in pœnam introductum esse, quemadmodum Gratian. *can. Ecclesiæ 1. q. 4.* postquam dixisset, parvulos Sodomitarum non excusatos ob ignorantiam, & innocentiam, quin pro paterno scelere cœlesti igne consumerentur, statim rationem conjungit, quod igne hoc pœna illis sit diminuta, quibus successio paterni sceleris fuit adempta.

Rationem secundam priori non absimilem statuunt 23
Doctores, & juris sancita in periculo imitationis. S. Thomas, quem allegat Matth. Steph. *de art. jur. c. 16. n. 119.* In filiis etenim paterni, & hæreditatis criminis exempla metuuntur, *d. l. Quisquis §. filii*, ubi Gothofr. traditque Alciat. *præsumpt. 24.* & Harprechr. *§. 3. de publ. jud. nu. 66.* ubi ait, verisimile esse, quod vel complices criminis, vel ultores, & vindices necis paternæ idem cum patre sint molituri. Gregor. Tholos. *lib. 35. c. 1. nu. 26.* Farinac. *q. 1. cap. 6. §. 2. num. 73.* Vitia enim parentum etiam ad posteros transferri. *Si gens Angelorum 10. d. 56.* Quippè patri sæpè solet similis esse filius, *arg. l. Quod si nolit 21. §. Qui mancipia, ff. de ædil. edict.* Hinc timendum est, ne vitia trahant a parentibus *d. cap. 10.* sicuti trahuntur a sociis *c. Pervenit, pen. 2. q. 7. c. Literas 14. extr. de fil. presbyt.* Nam juxta ipsius Servatoris nostri effatum: Arbor mala non solet ferre fructus bonos. Inde Gregor. Tholos. *lib. 35. c. 1. n. 23.* utitur illo proverbio. Mali corvi malum ovum. Certè ut plurimum videmus non solum labem sanguinis, sed & morum ad posteros derivari. Accedit quod ex læsa Majestate divina, & humana nascatur quædam inter perduellem, ejusque Dominum atque Ecclesiam inimicitia, quæ præsumitur durare in filios, & serpere in descendentes. Et hæc ipsa causa est, quare filiæ mitiùs puniantur in hoc crimine: quia pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus, *d. l. Quisquis*. Lex autem præsumit masculos tamquam audaciores fœminis magis inclinare in crimen paternum. Bajard. *in addit. ad Clar. §. læsæ Majestatis n. 25.*

Nec sit qui putet, hanc rationem esse, quod liberi pa- 24
rentibus similes futuri plectantur, cùm id incertum sit. Sed scire debet a communiter accidentibus sumi præsumptionem veritatis. Cardinal. Turch. *lit. A. concl. 493.*

Ratio tertia est, ut dum puniuntur filii, per hoc ipse 25
pater magis puniatur, Farinac. *q. 116. § 2. n. 73.* Nam quia pater plus diligit filium, quam seipsum *arg. l. Isti 8. ff. quod met. caus.* Et filius est pars corporis, affectusque patris, *d. l. Isti*. Ideò dum punitur filius, magis pater ipse puniri videtur. Facit, quod in simili scribit D. Thomas 26
allegatus a Matthia Stephan. *c. 19. nu. 119.* ideò alterum pro alterius peccato puniri, quia unus homo est res alterius temporaliter, & carnaliter, veluti filius est res patris, servus est res domini. Hanc ipsam rationem perpendit etiam qui apud Plutarchum *de sera Numin. vind.* irridet, & damnat illos, qui in statuas, & cadavera sæviunt, ratus justius eorum liberos pœna luere, utpotè quibus parentum portio ingenita sit, atque hæreat, per quam vivunt, aluntur, & sentiunt: nec iniquum esse cùm sint illorum, etiam habere. quæ sunt illorum.

Ratio quarta est, ut hoc modo parentes tantò magis 27
absterreantur a criminibus, non ignari, tàm se, quàm prolem suam pœnæ subjiciendos, adeoque ut charitas liberorum amiciores Ecclesiæ ac Reipublicæ reddat parentes. Cic. *ep. 12. ad Brut.* Tholos. *loc. cit. n. 28.* Huc facit *c. Cum multa 15. qu. 8.* ubi dicitur, usque adeò sententiam judicantium protraxere commissa culparum, ut non tantum ferretur ultio in authores scelerum, verùm etiam in progeniem damnatorum.

Ratio quinta, quia bona perduellium vel hæretico- 28
rum confiscantur, & fiscum successorem habent, ideò neque ex testamento, neque ab intestato hæres illis esse potest, *§. Per contrarium, Instit. de hæred. quæ ab intest. defer.* ubi dicitur, si post mortem suam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata, suum hæredem habere non posse, cum fiscus ei successerit, *l. Manich. 4. §. Sed nec filios, Cod. de hæred. auth. Gazaros, C. eod. c. Vergentis, de hæred.* Ratio rationis, quia illis non immeritò sua bona auferuntur, qui Majestati divinæ, vel humanæ debitum honorem detrahere non reformidarunt.

Ratio sexta desumi potest a D. Thoma, quem allegat 29
Matthias Sthephan. *c. 19. n. 119.* asserente, hoc fieri ad huma-

humanæ societatis unitatem magis ea pœna commendandam, & conservandam. Sic Plutarchus *d. l. de sera Numin. vend.* ait, quemadmodum paternorum debitorum nomine, filii hæredes obligantur, ita & pœnarum nomine, quæ in hisce rebus corporeis, & temporalibus luuntur.

30 Ratio septima, Lex imitatur naturam, *§. Minorem, Institut. de adopt.* Atqui natura sic comparatum est, ut filius patris ebriosi sæpè pœnam, damnumque ferat, & patiatur; sic leprosi filii fiunt leprosi, quia corporis patris pars est filius quodammodo. Unde non ineptè crimen hæresis, ac læsæ Majestatis lepræ æquiparatur, quæ alios etiam inficit.

31 Ratio octava, quia justitia divina est idæa quædam justitiæ humanæ, & proinde sicut regulariter nemo punitur a Deo pro alio, & sic nec liberi pro parentibus, sed quisque pro suo peccato; nihilominus sicut aliquando extra ordinem Dominus Deus maledictionem æquè atque benedictionem impertitur, & reos læsæ Majestatis suæ divinæ punit quousque libet, quemadmodum infra in *respons. ad 3. reg.* exemplis quibusdam probabimus; sic etiam in crimine Majestatis humanæ propter parentum peccata, & scelera puniuntur liberi, redduntur intestabiles, privantur omni aditu, & gradu ad honores, ut vita supplicium, & mors solatium, *l. Quisquis, §. filii*, &c.

32 Ratio nona, dignitas parentum descendit in liberos, & laus ipsorum etiam in liberos redundat: ergò cùm contrariorum eadem sit disciplina, non est mirum, peccata majorum quoad pœnam etiam in posteros derivari, Tholos. *lib. 35 Syntagm. c. 1. n. 28.* post alios.

33 Ratio decima, quia macula patris inficit etiam sanguinem filiorum. Bajard. *in addit. ad Clar. §. Læsæ Majestatis n. 25.* & infectum dicitur, quòd a radice infecta descendit per *Nov. 118. c. 3. v. Ex adverso*, *l. Quod si nolit 31. §. Qui mancipia*, ibi: *Quia ratione non sunt infamata, ff. de ædil. edict.* Vide Farinac. *q. 116. §. 2. n. 73.*

34 Ratio undecima est exemplum. Nam Cic. *ep. 17. ad Brutum* scribit: Seniores pœnas, & in liberos fieri causa exempli. Inde Tholos. *d. lib. 35. c. 1. n. 26.* dicit, leges exemplarem sumere pœnam in atrocioribus.

35 Ratio duodecima peti potest ex traditis ejusdem Tholosani *p. 3. Syntagm. lib. 35. n. 11. & 12.* quo loco multas historias recensèt, quibus liberi, uxores, & familiares cum ipsis reis fuerunt sublati, idque ea de causa, nequis posthac inimicis Reipublicæ, vel Ecclesiæ Catholicæ amicus esset, & ne aliquid tanti sceleris vestigium superesset.

36 Ratio ultima, & præcipua est atrocitas delicti. Nam hæc crimina omnium ferè atrocissima, atque impiissima esse unanimiter omnes docent. Jam verò in atrocibus, & enormibus delictis pœna potest etiam porrigi ultra delinquentes, ita statuente textu *in c. Felicis 5. de pœn. in 6. §. Quem autem*, ubi dicitur, quia dignum est, ut nefandi ratione flagitii ultionis severitas ampliùs extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis solitis contentetur, *statuimus, ut non tantùm in liberos, & descendentes*, sed etiam ad collaterales, fratres videlicet, nepotes, & pronepotes talium, possit extendere pœnas in hujusmodi nostra constitutione contentas, circumspectio Romani Pontificis. prout circumstantiæ rationabiles suadebunt. Loquitur autem Bonifacius expressè in crimine læsæ Majestatis, quod committi declarat, quando quis Cardinalem persequitur; atque ob eandem criminis gravitatem mirum videri non debet, si in filios pœna aliquo modo redundet, Tholos. *p. 3. Syntagm. lib. 35. cap. 1. n. 26.*

37 Sed hinc oritur alia quæstio, priori connexa. Quare videlicet crimen læsæ Majestatis tùm divinæ, cùm humanæ tam atrox, enorme, & grave censeantur? Ad quam respondeo id fieri multis de causis. Prima est, quia atrox delictum censetur habito respectu ad eum, contra quem delinquitur, veluti si contra Deum, Pontificem, Cardinales, Imperatorem, Reges, Magistratus.

38 Secunda causa est, quia hoc delictum quod committitur incidit etiam in sacrilegium, nam eorum majestate nihil in terris habetur sanctius. Immò palàm est inquit Tholosan. *d. lib. 35. c. 1. n. 1.* Reges, & Præpositos nostros, qui gladii potestatem a Deo acceperunt Dei Vicarios esse sacrosanctos. Unde Plutarchus, Principem imaginem esse Dei omnia rectè constituentis, & disponentis scribit. Et Gail. *de pac. publ. c. 3. n. 12.* Principem vivam imaginem referre Dei universa moderantis.

39 Tertia causa est, ob eamdem Ecclesiæ Catholicæ, ac Principi reverentiam sacrilegii crimen censetur de auctoritate, & potestate Pontificis, vel Principis tantum disputare, *l. Sacrilegiis 5. C. de divers. rescript. l. Disputare 3. Cod. de crim. sacril.* quantò magis igitur eorum Majestatem lædere, & imminuere?

Quarta causa, Qui in muros Civitatis aliquid delinquunt, in eos pœna capitis constituta est, quia muri sancti dicuntur, *§. Sanctæ quoque 10. Instit. de rer. divis.* Si ergo tam grave censetur in muros delinquere veluti res inanimatas, quantò gravius in ipsam Ecclesiam Catholica, ipsumque Principem, qui sanctione sua muros sanctos esse statuit? 40

Quinta causa est, Muri Civitatis, sive mœnia ideò sancta appellantur, & propterea tam gravis pœna in transcendentes statuitur, quia debent civibus tutum præstare receptaculum, ad eum ferè modum, quo domus sua cuique tutissimum receptaculum esse dicitur *in l. Plerique, ff. de in jus voc.* ac proindè pro gravi injuria reputatur, si quis domum alterius vi introeat, *§. Sed & lex, Instit. de injur.* Et quia salus publica, vita, & fortuna civium omnium in hoc versatur, ne muri aliorum irruptionibus, & incursionibus pateant. Præterea Civitates, tanquam asyla ad refugium constitutæ dicuntur sanctificari, Josuè *c. 20. n. 1.* Atqui etiam Ecclesia Catholica, & Principes asylum, & refugium civium totius Reipublicæ, protectio, & præsidium omnium subditorum dici potest. Quis ergo non reputet gravius, & enormius delictum esse, si quis eum, in quo omnes spem protectionis, & incolumitatis ponunt, violare, lædere, ejusque honorem, & majestatem imminuere ausit? 41

Sexta causa, Inter atroces injurias numeratur illa, infertur Judici, *l. Prætor dixit, §. atrocem, ff. de injur.* & gravissimè puniuntur, qui Magistratum, vel ejus Officiales, quorum opera Magistratus in administranda justitia, & tuenda jurisdictione in exequutionibus, vel aliàs utitur, contumeliis, & injuriis verbalibus, vel realibus afficiuntur; quemadmodum pulchrè, & doctè deducit Berlich. *p. 5. concl. pract. concl. 66.* Quantò magis ergo qui Ecclesiam Catholicam, supremumve Magistratum, a quo reliqui omnes dignitatem, & jurisdictionem habent, lædere, vel offendere non verentur? Qui enim locus reginiinis poterit esse tutus, quis Rector securitate gaudebit, si Romana Ecclesia, vel supremus Princeps casibus istis subjiciatur, & omnibus injuriis expositus sit? Immò quem ex ipsius Ecclesiæ proceribus contumelia tanta non tangeret, &, ut verbis utar Bonifacii VIII. *in d. c. Felicis de pœn. in 6.* confusio tam aspera non moveret? 42

Septima causa, Si injuria, quæ infertur Consuli, tanquam Capiti, toti Senatui illata videtur, & ob id pœna augetur, Berlich. *loc. cit. n. 49.* Item si de militibus, qui Præfecto suo, vel Duci non obsequuntur, vel alias in eos injurioli sunt pœna capitis sumitur. Jodoc. *in prax. crim. cap. 137. n. 18.* Berlich. *n. 27.* Utique & Summus Pontifex tanquam caput Ecclesiæ, aliique Principes non minori reverentia observandi in contemptores justè animadvertunt Menoch. quoque *de arbitr. Judic. lib. 3. cent. 4. cas 363. n. 14. & 15.* refert sua ætate injurias, quas Papiæ Riccius quidam, & Pisis Crassius Rectori Academiæ intulerat, eos pœna capitis luisse, ob eam rationem, quod Rector gymnasii personam Principis eo loci sustineat, & dignitate omnes antecellat. 43

Octavam causam adfert Gregor. Tholosanus eo *lib. 35. c. 1. n. 22.* quod planè detestabile sit crimen in matrem, in pastorem, & defensorem suum, qualis est Ecclesia Catholica, Summus Pontifex, & Princeps, insurgere. Quandoquidem, Dionysio Alicarnasseo teste, universali, & sempiterna lege receptum sit, inferiores parere præstantioribus, & si non fiat, pejores esse brutis animalibus homines: illa enim quantumvis ferocia sint, tamen aut nunquam, aut rarò insurgunt in pastores, & curatores; soli homines muneris sui obliti rebellare audent, ferociores ipsis bestiis. 44

Nonam causam suppeditat idem Tholosanus *d. loc. n. 28.* Juvat enim hic contemplari infelicem Rerum publicarum statum, dum gubernationis modus subvertitur, dum Principatus ambiuntur, hæreses disseminantur. Nunquam enim accidit, vel rarò innovatio status Reipublicæ, quin clades aliqua diversarum factionum consequatur, ut expediat aliquando in plures, quàm solitum sit in aliis criminibus, & acrius supplicia sumere, & non tantum crimina peracta, sed etiam præludia gravioribus pœnis, suspicionibus, fidem facientibus, ubi apparere incipiunt, castigare. 45

Decima causa, Si itaque crimen Majestatis divinæ, vel humanæ eversioni totius Reipublicæ subinde occasionem præbet, non immeritò pœnæ acerbiores in id constituuntur, quia rebelles omnium inde exorientium malorum authores sunt. Quicquid enim est causa causæ, est etiam causa causati. Hæreticus autem, rebellis, & violator pacis publicæ est causa belli, ex quo omnium malorum seges: ergo rebellis, qui Catholicam Ecclesiam, vel suum Principem offendit, indeque humanam societatem, 46

ac quietem ita turbat, ut belli commodis paranda, & ſuſcipienda ſit defenſio, eſt cauſa omnium malorum, bellum ſubſequentium. Quotquot ergo homines necantur, quotquot ædificia, domus, pagi, civitates devaſtantur, quotquot Provinciæ cum incolis, rebuſque omnibus perduntur, quicquid in pudicitiam virginum, viduarum, conjugum, ac innocentiam inſontium admittitur, id omne ad hæreticum, atque rebellem tot homicidiorum, incendiorum, adulteriorum, furtorum, & damnorum authorem ſpectat, reumque omnium delictorum eum conſtituit. Quis igitur miretur, legislatores tam ſeverè in utriuſque Majeſtatis reos animadvertere, ut etiam liberas eorum pœnarum participes faciant, ſtatuantque? Quis durum, vel iniquum eſſe dicat, inſontes etiam liberos pœnas dare cum patre rebelli, qui occaſionem præbuit innocentibus tam iniqua injuſtè perferendi?

47 Hæc itaque cauſa eſt, hæc ratio peculiaris, quare leges, quæ alioquin neminem volunt ob delictum alterius puniri, in crimine læſæ Majeſtatis non tantum authores ipſos ſcelerum, ſed etiam progeniem damnatorum pœnis ſubjiciant. Atque hæc ipſa etiam cauſa tantum momenti habet in jure, ut in crimine læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ multa alia etiam introducta ſint, quæ ordini aliàs recepto, viæque conſuetæ non conveniunt. De quibus lege, ſi lubet, ex multis Clarum, Farinacium, Bajardum, Capycium, Tholoſanum, & P. Delbene *de offic. S. Inquiſit. circa hæreſim*, opus æternitate dignisſimum ingentis eruditionis, & rerum humanarum, divinarumque refertum.

48 Quare planè ineptum videtur ulterius dubitare, an liberi innocentes propter reatum patris puniri poſſint, necne? Nam ſi verum eſt, crimen læſæ Majeſtatis tàm divinæ, quàm humanæ a patre commiſſum nocere etiam filiis, ſicuti negari a nemine ſanæ mentis poteſt, omninò conſectarium eſt, obeſſe etiam innocentibus. Etenim ſi ipſi quoque nocentes eſſent, jam non delictum patris, ſed reatus proprius eos condemnaret. Etſi enim conjuncti illi innocui eſſe poſſunt, neſcio tamen quo pacto ab ipſa natura ſuſpecti videantur, cujus inſtinctu ebullire ſanguinem offenſi conſpicimus, præſentibus perſonis offenſori tam conjunctis. Idem docet Jodoc. *in prax. crimin. cap. 26. numer. 8.* dum ait, certum eſſe, quod conſpiratores adverſus gloriam, & ſalutem, & commoda Principis ſuis, detegentes hoſtibus univerſa ipſius ſecreta, voluntates, & ſtudia &c. puniantur pœna corporali, cum omnium bonorum proſcriptione, ac *num. 9.* ſubjungit, etiam ipſorum liberos, conſpirationum tamen non conſcios, univerſis parentum ſuorum bonis privari.

49 Quandoquidem legislatores in hac pœna eò potiſſimum reſpiciunt, ut pater, quantumvis ſuæ ſalutis oblitus ſaltem amore liberorum ab his atrociſſimis delictis abſterreatur. Quòd eò magis eum facturum eſſe ſperant, ſi non neſciat, etiam in liberos ſuos innocentes pœnam redundaturam, nihilque a chara progenie, etiam poſt mortem ſperari poſſe, niſi querimonias, & lamentationes, quibus patrem vivis exemptum, indignum quidem memoria, nam leges etiam memoriam ejus damnant, proſecuturi ſint.

50 Licet autem hìc quærere, num infantes ſimul atque naſcuntur, innocentes ſint necne? Utique reſpondebitur eſſe & quidem benè. Nam hoc omnes norunt, & atteſtantur. Sed ſi ita eſt, cur quæſo tot miſeriis, puta morbis, & ipſi adeò morti obnoxii ſunt? Nonne propter delictum primi parentis? Propter crimen læſæ Majeſtatis divinæ? Videmus ergo etiam ſecundùm divinum judicium ultionem non ſolùm in auctores ſcelerum, ſed etiam in progeniem ferri damnatorum, *c. Vergentis extr. de hæret.*

51 Si mihi objiciatur, alia eſſe judicia Dei, alia hominum, neque divinam Majeſtatem ullam comparationem cum humana admittere. Verùm id quidem eſt, ſed dicat an filii Adæ propterea quod innocentes, reſtituti fuerint Paradiſo, è quo pater illorum, ſpretæ legis divinæ reus ejectus fuit? An aliqua inter primo, vel ſecundo genitos, aut natos natorum differentia conſtituta? Dicat, an juſtè, vel injuſtè actum, quando Deus univerſali diluvio innocentes perinde, atque nocentes perdidit? Quando liberos Sodomæorum ab uberibus adhuc hærentes iiſdem flammis, quibus adultos, & reos involvit? Numquid Dominus, Deut. *cap.* 13. ait. *Si audieris in una Urbium egreſſos eſſe de medio tui filios Belial* (ſive inobedientes, & jugum Epiſcoporum adjicientes) *& avertiſſe habitatores Urbis ſuæ, ut ſerviant diis alienis, quos ignorarunt ipſi, & patres eorum* (ſive ut novam religionem ſectentur, & non acquieſcentes iis, quæ docent Sacerdotes,) *quod eſt quaſi ſcelus Idololatriæ* 1. Reg. 15. *quære ſolicitè, & diligenter rei veritate perſpecta, ſi invenеris certum eſſe, quod dic.tur, ſtatim percuties habitatores illius Urbis in ore gladii, & delebis eam*, etiam infantes, & pueros, ſive, ut *Reg.* 5. legimus, *parvulum, & lactentem*, qui hoc modo ſervantur, ne adultiores facti patrum ſcelere implicentur, & in æternum pereant? Quæ cauſa eſt, cur etiam Deus *Ezech.* 21. ita comminetur? Ejiciam gladium meum de vagina, & occidam in te juſtum, & impium. Præterea quid cenſendum de parvulis, quos peccatum Dathan, & Abiron vivos detraxit ad inferos? *Num. 16. cap. Eccleſiæ* 11. *qu.* 4. Nonne filii ex illicito, & damnato thoro, puta adulterio, inceſtu nati, ex ſe ſunt innocentiſſimi, & tamen propter alienum, hoc eſt parentum ſuorum delictum inter legitimos non enumerantur, *§. Si quis* 12. *cum §. ſeq. Inſtit. de nupt.* Sed infames *cap. Infames 6. qu.* 1. & omnium honorum, ac dignitatum indigni, *cap. infamibus* 87. *de reg. jur. in 6.* ab hæreditate ſuorum adeò parentum excluduntur, *Auth. licet in fin. C. de natural. lib.* Quinimmò inceſtuoſi ob gravitatem delicti paterni non tantum hæreditate paterna, & legitima, *Nov.* 74. *cap.* 6. ſed ipſis etiam alimentis jure civili indigni reputantur. *Auth. ex complexu, C. de inceſt. nupt. Nov.* 87. *cap. ultim.*

Ac proindè jure optimo tàm canonico, quàm civili cautum eſt, ut bona hæreticorum confiſcentur, liberiſque adimantur, licet innocentes, & nulla hæreſi infecti ſint *cap. Vergentis extr. de hæret. Auth. Gazaros, C. de hæret.* Jul. Clar. *§. Hæreſis v. Et ſcias* 14. Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 33. *num.* 17. *cum* 23. *ſeqq.* Eman. Sà *commun. opin. litt. H. num.* 116. Ita quod cùm Donatiſtæ Catholicis hinc invidiam facerent, eoſque improbè cujuſdam alienorum bonorum cupiditatis propterea inſimularent, ſic eis S. Auguſtinus *epiſt.* 48. *ad Vincentium* reſpondit: *Falsò res veſtras appellatis, quas nec juſtè poſſidetis*, nec enim jus eſt, ut hoſtes Dei, bonis ejus fruantur, *& ſecundùm leges Regum terrenorum*, ſive Cæſarum *amittere juſſi eſtis, fruſtraque dicitis: Nos eis congregandis laboravimus, cùm ſcriptum legatis: labores impiorum juſti comedent*, ſive ut eſt in 70. *theſaurizantur juſtis divitiæ impiorum. Proverb.* 13. De quo eodem juſtiſſimo acquirendi hæreticorum bona titulo *Job.* 27. ſic docemur: *Hæc eſt pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, hypocritarum avarè rapientium*, & poteſtate ac principatu abutentium, *quam ab omnipotente ſuſcipient. Nepotes impii non ſaturabuntur pane. Præparabit quidem ſibi veſtimenta, ſed juſtus veſtietur illis: comportavit quaſi terram argentum, ſed illud innocens dividet.* 52

Nec ignoramus conſuetudine, & ſtatutis plurimorum locorum receptum eſſe, ut in civitatibus pro aliquo gravi crimine, puta rebellionis, proditionis, vel hujuſmodi, animadvertatur non tantùm in corpus delinquentis, ſed ejus bona quoque devaſtentur, Farinacius *q.* 116. *§.* 1. *n.* 28. *& ſeqq.* Jul. Clar. *§. fin. pract. crim. q.* 82. *ſtat.* 8. *num.* 1. domus, ædificia, & palatia magnifica diruantur, adeo ut vel ſola rudera parietum relinquantur, & ſubinde etiam nulla veſtigia amplius appareant, Bajard. *dict. q.* 82. *ſtat.* 8. *num.* 1. Sic olim domus Spurii Melii regnum affectantis complanata eſt populi judicio, & area Æquimelium dicta. Varro *in* 4. Valer. Maxim. *libr. 6. capit. 3.* Cic. *pro dom. ſua, & in Caten. majo.* Sic Spurii Caſſii domus ſubverſa ob concupitam dominationem, & interempto ſuperjecta. Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 8. Sic cùm Q. Gallus Prætor a cculatus eſſet, quòd in mortem Octavii Cæſaris conſpiraſſet, præter mortem, hanc pœnam luit, ut domus a plebe diriueretur. Appian. *lib. 6. bell. civil.* prout hæc refert Gregor. Tholoſan. *lib.* 35. *ſymtagm. cap.* 1. *n.* 9. & 10. Id, quod adhuc hodie multis in locis obſervatur, teſte Alberico, & Paride de Puteo apud Clarum. Et quamvis idem Clarus *d. q.* 28. *ſtat.* 8. putet, hæc non ſcripto jure, ſed conſuetudine tantùm hinc inde introducta, uti & Capycius loco mox citando, tamen Antonius Gomez *var. reſol. tom.* 3. *cap.* 2. *de crimin. læſæ Majeſt. num.* 11. *in fin.* docet, jure ſcripto jam proviſum, & cautum eſſe, ut læſæ Majeſtatis rei ædes deſtrui, & ſolo æquari oporteat, nec unquam reſtaurari poſſint in perpetuam memoriam, & infamiam delinquentis, quod probat textus *cap. Felicis de pœnit. in 6.* ubi diſertè ſtatuitur, illum, qui occidit, vel offendit Cardinalem, committere crimen læſæ Majeſtatis, & ultra pœnas eo loco ſancitas, etiam ædes demoliendas eſſe. Verba textus ſunt: *Fiant habitationes ejus deſertæ, non ſit qui eas inhabitet, dentur cuncta ejus ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina teſtetur, nullo tempore reparentur.* Quod hæc juſtè fiant haud eſt dubium, Luc. de Pen. *in l.* 1 *de pet. bon. ſublat. l.* 10. Quia ſi Princeps poteſt ejuſmodi rei bona publicare, poteſt etiam diruere, Capyc. *dec.* 130. *num.* 71. ubi cenſet, æquiſſimum hoc eſſe in deteſtationem tanti criminis.

Et

54 Et profectò neque divina etiam exempla deſunt. Nam ob peccatum civium Hierichanorum anathematizati ſunt theſauri; inde Acham, qui regulam auream cum quibuſdam aliis pretioſis ſubtraxerat, de anathemate tuliſſe dicitur, *Job.* 7. Sic Amalecitarum peccato factum, ut eorum animalia interempta, 1. *Reg.* 15. Sic Deus comminatus eſt *Deut.* 13. *Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipſa civitate ſuccendes, itaut univerſa conſummas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus, non ædificabitur amplius.* Sic obſtinatio Pharaonis cauſa fuit poſſeſſionum igni, & grandine, ac jumentorum, & primogenitorum lue ablumptorum.

55 Quinimmò non ædes tantùm ac palatia, ſed nonnunquam etiam totæ civitates everſæ, ſolo æquatæ, & aratro ſubjectæ fuerunt, Cajard. *in addit.* ad Clar. *§. læſæ Majeſtatis num.* 25. *ſpecial.* 19. & 31. Sic Urbs Caria Peloponnenſium tota deleta eſt, quod eum Perſis adverſus Græcos fœderatos conſilia belli injiſſet. Vitruv. *lib. arch. cap.* 1. Exciſa Carthago ob rebellionem, & exarata, Lixius *lib.* 51. Plin. *lib.* 15. *nat. hiſt. cap.* 18. S. Auguſt. 3. *de Civit. cap.* 21. *l. uſusfructus quibus mod. uſufruct. amit.* Salaminorum Civitas ob proditionem decreto Athenienſium tota ſubverſa eſt. Pauſan. *in* 1. Sic a Tullio Hoſtilio Alba diruta ob crimen proditionis Albanorum, Flor. *lib.* 1. *epit. c.* 3. Virgil. 8. *Ænead.* prout hæc exempla refert Tholoſ. *lib.* 35. *p.* 3. *c.* 2. *ſyntagm. num.* 19. & 20. ubi *n.* 18. addit, talem pœnam ab ipſo Domino Deo in Idololatras, hoc eſt hæreticos, decretam, Deuter. *cap.* 13. & habetur *cap. Si audieris* 23. *qu.* 5. *Si audieris*, inquit textus, *in una civitatibus dicentes, eamus, & ſerviamus diis alienis, interficiens necabis omnes, qui ſunt in ea civitate & incendas eam igni, & erit ſine habitaculo in æternum, nec reædificabitur.* Quid obſecro peccarunt domus, palatia, urbes, ſenſus, & rationis expertes, in quas ob hominum delicta pars pœnæ redundavit? Planè nihil. Quid inſontes? Quid innocentes civitatum incolæ? Neque hi quidem. Undè Grat. *in cap. Eccleſia* 1. *q.* 4. Si ergo, inquit, quæ ſenſu carent, execrantur, vel anathematizantur, ſi ea, quæ vim intelligendi non habent, peccatis hominum perduntur, patet, quòd nullum excuſet ignorantia criminis, certis nimirùm caſibus, peccato quoque plebis, electi ſæpè ſunt impediti, & tandem cum iis Prophetæ ducti captivi.

56 Nemo ergo miretur, liberos inſontes puniri cum patre, cum nomen patris, & memoriam referant, ejuſque ſanguine ſati, eandem ſæpè cum patre indolem repræſentent, cùmque hac pœna diu vivant in ore famæ, in animis hominum, ut ſint exemplum, quo deterreantur cæteri mortales. Iſtud enim imitata eſt Livia Auguſti, de qua Tacitus *lib.* 4. *Annal. Florentes privignos cùm per occultum ſubvertiſſet, miſericordiam erga afflictos palàm oſtendebat.* Tale quid ſecutus Avidius Caſſius, qui Vulcatio teſte, *multis deſertoribus manus excidit, aliis crura incidit, ac poplites, dicens, majus exemplum eſſe viventis miſerabiliter criminoſi, quàm occiſi.* Eidem rei attenderunt Græci, qui Caryatibus occiſis, ipſorum uxores rapuere in ſervitutem; *nec ſunt paſſi ſtolas, nec ornatus matronales deponere, ut non uno triumpho ducerentur, ſed æterno ſervitutis exemplo gravi contumelia præſſæ, pœnas dare viderentur pro civitate.* Vitrov. *Archiv. l.* 1. Nec aliò ſpectabat ſententia Thraſeæ, damnantis Antiſtium, ſervata Taciti *lib.* 14. *Annal. Quin Inſula publicatis bonis quo longiùs vitam traxiſſet, eò privatim miſerior, & publicæ clementiæ maximum exemplum futurum.* Idem in mentibus libertorum Cladii, dum ei conſuadent deliberanti de pœna Mithridatis: *Arriperet oblata, & ſervaret exulem; cui inopi quantò longiorem vitam, tantò plus ſupplicii fore.* Tacit. *lib.* 12. *Annal.* Nec ad alium ſcopum dirigitur telum Gotarzis eodem librante Tacito *ibidem: Ille non propinquum, neque Arſacis de gente, ſed alienigenam, & Romanum increpans, Meherdatem auribus deciſis vivere jubet, oſtentui clementiæ ſuæ, & in nos dehoneſtamento.* Unde diſertè de liberis, quorum parentes convicti crimine Majeſtatis Imperatores Arcadius, & Honorius ſæpè citata *l. Quiſquis* 5. *C. ad l. Jul. Majeſtatis ſint perpetuò egentes, & pauperes. infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perveniant; ſint proſtremò tales, ut his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.*

Quantum enim lateat dedecoris in iſtorum vita probè expreſſit Themiſtius *orat.* 8. *ad Talent. Imper. Quo circa tu ex omnibus Imperatoribus noſtris, eos, quibus te, omiſſo rigore, placidum oſtendiſti, gravius ultus es, pudore illos ſuffundens, & adigens ad pœnitendum, ſuaque ipſorum, quam ex facto concepere, triſtitia puniens delinquentes, cum vel inde colligerent, quantum mali, ex quo digno contra ſupplicio affecti non eſſent, perpetraſſent. Intolerabilior enim longè mœſtitia, & maceratio eſt liberali indole prædito, cum erubeſcere, cum pudore, quam corpore pœnam luere cogitur hoc evidenti argumento; quia in corpore læſi obfirmato vultus animo fortiter ſuſtinent, ac tolerant; pudore autem inducti mortem non pauci ſibi conſciverunt.* Quare etſi alta videtur, minimè tamen talis eſt oratio Cataracti ad Cladium *lib.* 12. *Annal.* Taciti: *Si ſtatim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruiſſet, & ſupplicium mei oblivio ſequeretur. At ſi incolumen ſervaveris, æternum exemplar clementiæ ero.*

Nunc ad argumenta pro rationibus dubitandi allata 57
redeo, & ad Regulas illas generales in contrarium allegatas reſpondeo primò illud tritum: Quod nulla regula ſit ſine exceptione. *Nov.* 39. *cap.* 1. *§. & facta.* Licet igitur allegatæ regulæ in theſi veræ ſint, tamen in hypotheſi, & propoſito crimine læſæ Majeſtatis vel divinæ, vel humanæ locum non habent. Regula enim non valet, quando expreſſum jus contrarium ſtatuit, aut aperta ratio contrarium evincit, *l.* 1. *ff. de reg. jur.* Et quamvis ſine culpa regulariter nemo ſit puniendus, hoc tamen ita eſt intelligendum, niſi ſubſit cauſa, *cap. Sine culpa* 23. *de regul. jur. in* 6. Multa enim fiunt ſine culpa, quæ non fiunt ſine cauſa. Huc facit textus *in cap. Quoniam frequenter, §. Porrò*, ibi: *Quoniam in conjugio caſus multi occurrunt, in quibus conjuges ſine culpa, ſed non ſine cauſa continere coguntur. Extr. ut lit. non conteſt.* Sic conjugi innocenti abſtinendum eſt a nuptiis, ſi ob alterius adulterium factum eſt divortium, *c. hi, qui* 23. *qu.* 7. idque propter indiſſolubilem matrimonii nexum. Sic qui ignorantes per ſimoniam ad beneficium promoti ſunt, licet culpa careant, tamen removentur, *cap. de regularibus* 25. *cum cap. ſeqq. extr. de Simon.* idque propter deteſtationem ſimoniæ. Sic filii naturales ab Ordinibus Eccleſiaſticis removentur ob incontinentiam parentum, *tot. tit. & in* 6. *de fil. presbyter.* Sic ſi rector Eccleſiæ ſit leproſus, debet ab adminiſtrationis officio removeri, *cap.* 4. *extr. de Cler. ægrot.* propter ſcandalum, & abominationem populi. Sic liberi naturales patri regulariter non ſuccedunt, & quamvis ipſi non peccarint, ſed eorum parentes, nihilominus per privationem hæreditatis puniuntur, *l. ultim. C. de natural. liber.* ubi ratio redditur, ut vitium paternum in iis refrenetur; adeoque id fit in odium levitatis, & libidinis, ut Imperator ſentire videtur *in tit. Nov.* 89. ubi ait, ſe non dare luxuriantibus, ſed pudicis legem. Cùm itaque etiam in crimine læſæ Majeſtatis multæ cauſæ ſint, quas modo recenſui, quare filii cum patribus puniantur, ideò neceſſarium non eſt aliquam ſubeſſe culpam. Neque deſunt leges, & exempla, quibus apertè habetur, quod ſubindè alii pro aliis, puta proximi, ſubditi, familiares, domeſticique temporali pœna puniti ſint, etſi ſceleris participes non fuerint, *c. Eccleſia* 1. *q.* 4. quemadmodum infra pluribus oſtendam.

Ad Regulas magis ſpeciales ſecundo loco adductas 58
reſpondeo primò, quod Regulæ per exceptiones vitientur, *l.* 1. *v. Vitiata eſt, ff. de regul. jur.* Et quod a regula communi ex cauſa recedi poſſit, *l. Ita vulneratus circa fin.* ibi: *Multa enim, ff. ad l. Aquil. l. Utilitatem, ff. de confirmat. tut. l. Si domus, §. Qui confitetur*, ibi: *juſtam autem cauſam adfert, ff. ad l.* 2. *l. Regula in pr. ff. de jur. & fact. ignor.* Aliter reſpondet Tholoſanus *par.* 3. *lib.* 35. *cap.* 1. *ſyntag. num.* 25. quod illa axiomata vera ſint in criminibus vulgaribus, in atrocioribus autem non omninò recipiantur. Nam in crimine læſæ Majeſtatis, tùm divinæ, tùm humanæ, & propter atrocitatem ejus, & propter rationes allegatas peculiare eſt, ut filii unà cum parentibus puniantur.

Ad tertiam ex ſacris literis petitam objectionem 59
reſpondeo, quod in aliquibus caſibus, etiam ſecundùm divinum judicium, filii pro patribus puniantur temporaliter, juxta canonicas ſanctiones quandoque feratur ultio non ſolùm in authores ſcelerum, ſed etiam inprogeniem damnatorum, *c. Vergentis extr. de hæret.* Præterquam enim quòd Deus *Exod.* 20. ad Moyſen dicat; *Ego ſum Deus zelotes*, qui viſito peccata patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem, *cap. Homini* 1. *qu.* 4. Exempla paſſim in Sacra Scriptura occurrunt. Nam ob peccatum Achor plebs Iſraelita in hoſtium manus venit, *Joſ.* 7. Propter peccatum filiorum Heli, & pater, & populus gladio hoſtili occubuere, 1. *Reg.* 4. Navicula Jonæ, & qui in ea erant periclitabantur ob unum Jonam fugitivum, *Jon.* 1. Ob peccatum Davidis populi ab Angelo facta miſeranda ſtrages, 2. *Reg. cap. ultim.* Filiorum parvulorum Sodomitarum ætas, vel ignorantia non prohibuit, quin una involverentur vindictæ parentum, *Gen.* 19. Sicut & peccante

cante patre Cham filius ejus Chanaan maledicitur, *Gen. 9.* Et pro Giezis peccato posteri ejus lepra puniti sunt, 4 *Reg.* 5. Ob peccatum Accab, & posteri de solio dejecti, 3. *Reg.* 19. Sic Davidi remissum quidem est peccatum, sed audivit; non auferetur gladius de domo tua, 2. *Reg.* 12. Item & Ezechiæ dictum ob ejus peccatum futuros quoque ejus filios eunuchos in palatio Babylonis, 4. *Reg.* 20. Et erat constans opinio inter eos, qui veram legem Dei profitebantur, aliquando in filios transferri ultionem parentum a Deo. Quare de ceco nato discipuli Dominum interrogarunt, quis peccasset ille ne, an parentes ejus? *Joann. 9.* Quemadmodum hæc & plura alia pulchrè congerit Gratianus in Decreto *cap. Ecclesia 1. qu. 4.* Gregor. Tholosan. *in syntagm. jur. l. 35. c. 1. num. 27.* Exemplum habemus in novo testamento *Matth. 27.* ubi cùm Judæi clamarent sanguis ejus super nos, & super filios nostros, etiam posteri eorum obnoxii fuerunt pœnæ mortis Christi, *d. c. Ecclesia 1. qu. 4.* Ad S. Augustinum respondeo, illum loqui non de pœna temporali, sed spirituali. Ita Covarr. *var. resol. lib. 2. cap. 8. num. 6.* Id quod ex ipso *cap.* 10. satis colligi potest, quando hæc verba adduntur, *nec pro peccatis parentum spirituali pœna filii sunt plectendi*. Ut jam nihil dicam, quod aliqui velint, Grat. relictis S. Augustini verbis, sua supposuisse, mentem illius non adeò benè assequutum. Ita *addit. ad d. c. 10.* Sic explicat etiam additio *c. 1. caus. 24. q. 3.* apud Ivonem, rationem S. Augustini assignans his verbis: *neque enim hæc corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum omnibus suis, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos*. Mens itaque S. Augustini, aliorumque eo spectat, ne filii afficiantur pœna aliqua spirituali. Id quod ultrò fatemur. Deinde responderi potest, S. August. eo loci facere discrimen inter peccatum originale, & actuale, quoque liberi illud a parentibus trahant, non etiam hoc. Vide Covarr. *d. cap. 8. num. 6.* ubi etiam aliter respondet.

Quæ cùm ita sint, non est mirum, quod legumlatores nostri divinam justitiam imitati, pœnam ultra delinquentes in atrocioribus quandoque extendant; ut proindè in crimine hæreseos in filios pœna extendatur ad primam, & secundam usque generationem, itaut filii sint inhabiles ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium sæculare, si patres ante mortem Ecclesiæ incorporati non fuerint, *c. Statutum de hæretic. in 6.* Tholos. *eod. lib. 35. cap. 1. num. 26.* Ob eandem causam bona hæreticorum confiscantur, itaut nihil eorum ad filios deveniatur, *d. c. Vergentis extr. de hæret.* Ut igitur paucis me expediam, & dicta sacræ Scripturæ cum exemplis allatis conciliem, respondeo cum Antonio Gomezio *tom. 3. cap. 1. num. 13.* pœna æterna nunquam puniri filium pro patre, nec unum pro alio, & ita intelligendam esse auctoritatem sacræ Scripturæ post Innoc. *Gravem de sent. excom.* puniri tamen pœna temporali, *d. cap. Vergentis extr. de hæret.* Siquidem, ut ait idem Aug. relatus *in c. Si habes 24. qu. 3. Tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura.*

60 Ad quartum respondeo cum distinctione. Vel enim confiscatio fit vivo adhuc perduelle, vel eo mortuo. Si vivo, tunc non potest dici, quod pœna ab hærede exigatur; quando enim ipsi delinquenti bona jam fuerunt adempta, & in fiscum redacta, ipse potiùs fuit punitus, non hæres. Et quia nihil eorum ad ipsius hæredem pervenit, consequens est, illum in bonis puniri non posse. Si verò confiscatio fit primum post mortem perduellis, speciale esse dico in crimine læsæ Majestatis, ut delicta, & pœna morte non extinguantur, *l. ult. C. ad l. Jul. Majest. l. Ex Judiciorum ff. de accus. l. Pannonius, §. rei perduellionis, ff. de acqu. hæred. §. Per contrarium, v. Damnata, Instit. de hæred. quæ ab intest.* Jul. Clar. *§. læsæ Majestatis v. Item licet*, Peregr. *de jur. Fisci lib. 4. tit. 5. n. 19.* Farinac. *de Inquisit. lib. 1. qu. 10. n. 42.* Ratio specialitatis est, quia ex quo sceleratissimum quis consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est, *l. ultim. ad l. Jul. Majest.* Item quia cùm pœna in hoc crimine imponatur ipso jure, ideò transit contra hæredes, Glossa *in l. 3. §. Quod autem, ff. Quod quisque jur. tex. in l. ultim. C. ad l. Jul. Majest.* Gomez. *var. resolut. tom. 3. c. 2. num. 2. &* 5. Quemadmodum in simili dicunt, quando vassallus committit ejusmodi feloniam, propter quam feudum perdatur ipso jure, & quando talis fit injuria, quæ trahit secum exequutionem, tunc etiam in hæredem transire, *l. 3. §. Quod ait Prætor, ff. Quod quisque jur.* Bald. *in l. Imperialem, §. Insuper de prohib. feud. alien. per Frider.* Capyc. *dec. 130. n. 16.*

61 Ad quintum respondeo, *Auth. Ut. nulli Judicum* loqui in illis casibus, ubi lex tantùm pœnam capitis, vel deportationis imponit, secus si utramque, ut in crimine læsæ Majestatis, & hæreseos, in quibus speciale est propter enormitatem delicti, ut utraque pœna corporalis, & pecuniaria locum habeat, Capyc. *d. dec. 130. n. 40.*

Ad sextum respondeo, olim rei damnati bona regula- 62
riter fuisse publicata, *l. 1. in pr. ff. de bon. damn. l. Eum, qui in pr. ff. de interd. & releg. l. Si ademptis, C. de sent. pass.* Illud autem jus ita generaliter disponens postea fuisse mutatum per *Nov. 17. Nov. 133. §. penult.* Illa ipsa tamen mutatio non ita fuit universalis, ut non aliqui casus remanerent excepti, Farin. *qu. 25. num. 7.* qualis Julius Clarus *§. fin. quæst. 78. in pr.* puta omnes illos, quibus alicui crimini nominatim lege aliqua publicatio fuerit imposita. Exempli causa, si quis ob crimen falsæ monetæ fuerit damnatus, Jul. Clar. *d. §. fin. 78.*

Id ipsum adhuc in crimine læsæ Majestatis divinæ, 63
quale est hæresis, observatur, *cap. Vergentis de hæret.* & ibi Doctores, traditque Gomez *d. tom. 3. cap. 2. num. 1.* ut videlicet tunc quando hæreticus, vel apostata damnatur, bona ejus publicentur, Julius Clarus *d. qu. 78. in pr. & §. Hæresis num. 12.* Menoch. *lib. 5. præsumpt. 37. num. 2.* Idem in crimine læsæ Majestatis humanæ servandum esse convincit textus in *d. Auth. in fin.* ubi presè habetur, in Majestatis crimine condemnatis veteres leges servari jubemus, quæ sunt *l. penul. l. fin. §. penultim. C. ad l. Jul. Majest. l. Quisquis, C. eodem*, Jul. Clar. *d. qu. 78. & in §. læsæ Majestatis num. 9.* Gomez *loc. cit. num. 11.* Soar. *lit. B. num. 30.* Vivius *comm. opin. lib. 2. v. Confiscari num. 1.* Farinac. *qu. 25. num. 11.* Gothofr. *ad d. Nov. 133. cap. fin.*

Et quamvis aliqui cum Glossa velint per *Auth. Bona* 64
damnatorum excipi crimen læsæ Majestatis tantùm in primo capite, videlicet quando contra supremum Principem, vel Rempublicam molitio fuit facta; secus si crimen hoc contra inferiorem commissum, Jul. Clar. *d. num. 9. in fin.* nihilominus contrarium, quod textus ille loquatur generaliter, & indistinctè, ac proindè quod verba illa *Veteres leges servari jubemus*, generaliter sunt intelligenda docet Capyc *dec. 530. num. 32.* Bald. *ad d. Auth. Bona damnat. in sum.* Laurent. *in tract. de crim. læsæ Majest. in 18. not.* qui simpliciter dicit, in crimine læsæ Majestatis etiam hodie non reservari bona filiis, cum quo consentit ipse etiam Julius Clarus *in §. leze Majestatis num. 9. in fin.* ubi testatur, hanc limitationem consuetudine non servari per rationem, quod verba generalia generaliter sint intelligenda, *argum. l. 1. ff. de aleat. l. Si Servitus, ff. de servit. urb. pred. l. 3. ff. de offic. Presid.*

Ad septimum respondetur, oppositam *l. antep.* reci- 65
pere varios sensus, & interpretationes. Glossa putat, eam habere locum in aliis capitulis quàm contra Principem, vel Rempublicam. Vide Capyc. *dec. 130. n. 17.* Aliter respondet eadem Glossa, nimirum, quòd bona eorum, qui fuerunt liberti damnatorum Majestatis crimine, reserventur liberis damnatorum, & tunc demum fisco vindicentur, si nemo damnati liberorum existat, hoc esse speciale in hæreditate libertorum damnati, ut reserventur liberis, alia autem bona fisci. Idem *ib. num. 20.* Sed Gothofredus *ad d. l. antepen.* respondet, hodie id mutatum, fisco omnia occupante, *l. 5. C. ad l. Jul. Majest.* vide hanc legem ad longum examinatam apud Conrad. *de Regal. cap. 3. num. 203.* cum multis sequentibus.

Ad Octavum respondeo, hanc Budæi, & Julii Cla- 66
ri opinionem receptissimæ aliorum Doctorum sententiæ, & juris etiam veritati repugnare. Nam dispositio *d. l. Sancimus* cum reliquo jure communi, quod allegatum fuit argumento 1. & 2. concordat: absurdum autem esset dicere, hoc jus commune obstare, quo minus observandum sit, quod in *l. Quisquis* constitutum est, Farinac. *qu. 117. §. 3. num. 101.* cùm præsertim in ea lege de attrocissimo crimine læsæ Majestatis agatur, ideòque verisimile non sit, Imperatores Arcadium, & Honorium in *d. l. Sancimus* expresè non facturos fuisse ejus criminis mentionem, si *d. l. Quisquis* abrogare voluissent. Nec censetur vetus jus per novam constitutionem abrogari, si hæc illius juris, sive rei, de qua aliquid cautum est jure illo veteri, non faciat mentionem expressam, *l. Precipimus in fin. C. de appell. l. Sancimus, C. de testam.* Jas. *in authent. ex testam. num. 5. C. de collat.* Paulò aliter respondet Harprecthus *§. Publica autem, Institut. de public. judic. a num. 63.* Cum Imperatores Arcadius, & Honorius utriusque legis, tàm *l. Quisquis, Cod. ad l. Jul. Majestat.* quàm *l. Sancimus, Cod. de penit.* auctores sint, hi autem *in d. l. Sancimus* nominatim non meminerint filiorum rei per-

duel-

duellionis, ſed aliorum propinquorum notoriorum, affinium, & familiarium, minimè putandum eſt, iſthanc conſtitutionem ad filios etiam porrigendam eſſe. Quicquid enim nova lege ſpecialiter expreſſum non eſt, id veterum legum, conſtitutionumque regulis relictum intelligi debet, *l. Præcipimus, §. ultim. C. de appell. & c. 2. tit. de conſtit. in 6.* Ac poſteriores leges eatenus prioribus derogant, hiſce potiores ſunt, quatenus ipſis omnino ſunt contrariæ: alioquin poſteriores ad priores pertinent. *l. Non eſt novum 26. cum duabus ſeqq. ff. de conſtit. Princip.* Cæterùm quamvis ex abundanti concederetur, poſteriori iſta *l. Sancimus, C. de pœn.* priorem *l. Quiſquis, C. ad l. Jul. Majeſtat.* eſſe ſublatam, attamen non ineptè dici poterit, diſpoſitionem priori hujus legis in uſum revocatam cenſeri per textum *l. Quando in fin. C. de bon. proſcript.* Boer. *in tr. de crim. Majeſt. c. 3. num. 54.*

67 Ad nonum reſpondetur, ab iſta diſpoſitione diſertè excipi caſus læſæ Majeſtatis, *l. Quando, C. de bon. proſcript. l. Quiſquis, Cod. ad l. Jul. Majeſt. Nov. 134. leg. ultim.* Deindè extra illum caſum in praxi non ſervari, quod in argumento allatum fuit, Julius Clarus *§. fin. quæſt. 78.* Bajard. *in addit. ad Clar. §. Læſæ Majeſt. numer. 25.* ubi facit hanc differentiam inter liberos maſculos, & fœminas, quod filii nihil conſequi poſſint è bonis paternis, ſed filiæ ſaltem dotem, *dict. leg. Quiſquis, §. ad filios.* Similiter etiam Vveſembecius *d. numer. 4.* ſeipſum corrigendo addit: Niſi quis exiſtimet in hoc Majeſtatis crimine veteres leges etiam num valere, *argum. auth. bona damnatorum, Cod. de bon. proſcript.*

68 Et meritò veteres leges adhuc valere debent. Quomodo enim aliàs verum eſſet, quod liberis perpetua egeſtate ſordentibus ſit, & mors ſolatium, & vita ſupplicium, *l. Quiſquis, C. ad l. Jul. Majeſt.* ſi ipſis legitima de bonis paternis eſſet relinquenda? Ac ſanè quod legitima non ſit relinquenda liberis perduellis, pulchrè probatur in argumentis. Primò, Imperatores Arcadius, & Honorius dilucidè ſatis reſcripſerunt, omnia bona rei perduellionis Fiſco addici, *d. l. Quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt.* unde neceſſariò ſequitur, quod inde legitima liberis non relinquatur. Deinde & illud eſt juris non incogniti, quod, vivo adhuc parente, legitima liberis non debeatur ex ejus bonis, *lib. 1. §. Si impubere in fin. Digeſt. de collat. bonor.* Mynſing. *cent. 4. obſer. 25.* Hinc parens nulla habeat bona, quando moritur, liberis nulla etiam legitima aſſignari poteſt; ſed vivo adhuc parente, perduellionis reo, bona ejus omnia ante condemnationem quidem ita Fiſco ſunt obligata, ut nihil inde alienari poſſit, *l. Donationes, §. ult. ff. de donat. l. ult. in princ. C. ad l. Jul. Majeſt.* & ſimilibus. Et poſt ſententiam condemnatoriam ipſius confeſtim dominium totius ſubſtantiæ Fiſco cedit, etiamſi ipſe parens adhuc vivat, nondumque ultimo ſupplicio mulctatus, *argum. l. Quæſitum in princ. ff. qui & a quibus manumiſſi, &c. d. l. Quiſquis,* ibi. *gladio feriatur, bonis ejus omnibus Fiſco noſtro addictis, C. ad l. Jul. Majeſt.* Inde ergo concludere promptum eſt, quod ex bonis patris rei perduellionis, vel hæreſis legitima liberis non competat, Cujac. *lib. 6. obſerv. cap. 23.* Farin. *qu. 116. §. 3. num. 77. & qu. 24. num. 37. & ſeqq. cap. Vergentis de hæret.* vel filii reddantur incapaces omnis ſucceſſionis paternæ, ut ſic patres timore pœnæ ita gravis deterreantur a tali crimine. *Auth. Garzaros, C. de hæret.* & tradunt Gloſſa *in c. Cum ſecundum de hæret. in 6. Pegna 2. p. Direct. 9. comm.* Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 29. num. 12.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 16. num. 26.* & Del bene *de offic. S. Inquiſ. par. 1. dub. 123. ſect. 5. num. 7. & 8.*

69 Ad decimum reſpondetur, legem illam ultimam eo caſu procedere, quando pater dum vixit, non fuit inſimulatus alicujus criminis, ſed poſt mortem primùm reus factus; tunc enim per publicationem bonorum ſtatim ab exequutione incipiendum, ſed liberis, qui alioquin jus quæſitum in bonis paternis poſt mortem habent, meritò permittendum eſt, ut defenſionem patris ſuſcipere, & crimen purgare poſſint. Nos autem verſamur in caſu longè diverſo, & quidem tali, quando vivus pater reus poſtulatus, condemnatus, & proſcriptus fuit, cujuſque bona adhuc ſuperſtitis jam ceſſere Fiſco.

70 Ad undecimum reſponderi poteſt primò: Imperatoribus Arcadio, & Honorio in *l. Quiſquis*, & Federico *in auth. Gazaros*, ac Summis Pontificibus Alexandro, & Bonifacio in ſuis Conſtitutionibus, hoc quod de liberis ſtatutum eſt non videri durum, affirmantibus ſe liberis rei læſæ Majeſtatis, qui paterno debuiſſent punire ſupplicio, vitam Pontificia, & Imperiali lenitate ſpecialiter concedere: quippè filii reorum criminis Majeſtatis divinæ, vel humanæ deberent, & ipſi ultimo ſupplicio affici, niſi ex gratia ipſis vitam reſervaſſent, Farinac. *d. q. 116. §. 3. n. 47.* Reſpondeo ſecundò, multa eſſe, quæ videntur dura, & tamen legibus cauta ſunt, *l. Proſpexit, ff. Qui & a quibus*, Gail. *2. obſerv. 154. n. 5.* Coler. *de proceſs. execut. p. 1. c. 6. n. 141. per l. 2. §. 3.* & ibi Gothofr. *ff. de peric. rei emp. & vend.* Licet itaque hoc crudele putemus, tamen antiquum eſt, & omnium civitatum commune, ut ait Cicero *in ep. ad Brutum*, ut charitas liberorum amiciores redderet Reipublicæ parentes, Cujac. *in parat. C. ad l. Jul. Majeſt.*

Ad decimum ſecundum reſpondetur; Julii Clari teſti- 71
monium exiguam fidem mereri, quemadmodum etiam Angelus, contra quos ſtat Farinacius videndus *qu. 116. §. 4. num. 146.* Taceo, quod Julius Clarus verba faciat de crimine commiſſo contra aliquam civitatem. Similiter Vveſembecius illud tantùm dicit ſe nunquam vidiſſe ſervari, quod in liberos tranſeat infamia, & prohibitę teſtamento factionis pœna, teſtatur tamen *ib. n. 4.* uſurpatam pœnam gladii cum publicatione bonorum. Ut autem appareat impudentia, & temeritas aſſerentium, neminem reperiri, qui viderit tales pœnas in filiis obſervatas, adducam ex Gregorio Tholoſano *p. 3. ſyntagm. lib. 35. c. 1.* exempla quædam, e quibus luculenter apparebit, falſiſſimum eſſe, quod tam audacter negatur.

Cùm Gracchi ſtatum civitatis conati ſuiſſent convel- 72
lere, Tyberius, & Cajus tàm acerbam de iis vindictam ſumpſere, ut non tantum corpora eorum inſepulta jacuerint, ſed eorum etiam familiares, ne quis poſthac inimicis Reipublicæ amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt, Valer. Maxim. *lib. 3. cap. 3.* Appian. *1. ve bell. civil.* Plutarch. *in vit. Gracch.* Plin. major. *lib. 14. c. 4.* Plin. jur. *de vir. illuſtr. c. 64.* & *65.* S. Auguſt. *13. de civit. cap. 24.* Floren. *in epit. lib. 3. cap. 14. 15. 16.* Commodus Cæſar capite plecti juſſit Cleandrum Phrygem genere, Præfectum militum, & cubiculi ſui, quod copiam multam frumenti coegiſſet, ut tempore famis favorem populi ineſcaret pro ſuo imperio, dum illum largiretur, ſociique & filii ejus una interfecti, & corpora eorum in chloacas projecta. Herod. *l. 1.* Sub Tyberio Ælius Sejanus ob crimen Majeſtatis damnatus, & capite mulctatus eſt, caputque ejus in Gemonias ſcalas projectum, omnibus ejus liberis interfectis. Dion. Caſſ. 58. Cornel. Tacit. *annal. 5.* Sic. ſcribit Juſtinus ex Trogo *lib. 10.* & Plutarchus *in Artax.* quod habitum fuerit judicium, & ſupplicium exactum de conjurantibus in vitam Artaxerſis Regis Perſarum, & in uxores, & in eorum liberos, ne aliquod tanti ſceleris veſtigium ſupereſſet: Sic Ptolomæus Ægypti Rex ſumpſit judicium de Crateſiclea matre, & liberis Clemenis, qui in ſalutem Principis conjurat. Plutarchus *in Cleomede*. Narrat. Q. Curtius *l. 6. de geſt. Alex.* legem Macedonum eſſe, ut propinquis eorum, qui Regi inſidiati eſſent cum ipſis necarentur. Sic Darius Perſarum Rex; cùm Intaphernes repulſam a Janitoribus ejus paſſus nares eis abſcidiſſet, ſupplicium ſumpſit de crimine in ſolos Janitores admiſſo, non tantùm de ipſo Intapherne, ſed de omni ejus familia, cognatione, & liberis. Herod. *in* 3. Alexander Magnos novit, qui, quantique faciendi ſunt Principes, atque id exemplo docuit. Juſſit enim Baryaxem Medum cum ſociis defectionis necari, quod erecto Cydari capiti impoſita ſe Medorum, & Perſarum Regem appellaſſet. Arrian. *lib. 6. exped. Alex.* Atque hæc quidem de antiquiſſimis, ac aliarum etiam Gentium exemplis, de recentioribus alio loco. Hic breviter oſtendiſſe ſufficiat, quàm acerbè in læſæ Majeſtatis reos antiquitas animadverterit, qui non tantùm in ipſum Principem, ſed in ejus etiam miniſtros deliquerunt, itaut liberis non tantùm bona paterna adempta, ſed & vita; immò non liberis tantùm, ſed ipſis quoque amicis, ſociis & familiaribus.

Ad decimum tertium reſpondetur; nos non inficia- 73
ri, quod diverſis modis juxta diverſitatem legum, edictorum & ſtatutorum in locis, ubi commiſſa fuerint, puniantur. Quodque in hoc crimine puniendo Principes vel pro facilitate, vel aſperitate ſua, in quam propendebant; item ex cauſa perſonarum, & imminentis periculi, varias pœnas ſtatuerint; quemadmodum id exemplis demonſtrat idem Tholoſanus *d. cap. 1. num. 8. & 36.* ubi *num. 29.* ſic loquitur: Cæterùm variarunt tempora, & principum, & locorum leges: & quemadmodum pœnas exaſperare potuerunt reorum pernicies, & criminis periſtaſes, eadem ratione aliquando, & alicubi a pluribus: Regibus, & nomothetis temperatæ ſunt legum vindictæ: quemadmodum id *num. 30. & ſeq.* aliis exemplis oſtendit. Nos interim aperti ſſimis juris utriuſque textibus nixi, juſtam dicimus publica-

blicationem, quam Pontifices Summi, ac Principes ipso facto a legibus jam decretam in reos criminis læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ, etiam in præjudicium liberorum, edicunt. Porrò quod de insontibus liberis a pœna infamiæ, & inhabilitatis liberandis, Boer *num. 36* tradit intelligendum, est secundum Galliæ consuetudinem, at privatio bonorum, & ditionum paternarum, quæ pœna, quia directè non in filios, sed in ipsum parentem tendit, etiam apud Gallos recepta est, quemadmodum id Tholosanus *num. 37.* satis clarè indicat. Vide Farinacium *d. qu. 116. §. fin.*

74 Ad decimum quartum respondemus sicut ad proximum, videlicet, quod cùm aliqui Principes remissiores, & nimis faciles fuissent in puniendo hoc crimine, alii verò nimis severi, Honorius, & Arcadius mediam viam ingressi, legem *Quisquis* tulerunt. Quod & fecerunt Summi Pontifices. Quæ quia in corpus juris relata sunt, merito eis standum est. Non enim exemplis, sed legibus judicandum, *l. Nemo, C. de sent. & inter loc.* Etsi exempla aliquod momentum haberent, ea, quæ supra *in resp. 3.* & 12. allata fuerunt, utique numero, & pondere suo prævalerent. Non sum solicitus de primo authore, & inventore proscriptionis, sufficit eam a legislatoribus nostris approbatam, & communiter ab omnibus receptam esse. Etiam crudelissimi tyranni, quales Diocletianus, & Maximinus bonas, & salutares leges promulgarunt; ut non tàm attendendum sit, quis statuerit, quàm quid statutum sit. Si quis jus confiscandi habent, bona reorum ad Fiscum tantum locupletandum publicant, nemo laudat; si reis, eorumque liberis materiam delinquendi subtrahere student, nemo vituperat, sed plurimum commendat.

75 His ita que in utramque partem ita disputatis, & examinatis manet firma conclusio, atque regula; in crimine læsæ Majestatis tum divinæ tum humanæ reatum patris nocere liberis, etiam innocentibus.

CONSULTATIO LV.

An observatio decretorum S. Inquisitionis, atque Urbani VIII. de Canonizatione Sanctorum admittat ab initio publicationis eorundem aliquod temporis intervallum ad effectum procedendi ad ulteriora in Canonizatione?

1 NEgativè videtur respondendum. Quippè quæ jubent statim amoveri appositа ad sepulchrum, vel Imagines, & reliquias defunctorum cum fama, & opinione sanctitatis. Ponderanda namque est dictio illa *statim*, quæ intelligenda est sine aliquo intevallo, *l. Cum quidam 23. Et statim auferat sine aliquo scilicet intervallo, de legat. 2.* nec ullam prorsus temporis dilationem admittit Rom. *sing. 310.* Matesilan. *sing. 111. in fin.* Socin. sen. *cons. 66. num. 17. vol. 1.* cum aliis plena manu congestis a Tiraquel. *in l. Si unquam, v. Revertatur n. 116. C. de revoc. donat.* Surd. *dec. 111. n. 32.* Grat. *dict. 275.* & Barbos. *dict. 375.* utrobique *num. 1.* Maximè quando prolata est a lege. Nam tunc debet intelligi absque alio intermedio, sicut advertit Ricc. *dec. 338. n. 3. p. 4.* tanquam expressa in sensu proprio, cum de sui proprietate omne temporis intervallum excludat, nullamque dilationem, etiam modicam, admittat juxta notata per Imol. *in l. Divortio 8. num. 4. col. pen. in princ.* & Jas. *num. 13. in fin. ff. solut. matr.* Aretin. *in cap. Cum res legata 47. §. 1. num. 4. in 1. concl. de legat.* Tiraquell. *d. v. Revertatur num. 120.* Surd. *cons. 437. numer. 31. vol. 3.* Grat. *d. 41. num. 10.* & Garz. *de benef. part. 2. c. 5. num. 86.*

2 In quam sententiam urgent etiam verba Brevis ejusque Urbani, dati sub die 5. Julii 1634. libello eorundem decretorum *pag. 10. & seqq.* ibi: *Demum, ut ejusmodi decreta observarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur exequutionem, statuimus,* &c. *ne ex nunc deinceps quispiam ulterius prosequeretur, nisi postulator priùs per legitimas juridicè susceptas probationes,* &c. *prescriptam in supradicto decreto formam omninò servatam extitisse docuerit,* &c. *& nisi postea,* &c. *ab Apostolica Sede ad hæc specialiter delegatus,* &c. *supracitato decreto nullatenus contraventum esse rite pronunciaverit* Exigunt enim precisam illius observationem ab ipsa die promulgationis, continuatam usque in præsens, cùm dictio *omninò* interposita verbis temporis præteriti, nempè *præscriptam in supradicto decreto formam servatam extitisse* idem significet, quod omni tempore secundum Glos. *in auth. Qua in Provincia v. omninò, C. ubi de crim. agi oport.* ac indistinctè ex omni parte, Jas. *in l. Quod te 5. num. 28. ff. si cert. pet.* Bened. Ægid. *in repet. leg. Ex hoc jure, ff. de just. & jur. part. 1. cap. 8. num. 40.* Petr. Barb. *in l. 1. p. 4. num. 19. ff. solut. matr.* ac si dictum foret quoad omnem sui partem, Paris. *cons. 126. num. 29. vol. 1.* Est qui, adeò præcisa, ut omnem gratiam, & dispensationem excludat ex relatis a Tiraquell. *d. v. Revertatur num. 81.* & Sanch. *de matr. lib. 1. disp. 32. n. 6.* nec sinat locum esse purgationi moræ, sicut ex dicto Angel. *in l. fin. n. 4. post med. C. de fideic.* notat Tiraquell. *eo n. 8.*

Dictio verò *nullatenus* non solùm exponitur nullo 3
modo, sed etiam nullo tempore, ut sensus sit nullo modo, nulloque tempore ei contraventum fuisse, Ruin. *cons. 20. num. 10. vol. 2.* Immò tanquam negativa universalem, prout illam aserunt ex Archid. *in cap. Solent. v. Sed natura de consecr. d. 4.* Rom. *cons. 326. n. 11.* & alii penes Tiraquell. *d. v. Revertatur n. 94.* vi sua prorsus excludit quamcumque etiam minimam temporis partem, Jas. *in l. fin. n. 25. ff. de fer.* Gemin. *cons. 33. nu. 2. post medio*, probatque Vulpel. *de præpos. dict. Nullatenus in princ.* cum aliis ac Cosm. *in pragm. sanct. tit. de elect. §. Et ut omnia, v. Recipere ad med. ac tit. de collat. §. Quod si quis, v. Nullatenus,* & Cened. post *lib. pract. & Canon. q. sing. 69. num. 3. & 4.* negatque omnes casus, & potentiam, Menoch. *cons. 382. n. 14. vol. 4.* sicque adimit etiam omnem facultatem dispensandi in contrarium Archid. *in c. 1. n. 3. d. 56. & in c. Quoniam v. Nullatenus de Immun. Eccles. in 9.* Collect. *in c. 1. de princ. de fil. presbyt.* Jo: de Anan. *in c. Qualiter & quando n. 14.* & Jo: Andr. *de acus.* post Zenzel. Imol. *in Clem. 1. n. 19. de ætat. & qual. & in Clem. 1. num. 20. de sequestr. possess. & fruct.* ibique Card. *in §. Si quis autem n. 6. q. 6.* Jas. *d. l. fin. n. 26. ff. de fer. & l. Scriniarios n. 6. C. de testam. milit.* Tiraquel. sub præcit. *n. 65.* & Vulpel. *d. dict. Nullatenus num. 1.*

Quæ planè evincunt paritionem dictorum decreto- 4
rum debere esse instantaneam, cùm prænotatæ dictiones, præter superiùs dicta, habeant vim decreti irritantis, tollendoque omnem potestatem aliter disponendi annullent, ac irritent quicquid in contrarium fit, ut de dictione *omninò* asserunt Ruin. *in rub. ff. de oper. nov. nunc. n. 10.* ibique Par. *n. 56.* Lamber. *de jurep. lib. 2. p. 1. q. 7. art. 30. num. 26. & seq.* Marescot. *var resol. lib. 2. c. 29. n. 11.* & alii penes Grat. *dict. 150. num. 2.* Jo: de Anan. *d. c. Qualiter, & quando num. 14.* Felin. *in c. Ex parte 12. num. 7. de constit.* Jas. *d. l. fin. num. 25. de fer.* dictaque *l. Scriniarios sub. n. 9.* Ruin. *d. rubr. ff. de oper. nov. nunc. nu. 10.* Tiraq. *n. 95.* Roland. *cons. 27. num. 11. & 12. vol. 4.* Osasch. *dec. 156. num. 14.* Rot. *dec. 24. n. 4. p. 2. divers.* Grat. *dict. 144. n. 3.*

Nec ullam inobservationis excusationem probare po- 5
test, supposito quod dicta decreta fuerint solùm post plures annos per Ordinarium intimata. Nam respondetur primò, quod satis est de jure fuisse eorum publicationem more solito factam in Curia Romana, ut eo ipso deberent ubique observari ex his, quæ in specie notant. Jo: Andr. *in glos. ult. super data 6. decretal.* referendo tempore Nicolai III. cassatam fuisse electionem Episcopi in Germania, quia non fuerat in eo observata decretalis *Cupientes de elect. eod. lib. 6.* licèt per duos tantùm menses antea publicata Romæ. Quod sequitur Jo: Monach. *in c. Generalis 81. n. 8.* ibique Prob. *in addit. 2. de reg. jur. in 6.* traditque Bald. *cons. 10.* Abb. *in c. Noverit 49. n. 3. de sent. excom.* Card. *in prox. m. Clem. v. Universitatis n. 4.* Capell. Tholos. *dec. 245. n. 1. in fin. cum seqq.* quæ testatur ita etiam Tholosæ in Gallia conclusum fuisse, ac tenent Sylvest. *v. lex n. 6.* Rosel. *eod. v. n. 4.* & Armil. *nu. 11. & v. Const. 3.* Gom. *in prox. m. regul. Cancel. qu. 2. col. 13.* Nav. *cons. 1. n. 19. cum seq. de const.* inquiens ita de stylo, & consuetudine Ecclesiasticæ, & Curiæ Romanæ servandum esse quoad leges Papæ, quarum sola publicatio facta Romæ ligat omnes Provinciales. Idem firmant Theologi communiter Vasquez *1. 2. dis. 136. c. 2.* Martinez *q. 90. num. 3.* Malder. *dub. 3.* Lorca *disp. 18. de legib.* Suar. *eod. argum. lib. 3. c. 16. & lib. 4. c. 15. num. 3. & seq.* dicens communius receptam, & Salas *eod. tr. disp. 12. sect. 2. num. 10.* Et quod de jure annus dicatur sufficere ad rei notitiam habendam, etiamsi loca longissimis spatiis distent, habet textus Justin. *in l. fin. sub princ. C. de jur. delib.*

Respondetur secundò, omnem allegationem ignoran- 6
tiæ dictorum decretorum excludi per clausulam eis adjectam: *Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, & in acie Campi Floræ affixum omnes perindè afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.* Non enim præsumptio inde resultans dicitur juris tantùm, sed juris, & de jure, quæ nullam probationem in contrarium admittit, quemadmodum post Gulielmum censuit Imol. *in Clem. 1. nu. 15. post med. de jud.* ubi etiam Card. *n. 18. in fin.* dixit ex

mente

mente Pauli de Eleaz. quod dum Papa vult citationem per edictum habere vim citationis perſonalis non auditur volens probare ad ipſum non perveniſſe. Hinc quoque Bart. *in l. Divus* 15. *num.* 4. *ff. ad l. Corn. de falſ.* & Bald. *in l.* 1. *num.* 16. *ff. de legib.* aſſerunt quod valet ſtatutum, quo cavetur, ne quis poſſit allegare ignorantiam illius ſtatuti, cujus dictum comprobat Felin. *in cap.* 2. *n.* 18. *de conſt.* addendo iſta procedere indiſtinctè ſive allegetur ignorantia ſupina, ſive juſta. Nam ſicut quando lex firmat pedem præſumendo ſcientiam, non licet ullam ignorantiam allegare, *c. Vidua* 4. *in fin. de Regular. §. penult.* ibi: *Nec ignorantiam in ea proponas. Auth. in medio litis, l. Sicut* 3. *in fin.* ibi: *Etiamſi legis ignorantia excuſare tentaverit, C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Ita nec illa videtur admittenda adverſus tale ſtatutum, niſi probetur iis modis, quibus aliquando admittitur probatio contra præſumptionem juris, & de jure, quorum meminit idem Felin. *in cap. Quanto* 8. *ex numer.* 3. *de præſumpt.*

7 Reſpondetur tertiò, inveriſimilitudinem aſſertæ ignorantiæ per plures annos augeri ponderando dicta decreta paulò poſt impreſſa fuiſſe per Contilor. *de Canoniz. Sanctor. cap.* 22. *in fin.* Barb. *in collect. ad cap. fin. num.* 6. *de reliq. & vener. Sanct.* & ad Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Invocat. Sanct. num.* 5. *&* 6. Trullench. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 18. Fortunat. Scacc. *de not. & ſign. Sanctit. ſect.* 10. *cap.* 1. ac ubique per alios typis excuſa. Nam Bald. *in l.* 1. *num.* 12. *C. de caduc. toll.* inquit Conſtitutionem quantumvis prolatam contra jus commune, vires ſuas extendere contra ſcientes, & ſupinè ignorantes, ſubdens, quod ſcientia præſumitur etiam ex publica voce & fama. Quare omnes fatentur, ſtatutum, licet pœnale vetus, ne ignorantia poſſit allegari, vel ne ſub illius prætextu quis valeat ſe tueri, indubiè procedere in ignorantia injuſta, craſſa, ſupina, ſeu inveriſimili, teſtibus Salyc. *in l. Senatus n.* 2. *C. de his, qui ſibi adſcribunt*, Jaſ. *in l. Conſtitution. n.* 2. *C. de jur. & fact. ignor.* Alex. de Nevo *in c.* 1. *n.* 19. *de conſt.* Felin. *d. c.* 2. *num.* 15. *eod. tit. &c. Quoſdam n.* 7. *de præſumpt.* Maſcard. *de prob. p.* 1. *concl.* 881. *n.* 10. & Seraph. *de priv. juram. priv.* 4. *nu.* 61. In dubio enim quando non admittitur allegatio ignorantiæ, ea præſumitur injuſta, niſi probetur juſta, etiam ubi ſtatutum punit factum doloſum ſecundùm declarationem Jo. de Anan. *in cap. ad falſariorum n.* 1. *de crim. falſ.* Quibus præſertim inhærendum eſt, quando non ſolùm in proceſſu deficit probatio juſtæ ignorantiæ, ſed etiam ex eo elicitur ſpecifica ſcientia dictorum decretorum.

8 Nec replicetur aſſertam contraventionem a die publicationis decretorum in Curia non afficere ad incurſum pœnarum. Tum quia non agitur de puniendo tranſgreſſores; ſed dicitur inſtantes audiri non poſſe; cùm non doceant de immediata paritione, qualem exigit vis tàm dictionis *ſtatim*, ideſt ſine aliquo intervallo, quàm dictionis *omninò*, ſcilicet omni tempore, ac dictioni *nullatenus*, hoc eſt nullo tempore. Potuit enim Papa ſuo decreto impedire juriſdictionem Congregationis, ne ſcilicet audiat tàm ſcienter, quàm ignoranter contravenientes juxta rationem redditam a Cardinali *in Clem. un. ſub n.* 6. *in* 6. *notab. de conceſſ. præb.* Quo remedium Judices paſſim ut dixerunt Bald. *in l. Conſentaneum, C. quomodo, & quando*, Dec. *in cap.* 1. *num.* 335. *de probat.* Avendan. *de exec. mand. Reg. p.* 2. *c.* 30. *n.* 12. & Carleval. *de Judic. tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 3. *diſp.* 3. *n.* 30.

9 Tum quia ſola denegatio audientiæ propriè loquendo, nequit dici pœna, cùm non minuat patrimonium, nec privet jure quæſito, vel inchoato, ſicut de annullatione actus tradunt Bald. *in l. Nemo Martyres* 3. *n.* 6. *C. de Sacroſ. Eccl.* Bero *in c.* 2. *n.* 27. *de conſt.* Rot. *dec.* 78. *num.* 4. *p.* 1. *div.* Non enim dicitur pœna quando aliquid proprium non deeſt, nec abfuturum eſt, Oldrad. *conſ.* 16. *n.* 1. Gaſſad. *dec.* 3. *num.* 4. *de reſer.* Quapropter Innoc. *in cap. Si vere* 34. *num.* 2. *de ſent. excom.* negavit eſſe pœnam contrahentium adverſus præceptum Principis, quo irritetur contractus, illam dumtaxat exemplificando in corporali, vel pecuniaria, quam ſequitur Felin. *in cap.* 2. *num.* 3. *de conſtit.*

10 Verùm hac in re video ſententiam affirmativam receptam eſſe. Nam, licèt dictio *ſtatim* regulariter non admittat dilationem ac temporis intervallum, plerumque tamen ſumitur cum aliquali temporis intervallo, ut expreſsè ait textus *in l. Quod dicimus, ff. de ſolut.* ibi: *Quod dicimus &c. debere ſtatim ſolvere, cum aliquo ſcilicet temperamento temporis intelligendum eſt.* Idem ſtatuitur *in l.* 1. *§. Item ſi, ff. ad l. Falcid.* ibi: *Et quod dixi incontinenti, ita accipiendum eſt, id eſt cum aliquo ſpatio, ac in l. Procuratorem, ff. de proc. & in leg.* 2. *§. Confeſtim, ff. ad Tertul.* ubi admittitur etiam intervallum unius anni. Item cum temperamento juſtitiæ ſeu ſpatio temporis declarando ad arbitrium Judicis ex æquo, & bono ſecundùm ſubjectam materiam, Gl. *in cap. Quicunque, v. Statim d.* 77. Bart. *in l.* 1. *§. Qui præſens n.* 3. ibique Roman. *n.* 7. *ff. de verb. oblig.* Bald. *in l. Quod dicimus* 105. *ff. de offic. Proconſul.* ubi ait dictam dictionem in commiſſione ſummaria cauſa ſine ſtrepitu, & figura judicii operari quidem, ut fiant omnia quàm breviter fieri poteſt, neceſſarium tamen intervallum omninò ineſſe, alioquin mandatum eſſet impoſſibile, & propter impoſſibilitatem non valeret. *Et in c. Quia propter n.* 47. *de elect.* notat, quod ſi lex non declarat ſignificationem dictæ dictionis, aut ſimilium, relinquitur arbitrio Judicis inſpicere debentis tempus, quod natura, vel qualitas negotii deſiderat. Quibus ſubſcribitur Luc. de Penn. *in l. Actuarii n.* 2. *v. Confeſtim, C. de erogat. milit. annot. lib.* 2. inquiens neceſſarium eſſe aliquod temporis intervallum, ſeu temperamentum, ita quod ſine incommodo, vel pernicie perfici valeat, quod incumbit. Id ipſum habetur, *& in l. Divini n.* 1. *C. de ſuſcept. lib.* 10. Jaſ. dicens habere plures ſignificationes *in l. Fructus* 7. *n.* 4. *& in l divortio* 8. *n.* 13. *ff. ſolut. matr.* Rebuff. *in l. Anniculis* 134. *v. ſtatim, ff. de verb. ſignif.* Tiraquel. *in d. l. Si unquam v. Revertatur nu.* 119. *de rev. donat.* latè comprobans, quod hæc dictio intelligi poteſt de breviori, vel longiori tempore juxta ſubjectam materiam, & quandoque poteſt verificari etiam poſt decem, viginti ac plures annos, ſi antea commodè non potuerit, Pariſ. *conſ.* 24. *num.* 16. *lib.* 1. cum aliis allegatis per Tiraquell. ubi ſupra, Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. gl.* 1. *q. §.* 1. *n.* 217. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 9. *n.* 4. Grat. *diſcept.* 41. *n.* 12. ac *dec.* Ric. 288. *n.* 12. *p.* 2.

Pariter licèt plerique dictionem *omninò* expreſſerint omni tempore: tamen inter plures ejus ſignificationes, quas enumerat Felin. *in cap. Ex parte* 12. *in princ. num.* 1. *de teſtib.* non ponitur præfata ſignificatio omni tempore. Quapropter *in c. Cauſa n.* 4. *de teſtib.* ex eoque Pariſ. *in repet. cap. Fraternitatis num.* 58. *eod. tit.* inquiunt, quod licèt aliquando poſſit ſignificare omni tempore, tamen id non eſt ſemper verum, ſed recipit congruam interpretationem ratione ſubjectæ materiæ, ut etiam tradunt Jaſ. *in l. Liber homo num.* 12. *ff. de verb. oblig. & in l. Si quis in conſcribendo n.* 5. ibique Dec. *num.* 6. *C. de pact.* Regulariter verò ratio ſubjectæ materiæ importare debet potiùs neceſſitatem adimplendi omni ex parte indiſtinctè ſecundum germanum ac magis uſu receptum ejus ſenſum, quàm omni tempore, Gloſſ. *in Clem.* 1. *v. Omnino de vit. & honeſt. Cler. in l. Quod te num.* 28. *ff. ſi cert. pet.* Pariſ. *conſ.* 126. *num.* 39. *vol.* 1. Tiraquel. *in d. l. Si unquam v. Revertatur n.* 80. Ac proindè præciſam neceſſitatem plerumque ſignificat, *l.* 10. *§. In abrogato, ff. de vul. & pupil.* idemque valet ac indiſtinctè, *l. pen. ff. pro ſuo, l.* 49. *de jur. dot. l.* 11. *in fin. l.* 26. *ff. de leg.* 1. *l.* 14. *Sed & ſi, ff. quod met. cauſ.* cum ſimilibus, & omninò fieri intelligitur eo modo, quò poteſt fieri, ne impoſſibile juberi videatur, facit *l. Si jure militari de mil. teſt.* cum aliis per Salom. citatis. 11

Itidem dictio *Nullatenus* licèt plerumque habeat vim latæ ſententiæ, attamen ob ſubjectam materiam vim ſuam perdit, Franc. Aret. *in cap. De cauſis* 15. *num.* 16. ibique Felin. *num.* 4. *de teſtib.* cum ſimilibus latè congeſtis per Tiraquel. *d.* 2. *Revertatur num.* 36. *junctо num.* 98. Vulpel. *de præpoſ. v. Nullatenus num.* 1. *in fin.* Nec ſemper in jure importat tempus, ſed ex propria natura potiùs dicit modum, id eſt nullo modo, ut per Alberic. *in d. v. Nullatenus*, & quod factum contra non valeat, Gloſſ. *in Clem. un. de ſequeſtr. poſſ. & fruct.* Jo: Bello *etymol.* & alii. 12

Atque ita proculdubio dicta adverbia debent intelligi in hoc caſu, ubi decreta ipſa non reſpiciunt tempus, ſed puniunt contumacem inobedientiam, & non ſolam moram. Quare cum qualificent diſpoſitionem decretorum, cui adjunguntur, debent intelligi juxta ſenſum ipſius diſpoſitionis, ut appoſita ad cauſam, ob quam prolata fuerunt, Honded. *conſ.* 87. *num.* 59. *lib.* 2. Gregor. XV. *dec.* 511. *num.* 23. Rot. *dec.* 23. *num.* 16. *par.* 5. *rec.* Cumque ſimus in pœnalibus in ſtricta, & propria eorum ſignificatione intelligi debent, *l. pœn.* & ibi Doctores, *ff. de pœn.* Quod ſi verificantur deſignando modum, non ſunt extendenda, ut deſignent modum, & tempus, præſertim in hac materia, in qua diſpoſitio ipſa decretorum, & finis diſpoſitionis ea eſt, ut non facientes dictam remotionem ſignorum prohibeantur procedere in cauſa quouſque tali ordinationi non obtemperaverint, ut mox dicetur. Eſtque item hæc interpretatio capienda, quia per eam diſpoſitio redditur rationabilior juxta textum *in l. Salvius Ariſto* ubi Doctores, *ff. de leg. præſt.* Bald. *in l. Conventicula num.* 4. *C. de Epiſcop. & Cler.* Rot. *dec.* 230. *n.* 3. *in fin. p.* 3. *recent.* 13

Ac

14 Ac propterea, esto quod non statim paritum fuisset post editionem dictorum decretorum, cum tamen negativa paritionis supponat certam scientiam præcepti, cui sit parendum, nullatenus dici potest Instantes non paruisse, cùm non habuerint illorum scientiam certam, nisi tempore, quo sibi intimata fuerunt prædicta decreta, nec per consequens dici illis contraventum, maximè verò ad incursum pœnæ. Quippè Butrius relatus a Farinacio *in fragm. p. 1. n. 654.* ait, quod etsi Constitutiones Pontificiæ ligent omnes eo ipso quod fuerint publicatæ in Curia, idque in praxi, ac de consuetudine servetur, credit tamen quod de jure contrarium sit verius, quod nimirùm non ligent, nisi etiam fuerint publicatæ in Provincia. Quod innumeri sequuntur, testantes de communi, eosque refert Farinac. *supra n. 565.* ac plerisque aliis citatis docet Trullench. *l. 1. in Bull. Cruc. §. 7. dub. 9. n. 20.* Ac licet Doctores adducti pro contraria sententia, quibus assentior, quia est vera in praxi, asserant sufficere publicationem Romæ ad inducendam nullitatem actus, qui fieret contra legem ibi publicatam, omnes tamen fatentur nullatenus obligare quoad pœnam, qualis profectò esset denegatio audientiæ, sicut etiam ex sententia Glossæ communiter recepta *in Clem. 2. v. Ex nunc de hæret.* tradunt ibi Cardin. *n. 1.* Abb. *n. item 1.* & Imol. *n. 3.* Idem Abb. *in c. 2. n. 7.* Felin. *n. 6. & seq. Dec. n. 3. & 4.* Bero. *n. 44.* & Marc. Mantua *nu. 22. de constit.* Sot. *de just. & jur. l. 1. q. 1. ar. 4.* Menoch. *de arbitr. l. 2. c. 185. n. 3. & 4.* Farinac. *ubi supra num. 658. in fin.* ibi: *Et in pœnalibus præsertim non sufficere Papæ Constitutionem Romæ publicatam.* Quod clarius expressit *n. 668.* his verbis: *Declarat præcedentem conclusionem, quod nempè Constitutio liget statim quoad annullationem actus, non verò ad incurrendam pœnam.* Idem habet Suar. *de legib. lib. 3. c. 17. sub n. 8.* inquiens, quod etiam si lex dicat ex nunc statim, vel quicquam simile denotativum instantaneitatis, non tamen incipit obligare omnes in instanti, aut in parvo tempore, sed in congruo temporis spatio, quo moraliter possit ad omnium notitiam devenire. Quod haud dubiè procedit cessante dolo, & interesse tertii, qui in contumacia punienda requiritur secundum Bald. *in l. 1. addit. sub. princ.* juncto *n. 4. & seq. ff. Si quis jus dicenti non obtemper.* Et *in l. 1. n. 4. ff. Si quis in jus vocat. non ver.* Sensitque Alber. *in l. Sed etsi per patrem 26. §. Ait Prætor n. 7. ff. ex quib. caus. major.* Atqui tunc cessat omnis doli suspicio, quando statim post intimationem decretorum paritum fuerit.

15 Sed age porrò, si fieri potest, concedamus etiam quod dici posset aliquando fuisse contraventum, non tamen perpetuò deneganda esset audientia Postulatoribus causæ, sed temporaliter solùm, durante non paritione, postmodum verò docto de illa, omninò concedenda illius ulterior prosequutio; non solùm quia de jure denegatio audientiæ durante contumacia resolvitur per comparitionem ex notatis per Bart. *in l. Qui ante Kalendas 13. n. 3. ff. de verb. oblig.* Bald. *in l. Consentaneum 8. n. 5. C. Quomodo, & quando Judex.* Siquidem denegatio audientiæ est pœna contumaciæ, & modus quidam compulsionis, ac privatio beneficiorum juris, quorum quis est capax, quæ inferri solet inobedientibus, donec resipiscant, obediantque, ac propterea licèt contumacia sit digna, ut denegetur audientia, illud tamen intelligitur verum esse ad tempus, non autem perpetuò, sicque non perimit, suspendit jus agendi, vel perpetuò, sicque non perimit, sed suspendit jus agendi, vel excipiendi, Dec. *in c. 1. n. 328. de probat.* Quod ex Alberico, Baldo, Alexandro, & aliis declarant Avendan. *de exeq. mand. Reg. p. 2. c. 30. sub n. 12.* & Carleval, *de jud. tom. lib. ac tit. 1. disp. 2. q. 1. n. 42.* qui idcircò *tom. 2. lib. 1. tit. 3. disp. 1. n. 21.* refert praxim, seu viam memoratu dignam, qua Judices uti solent ad exequendas suas sententias, & compellendum quempiam ad faciendum aliquid præcisè, ut nimirum reis contumacibus, & non obedientibus decretis ab ipsis latis audientiam denegent, donec pareant mandatis, vel nisi, & quousque faciant, id quod præcipitur, idem repetens *seq. disp. 3. n. 30.* Quare in fortioribus terminis statutorum Italiæ, quod contumax habeatur pro confesso inquiunt, quod si tali modo ficto pro confesso habitus compareat nedum ante lapsum termini, verùm etiam eo lapso, antequam contra eum sententia definitiva condemnationis feratur, sanè omnia præcedentia acta evanescunt, ac in pristinum resolvuntur: ideòque omnino audiendum esse in specie scripserunt Angel. *de malefic. v. Qui Dominus Judex, in princ. n. 4.* Boss. *tit. de requir. reis nu. 3. in fin. & tit. de Banit. n. 4.* Natt. *cons. 244. num. 11.* Clar. *in §. fin. q. 44. sub n. 12.* ibique Bajard. *in addit. num. 73.* Chartar. *de execut. sent. c. Bannit. c. 1. n. 140. 165. ac 203. & seq.* diffusè Farinac. *in prax. p. 1. q. 11. n. 3.*

Igitur quisquis liber est a contraventione statim ac obtemperat per regulam, quod solutio pœnæ liberat a contraventione, & observatione æquipollet, Cavalcr. *dec. 7. n. 4.* & Rot. *dec. 660. num. 3. p. 2. rec.* atque adeo cessat pœna dictæ suspensionis, quæ cum sit pœna contumaciæ, cessare debet, cessante contumacia constitoque de paritione, Rota *dec. 354. n. 4. p. 6. rec.* Regulariter enim cessante contumacia, cessant omnes effectus illius. Felin. *in c. Ex literis n. 16. de Constit.* cum aliis allegatis per Seraph. *dec. 965. n. 8. & dec. 912. n. 11.* Idque etiam per longum temporis intervallum post decreta resolvitur statim ac paritum fuerit, ut perspicuè habetur *in d. c. Ex literis*, ubi Glos. *v. in perpetuum* benè notat aliud esse punire pro contumacia, aliud pro crimine cùm contumacia sæpè purgetur. Quod item insinuat textus *in leg. Sed etsi per Prætorem, §. Sed etsi, ff. ex quibus caus. major.* 16

Verùm etiam quia ex verbis decretorum anni 1634 apparet Urbanum VIII. non aliter disposuisse præcipiendo Congregationis pag. 11. *ne in hujusmodi causis se intromittat, nisi prius in ipsa S. Rituum Congregatione, &c. alio sejunctim authentico processu ex eo Ordinarium, aut Apostolica Sede specialiter delegatum rite ac rectè, ut præmittitur cognovisse, ac pronunciasse prælibato Decreto nequaquam contra ritum esse plene constiterit:* nimirum doctum de paritione satisfactum videtur menti eorundem decretorum, adeò ut Congregatio valeat ad examen processuum, & aliàs ad ulteriorem causæ discussionem procedere, & postulator deinceps audiri debeat; ponderando maximè, quod dictio *Nisi* habet in se implicitam affirmativam a præcedente prohibitione, & denegatione audientiæ exceptam, sicut in simili ad declarationem Constitutionis 52. Pii IV. incipientis *Licèt dudum.* in Bullar. nov. *tom. 2.* ubi *in §. 9.* disponitur, *quod rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi intra sex menses*, quod sine dubio intra dictum tempus admitti debeant dixit Farinac. *d. q. 11. n. 68.* considerando dictam dictionem *Nisi*, ac sensu Bajard. *ad Clar. in addit. ad q. 94. num. 66.* & de legibus novæ recopilationi per Avendan. *c. 36. sub n. 12.* in quibus habetur, quod lapso decennio non fiat executio contractus, nisi prius debitor citetur, ibi, *Sin citar a la parte.* Nam, inquit Avendanus, legem illam innuere, quod transacto etiam decennio executio fiat, citato tamen debitore, ac proindè importare de sui natura exceptionem, liquet ex *cap. Peccatum de reg. jur. in 6.* firmatque Surd. *dec. 225. n. 19.* Rot. *dec. 395. n. 14. p. 1. rec.* & subsequens præcedentem negationem affirmat ea, quæ ponit Bartol. *in l. si eum, §. fin. n. 4. & seqq. si quis cautionibus* Dec. *cons. 532. n. 1.* cum allegatis per Gratian. *discept. 542. num. 12.* & per Seraphin. *dec. 343. num. 3.* 17

Maximè quia Urbanus inhærendo præcitatæ dispositioni juris communis in subsequenti *§ Quare p. 12* pro inviolabili dictorum decretorum observatione contravenientibus non imposuit pœnam perpetui silentii, seu denegationis audientiæ, sed solùm pœnam nullitatis processuum fabricatorum, & informationum receptarum ante paritionem cum prohibitione Sac. Rituum Congregationi illas recipiendi, publicandi, & interpretandi, ibi: *Omnia, & singula decreta hujusmodi ab omnibus, &c. observari omnino præcipimus sub pœna nullitatis quarumcunque informationum, processuum ac interpretationis aliter, quam prævia suprascripta prænotitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis, ac interpretationis, itaut earundem informationum receptiones, processuumve instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non acceptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat.* Ex his enim sequitur quod pœnam denegationis audientiæ imponere noluerit, quia si hoc voluisset, id expressisset, *arg. l. unic. §. Si autem ad deficientis personam C. de caduc. tollen.* sicut in simili interpretando verba statuti Ferrariensis imponentis homicidæ contumaci pœnam publicationis omnium bonorum, quod non veniant jura, & actiones, de quibus particulariter non loquitur statutum in pœna contumaciæ, etsi in præcedenti Capitulo publicationem bonorum, & jurium atque actionum imposuerit homicidæ capto, respondit Dec. *cons. 442. num. 3.* cum pluries seqq. & propterea Avendan. *d. cap. 38. num. 12.* infert necessarium esse, quod ubi lex perimere intendit jus denuò agendi, id debeat exprimere, sicut dispositum refert *in l. 3. tit. 13. libr. 3. ordin.* ibi, *Pierda la demanda, y no se a oydo sobre ella.* 18

Unde dici nequit, Postulatores non patuisse tempore, quo habuerunt certam scientiam, vel saltem præsum- 19

sumptam ex sola publicatione facta Romæ, nihil prorsus obesse, dum constet paritum fuisse statim post illorum intimationem ipsis factam ab Ordinario, sicque cessat obstantia decretorum temporaliter solùm denegantium audientiam, donec doctum sit de paritione.

20 Verisimilitudo quoque præassertæ ignorantiæ non infringitur impressione dictorum decretorum, utpotè per se insufficienti ad inducendam in partibus etiam non longinquis notitiam Constitutionum novi juris inductivarum, sicque exigentium legitimam illorum publicationem in Provinciis. Quia licet Constitutiones Principis sciri præsumantur ab hominibus illius locis, in quo commoratur Princeps, nihilominus tamen a forensibus rectè præsumuntur ignorari, Bart. *in leg. Omnes populi num. 67. ff. de just. & jur.* Bald. *in l. leges sacratissimæ num. 2. C. de legib.* Roman. *cons. 228. num. 8.* Gail. *pract. observ. lib. 2. cap. 48. num. 29.* Matcard. *de probat. concl. mihi 899. num. 24.* Quod potissimum procedit in Monialibus intra claustra degentibus & ignaris jurium, & Constitutionum, nisi speciatim illis declarentur. Nam, ut fœminæ, in eis præsumitur ignorantia juris, Cephal. *cons. 34. num. 39. lib. 1.* Menoch. *præsumpt. 23. num. 17. & 29.* Gabr. *tit. de regul. jur, concl. 6. numer. 8.* cum aliis per Rot. *dec. 638. num. 8. part. 1. rec.* passimque alibi deductis. Præsertim si sint absentes ab Urbe, Rot. *dec. 241. num. 24. cum seqq. part. 9. tom. 1. rec.* Ac proinde Constitutio Principis eas non ligat, quia ignorantes *cap. Vixit Sara 32. quæst. 4. cap. 2. in fin. de constit.* & ibi Gloss. *v. Ante publicationem*, præcipuè quoad incurrendam pœnam, Farinac. *ubi supra num. 685. & 706.* quibus locis copiosè ac scitè concordat jura, Doctoresque adducit.

21 Nec amotio tabellarum, lampadum, & anathematum a sepulchro facta ante omnimodam paritionem firmat scientificam contraventionem ex subsequenti forma sepulchri, ac retentione epitaphiorum atque inscriptionum penes illud. Nam, prætermisso quod nondum intimata fuerant Postulatoribus dicta decreta, respondetur tamen, suppositа etiam illorum scientia, adamussim satisfactum fuisse dispositioni decretorum. Quia tàm priora edita anno 1625. quàm posteriora anno 1634. literaliter solùm prohibent retentionem imaginum cum radiis, laureolis, splendoribusve, ac tabellarum, & lampadum, aliorumque luminum ad sepulchra defunctorum cum fama, & opinione sanctitatis; nullibi autem exprimunt elevationem sepulchri ac retentionem epitaphiorum, & inscriptionum, quod in sepulturis cujuslibet privati permitti, & practicari notum est. Quoniam verò post aliquod tempus, postque formalem publicationem ac notitiam dictorum decretorum adhuc quoad formam sepulturæ remanere poterit scrupulus circa totalem eorum paritionem, poteritque opponi Constitutio Pii V. in qua jubetur §. 6. corpora defunctorum in tumbis profundis infra terram collocari, & proinde hoc innuere signum venerationis, ideò ad abundatiorem cautelam id destruendum erit ac solo æquandum, atque inscriptiones & epitaphia, cæteraque omnia inde sustulenda, recondendaque in loco secreto, nec ampliùs reponenda. Quod sanè sufficiet ad docendum de paritione, & ad tollendam obstantiam decretorum pro progressu ad ulteriora. Atque hunc esse germanum sensum decretorum, quod non denegent audientiam, nisi quousque fuerit paritum, censuit S. Rituum Congregatio in causa servæ Dei Magdalenæ a S. Josepho die 15. Julii 1651. in qua solummodo doctum fuit de paritione longè post editionem dictorum decretorum, nempè de anno 1541. ac sæpè alibi. Quia sicuti perseverantia post scientiam inducit judicium præcedentis animi. Rot. *decis. 281. num. 3. fin. part. 2. recent.* ita si quis statim obtemperat, præsumitur ignorasse, cùm contrariorum eadem sit disciplina, *Instit. tit. de iis, qui sunt sui, vel al. jur. lib. 1. ff. eod.* Adeò quod ob hanc solam paritionem mereantur Postulatores excusari a quacunque pœna, quatenus eam incurrissent, Cephal. *cons. 76. nu. 10.* Rota *in cit. dec. 281. eodem num. 23.*

22 Denique dubitari non potest, quin denegatio audientiæ sit pœna, eo quia tollit actionem, ad tradita per Jo: Andr. *in c. fin. de elect. in 6.* & Alex. de Nev. *d. cap. 2. num. 25. de constit.* per textum *cap. nomine Domini d. 33.* ubi per Gloss. *v. Audientia* inter alias pœnas in dicta Constitutione comminatas recensetur denegatio audientiæ, sicut etiam Farinacium & alios præallegatos ponitur inter pœnas contumaciæ, dicturque pœna in odium contra venientium, ut habetur ex textu *d. cap. In nomine Domini, & ex d. l. Sed & si per Prætorem, §. sed etsi, ff. en quib. caus. major.* ac notat Bald. *in d. l. Consentaneum num. 24. Cod. quomodo, & quando*, dixitque Rot. *in Marsicien. jurisdictionis 3.* Junii 1664. coram Bichio; non obstante, quod dicatur pœnam non esse, quando non minuitur patrimonium, nec tollitur jus quæsitum de annullatione actus. Quia id nec etiam in actus nullitate procedit, ubi ea est inducta in odium transgredientis, cum ea pariter tali casu dicatur pœna, ut habetur *in cap. Si religiosus de elect. in 6.* Ac ita benè inter annullationem actus inductam in odium transgredientis, & eam, quæ imponitur ob non servatam formam, quod scilicet primo casu sit pœna, secundo verò secus, distinguunt Jo: Andr. *in d. cap. fin.* & ibi Franch. utrobique *num. 5.* ac Gemin. *num. 18.* placuitque Abbati *d. cap. 2. num. 5.* & Imolæ *num. item 5.* ac Butrio *num. 19. de constit.* Baldo *in cap. Super literis num. 12. de rescript.* Menochio *de arb. cas. 276. num. 18.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 4. num. 9. & disp. 17. num. 10. & 11.* ac Farinacio *fragm. crim. v. Constitutio num. 408.*

Quamobrem non potest nec debet hujusmodi pœnæ 23
locus esse sine dolo, *vulg. l. Sancimus C. de pœn.* Glossa, & Doctores communiter *in d. Clem. 2. v. Ex nunc de hæret.* quos refert ac sequitur Sanch. *d. disp. 17. num. 10.* Farinac. *ubi supra num. 706.* Idemque procedere, quantumvis Constitutio habeat clausulam decreti irritantis plenissimè probat Gabr *de clausul. concl. 3. num. 8.* Ideoque quatenus etiam ex præscripto dictorum decretorum pœna perpetuò imposita esset contravenientibus, adhuc tamen ei locus non esset, nisi post illorum publicationem cum lapsu temporis congrui, quo possent devenire ad omnium notitiam.

Quinimmò licèt probaretur scientia, & dolus, posset- 24
que præjudicare quoad incursum pœnarum, quæ in decretis contra transgressores fuerunt comminatæ, non tamen exindè poterit accipere præjudicium causa, quæ non fit ad commodum eorum, sed ad gloriam Dei. Absurdissimum quippè esset, quod per alicujus contraventionem denegari debeat audientia, & suspendi prosequutio canonizationis, ut in similibus quod annullatio actus, etiam quod aliàs per contraventionem sit inevitabilis, non habeat locum quoties infert præjudicium cuipiam tertio, docet Sot. *de just. qu. 1. art. 4* Sayr. *in clav. reg. c. 5. n. 13.* Ut proindè jure meritoque decreta voluerint punire transgressores peculiari pœna, quæ ipsos afficiat, noluerintque mentionem fieri de audientiæ denegatione, cùm sit pœna respiciens non ipsos transgressores, sed totam propemodum Ecclesiam.

Unde hæc pœna nullo pacto est irroganda quatenus 25
contumacia etiam esset dolosa. Tum quia non est apposita in decretis. Tum quia de jure non potest apponi. Quia ob contumaciam nequit imponi pœna, ut tota causa perdatur, Menoch. *de arbit. cas. 280. n. 4.* Farinac. *in prax. part. 1. qu. 18. n. 32.* Quodque non fuerit appositа in decretis patet. Nam duæ pœnæ in illis fuerunt comminatæ. Altera causis. Altera transgressoribus. Pœna comminata causis est *fol. 12.* ibi: *Quod omnia observentur decreta sub pœna nullitatis quarumcunque informationum, &c.* Pœna verò imposita transgressoribus habetur paulò infra *fol. 15.* ibi: *Transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum &c.* Ex quibus firmatur, quod decretorum verba intelligi debeande tempore processus, & sententiæ, ut scilicet tunc amota sint signa cultus, ac decretis paritum sit, non autem intelliguntur de toto tempore antecedenti, prout exprimit verbum *esse* adhibitum, quod est præsentis temporis, & non est adhibitum verbum *fuisse* præteriti temporis. Hicque intellectus suadetur etiam ex eo quod dicta pœna suspensionis ulterioris processus non est absolutè imposita contra illos, qui statim non paruerunt, sed est temporalis quousque non sit paritum, ut jam dictum est.

Atque hactenus satis firmis, ut opinor, rationibus contraria dissoluta sunt.

CONSULTATIO LVI.

An, & quatenus requiratur decretum super cohabitatione triennali ad effectum dissolvendi matrimonium?

QUamvis in hoc articulo variæ sint Doctorum sen- 1
tentiæ, ut colligitur ex traditis per Rotam *in Romana invaliditatis matrimonii* coram Pegna 28. Februarii 1603. quæ est inter impressas post 2. *volum. consil.* Farinac. *decis. 192.* & sententia negativa, videlicet non requiri decretum super cohabitatione triennali, sit in jure magis firmata, cum pro ea adsit textus apertus *in cap. laudabilem*, in quo computatur tempus triennii a tempore contractus matrimonii, quod etiam colligitur ex dispositione *cap. fin. de frigid. & malef.* coadjuvatur-

vaturque ex magis communi tum recentiorum, tum antiquorum opinione, ut videre est apud Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 110. n. 5.* & Guttier. *item de matr. cap. 120. num. 8.* & Rot. *dec. 192. n. 3.*

2 Nihilominus, ut veritati consulatur, sciendum est, quod ut cohabitatio triennalis sit sufficiens pro dissolutione matrimonii duo de necessitate requiruntur. Alterum est cohabitatio continua. Alterum quod conjuges dent operam copulæ carnali, ut traditur per Glossam communiter receptam *in d. Laudabilem*, *v. Frigiditas*, & *in d. c. fin. v. Continuum*. Quare testes deponere debent, quod conjuges habitaverint insimul, & dormiverint in eodem cubili. Nam si non dormiverint in eodem cubili, sequitur quòd non jugiter cohabitaverint, & operam carnali copulæ non dederint. Ad hoc enim requiritur assidua condormitio in eodem lecto, ut post Jo: Andr. dixit Rot. *dec. 27. num. 9. post d. 2. vol. cons.* Farinacii. Hoc præmonito, tenendum est requiri decretum pro nova cohabitatione.

3 Primò, quia tam ex depositione testium pro parte viri, quàm ex relatione medicorum probari debet illum esse impotentem, nec cognovisse carnaliter plures mulieres. Ex quo fit, ut ejus impotentia quoad ejus uxorem sit vel ex frigiditate, vel ex maleficio, ut colligitur ex Gloss. *in d. cap. fin. v. Cognoscendi*, & traditur per Capel. Tholosan. *dec. 381.* Quando enim impedimentum provenit ex maleficio, tunc videtur requiri decretum Judicis, ut ita per impositam pœnitentiam maleficium dissolvatur. Et in hoc casu credo procedere opinionem affimativam, quæ vult, ut triennium computari debeat a die decreti Judicis, prout in his terminis loquitur Hostien. *in d. c. fin. col. 2.* traditque Rota *d. dec. 192. n. 6. in fin.* & hoc pacto maleficium removeri post peractam pœnitentiam, asseverat Abb. *in d. c. fin. n. 9.*

4 Secundò, quia vel impotentia est certa quod provenit ex maleficio, & requiritur decretum, ut modò dixi, vel saltem redditur dubia. Et ideò, cum agatur de dissolutione matrimonii, amplecti debemus opinionem affirmativam, tanquam tutiorem, & magis securam, ut per Capel. Tholos. *dec. 381.* Rota *in Bononien. resciss. matrimonii 1. Junii 1594.* coram Blanchetto, ubi citatur D. Th. *in 4. d. 35. qu. 1. art. 2.* Sylvest. *v. Matrimonium 8. num. 16.* Et per hujusmodi rationem hanc eandem sententiam semper sequuta est Rota, ut *in d. dec. 382. num. 4. in fin.* & *dec. 695. num. 5. part. 1. recent.* & *in d. Bononien. coram Blanchetto*, & *in Pampilonen. matrimonii* coram Coccino 1. Julii *1619.* aliisque quàm pluribus.

5 Credo tamen, quod stante longa cohabitatione sit locus abbreviationi termini juxta arbitrium Judicis, ut benè advertit Abb. *in d. cap. fin. sub. n. 12.* Add. ad Capel. Tholos. *d. dec. 381. sub. n. 7.* & Rota, quæ alios citat *decis. 226. post d. 2. vol. cons.* Farinac. *sub n. 1.*

6 Nec obstat, si ortæ fuerint novæ inimicitiæ inter conjuges, qui propterea perhorrescant novam cohabitationem. Quia respondetur posse huic periculo provideri, mandando eorum Ordinario, ut pro nova illorum cohabitatione deputet aliquem locum tutum juxta dispositionem *cap. Cùm locum de sponsal.*

CONSULTATIO LVII.

An Episcopus teneatur indistinctè jurare omnia statuta Ecclesiæ, vel ea tantùm, quæ sunt conformia juri communi, & S. Concilio Tridentino, vel aliàs a Sede Apostolica confirmata?

1 REspondendum est, esse exhibenda statuta, ut videatur quid contineant, & indicetur, an sint contra jus commune, vel contra Sac. Concilium, vel præter utrumque, vel utrique conformia, & an valeant, cùm diversimodè distinguatur per Bart. & alios *in l. Omnes populi de just. & jur.* Aut enim sunt super iis, quæ nullo jure sunt disposita, & valent. Aut super iis, quę disposita sunt a jure naturæ, vel gentium, & etiam valent, quatenus in aliqua parte derogant, vel addunt illis juribus, non autem si in totum tollant. Aut sunt super iis, quæ sunt dispositа a jure divino, & tunc, aut sunt merè spiritualia, & non valent, aut sunt temporalia, & valent, ut aliàs distinguitur a Bart. *ubi sup. n. 21.* & *seqq.* Unde circumscriptis iis, quæ sunt contra S. Concilium Tridentinum, quæ non valent propter decretum irritans, & Constitutionem Gregorii XIII. quam refert, & sequitur Rot. apud Mantic. *dec. 52. n. 6.* & 8. respondet, potest, quod Episcopus non teneatur ea jurare, nisi sint confirmata a Papa post Concilium, vel facta sint ex causa concordiæ, quia concordiæ non sunt sublatæ per Concilium. In reliquis verò non videtur posse dari certa resolutio, nisi illis exhibitis, & examinatis; maximè cum regulare sit, quod statutum ut aliquid operetur, nec sit omninò superfluum, aliquid addat juri communi, vel diminuat. Quare si restringeretur hæc obligatio jurandi ad ea tantum, quæ sunt conformia juri communi, essent super non ente, quia ut plurimum statuta Ecclesiarum, & populorum continent aliquid contra jus addendo vel diminuendo. Et ideò captiosa est hæc interrogatio, cui non est respondendum adinstar positionum, quando captiosæ sunt.

Porrò juramentum de servandis statutis operatur, statuta dici ab eo esse confirmata, & signaliter ait Bald. *cons. 284. lib. 1.* quem sequitur Hippol. *sing. 71.* Ideòque Arnon. *epit. 86.* consulit Universitatibus, ne Magistratum admittant absque hujusmodi jurisjurandi religione.

CONSULTATIO. LVIII.

An pro generali visitatione indicenda possit Episcopus solus facere edicta generalia absque consensu, & consilio Capituli?

AFfirmativè. Ita ex mente S. Congregationis Concilii pluries dixit Rota, præsertim *in illerden. visitationis 21. Aprilis 1616.* & *28.* ejusdem *1608.* coram Justo, & sub die *10. Maji 1613.* coram Ubaldo. Ea ratione, quia neque de jurè, neque ex Concilio Tridentino reperitur impositum tale onus Episcopis. Id tamen moneo non procedere simpliciter, sed in edictis duntaxat, quæ fiunt pro præparatione visitationis, & quæ præire solent visitationem generalem, quæ fit sine inquisitione solemni, secus verò in edictis, quæ fiunt pro visitatione generali, quæ fieri debet in forma judicii, & per inquisitionem solemnem, ut benè declaratur *in d. Illerden.* coram Ubaldo. 1

CONSULTATIO LIX.

An in ejusmodi edictis generalibus possit Episcopus præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, ut quilibet de populo teneatur revelare ea, quæ correctione, vel emendatione digna judicaverit?

VIdetur affirmativè respondendum. Nam licèt aliàs S. Congregatio Concilii censuerit, non licere Episcopo provocare populum ad denunciandum crimina Clericorum, & multo minùs id præcipere sub pœna excommunicationis; attamen cùm finis visitationis sit morum correctio, quæ absque delictorum notitia fieri nequit, poterit ad hunc effectum monere populum in edictis ad revelandum ea, quæ correctione digna judicaverit. Et hoc quidem serio, & consequenter in virtute sanctæ obedientiæ. Quę clausula non importat pœnam aliquam, sed solam meram monitionem, cum declaratione, quod Episcopus habebit revelantes pro viris zelatoribus, & obedientibus, prout in simili de clausula sub indignatione Principis dicit Bart. *in extravag. Quoniam nuper, v. indignationem*, ubi quod non reperit aliam significationem dictæ clausulæ, nisi quàm verba sonant, nempè, quod Princeps ex hoc indignatus non exhibebit se gratiosum illis, ut latè per Belenc. *de subsid. charit. qu. 44. num. 8.* Quodque dum dicta clausula in virtute sanctæ obedientiæ est insimul juncta cum clausula sub pœna indignationis importet solùm pœnam peccati mortalis, censuit S. Congregatio super dicta clausula appositа in literis Pii V. de recitando Officio juxta ritum Breviarii Romani. 1

Sed hæc sententia est planè absurda, & periculosa. Quia talis comminatio induceret peccatum mortale non obedientibus, & quamplures reputabunt sibi indecorum esse hujusmodi denunciationes facere, tanquam sapientes officium exploratoris, sicque facilè contemnent hanc comminationem, & per contemptum incidens in peccatum mortale. Unde ea ratione, qua S. Congregatio aliàs censuit, non posse comminari pœnam excommunicationis, videtur dicendum non licere subjicere subditos periculo peccati mortalis, ad quod evitandum uti debet Episcopus remedio temporali, quo utuntur fermè omnes Principes instituendo exploratores, delatoresque, qui crimina denuncient. Cruciatu enim aut præmio cuncta sunt pervia. Ubi igitur habemus remedium ordinarium, & usitatum, non est ad extraordinaria deveniendum absque necessitate. Veruntamen hac in re cautio est, ne non temere delatoribus istis, & auricularіis credatur.

3 Nec

Nec urget simul de clausula *sub indignatione Principis*. 3
Quia illa non inducit peccatum, sed privat contravenientem gratia Principis, nec absolutè, sed tantum quod Princeps ei non erit gratiosus, ut dicit Bart. *loc. alleg.* ac Belenc. *d. q.* 44. *n.* 8. Quod etiam notat Glos. *in extrav. qui sint rebelles*, ut scilicet qui contravenit incidat in peccatum tanquam non obediens superiori potestati. Idque tenet Rebuff. *in prax tit. de form. & declar. nov. provis. ad fin.* Quæ sanè opinio singularis est, & forsan admitti potest in præceptis factis a Papa, in quibus terminis loquitur Rebuffus, cui contradicere nefas est, sed non inferioribus, qui tantam potestatem non habent. Atque ita in his terminis procedit adducta declaratio Sac. Congregationis super Constitutione Pii V. quæ loquitur etiam de materia nemini præjudiciali nec inferente dedecus.

CONSULTATIO LX.

An Episcopus teneatur accedere ad locum capitularem pro visitandis singulis Canonicis, quemadmodum tenetur dum visitat Capitulum in communi, vel liceat illi eos vocare ad se in suo Palatio, ibique illos visitare?

Respondetur. Si Episcopus vult visitare Capitulum 1
in communi, tenetur accedere ad locum capitularem. Quando verò vult visitare singulos ex Capitulo, potest eos vocare, & visitare in suo Palatio ad suum beneplacitum. Ita censuit Sac. Congregatio Concilii in una Abulen. juris visitandi 15. Januarii 1580.

CONSULTATIO LXI.

An in generali visitatione possit Episcopus solus sine Conjudicibus imponere Canonicis pœnam extraordinariam, tendentem magis ad correctionem morum, quam ad punitionem?

Respondendum videtur affirmativè, prout pluries 1
censuit S. Congregatio Concilii, præsertim in una *Abulen.* 21. Maji 1588. in una *Astoricen.* ubi dixit ita servandum, non obstante quacunque contraria consuetudine immemorabili adhibendi Adjunctos, quæ tametsi non fuerit sublata per *c.* 4. *sess.* 6. fuit tamen sublata per *c.* 6. *sess.* 21. Id nihilominus non approbo. Quippè ex hoc fieri potest fraus S. Concilio danti Conjudices. Nam semper ad evitandum Conjudices Episcopus ita quidem Canonicos puniret, adeòque erit seminarium litium in judicando, quæ dicatur pœna respiciens correctionem, & quæ punitionem, & sic timoris cruciatu Canonici angerentur, cum hoc pacto possint indirectè puniri sine Adjunctis, quod tamen abhorruit Sac. Concilium propter solitam æmulationem inter Episcopos, & Capitula, illis tendentibus ad Monarchiam, his tuentibus auctoritatem Sedis Apostolicæ. Id quod in politia Ecclesiastica magni momenti est.

CONSULTATIO LXII.

An visitatio Ecclesiæ Cathedralis, illiusque personarum possit impediri, vel retardari per appellationem, dum non docetur de aliqua particulari exemptione?

Respondetur cum distinctione. Nimirum non posse 1
in pertinentibus ad correctionem morum; posse vero in aliis. Ita disponit S. Concilium *c.* 10. *sess.* 24. *de reform.* & ex mente S. Congregationis Concilii resolvit Rota in una *Ojcen. Jurisdictionis* 24. Maji 1591. coram Cardinali Blanchetto, ac sæpè alibi. Interim verò debet Episcopus supersedere, & mittere ad Sedem Apostolicam allegationes facti, & juris. Quia si privilegia exemptionis sunt clara, cessat prætensio Episcopi de visitando. Si verò sunt dubia, pertinet judicium ad ipsam Sedem Apostolicam. *l. Non ambigitur, ff. de legib. cap. Cùm venissent de Judic.*

CONSULTATIO LXIII.

An in visitatione Cathedralis possit Episcopus solus sine Conjudicibus exigere rationem administrationis quocumque operum piorum sub una Capituli existentium?

Respondetur id licere Episcopo in generali visita- 1
tione, quæ fit absque inquisitione, secus verò quando Episcopus visitat in forma judicii, & cum inquisitione solemni. Et ita censuit Sacr. Congregatio in præcitata *Abulen. Juris visitandi* 25. Jan. 1580. & pluries firmavit Rota præsertim *in Illerden. visitationis* coram Justo 13. Novembris 1602. & 26. Junii 1606. & 11. Maji 1609. & coram Ubaldo 26. Novemb. 1612. Porrò decisiones quæ coram Coccino hac in re solent allegari loquuntur de alio diverso articulo.

CONSULTATIO LXIV.

An Episcopus in visitatione Cathedralis possit exigere rationem a Capitulo de applicatione, & divisione distributionum quotidianarum, & aliorum emolumentorum, duplarum, & anniversariorum d. Ecclesiæ, præsuppositio maximè, quod de fructibus omnium præbendatorum tam Canonicorum, quàm Beneficiatorum, & Capellanorum sit una communis massa, cujus administratio ex consuetudine dicitur ad solum Capitulum spectare?

Respondetur affirmativè. Ita fertur resolutum fuisse 1
a Sacr. Congregatione Concilii ad *c.* 9. *sess.* 22. *de reform.*

CONSULTATIO LXV.

An Episcopus possit in visitatione Cathedralis corrigere, & moderari statuta Ecclesiæ non confirmata a Sede Apostolica?

Videtur affirmativè respondendum, ut in puncto fuit 1
decisum a Rota *in Barbastren. Jurisdictionis* 17. Junii 1585. coram Cardinali Pamphilio, ubi excipitur casus, quando in statuto agitur de re communiter spectante ad Episcopum, & Capitulum, quia tunc requiritur consensus Capituli. Adverto tamen quod hoc quæstum fuit aliàs propositum in supradicta *Abulen. sub n.* 4. in ultima propositione data in S. Congregatione Concilii circa statuta Administratorum, & tunc S. Congregatio articulum non definivit expressè, sed dixit, quod Episcopus contineret intra limites visitationis. Quasi diceret, non posse hoc facere. Quia hoc non pertinet ad correctionem. Et quidem meritò. Quia cùm facultas statuendi proveniat a jurisdictione, quàm quodlibet Collegium habet in rebus suis de jure communi, non potest Episcopus derogare juri communi, & tollere jus tertii, sed hoc soli Principi permittitur, aliàs visitatio serviret non ad ædificationem, sed ad destructionem.

Nec obstat decisio *Barbastren. Jurisdictionis* adducta. 2
Non enim loquitur in casu nostræ quæstionis, an scilicet possit corrigere, & moderari statuta Ecclesiæ, sed an, & quando Episcopus teneatur in condendis statutis requirere consentium, vel consilium Capituli.

CONSULTATIO LXVI.

An Episcopus possit visitare Archivium Cathedralis, & recognoscere jura, & scripturas concernentes statum Ecclesiæ?

Videtur affirmativè respondendum, præsertim quoad 1
scripturas concernentes administrationem mensæ communis inter ipsum Capitulum, & Beneficiatos tàm quoad fructus, & distributiones præbendarum, quàm quoad distributiones, anniversaria, & alia jura, & emolumenta dictæ Ecclesiæ. Item passim habetur in directoriis visitatorum, visitandorumque.

At censeo negativè. Quia cum sæpe incidant quæ- 2
stiones inter Episcopum, & capitulum, esset pro ecto contra regulam juris, quod de domo rei, vel actoris non sunt sumenda arma ad ejus offensionem, & contra regulam, quòd quisque juris, &c. cum non liceat Capitulo recognoscere jura Archivii Episcopi. Et ideò in hoc videtur servanda dispositio juris circa exhibitionem Jurium hinc inde per compulsoriales, quando constat de existentia alicujus scripturæ, & de interesse petentis exhibitionem, ut observat Rota.

CONSULTATIO LXVII.

An Canonici possint habere Capitulum tempore celebrationis divinorum Officiorum in casu non necessario? et si non possint, ac nihilominus id faciant, an possint puniri per mulctas, & subtractionem fructuum etiam sine Conjudicibus?

Respondendum non posse, nisi in casu urgenti, & 1
perneccessario. Quòd si id faciant, non alia pœna mulctari non possunt, quàm amissione distributionum illius horæ, in qua id commiserint juxta Breve Clem. XIII. registratum per Garz. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 557. Hæc verò mulcta non ab Episcopo, sed ab eo, quem pertinet punctare

imponenda est, non quidem per viam jurisdictionis, sed per viam retentionis, ut fit contra absentes. Quia Breve nihil de hoc dicit, & ideò standum est dispositioni juris. Resolutiones autem relatæ per ipsum Garziam *ibidem n.* 159. non loquuntur in his terminis, sed in alia quæstione, an scilicet Canonicus, qui non ita ad Capitulum sic congregatum extra tempus, & stat in Choro, possit mulctari.

CONSULTATIO LXVIII.

An Episcopus procedens contra Canonicum propter non residentiam citra privationis pœnam teneatur adhibere Conjudices?

1 VIdetur, quod non sunt adhibendi Conjudices in casu proposito, prout favore residentiæ pluries censuit S. Congregatio Concilii.

CONSULTATIO LXIX.

An Episcopus solus possit Synodum Diœcesanam indicere, & publicare, an verò requiratur consilium, vel consensus Capituli?

1 VIdetur, quod irrequisito Capitulo possit Episcopus indicere Synodum cùm non sit actus voluntarius, sed ex necessitate teneatur Episcopus singulis annis Synodum celebrare ex decreto Sac. Concilii *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformat.* quàm ex dispositione juris, *c. Quoniam* 18. *d.*

2 Nihilominus respondendum est, esse necessarium, vel consensum Capituli, quia res ardua videtur, ut ex limitatione, de qua in decisione *Barbastren. Jurisdictionis* 7. Junii 1585. coram Cardinali Pamphilio, vel saltem consilium, juxta regulam *c. Quantò de his, quæ fiunt a Prælat. sine consens. Capit.*

CONSULTATIO LXX.

An Episcopus possit ad Synodum vocare nedum Clericos sibi bene visos, sed etiam laicos, si illorum consilio uti velit?

1 AFfirmativè respondendum videtur, prout de mente, & voto S. Congregationis Concilii dixit Rota in una *Hispalen. præcedentiæ in Synodo* coram Bubalo 17. Aprilis 1587. per doctrinam Innocentii *in c. Grave de præb.* Contrarium tamen mihi probatur nedum respectu Clericorum, quia ad solos Clericos suæ diœcesis extenditur hæc facultas, sed etiam respectu laicorum ex regula, quod laicus non potest se in spiritualibus immiscere. Ex qua ratione rejicitur ab electionibus, in quibus si intervenit, inducit vitium nullitatis juxta notata *in c.* 2. *de elect.* Nec Innocentius loco allegato facit aliquam mentionem de laicis, sed solùm de Clericis. Ita quod decisio adducta non nititur alia auctoritate quàm Innocentii, remanet sine fundamento. Hic porrò articulus consideratione dignus est, ne paulatim ac latenter incipiant laici se intermiscere in Ecclesiasticis, & quod est voluntatis efficiatur necessitatis.

CONSULTATIO LXXI.

An celebratio Synodi impediri, vel retardari possit per appellationem?

1 NEgativè. Quia ex decreto Sacr. Concilii Synodus quotannis celebrari debet. Verùm adverto, quod licèt ab eo quod statuit lex non detur appellatio, tamen quia potest contingere, quod alteretur forma legis, ab hoc excessu dari potest appellatio. Et ideò non videtur posse commodè resolvi hoc quæsitum in abstracto; sed quando veniret casus appellationis, tunc poterit resolvi in illo casu, secundùm circumstantias facti.

CONSULTATIO LXXII.

An detur appellatio a decretis, & statutis Synodalibus?

1 REsolvendum videtur, quod licèt a constitutionibus Synodalibus detur recursus, & appellatio ad Papam, *cap. Sicut excellentiam* 23. *q.* 4. Id tamen intelligitur tantùm quoad effectum devolutivum, non verò quoad suspensivum, ut dixit Rot. *in Toletana Constitutionum Synodalium* 19. Februarii, & 17. Junii 1624. coram Coccino, ac censuit S. Congregatio Concilii in una Oriolen. 27. Martii 1632. ad 27. Cæterùm distinguendum puto. Aut enim decreta, & statuta emanarunt super materia de sui natura exequntiva, & tunc datur appellatio solùm ad effectum devolutivum. Aut super materia non exequntiva, & tunc datur appellatio ad utrumque effectum. Et ita procedit textus *in d. cap. Sicut excellentiam* 23. *q.* 4. salvo tamen prudentissimo judicio Rotæ modò allegatæ.

CONSULTATIO LXXIII.

Quomodo procedere debeat Episcopos contra Canonicos recusantes venire ad Synodum sub pretextu, quod eorum consensus, vel consilium requiratur?

1 VIdetur quod possit, ac debeat procedere per censuras, & mulctas ad textum *in cap. Quod super his de major. & obed.* ibi: *Per censuras Ecclesiasticas ad Synodum venire compellas*, prout etiam traditur censuisse S. Congregationem Concilii. Verùm ego censeo, quod ante omnia est resolvendum, an eorum consensus, vel saltem consilium requiratur, quod sanè requiri jam diximus. Si enim eorum saltem consilium requiritur, contumacia esset legitima, & sic nullo modo essent puniendi. Si verò non requiritur, prout negamus, tunc cessabit prætextus, de quo in quæsito, quo sublato, cessat quæsitum.

CONSULTATIO LXXIV.

An quando totum Capitulum delinquit, possit Episcopus procedere contra singulos Canonicos sine Conjudicibus? Et casu, quo id non possit, quid tandem desuper agere debeat?

1 VIdetur respondendum, prout aliàs S. Congregatio Concilii respondit Episcopo Abulen. sub die 13. Novembris 1587. nempè hujusmodi facultatem procedendi pertinere ad Episcopum absque Adjunctis, quando totum Capitulum delinquit, modò delictum non sit in personam Episcopi, vel in contemptum ipsius, vel ubi Episcopus habeat interesse. Tunc enim facultas contra Capitulares devolvitur ad proximum Superiorem.

CONSULTATIO LXXV.

An Episcopus in sua Synodo possit sibi reservare quoad proprios subditos casus jam reservatos Romanæ Sedi?

1 REspondetur negativè. Ita declaravit Sacr. Congregatio sub die 28. Novembris 1602. apud Quarantam *v. Casus reservati*, editum ex speciali mandato Clementis VIII. Ratio est, quia ubi Pontifex manum apposuit, non potest inferior se ingerere, quia ligantur ejus manus, *cap. Ut nostrum de appellat.*

CONSULTATIO LXXVI.

An Episcopus possit sibi reservare aliquem casum concernentem violationem clausuræ respectu monialium exemptarum?

1 REspondetur affirmativè cum Pellizario. Quia ex Tridentino Episcopus instituitur Sedis Apostolicæ Delegatus in ordine ad restituendam, & conservandam clausuram monialium exemptarum, itaut habeat facultatem visitandi clausuram. Cùm ergo habeat facultatem delegatam supra Moniales in ordine ad clausuram, poterit etiam sibi reservare ea peccata, quæ circa clausuram committuntur.

CONSULTATIO LXXVII.

An consensus Capituli, qui necessariò in unione beneficiorum simplicium Seminario facienda debet intervenire in forma specifica, & non per æquipollens ex Rota coram Ludovis. decis. 492. *n.* 8. *juxta l. Qui hæredi, & l. Mævius. ff. de condit. & demonstr. sufficiat si superveniat unioni jam factæ?*

1 REspondetur non sufficere, sed ejusmodi consensus requiritur in ipso actu unionis, ita ut non subsistat, nisi cum consensu Capituli tota solemnitas actus repetatur, & fiat de novo unio. Ratio est, quia licet consensus superveniens possit convalidare actum, quando requiritur propter interesse consentientis juxta *l. fin. ff. ad Maced. & l. Honores in fin. ff. de decur.* Rot. coram Durano *dec.* 83. *num.* 13. *in fin.* Quando tamen requiritur consensus ad solemnizandum actum, eumque auctorizandum, tunc debet intervenire in ipsa effectuatione actus juxta celebrem distinctionem, quam tradunt Doctores *in l. Si quis mihi bona §. Jussum ff. de acquir.*

acquir. hæred. & in cap. Cum nos de his quæ fiunt a Præl. quam sequitur Rot. coram Durano *dec.* 265. *n.* 19. Consensus autem Capituli requiritur non propter sui interesse, sed ad auctorizandum actum unionis.

CONSULTATIO LXXVII.

An Episcopus possit suo edicto injungere tertiæ parti Canonicorum, ut interfit divinis Officiis omnibus diebus festis ordine successivo per turnum sub pœna suspensionis a divinis ipso facto?

1 EDictum ejusmodi uti justum, & rationabile servandum censeo. Cùm enim Episcopus teneatur festis diebus interesse divinis officiis, *cap. Episcopus de consecr. d.* 8. Abb. *in cap. Magnæ n.* 11. *de vot.* Ricc. *decis.* 44. *num.* 2. *p.* 3. & *decis.* 397. *num.* 2. *p.* 4. majori ratione tenentur Canonici. Ricc. *ibidem*. Non enim decet Episcopum adesse in Ecclesia sine Canonicis. Idcircò resolvit S. Rituum Congregatio *in Abulen.* sub anno 1602. Episcopum solemniter celebrantem, aut pontificalia exercentem cogere posse Canonicos, & Dignitates ad assistendum sibi vestibus sacris indutos, quam resolutionem adducit Garz. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 496. idque etiam sub censuris Ecclesiasticis, ut in Reatina sub anno 1609. quam refert Barb. *de Canon. & dignit. c.* 33. *n.* 2.

2 Et quidem si Sac. Concilium Trident. *sess.* 24. *c.* 12. *de reformat.* statuit, quod non liceat Canonicis ultra tres menses ab eorum Ecclesiis quolibet anno abesse, salvo longiori servitii tempore, multò magis potest Episcopus injungere, ut præcipuè non absint diebus festis. Est enim Episcopus custos Sacrorum Canonum,
3 *cap. Cum quibus, & cap. seq.* 24. *quæst.* 3. Germon. *de sacr. Immun. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 41. Ideòque potest Concilii Tridentini, & Sacrorum Canonum violatoribus majores pœnas suis edictis imponere *cap. Innotuit*, ibique Abb. *num.* 2. *de eo, qui furtive ordin. suscep.* & Glos. *in cap.* 2. *de constit. in* 6. *& in Clem. Ne Romani de elect.* Quod affirmat Felin. *in cap. Quod super his num.* 14. *de major. & obed.* Monet. *de distrib. quotid. part.* 2. *quæst.* 13. *num.* 26. Massobr. *de Synod. c.* 4. *dub.* 50. Leo *in prax. for. Eccles. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. Feder. de Sen. *cons.* 182. *num.* 4. Cravett. *cons.* 14. *num.* 2. & comprobat Butr. *in dict. cap. Innotuit num.* 2. & 3. Genuens. *in prax. cap.* 41. *num.* 27. Henric. Boic. *de Synod. Episcop. cap.* 4. *ar.* 1. *concl.* 13. *n.* 114. *& concl.* 16. *num.* 275. Surd. *cons.* 152. *num.* 54. Et in his terminis quod Episcopus in ordine ad Concil. Trident. *dict. sess.* 24. *cap.* 12. possit augere pœnas, tenet Garz. *dict. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 150. & noviss. approbavit S. Congregatio Concilii in una Jadren. die 17. Septembris 1650.

4 Nec mirum, cùm apponere, vel augere pœnam legi sit actus jurisdictionis, Abb. *in c. Quæ Ecclesiarum num.* 5. *de constitut.* Felin. *in cap. Irrefragabili, §. Cæterum de offic. Ordin.* Eam autem Episcopus habet a jure Bald. *in l. Imperium n.* 15. & ibi Jas. *n.* 18. *ff. de jurisd. omn. Jud.* Germon. *ubi sup. c.* 8. *n.* 45. *& seqq.* Duegn. *regul.* 151. & habetur expressè ex *c. Conquerente de offic. Ordin.*

5 Cùm itaque Episcopus possit addere pœnam, & injungere etiam excommunicationem, quæ dicitur maxima pœnarum in Ecclesia, *c. Corripiuntur* 24. *q.* 3. Host. *in c. Sacro de sent. excom. n.* 9. Sayr. *de censur. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 13. *& seqq.* multo magis poterit pro divino cultu injungere Canonicis servitium Chori dominicis ac festis diebus sub pœna suspensionis, quæ inter leves enumeratur, & pro qualibet culpa relaxari potest, Felin. *in c. Et si Clerici n.* 12. *de judic.* Foller. *in prax. crim. c.* 33. *n.* 76. Carthar. *dec.* 67. *n.* 120. etiam ob venialem, Tolet. *in instruct. Sacerd. c.* 5. Sayr. *lib.* 4. *c.* 1. Canonicos autem non residentes, quamvis intendant distributiones amittere, non excusari a peccato mortali asserit Garz. *de benef. d. p.* 3. *c.* 2. *n.* 312. Quod multo profecto magis urgere debet festis diebus, in quibus exercentur Pontificalia. Quare non solùm Canonici, sed etiam simplices beneficiati cogi possunt ad inserviendum Ecclesiæ, *c. Quæris*, & ibi Butr. *n.* 12. & 14. *de ætat. & qualit. ordin.* Ricc. qui alios refert *resol.* 316. *n.* 3.

6 Non obstat, servandam esse gradationem pœnarum a Concilio præscriptam antequam deveniatur ad alias pœnas. Quoniam præter dicta respondetur, quod quatenus gradationi pœnarum locus esse deberet, id procederet in ordine ad privationem Canonicatuum, ad quam fortasse Concilium noluit deveniri absque experimento aliarum pœnarum: secus autem in hoc casu, in quo contrarium resolvit Rota ex mente S. Congreg. apud Mantic. *dec.* 67. *n.* 7. Rursus ejusmodi edicto non injungitur servitium novem mensium, de quo in Concilio, sed dierum dumtaxat festorum, nec omnibus Canonicis, sed tertiæ tantum parti ordine successivo. Nec est credendum, Sac. Concil. sub generali illa dispositione residentiæ, & pœnæ voluisse involvere observantiam festorum solemnium, quæ speciali nota digna sunt *l. Item apud Labeonem, §. Hoc edictum ff. de injur.* Feder. de Sen. *cons.* 233. *n.* 4. Cabal. *cons.* 34. *n.* 4. Ideòque limitata hæc dispositio edicti potest peculiari pœna muniri, tanquam providens in casu magis urgenti, *arg. text. in l.* 1. *§. Dixerint aliquis ff. de public.*

Attamen S. Congregatio Concilii die 15. Novembris 7
1653. in una *Consentina Edicti*, cum sibi proponeretur dubium, *An Archiepiscopus potuerit edicto pœnam suspensionis ipso jure incurrendam imponere Canonicis Ecclesiæ Cathedralis inservire renuentibus Ecclesiæ, & officiis divinis interesse diebus dominicis, & festis?* censuit, *quod renovetur Edictum, tollantur verba illa ipso jure, addatur sub pœnis ejus arbitrio imponendi, & suspensionis in subsidium.* Et in hoc sapientissimo oraculo acquiescimus.

CONSULTATIO LXXIX.

An ex titulo Beati sive Sancti in scripturis librisque, ac alibi prolato eliciatur aliquod signum cultus contra decreta de Canonizatione Sanctorum?

AFfirmant plerique. Nam etsi hoc verbum prætenda- 1
tur æquivocum, utpotè significans felicem, & fortunatum, nihilominus quia in re gravi verba accipienda sunt in potiori significatione, ac proprio, & naturali sensu, *l. Non aliter de legat.* 3. *l. fin.* ubi Bald. *n.* 2. *C. de his, qui ven. ætat. impetr.* cum similibus per Surd. *cons.* 90. *n.* 24. *vol.* 1. *cons.* 240. *n.* 5. *vol.* 2. *& cons.* 441. *n.* 23. *vol.* 3. potissimum verò cùm subjecta materia id suadeat ex congestis per Raudens. *de analog. c.* 4. *n.* 16. utique fortiùs hoc casu titulus Beati inditus cuipiam servo Dei unà cum commemoratione virtutum, aliisque elogiis, redolentibus ejus sanctitatem, videtur referendus ad venerationem religiosam, quam Sedes Apostolica, & militans Ecclesia tribuere solet fruentibus gloria triumphantis Ecclesiæ, vel per indultum beatificationis, vel per solemnem canonizationem, de quibus Molphes. *cons.* 46. *num.* 9. juxta tradita *in c.* 1. per Host. *n.* 3. & Jo: And. *n.* 2. *de reliq. & ven. Sanct.* Quare idem Molphes. eodem in loco *n.* 22. *& seqq.* negat licere non canonizatum vocare Sanctum, si id fiat cultu publico.

Etenim titulus beatitatis ac sanctitatis in calicibus, 2
aliisque rebus sacris ad Missæ sacrificium destinatis, & in monumentis publicis, atque libris impressus celebrantium, adstantiumque ac legentium animos ad devotionem erga servos Dei mirificè incendit. Quæ sanè directè adversantur legi præscriptæ in dictis decretis prohibentibus quodcunque venerationem, & cultum præferens erga illos, qui non fuerint ab 26. referunt Urbanum VIII. in Congregatione S. Officii Apostolica Sede beatificati, vel canonizati. Quam ob rem Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *disp.* 13. *n.* 21. Lezan. *consult.* 1. 26. Junii 1632. declarasse in Annalibus Religionum edendis non debere admitti elogia Sancti, aut Beati absolutè, sed ea solùm, quæ cadunt super mores, & opinionem eorum, de quibus fit mentio, addita protestatione in principio, quod nulla sit, aut eis authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantum penes Authorem.

Sed contrarium esse verum censeo, ita quidem ut nul- 3
lum publicæ venerationis, & cultus signum desumi possit ex titulo Beati, aut Sancti panegyricè potiùs, quam assertivè prolato a Scriptoribus. Qua de causa pronunciandum est, nomen Beati æquivocè ac diversimodè sumi pro beato, seu felici, aut fortunato, vel aliter secundùm subjectam materiam.

Aliquando enim substantificatur pro beatitatis titulo, 4
quem militans Ecclesia ex causa religiosæ venerationis, & cultus tribuit iis, qui pietate ac religione insignes, in statu omnium bonorum aggregatione perfecto a fidelibus in gloria cœlestis patriæ existere, ac sempiterna beatitudine frui creduntur, prout passim legitur in Sacra Scriptura, ut Psal. 39. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Psalm. 64. *Beatus vir, quem elegisti, & assumpsisti.* Prov. 3. *Beatus homo, qui invenit sapientiam.* Eccles. 14. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Et 25. *Beatus homo, cui datum est habere timorem Domini.* Luc. 24. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, & Joan. in Apocal. *c.* 20. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Cujus quidem formalis beatitudinis, quæ nobis in statu, ad quem divina benignitate evecti sumus post mortem piè obitam rependitur, facilè erit aliunde naturam ac perfectionem, & adjuncta omnia petere. Nam præter ea, quæ Christiani Theologi de illa tradunt 1. *p. quæst.* 12. *&* 1. 2. *q.* 3. luculenter quoque de ea disse-

junt Petrus Damiani *c. 3.* & Prosper. *lib. 1. de vit. contempl.* per decem prima capita S. Chrysost. *in parænet. prior. ad Theodos.* S. Anselm. *lib. de simil. a c. 47.* Author. *lib. de tripl. habit. apud Augustin. tom. 9.* Guliel. Paris. *de retrib. Sanctor.* Sebund. *in natur. theolog. tit. 154. & seq.* aliique his recentiores absque numero. Ex quo sanè validissimum resultat venerationis, ac probatæ sanctitatis argumentum.

5 Interdum autem sumitur adjectivè, vel ratione dignitatis, aut muneris, quod quis vivens exercet, seu quo dum viveret, insignitus fuit, qualis est illa beatitudo, ac sanctitas, quæ attribuitur tàm Summis Pontificibus a Justiniano rescribente Joanni Papæ II. *in l. 8.* ibi: *Scripsit ad vestram Sanctitatem festinans in omnibus Sedem sequi Apostolicam Beatitudinis vestræ, C. de Sum. Trinit. & fid. cath.* & ex D. Augustino *in c. Legi 16. q. 1.* distinguendo tradit Troyl. Mal. *de Canon. Sanct. dub. 1. n. 22. circa fin. tract. to. 14.* quàm Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis passim ab eodem Justiniano in compilatione Authenticorum, & nominatim rescribendo Epiphanio, & aliis Archiepiscopis, & Præsulibus *in tit. de Monachis*, ibi: *Quapropter tuam sanctitatem decet, omnibus sub te Sanctissimis Metropolitanis hæc facere manifesta, & seqq.* titulis: *Quomodo oporteat Episcop. §. fin. & de non alien. aut permut. reb. Eccles. §. item fin. tit. Ut Clerici, qui reced. §. etiam fin. tit. Ut in privat. domib. §. Hæc etiam, & §. fin. & in tit. de Sanctiss. Episcop.* & alibi sæpè, ubi idem Imperator dignitatem Episcopalem, Archiepiscopalem, & Patriarchalem sanctitatis, beatitudinis, sanctissimi, & beatissimi nomenclatione decoravit. Itidem apud Vopiscum in Aureliano Patres conscripti dicuntur Sanctissimi Quirites, & milites Sanctissimi. Legati pariter Sancti a Pomponio appellantur *l. fin. de legation.* & Patronos a libertis, & Patres a filiis reputari debere sanctos monet Ulpian. *in l. Liberto, ff. de obsequ. paren. & patron.* passimque ex Historicis, ac veterum monumentis concedi legitur a Scriptoribus ratione dignitatis, vel muneris administrati. Et sanè Scacch. *de apt. & sign. Sanct. sect. 1. cap. 8. vers. Beatitatis*, nullum ex his posse sumi, inquit, argumentum venerationis, ac sanctitatis debitæ iis, qui in statu omnium bonorum aggregatione perfecto fruuntur vita æterna, ac pace, & regno cœlorum. Quia illa dicitur beatitudo impropriè in hac vita, ut in specie animadvertit Malv. *d. n. 21.*

6 Aliquando etiam adjectivatur in persona ratione boni, seu felicitatis, qua quis in hac vita fruitur, ideòque beatus sæpè dicitur, qui felix, & fortunatus est ratione divitiarum, vel honorum, ut perspicuè patet ex sacra Pagina, Reg. nempè *3. Beati servi tui, qui assistunt coram te.* Et Paralip. *2. Beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore.* Isaiæ *30. Beati, qui seminant super omnes aquas.* Ecclesiastic. *25. Beatus, qui habitat cum muliere sensata, & beatus, qui invenit amicum bonum.* Luc. *23. Beatæ steriles.* Idem apud Scriptores profanos usitatum est, nempè Juvenal. *Satyra 1.* Hor. *Od. 9. lib. 4. & lib. 1. Epist. 16.* Et ex hoc nullum planè sanctitatis, aut cultus argumentum resultat.

7 Interdum denique adjectivatur in persona ad indicium honoris, quo quis ob eximias suas virtutes condecoratur apud posteros dicentibus Troylo Malvet. *d. dub. 1. num. 7.* Cassiano *in catal. glor. mund. part. 3. consid. 46.* Omnes, qui mundè ac virtuosè vivunt rationabiliter vocari posse Sanctos. Quia, ut inquit, Symmachus Papa *in cap. 1. d. 40.* Vita immaculata, & mores honesti faciunt hominem sanctum, sicut apud antiquos Patres, & Ecclesiasticos Scriptores pluribus exemplis adductis ab ortu nascentis Ecclesiæ practicatum refert Molphes. *cons. 41. n. 3.* concludens propterea *num. 22.* non canonizatos licitè vocari posse Sanctos, dummodo hoc non fiat cultu publico.

Equidem habet quoque hæc vita suam formalem beatitudinem, non planè perfectam, quæ in altera vita est quærenda. *Ipsa enim beatitudo finalis*, verba sunt Augustini *19. Civit. cap. 10. Ipsa perfectionis finis, qui consumentem non habet finem. Hìc autem dicimur quidem beati quando pacem habemus quantulacumque hìc haberi potest in vita bona.* Ut propterea meritò Philosoph. *1. eth. cap. 10.* hominem hic beatum esse posse admittat, ut fert etiam vox communis, sed ut hominem, idest valdè imperfectè, & cum magno a beatitudine, simpliciter dicta recessu, qualis præsertim erat in ea beatitudine, quam Marinus in Procli vita *num. 2.* vocat *beatitudinem sapientum.*

8 Hæc autem naturalis beatitudo sive consistat in sola Dei contemplatione, qualis naturaliter haberi potest in hac vita, neglecto statu voluntatis, ut quidam ajunt; sive sita sit in operationem intellectus circa Deum, non quacunque, sed affectum movente ad virtutis exercitationem, & divinarum perfectionum, quantum fas est homini, expressionem in seipso, ut alii volunt; sive cum Cano *lib. 9. de loc. cit. item 9.* hujus vitæ beatitudinem non in cognitione, sed in sola Dei dilectione, & timore, virtutumque omnium exercitatione constituamus. Quod etiam ferè habet Alex. Piccol. suo *1. Eth. cap. 1. & 7.* firmavitque Lactant. *lib. 3. cap. 12. in fin.* his verbis: *Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur. Si fugientes illecebras voluptatum, solique virtuti servientes in omnibus miseriis, laboribusque vivamus, quæ sunt exercitia, & corroboramenta virtutis. Si denique asperam illam vitam, difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est.* Præsertim enim datum est nomen beatitudinis exercitationi virtutum, quia exercitationi hujusmodi operum adjungitur mentis serenitas, discussis affectuum nubibus, & pax ac tranquillitas, compressa rebellantium appetituum ferocitate. Quod quisquis assequitur, is jam ex hac vita felix quodammodo haberi potest, ut Simplicius docuit *in præfat. ad Epict. Enchirid. sub init.* Quod ea pax sit imago quædam æternæ illius pacis, qua in altera vita potiuntur Beati. Quo respexisse videntur qui hujus vitæ beatitudinem describunt per eas actiones, quibus id assequimur, ut nullo casu, ultra quàm par est, moveamur, simulque animo compositi ad quamcunque fortem, adepti euthymiam illam, de qua egregium volumen scripsit Democritus, teste Seneca *lib. de tranquill. animi c. 2.* qui vocem illam *tranquillitatem* vertit, & statum Deo vicinum non concuti transfert, ac supra modum commendat.

Ita etiam frequentissimè Epitectus apud Arrianum, 9
sed pulchrè *libr. 4. cap. 4. Una vita est ad felicitatem, quam ob oculos ponito tibi cum surrexeris, totoque die ac noctu etiam in promptu habeas; nempè ut abstineas ab his, quæ voluntatis nostræ non subjiciuntur, quorum nihil ut tuum, & proprium complectare, sed quicquid fuerit, adscribito voluntati Dei.* Eadem repetit *capit. 7.* ubi etiam illustrat longa expensione singularium incommodorum, quæ mentis sic affectæ beatum statum nequaquam perturbant. Vide etiam Enchir. *cap. 3.* & rursus *cap. 4.* & Simplic. in caput illud *3.* ac etiam *7.* Legendus præterea Plotinus *Enead. libr. 1. capit. 12.* Cicero *Tusc. quæst. libr. 5.* ac Hieronymus super Psalm. *Beatus vir*, Salvianus *lib. 1. de provid.* ostendens pios omnes, quacunque sorte sint, beatos tamen semper, quia hoc sunt, quod volunt. Id quod Chrysostomus *homil. 56. ac seq. ad popul.* egregiè prosequitur, quibus adstipulatur Petrus Blesensis *epist. 13.* Sive denique dicamus cum S. Ambrosio *2. offic. cap. 2.* beatitudinem hujus vitæ consistere in cognitione divinitatis, & fructu bonæ operationis; hoc est in actu intellectus, & in actu voluntatis cùm elicito circa Deum, tum imperato. In quam sententiam illud etiam legitur apud Trismegistum *c. 6. Pimandri. Si Deum quæsieris, pulchritudinem ipsam quæres. Quæ tandem ad id ferat via unica est, pietas cognitione conjuncta.* At via ad perfectam alterius vitæ beatitudinem est beatitudo hujus vitæ. Similia habet Alexander apud S. Cyrillum *3. in Julian. ad text. 1.* Quam semper fuisse omnium rectè sapientium sententiam affirmavit S. Thom. *in prolog. 1. sent.* latèque stabilitur à Jacobo Bruto *lib. de laudibus scientiæ rat. 6.* & optimè etiam tradidit Plato *7. de Republ.*

Liquet ferè initio nullum argumentum exhibitæ ve- 10
nerationis, & cultus petitæ in decretis Urbani deducibile esse ex titulo beatitatis, & sanctitatis, qui non emanavit ab Ecclesia, & illius auctoritate, sed a personis privatis, seu Scriptoribus, & Historicis, quamtumvis graviissimis, qui honoris, & laudis ergo in suis elucubrationibus, vel encomiis ob eorum insignes, heroicasque virtutes servos Dei tales enunciarunt. Et hoc est quod Scacch. *d. sect. cap. 7.* appellat *sanctum dici*, quod tanquam denominatio extrinseca respiciens solùm conceptum privatorum ab extrinseco nihil certi constituit quoad cultum, sed in hoc expectandum est judicium Sedis Apostolicæ, quæ distinguit sanctum esse a sanctus dici, subdens propterea *sub litt. A.* quod relativè ad cultum is solùm potest in Ecclesia militante dici Sanctus esse, quem Summus Pontifex visis videndis, ac servatis servandis, ut summus Judex per suam definitivam sententiam decrevit esse talem; quia per illam censetur ex actibus virtutum approbatis patefacta in eadem Ecclesia sanctitas interna per gratiam justificantem, relativè verò ad dici, consistens in pura opinione, & denominatione extrinseca, ita dicentium ab extrinseco. Ut proinde dumtaxat nomen Beati sit titulus indicativus cultus, & venerationis debitæ sanctitati Ecclesiæ triumphantis, quando tribuitur ex Indulto Pontificum in publicis litaniis, in commemorationibus, in Martyrologiis,

giis, aliisque actibus publicis, non verò quando respicit virtutes, aut mores. Quod declaravit Sacr. Congregatio Inquisitionis die 5. Junii 1631. & habetur in libello decretorum *pagin.* 18. Atque in simili ad exclusionem cultus, & casus excepti alias arguebat A. P. D. Petrus Franciscus de Rubeis, qui cum dignitatibus sit amplissimè præditus, utpotè Promotor Fidei, Advocatus Fisci, & Consistorialis, virtute tamen ac meritis cunctos honores antecellit, eumque velut sæculi nostri Catonem atque Scevolam intuentur quicumque viri constantiam, gravitatem, animi magnitudinem, judicii integritatem, heroicam indolem, jurisque prudentiam norunt. Ingens hoc meritum, majus illud, quod plerumque cives non alium Judicem malint quàm eum Fisci Patronum. Is enim in *Papiensi* servi Dei Bernardini de Feltro, & in *Hispalen.* Ferdinandi III. cum in prædictis, & aliis causis, in quibus titulus Sancti, ac Beati deducebatur ad probationem venerationis semper desideravit immemorabilem, & centenarium temporis cursum.

11 Quod sanè tantò magis dicendum videtur eo casu, quo titulus Beati non absolutè prolatus fuerit a Scriptoribus, sed laudis causa, & panegyricè, Scacch. *dict. sect.* 1. *cap.* 8. id comprobans ex orationibus a Patribus habitis in laudem Constantini, & ab Ambrosio in laudem Valentiniani, ac Gratiani, & in panegyrico Theodosii, subdens quoque Carolum Magnum sæpissimè Beatum vocitari. Qui quidem intellectus non videtur alienus, immò congruens novissimis decretis Urbani, non solum quia *pag.* 18. *& sequentib. in* protestationibus ab Authore apponendis in principio, & fine librorum de servis Dei tractantium, respuunt solùm elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, contra verò literaliter admittunt ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum limitatione tamen, quod in principio apponatur ab Authore, quod inde nulla auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm fit penes Authorem, verùm etiam in præcedenti §. *Responsum pagin.* 17. inter casus contraventionis expressos in prioribus decretis non connumerant elogia Sancti, vel Beati, hisque similia contenta in libris excusis, sed solummodo, deficientibus dictis protestationibus, tollunt iis fidem, ne faciant majorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, seu beatificationem absque ulla nullitatis, ac denegationis audientiæ pœna. Nec obstaret etiamsi in libris impressis deficerent hujusmodi protestationes, quando plures ex Authoribus, unde eliciuntur elogia, scripserint ante editionem novissimorum decretorum anni 1642. sive ante illorum promulgationem, seu intimationem postulatoribus factam.

12 Immò valdè inconveniens foret, si ex encomiis excussis fieret obstaculum causis beatificationum, & Canonizationum. Inde enim sequeretur liberum fore cuicumque etiam impio simílem impedimenti causam prætexere in præjudicium gloriæ Dei, qui magnificatur, & laudabilis est in Sanctis suis. Itaque titulus Beati, vel Sancti a Scriptoribus enunciativè inditus cuipiam servo Dei, vel ratione dignitatis, vel ob heroicas virtutes obstare nequit progressui ad ulteriora in causa Canonizationis.

CONSULTATIO LXXX.

Episcopus ad consulendum tenuitati præbendarum, qua laborabant Dignitates, & Canonicatus suæ Cathedralis, nec non ad instituendas præbendas, quibus carebant aliqui Canonicatus ejusdem Ecclesiæ, tria beneficia ipsis Dignitatibus, & Canonicatibus distributivè univit sine præjudicio illa tunc obtinentis. Cui univit Capituli consensus accessit. Defuncto postmodum in mense reservato, & in curia beneficiato, qui antedicta tria beneficia obtinebat, petitur, an præfata unio censenda sit valida, ita ut in præsens sortiri debeat effectum?

1 ET affirmativè resolvendum est. Sacrum enim Concilium Tridentinum *cap.* 15. *session.* 24. *de reformat.* concedens facultatem Episcopis uniendi beneficia, vel supprimendi præbendas, movetur ex causa utilitatis, & dignitatis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum insignium, ut patet ex his verbis: *ut divino cultui celebrando, & dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere.* Permittendo itaque Concilium unionem præbendis, quæ sunt adeò tenues, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci ad personarum qualitatem non sufficiant, prout notat Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 9. *num.* 45. intelligitur de præbendis capitularibus, quod nimirum liceat præbendis hujusmodi singulorum capitularium unionem fieri juxta resolutionem S. Congregationis Concilii, de qua Garz. *de benef. p.* 12. *cap.* 2. *num.* 121. Gonzal. *super regul.* 8. *Cancel. glos.* 7. *n.* 25. & Ricc. *in prax. p.* 2. *resol.* 379. *n.* 4. Nec immeritò. Nam provisione Capitularium dicitur provisum Ecclesiæ, cujus illi sunt Senatus, teste D. Hieronymo relato *in c. Ecclesia* 16. *quæst.* 1. Valenz. *conf.* 34. *n.* 201. *lib.* 1.

Atque ex eo præsertim, quia cum hic non agatur 2
de illis Dignitatibus, quæ præbenda carent, ac vocem in Capitulo non habent, nec de Capitulo censentur, prout ex juris dispositione regulariter habetur, in quo casu negativè respondendum esset. Tum quia non dicuntur de Capitulo Cathedralis, quod a solis Canonicis constituitur, Rota *dec.* 708. *part.* 2. *rec.* apud Post. *de manut. & decis.* 175. *num.* 5. & 177. *num.* 4. *in Bitetten. Archipresbyteratus* 4. Julii 1646. coram Meltio, & in *Suessana Primicieriatus* 20. Aprilis 1651. coram Verospio, & in aliis passim. Nam Concilium personis de Capitulo, vel Collegio Cathedralium, seu insignium Collegiatarum providere intendit. Tum etiam, quia si Dignitas non habet præbendam, deficit subjectum, cui hæc unio fieri debeat, cum Concilium loquatur de unione facienda præbendis, ut constat ex illis verbis *iis unire debeat*. Et ita pluries declaravit Sac. Congregatio Concilii ex collectis per Add. ad *decis.* 576. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *num.* 91. & firmavit Rot. *dec.* 337. *n.* 24. *p.* 9. *rec. tom.* 2. Ideoque sine præbenda ejus dispositio non habet locum.

Sed agitur de Dignitatibus, quæ sine jurisdictione 3
habent præbendam in Cathedrali, vel Collegiata insigni, prout habent alii Canonici, & de consuetudine dicuntur de Capitulo, & in illo vocem habent, ac participationem in omnibus juribus capitularibus, ita ut nulla inter ipsos, & Canonicos dignoscatur distinctio, nisi solum quoad quandam præeminentiam, ut frequentissimæ sunt in Italia, & præsertim in Regno Neapolitano. In hoc enim casu hujusmodi Dignitates veniunt nomine, & jure Canonicorum, omniaque de Canonicis disponentia ipsis conveniunt, ut de voce habenda in Capitulo Barbos. *de Canon. cap.* 37. *num.* 14. & 25. De possessione Capituli capienda, Rota *in dict. Bitetten.* coram Meltio. De œconomia, vel procuratione Capituli exercenda, quando ad id eliguntur, qua de re nos aliàs. Quia data consuetudine, vel statuto, Dignitates dicuntur de Capitulo, ut in *dec.* 708. *n.* 3. *p.* 2. *rec.*

Cum igitur hæ Dignitates sint de Capitulo, unio 4
potuit fieri illarum præbendis æquè ac præbendis Canonicorum, cum etiam illæ dicantur capitularium. Ita in puncto firmat Garz. *dict. cap.* 2. *num.* 170. Ricc. *dict. resol.* 379. *cod. num.* 4. & Rot. *dec.* 565. *part.* 2. *recent.* quæ id supponit in unione facta ad commodum Archipresbyteri, & Canonicorum, quam improbat, tanquam factam mensæ capitulari, non præbendis distributivè.

Quod quidem confirmatur. Nam in ea parte, in 5
qua decretum Concilii permittit suppressionem, intelligitur de præbendis capitularibus ex jam dictis. Igitur sicut Episcopus posset supprimere præbendas Dignitatum, reducendo præbendas Capitularium ad minorem numerum ex adductis per Garz. *tit. part.* 12. *cap.* 2. *a num.* 17. Ita etiam dicendum est, illis posse eas unire, cùm unio in dicto decreto Concilii sit permissa ex eadem causa utilitatis Ecclesiæ, ex qua permittitur suppressio. Quo argumento a suppressione ad unionem utitur Oldrad. *cons.* 182. *n.* 1.

Nec obstat, quòd unio passivè non possit fieri de 6
Dignitatibus ex decreto Concilii, quod in hac parte restringit facultatem Episcopi de jure, ut advertit Castropal. *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 6. *pun.* 9. *sub num.* 19. Quia hoc est propter verba *aliquot simplicia beneficia*, quæ sanè Dignitates non comprehendunt, ut notat Garz. *dict. cap.* 2. *num.* 89. Ex hoc enim inferri non potest ad unionem activè, seu in favorem Dignitatum capitularium, pro qua militant verba, & ratio Concilii.

Ita etiam nec obstare videtur, quòd Concilium faciat 7
dumtaxat mentionem Canonicorum. Quia id stat demonstrativè, & non restrictivè ad illos, cum velit providere capitularibus, qui regulariter, & de jure sunt tantum Canonici, Abb. *in c. scriptum n.* 4. *de elect.* Rot. *dec.* 183. *n.* 1. *p.* 1. *rec.* Sicut enim Dignitates regulariter, & de jure non sunt de Capitulo, Seraph. *dec.* 98. *n.* 1. *& dec.* 326. *n.* 2. *p.* 9. *rec.* Ita nec illarum erat facienda mentio. Et sicut in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis insigni-

bus Dignitates inſtituuntur ad conſervandam, & augendam Eccleſiaſticam diſciplinam, ita dicendum eſt Concilium eiſdem voluiſſe providere, dum pro illis urget eadem ac fortior ratio utilitatis, & decoris Eccleſiarum, ex qua Concilium movetur.

8 Eoque vel maximè ſi Epiſcopus in hac unione non ſolum uſus fuerit facultate Concilii, ſed etiam aliàs ſibi tributa cum clauſula, *ac omni alio meliori modo, & forma*, quæ ex ſe operatur validitatem actus ex facultate, qua poteſt ſuſtineri, Rot. *d. dec. 733. num. 9. p. 2. & dec. 30. n. 35. p. 5. recent.* cum de jure poſſit Epiſcopus ex cauſa neceſſaria venire etiam Dignitatibus juxta *Clem. Si una de reb. Eccl. non alien.*

9 Nec abs re dici poſſet in omnem eventum ſemper unionem ſuſtineri quoad Canonicatus, & præbendas Canonicales, licet non valere credatur quoad Dignitates. Quia, quamvis unio ratione ſui ſit de individuis, in quibus utile per inutile vitiatur, tamen ratione ſubjectorum, utique dividua judicari poteſt. Nam eſt fax ex fructibus, & redditibus trium beneficiorum, & in utilitatem plurimum præbendarum diſtributivè pro rata; ideòque utile ſuſtinetur, inùtile vitiato. Quantitas enim ex ſe etiam eſt diviſibilis, ut perſpicuè liquet in penſione. Lotter. *de benefic. p. 1. quæſt. 41. a num. 29.* Mantic. *dec. 154. & dec. 173. n. 1.* Ac præcipuè propter mentem Epiſcopi unientis, deductam ex veriſimili, & ex clauſula, *ac omni alio meliori modo*, quæ eſt mirabilis ad ſuſtinendum actum, Lotter. *q. 40. n. 326.*

10 Nec obſtat, ſi non fuerit citatus poſſeſſor beneficiorum. Quia unio habitura erat effectum poſt mortem illius. Seraph. *deciſ.* 1708. *a n. 1.* Conſenſus verò Capituli conſtat ex actu ipſo unionis. Tenuitas fructuum ac diſtributionum, quæ pro cauſa requiritur, ſupponenda eſt, quia videtur juſtificata ex ipſa unione facta in actu viſitationis, in qua cùm Epiſcopus proceſſerit cauſa cognita, & onus haberet præcipuum recognoſcendi ſuper ſervitio Eccleſiæ, videtur in hoc ipſi ſtandum, tanquam ſit quid ſpectans ad ſuum officium juxta doctrinam Cæſar. de Graſs. *dec. 1. ſive a 4. n. 15. de reb. Eccl. non alien.* Semper enim præſumptio eſt pro ipſo Epiſcopo ad ſuſtinendam unionem, ſtante enunciativa ſolemnitatum, quidquid aliàs in prohibitis non ſtetur aſſertioni gerentis actum, quando ſcilicet ad illum non proceditur cauſa cognita, & in re extra officium gerentis, prout declarat Garz. *d. p. 12. c. 2. a num. 725.*

11 Circa verò reſervationem, quæ ſupervenit per obitum poſſeſſoris in menſe reſervato, & in curia, diſtinguit Lotter. *lib. 1. q. 29. a n. 41.* duos caſus. Primus eſt, quando reſervatio, licet generalis, eſt tantùm circa collationem, quam ſolam ſibi Papa reſervat; & tunc cùm unio nomine collationis non veniat, reſervatio non impediat ipſam unionem, ſive fiat ante, ſive poſt, ſolumque ſuſpenditur effectus, donec reſervatio antecedens conſummatur. Secundus, quando reſervatio habet verba generalia non ſolùm comprehendentia collationem, ſed quamcumque aliam diſpoſitionem; & hoc caſu impeditur unio, quæ ſub eiſdem verbis generalibus dicuntur prohibita Ordinariis, ſi reſervatio, ſeu impedimentum non exiſtit tempore unionis, nec impeditur ejus effectus.

12 Aut ergo reſervatio *regulæ 9.* eſt tantùm ad effectum collationis, prout indicant verba procœmii, nempè, *Cupiens* Papa, *pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis providere*. Aut amplectitur etiam aliam diſpoſitionem. At cum reſervatio hujuſmodi ſupervenerit per obitum poſt unionem, eam non impedivit, nec jus effectum ſuſpendere poteſt. Quia per ipſam unionem extinctus fuit titulus beneficii, & impedita vacatio, ut nec proviſio Apoſtolica ſuſtineatur juxta Oldrad. *conſ. 26.* Seraph. *d. dec. 1078. n. 5.* & eſt deciſio in Caputaquen. beneficii coram Marquemontio, quam damus, & coram Gregorio XV. *dec. 419. n. 4.* ac firmat Corrad. *in prax. benef. lib. 2. cap. 16. n. 66.* & pleniſſimè ac ſapienter de more Fagnan. *in c. Sicut. venire de exceſ. Præl. n. 22. & ſeqq.* ubi *n. 26.* firmat id eſſe verum etiamſi Papa conferat motu proprio, aitque collationem non ſuſtineri, niſi fiat mentio de unione, cui aliàs Papa non intendit præjudicare.

13 Et in terminis etiam *d. c. 15. ſeſſ. 24. de ref.* quod nec ſuſpenditur effectus unionis juxta reſolutiones Sacr. Congregationis Concilii tradit Garz. *d. p. 12. cap. 2. n. 100.* Idem de reſervatione vacationis apud Sedem juxta *cap. 2. de præb. in 6.* quæ ſuperveniens nec impedit, docet Zerol. *in prax. p. 2. v. Unio n. 16.* qui teſtatur ita a ſe obſervatum eſſe, quem ſequitur Pax Jord. *var. elucubr. vol. 2. de re benef. l. 20. tit. 32. num. 34.* Ceſſatque prorſus difficultas in hoc caſu; quia nullus adeſt proviſus Apoſtolicus contradictor, & conſequenter ceſſat ratio eorum, qui tenent, quod reſervatio ſuperveniens ſuſpendat effectum. Quia inquiunt, Papa poteſt providere motu proprio, nulla facta mentione unionis, & cum hujuſmodi mentione etiam ad inſtantiam, de quibus Garz. *eo. c. 2. n. 49.* & Pax Jord. *d. tit. 32. n. 38.* Quæ opinio licet videatur recipienda in terminis juris communis, in terminis tamen Concilii, in quibus habemus præciſas deciſiones Rotales non habet locum, ut rectè vidit Garz. *n. 110.* docens ſuſpenſionem non fieri in hujuſmodi unionibus, ubi etiam declaratur in ſpecie prædicta deciſio Seraph. *1079. in fine.* In regula autem Cancellariæ *13.* revocatoria unionis, quæ ſupervenit non eſt immorandum, cum in ea verbaliter præſervetur unio facta vigore Concilii, ut advertit Lotter. *d. l. 3. q. 29. n. 24.* & Greg. XV. *d. dec. 419. num. 3.*

Quòd ſi dubium adhuc ſupereſt, ad illum diluendum 14
ſubintrat diſpoſitio juris communis, ad quod pro nova lege interpretanda ſemper recurritur. De jure autem Doctores loquentes in his terminis unionis ſive juxta textum *d. Clem. Si una de reb. Eccl. non alien.* ſive *d. c. Sicut venire de exceſſ. Præl.* indiſtinctè loquuntur de præbendis Dignitatum vel Canonicatuum, ut videre eſt apud Gabr. *conſ. 188. n. 3. lib. 2.* & Garz. *d. p. 12. cap. 2. n. 170.* Quod præſertim in unionibus factis ante Concilium Dignitatibus in Cathedrali firmat Rota *in Earchinonen. Parochialis ſeu Vicariæ* 10. Febr. 1646. coram Card. Corrado *p. 9. rec. tom. 2. dec. 330. n. 4.* Ubi conſideratur eadem ratio dicentis, & congruæ ſuſtentationis, *in Mediolanen. Cimiliarchatus* 20. Maii 1645. coram Peutingerio *dec. 337. ead. part. 9. tom. 3.* ubi non fuit dubitatum de validitate unionis ex hoc capite, ſed ex regula revocatoria unionum, aliiſque cauſis ibi deductis. Quia verè poſita dicta qualitate, quod Dignitates habeant præbendas capitulares, & ſunt de Capitulo, res eſt planè perſpicua, & juxta veriorem mentem Concilii, de qua Garz. ſæpius adductus *num. 171.* & *176.*

Atque ita in hiſcemet terminis S. Congregatio Con- 15
cilii in una *Rhegien.* unionis die 11. Martii 1662. cenſuit, nempè ejuſmodi unionem ſuſtineri. Verùm conſtare debet de tenuitate præbendarum, in qua non creditur Epiſcopo.

Caputaquen. beneficii.
R. P. D. Marquemontio 12. Decembris 1608.

Rota cenſuit, non eſſe dandam immiſſionem D. Ju- 16
lio Cæſari, quia beneficium, de quo agitur nec eſt litigioſum, nec reſervatum. Siquidem quæ deducitur reſervatio ex vacatione per obitum Lælii in menſe Maii 1608. non poteſt ſuffragari, quia ex diſpoſitione S. Congregationis Concilii Tridentini, & de ordine Papæ ſignificato Canonicis, & Capitulo Caputaquenſi per literas Cardinalis Farneſii fuit unitum ſeminario in vita ipſius Lælii ad *dec.* Caſſad. *1. de union.*

Nec poteſt conſiderari vacatio, quæ in beneficio per unionem extinctio non datur, *Clem. frequens §. Quidam etiam*, & ibi Gloſs. *v. de menſe de exceſ. Prælat.* Old. *conſ. 275. n. 26.* Rebuff. *in prax. tit. de union. benef. n. 12. in fine.*

Non obſtat, quòd dicitur unionem fieri non debuiſſe 17
de beneficio reſervato, ut fuit dictum in cauſa Averſana beneficiorum 3. Julii 1606. coram Sacrato, & in aliis: Id enim non procedit, quando, ut in hoc caſu, unio fuit facta in vita obtinentis beneficium, quod non affectum nec reſervatum erat, licèt poſtea obitus obtinentis contingat in menſe Apoſtolico, ut ſecuta Sacr. Congregationis reſolutiones aliquando Rota reſolvit, & quod eo caſu diſpoſitio Concilii non adverſatur unioni beneficii reſervati patet ex ipſius Concilii verbis, & ex deciſione Cæſaris de Graſſis *3. de reb. Eccleſ. non alien.*

Non obſtat, quòd unio ſit invalida, uti facta a Vi- 18
cario Epiſcopi, Gemin. *conſ. 38. num. 10.* Omiſſo enim quod contra ſentit Mehed. *dec. 3. de offic. Vicar.* objectum tollitur ex facto, quia iſte Vicarius habuit in ſuis facultatibus ſpecialem authoritatem beneficia uniendi, ideòque unio fuit valida, Rebuff. *in prax. in form. Vicar. num. 102.* & *de union. num. 37.*

CONSULTATIO LXXXI.

Translatio ad alterum Epiſcopatum quoad vacationem primi, quonam tempore perficiatur?

VErior & magis communis opinio eſt, quod perfi- 1
ciatur ab eo tempore, quo per Papam in Conſiſtorio translatus a vinculo primi Epiſcopatus abſolvitur, præſertim ſi concurrat conſenſus ipſius translati. Ita voluit,

fuit, Jo: Andr. *in c. Quod ob gratiam n. 5. & 6. de reg. jur. in 6.* Abb. *in cap. fin. num. ult. de postul. Prælat.* Bellam. *in cap. Si quis jam translatus sub n. 12. 21. quæst. 2.* & latissimè Abb. *cons. 101. per tot. p. 2.*

2 Ratio est, quia in Episcopatu contrahitur matrimonium spirituale. Unde Papa absolvendo in translatione translatum a vinculo, remanet prima Ecclesia libera, & vacans. Quam opinionem secuta est Rota in *Placentina* coram Card. Lancellotto, & coram Coccino, quæ est 475. *p. 3. recent.* approbavitque S. Congregatio Concilii in hisce declarationibus.

3 *Die 2. Septembris 1617. in una Messanen. S. Congregatio ad 2. respondit, vacare Sedem Episcopalem ab eo tempore, quo in Consistorio per Papam a vinculo Ecclesiæ Messanensis, & ad Aurien sem translatus absolvitur.*

4 *Die 18. Junii 1622. in una Albarazinen. S. Congregatio Concilii, perpensa decisione Rotæ, censuit ob translationem prædictam a Sanctissimo D. N. de consensu Episcopi factam, Ecclesiam Albarazinensem vacasse, etiam antequam translatus posterioris Ecclesiæ possessionem adipisceretur.*

5 Verùm negari non potest dubietas istius articuli, ut admittitur in eadem *decis.* 475. *sub n. 6.* & colligitur ex deductis per Jo: Andr. *ubi supra num. 2. & seqq.* per Bellarm. *ubi supra num. 12.* & per Abb. *d. cons. 101. num. 1. & seq.* Et multò major dubietas videtur adesse respectu vacationis Ecclesiæ, ad quam fuit translatus ante adeptam possessionem. Nam licèt Rota in eadem decisione videatur contrarium admittere ex Abb. *d. cons. 101. num. 4. & num. fin.* nihilominus ibi videtur restringi conclusio, quando per translatum stat quominus adipiscatur possessionem, ut colligitur ex *d. dec. sub num. 4.* ibi: *Sed si per ipsum steterit, sibi est imputandum*, & facit Bellam. *d. c. Si quis jam translatus 21. q. 2. sub num. 12.* Rebuff. *in prax. tit. de nomin. facien. §. Monasteriis*, Ricc. *collect. 1325. in fin. & c. Si tibi concesso de præb. in 6.* ubi Glos. *v. Vacare*, Joan: Andr. *ubi supra num. 5. in fin.*

6 Præsertim cùm supponatur non secura expeditio literarum, ut ponderatur in *d. dec. 475. n. 17.* Et ratio est, quia matrimonium non videtur posse dici cum Ecclesia posteriori unitum, nisi secutis nuptiis, & sic possessione, uti colligitur ex Jo: Andr. *in d. cap. Quod ob gratiam num. 2.*

CONSULTATIO LXXXII.

An officiales, sive familiares, ac Ministri Episcoporum gaudeant privilegio fori?

1 SCio pertritam jam esse hanc controversiam; non ideò tamen eam prætermittam, quia licèt ab omnibus ferè agitata sit, non tamen rectè omnia dicta sunt.

2 Certant opiniones. Equidem qui omninò id negant his rationibus nituntur. Primò, quod privilegium, utpotè stricti juris, extendi non debeat, *c. Privilegia de reg. jur. in 6.* & utpotè personale personam non egreditur, *l. Sordidorum, C. de excus. mun. l. maritum, & l. Quia tale, ff. solut. matrim.* & notant Bart. *in l. Paulus respon. ff. de acquir. hæred.* Anchar. *cons. 110. n. 1.* Et sic privilegium concessum personæ Episcopi ad famulos, & familiares non extenditur. Secundò, quia hoc pacto privilegium fori extenderetur etiam ad famulos clericorum. Tertiò, quia Episcopus nequit habere familiam armatam. Nam si posset habere, cederet in fraudem jurisdictionis laicæ. Quartò, quia Pontifex non potest eximere merè laicos a jurisdictione sæculari, invitis Principibus. Quinto, absurdum esset, quod Episcopus sit Judex in delictis suæ familiæ, *ex l. qui jurisdictionis, ff. de judic.* Ac tandem, quia post Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reform.* nemo gaudet privilegio fori, nisi sit in sacris, vel si est in minoribus, nisi sit beneficiatus, vel saltem nisi incedat in habitu & tonsura, & servet cæteras conditiones ab eodem Concilio requisitas. Atque ita tenent Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de Immun. c. 29. n. 10. & seqq.* Cevallos *tract. de cognit. per viam viol. p. 2. q. 58. n. 101.* Pereir. *de man. Reg. p. 1. c. 19. n. 13.* Cutellius *in patr. reg. jurisd. c. 3. n. 21.* & Vega, quem sequitur Moschosus in *alleg. n. 47.* Sicque judicatum fuisse bis in curia Parisiensi testatur Panonius *de jur. Franc. lib. 1. tit. 4. arrest. 8.*

Temperant alii hanc opinionem & volunt, quod ejusmodi familiares laici gaudeant privilegio fori solùm in delictis in officio commissis, non autem extra, seu in delictis communibus. Moventur primò, quia nullus textus videtur extare, qui Episcopi familiam in casibus communibus exemptam declaret. Secundò, quia dum officialis delinquit in exercitio officii sui non fortitur forum ratione loci, in quo reperitur, sed ratione officii, ac jurisdictionis; itaut tunc ille non consideretur, ut vassallus, sed ut officialis. Sic præter cæteros docuit Caravit. *rit. 49. num. 13.*

Verùm omninò tenendum est, familiares, sive officiales, ac ministros Episcoporum gaudere fori privilegio tam in criminalibus, quàm in civilibus. Probatur ex *cap. fin. de offic. Archid.* & ex Concilio Toletano III. *in c. Ecclesiarum servos 12. q. 2.* quos textus malè Pereira, & Cevallus eludunt. Nam in primo omnes Episcoporum familiares absque personarum, aut causarum distinctione a jurisdictione sæculari immunes declarantur. Et in secundò, licèt id dicatur de servis perpetuis, Doctores tamen ex connexione materiæ ad favorem familiæ Episcopalis eo utuntur. Idem dici debet, spectata consuetudine, quæ cùm foveat jurisdictionem Episcopalem, satis rationabilis videtur, atque adeò in praxi servanda, Delb. *de immun. c. 4. dub. 16. n. 5.* 3

Deinde accedunt rationes. Siquidem privilegium capitis extendi debet ad accessoria, *c. Quantis de privil. c. liceat eod. & auth. Habita, C. ne fil. pro patr.* privilegiumque Domini extendi debet ad servos, Alberic. *in l. 1. C. de Episcop. & Cler. num. 4.* Menoch. *de arbitr. cas. 36. n. 10.* Immò familiares comprehenduntur in privilegio Dominorum, Oldrad. *cons. 293.* prout de familiaribus Cardinalium asseruit *cons. 211.* ac resolvit Rot. Genuen. *dec. 130.* & dixit Caravit. *rit. 46. n. 27.* Bartol. *cons. 37.* & Thesaur. *decis. 22.* Unde exempta ab aliquo foro persona, censetur etiam exempta ejus familia. *c. 1. de privil. in 6. l. non aliter, ff. de judic. & l. 2. C. de Episcop. & Cler.* Maximè quando usus familiarium Dominis incommodior redderetur, Oldrad. *d. cons. 293. n. 5.* Bartol. *in tract. de repres. p. 7. quæst. 6. n. 8.* eorumque privilegium inutile remaneret, Rebuff. *de privil. Scholar. quæst. 166. n. 1.* Adde quod scrinia Imperatoris, scilicet secretarii, libellarii, archivarii, & ejusmodi gaudent indistinctè privilegio fori Imperialis cum ipsorum domo, & familia, *l. In sacris, C. de proxim. sacr. scrin.* 4

Atque hinc est, quod per exemptionem Ecclesiæ, ministri ejus quoque censentur exempti, *d. c. 1. de privil. in 6.* Alberic. *in l. inter eos, ff. ex quibus causis major.* Afflict. *in rubr. de jur. protom. n. 3.* Franch. *in proœm. 6. n. 11. vol. 3. in glos. v. Scholaribus*, Imol. *in Clem. un. n. 9. de reliq. & vener. Sanct.* ubi hoc intelligit de famulis, qui actu inserviunt post Cyn. *in l. omnes C. de Episc. & Cler.* & Bald. *in d. auth. Habita ne fil. pro patr.* Rationem reddit Anchar. *in proœm. 6. 11.* Quia famuli sunt appendices Dominorum. Quod etiam voluit Hostien. *in c. 1. de locat.* Et propterea privilegium eis quoque competit, Bartol. *in l. jubemus, §. sanè n. 14. C. de sacros. Eccles.* Jas. *in l. error. col. 4. C. de jur. & fact.* Cassan. *in catal. glor. mund. p. 7. consid. 49.*

Et pro hac sententia extat decisio Congregationis Episcoporum, quam probavit san. mem. Paulus V. ut patet ex literis, quas Cardinalis Gallus tunc temporis d. Congregationis Præfectus scripsit tam Episcopo Lipari die 16. Aprilis, ac 2. Martii 1611. quam Cardinali ab Auria tunc Proregi Siciliæ eadem die 2. Martii adversus rescripta Regia, quæ mandaverant, negativam servari. Quarum literarum meminit Diana *p. 4. tr. 1. resol. 30. & p. 5. tr. 1. resol. 1.* illas ibidem referens. Cumque iterum emanassent similia rescripta regia in exequutionem literarum, quæ scriptæ fuerant ex Hispania diebus 14. Junii 1635. & 16. Septembris 1636. Sacra Congregatio, facto verbo cum fel. record. Urbano VIII. scripsit omnibus Episcopis Regni Siciliæ, ne illa, uti contraria Sacris Canonibus, Conciliis, & immemorabili consuetudini inviolabiliter observatæ, ullatenus sinerent exequutioni demandari, sicut testatur idem Diana *p. 6. tr. 1. resol. 6.* referendo tenorem epistolæ desuper scriptæ Cardinali de Torres die 7. Septembris 1638. addens hujusmodi prætensionem longè anteà excitatam anno 1640. statim sopitam fuisse Proregis contrario rescripto, quod ibidem recensetur. 5

Etenim sexaginta septem Doctores solerti labore ab eodem Diana congesti *d. p. 6. tract. 2. resol. 82.* magis communiter affirmant, famulos Episcoporum etiam laicos gaudere privilegio fori Ecclesiastici, è quorum numero sunt plures Hispani nempè Rodericus a Cugna, Narbona, Torreblanca, Villapandus, Ambrosius Marchia Archiepiscopus Calaguritanus, Belluga, & alii. Quorum sententiam pluribus rationibus comprobat idem Diana *d. tract. 2. resol. 3.* nec non etiam pluribus declarationibus S. Congregationis cum approbatione duorum Summorum Pontificum Pauli V. & Urbani VIII. *resol. 4.* 6

Idque etiam in delictis communibus commissis extra officium, quod gerunt in terminis asserunt plurimi relati ab eodem Diana *p. 3. tr. 1. resol. 12. p. 4. tr. 1. resol. 36. ac p. 5. tr. 1. d. resol. 1.* Notandi qui sunt pro hac sententia 7

Barb. *de offic. & poteſt. Epiſcop. p. 3. alleg.* 107. *n.* 11. Ricc. *in prax. for. Eccleſ. p.* 1. *reſ.* 471. Bonaccin. *in Bull. Cœn. Dom. diſp.* 1. *qu.* 16. *punct.* 3. *num.* 7. Squillant. *de privil. Cler. cap.* 7. *num.* 54. Alzed. *in prax. Epiſc. cap.* 12. *num.* 77. Donat. Antonin. de Marin. *quotid. reſol. lib.* 5. *cap.* 117. *num.* 2. Gavant. *in man. Epiſcop. V. forum Epiſcopale num.* 31. Gratian. *dec. Marc.* 232. *& diſcept.* 340. Delbene *de Immunit. d. cap.* 4. *dub.* 15. per totam. Ex quorum rationibus confirmata mens remanet, ita quidem, ut inter ea, quæ omnium fermè Doctorum conſenſum meruere hoc pœnam, utque vix quidquam deſideretur ampliùs, niſi quod ultrò velim adjicere noviſſimas declarationes S. Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ iterum ac ſæpiùs die 18. Julii 1648. cenſuit in una Narnien. cognitionem cauſæ homicidii a Baroncello Curiæ Epiſcopalis commiſſi ſpectare ad ipſum Epiſcopum, non autem ad Gubernatorem. Idipſum cenſuit de omnibus officialibus Epiſcopi die 7. Martii 1651. in una Civitatis Plebis, & de Procuratore fiſcali reſolvit eadem die 28. Julii 1648. in una Senogallienſi. Et de Cancellario in una Aquitanenſi die 7. Decembris 1655. Deque omnibus familiaribus Epiſcopi actualiter ei inſervientibus quamvis ſint laici, decreverat S. Congregatio Epiſcoporum 7. Junii 1595. & 11. Decembris 1615. in una Vaiſonenſi, in qua declaravit officiales Epiſcopi, tanquam ejus familiares, privilegio fori gaudere, & ad perſonalia Civitatis munia ſubeunda minimè teneri. Idem cenſuit Sac. Congregatio Immunitatis die 16. Decembris 1626. nimirum cauſas tàm civiles, quàm criminales Notarii, & aliorum officialium Epiſcopi ſpectare ad cognitionem Epiſcopi, & ita ſervatum eſſe a miniſtris Regiis, qui Epiſcopo Aliphano reſtituerunt illius Notarium carceratum, ut ex literis Nuncii Apoſtolici Neapolis die 22. Septembris 1626. Ideòque die 8. Februarii 1667. cenſuit in una Liparen. tuenda eſſe per Sedem Apoſtolicam ab oppoſitionibus Regiæ Monarchiæ geſta ab Epiſcopo Lipari adverſus Gubernatorem, & Capitaneum Civitatis, qui maluit contrarium obſervare in ejus Ærario.

8 Nec alicujus momenti ſunt, quæ huic ſententiæ adverſantur. Nam ad primum primæ opinionis reſpondetur, quod licet privilegium, utpotè ſtricti juris extendi non debeat, id tamen intelligendum eſt primò, & per ſe, non ſecundariò, & per accidens. Quia tunc extenditur ad perſonas privilegiato connexas. Sic privilegium audiendi Miſſam, & celebrandi tempore interdicti extenditur etiam ad domeſticos, & familiares, *c. licet de privil. in 6.* Addit Henriquez *lib.* 7. *c.* 30. *n.* 4. Portel. *v. Horæ Canonicæ num.* 8. & 24. Rodriq. *in ſum. tom.* 4. *c.* 68. *n.* 10. Jaſ. *in l. Non tantum, ff. de re jud. n.* 12. Roman. *conſ.* 180. *n.* 4. & Bald. *in Margarita v. Privilegium.* Nam unum eſt connexum cum alio. Privilegium autem perſonale in annexis tranſit ad alterum, ut tradunt Gloſs. *in l. fin. C. de muner. & honor. lib.* 10. Jaſ. *in l.* 1. *num.* 12. *C. de tranſ. & in l. ſi emancip. n.* 9. *C. de collat.* Natt. *conſ.* 1. *num.* 10. *lib.* 1. alios citans, Menoch. *conſ.* 136. *num.* 13. Tiraquell. alios allegans *de retr. conjang. §.* 26. *gloſs.* 1. *num.* 34. Tunc enim præcipuè connexitas infert communionem privilegii, quando non poteſt ſortiri effectum in principaliter privilegiato, niſi etiam ſortiatur in perſona connexa. Quod cùm in præſenti privilegio locum habeat, habet etiam locum connexitas. Idque eſt neceſſarium, ut privilegium ſortiri poſſit ſuum effectum, *l. Is, ff. de juriſd. omn. Jud. & l.* 3. *§. fin. ff. de pœn. leg. & l. veteres, ff. de itin. actuque privil.* ubi Gloſs. & Bart. & *c. Suſpiciones de offic. deleg.* & notant communiter Doctores.

9 Unde cùm in præſenti privilegium connectet perſonas in ordine ad conceſſionem privilegiativam, ampliabit ipſam diſpoſitionem conceſſionis, & extenditur etiam ad familiam: itaut cenſeatur ipſa quoque privilegiata, & conſequenter participet privilegium, vel ratione Epiſcopi, quia ſcilicet pertinet ad ipſum, qui eſt privilegiatus, vel ratione conceſſionis privilegiativæ, quæ immediatè ſe extendit ad ipſam, & circa ipſam operatur ſuum effectum. Et ideò tanquam immediatè privilegiata fruetur privilegio fori. Pro quo eſt advertendum, quod eſt valdè diverſum, quod privilegium ſit tantùm conceſſum Domino, & ratione attinentiæ ad ipſum participetur a familia. Et aliud eſt, quod ratione attinentiæ ad Dominum privilegium ſit conceſſum familiæ. Primum facit, quod participet familia tantùm in uſu privilegii. Secundum dicit, quod familia participet in ipſo privilegio, atque adeò quod in uſu non ſit dependens a Domino. Utrumque eſt favorabile Epiſcoporum familiæ. Ex quo fit, quod effectus hujus diſpoſitionis privilegiativæ æqualiter trahatur ad Dominum, & familiam. Ratio verò horum omnium eſt, quia familia, & Dominus ſe habent ut acceſſorium, & principale, ut jam dictum. Et proinde conceſſio privilegii ſe extendit ad ipſam juxta ejus capacitatem & naturam, & conſequenter afficit Dominum ut principalem, & familiam ut acceſſoriam. Et quamvis motivum concedendi privilegium eſt principaliter in Domino, & acceſſoriè tantum in familia, ſit tamen vera extenſio privilegii etiam ad familiam; itaut immediatè ipſum participet. Unde fit, quod ceſſante privilegio principalis, ceſſat etiam reſpectivè familiæ.

Ac præſertim quia privilegium Immunitatis Eccleſiaſticæ eſt favorabile, ideòque extendendum, Farinac. Gambacur. & alii, quos ſequitur Delbene *ubi ſupra num.* 24. & quia ratione dignitatis Epiſcopalis par eſt, quod fori privilegium Epiſcopo conceſſum, licet per ſe, & principaliter ſit perſonale quoad Epiſcopum, acceſſoriè tamen propter ejus dignitatis favorem extendatur ad familiares, Bald. *in l.* 2. *not.* 3. *Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Grammat. *vot. crim.* 33. *num.* 20. Menoch. *de arbitr. caſ.* 336. *num.* 10. & Megal. *var. reſol. tom.* 2. *reſol.* 122. *num.* 8. Cùmque ſit privilegium inſertum in corpore juris, habet rationem legis, eſtque favorabile, atque adeò debet extendi ſicut extenditur lex favorabilis. Unde ſicut, ut lex extendatur, requiritur identitas, aut ſaltem ſimilitudo rationis; ita etiam, ut extendatur privilegium, quæ in præſenti habet locum. Quia ratio finalis concedendi privilegium fori tàm principalibus, quàm participantibus fuit favor Religionis ac pietatis, honor, atque dignitas Epiſcoporum. Nam tendit ad promovendos fructus, quos faciunt Epiſcopi in Eccleſia Dei, & ut poſſint melius Deo inſervire, & ſaltem ad eos magis excitandos ad ſervitium Eccleſiæ, dum vident ſe gaudere hujuſmodi privilegiis. Unde habet pro fine utilitatem publicam, augmentum pietatis, & Religionis. Et ideò quamvis deroget juri communi, intereſt publicæ utilitatis, quod derogetur, & etiam quod magis derogetur cum majori ampliatione privilegii. Ac proinde etiam illa privilegia, quæ deberemus ſtrictè interpretari, debent in hoc caſu ampliari, cum ita exigat pietas, & favor privilegii. Quippè ſumma ratio eſt, quæ pro Religione facit, *l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun.* juxta *l. fin. C. de iis, qui ven. ætat. impet.* & doctrinam Bart. *in l. omnes populi n.* 60. *ff. de juſt. & jur. & l. ſi conſtante, ſol. matr.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod, etſi id rectè plerique extendant etiam ad famulos Clericorum, ut Narbona, & alii, quos adducit Menochius, ac ſequitur Diana. *p.* 3. *tr.* 1. *reſ.* 47. tamen id præcipuè locum habet in famulis Epiſcoporum. Multa enim conceduntur Epiſcopis, quæ aliis non conceduntur, ut patet *ex c. fin. de ſent. & re judic. in 6. cap. fin. de privil. & c. Quia periculoſum de ſent. excomm. eod.* ac docent Calcan. Capyc. Theſaur. Grat. Guazzin. & Auſer. apud Delbenem *loc. cit. n.* 6.

Tertium falſum eſt. Nam Epiſcopi ex vi ſolius juriſdictionis Eccleſiaſticæ habere poſſunt familiam armatam ad carcerandum, & pœnas corporis inflictivas circa ſanguinem imponendum, & terminare judicium ſine recurſu ad brachium ſæculare, ut de Inquiſitoribus, cum quibus Epiſcopi procedunt, liquet ex *Clem.* 1. *§. Præter quod deberet.* Habent enim Imperium in ſua diœceſi, *cap. contra Idolorum, c. Prope vias* 26. *quæſt.* 5. Unde concluditur, habere poſſe familiam armatam ex *text. in l. Illicitas, ff. de offic. Præf. §. Qui univerſas.* Nam conceſſo fine, media etiam conceſſa cenſentur. *c. Cum infirmitas de pœn. & c. Quoniam de ſent. excomm.* Et conceſſa juriſdictione, cenſentur conceſſa omnia neceſſaria ad illam exercendam, *l.* 2. *ff. de juriſdict. omn. Jud.* Præſertim, quod *in c. Pernicioſum de offic. Jud. ord.* conceditur Epiſcopo facultas ad completum judicium per illa verba *inquirendi, ulciſcendi, judicandi.* Et ex *c.* 3. *ſeſſ.* 25. Concil. Trident. habet ordinariam juriſdictionem etiam contra laicos per bonorum apprehenſionem, & perſonarum diſtrictionem, ad quam familia armata multùm conducit. Accedit, quod idem Trid. idipſum ibi ſupponit, dum ait: *Per ſuos proprios, aut alienos exequutores.* Quæ verba ſatis violenter interpretatur Berreta *conſ.* 4. & 6. Vera enim interpretatio ex eodem Trid. *in rubr. de recept. & obſerv. decr. Concil.* & ex Conſtit. Pii V. ad calcem ipſius a ſolo Pontifice, aut a S. Congreg. petenda eſt, quæ ad inſtantiam S. Caroli Borromæi coram ſan. mem. Pio V. die 5. Junii 1567. declaravit, Epiſcopum tenere poſſe familiam armatam. Ideòque hanc ſententiam tenent Doctores, quos citat, & ſequitur Ciarlin. *c.* 50. *num.* 25. & 34. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 107. Molin. *de brach. reg. p.* 4. *num.* 258. & eſſe communem tradit Martha *de juriſd. p.* 1. *c.* 50. *num.* 12.

13 Con-

13 Confirmatur. Nam Episcopus habet territorium ad exercendam jurisdictionem, *c. Omnes basilicæ 16. q. 7. & c. Ut animarum de constit. in 6.* Glos. Joan. Andr. Felin. & alii apud Leonem *in Thesaur. p. 1. c. 9.* Diœcesis namque, & territorium idem sunt, Panorm. *cons. 82. n. 7. lib. 1.* Alex. *cons. 248.* Item habere potest carcerem, *c. Episcopus de offic. Ord. in 6.* ergo & carcerum custodes, *Clem. 1. §. sane de hæret.* & ministros, qui reos capiant, & ad carceres ducant, *d. c. Contra Idolorum*, & ibi Glos. *26. q. 5. & c. Attendendum 16. q. 4.* Denique multa crimina sunt mixti fori, Glos. *in c. Cum sit generale de for. comp.* in quibus datur locus præventioni, *l. si quis postea*, ibi DD. *ff. de jud.* Inter autem prærentiones, realis, quæ fit per capturam præcedit verbalem; ergo Judex Ecclesiasticus debet habere familiam armatam, per quam in his delictis reos realiter prævenire possit. Alioquin si implorare debet brachium sæculare, nunquam illud præveniet, ut rectè probat Leo modò allegatus.

14 Quartum etiam falsum est. Nam licet Pontifex ad eximendum laicos a jurisdictione laicali non habeat dominium directum, ut plerique etiam inter Theologos docent, quod tamen affirmat inter alios Solorzan. *de Indiar. jur. lib. 2. c. 22. num. 17.* habet saltem indirectum, & habitu ex justa causa exercendum, & ideò ex justa causa eximere potest laicos a potestate laicali. Ita Portocar. *in alleg. pro jurisd. S. Offic. num. 33.* Meroll. Mancin. & Valboa *in c. 1. de for. comp.* Justa autem causa est honor, & reverentia dignitati Episcopali debita, rectaque causarum fori Ecclesiastici administratio eximendi ministros Episcopi. Quandoquidem in multis juribus aliqui ob dictam rationem eximebantur a jurisdictione ordinaria, & subdebantur superiori sui Officii, ut in *l. fin. C. de jurisd. omn. jud. l. in Officiales, C. de offic. Rect. Prov. l. ex eo C. de agen. in reb.* & alibi. Immò hæc exemptio concedebatur etiam uxoribus Officialium, *l. Ne adversa, C. de silentiar. lib. 12.* Filiis, *l. eos, C. de fabricen. lib. 10.* Matribus *l. fin. C. de castren. & min. eod.* ac etiam servis, & colonis, *l. In sacris, Cod. de sacr. Scrin. lib. 11.* Non solum si essent rei, sed etiam si actores, *l. In viros, Cod. de comit. constit. lib. 12.* Ac demum si aliunde non constaret, Pontificem id facere posse, satis constat ex eo, quia fecit, ac declaravit. Nam factum Pontificis in dubium revocari non debet, *c. In memoriam 19. d.* Butr. *in cap. 2. de translat. num. 6.* & alii.

15 Quod quidem convenientissimum est Christianæ Reipublicæ, non tantum in spiritualibus, quod jure divino jam institutum erat, sed etiam in temporalibus. Quia Summus Pontifex potestatem habet ferendi leges in his, quæ sunt Ecclesiæ regimini, & administrationi conducibilia. At conducit plurimum, quod ministri Ecclesiæ non implicent se negotiis sæcularibus, cùm non possint commodè vacare ministerio divino, si trahi possint, & conveniri Clerici, eorumque res, & familiæ coram Judice sæculari. Et licèt non constet inter Doctores, an hæc immunitas tàm quoad personas, quàm quoad res temporales, atque adeò eorum famulos sit de jure divino. Nam plurimi testantur esse de jure divino, alii verò esse de jure humano: omnes tamen conveniunt eam esse valdè consonam juri divino, & ab eo originem ducere. Et sicut rationi consonum est, ut Princeps a quibusdam tributis ac potestate ordinaria nobiles eximat in præmium, & honorem nobilitatis; ita rationi conforme est, ut Pontifex ratione dignitatis, & honoris Episcopalis familias Episcoporum a tributis, & a jurisdictione sæculari eximat.

16 Ad quintum, non est absurdum, quod Episcopus sit Judex in delictis suorum familiarium, sicut non est absurdum, quod id faciant Inquisitores Hispani. Martianus fecerit in suos cubicularios, *l. 3. C. de præpos. sacr. rubric. lib. 12.* & Zeno in silentiarios, *l. 4. C. de silent. eod.* Præterea esset fortasse absurdum si non fieret ex privilegio Superioris justa causa existente, at secus si fiat ex privilegio Superioris, & justa causa existente, ut dicebamus.

17 Ad sextum Tridentinum ibi solùm disponit de Clericis, non autem de aliis personis, quæ non titulo Clericatus, sed alio quocumque, immunitate de jure communi gaudebant, ut Doctores communiter post Tridentinum scribentes, inter quos Ghilinus *v. Episcopus num. 5.* Megal. *tom. 2. resol. 122. num. 7.* & Gambacur. *lib. 4. num. 7.* Unde nihil facit contra familiam Episcopi, quæ non intuitu Clericatus, sed honoris Episcopalis, non principaliter, sed accessoriè immunitate fruitur.

18 At neque majoris firmitatis est fundamentum secundæ opinionis. Nam canones loqui etiam pro delictis communibus constat cùm ex consuetudine, a qua privilegium ejusmodi interpretationem recipit, *c. Quod dilecto de consag. & affin.* & notant Alex. *cons. 9. num. 7. lib. 5.* ac Rota *dec. 29. num. 2. par. 3. rec.* Præsertim quia magis attenditur interpretatio ex subsequuta observanria, quàm quælibet alia, licèt magis vera, & magis juri conformis sit, ut tradunt Honded. *cons. 92. n. 30. lib. 1.* Beltram. *ad decis. Ludovis. 184. nu. 8.* Rot. *dec. 574. n. 3. p. 1. div. & dec. 608. nu. 6. p. 3. rec.* & coram Buratto *dec. 944. nu. 6.* & coram Eminentissimo Ottobono *dec. 165. n. 20.* & in Barchinonen. Canonicatus 15. Decembris 1645. coram Rojas. Tum ex interpretatione S. Congregationis facto verbo cum sa. mem. Paolo V. die 2. Martii 1611. ubi inter cætera præcipuè hæc habet: *E perchè si è avvertito, che in detta Oratoria vi è una clausula, nella quale si dichiara, che gli officiali, e familiari del Vescovo quando sono laici non deono godere il privilegio del foro Ecclesiastico ne' delitti communi, ma solo in quelli, che sono commessi sotto pretesto dell'Officio, ne' meno, che deono godere delle gabelle, e dazj regi, essendosene trattato con nostro Signore, sua Santità hà comandato, che si scriva, che si revochi detta clausula, essendo manifestamente contraria alla dispozione de' Sacri Canoni, e della ragione comune, e pregiudiziale alla giurisdizione Ecclesiastica.*

Cùm itaque consuetudo, ac S. Congregatio, summique Pontifices ita Canones interpretati sint, ut privilegium fori ad familiam Episcoporum extendatur etiam in delictis communibus, utique id tenendum est. Pontificis enim proprium est, Canones declarare. Qua de re *c. Capellanus de jer.* & Solorzan. *alleg. lib. 2. c. 24. n. 40.* 19

Atque ex his veritas nostræ assertionis ita certa est, ut de ea dubitare fas amplius non sit.

CONSULTATIO LXXXIII.

An Prælati Ecclesiastici, possidentes loca jurisdictionalia sub prætextu, quod ea sint feuda, debeant in successione cujuslibet eorum solvere Cameræ laicali quindennium loco Relevii suffectum?

RElevium dicitur honorarium, quòd novus vasallus patrono introitus causa largitur, quasi morte alterius vassalli, vel alio aliquo casu feudum ceciderit, quod jam a novo sublevetur. Veteres introitum appellabant, ut *in l. pen. §. Alumno ff. de leg. 2.* De hoc autem Relevio mentio fit in *Constit. Neapol. lib. 3. tit. 25.* nimirum *Recepto verum tamen aliquo Relevio, ut est moris quod quantitatem decem unciarum auri non excedat pro assignanda possessione terræ concessæ.* Sic in emphyteusi cùm fundus alienatus est, domino quinquagesima pretii pars erogatur, *l. 3. C. de jur. emphyt.* 1

Verùm hac in re sit regula, quod Prælatus successor in Ecclesia, quæ possidet feuda, non teneatur Principi solvere relevium ob mortem sui Prædecessoris, ac suum novum ingressum. Quia dominium feudi semper est penes Ecclesiam, cujus ipsi Prælati administratores, ac procuratores sunt, adeout nec quoad alienationem habeant liberam administrationem, cùm sit eis interdicta, præterquam in modicis. Sicque cessante mutatione dominii semper hærentis Ecclesiæ, quæ nunquam moritur, sed semper vivit, etsi Prælati varientur, cessat quoque obligatio solvendi Relevium debitum a novo successore, qui dominium sibi acquirit in feudo. Ita in *cap. 1. §. similiter de cap. Corradi* inquiunt Isernia *num. 15. & 18.* Afflict. *a num. 17.* Balsaran. *num. 73.* nec dissentit Marin. Frez. *de subfeud. lib. 2. auct. 3. num. 29.* Intrigliol. *de feud. cent. 2. art. 5. num. 636. cum seqq.* Jacob. de Avell. *de jur. Adhoæ num. 75,* Idipsum tradunt Jul. Cæs. Galup. *in method. univ. jur. feud. p. 4. c. 4. num. 26.* Rovit. *super prag. 1. de of. Procur. Cæsar. num. 16.* Genuen. *in pract. Eccles. q. 21. n. 1.* dicens communem, & receptam in Regno Neapolitano, Camil. Medic. *cons. 55. n. 20.* & And. de Capan. *de jur. Relev. p. 4. qu. 28. ex num. 1.* rectè ponderans cum Afflicto, solutionem Relevii originem ducere ex consuetudine laicorum, quæ non ligat Ecclesias. 2

Hinc sequitur, non posse regulariter prætendi, quod Prælati Ecclesiarum possidentes feuda, solvant quindennia releviorum, quæ fuerunt adinventa, ut Camera Principis servetur indemnis ab illorum consequutione, quoties feudum devenit ad manum mortuam, exemplo solutionis quindennii introductæ loco exactionis laudemiorum, cùm tales Prælati non sint obligati ad ipsa Relevia solvenda, nec ideò Camera Principis potest illa ab eis exigere. Quia non entis nullæ sunt qualitates, nec considerabilis est indemnitas pro damno, cujus substantia deficit in radice. 3

At hujusmodi regula limitanda est. Primò, si in ipsa concessione, ac investitura fuerit ex pacto conventum, quod Relevium solvatur etiam ab Ecclesia infeudata; prout in præci- 4

præcitato §. *similiter* dixerunt Iſernia *n.* 15. *poſt med.* Afflict. *n.* 24. & Balzaran. *num.* 13. *prope fin.* Genuen. *d. q.* 21. *n.* 2. *cum ſeq.* Galup. *d. p.* 4. *c.* 4. *n.* 28. & 29. And. Capan. *d. p.* 4. *q.* 28. *n.* 7. & 8. ac Rota coram Buccabel. *in Neapolitana Quindennii* 10. Decembris 1639. relata per Mar. Anton. de Marin. *lib.* 1. *reſol. c.* 235. *n.* 21.

5 Secundò, ſi Camera Principis hanc relevii ſolutionem legitimo tempore præſcripſerit adverſus Eccleſiam, ut pariter in *d.* §. *ſimiliter* probarunt idem Iſern. *num.* 15. Afflict. *n.* 32. *cum ſeqq.* & Balzaran. *n.* 13. Genuen. *d. q.* 21. *num.* 1. *cum ſeq.* Capan. *d. q.* 28. *n.* 9.

6 Et quoniam in contrarium ſtat regula pro Eccleſia, rectè ibidem ſcripſit Capan. *num.* 18. ad Principis Cameram ſpectare onus probandi, quod relevium ei debeatur ex pacto adjecto inveſtituræ, vel ſolutum ſit tanto tempore, quod fuerit legitimè præſcriptum. Idemque prius animadverterunt Iſernia in ſæpè citato §. *ſimiliter n.* 16. ante additionem, & alii plures.

Ac propterea id, quod Capan. *d. q.* 28. *n.* 26. & *q.* 34. *ſub n.* 1. dixit, hodie Eccleſias Regni poſſidentes feuda, relevium pro illis ſolvere ſingulis quindecim annis exemplo quindennii, quod in beneficiis ſolvitur Cancellariæ Apoſtolicæ, erit intelligendum de iis ſolùm, a quibus illud legitimè poteſt exigere vel ex pacto, vel titulo præſcriptionis, non autem de illis, in quibus neutrum verificabile eſt.

7 Erit tamen advertendum in poſſeſſorio, num prædeceſſor ſolverit, quia Camera Principis ex hoc poteſt manuteneri in quaſi poſſeſſione exigendi a ſucceſſore juxta obſervationem Afflicti *d. n.* 15. & tunc erit a ſucceſſore ſolvendum cum proteſtatione, ut poſt Afflictum, & Genuenſem conſulit Capanus *d. q.* 28. *n.* 12. & 74.

CONSULTATIO LXXXIV.

An Princeps, concedens Eccleſiæ jus Nundinarum, cenſeatur etiam concedere cuicumque immunitatem a quibuſvis gabellis, datiis, vectigalibus, pedagiis, aliiſque oneribus in acceſſu, mora, & receſſu?

1 AFfirmativè reſolvendum eſt: idque omninò certum exiſtimo. Probatur ex textu *in l. unic. Cod. de nundin.* ibique Bald. & Aloyſ. de Leo, uterque *num.* 1. Sicard. *n.* 3. & ex primariis Juriſperitis cùm antiquis tùm recentioribus confirmant Bart. *in l.* 1. *ſub num.* 2. *ff. ad l. Jul. majeſt.* Bertach. *de gabel. memb.* 2. *p.* 8. *ſub num.* 19. Camil. Borell. *de præſtant. Reg. Cathol. c.* 36. *n.* 39. latiſſimè Joan. Bedul. *Inter conſ. Acad. illuſtr. p.* 1. *conſ.* 14. *per tot.* Gaſpar. Kloc. *conſ.* 135. *num.* 129. *tom.* 3. Chriſtian. *dec. Belgic. vol.* 3. *dec.* 99. *n.* 3. & *ſeqq.*

2 Hæc autem immunitas a pedagiis & gabellis intelligitur conceſſa eo ipſo, quod Princeps jus nundinarum concedit Eccleſiæ, ut poſt alios aſſerit Borrel. *ubi ſupr. num.* 40. Chriſtian. *d. dec.* 99. *n.* 4. & *ſeq.* ac alii ſuperius adducti.

3 Atque adeò nequit poteſtas laica, contra diſpoſitionem juris, & ſacrorum Canonum exigere a venientibus, & recedentibus a dictis nundinis gabellas, datia, & pedagia. Nam ſi id facit auctoritate privata, delinquit contra legem, & contra privilegium Principis. Si verò ſe fundat in conceſſione pedagii ſibi facta a Principe, prætendit rem omninò injuſtam atque illicitam. Quoniam aut in dicta conceſſione non fit expreſſa mentio, quod poſſit exigere a venientibus, & recedentibus a nundinis, adeòque illos gravare non poteſt. Quia privilegium exigendi gabellas, quantumvis verbis generalibus ac prægnantiſſimis conceptum, non tollit, neque derogat juri nundinarum alteri conceſſo, ut rectè firmat Cephal. *conſ.* 342. *num.* 69. & *ſeqq.* Rauden. *conſ.* 23. *num.* 6. *libr.* 2. & Bern. Greven. *concl.* 9. *conſid.* 1. *num.* 6. *lib.* 2.

4 Aut verò in ejus conceſſione expreſsè derogatur privilegio nundinarum, conceſſo Eccleſiæ, & dicta derogatio eſt nulla, & contra immunitatem ac jus Eccleſiæ. Nam quidquid ſit, an Princeps poſſit revocare jus nundinarum ſemel abſe conceſſum, cujus negativam tenent magis communiter Doctores, præſertim Alciat. *conſ.* 23. *num.* 4. & *ſeq. lib.* 5. Cephal. *d. conſ.* 242. *a num.* 37. Rauden. *d. conſ.* 23. *num.* 7. & *ſeqq. lib.* 2. Greven. *d. conſid.* 1. *num.* 7. Petr. *de poteſt. Princip. cap.* 24. *num.* 262. ceſſat utique difficultas, quando jus fuit liberè donatum Eccleſiæ in remunerationem beneficiorum. Tunc enim donatio eſt irrevocabilis, & Princeps donans quoad hoc cenſetur a ſe avocaſſe omne jus, & omnem juriſdictionem, totumque tranſtuliſſe in Eccleſiam, Mandel. Alban. *conſ.* 72. *num.* 10. & *plurib. ſeqq.* & *conſ.* 64. *nu.* 81. cum aliis, Spada inter *conſ.* Farinacc. *conſ.* 198. *libr.* 3. quod eſt inter ejus impreſſa *conſ.* 5. & 6. Cocchier. *in vindic. libert. Eccl. p.* 1. *c.* 17. *num.* 17.

Hinc res ſic donatæ efficiuntur Eccleſiaſticæ, ſacræ & patrimonium Chriſti ex Innoc. *in cap. Verum ſub n.* 2. *de for. comp.* ubi ſic dicit: *Ubi rei alicujus eſt acquiſitum dominium Eccleſiæ, eſt ſancta Domino, & ideò per nullum poteſt capi, niſi authoritate Eccleſiaſtica.* Quod mirabiſe dictum appellat Sanch. *conſ. moral. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 53. *nu.* 2. *ſub fin.* Andr. Knith. *de jur. territ. cap.* 1. *nu.* 309. Ricc. ad *Tiraquel. de privil. piæ cauſ. in addit. privil.* 49. *ante fin.* Peregr. *conſ.* 1. *num.* 16. & *ſeqq. lib.* 1. Cocchier. *ubi ſupra c.* 20. *num.* 2. & omnium accuratiſſimè Delbene *de Immun. tom.* 1. *c.* 1. *dub.* 2. *ſect. per tot.* Sicque quoad utile, & directum dominium pleno jure ſpectant ad Eccleſiam ex indubitata propoſitione, quam pleniſſimè firmat Spada *d. conſ.* 5. & 6. *vol.* 1. & admittunt Doctores Neapolitani, nimirum, quod conceſſiones rerum juriſdictionalium non intelliguntur factæ Eccleſiis in feudum, ſed liberè. Eos refert, ac ſequitur Franch. *dec.* 131. *num.* 1. 9. 10. *ac ſeq.* ibique Amendol. *in addit. n.* 2. & *dec.* 274. *n.* 6. de Ponte *in lect. feud. in præcedenti n.* 71. & *dec.* 74. *n.* 106. aliique. 5

6 Ideò non poteſt Princeps, nec quiſquam alius ſine auctoritate Summi Pontificis turbare Eccleſiam in libero exercitio dicti juris nundinarum, ejuſque immunitatum, & exemptionum. Eſſet enim lædere jus, & immunitatem Eccleſiæ, ejuſque bona, jura & uſurpare, ac proinde eo ipſo inciderent in majorem excommunicationem contra lædentes, & uſurpantes bona, & jura Eccleſiarum, inflictam a ſacris Canonibus, & a Bulla in Cœna Domini quotannis legi ſolita, a qua nemo poteſt abſolvere, niſi Summus Pontifex ad textum *in cap. Quoniam intelleximus de Immun. Eccleſ. in* 6. & *in can.* 17. *dictæ Bullæ.* Fusè Cocchier. *ubi ſupra c.* 28. *num.* 1. & *ſeqq.* ac Delbene *loc. cit. cap.* 3. *dub.* 5. *ſect.* 1. *in fine.*

7 Nec obſtat, quòd gabella, ſeu vectigal hujuſmodi exigatur a laicis. Quia cùm Eccleſiæ competat jus, quod laici, & mercatores accedant ad ejus nundinas ab omni onere immunes, exigere gabellam a laicis, eſſet profectò violare, & diminuere jus Eccleſiæ, cujus immunitas non ſolum nequit lædi directè, ſed neque indirectè, ut acerrimè probat Delbene *ibidem cap.* 5. *dub.* 7. *ſect.* 1. *num.* 4. & *ſeqq.* Ex quo enim laici propter dicta onera non frequentarent nundinas, id redundaret in damnum Eccleſiæ. Quippè non eſt curandum quomodo verba loquantur, ſed in quem ſermonis effectum diriguntur, ut ſcitè notat Delbene *eodem loco ſect.* 3. *per tot.*

8 Equidem ſi ſtatutum, quo jubetur, quod omnes laici teneantur molere frumentum in molendinis Civitatis, nulla facta mentione Eccleſiæ, dicitur contra illius libertatem, cùm Eccleſia indirectè lædatur, ex quo molentes ab ejus molendinis retrahentur, juxta Calder. *conſ.* 12. Everard. *conſ.* 42. *n.* 55. Surd. *conſ.* 301. *n.* 75. & *ſeq.* ac Sperel. *dec.* 42. *n.* 69. Multò igitur magis, qui exigeret gabellam a laicis venientibus ad nundinas eſſet contra Eccleſiaſticam libertatem. Quia directè læderet Eccleſiam, cui competit jus iſtud, quod omnes laici veniant, maneant, & recedant ab ejus nundinis abſque onere vectigalis.

9 Ex his etiam diluitur altera pætenſio, quod hujuſmodi gabella non exigatur a venientibus, & recedentibus pro eorum mercibus, ſed pro vectura, & animalibus non immunibus, ex Bart. *in l.* 1. *c. hic titul. n.* 7. *ff. de public.* Quia Bartolus loquitur, quando exemptio eſt realis, conceſſa ſcilicet pro rebus, ſecus autem eſt, ubi exemptio eſt conceſſa venientibus & recedentibus cum mercibus, & animalibus eorum. Hoc enim eventu ceſſat dicta conſideratio, cùm aliter quibus non poſſet ad nundinas venire, niſi poſſet ſuper animalibus merces peregrinas deferre, quo caſu immunitas extenditur etiam ad animalia, ita Cyriac. *contr.* 141. *n.* 40. Et cùm agatur de nundinis, merces principaliter vehitur pro illa vendenda, animal verò ducitur propter mercem, non autem merces propter animal. Hoc enim caſu ipſe Bartol. admittit, quod pro animalibus gabella ſolvi non debeat. Eſtque regula generalis, quod pro illis non ſolvitur, quando ſunt neceſſaria ad illum actum, Rimin. *jun. conſ.* 500. *num.* 50. Cyriac. *d. contr.* 141. *num.* 27. & *ſeqq.* & *contr.* 468. *num.* 12. paſſimque alii.

10 Prætereà cùm effectus conceſſionis nundinarum conſiſtat in eo quod merces liberæ, & immunes conducantur, non poteſt prætendi vectigal pro animalibus, cùm aliàs conceſſio non ſortiretur ſuum effectum juxta doctrinam ejuſdem Bart. *in Pharippum* 4. *n.* 1. *C. de Curſ. publ.* ubi quod ſi Gabellarii portarum dederunt licentiam portandi arneſia extra territorium, ſi arneſia portentur per mulionem, pro illo non debetur gabella. Quod ſequitur Conrad. *ſingul.* 129. *v. gabella*, & Bartach. *de gabel. ſeu vectigal. p.* 7. *princ. ſub n.* 3. & quidam alii.

Et

11 Et licet Bartolus *in l. Cum in plures, §. vehiculum de locat. & conduct.* dicat, quod paſſus pro vehiculo debet ſolvi a Domino vehiculi, & gabella pro mercibus a Domino mercium, hoc tamen procedit, quando pro utroque debetur pedagium, & ſic ad deciſionem litis vertentis inter dominum mercium & vehiculi, ſed non videtur exinde poſſe inferri, quod ſi pro mercibus in loco nundinarum non debetur pedagium, illud debeatur pro vehiculo.

12 Quæ ſanè eò faciliùs admittenda ſunt, ſtante obſervantia longiſſimi temporis, quæ fert occaſione prætenſi paſſus nunquam fuiſſe ſolutam gabellam, nec pro acceſſu, nec pro receſſu ad text. *in l. ſi publicamus §. fin. ff. de publican.* ibi: *In omnibus vectigalibus ferè conſuetudo ſpectari ſolet.*

13 Quatenus verò Communitas laica prætendat exigere hujuſmodi vectigal a Clericis pro eorum bonis, hoc jamdiu ac ſæpè in Conciliis confeſſum eſt, cùm ſit veriſſima doctrina, quod Princeps laicus non habet poteſtatem aſtringendi Eccleſias, & Eccleſiaſticos, eorumque bona ad hujuſmodi onera, etiamſi hujuſmodi gabellæ eſſent impoſitæ ex cauſa refectionis murorum, pontium, viarum, ac portus, hujuſque generis alia, etiam commune bonum Clericorum æquè ac laicorum concernente, niſi interveniat auctoritas Epiſcopi, & Summi Pontificis, ut diſertiſſimè firmavit Rota *in Brunduſina gabellæ* 13. Februarii 1604 coram Pegna, quæ eſt *in rec. dec.* 42. *p.* 4. & inter ejus impreſſus *dec.* 1079. & latiùs *in Alban. gabellæ*, ſeu onerum 28. Junii 1630. coram Merlino inter *rec. dec. 339. par. 6.* & exactè *in Barchinonen. exemptionis* 13. Junii 1646. coram Cardinali Corrado, in quibus firmatur non poſſe allegari, neque valere quamcunque conſuetudinem etiam immemorabilem.

14 Illud verò, quod Princeps donans Eccleſiis inferioribus cenſeatur ſibi reſervare jus ſupremi dominii, habet pro ſe pauciſſimos ſectatores, eoſque ferè omnes laicos, & dominis temporalibus addictos, ut proindè jure paſſim ab omnibus explodatur, nominatim a Spada, qui *conſ.* 4. quadraginta duo Doctores pro Eccleſia recenſet. Quod etiam conſtanter refellunt alii recentiores, quos congeſſit Diana *p.* 7. *tract.* 10. *reſol.* 4. & Cocchier. *loco alleg. p.* 1. *c.* 20. quibus etiam hic me ſubſcribo.

15 Et ita cenſuit S. Congreg. Immunitatis in *una Nazarena Nundinarum Civitatis Baruli* 2. Martii 1660.

CONSULTATIO LXXXV.

Utrum poſſit licitè ac juſtè recuſari viſitator regularis miſſus a Generali? & quid de ſententia lata poſt recuſationem?

1 NOn poſſe recuſari tradunt Gloſs. *fin. in c. Ad noſtram de app.* & ibi Hoſtien. *num. 9. per c. Cum ſpeciali in fin. eod. tit.* ubi Innoc. *num. penult.* Jo. And. Abb. Præpoſit. Alex. de Nev. & alii. Idem conſtat ex *c. ſuper eo 2. eod. tit.* quo loco ita habetur, *ubi appellationis remedium tollitur, ſicut appellationi, ita recuſationi non eſt aliqualiter deferendum.* Cùm ergo Conſtitutiones Religionis, & privilegia denegent Religioſis appellationem, denegabunt ſubindè recuſationem.

2 Reſpondendum tamen eſt affirmativè, quando nimirum conſtat iniquè ſe gerere Generalem, aut velle ſe gerere contra bonam famam, & opinionem alicujus Religioſi. Ita expreſsè habetur *in cap. Si quis contra Clericum de for. comp. & c. 2. Requiris, & d. c. Cum ſpeciali*, de *apell.* ubi Hoſt. *n. ult.* Jo. And. *n.* 18. Butr. *num. fin.* Bellam. *num.* 14. Abb. *num.* 3. Alex. de Nev. *n.* 8. Præpoſ. *in fin.* Franch. *n.* 4. refert, & ſequitur Sanch. *lib. 6. in decal. c.* 8. *num. ult.* & docent Graff. *p.* 2. *dec. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 6. Portell. *in reſ. p.* 1. *caſ.* 22. *num.* 6. *& in dub. regul. v. Appellare*, Peyr. *in formular. lit. R. c.* 2. *n.* 11. *& de ſubdit. to.* 1. *cap.* 10. Nald. *v. Judex n.* 17. Lezan. *tom.* 4. *v. Recuſatio num.* 7. Hier. Rodriq. *v. Appellatio nu.* 16. & declaravit S. Congreg. Epiſcop. & Regul. in una *Ordinis S. Auguſtini* die 22. Novembris 1616. ubi etiam habetur, quod cùm aliquis Superior localis recuſaverit Viſitatorem, ut ſuſpectum, ſi Viſitator, dùm eliguntur arbitri, procedat ad aliquem actum, attentat, ac proinde debent omnia geſta poſt allegationem ſuſcipionis in priſtinum reſtitui, quando præſertim fuit appellatum ab ulteriori proceſſu, & fuerunt electi arbitri, Dec. *in d. c. Cum ſpecial. in fin.* Alex. *conſ.* 89 *lib.* 1. *num.* 5. Roman. *conſ.* 220. *num.* 3. Lancellot. *de attent. p.* 2. *c.* 6. *a num.* 4.

3 Recuſationis autem cauſa eſt ſuſpicio de P. Generali mittente Viſitatorem. Cauſæ verò ſuſpicionis ſunt multæ, præcipuè inimicitia inter ipſum Generalem, & ſubditum Provincialem, vel magna conjunctio Generalis cum parte contraria, vel ſi partialiter ſe gerat contra unum Provincialem, & non contra alios, præſertim quando ille Provincialis eſt bonæ famæ, & tendit ad reformationem ſuæ Provinciæ. Item ſi Generalis eſt commenſalis partis contrariæ dicto Provinciali. Ita Sylveſt. *v. recuſare*, Peyr *ſupra n.* 2. Nald. *loco citat. n.* 17. Lezan. *tom.* 3. *v. Judex num.* 13. Bover. *p.* 3. *c.* 1. & cenſuit S. Congregatio Epiſcop. & Regul. in una *Burgi S. Sepulchri* die 30. Octobris 1612. & in *una Fanen.* die 20. Novembris 1646.

Ratio eſt, quia ceſſat finis viſitationis per Concilium Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 1. his verè aureis verbis præſcriptus, & ut mihi placet ad verbum ediſcendis, quibus Prælatorum erga ſubditos partes accuratè, & diligenter exprimuntur: Sic Concilium. *Illud primum eos admonendos cenſet, ut ſe paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios & fratres diligant, laborentque, ut hortando & monendo ab illicitis teterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur, quos tamen, ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia, cum ſæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam poteſtas.* Affinia item ſunt quæ inferiùs leguntur. Ergo ubi eſt ſuſpicio inimicitiæ Generalis, vel affectus, & familiaritas erga partem contrariam Provinciali, ceſſat finis & modus viſitationis intentus a Concilio, immò repugnat. 4

Notandum tamen, non eſſe neceſſarium, cauſam ſuſpicionis debere aſſignari a recuſante in ſcriptis coram Judice, ſed ſufficere, ſi fiat oretenus; quia jus in *d. c. Cum ſpeciali*, ubi traditur forma recuſationis id non exigit. Ita Portell. *in reſol. p.* 1. *caſ.* 22. *n.* 6. Peyr. *in formul. lit. R. cap.* 2. *num.* 2. Lezan. *tom.* 4. *v. Recuſatio, n.* 5. Verùm iis non aſſentior. Nam cum textus *in d. c. ſuper eo ae appel.* æquiparet recuſationem appellationi, ſicut appellatio debet fieri in ſcripto, in quo ejus cauſa exprimi debet, aliàs appellatio frivola, & nulla judicanda eſt juxta *cap. Ut circa de elect.* & expreſſis *cap. Cordi nobis eſt, & c. Accedens de appellat.* & utrobique Gloſſam, quæ alia jura refert, adeò ut, ſi cauſa appellationis non exprimatur, inquiat, appellationem non eſſe recipiendam, & perſpicuè decernitur *in c. Quòd ad conſultationem de ſent. & re jud.* ac ſæpè alibi, docentque Doctores communiter; ita pariter recuſatio, ejuſque cauſa in ſcripto exprimi debet. Utraque enim tranquillitati Religionis æquè adverſatur. 5

Petes, an hęc recuſatio poſſit fieri coram Protectore Ordinis, & Protector poteſtatem habeat revocandi talem Viſitatorem? Reſpondeo affirmativè cum Lezana *tom.* 2. *c.* 9. *n.* 8. ex Conſtitutione Pauli V. & Urbani VIII. Item ex Conſtitutione Gregorii XIII. ibi: *ſi autem a Prælatis ſuis gravari prætendant, ad ipſius Ordinis Protectorem, ſicut antiquitus ſemper conſuetum fuit, recurſum habeant.* Et S. Congregatio Epiſc. & Regular. clarius id declaravit apud Confectium *in ſumm. privileg. Maris magnis titul. 6. Fratres gravati a Generali ad Protectorem recurſum faciant.* Et præcipuè pro Carmelitis id declaravit Clemens VIII. in Conſtitutione ſua 110. in hunc modum: *Si ſe a Prælatis gravari prætendant ad illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, ſive Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, ſupremum in Eccleſia Dei Judicem, ſicut antiquitus ſemper facere conſueverunt, recurſum habeant*, ac Sixtus V. in ſua Conſtitutione ad Romanum ſpectat *in 2. to. Bull. n.* 71. id ſupponit dum de Regularibus Romam venientibus ſub prætextu gravaminum dicit: *In alma verò Urbe noſtra, Religioſi advenæ & peregrini de gravaminibus ſibi illatis conquerentes, nullibi ſine hujuſmodi literis, aut licentia rejiciantur, niſi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium ſuper negotiis Regularium a nobis deputatorum, vel ad ſuos Protectores remittantur, qui ipſis auditis pro rerum, & perſonarum qualitate, quid agendum ſit, ſtatuetur.* 6

Ad illud verò quod in principio dictum eſt, reſpondetur, recuſationem, & appellationem in hoc æquiparari, ut neutra abſque cauſa liceat, & *d. c. Cùm ſpeciali* non extendi ad Regulares, quatenus extenſio impediret eorum correctionem juxta regularia inſtituta. Quare quando Prælatus valdè ſuſpectus crederetur, ac exceſſurus ob paſſionem, poſſe tunc recuſari quemadmodum & ab eo in hoc caſu appellari certum eſt. Et ita obſervatur a S. Congregatione Epiſcop. & Regul. quæ ſæpè reſolvit, præſertim in una Minorum obſervantium die 20. Novembris 1654. *In cauſa ſuſpicionis, & recuſationis Judicum inter Regulares, procedendum eſſe ſecundum* 7

dum

dum jus commune ubi conſtitutio particularis Religionis non procedit. Et in una *Eremitarum S. Auguſtini* die 18. Octobris ejuſdem anni decrevit, ut Viſitator in cauſis contra Provincialem, in quibus judicialiter, ac ſervatis ſervandis agendum eſt, non procedat, niſi cum Adjuncto, eidem Provinciali non ſuſpecto, & ſi ſecus &c. Atque ita ſatis videtur conſultum hujuſmodi ſuſpicioni in cauſis, in quibus tàm ex præſcripto ſacrorum Canonum, quàm Conſtitut. Ordinis teneretur Viſitator inſtituere proceſſus, & aſſumere partes Judicis.

8 Sententiam verò latam poſt recuſationem, & appellationem eſſe nullam probatur ex Gloſ. *in c. Quoties* 2. *q.* 6. *cap. Quia ſuſpecti* 3. *q.* 5. traditque Roman. *conſ.* 220. *n.* 7. Borg. Cavalc. *dec.* 33. *p.* 3. & pluries deciſum fuit a Rota, præſertim *in Hiſpal. primitiarum* 15. Januarii 1618. coram Pamphilio, & *dec.* 2. *n.* 17. *p.* 2. & *dec.* 165. *n.* 2. *p.* 6. *rec.* Dum enim Judex, ut ſuſpectus recuſatur, manet ſuſpenſa juriſdictio, & recuſatione pendente, ſuperſedere debet in cauſa, ut habetur *in d. c. Quoties*, ac proſequitur Bald. *in c. ſuſpicionis cauſa num.* 1. Imol. *ib. num.* 18. *de offic. Deleg.* & Lap. *alleg.* 1. *num.* 1.

9 Atque hinc recuſationem, & appellationem ante ſententiam non poſſe prohiberi per P. Generalem vi commiſſionis, probatur primò. Quia exceptio recuſationis, & appellationis mixta eſt naturali ratione, ut docet Menoch. *de arbitr. caſ.* 152. *n.* 1. *lib.* 1. & Doctores communiter, dixitque Rota *dec.* 165. *n.* 5. *p.* 6. *rec.* Secundò, quia etiam ab ipſomet P. Generali poteſt appellari, ut decretum fuit a S. Congregatione Epiſcop. & Regul. juſſu Sixti V. Tertiò, quia ipſimet Delegati Papæ poſſunt recuſari, & poteſt ab ipſis appellari, ut dicitur in addit. ad Abb. *in c. ſuper quæſtionem*, §. *Quem verò de offic. Deleg.* & tenet Barbat. *tr. de Card. a Later. q.* 5. *num.* 12. Pariſ. *conſ.* 31. *num.* 97. Ita ut ſolus Papa poſſit, vel Judex non habens alium ſupra ſe recuſationis, & appellationis remedium prohibere, ut dicunt Felin. *in rubr. Extra de appel. c. Cauſam de reſcript.* & Soccin. *conſ.* 115. Quod tamen etiam ipſis denegant Barbat. *d. tr. de Card. a Lat. q.* 4. Pinell. *in com. l.* 2. *C. de reſcind. vendit. p.* 1. *rubr. num.* 22. Dec. *in rubr. de appell. num.* 29.

10 Nec patrocinatur, quod ſit Viſitator delegatus a P. Generali, & in Tridentino Concilio *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. *de ref.* prohibeatur appellare a Viſitatoribus ante ſententiam definitivam. Quia ibi tantum eſt ſermo de Judicibus Ordinariis, ut patet ex textu, ſcilicet de Epiſcopo, & Epiſcopi Vicario, non verò de Delegato. Immò & ipſum Concilium dicto loco & ipſamet S. Congregatio in decreto edito juſſu Urbani VIII. ſuper negotio appellationum volunt a dictis Ordinariis poſſe ante ſententiam appellari, ubi agitur de gravamine irreparabili, quod per ſententiam Judicis ſuperioris non poſſet reparari. Inter ea autem gravamina irreparabilia recenſet ibidem S. Congregatio excommunicationem etiam comminatam; ideòque appellatio in hujuſmodi cauſis non poterit prohiberi ante ſententiam, quatenus gravati appellaverint, ac proinde modicam, ac levem cauſam ſufficere ad recuſandum Judicem, aſſerunt Gloſſ. *in cap. Poſtremò, v. Conſanguineus de appel.* & Menoch. *de arbitr. d. caſ.* 152. *n.* 9. & alii, ac firmavit Rot. *in d. Hiſpal. primitiarum* coram Pamphilio. Nihil enim magis jura abhorrent, quàm cogere litigantes coram ſuſpectis Judicibus ſua jura deducere, vel defendere, *c. Quia ſuſpecti* 3. *q.* 5. *c. Si inter, de except.* Rom. *conſ.* 521. *n.* 6. Eſtque praxis, quod aut agitur de Judice ordinario, aut de delegato. Si de ordinario aſſignantur cauſæ ſuſpicionis, deputantur arbitri ad illas agnoſcendas, & ante illorum determinationem juriſdictio Judicis quieſcit, *d. c. Cum ſpeciali, de appel.* ubi Innoc. Dec. & Barb. *in collect. c. Et ſi quis contra Clericum* 4. *de for. comp.* Si de delegato, & talis poteſt allegari ſuſpectus, quamvis cauſa aliqua ſuſpicionis non aſſignetur, Scacc. *de Judic. lib.* 1. *c.* 66. *num.* 13. Gloſ. *in l. apertiſs. ff. ad Trebel.* Quod & procedere etiam in Regularibus probat Ghisler. *de Judic. regul. c.* 14. *num.* 41. Unde benè admittitur allegatio ſuſpicionis, quia licet caſus eſſet in terminis Judicis delegati, nihilominus ad abundantiorem cautelam poſſunt allegari multæ cauſæ. Maximè quando a S. Congregatione fuit datus Adjunctus, quàm ex ſola allegatione ſuſpicionis cum juramento eſſe concedendum aſſerit Capyc. *dec.* 137. *n.* 10. Præſertim dum conſulitur ſuſpicioni in cauſis, in quibus tàm ex præſcripto Sacrorum Canonum, quàm Conſtitutionum Ordinum tenentur Commiſſarii inſtruere proceſſus, & aſſumere partes Judicis. Quod nihil habet commune cum Viſitatione, & eſt permiſſum, ut de mero executore, qui aliàs tanquam talis non poteſt allegari ſuſpectus, quod benè allegatur, ſi tanquam Judex tenetur aſſumere cognitionem, tradit Bero *in c. Quoniam n.* 154. *de probat.* & in ſpecie Regularium Ghisler. *loc. alleg. cap.* 14. *num.* 43. & *ſeq.*

Hinc adverſus hos Viſitatores ſolet porrigi S. Congregationi ſuper Epiſc. & Regul. ſupplex libellus hujus, vel ſimilis tenoris: Porrecto huic S. Congregationi memoriale tenoris ſequentis. *Licet frater N. Viſitator deputatus a P. Generali in provinciam N. & ex decreto hujus S. Congregationis confirmatus per literas Apoſtolicas fuiſſet in aliquib. cauſis, in quibus & de jure, & juxta præſcriptum Conſtitutionum Ordinis proceſſus inſtituere, & judicialiter ſervatis ſervandis procedere debebat, allegatus ſuſpectus a P. N. interpoſita etiam appellatione ab ulteriori proceſſu ex cauſis huic S. Congregationi expoſitis; nihilominus idem Judex ad ulteriora veritus non fuit, & forſan ad actus præjudiciales, ſive etiam ad expeditionem dictarum cauſarum devenit. Verum quia, Eminentiſſimi Patres, durum eſt coram ſuſpecto Judice litigare ſtante appellatione prædicta, non poterat ſine vitio attentatorum in prænarratis cauſis ad ulteriora procedi; ideò ſupplicat humiliter devotus EE. VV. orator N. Procurator d. P. N. quatenus dignentur committere, & mandare præfato Viſitatori, ut in Cauſis, in quibus proceſſus inſtituere debet contra dictum P. N. procedat cum Adjuncto, dicto P. N. non ſuſpecto. Quod ſi jam aliquid in præfatis cauſis poſt interpoſitionem appellationis ab ulteriori proceſſu actum, geſtumque fuerit, mandet ſic geſta ac manere ſuſpenſa, omniaque interim reſtitui in eundem ſtatum, in quo erant tempore dictæ appellationis, & dum rogabit &c.*

Quibus lectis ſolet S. Congr. in hunc modum reſcribere. *Sacra &c. attentis expoſitis committendum cenſuit, prout præſenti decreto committit præfato P. N. Commiſ. Apoſtolico, ut in cauſis hujuſmodi contra N. oratorem, in quibus judicialiter, ac ſervatis ſervandis agendum eſt, non procedat niſi cum Adjuncto, eidem Patri non ſuſpecto, & ſi ſecus per ipſum geſtum fuerit poſt appellationem ab ulteriori proceſſu legitimè interpoſitam revocet, ac ad priſtinum ſtatum reſtituat. Si verò contingeret dictum Viſitatorem a dicta Provincia N. abeſſe tempore exhibitionis præſentium, præfatam cognitionem cauſarum, & attentatorum hujuſmodi committendam eſſe D. Epiſcopo N. & in ejus defectum N. ipſo verò non volente, vel renuente, uni ex Archidiaconis Eccleſiæ N. N. partibus non ſuſpecto, prout eadem S. Congr. per præſentes committit cum facultatibus opportunis. Romæ &c.*

CONSULTATIO LXXXVI.

An Commendatarius Monaſterii jam Regularis, cui annexa eſt cura animarum, teneatur ad reſidentiam, & per ſe ipſum curam exercere?

NEgativè reſolvendum eſt. Ita enim cùm aliàs ſæpe, tum perſpicuè habetur ex textu *in cap.* 1. *de capel. Monach.* & in *cap.* 2. *de ſtat. Monach.* cum aliis, ubi Gloſ. Abb. & cæteri Canoniſtæ. Authoritati ſuffragatur ratio. Quia cura Monaſterio injuncta non incumbit perſonæ, ſed reſidet habitu penes monaſterium, actualitas verò, ſeu exercitium penes Vicarium, ſeu Capellanum, Clem. *In agro*, §. *Cæterum de ſtat. Monach. Clem. in ea*, §. *Præmiſſa vero, de ſuppl. negl. Præl.* Rot. *dec.* 153. *n.* 3. *p.* 2. *rec.* Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſ.* 6. *num.* 7. Unde ſequitur, quod cura poſtea non fuerit penes Commendatarios. Commenda enim non mutat ſtatum. Sarnen. *de infirm. q.* 13. Put. *dec.* 25. & Commendatarii noſtri temporis retinent jura veri titularis, illique in omnibus, & per omnia æquiparantur, Gomez *in regul. de infir. q.* 11. 1

Aliud enim eſt jus ipſius curæ perpetuò inhærens monaſterio, aliud ipſius exercitium. Dicitur ſanè monaſterium ſtare pro Rectore perpetuò in cura, non autem Monachus. Ideòque propemodum accedit naturæ beneficiorum regularium, quæ cenſentur manualia, ut Monachi poſſint juxta ſacros Canones evocari a beneficio ad clauſtrum, *cap. Placuit* 16. *q.* 1. & alii infra citandi, ac ſi aliter eſſet, repugnaret eorum paupertati, & obedientiæ. Quod optimè notavit Rot. *d.* 722. *nu. S. p.* 1. *div.* & *in rec. dec.* 245. *p.* 6. *n.* 14. & *ſeq.* 2

Quare Eugenius IV. ob id eis permittit exercitium curæ per Vicarios amovibiles, & ex quo ſubſunt obedientiæ, non datur matrimonium indiſſolubile inter eos, & Eccleſiam. Nam præberetur occaſio ſubvertendi ſtatum monaſticum propter perpetuam divagationem extra clauſtra, & proindè dicuntur ſolummodo Eccleſiæ habentes curam animarum, non autem beneficia parochialia, prout datur ſpirituale matrimonium inter Eccleſias, ſeu beneficia parochialia & Sacerdotes ſæcula- 3

res

res provisos in titulum, requirentia idcircò ex juribus adductis omnimodam residentiam, ut benè distinguit Barbos. *de off. & potest. Paroch. p. 1. cap. 2. num. 46. & seqq.* Mohed. *de caus. & potest. propriet. dec. 10.*

4 Cùm igitur hujusmodi Ecclesia fuerit Monasterium regulare Ordinis S. Benedicti, & post discessum Monachorum consueverit commendari Clericis sæcularibus, per quam Commendam non mutatur status regularis, sed præservatur, ut disertè firmat Rota in *Tudertina Prioratus decis. 577. 578 par. 4. rec. & decis. 373. & 458. & 664.* coram Pegna, ac etiam declaravit S. Congregatio Concilii sub 8. Maji 1627. traditque Gomez *ad reg. de trien. qu. 5. in fin.* Felin. *in cap. In nostra num. 45. de rescript.* Sarnen. *de idiom. quæst. 11. num. 3.* Sanch. *in Decal. lib. 7. cap. 29. num. 105.* Ita ut usque ad præsens in processionibus generalibus adhuc deferatur eadem antiquissima Crux monastica in signum profectò antiqui monasterii, & Prioralis dignitatis ex Rota in decisionibus relatis, utique intrat, in naturam subrogati, etiam quoad jura personæ, atque adeò non debet graviori onere premi, Rebuf. *de nomin. q. 8. num. 23.* Greg. XV. *dec. 463.* & sicuti non antiquo Priori regulari, sed tantùm monasterio, seu Prioratui incumbebat cura habitualis animarum sæcularium, actualis verò, & exercitium Capellano, seu Vicario, ita nec etiam Commendatario illa incumbit, Gonzal. *super nu. 6. ac 7. 64. & seqq.* Roman. *cons. 3. 25. nu. 1.* Federic. de Sen. *cons. 134. nu. 2. & 4.* Felin. *ad cap. In nostra de rescript. n. 45.* Monald. *cons. 23. n. 1. lib. 1.* & confirmat Rot. *dec. 15. n. 2. & 4. dec. 104. n. 3. & dec. 716. n. 2. par. 2. rec. & dec. 44. n. 16. p. 8. rec. & dec. 45. part. 9. tom. 2. & decis. 17. part. 1. div. num. 4.* ac sæpè alibi.

5 Ac proindè neque ad actualitatem curæ, quæ spectat ad Vicarium, neque ad residentiam tenetur, Barbos. *d. p. 1. c. 3. n. 50. 60. & 67.* Quia reputatur tanquam beneficium simplex Abb. *in cap. Extirpanda 3. Qui verò nu. 6. & in c. De multa num. 24. de præb.* Rebuf. *tit. de Vicariis num. 11. & seqq. & de dispens. rat. ætat. num. 3. & 47.* Quod prosequitur Filliuc. *qq. moral. de plural. benef. q. 41. cap. 7. num. 26. & seq.* Tambur. *de jur. Abb. qu. 9. num. 4.* & apud Posth. *de manut. dec. 217. num. 3.* Garz. *de benef. p. 3. c. 2. num. 177.* Lotter. *de benef. lib. 1. qu. 33. n. 93. & lib. 2. qu. 31. num. 33. & lib. 3. qu. 2. nu. 14.* & comprobat Rot. *dec. 155. num. 2. & 3. & dec. 354. nu. 2. & 21. part. 4.* & melius *dec. 179. nu. 2. 3. par. 2.* & iterùm *part. 7. dec. 21. in rec.* ubi quod in Regularibus cura exercetur per Capellanos. Id quod firmavit in eadem *p. 7. dec. 145. nu. 15.* & explicatius *p. 5. rec. dec. 20. nu. 3.*

6 Itaque nullo modo Commendatarius tenetur ad residentiam. Non quippe ratione curæ Monachorum, quia ii non amplius extant. Non ratione curæ animarum sæcularium, quia earum cura non incumbit personæ, sed Monasterio, cujus Prior mandat eam exerceri per Vicarios amovibiles approbandos ab Ordinario vigore juris auctorizabilis.

7 Atque hinc est quod Commendatarii sunt immunes a concursu, & capaces alterius beneficii incompatibilis, seu Canonicatus, ut sæpè declaravit S. Congregatio Concilii *ad c. 7. sess. 24. de ref.* & praxis inviolabiliter observat prout testatur Garz. num. 183. Rebuf. Barbos. & alii ubi supra. Et in Ecclesiis regularibus cura dicitur annexa, unita, habitualis, de qua non habetur considerato. Glos. *in cap. Nemo de elect. in 6. verb. unum, c. Super eo de præb. in 6.* Rot. *rec. dec. 102. num. 1. & 9. p. 1.* Rub. *ad dec. 254. nu. 58. 62. & seqq. tom. 1. p. 9. rec. & in Januen. Parochialis dec. 55. 165. 297. p. 5. rec.* Esseque hujusmodi Commendatarii capaces etiam minores annorum 25. Doctores adducti, ut exploratum proponunt.

8 Quare si in hanc Ecclesiam iterùm introducerentur Monachi, cura resideret eodem pacto penes Monasterium, quia status Ecclesiæ non est alteratus. Interim verò cura residet penes Priorem, non jure proprio, sed quatenus repræsentat Monasterium totaliter. Atqui sicut Monasterium poterat per alterum curam exercere, ita pariter dicendum est de Priore, qui Monasterium repræsentat, & in illius juribus est subrogatus, Rota coram Greg. XV. *d. dec. 463. n. 3.*

9 Quod verò Prioratus antiquitus fuerit Monasterium, ibique adessent Monachi, satis clarè probatur non solùm ex pluribus enunciativis, quæ habent vim famæ, & in antiquis plenè probant, Glos. *in c. Cùm olim de censib.* Abb. *cons. 93.* Achil. *dec. 5. de jurep.* Put. *decision. 208. lib. 2.* Sed etiam ex pluribus literis Apostolicis pro collatione hujusmodi Commendæ expeditis, concurrente etiam libro vetustissimo, in quo narratur fundatio Monasterii cum introductione Monachorum, qui etiam plenè probat, Gratian. *discept. for. c. 893. n. 6.* Ac denique concurrit unus testis 80. annorum, qui benè deponit, & omnia comprobantur ex inspectione oculari. Nam apparent ibi vestigia antiqui Monasterii. Quòd solum sufficeret, quia inspectio ocularis superat omnem probationem, *l. si irruptione, §. Ad officium, ff. fin. reg.* Natt. *cons. 395. n. 6.*

Et hanc sententiam frequenter amplexa est S. Con- 10
greg. Concilii, præsertim in una *Tudertina Prioratus* S. Nicolai die 5. Dec. 1600. his verbis; *S. Congreg. Concilii, re diligenter perpensa, & ad S. D. N. relata, censuit Prioratum S. Nicolai, utpotè Regularem non subjacere concursui, licet ei immineat cura animarum personarum sæcularium, & Clericis sæcularibus commendari consueverit.*

Idem censuit ex voto Cardinal. Manticæ in causa *Nucerina S. Benedicti* 17. Aug. 1606. pro orphyrio, in qua adducitur supradictum decretum *in Tudertina Prioratus*, firmaturque non subjacere residentiæ ex quo non subjacet concursui. Siquidem non subjacere residentiæ & non subjacere concursui fraternizant in Regularibus.

Plenius id expressit in eadem *Tudertina Prioratus* die 11
17. Aug. 1647. *S. Congreg. Emin. DD. Card. Conc. Trid. Interpretum, maturè discusso negotio, unanimi Eminent. Patrum voto, censuit Sacerdotem Benignum de Oddis, Priorem nuncupatum Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai Civitatis Tudertinæ non teneri per se ipsum curam animarum exercere, neque residere.*

Sed longè plenius, ac uberius id declaravit *in Nucerina* 12
Terræ Gualdi 1606. S. Congr. re bene inspecta, decernit & declarat, istum Commendatarium S. Benedicti non teneri ad residentiam, quamvis aliqui resederint; sed per alios huic muneri satisfacere posse. Nam cùm ab initio in hoc Monasterio resederint Monachi S. Benedicti, sitque Monasterium ejusdem Ordinis, ut in facto fuit demonstratum, clari juris est curam animarum, dum ibi manebunt Monachi, non incubuisse personis Monachorum, sed Monasterio.

Et luculenter *in Lauden. S. Congreg. inhærens declara-* 13
tionibus aliàs editis, decrevit constare de primævo statu regulari. Propterea Commendatarios Ordinis S. Benedicti non teneri ad residentiam, quamvis curam habeant animarum personarum sæcularium, sed hujusmodi curam esse exercendam per Vicarium presbyterum, ab Ordinario approbandum.

Apertè etiam habetur *in Aquen. Commendatarius S.* 14
Joannis de Lanegio Uppidi Niceæ, cui Prioratui imminet cura animarum personarum sæcularium supplicat declarari, an in dicto Prioratu, qui, antequam cœpisset commendari fuit regularis, teneatur ejus Prior ad residentiam, vel ne; S. Congregatio, re maturè perpensa, censuit, Commendatarium d. Prioratus non teneri, nec cogi posse ad residendum, aut ad curam animarum eidem Prioratui incumbentem per se ipsum exercere, sed posse per Vicarium presbyterum sæcularem a se deputatum, & ab Ordinario approbatum muneri curæ satisfacere.

Item in eadem *Mucerina Prioratus* die 14. Jan. 1634. 15
Sac. Congreg. Cardinalium Concil. Trid. Interpretum secundum ea, quæ proponuntur, censuit, Oratorem ad personalem residentiam non teneri, sed posse per presbyterum sæcularem deputandum a se, & ab Ordinario approbandum muneri curæ præfatæ satisfacere.

Concinit alia declaratio in eadem *Mucerina Priora-* 16
tus, ubi S. Congregatio die 7. Maji 1638. inhærens declarationibus aliàs editis, censuit *Commendatarium Priorem S. Donati non teneri in eo residere, quamvis ille curam habeat animarum personarum sæcularium, & alii illam exercuerint, & resederint; sed hanc curam esse exercendam per Vicarium presbyterum sæcularem, ab Ordinario approbandum.*

Et in *Amalphitana de Spacea sassis 3. Maji 1642. S.* 17
Congreg. re benè discussa, censuit, Commendatarium præfatum non teneri ad residentiam personalem, sed satisfacere posse per Vicarium attento statu regulari.

Prout disertè etiam dixit in una *Firmana S. Vincent.* 18
& Anastasii Amandulæ 1642. Ac etiam in *Eugubina S. Abundi Terræ Pergulæ 1647.* Atque hanc sententiam sequi semper S. Congregationem Concilii mihi benignè retulit inter ejus Patres conscriptos Eminentiss. Card. Laurentius Imperialis, vir non modò familia & honoribus Princeps, sed etiam sapientia, ingenio acri & perspicaci, incredibili studio, summa vigilantia.

Ex quibus videtur de hac re amplius dubitari non pos- 19
se, cùm hujusmodi declarationes habeant vim legis universalis sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, faciantque jus quoad omnes ex egregiè congestis a Ridolphino *in prax. Judic. p. 1. c. 7. n. 83.*

Nec dicatur, aliquot ex antecessoribus resedisse. Quia 20
cum Commendatarius non teneatur per seipsum curam exercere, si exerceat, est actus merè facultativus. Id quod consi-

consideravit S. Congregatio in dictis declarationibus, ac proinde non facit statum, deficiente maximè voluntate, coactione, & aliis requisitis ad mutandum statum. In facultativis enim non potest induci consuetudo, ut tradunt communiter Doctores, Calder. *cons.* 1. & 2. *de consuetud.* Roland. *cons.* 53. *num.* 68. *vol.* 2. Surd. *cons.* 127. *num.* 81. Ludovis. *dec.* 162. *num.* 10. Rot. *dec.* 778. *num.* 5. *part.* 1. *div.* & *decis.* 136. *num.* 4 *part.* 2. *rec.* nullaque unquam cadit præscriptio, Rot. *rec. dec.* 536. *par.* 2. *num.* 4. Gabr. *de præscript. concl.* 10. *num.* 1. & 15. Crot. *cons.* 21. *lib.* 1. Rip. *resp.* 2. *vol.* 2. Bald. *de præscript. part.* 4. *quæst.* 1. Paris. *cons.* 27. *num.* 56. *vol.* 1. Dec. *cons.* 205. *num.* 4. & *cons.* 275. *num.* 15. & passim Doctores *in l. sicuti*, *C. de præscript.* 30. *ann.* Bart. *in l. Cùm notissimi init. eod. tit.* & *in l. Præter.* 8. *fin. ff. de oper. nov. enunc.* & *in l. filiis*, *Cod. de decur.* Thesaur. *dec.* 16. Rosantal. *de feud. cap.* 5. *concl.* 25. Menoch. *de jur. territ. cap.* 3. *nu.* 103. Et idèo Rota *in Brixiensi Capellaniæ* 2. Martii 1598. coram Litta habet, quod ad probandam consuetudinem non sufficit probare, quod Prædecessores residerint & per seipsos inserviverint, cùm simus in materia facultativa, sed quod id fecerint coacti & non voluntariè, quod erit difficilè, juxta notata *in cap. Cum Ecclesia Sutrina de cauf. pos.* Verùm si coactè residerint & per seipsos inserviverint non probatur consuetudo, sed titulus, unde proveniat coactio ad residendum, quia non potuerunt cogi, nisi adesset titulus sufficiens ad eos cogendum. Quandoquidem nec actus curæ important necessariò residentiam, Felin. *ad cap. In nostra de rescript. num.* 13. & 30. Menoch. *de arb. cas.* 201. *num.* 67. Cravet. *cons.* 111. *num.* 20. & 22. Gregor. XV. *dec.* 762. *num.* 1. & 8. & 16. ubi adden. Rot. *rec. part.* 1. *tom.* 1. *dec.* 65. *num.* 13. & 16. & *part.* 2. *dec.* 72. *num.* 28. & *dec.* 611. *num.* 3.

21 Præterea cum de jure Prioratus iste personalem residentiam non requirat ex quo fuit Monasterium Conventuale Ordinis S. Benedicti, & ita cura est accessoria Commendatario, quæ nunquam requirit residentiam, immò repugnat statui Ecclesiæ, prout resolvit S. Congregatio Concilii, non poterant antecessores mutare statum illius ex defectu potestatis, quæ copulativè requiritur cum voluntate ad effectum mutandi statum beneficii, adeout, deficiente potestate & voluntate, nullo spatio temporis dicta mutatio fiat, Gemin. *in cap. Cùm de beneficio num.* 9, *de præb. in* 6. Felin. *ad cap. In nostra num.* 41. *de præscript.* Selv. *de benef. part.* 2. *qu.* 11. *num.* 124. Rota *in Gerunden. Præposituræ seu vini* 4. Maji 1616. coram Cardin. Pamphilio.

22 Ad hoc autem, ut possit dici adesse voluntatem mutandi statum, requiritur certa scientia status beneficii etiam in Superiores. Et hac ratione Doctores supra citati concludunt, quòd ex provisionibus, & aliis actibus contrariis factis per Papam non inducitur mutatio status beneficii, quia ipse providit ad supplicationem partis, & non scit certò illius statum. Ex parte verò Ordinarii non inducitur, etiam per actus contrarios ab ipso factos, etiam spatio longissimi temporis, cùm non possit mutare statum beneficii, etiam quod habuerit scientiam, & voluntatem illum mutandi, Gemin. *in d. cap. Cùm de beneficio n.* 16. *de præb. in* 6. Rebuf. *super concord. de collat. §. Volumus*, *v. Regulares*, Rota *in Perusina S. Bevignati* 17. Martii 1589. cor. Cardin. Pamphilio.

23 Quam ob causam sive Episcopus ignorans resolutiones S. Congregationis in isto casu de facto coegisset ad residendum, sive Priores pariter illas ignorantes sponte residerint, non potest dici mutatus hujusmodi status, cùm requiratur notitia certa beneficii. Nam demus etiam quòd Antecessores residerint, & proinde videatur inducta consuetudo, quia adfuit coactio saltem putativa, & acquiescentia, non idcircò potuit per hos actus induci consuetudo, cùm actus isti processerunt ex ignorantia, & errore putantium adesse obligationem. Actus autem ex ignorantia procedentes non possunt inducere consuetudinem, Glos. *in cap. fin. de consecr.* Card. *ibid.* Innoc. *in rubr. de consecr. num.* 4. Glos. civil. *in l.* 2. *Cod. quæ sit long. cons. ibique* Bart. *qu.* 11. Bald. *in l. De quibus*, *ff. de legib.* Quoniam cùm vis consuetudinis fundetur in consensu volentis inducere consuetudinem obligantem, ubi est error, aut ignorantia, deficit consensus. Errantis enim nulla est voluntas, *l. Si per errorem*, *ff. de jurisdict. omn. Jud.* & *l. si procurator*, *ff. de acq. rer. dom. l. Error*, *Cod. de jur.* & *fact. ignor.* & notant Cravet. *cons.* 54. *num.* 73. *lib.* 2. Surd. *dec.* 214. *nu.* 20. & *dec.* 130. *n.* 1. Cæsar. de Grass. *dec.* 1. *nu.* 2. *de transact.* Rot. *in Romana bonor.* 9. Junii 1617. coram Andrea. Et excludit scientiam & patientiam errantis, *l. nihil consensui*, *§. non videtur*, *ff. de regul. jur.* Eò vel maximè, quia Priores antecessores in ætate graves, ac eo loco nati non habebant occasionem alibi permanendi melius, quàm in patria, & ita residentia prætensa fuit ex mera ipsorum voluntate & facultate, quæ nullo unquam tempore præscribitur etiam immemorabili, Seraph. *dec.* 813. *num.* 5. & alii supra relati.

Denique respondetur, quod verè tales antecessores non 24
residerint in Prioratu, licet forsan steterint in sua patria ubi collocatus est. Siquidem differunt ista duo *Interesse & Residere*, Navar. *cons.* 13. *sub num.* 2. *de Cler. non resid.* ubi alios adducit. Et propterea non valet discursus: Adfuit in loco beneficii, ergo residit in beneficio. Unde ab una ad aliam non fit illatio juxta vulgares regulas.

Immò nec dicitur quis residere, nisi copulativè ista duo faciat, nempè & *Resideat & serviat beneficio*, Gemin. *in cap. licet canon. §. Is etiam num.* 3. *de elect. in* 6. ibi: *Adverte quod non dicitur residere, nisi resideat & Ecclesiæ deserviat*. Et *num.* 7. Id pluribus probat.

Ea verò, quæ dicuntur de Commendis perpetuis, non 25
possunt habere locum in Commendis regularibus Ordinis incapacis & monastici, ut appositè Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 29. *num.* 71 qui plures alios constipat. Nec ad rem facit, quod dicitur de beneficio sæculari commendato regulari cum dispensatione, sive de annexione alterius curæ, vel alterius beneficii curati. Quia hic agitur de monasterio Ordinis S. Benedicti, cui incumbit cura animarum sæcularium, non de persona Prioris, vel particularis Monachi, quibus prohibetur curæ exercitium, ut dictum est.

Similiter respondetur ad dec. Rotæ *in Pampilonen. Prio-* 26
ratus de Uxuela 110. cor. Merlino cum ibi notatis *ex cap. Extirpandæ*, *§. Qui verò de præb. cap. Relatum de cler. non resid. junctо cap. licet canon. de elect. in* 6. Loquuntur enim Canones isti ubi residentia est injuncta personis sæcularibus, non autem Monasterio. Præterea in dicta decisione dubitabatur de regularitate, atque adeo casus est diversus, prout etiam dignoscitur in alia decisione 145. in eadem causa coram eodem num. 4. & seqq. ibi: *quod habebat tantùm dependentiam à Monasterio regulari*, & *quod ista dependentia non faciebat regularitatem*, & *quod erat Prior habens Ecclesiam in titulum*, & *Priori incumbebat cura quantumvis haberet dependentiam a Monasterio Montis Aragonum* & *nu.* 6. & 7. *Quod non interveniebat in capitulo, sed tantùm pro suo interesse*, & *quod uti Canonicus regularis obtinebat istud beneficium uti separatum*, & *a Monasterio distinctum*.

Faciunt etiam quæ considerantur in voto & resolutio- 27
ne S. Congregationis in *Amalphitana residentiæ* sub die 3. Maji 1642. in qua respondetur, objectionem locum habere in Monasteriis commendatis, quæ sunt Ordinis capacis exercendi curam animarum personarum sæcularium, nempè Canonicorum Regularium, ut est casus decisionis Mellini ex latè cumulatis per Lotter. *de re benef. l.* 1. *quæst.* 33. *num.* 25. Garz. *de benef. part.* 2. *c.* 10. *num.* 24. & 35. Et quando Prior regularis exercere consueverat uti non prohibitus, secus autem in Monasteriis, in quibus non administrabatur per Priores cura animarum, uti sibi incumbens, prout non incumbit, neque administratur per Abbates, Priores, & Monachos S. Benedicti, sed per Vicarios sæculares amovibiles.

Item non obstat, quod cum Prioratus sit de Grancia, 28
vel sub collatione Abbatis alterius Monasterii, vel ab eo dependens, ab eoque Abbate conferatur, Prior iste sic electus verè dicatur beneficiarius, & Curatus perpetuus sub obligatione residendi. Quia objectio fortasse procederet in beneficiis merè curatis Regularium, quæ conferuntur alicui presbytero sæculari ab Abbate seu Monasterio sic habente tale jus conferendi in titulum perpetuum. At in casu nostro Ecclesia ista verè erat Monasterium cum Monachis, & proprio Priore, per quos negotia ad Conventum spectantia capitulariter expediebantur, Novitii ad habitum suscipiebantur, ut loquuntur decisiones adductæ: ita quod iste Prior uti Conventualis non habens in hoc Monasterio Abbatem, prout ibi non degebat, nec degit, habetur & dicitur uti Abbas, & propterea sit Dignitas. Priores enim æquiparantur Abbatibus, ut aptè Lotter. *de re benef. de vocat. benef. per assecut. alter. seu ob promot. cap.* 7. *n.* 5. *par.* 10. & *par.* 4. *cap.* 4. *de Commend. num.* 43. Gonz. *in c. Nemo de elect. in* 6. Cassan. *in consuet. Burgund. rub.* 11. *§.* 9. Rebuf. *quæst.* 8. *num.* 29. & *de patr. potest. num.* 6. & *seqq.* & *tit. de Cleric.* & *a quibus creentur num.* 16. Gomez. *de infirm. resign. qu.* 4. *num.* 2. & *de Idiom. qu.* 5. *num.* 6. & *tit. benef. reg. multipl. par.* 1. & *tit. de Cleric. provis. p.* 1. *num.* 14. & 16. quos recenset & sequitur Barbos. *ad c.* 2. *Conc. Trid. sess.* 6. *de reform.* & *de Canon.* & *Dign. cap.* 19. *num.* 15. Tamburin. *de jur. Abbat.* pluribus in locis, *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 2. *a num.* 14. Rota *in novis. dec.* 29. & 233. *num.* 19. *part.* 1. & *dec.* 346. *lib.* 3. *num.* 2. *div.* & declaravit

ravit S. Congregatio in *Firmana* 28. Jan. 1600. & in *Theatina* 13. Septembr. 1621. seu 18. Januar. 1631. & sæpè alibi.

29 Ad differentiam quidem Priorum claustralium, qui in eodem Monasterio habent Abbatem degentem, & propterà non sunt Dignitates, neque conferuntur in Commendam, Lotter. *ubi sup.* Rebuff. *n.* 4. & 5. *tit. benef. reg. multipl. p.* 1. & *tit. de Commendis n.* 40. Rot. *div. dec.* 449. *n.* 14. *l.* 3. Filliuc. *qq. mor. de benef. q.* 41. *c.* 1. *n.* 11. Tambur. *de jur. Abb. to.* 3. *q.* 2. *n.* 2. & *q.* 4. *n.* 1. qui differentiam assignat inter Priorem Conventualem & claustralem.

30 Neque etiam obstat, quod textus in *d. cap.* 1. *de Capell. Monach.* statuit presbyterum administrantem curam animarum instituendum esse ab Ordinario, & in casu nostro semper fuit deputatus a Commendatario, ideòque non applicatur. Nam respondetur, quod ex illo textu probatur, Abbatem & Monachos prohiberi exercere curam animarum, ad idque adhibendum esse presbyterum sæcularem. Quæ ratio semper viget, sive is adhibeatur ab Episcopo, sive ab Abbate, qui quidem potest prohibere istud jus deputandi Curatum, Imol. *in Clem. Ne in agro. §. Adhuc de test. Monach.* Card. *cons.* 43. Felin. *in cap. Auditis n.* 14. *de præscript.*

31 Pariter nec obstat quod dicitur hoc benè potuisse procedere tempore, quo ibi manebant Abbates & Monachi, quia repugnabat instituto regulari. Sed cùm postea Monasterium fuerit commendatum presbyteris sæcularibus, in quibus cessat talis ratio & prohibitio, submoto impedimento, illi videntur per se curam exercere debere, ut in simili traditur in decisione coram Mellino. Nam respondetur, quod decisio illa loquitur in diversis terminis, nempe in Parochiali separata ab ipso Monasterio, ut benè apparet ex declaratione S. Congregationis in eo emanata. Præterea cùm Commenda statum non mutet, Commendatarius succedens titulari non est alligandus ad onus, ad quod Titularis non tenebatur, & propterea Commendatarius est immunis a cura propter juris prohibitionem, vel incapacitatem, cùm subrogatus sit in locum prohibiti, & incapacis. Nam subrogatur sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur etiam quoad jura personæ, *l. fin.* ubi Bart. *C. de prox. sacr. scrin. lib.* 12. Rib *resp.* 2. *volum.* 2. Ita in simili S. Congregatio declaravit, beneficium regulare, cui incumbit cura animarum Clericis sæcularibus commendari solitum non egere observatione formæ examinis per concursum. Nam quamvis tunc sive ratio, sive impedimentum, ut inter Regulares, tanquam Prælatis obedientes, non possit habere locum forma concursus, vocans quoscumque accedere volentes, cessabat, cùm commendabatur Clericis sæcularibus, posset que observari, quando sæculari commendatur, quæ in Regulari non poterat observari; tamen S. Congregatio non voluit observari. Quia Commenda non mutat statum, & hæc decisio fuit approbata a Clemente VIII. Unde Cardinalis Mantica in Congregatione S. Concilii Trid. habita die 17. Augusti 1606. in supradicta causa *Nucerinæ residentiæ* testatus est, quod tempore editæ decisionis Mellini in Tudertina concursus, ipse sensit cum Dosat propter rationem impedimenti cessantis allegatam in d. decisione Mellini requiri concursum, eam tamen rationem a S. Congregatione improbatam fuisse, & Summum Pontificem decisionem S. Congregationis approbasse, ac propterea stante ea decisione non posse nunc deferre ei rationi, quam rejectam tunc vidit, & contra eam decisum, ideòque sentit nunc quoque decidendum, Commendatarium non teneri residere. Quia hæc decisio fraternizat cum illa quod talia beneficia non requirant formam examinis in concursu. Quare decisio Mellini intelligenda est procedere in casu, quando per beneficium quod datur in Commendam, si provideretur in titulum, provisus teneretur ad exercendam curam animarum, & residendum. Quo casu Commendatarius non excusatur a residentia. Ac denique respondetur, quod in decisione Rotæ coram Mellino cura incumbebat Prioratui, & ratio Rotæ non obest. Quia, quamvis esset impedimentum, tamen Commendatarius non est cogendus ad id, ad quod Abbas, vel Monachi in hoc Monasterio existentes cogi non potuissent. Nam jura loquentia de Monachis habent locum in istis Commendatariis. Prob. *in c. Nemo n.* 11. & 23. *de elect. in* 6. Rebuff. *de nominat. q.* 8. *n.* 23. Ut proinde ea ratio improbata fuerit a S. Congr. Concilii, ut modò dicebamus.

32 Rursus non obstat, quod textus *in d. c.* 1. non procedat in Ecclesiis, quæ sunt Monachis pleno jure subjectis. Archid. *c. De capellis* 16. *q.* 2. Host. Jo. Andr. & Butr. in *d. cap.* 1. Nam primò respondetur, citatos Doctores intelligendos esse tantùm circa deputationem Vicarii, qui exerceat curam animarum. Nam in plenè subjectis deputatio non spectat ad Episcopum, ut in *d. c.* 1. disponitur, sed ad Abbatem, ut per Gloss. *in Clem.* 1. & ibi Doctores *de excess. Præl.* Secundò respondetur, nos non versari in terminis hujus limitationis. Nam Ecclesia curata tunc dicitur pleno jure subjecta Monachis, cùm populus, in quem exercetur cura animarum, est exemptus. Abb. *in c. Lateranensi n.* 4. *de præb.* Doctores *in c. Quoniam de privil.* At populus Parochianorum hujus Ecclesiæ non est exemptus; sed subest Episcopo.

Itidem non obstat, quod deputatio Sacerdotis amo- 33
vibilis arguat curam esse penes deputantem. Nam præterquam quod arguit tantùm, & non probat, respondetur id procedere in deputante, qui non sit prohibitus exercere, vel non succedit prohibito.

Nonnihil tamen hic expostulo, nimirùm quod hæc 34
resolutio videtur esse præjudicialis curæ animarum. Quod immemorabilis inserviendi per alios sit inducta ante Sacr. Concilium Trid. quo tempore residentia valde negligebatur, *d. cap.* 1. *de Capel. Monach.* Et quod ratio, quæ militabat pro Monachis cessat in Commendatariis, ut supra opponebatur.

Unde ego contrarium censeo hoc solo, sed solido 35
fundamento. Siquidem in hac re distinguendi sunt duo casus. Primus est, quando in Ecclesia regulari habente curam animarum extat Conventus cum suo Abbate, seu Priore, & tunc cura populi residet penes Conventum, & Abbas eo casu non habet curam animarum, sed curam Conventus, quæ est major quàm cura populi. Casad. *dec.* 12. *de præb.* Monasterium enim est territorium Abbatis. Caputaque *dec.* 225. *p.* 2. & cura residet penes Abbatem, sive Priorem & Conventum, itaut propterea nullus in illa Ecclesia sit Curatus. Rota in Tarentina administrationis Sacramentorum coram Pirovano *p.* 2. *rec. dec.* 340. *n.* 1.

Secundus casus est, quando Ecclesia monasterialis est 36
destituta Conventu, & in ea remansit solus Abbas, sive Prior, prout in casu isto, & tunc cum sit extincta cura Conventus, & remanserit sola cura populi, tota cura, quæ erat penes Conventum, fuit consolidata in ipsum Priorem, qui idcircò dicitur habere curam populi: & cum de tempore existentiæ Conventus esset Prior Conventualis, & electivus in Dignitate existens, utique post destitutum Conventum remansit Prior non Conventualis, sed Curatus cura populi, ut distinguit Vitalin. *in Clem.* 1. *§. Cæterum n.* 2. *cum pluribus seqq.* per illum text. *de stat. Monach.* Quia distinguuntur Prioratus Conventuales a Prioratibus non Conventualibus, ut inquit Oldrad. *cons.* 281. *numer.* 4.

Licèt igitur in Ecclesia Parochiali Conventuali cura 37
exerceatur per presbyterum sæcularem ab eodem Conventu deputandum, prævia Episcopi approbatione, *c.* 1. *de capel. Monach.* & tunc Prior illius Conventus non habeat curam animarum, sicuti nec etiam habet onus curæ quilibet Prioratus Parochialis, quando in sua Parochia habet Vicarium perpetuum. Gonz. *super reg.* 8. *gl.* 6. *n.* 97. ex quo in dictum Vicarium fuit translatum onus exercitii curæ. Nihilominus id non procedit in Priore non Conventuali, qui licet sit Prior in Ecclesia Parochiali, ex quo tamen universum curæ pondus penes ipsum residet, cùm non adsit alia persona penes quam residere possit, ex quo Ecclesia nonnisi unum Curatum, sicuti nec nisi unum sponsum habere possit juxta consil. Oldradi 67. qui id limitat, quando in Ecclesia adest unum caput, utique tunc penes illum residet cura. Id quod sequitur Put. *decis.* 287. *lib.* 1.

Ex quibus liquet, quod cum hic Prioratus, licet olim 38
Conventualis, hodie verò destitutus Conventus, provideatur in commendam, attamen ejus Commendatarius residere tenetur, quia Commenda non excusat a residentia, ut statuit Concilium Trid. *sess. 6. cap.* 2. *de reform.* ita quidem ut Episcopus legitimè illum compellere possit ad residendum.

At nihilominus profiteor, me acquiescere sententiæ 39
S. Congregationis Concilii per rationes, & auctoritates superiùs adductas.

CON-

CONSULTATIO LXXXVII.

An Regularibus, qui e Religione egressi sunt non ex sua culpa, cùm de sua innocentia juridice constet, sed ex acerbissimo, atque etiam notissimo Superiorum odio, quam ob causam reditus ad Religionem est illis moraliter impossibilis, possit juste imponi obligatio migrandi in alium Regularem Ordinem? Et an ullum esse possit inconveniens, si ejusmodi Regulares eximantur ab obedientia & jurisdictione religionis, & constituantur sua jurisdictione Episcoporum?

1 ILlud moraliter impossibile statuitur a Theologis omnibus, quod cum vitæ, aut libertatis, aut famæ, aut aliorum ejusmodi principalium vitæ humanæ bonorum certis damnis, aut gravibus periculis est conjunctum.

2 Equidem quod attinet ad primum quæsitum multis ex capitibus pars negativa demonstrari potest. Primò, auctoritate, & communi consensu Doctorum. Nam Roderic. *to.* 1. *q. reg. q.* 3. *ar.* 2. Lezana *v. Apostata num.* 3. Bonac. *de Clauf. q.* 32. *pun.* 12. §. 4. Suar. & apud illum Sot. Sylvest. & Navar. cit. *to.* 4. *de relig. l.* 3. *c.* 5. *n.* 20. Azor. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 7. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 13. *n.* 8. Les. *de just. c.* 41. *n.* 144. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 6. *n.* 40. & alii benè multi, qui ab eo referuntur, docent professis ejectis ex aliquo Regularium Ordine obligationem migrandi ad alium Ordinem non posse ulla authoritate imponi. Si igitur non potest ea obligatio imponi ejectis, quibus propter gravem culpam potestas adempta est fruendæ suæ Religionis, quo jure illa imponi poterit innocentibus professis, quibus sine sua culpa, aliorum in isto odio, & iniqua persecutione reditus in Religionem factus est impossibilis?

3 Secundò, probari potest rationibus convincentibus, quæ afferuntur a dictis DD. locis cit. Prima est, ejectos ad ingressum alterius Ordinis compelli non posse idcircò, quod ut dicit Suarez, per professionem suam non se obligarunt ad aliam Religionem, quam ad suam. Per ipsos autem non stat, quo minus in sua Religione vivant. Ejectio enim debet esse involuntaria ex parte ejecti. Quo igitur jure obligari possunt ad aliam Religionem professi, quam non voverunt, cùm sua Religio sit illis facta impossibilis alieno vitio, non suo, cujus contrarium est in ejectis? Perspicuum enim est secundum æquitatem, ac rectam rationem, potiorem esse debere conditionem innocentium, quàm reorum & a fortiori imponi non posse innocentibus illam migrationem, quæ inferiùs ostendetur habere gravissimum onus si flagitiosis, ac reis imponi non potest.

Inane porrò est, quod afferri posset, non imponi illam migrationem ejectis, quia fructus in illis ex ejusmodi migratione sperari non potest. Dicti enim Doctores non afferunt rationes, quare non sit illis imponenda, sed cur in nullo sit potestas ejectis illam imponendi. Quæ rationes, ut dictum est, longè majorem vim habent in innocentibus professis, quàm in ejectis ob sua flagitia, cum incorrigibilitate conjuncta.

4 Secunda ratio affertur a Suarez, & aliis, quod ad statum supernaturalem, & consilio Christi nemo teneri potest, nisi ad id se voto obligaverit. Ejecti autem non voverunt aliam Religionem quàm suam; quare sicut qui promisisset ingredi determinatam Religionem, & in illa non reciperetur, non teneretur aliam quærere, quia ad unam solam se obligavit; similiter cum ad hanc Religionem solam, ejusque Regulam se obligarit ejectus, ejectusque ab illa expulsus, non tenetur aliam quærere. Itaque vi dictæ argumentationis, quæ communis est Doctoribus citatis, cùm reditus in Religionem professis sit factus impossibilis, nec aliam Religionem voverint, nullo jure possunt ad aliam obligari.

5 Tertia ratione id etiam de Summo Pontifice concludunt Lessius, Sanchez, Bonaccina locis citatis. Est autem ejusmodi. Si ad id obligare posset ejectos Summus Pontifex, vel id posset vi potestatis dominativæ, qua pollet in Regulares tanquam caput speciale Religionum omnium, vel vi potestatis jurisdictionis universalis, qua pollet tanquam caput Ecclesiæ Catholicæ. Non primum. Nam cum potestas ejus dominativa latitudinem, & vim suam habeat ex voto Regularium, & ejectus non voverit aliam Religionem, non potest ad eam vi potestatis dominativè compelli. Non secundum. Nam vi potestatis jurisdictionis nemo potest cogi ad amplectendum statum supernaturalem, vires naturæ excedentem, & quem Christus in Evangelio singulis voluit esse liberum, ut inter alios docet Lessius *lib.* 2. *de just. cap.* 47. *n.* 42. Quam rationem quis non videat in professis eò majorem vim habere, quàm in ejectis, quò innocentes minus gravari possunt, quàm rei?

6 Quarta ratio est Suarez loco citato, quod dicta migratio non possit ulli imponi in pœnam ullius quamlibet gravis delicti. Nam cùm status Religiosus natura sua, & instituto Christi liberè sit amplectendus, nemo nisi illum voverit, potest ab externa ulla potestate, etiam in pœnam delicti, ad illum compelli. Quæ ratio cùm valeat in ejectis, ut docet Suarez, eò magis valere debet in innocentibus.

7 Tertiò, probari potest ab adjuncto gravissimo onere dictæ migrationi, si professis imponeretur. Nam si obligarentur professi post plures annos in Religione exactos ad tyrocinium de novo in eadem Religione repetendum & ad omnia deinceps per ordinem cum tyronibus capessenda experimenta, ea lege, ut haberentur in Religione ex eo solum tempore, quo novitiatum repetissent, omni laborum ante actorum fructu, & professionis ordine sublato, quis non judicaret eam esse gravissimam pœnam, & gravissimum onus? Atqui ingressus in aliam Religionem idem habet onus, & etiam majus. Nam post plurium annorum labores, & varias infirmitates tot annis & laboribus contractas, esset professis in alio Ordine subeundum tyrocinium, & experimenta toleranda. Immò professis jam ætate aut provectis, aut maturis moriendum esset priusquam nullum jus, aut gradum, aut fidem ullam, aut potestatem functionum, ac fructus ullius ex laboribus colligendi, licuisset illis per tempus comparare. Huc accedit observantiarum diversitas longè gravior professis, diversæ Religionis per tot annos assuetis. Præterea professis deesset unctio Spiritus sancti, id est vocatio, qua sola, ut ait Bernardus, Religionis jugum fit suave. Si enim obligarentur ad aliam Religionem professi, cùm ad nullam a Deo sint vocati, Religio jam non esset illis Religio, sed violenta, & perpetua calamitas, multis, gravibusque ærumnis contexta. Quo igitur jure tam grave onus post juridicè probatam innocentiam imponi potest professis, cum nemini possit imponi in pœnam vel gravissimi delicti?

8 Quartò, probari potest ab innumeris, gravibusque damnis, atque absurdis contra justitiam, quæ ex ejusmodi obligatione certò sequerentur. Nam primò, cum juridicè probata sit innocentia professorum, & decreto Superiorum supponatur declarata, si talis obligatio imponeretur, jactarent accusatores malevoli, professos a Religione ejectos fuisse, & damnatos ad ingressum alterius Religionis, nec solùm ita jactabunt malevoli, sed plerique prudentes ita meritò judicabunt. Esset enim gravissimum onus, & invitis, & authoritate suprema a Judicibus impositum, quo magna infamia innocentibus injustè inureretur.

9 Nec refert, utrùm in decreto verbis expressis obligentur professi ad ingressum alterius Religionis, an solùm detur illis facultas ad ingrediendum aliam Religionem. Nam cùm sit reditus ad Religionem impossibilis, ut supponimus, si solùm daretur facultas ad aliam Religionem, nec daretur simul facultas sub Episcopis degendi extra omnem Religionem, profectò idem esset re ipsa & eandem prorsus haberet vim, idemque gravamen ac si ad aliam Religionem verbis conceptis professi compellerentur. Nam, ut Theologi omnes docent, & in libris de Incarnatione, & de Fide, & de Pœnitentia tradit Cardinalis de Lugo, cùm duorum tantum sit potestas, si illorum alterum est impossibile, manifesta sequitur necessitas alterius amplectendi. Exempli causa: si quis eam legem alicui imponeret, ut aut lapide aleretur aut hordeo, is, cui lex illa esset dicta, ad hordeum censendus esset absolutè compelli. Quare pari ratione, si daretur professis tantum facultas alterius adeundæ Religionis, aut ad primam redeundi, ex istius reditus impossibilitate sequeretur absoluta necessitas ingrediendæ alterius Religionis, ac proinde ad gravissimum onus, & durissimam pœnam adigerentur professi, non sine famæ dispendio, & variis incommodis, ut ostensum est, quod innocentes nullo jure decerni potest.

10 Secundò, si obligarentur professi ad aliam Religionem, & in novitiatu vel ob morbum aliquem, vel ob aliam justam causam non invenirent apti ad susceptum institutum, aut institutum non esset illis aptum; quippè in novitiatu ex utraque parte fit experimentum. Quid illis fieret? Redirent ne sub potestatem primæ Religionis? At obstat periculorum gravitas, & evidentia. Quid si a Superioribus ejusdem Religionis ad id adigerentur? Quo jure se tuerentur? An alia esset illis capessenda Religio? At invaletudo in unius Ordinis novitiatu contracta posset esse legitimum, & justum impedimentum, quominus in aliam Religionem admitterentur, & quo minus illam etiam ipsi capessere prudenter possent. Quid igitur illis fieret? Ex quo manifestum est, nisi facultas, de qua in sequenti dicetur, adjungeretur decreto, innocentibus

centibus profeſſis, poſt innocentiam juridicè probatam, valdè inſufficienter a ſummis Judicibus fuiſſe proviſum. Mitto ad capeſſendam aliam Religionem opus eſſe magna deliberatione, & multo tempore, præſertim poſt tot annorum experientiam Regularium rerum, & circumſtantiarum. Illo verò inrerjecto tempore multa turbari poſſe Superiorum injuſtè exacerbatorum gratia & potentia, ac proinde expedire, ut alia etiam facultate profeſſorum ſecuritati caveatur.

11 Tertiò, ſi obligarentur profeſſi ad aliam Religionem eſſet illis etiam in alia Religione graviter luenda primæ Religionis injuſta licet invidia. Nam cùm Superiores Religionis magna contentione acturi ſint, ut quantum fieri poterit amoveantur profeſſi ab omnibus publicis functionibus, ne vel concionibus, vel ſermonibus, vel ipſo aſpectu & converſatione ipſorum integritate jus ſuum in animis omnium recuperante calumniarum in illos jactatarum falſitas apertè reſellatur, nihil non movebunt, interpoſita etiam Magnatum authoritate apud Superiores Ordinis, quem fuerint ingreſſi, ut illi teneantur in latebris, & a publicis functionibus, Urbibuſque præcipuis amoveantur. Qua invidia, & importunitate, ut ſe liberent dicti Ordinis Superiores erit profeſſis degendum in latebris extra uſum functionum, fructuumque laborum, ac vitę. Quod ſi quis ita ſecum reputet alterius Ordinis Superiores non fore animi tàm pulſilli, reſpondeo, illos id exiſtimaturos eſſe neceſſitatis, ac prudentiæ, & ita poſtulare bonum ſui Ordinis. Quod exemplis confirmari poteſt, a quibus abſtinendum duxi.

12 Quod ſi quis dicat, viros claros plurimos migraſſe in alium Ordinem. Reſpondeo primò, illos migraſſe volentes eorumque exemplo probari, id relinquendum arbitrio profeſſorum. Immò cùm nullus unquam vel flagitioſiſſimus compulſus fuerit jure ad alterius Religionis ingreſſum, id profectò non eſſe uſurpandum in profeſſos ab integerrimis Judicibus poſt eorum innocentiam juridicè comprobatam. Reſpondeo ſecundò, aliam eſſe dictorum conditionem. Illi enim viri clari ad quos tranſierunt, & ad alia emolumenta, quæ, ut oſtenſum eſt, longè differunt in profeſſis. Reſpondeo tertio, etiam abſit obligatio illa, ſi profeſſi ad aliam Religionem a Deo vocentur, & prudentius, & majori cum ædificatione & fructus, & ſuavius Deo vocanti obtemperaturos: ſed interim obligationem illam pro ſuo jure profeſſis ob dictas, aliaſque graviſſimas cauſas Judices imponi juſtè non poſſunt.

13 Quod verò ſpectat ad ſecundum quæſitum, nullum eſt inconveniens, ſi profeſſi eximantur ab obedientia, & juriſdictione Religionis, & conſtituantur ſub juriſdictione Epiſcoporum.

14 Incommoda, quæ objici poſſent, videntur commodè reduci ad quatuor capita. Vel enim duci poſſunt ex parte votorum & profeſſionis ſolemnis, vel ex parte Religionis, vel ex ædificatione publica, vel denique ex novitate, & exemplo ſingulari. Quare breviter & dilucidè demonſtrandum eſt, num ex dictis capitibus inconveniens meritò & prudenter opponi poſſe.

15 Ac primò, nullum eſſe inconveniens ex parte votorum ſive profeſſionis ſolemnis facilè eſt oſtendere. Nam quod attinet ad vota paupertatis & caſtitatis nulla opus eſt diſpenſatione, cùm profeſſi in eorum obſervantia cum Dei gratia cupiant perſeverare. Quod autem attinet ad votum obedientiæ erga Superiores Religionis opus eſt quidem diſpenſatione vel in ſubſtantia ejus voti, vel in ejus uſu & exercitio; ſed neutro ex capite ullum inconveniens duci poteſt. Nam quod attinet ad diſpenſationem in ejus ſubſtantia poteſtas eſt in Summo Pontifice ad eam concedendam. Ut enim docet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 3. cap.* 12. nulla eſt repugnantia ex parte objecti, ideſt profeſſionis religioſæ; nullum eſt etiam, ut idem docet, inconveniens, ſi illa concedatur, cùm adeſt ſufficiens cauſa; eſt autem in præſenti non modò ſufficiens, ſed etiam urgentiſſima & neceſſaria ob reditum in Religionem moraliter impoſſibilem.

16 Nec etiam habet ullum inconveniens diſpenſatio in uſu & exercitio ejus voti. Nam, ut docet idem Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 3. cap. 7. n.* 150. illa concedi poteſt cum facultate manendi extra domos Ordinis ob majorem quietem, & quaſi gratificationem laborum Regularis, vel ad poſtulatum alicujus Prælati, etiam ſine magna neceſſitate, ſunt ejus verba. Quanto igitur potiori jure ſine ullo inconvenienti idem concedi poteſt profeſſis, cùm ad id non invitet levis aliqua ac gratioſa cauſa, ſed urgentiſſima neceſſitas, & illam non poſtulet Prælatus aliquis, ſed innocentiæ juridicè probatæ ſalus, atque incolumitas, acerbiſsimis alioqui oppugnatoribus dedendæ?

17 Confirmatur praxi quotidiana. Et primò, exemplo exemptorum. Sunt enim data ſæpiùs, nec adhuc negantur diplomata diſpenſationis ad vitam a clauſtro, & exercitio obedientiæ, & a juriſdictione Superiorum, ob cauſas, quę plus habent gratiæ, quàm neceſſitatis. Nullum eſt igitur inconveniens, ſi concedatur ob neceſſariam innocentiæ juridicè comprobatæ protectionem, quod concedi ſolet cauſæ gratioſæ, aut Magnatum, Prælatorumve interceſſioni.

Confirmatur ſecundò, exemplo eorum, quorum Ordi- 18
nes ſæpè numero ſunt diſſoluti. Etenim, nulla facta diſpenſatione in ſubſtantia ſtatus religioſi, facultatem habent manendi extra clauſtra, & diſpenſantur ab uſu, & exercitio voti obedientiæ regularis; aliam enim non voverunt. Cùm igitur iſta diſpenſatio concedatur nullo negotio omnibus profeſſis Ordinis diſſolvendi, quod inconveniens eſſe poteſt, ſi eadem conceditur ob cauſas ſingularis neceſſitatis ex juridico proceſſu exploratas?

Confirmatur tertiò, exemplo ejectorum. In illis enim 19
manente ſubſtantia ſtatus Religioſi, de facto locum habet eadem diſpenſatio, quæ cum ſit conceſſa flagitioſis, & incorrigibilibus, quales ſunt jure ejecti, potiori jure concedenda eſt innocentiæ, ut dictum eſt, a certa oppreſſione protegendæ. Nec eſt quod ullum offendat hæc ab ejectis, aut diſſipatis adducta comparatio. Quod enim eſt offenſionis in duobus iſtis generibus poſitum eſt in cauſa ſive ejectionis, ſive diſſolutionis, hic autem diſpenſationis privilegium, non cauſæ comparantur. Immò ex diſſimilitudine cauſæ eviuenter conficitur, ſi tale privilegium iſtis, quorum cauſa eſt deterior, conceditur, potiori jure probatæ innocentiæ concedendum.

Secundò, probatur nullum eſſe inconveniens ex par- 20
te Religionis. Tum quia nulla in eo Religioni fiet injuria. Nam cùm Superiorum Religionis per plures annos perſequutione, & falſa accuſatione, & injuſta animorum alienatione facta ſit Religionis obedientia profeſſis impoſſibilis, dederunt ipſi non ſolum juſtam, ſed neceſſariam cauſam ejuſmodi diſpenſatione. Docet enim Suarez *d. tom. 4. de Relig. tom. 3. lib. 3. cap.* 11. *n.* 24. ob injuſtiſſimam perſequutionem & ſimiles cauſas, quę multis modis variari poſſunt, profeſſo licere remanere in ſæculo cum debita facultate. Tum etiam quia in dicta perſequutione Superiores id, ad quod tenebantur vi contractus mutui, qui includitur in profeſſione, ipſi violarunt, perfeceruntque, ut defectu apud ipſos ſecuritatis, obedientiam, quam voverant profeſſi, jam non poſſunt exſolvere. Igitur non fit Superioribus injuria. Nunquam enim fuerat mens profeſſorum vel tantiſper a propoſito obedientiæ diſcedere, nec ſine magno animi dolore alieno odio perfectum eſt, ut Religio, quæ illis erat chariſſima, fieret ipſis impoſſibilis. Tum quia primarius finis religioſæ profeſſionis, ut docet Suarez *loc. cit. tr. 8. l. 3. c. 8. n. 3.* cum D. Thoma 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. non eſt bonum Religionis, ſed bonum & perfectio Religioſi voventis. Quam ob cauſam Religioſus differt a ſervo, qui eſt ob bonum domini. Atqui bonum, immò abſoluta neceſſitas profeſſorum poſcit talem diſpenſationem. Igitur illa diſpenſatio non eſt injurioſa Religioni, cùm ſit conformis principali fini profeſſionis, quæ emittitur in Religione. Tum quia cùm doceat Suarez eodem loco *to. 3. l. 11. c. 3. n. 6.* unà cum cæteris Theologis, promiſſionis obligationem ceſſare, quando contingit tanta mutatio circa ſtatum promittentis, ut prudenter exiſtimandum ſit ejus intentionem non fuiſſe, ut ſe obligaret pro illo ſtatu. Ea autem ratio quantam vim habeat in hoc caſu perſpicuum eſt ex prædictis. Tum quia non fit etiam injuria Religioni non adeundo aliam Religionem. Nam cùm Prælati regulares, ut docet idem Suarez proximè adductus *in §.* 2. non poſſint ſuos graviter delinquentes compellere ad ingreſſum alterius Religionis, quantò minus id exigere poteſt Religio ab innocentibus, quos alienæ malevolentiæ turbo coegit ſecuritatem extra Religionem quærere? Ac denique quia ille ſtatus, de quo agitur nihil habet indecentiæ, immò, ut mox oſtendetur, eſt cum ædificatione conjunctus.

Tertiò, probatur nullum eſſe inconveniens in dicto ſta- 23
tu ex parte ædificationis. Primò enim, Religioſorum propoſitum eſt, Deo & Deipara juvantibus, non minus religioſè & piè vivere, quàm in Religione vixerunt, & ejus propoſiti fidem facere poteſt eorum vita in Religione, & deinde fortaſſis alibi acta. Secundò, propoſitum eſt profeſſorum non ſolùm vivere piè, ſed etiam in communi. Tres enim vel quatuor, ut eſt in jure, faciunt Collegium, nec deerunt alii, qui ſe adjungant: hujuſmodi autem genus vitæ nihil habet diſcrepans ab ædificatione, quam in rem adduci poſſet multarum Communitatum exemplum, quæ non idcircò minus ædificationi conſulunt, quod in illis non emittitur ſolemnis profeſſio. Ac profectò cùm illi, qui per privilegium eximuntur ab obe-

obedientia & conturbernio ſui Ordinis viri multis rebus ſpectati, ab Ordine ſuo non exiſtimentur vitam agere cum ædificatione diſcrepantem, non poteſt defectus ædificationis profeſſorum ſtatui, de quo agitur, opponi.

24 Quartò, probatur nullum eſſe inconveniens ex parte novitatis, aut exempli ſingularis. Nam primò ejuſmodi diſpenſatio communis eſt cum exemptis, & cum ejectis, aliiſque ut dictum eſt, nec habet ſingularitatem in profeſſis, aut novitatem, niſi in cauſa, hoc eſt ad innocentiam juridicè probatam ejuſmodi diſpenſatione ab oppreſſione protegendam. Quæ ſingularitas cauſæ, ut ſupra probatum eſt, concludit ejuſmodi diſpenſationem profeſſis ſingulariter, ac præ cæteris concedendam.

25 Deinde prudenter timeri non poteſt, ne exemplo profeſſorum ejuſmodi diſpenſatio ab aliis Regularibus ambiatur, ac fiat communior. Trahi enim quidem poſſunt in exemplum diſpenſationes, quę dantur ob cauſas communes, quæ ad plures facilè pertinere poſſunt; at diſpenſatio in hoc caſu concederetur poſt innocentiam juridicè probatam, & ob cauſas ex juridico proceſſu reſultantes. Quare nec ejuſmodi exemplo quiſquam niti poſſet ad poſtulandam ejuſmodi diſpenſationem, & ſi quis niti vellet, facilè eſſet illi ſatisfacere, docendo eam diſpenſationem datam poſt juridici proceſſus maturam diſcuſſionem, & ob graviſſimas, & extraordinarias cauſas ex dicto proceſſu reſultantes. Porrò quotuſquiſque erit Regularis, qui tales habeat cauſas, & quod eſt difficilius, qui quas habet juridicè probaverit? Quod quandiu non erit factum, præſumptio ſtat pro Superioribus. Quare maneat, iſtam diſpenſationem nullum habere inconveniens, neque ex parte profeſſionis religioſæ, neque ex parte Religionis; nec diſcrepare cum ædificatione publica, nec habere quidquam periculoſæ novitatis.

CONSULTATIO LXXXVIII.

Regularis, completo probationis anno, in Conventu tamen ad Novitiatum non deſignato, emiſit juxta Conſtitutionem, & morem Religionis profeſſionem expreſſam, & uti profeſſus perſeveravit in eadem Religione ultra quinquennium; quo tempore cum licentia Provincialis egreſſus prętextu nullitatis profeſſionis, eo quod Novitiatum non fecerat in Conventu deſignato, & de licentia Vicarii Epiſcopi, matrimonium per verba de præſenti contraxit, aſſerens illud contraxiſſe, attenta dicta licentia Provincialis ſimpliciter conceſſa egrediendi ob ſupradictam nullitatem, licet ab aliquibus audiret, quod neceſſe erat, licentiam obtinere a Sede Apoſtolica. Qua ſerie facti ſuppoſita, quæritur,

1 AN *eidem Regulari obſtet decretum ſa. m. Urbani VIII. die* 5. *Januarii* 1636. *ex ſententia S. Congregationis Concilii editum, de quo alibi, itaut tanquam profeſſus remaneat Religioni adſtrictus, nec ab ea exire, & multò minus valide matrimonium contrahere potuerit?*

2 *Et an dictus Provincialis, qui licentiam exeundi, & Vicarius generalis Epiſcopi, qui licentiam matrimonii contrahendi dederunt, in pœnas inciderint in eodem decreto expreſſas?*

3 Ad primam partem dubii, quod attinet, urget pro affimativa, ut dictum decretum obſtet, atque adeò dictus Regularis remaneat Religioni perpetuò adſtrictus. Nam licèt in eo decreto explicitè non dicatur exire volentes poſt quinquennium prætextu nullitatis profeſſionis non emiſſæ in Conventu deſignato remanere profeſſos, id tamen virtualiter continetur, dum ſemel, iterùm atque tertio illos exprimit profeſſos, eiſque poſt quinquennium adimitur poteſtas dicendi quoquomodo de nullitate receptionis, & profeſſionis, & tanquam Apoſtatas mandat puniri, & pro talibus haberi relativè ad decretum de Apoſtatis, & ejectis, in quo ſupponitur eſſe profeſſos, & Religioni perpetuò adſtrictos. Vel ſaltem uti caſus omiſſus remanet in diſpoſitione juris communis, *cap. Suſceptum de reſcript. in* 6. cum ſimilibus, & in terminis poſt alios firmat Rodriq. *tom.* 3. *quæſt. regul.* 17. *artic.* 1. & 2. *circa fin.* Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 24. *art.* 12. *poſt med.* De jure autem communi emittens profeſſionem, nulliter, ſi perſeverat in Religione poſt annum probationis completum per tacitam profeſſionem, efficitur profeſſus per textum *in cap. Ex parte* 29. *de regular. cap.* 1. *§. ſi vero eod. tit. in* 6. cum pleriſque aliis, ac cenſuit eadem Sacra Congregatio Concilii in ſequenti declaratione, ac in aliis ſæpè: *die* 29. *Martii* 1578. *S. Congregatio Concilii cenſuit, quod profeſſio expreſſa fuerit nulla; ex quo tamen poſt expletum annum probationis permanſit habitu regulari per duos, vel tres annos, cenſerit tacitam feciſſe profeſſionem, & dici profeſſum.*

Adeò ut contra hujuſmodi profeſſionem tacitam ex hujuſmodi perſeverantia non admittatur probatio in contrarium, ut ex Gloſſa magiſtrali *in d. c. Ex parte v. Per annum circa med.* quæ aliàs adducit, notatque Vitalin. in *Clem. Eos, qui n.* 24. 25. & 28. ac ibidem Cardin. *n.* 4. *in fin. de regular.* Et his propriis terminis, quod ex perſeverantia in Religione inducatur tacita profeſſio ab illis, qui novitiatum non fecerunt in Conventu deſtinato juxta dictum decretum Clem. VIII. firmat Bordon. *de profeſſ. regular. c.* 7. *q.* 17. 4

Neque hoc caſu poteſt eſſe locus diſcuſſioni, an profeſſio tacita excludatur ex ignorantia nullitatis profeſſionis expreſſę, cum hodie notitia reſultet ex lectura ejuſdem decreti Clementis VIII. quod bis in quolibet Conventu ſingulis annis in publica menſa legitur a Superioribus omnibus præſentibus. Ultra, quod ex ſententia ejuſdem S. Congregationis ſæpiùs firmata, & fundata in juribus, & rationibus, quas alibi plenè adduximus, tacita profeſſio ex perſeverantia in Religione inducitur abſque alia probatione ſcientię nullitatis profeſſionis expreſſę, ut in hac declaratione, quam repetimus: *Die* 6. *Novembris* 1621. *in Romana Sac. Congregatio Concilii inhærendo declarationibus aliàs maturè factis, cenſuit Joannem Petrum eſſe tacitè profeſſum, & Religioni adſtrictum, etiamſi non probetur ipſum habuiſſe ſcientiam individuam nullitatis profeſſionis expreſſæ ab eo priùs emiſſæ.* 5

Quicquid dixerit Cariglius in ſua deciſione, eò quod tunc Rota non habuerat notitiam declarationum S. Congregationis Concilii, quæ ſunt attendendæ, ac obſervandæ ex Conſtitutione ſan. mem. Pii IV. & Sixti V. atque ex ſtylo inviolabiliter obſervato etiam ab ipſa Rota. Et in puncto, quod decretum Urbani VIII. de quo agitur ſit intelligendum, ut poſt quinquennium in Religione permanens cenſeatur, & remaneat profeſſus, & ipſi Religioni adſtrictus cenſuit eadem S. Congregatio in Roſſanen. die 1. Decembris 1640. unanimi Eminent. Patrum conſenſu, mota ex pluribus rationibus, & ſignanter ex eo, quod licet ante editum ſupradictum decretum Urbani adeſſet altercatio, an tacita profeſſio eſſet vel ne ſublata a decreto Clementis VIII. idem tamen Urbanus, auditis hinc inde rationibus deductis, ad removendam in futurum hujuſmodi controverſiam, & ut occurreretur ſcandalis, moribus, litibus, & contentionibus in Religionibus, edidit decretum ſupradictum, ſe confirmando cum diſpoſitione S. Concilii, in cujus obſervantiam animum intendebat, utendo ejuſdem verbis *c.* 10. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* & cum declarationibus deſuper factis. Unde ſicuti in dicto *c.* 19. prout nec *in c.* 15 *ejuſdem ſeſſ.* 25. *de Regular.* non fuit ſublata profeſſio tacita, etiamſi dictum *c.* 15. habeat virtutem annullativam, & *in c. ſeq.* explicitè demandetur, ut finito probationis anno ad profeſſionem *admittantur, vel ejiciantur*, & in Conſtitutionibus confirmatoriis dicti S. Concilii adſit decretum irritans cum aliis clauſulis reſtrictivis, prout in puncto firmarunt ſupracitati Rodriquez, & Miranda, ac cenſuit eadem S. Congregatio in ſequenti declaratione, quæ habet plures concordantes, & præcipuè infraſcriptam annotationem ejuſdem S. Congregationis: *Sacra*, &c. *cenſuit cap.* 15. 16. & 19. & *ſeſſ.* 25. *de Regular. non ſubſtituiſſe tacitam profeſſionem, quæ inducitur per annum, & diem computandum poſt annum decimum ſextum perfectum, & annum probationis completum ejus, qui monaſterium ingreſſus eſt.* Annotatio verò eſt hujuſmodi: *Verba cap.* 16. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* Aut è monaſterio ejiciantur, *intelligenda ſunt, niſi profeſſio tacita intervenerit, quæ a S. Concilio ſublata non fuit.* 6

Eoque maximè, quia dum in dicto decreto *cap.* 19. denegatur audientia poſt quinquennium circa nullitatem profeſſionis, neceſſariò admittit profeſſionem tacitam. Ita poſt alios firmat Rodriq. *d. q. art.* 15. & ſæpiùs cenſuit eadem S. Congregatio, ut in hac declaratione in Neapolitana ſub die 3. Aprilis 1621. *Sacra, &c. reſpondit, Oratorem eſſe tacitè profeſſum, ac propterea lapſo quinquennio ex diſpoſitione c.* 19. *reſtitutionem non eſſe ei concedendam.* Unde ita pariter eadem profeſſio tacita non cenſetur excluſa in dicto decreto Clem. VIII. de qua nullam mentionem facit. 7

Et confirmatur, quia eadem tacita profeſſio non fuit ſublata in Conſtitutione fel. record. Sixti V. quæ eſt 71. to. 1. Bullar. annullante cum decreto irritante, & clauſula ſublata, & aliis clauſulis prægnantibus receptionem, & profeſſionem facinoroſorum, & illegitimorum, ut cenſuit eadem S. Congretatio in Antuerpien. ſub anno 1607. & frequenter alibi. Quando enim Summi Pontifices comprehendere voluerunt profeſſionem tacitam, illam explicitè e preſſerunt, prout in Conſtitut. Greg. XIII. quæ eſt 58. §. 8. ibi: *ſive tacitam, ſive expreſſam*. Unde eo ipſo quod in dicto decreto Clem. VIII. non fuit facta mentio de

tacita,

tacita, illam non comprehendit ex notatis per Socin. ſen. *conſ. 4. n. 8. l.* cum ibi allegatis.

8 Nec obſtare poteſt, ſi dicitur, quod profeſſio tacita non admittitur, ubi expreſſa non datur. Nam concluſio procedit quando tacita, & expreſſa in Conſtitutionibus irritatur, ſecus verò ſi de tacita non habeatur mentio. Quia tunc judicatur uti caſus omiſſus, qui remanet in diſpoſitione juris communis ex ſupra deductis.

9 Minus obſtare poteſt generalitas verborum decreti Clementis VIII. Quia de jure reſtringitur ad profeſſionem expreſſam, quam expreſſit, non autem extenditur ad tacitam, de qua non fuit facta mentio, Rot. *dec. 403. ſub n. 3. p. 1. recent.* prout in d. Conſtit. Sixti V. *& in c. 15. & 19. de Regular. ſeſſ. 25.* citatis, & aliis, quæ in hanc rem aliàs dicebamus.

10 Quia autem profeſſio tacita impediat contrahere matrimonium validum, non videtur dubitari poſſe, ſatiſque colligitur ex ſequenti declaratione, ac aliis benè multis. *Die 17. Junii 1617. Sacra, &c. cenſuit ſi profeſſio Oratoris declarata fuerit nulla juxta præſcriptum Sacr. Concilii cap. 19. ſeſſ. 25. de Regular. illamque tacitè ratam non habuerit, licere ipſi, niſi aliud obſtet impedimentum, matrimonium contrahere.* Unde cum in hoc caſu propoſito lapſum fuerit quinquennium, eo quod illud incipit a die expreſſæ profeſſionis emiſſæ tàm ex opinione Rotæ in Neapolitana 26. Aprilis 1599. coram Gyptio, & in aliis, quàm ex opinione ejuſdem Sacr. Congregationis ſub die 10. Decembris 1589. quæ ſæpè id cenſuit, ſequitur dictum Regularem remanſiſſe profeſſum, & Religioni perpetuò adſtrictum, nec validè matrimonium contrahere potuiſſe.

11 Secundò verò, pars dubii remanet quidem reſoluta ex ipſo decreto Urbanii VIII. *verſ. Si verò iidem, ut ſupra recepti*, cùm dictum decretum fuerit juſſu ejuſdem Summi Pontificis tranſmiſſum, & notificatum omnibus Nunciis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Superioribus Ordinum, eiſque injuncta obſervantia, & notificatio, qui retulerunt illud exequutos fuiſſe.

12 Atque ita eadem S. Congreg. Concilii in una Salutiarum die 4. Martii 1651. prævia matura diſcuſſione, cenſuit ſupradictum decretum ſa. m. Urbani VIII. die 5. Jan. 1636. ex ſententia ejusdem S. Congregationis editum, obſtare in caſu, de quo agitur; mulierem tamen poſſe in juribus ſuis audiri, Provincialem incidiſſe in pœnas in eodem decreto expreſſas. Vicarium verò eſſe prius audiendum, & ita referendum Sanctiſſimo, omneſque Eminentiſſimi Patres, excepto Cardinali de Lugo, cenſuerunt in dicto decreto Urbani VIII. permiſſam eſſe, & admitti profeſſionem tacitam.

CONSULTATIO LXXXIX.

1 EXtat hæc regularis Conſtitutio: *Si quis defectum illegitimitatis celaverit, ſtatim ac ſciatur, expellatur, etiamſi profeſſionem emiſerit. Congregationis quippe animus eſt eos, qui prædictum defectum patiuntur, & celant, ad profeſſionem non recipere.* Ex his quæritur primò,

An profeſſio cum tali impedimento emiſſa ſit nulla? Secundò,

2 *An data nullitate, liceat Religioni ſic nulliter profeſſum expellere abſque interventu Ordinarii, & non ſervata forma præſcripta a S. Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular.?*

3 Ad primum videtur affirmativè reſpondendum ex perſpicua Conſtitutione Religionis confirmata a Summo Pontifice. Et quanquam Doctores, præſertim morales, acriter diſputent ſuper hujuſmodi ſtatutorum validitate, communiſque ſententia ſit negativa, id tamen verum eſt, quoties non habent confirmationem Apoſtolicam in forma ſpecifica, & quæſtio verſatur ſuper ſtatutis, quæ directè ſunt contra jus, nempè arcentibus a Religione deſcendentes ex Judæis, Saracenis, vel hæreticis, & iſtiuſmodi, in quibus terminis loquuntur ferè omnes, ut per Navar. *conſ. 26. lib. 3. de regular. numer. 4. & ſeqq.* Sanch. *de matrim. lib. 7. diſp. 37. numer. 30.* Rodriq. *tom. 3. quæſt. regul. 11. art. 2.* Peyr. *de religioſ. ſubd. tom. 1. quæſt. 1. cap. 25. §. 3.* & alios. Nam cùm de jure canonico, immò divino expreſsè cautum ſit omnes Chriſtianos non habentes canonicum impedimentum eſſe admittendos ad Religionem, & vota religioſa, quia in Eccleſia Dei non eſt diſtinctio Judæi, & Græci, ideò tales Conſtitutiones dicuntur contra jus canonicum expreſſum *in cap. Eam te de rrſcript. cap. Ad decorem de inſtit.*

4 Conſtitutio verò excludens a Religione illegitimè natos non eſt contra, ſed ſecundùm jus, cum tales in peccato geniti, ut plurimum ſoleant eſſe imitatores, & hæredes incontinentiæ paternæ, ut proindè ad ſacri altaris miniſterium ſint inhabiles, niſi diſpenſentur, ut *in c. 1. d. 56. cap. 1. de fil. presbyt. in 6.* cum concordantibus. Et licèt ingreſſus in Religionem per argumentum ex dictis Canonibus inductum videatur eis permiſſus, tamen permiſſio eſt contra Conſtitutiones Religionis, quæ non dicuntur contra, ſed præter jus, ut in materia Conſtitutionum ſynodalium eſt axioma protritum, maximè ſtante Conſtitutione 71. Sixti V. ingreſſum Religionis præcisè illegitimis prohibente, quæ licèt tanquam moderata per Gregorium XIV. & per Clementem VIII. redacta ad terminos juris communis hodie non liget ut lex, nihilominus ſaltem attendenda eſt, ut authoritas magiſtralis, & uti canonizatoria illarum rationum, quæ Superiores Religionum movent ad ejuſmodi Conſtitutiones condendum. A ratione enim legis correctæ, vel revocatæ argumentari poteſt, Aldobr. *conſ. 32. numer. 25.* cum aliis per Salgad. *in labyrint. cred. part. 2. cap. 29. n. 26.* deductis.

Atqui etiamſi nullitas profeſſionis non reſultaret ex 5
Conſtitutionibus Religionis conſideratis tanquam legibus, reſultat ſanè ex illis tanquam continentibus proteſtationem, quod ſcilicet animus Religionis eſt, illegitimum ad profeſſionem non admittere. Cùm enim profeſſio ſit contractus inter proteſſum, & Religionem, utriuſque conſenſum requirens, certè non poteſt valere, ſi deficiat conſenſus unius, ut rectè Navar. *d. conſ. 26. num. 2. & 11.* Sanch. *diſp. 37. num. 30.* Rodriq. & Peyr. *locis allegatis*, aliique communiter. Nullo enim jure, nullaque ratione dari poteſt contractus validus ſine conſenſu.

Ac præſertim, quia dubitatio, quam habent Docto- 6
res, procedit, quando Conſtitutiones Religionis non ſunt confirmatæ auctoritate Apoſtolica, vel confirmatio eſt in forma communi, ſecus autem quando eſt in forma ſpecifica. Tunc enim omnes conveniunt pro validitate. Talis autem eſt confirmatio Conſtitutionum, de quibus agitur, quoniam in ea inſertus eſt earum tenor de verbo ad verbum; unde propterea dicitur ex certa ſcientia, & in forma ſpecifica juxta Gloſ. *in cap. Paſtoralis, §. Propterea de offic. deleg.* traditque Roman. *conſ. 327. numer. 7.* & Rot. *dec. 222. numer. 12. part. 7. rec.* Eòque magis quia emanavit re maturè diſcuſſa, & prævia cognitione, ac relatione Cardinalis Protectoris, quo caſu dicitur conceſſa ex certa ſcientia, Abb. *in c. 2. num. 6. de confirm. util. vel inutil.* Rot. *dec. 192. 3. circa fin. p. 1. rec.*

Cum itaque forma Conſtitutionis ſit ita impeditos 7
non recipere, nec tacitam profeſſionem emittere, tanquam confirmata per Pontificem cum decreto irritanti, nullatenus poteſt immutari, Bald. *in l. ſi inſtit. in fin. ff. ſi cert. pet.* Angel. *in §. triplici n. 8. inſtit. de act.* Jal. *in l. Non dubium in 8. notab. C. de legib.* Surd. *dec. 122. num. 3.* Dec. *conſ. 466. num. 19.* Rot. *dec. 175 num. 4. p. 1.*

Ad ſecundum pariter affimativè reſpondendum videtur. Primò, quia magis recepta ſententia eſt, decretum S. Conc. Trid. procedere in nullitate proveniente a jure communi, non autem ex peculiaribus Conſtitutionibus, ſive ſtatutis Religionis, inducentibus impedimentum perpetuum. Tunc enim ratione plurium inconvenientium exinde reſultantium, ne decretum Concilii emanatum favore Religionis retorqueatur in ejus odium, probabilius eſt, illud non habere locum, ut ex Navarro ſcitè probat Sanch. *d. diſp. 37. num. 31.* & docuit Rodriq. *d. qu. 11. art. 2.* ac ſequitur Peyr. *ubi ſupra, §. 4.* Ceſped. *de except. cap. 3. dub. 48.* Pellizar. *in man. Regul. tr. 2. cap. 3. qu. 15. §. 28. & 29.* aliique per eos relati. Ex quibus liquet, ſententiam Bordoni, & aliorum, qui contrarium tenent, eſſe longè minori Doctorum calculo receptam.

Secundò, quia dato etiam, quod decretum Concilii 8
tanquam generale comprehenderet nullitatem ex quacunque cauſa provenientem; attamen id procedit in caſu, de quo loquitur, nimirum quando Religioſus vult impugnare profeſſionem, non quando Religio vult dimittere nulliter profeſſum. Ideòque cùm Concilium in ea parte, qua requirit interventum Ordinarii, ſit exorbitans, quia dat cognitionem Ordinario in cauſis Religioſorum, qui ab ejus juriſdictione ſunt exempti; quorum cognitio antea ſpectabat ad proprium Prælatum regularem, tanquam Ordinarium Religioſorum, non eſt extendendum de caſu ad caſum juxta regulas vulgares, & præcipuè ubi concurrit diverſitas rationis, quæ in hoc caſu videtur manifeſta. Primò, quia dictum decretum, quod juxta communem ſententiam emanavit favore Religionum verteretur in maximum odium contra juris principia. Secundò, quia ubi agitur nullitate prætenſa per Religioſum, cùm cognitio demandata ſit tantùm

Superiori locali, ne fortè profeſſus cogeretur expectare Congregationem Definitorii generalis, vel provincialis, rationi planè congruum videtur, ut cauſa propter ſuam gravitatem non cognoſcatur ab uno Religioſo, ſed ei adjungeretur Ordinarius loci. At ubi agitur de dimiſſione facienda per Religionem, ceſſat hæc conſideratio, cùm ejuſmodi dimiſſiones non fiant, niſi in Definitorio generali, vel provinciali cum interventu plurium Patrum ex gravioribus Religionis, vel Provinciæ.

9 Quinimmò in his actibus per omnes Religiones ab illarum origine fieri ſolitis in Definitoriis generalibus, vel in provincialibus eſt omninò impracticabilis interventus Ordinarii loci. Tum quia ſæpè contingit Definitorium celebrari in loco remotiſſimo ab eo, ex quo hujuſmodi profeſſus eſt dimittendus. Tum etiam quia ſæpè in uno Definitorio tractatur de dimiſſione plurium nulliter profeſſorum, qui ſunt plurium locorum ſub diverſis Ordinariis, itaut ſit impoſſibilis ſimultaneus interventus omnium Ordinariorum, & Superiorum Religionis. Hinc propterea tàm ex jure, quàm ex decretis S. Congregationis Concilii per Summum Pontificem approbatis, atque inſertis in Bullario inter Conſtitutiones Urbani VIII. ſub *Conſt.* 26. ſtatutum eſt, expulſiones profeſſorum ob incorrigibilitatem, vel alia crimina fieri per ſolam Religionem, ejuſque Generalem cum interventu plurium Patrum ex gravioribus abſque interventu Ordinarii. Et tamen in ordine ad expulſum gravior, & magis odioſa eſt expulſio ex capite incorrigibilitatis, quàm dimiſſio ex capite nullitatis profeſſionis. Quia per expulſionem Religioſus eſt privatus omnibus favoribus Religionis, remanetque ligatus omnibus odiis, & oneribus; per dimiſſionem verò remanet ſolutus.

10 Quare nullatenus dici poteſt interventum Ordinarii deſideratum eſſe a Concilio favore Religioſi. Quoniam ſi hoc eſſet verum, multò fortiùs eſſet deſiderandum in caſu expulſionis; atque adeò omninò dicendum eſt, talem interventum inductum eſſe favore Religionis, in cujus odium converti non debet. Ac proindè hanc ſententiam, quæ ſolis Prælatis Religionis, abſque aliquo interventu Ordinarii tribuit hanc facultatem dimittendi, tenent Navarr. *d. conſ.* 26. *nu.* 13. Rodriq. Peyr. Ceſped. & Pellizzar. ubi ſupra, qui adducunt Mirandam, & alios, & pro dimiſſione habitus tuentur Azor. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *ad fin.* Sanch. *d. diſp.* 37. *numer.* 3. Gratian. *tom.* 3. *diſcept.* 413. *num.* 4 & 5. Adeò quod nec teneretur amplius ad monaſterium redire, nec ut apoſtata poſſet puniri, immò tuta conſcientia poſſet uxorem ducere, ut latè proſequitur Leſſ. *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *nu.* 65. Navar. *conſ.* 89. *num.* 6. & *ſeq. de regul. & com.* 4. *cod. tit. num.* 77. Gratian. eo loco *num.* 12. & *ſeq.* & alii non pauci. Hi enim in terminis diſpoſitionis S. Concilii concludunt, quod ubi dimiſſio habitus non eſt temeraria, eſt valida, etiamſi nullitates non ſint allegatæ. Quod multò magis procedere debet quando non ſit dimiſſio habitus, ſed expulſio Religioſi, nec poteſt dici temeraria, cùm actum ſit vigore Conſtitutionis a Pontifice approbatæ id, quod videtur uſu receptum.

11 Tertiò tandem, quia hæc Conſtitutio non ſolùm annullat profeſſionem, declarando animum Religionis non admittendi hujuſmodi impeditum, verùm etiam tribuit ei facultatem illum expellendi. Ideò quamvis id non conſtaret ex diſpoſitione juris, tamen in vim contractus initi inter Religionem, & profitentem hæc facultas eſt ſatis clara. Siquidem cùm profeſſio ſit contractus initus inter Religionem, & profeſſum ſub pactis contentis in Conſtitutionibus Religionis, & uterque contrahens ſe obliget, non eſt de jure prohibitum, ut alter ex contrahentibus poſſit in caſu convento in vim pacti facere contra alterum privata authoritate id, quod de jure ſine pacto facere non poſſet ad textum *in l. Si quis in tantam, C. Unde vi, & in l. Creditores, C. de pignor. & in l. fin. C. de acquir. poſſeſſ.*

12 Nec obſtat decretum Urbani VIII. emanatum anno 1636. in quo Bordonus *reſol.* 23. *num.* 7. aliique recentiores fundant ſuam contrariam opinionem. Tum quia dictum decretum editum eſt in ſolo caſu nullitatis prætenſæ ob novitiatum, & profeſſionem emiſſam in Conventu non deſignato contra formam decreti Clementis VIII. & ſic eſt proviſio in caſu particulari, atque adeò non eſt acci-

13 pienda pro lege generali. Tum etiam quia non tangit caſum expulſionis competentis in vim contractus. Ubi enim juris diſpoſitioni adjungitur pactum, lex derogans juri, non derogat pacto, cui Princeps in dubio non cenſetur derogare; nec ſolet per textum *in c. Ex multiplici de decim.* Put. *deciſ.* 193. *l.* 1. Burat. *deciſ.* 423. *n.* 4. & benè omninò Rota *in Veneta Indulti* 7. Junii 1647. cor. Othob. §. *Nec minus cum ſeqq.*

Prout nec etiam refragantur decreta de Apoſtatis, & 14
ejectis edita anno 1624. & inſerta in Bullar. *Conſtitut.* 26. Urbani VIII. quorum vigore nonnulli inquiunt, ejectionem Superioribus Regularibus extra caſum incorrigibilitatis eſſe generaliter interdictam. Sed immeritò. Nam dicta decreta loquuntur de ejectione illorum, qui ſunt legitimè profeſſi ut clarè in §. 6. ibi: *Ad hæc in poſterum nullus legitimè profeſſus ejici poſſit*, & ſic non comprehendunt dimittendos ob nullitatem profeſſionis, quia iſti non ſunt legitimè profeſſi.

Et quatenus ſupereſſet aliqua difficultas, ratione ta- 15
men notabilis prejudicii, quod reſultat omnibus Religionibus, ſufficit in hoc caſu, quod conſtet de juſtitia dimiſſionis; quia revera profeſſus patitur natalium defectum. Mos enim eſt ſupremorum Tribunalium, in quibus ſola facti veritas inſpicitur demandare illud idem, quod Judex inferior, vel ſine juriſdictione, vel ſine debito ordine, ſed juſtè demandaverat, ut rectè obſervat Put. *deciſ.* 72. *lib.* 3. Seraph. *deciſ.* 857. & 878. Rot. *in Melphien. Cantoriæ* 2. Martii 1646. coram eodem Emin. Othobono, & *in Romana pecuniaria* 27. Maji 1650. coram Emin. Celſo, & 20. Maji 1650. coram Reverendiſſimo Decano, & in aliis paſſim.

Hæc quidem opinio, quamvis minus a veritate videa- 16
tur abeſſe, mihi tamen ſatis probatur ſententia contraria, quæ planè eſt conſentanea menti Sacrorum Canonum, & S. Concilii Tridentini. Quare, omiſſa diſcuſſione, an ſit plenè, & concludenter probata prætenſa illegitimitas, qua de re latè, ac pulchrè poſt alios Sperell. *to.* 2. *deciſ.* 175. *a n.* 12. contra dictam ſententiam ejectionis urget, quod profeſſio in Religione etiam per illegitimos emiſſa ſuſtinetur tàm de jure communi *c.* 1. *d.* 56. *c.* 1. *de fil. presbyt.* ea ratione, quod filiis non poſſunt iniquitates parentum obeſſe, & ita poſt antiquos, & recentiores luculenter firmavit Bordonus *in tract. de profeſſ. c.* 2. *qu.* 52. quàm ex Conſtitutionibus Gregorii XIV. & Clementis VIII. reducentibus Conſtitutionem Sixti V. ad terminos juris communis, injungendo Superioribus Regularibus, ut inquirant diligenter ante admiſſionem, & profeſſionem de legitimitate. Id quod poſt Rodriquez, Mirandam, Peyrinum, & alios tradit Lezana *in ſum. tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 21. & *tom.* 4. *v. Novitii num.* 12. & 22.

Unde licet in Conſtitutione hujus Religionis permit- 17
tatur poſſe illegitimos a Religione ejici, hujuſmodi tamen permiſſio intelligitur ad præſcriptum S. Concilii Triden. *ſeſſ.* 25. *de regular. c.* 19. ut ſcilicet præcedat declaratio Ordinarii, & Superioris Regularis conjunctim, cùm diſpoſitio dicti *c.* 19. locum habeat in quacunque invaliditate profeſſionis, ibi: *Quacumque de cauſa*. Et ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Neapolitana mox adducenda.

Ac etiam quando profeſſus exire non vult è Religione, ſed Religio vult profeſſum a Religione expellere, ut cenſuit eadem Sac. Congregatio in his declarationibus. *In Neapolitana die* 16. *Decembris* 1617. *Eminentiſſimi Patres S. Concilii Tridentini Interpretes ex communi omnium ſententia cenſuerunt, decretum ejuſdem S. Concilii c.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Regular. vindicare ſibi locum non modò cùm profeſſus nullitatem ſuæ profeſſionis allegat, cauſaſque deducit; verùm etiam cum Superiores ipſi ex ſe illum ejicere, tanquam invalidè profeſſum. Referendum tamen Sanctiſſimo D. N. qui die* 18. *ejuſdem in Conſiſtorio probavit Sententiam S. Congregationis.* Idem cenſuit die 28. Auguſti 1621. Idem in Firmana die 13. Novembris 1638. in qua Congregatio juſſit, profeſſum, eſſe ad habitum ejuſdem Religionis reſtituendum. Et in terminis de illegitimitate in una Neapolitana Carmelitarum Diſcalceatorum die 15. Novembris 1653. declaravit obſervandam eſſe formam S. Concilii unà cum Ordinario.

Quæ quidem declarationes nituntur ea potiſſimum ra- 18
tione, quod S. Concilium juſſit Ordinarium in hoc judicio adhiberi, quia Regulares, qui agunt cauſam ſuæ Religionis, non habuit pro Judicibus undequaque integris. Nam quoties declaratio invaliditatis profeſſionis cederet in damnum Religionis, Superiores non eſſent faciles ad ſententiam nullitatis proferendam. Contra verò procliviores eſſent ad judicium invaliditatis, ſi profeſſus eſſet moleſtus, rixoſus, odioſus, vel alias non utilis Religioni. Siquidem experientia docuit, Regulares conſueviſſe multoties expellere etiam legitimè profeſſos prætextu incorrigibilitatis, cùm revera tales non eſſent, ideòque editum fuit poſt diutinam, ac maturam deliberationem decretum de Apoſtatis, & ejectis. Ac propterea S. Concilium voluit adhiberi Ordinarium in conjudicem exemplo legis civilis, ut *in auth. ſi verò contigerit, C. de Jur. ordin.* & juxta conſilium Oldradi 147. cum ibi adductis.

Et

Et hac de cauſa *in cap. 6. ſeſſ. 25. de reform.* propter aliqualem ſuſpicionem Epiſcopi contra Capitula exempta, ſtatuit illorum cauſas cognoſci, ac terminari debere, conſilio & conſenſu duorum Capitularium. Ob eandemque cauſam *in c. 16. ſeſſ. 25. de regular.* decrevit, ut renunciationes Novitiorum cum licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii fiant. Et in Concilio Mildenſi *tom. 3. c. 53.* ob eandem rationem prohibitum eſt, ne Regulares propter delicta ejicerentur a ſuis Superioribus, niſi de Ordinarii conſenſu.

19 Hæc autem ratio ſuſpicionis æquè, immò magis urget dum non ipſe profeſſus inſtat pro declaratione invaliditatis, ſed Superiores volunt illum ejicere. Etenim Regulares ſolent aliquando profeſſos dimittere ob aliquam peculiarem paſſionem erga Religionem, ſeu contra perſonam profeſſi, vel illius reprehenſibilem vitam, ac mores; itaut hoc caſu magis vigeat ratio ſuſpicionis, quàm quando procedunt ad inſtantiam ipſius profeſſi.

20 Confirmatur, quia S. Concilium dum in ea parte ejuſdem *c. 19.* prohibet profeſſum audiri, elapſo quinquennio, cenſetur in conſequentiam prohibere etiam Superiori, ne illum ejiciat. Unde dum prohibet ſucceſſivè profeſſum non audiri ſuper nullitate, niſi cauſa cognita ab Ordinario, & a Superiore, cenſetur etiam prohibere, ne Superior illum ejiciat; niſi eo modo, cùm S. Concilium diſponat utrumque ſub unico Capitulo, & ſtructura verborum, itaut locus ſit regulæ, *l. Jam hoc jure, ff. de vulg. & pupil. ſubſtit. l. Eum, qui ædes, ff. de uſurpat. uſucap.* cum ſimilibus.

21 Ulterius confirmatur, quia cum profeſſio ſit quidam contractus reciprocus ultrò, citròque obligatorius inter receptum, & Religionem, non debet claudicare. *cap. Ad Apoſtolicam de Regular.* & conſequenter ratione æqualitatis ſervandæ, ſicuti Concilium diſponit, ne profeſſus a Religione diſcedat, niſi auditis Epiſcopo, & Superiore Regulari; ita etiam cenſetur diſpoſuiſſe ne verſa vice Religio poſſit illum a Religione expellere abſque prævia declaratione Ordinarii, & Superioris regularis juxta naturam correlativorum, ut in omni contractu ultrò citròque obligatorio diſpoſitum in uno ex correlativis cenſetur etiam diſpoſitum in alio etiam in materia correctoria juris communis per textum in *l. fin.* ubi notant Bart. Angel. Jaſ. & alii, *C. de Judic.* traditque Anchar. *in repet. cap. Canonum ſtatuta in 6. qu. princip. de Conſtit.*

22 Atque adeò non obſtat, quod hic caſus verbis expreſſis Sac. Concilii non comprehenditur, cum ſatis ſit, ut ratione comprehendatur, *l. Prætor ait, §. Interdictum, ff. de nov. oper. nunc.* Rot. *dec 62. numer. 4. part. 2. rec.* Et quia decretum Concilii hoc caſu non habeat niſi unicam rationem ſuſpicionis Regularium, ex ea debeat fieri extenſio etiam ad correctionem juris communis, Caſtr. & Cuman. *in leg. ſi verò, §. de viro, ff. de ſolut. matr.* Jaſ. *in auth. quas actiones, Cod. de ſacroſ. Eccl.* Alex. *conſ. 10. vol. 2.* aliique apud ipſos.

23 Accedit præterea, quod idem profeſſus poſt emiſſam profeſſionem fuit per plures annos retentus in Religione, quo caſu non videtur locus dictæ ejectioni, etiam attenta dicta Conſtitutione Religionis, ut in ſimilis fuit aliàs declaratum a Sac. Congregatione Concilii die 28. Maji 1571.

24 Hinc patet reſponſio ad ea, quæ pro contraria opinione adducuntur. Licèt enim Concilium loquatur ſolùm de nulliter profeſſis, ratio tamen, ob quam prohibet, ne id aliter fiat, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario, eſt communis tum quoad profeſſos, tum quoad Religionem. Quando enim lex habet rationem generalem, licet ipſa ſit ſpecialis, efficitur generalis, *l. Regula, §. ſi quis, ff. de jur. & fact. ignor.* & notant Bart. *ibid.* ac proſequitur Alex. *in l. ſi pupillus, ff. de verb. oblig.* Ratio namque eſt anima legis, quæ ipſam trahit ad quoſcunque caſus ipſa extenditur, *l. ſi is, qui, ff. de acquir. poſſ.* & advertunt Gloſſ. & Doctores *in Clem. 1. de elect.* Corn. *conſ. 273. nu. 2. vol. 4.* Riminald. ſen. *conſ. 657. num. 9.* Fulgoſ. *conſ. 77. num. 2.* Abb. *in cap Nihil, num. 5. de elect.* Alex. *conſ. 75. num. 3. lib. 5.* Tiraquell. *in l. Si unquam, v. libertis, num. 45. C. de revoc. donat.*

25 Idque perſpicuè confirmatur ex eodem Conſilio. Nam loco citato diſponit primariò quomodo annullanda ſit profeſſio, ſecundariò verò diſponit de perſona annullante. Expreſſio enim Religioſi ſtat demonſtrativè, & ipſe potius quàm Religio exprimitur, quia Religioſi ſunt illi, qui ut plurimum reclamant contra profeſſionem. Quando autem lex per ſe primò diſponit de aliqua materia, & ſecundariò de perſonis, locum habet in iis omnibus perſonis, in quibus locum habet materia, de qua diſponit. Quia ratione materiæ trahuntur ad ſubjectionem legis; nam ſumus in caſu legis, ut tradunt Gloſ. *ult. in l. Ancillæ, C. de furt.* Dec. *conſ. 452. in fin.* Cravet. *conſ. 273. n. 3.* Becc. *conſ. 14. n. 20. vol. 1.* Surd. *conſ. 53. n. 6. & conſ. 58. n. item 6.* Pariſ. *lib. 6. de reſignat. ſub n. 2.* Seſſ. *dec. Aragon. 153. n. 25.* Tuſch. *lit. I. concl. 259. n. 4.* Undè cùm etiam Religio voluerit annullare alicujus profeſſionem, ſuberit prædictæ diſpoſitioni Concilii. Quia communitas materiæ, & ratio legis facit, quod diſpoſitio ſit communis.

Neque obſtat, quod conſtitutiones, ſive ſtatuta Religionis a Pontifice confirmata redundarent in ejus detrimentum. Nam adhuc etiam eſſent in favorem. Quia per diſpoſitionem Concilii non tollitur, quin poſſint habere ſuum effectum, ſed ſolùm coarctantur, ut non ſortiantur effectum, niſi cum interventu Ordinarii ob rationes ſuperiùs adductas. 26

Et ita declaravit in pari caſu eadem S. Congregatio Concilii die 23. Januar. 1666. in una Eremitarum Camaldulenſium profeſſionis. Cùm enim enarratum fuiſſet, quod inter cætera, quæ ſtatuta ſunt in Conſtitutionibus Patrum Eremitarum Congregationis Camaldulenſium per Sedem Apoſtolicam cum clauſula tamen, *dummodo ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adverſentur. &c.* confirmatis, habentur infraſcripta, *cap. 57. Del modo di ricevere i Novizj.* Omiſſis, &c. *Se qualcuno ſi riceverà, che non abbia paleſato di eſſere ſtato Novizio di altra Religione, ò taciuto che abbia alcuna infermità grave, & incurabile, ò contagioſa, ancorche faceſſe profeſſione, ſi dichiara tal profeſſione nulla, come fatta contro la volontà, e conſenſo di quelli, che l'hanno ricevuto, e ſi ordina, che ſubito ſia mandato via. Il che s' intende, quando da' Padri ſarà ſtato interrogato, e intimato, che la ſua profeſſione ſarà nulla, ſe averà negato alcuna delle ſuddette coſe nel Capitolo, nel quale s'ammette all' habito, e alla profeſſione, le quali intimazioni, e proteſte ſempre ſiano regiſtrate dallo Scriba nel ſolito libro degli atti Capitolari dell' Eremo.* Ad conſulendum monaſticæ ſui Ordinis diſciplinæ, & ad ſuorum Monachorum religioſam tranquillitatem ſervandam ſupplex petiit Procurator generalis Eremitarum Camaldulenſium, ut S. Congregatio declarare dignaretur. 27

Primò, An ſi quando comperiatur, novitium ex præſcripto Conſtitutionis interrogatum adverſus ipſam commiſiſſe, impedimentum occultando, poſſit idem Novitius poſt emiſſam profeſſionem illicò per Superiorem expelli? 28

Secundò, An verò in hac quoque facti ſpecie ſervanda ſit forma decreti Sacr. Concilii *in c. 19. ſeſſ. 25. de regular.* 29

Sac. Congregatio, reſpondit, *Poſſe ſervata forma Concilii.*

CONSULTATIO XC.

In quadam Eccleſia extitit ab antiquiſſimo tempore Collegium ſæculare Canonicorum cum uno Priore, qui dictæ Eccleſiæ inſervirent: Cùm verò Prioratus vacaret, fuit per Summum Pontificem unitum cuidam Congregationi Canonicorum Regularium, regendus, & gubernandus per unum Priorem temporalem ex dicta Congregatione. Nunc quæritur,

An hæc Collegiata ſæcularis per hujuſmodi unionem remanſerit ſuppreſſa, & extincta?

ET quidem affirmativè reſpondendum videtur, Dum enim Summus Pontifex conceſſit Canonicis Regularibus Eccleſiam cum omnibus ſuis juribus, annexis, & pertinentiis, illamque erexit, & inſtituit in Prioratum perpetuò regendum, & gubernandum per Priorem, & Canonicos Regulares juxta regularia inſtituta, quandoque dictæ Eccleſiæ per Canonicos Regulares, ſeu presbyteros ſæculares ad id per ejuſdem Prioratus Priorem pro tempore exiſtentem deputandos in divinis deſervire, & animarum curam parochianorum eorundem exerceri faciat, utique ſumus extra omnem difficultatem. Tum quia Eccleſia fuit conceſſa Regularibus cum omnibus juribus, & pertinentiis, quæ clauſula importat jura tàm nova, quàm vetera, de quibus conſtabat tempore conceſſionis, ut poſt Ugon. *in trat. de clauſul. v. contractus numer. 237.* firmat Barboſ. *clauſul. 34. numer. 5.* Tum etiam quia dicta Eccleſia eſt regenda, & gubernanda perpetuò per Regulares, quibus tantùm, vel presbyteris a Priore deputandis, eſt data facultas in divinis inſervire. Unde intrat dilemma: Aut adverſarii prætendunt intervenire Eccleſiæ & illi inſervire, & tunc eorum deputatio, & elect. ctat ad Priorem regularem tantùm juxta formam lite. m Apoſtolicarum. Aut recuſant eligi, ac deputari Priore, & non poſſunt Eccleſiæ 1

inſervire, diſſentientibus Regularibus, quia obſtant prædictæ literæ Apoſtolicæ.

2 Præterea eſt in confeſſo, quod iſti Canonici ſæculares carent præbenda, & diſtributionibus, quodque nullum adeſt ſignum Collegiatæ; quia deficiunt illius requiſita juxta textum *in cap. Porrò de priv.* Unde ipſi non poſſunt eligere Canonicos, dum non exhibetur aliquod privilegium Papæ, vel titulus particularis juxta doctrinam Hoſt. *in ſum. de excuſ. Præl. §. 1.*

3 Nec aliqua vis fieri poteſt in verbis Viſitatoris Apoſtolici; quod ſcilicet Canonici unà cùm Priore habent jus conferendi Canonicatus. Primò, quia Viſitator non erat Ordinarius, & uti Delegatus Apoſtolicus fuit miſſus ad viſitandas plures Civitates, & diœceſes. Undè tanquam non informatus de qualitate Eccleſiæ, vel potuit decipi falſa relatione, ut advertit Ruin. *conſ. 3. nu. 1 & ſeqq. vol. 1.* & in fortioribus terminis reſpondit Rota *in Tullen.* ſeu nullius Senonen. Monaſterii 22. Maji 1609. coram Cardinale Sacrato, vel tanquam narrativa facti alieni non probat in præjudicium Eccleſiæ, & Regularium, etiamſi Viſitator ſuper ea fundaret ſuam intentionem, Cravet. *conſ. 48. n. 1.* & in potioribus de aſſertione ex narrativa Papæ firmat Gabriel. *de probat. concl. 2. num. 28.* Rota coram Creſcentio *dec. 6. in fin.* & Doctores contrarii loquuntur de aſſertione facta ab Ordinario in viſitatione, ut informato de qualitate beneficiorum ſuæ diœceſis, ut in *dec. 482. num. 6.* coram Gregorio XV.

4 Secundò, quia cùm dicta enunciativa ſit unica, & non excedat terminum centum annorum, non probat, Aretin. *in c. Cùm cauſam n. 22. de probat.* Rota in terminis Collegiatæ *dec. 673. n. 1. p. 1. rec.*

5 Tertiò, demum, quia in eodemmet decreto Viſitationis dicitur, dictam Eccleſiam eſſe Collegiatam nomine tantùm, ibi: *Acceſſit ad Eccleſiam, quæ nomine Collegiata eſt.* Ergo aſſertis Canonicis nullum jus, nullaque actio competit in dicta Eccleſia, ſed carent omninò effectu, dum non habent niſi nudum nomen, *l. 2. §. Sed ſi ſunt ſui, ff. ad Tertull.* Cyriac. *contr. 201. num. 99.*

6 Minus relevat prætenſa obſervantia eligendi Canonicos ſimul cum Priore, deſumpta ex nonnullis electionibus effectum ſortitis. Nam ſicuti Rector, & Prælatus regularis non poteſt præjudicare juribus ſuæ Eccleſiæ, Sera h. *dec. 1417. n. 3.* Immò tàm Eccleſia, quàm Rectores, idemque Regulares poſſunt nullitates actus allegare, & in remedio obtinendæ obtinere, Rot. *dec. 139. num. 28. & ſeqq. & deciſ. 226. num. 14. & 22. dec. 275. n. 7. p. 6. recent.* Ita obſervantia plurium annorum non ſufficit ad inducendum titulum, vel præſcriptionem, obſtante præcipuè Conſtitutione Urbani VIII. in qua præſervantur jura Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum a quibuſcumque præjudicialibus deductis ab obſervantia ex temporis curſu, & ſola centenaria, concurrentibus requiſitis, præſervatur, ut in ea legitur ſub fine. Ultra quod datur actus contrarius electioni factæ a ſolo Abbate regulari, & ſic excluditur prætenſa conſuetudo presbyterorum, ad quem effectum ſufficit, quod ſemel contrarium fuerit obſervatum, quamvis darentur mille actus pro adverſariis, dum unicus contrarius, aut difformis conſuetudinem excludit, Gregor. XV. *dec. 162. n. 9.* & ibi Add. *n. 15.* Rot. *in Toletana decimarum de la Solanna* 22. Aprilis 1641. coram Bichio. Præſertim, quia in beneficialibus ultimus ſtatus attendi debet, Add. Ad Buratt. *dec. 776. n. 12. & ſeqq.*

7 Poſtremo, quia nullus ex adverſo datur actus, nec dari poteſt intereſſendi Eccleſiæ, invitis Priore, & Canonicis regularibus, & prætenſa conſuetudo eligendi Canonicos ſæculares non poteſt extendi ad actum accedendi ad Eccleſiam, ſed deberet probari ab adverſariis in caſu ſpeciali, de quo agitur, Cardin. Mantic. *deciſ. 11. num. 10. & dec. 284. num. 7.* Seraph. *dec. 1159. num. 6.* Gregor. *dec. 162. n. 4.* & quidem cum ſcientia, & acquieſcentia Regularium, Add. ad Buratt. *dec. 222. lit. A.* Ultra quod nulla conſuetudo, vel præſcriptio poteſt dari contra legem, & Conſtitutionem Pontificis in præjudicium Eccleſiæ, cui nec tacitè, nec expreſsè Prælati, & inferiores præjudicare, & renunciare poſſunt, Dec. *in c. Cùm acceſſiſſent nu. 94. de Conſtitut.* Caval. *dec. 91. num. 5.*

8 His tamen non obſtantibus tenendum eſt, quòd præſuppoſita exiſtentia hujuſmodi Canonicorum ſæcularium diſtinctorum a Prioratu tempore unionis ipſius Prioratus, per ejuſmodi unionem non fuerint extincti, & ſuppreſſi Canonicatus, ſed in eodem ſtatu remanſerint.

9 Siquidem ex toto contextu literarum unionis patet evidenter, eam eſſe reſtrictam ad ſolum Prioratum, ut legitur in ea parte, in qua recenſetur inſtantia, ibi: *Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictum Prioratum, &c.* Et ex diſpoſitiva, ibi: *Prioratum prædictum, &c. in Prioratum Congregationis, & Ordinis prædicti, &c. perpetuò erigimus, & inſtituimus.* Unde impoſſibile prorſus eſt, & nimis præter intentionem tàm ſupplicantium, quàm Papæ, velle hujuſmodi unionem extendere ad Canonicatus, ut in ſimili eſt textus *in cap. fin. de præb.* ibi: *Nec ad Rectoriam, vel dignitatem noſtra feratur intentio.* Et Gloſſ. *v. Ad talia*, ibi: *Quia nec intentio D. Papæ talis fuit.* Rectè Calder. *conſ. 18. in princ. de conſeſ. præb.* Caſſad. *deciſ. 11. num. 2. de præb.* Et in iſdem terminis de unione Prioratus, quo non comprehendat beneficia, quæ in eadem Eccleſia conſtituunt corpus disjunctum ab ipſo, dixit Rota coram Decano *dec. 14. num. 11. & dec. 92. num. 6. & in Civitaten. Archipresbyteratus* 24. Martii 1645. coram Reveren. iſs. Cerro. Quia ex eo, quod ſit unita Eccleſia, non infertur, quod ſit unitum beneficium, cùm aliud ſit diſponere de Eccleſiis, aliud de beneficiis, Rot. *dec. 14. num. 7. cum ſeqq.* & latiùs *deciſ. 92. num. 6.* coram Urgellen. Ex contextu autem literarum benè dignoſcitur quid in gratia continetur, *cap. Porrò*, ubi Gloſ. *v. Ex inſpectione de privil. cum ſimilibus.*

Nec obſtat, quòd fuerit facta unio Prioratus etiam 10
cum annexis. Quia nomine annexorum veniunt ſolùm jura competentia Priori ratione Prioratus, ut benè ſimilia verba explicat Calder. *conſ. 6. circa fin. de donat.* ibi: *Nec obſtat, quod dicitur in dicta donatione cum pertinentiis ſuis; quia id debet intelligi de acceſſoriis ad Eccleſiam, vel de competentibus Rectori ipſius ratione Rectoratus.* Eò quòd nullatenus nomine annexorum in unione Prioratus veniant beneficia diſtinctè, ſed ſolùm ea, quæ ſunt de menſa, & annexa, dicit Duran. *cit. dec. 14. n. 12. & 13. & dec. 92. n. 12.*

Et ultra quod Prioratus, & Canonicatus, ut dictum 11
eſt, erant beneficia diſtincta, concurrit etiam maxima rationis diſparitas, excludens omninò comprehenſionem illorum, dum Prioratus vacabat per reſignationem cum reſervatione penſionis de eo factam in manibus Papæ, & cum tali ſuppoſito vacationis, quod collatio ad ipſum legitimè tunc ſpectaret, fuit facta unio Unde dum Canonicatus non vacabant, nec reperitur expreſſum, quod unio cenſeretur facta ex nunc prout ex tunc quando vacarent, non eſt ullo modo dicendum, quod in præjudicium Canonicorum, abſque eo quod aliquid ipſis reſervaretur, Papa voluerit illos in unione Prioratus comprehendere, ut in præciſis terminis, quod Papa nunquam concedat mutationes Status Eccleſiæ ſæcularis in regularem cum præjudicio beneficiatorum ſæcularium in ea exiſtentium, eſt text. *in c. Ad audientiam 2. de Eccleſ. ædif.* ibi: *Verum ſi Clerici ſæculares in ea adhuc ſupereſſe noſcuntur, volumus eis, dum vixerint ibi, vel alibi neceſſaria provideri.* Et ibi Gloſ. *v. Indulgemus* dicit, quod in reductione Eccleſiæ ſæcularis ad ſtatum regularem poſſunt quidem expelli habentes ibidem beneficia ſæcularia, etiam inviti, dummodò tamen æquè ibi, vel alibi ipſis provideatur, quodque aliàs, eis invitis, hoc fieri non poteſt. Indeque infert ad generalem regulam, quod Papa nunquam intendit facere aliquod præjudicium alicui per ſuum privilegium. Et in ſimilibus benè arguit Rota *in Peruſina* 13. Martii 1588. *§. Aut enim*, coram Pamphilio, & quod gratia Papæ ita ſemper ſit intelligenda, ut alteri præjudicium non inferat, probat Abb. *in cap. In noſtras in 3. notab. de reſcript.* Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 28. n. 162. & quæſt. 34. num. 54. & 70.* Rota poſt Cenc. *de cenſib. dec. 72. num. 5.* & Coram Caval. *dec. 434. num. 7.* & cor. Buratt. *dec. 576. nu. 5.* & poſt Vivian. *de jurep. dec. 25. n. 6.* & coram Put. *dec. 411. n. 2. & 4. lib. 1. in correct.* & coram Seraph. *dec. 871. n. 6. & dec. 157. n. 6. & 11. p. 6. rec.* Quod docent etiam Parii. *de reſign. l. 12. q. 14. num. 11.* Gratian. *diſcept. 412. num. 4. & 5.* Gonzal. *ad reg. 8. gloſ. 15. §. 1. n. 75.* Marc. Anton. *var. reſ. l. 1. reſol. 105. num. 6.* Salas *de legib. diſp. 30. ſect. 10. num. 100.* Mandoſ. *ad reg. 23. Cancel. qu. 1. num. 6.* conſtatque luculentiſſimè ex ipſis regulis Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ mentem Papæ teſtificantur, Malobr. *de concur. præſ. 24. dub. 1.* Jus enim tertii in quacunque diſpoſitione, intelligitur exceptum, Lotter. *ſup. l. 1. q. 42.* Gambar. *de auct. leg. t. l. 10. num. 117.* Itaut potiùs improprianda ſint verba reſcripti, immò ipſum reſcriptum potiùs debeat cenſeri fruſtratorium, quàm quod intelligatur damnum tertio afferre, Gratian *diſcept. 730. num. 13. & ſeq. tom. 4.* Gonzal. *gloſ. 28. n. 9 & 10.* Marant. *reſp. 21. n. 5. p. 1.* Itaque adeò verum eſt, ut quamvis in reſcripto Papæ non fuiſſet appoſita clauſula, *Sine præjudicio tertii*, tamen illa ſemper ſubintelligitur, Marant. *reſp. 13. n. 9.* Vivian. *de jurep. l. 13. c. 8. n. 8.* ac alii communiter,

niter ; & in specie de gratia unionis , quod tanquam odiosa , sit strictissimè interpretanda , tradit Mohed. *dec. 1. de offic. vic.* & Duran. *cit. dec. 82. art. 10.*

12 Cùm igitur in rescripto Papæ non fuerit de Canonicatibus facta mentio, certissimum est , Canonicatus ipsos non fuisse suppressos . Translato enim Prioratu , ejusque statu mutato, non sequitur suppressos fuisse Canonicatus . Aliud quippè est Prioratus , aliud Canonicatus . Unde cùm sint beneficia diversa , non debet a diversis fieri illatio , *l. Papinianus exul. ff. de minor.* Lotter. *cod. loco qu. 24. nu. 83.* Marc. Anton. *lib. 2. resol. 206. n. 42.* Paris. *lib. 11. q. 8. n. 8.* Quamobrem sub illis verbis rescripti , *illiusque annexorum* , non possunt intelligi Canonicatus , cùm isti essent omninò distincti, & separati a Prioratu , haberentque proprias possessiones, ac redditus distinctos a Proventibus Prioris. Sicque motivum retorquetur, itaut excludantur prorsus Canonicatus, dum non sint annexi Prioratui , sed ab eo separati, ut arguit Duranus locis allegatis .

13 Neque suffragatur argumentum ductum ex facultate concessa Priori regulari adhibendi pro servitio Ecclesiæ in divinis, ac in animarum cura , vel Canonicos dicti Prioratus erecti , vel presbyteros sæculares . Quoniam cum Priori incumbat animarum cura tam de jure, Garz. *de benef. p. 7. c. 4. n. 65.* & Barb. *de potest. Episc. alleg. 60. nu. 64.* & *de Canon. c. 11. n. 3.* & *c. 13. n. 21.* quàm de instituto hujus Ecclesiæ , ut ex narrativa literarum dictæ unionis , ipseque Prior regularis in locum sæcularis subrogatus huic muneri per seipsum satisfacere non possit , fuit ei specialiter per Pontificem tributa facultas, quod posset deputare vel Canonicos regulares , vel presbyteros sæculares ad libitum absque diœcesani licentia, quæ aliàs necessaria fuisset, cùm Regulares in animarum cura non possint absque Ordinariorum consensu se ingerere, illisque omninò sint subjecti, ut habetur in Constitutione Gregorii XV. data nonis Februarii 1622. & dum aliàs si esset facultas intelligenda indistinctè quoad omnia concernentia servitium Ecclesiæ, superflua fuisset, dum circumscriptis muneribus parochialibus, benè potuisset ad sui libitum Prior regularis adhibere sive sæculares, sive regulares absque licentia Ordinarii, cùm tamen verba in gratiam Papæ non debeant censeri superflua , & inutiliter apposita , *c. si Papa* , ibi : *Cum verba aliquid operari debeant* , & Glos. *lit. A de privil. in 6.* cum similibus. Proindèque cùm ita benè similis facultas operari possit suum effectum , non potest ullo modo exinde trahi consequentia extinctionis Canonicorum sæcularium , quodque ii fuerant effecti presbyteri conductitii, & precario adhibiti a Priore ; præsertim dum in exercitio parochialitatis nunquam se ingesserunt , sed jure proprio, & independenter ab ipso Priore perstiterunt in quasi possessione Collegiatæ sæcularis.

14 Sed quatenus etiam dicta facultas esset intelligenda generaliter , non ideò posset importare suppressionem Canonicorum sæcularium , de quibus Papa non cogitavit , & potuit etiam intelligere juxta supplicationem Canonicorum regularium, quod Ecclesia non esset actu collegiata, sed habitu .

15 Decisio verò *in Vicen. Canonicatum* 25. Junii 1638. coram Ghislerio non solùm non officit , sed manifestè retorquetur, & facit pro hac parte , dum ibi eatenus dicitur comprehensos fuisse Canonicatus in literis unionis Prioratus , licet non expressos , quatenus ante dictam unionem ii non habebant distinctas præbendas , & numerus illorum non erat certus, sicque Ecclesia erat receptitia , non numerata . Unde omne jus , quod iidem Canonici per electionem , habuerant, remanserat per privationem, vel obitum in totum extinctum , nec dabatur vacatio , juxta doctrinam Abb. *in c. ex part. n. 7. in fine de concess. præb.* ut latiùs dicitur *in §. Non obstat , quod in literis* , & in *§. Nec facit* . Sicque admittitur expressè conclusio superiùs adducta , quod idem Canonicatus non veniant sub nomine pertinentiarum Prioratus, cùm regulariter sint tituli omninò independentes ex traditis per Hojed. *de incomp. p. 1. cap. 11. per tot.* & solùm in dicto casu ab hac regula receditur, quia tituli Canonicorum unà cum omnibus ipsorum juribus per privationem, seu suppressionem totius Ordinis Regulæ S. Augustini facta per Clementem VIII. expiraverant, & ideò sublatis Canonicis per privationem , bona remanebant de pertinentiis Prioratus, & consequenter in unione comprehensa .

16 Ad absurdum etiam, & indecorum, quod in una, & eadem Ecclesia sint Canonici sæculares , & regulares , faciantque ibi Collegium contra textum *in c. Dilecta*, & ibi Abb. *in fin. de excess. Præl.* respondetur objectionem forsan procedere posse, si in Ecclesia postquam esset regularis , præsumerent simplices Clerici sæculares in ea uti singuli beneficium obtinentes facere Collegium , & constituere corpus; secus autem dum Ecclesia fuit Collegiata sæcularis a sui primæva erectione , ut in hoc casu . Unde isti Canonici benè possunt , ac debent se congregare pro suorum jurium conservatione , ut notat Abb. *in d. c. Dilecta circa fin.* Et potius si adesset aliqua incompatibilitas, imputari deberet Canonicis regularibus, qui se voluerunt introducere in Ecclesia sæculari. Licèt verè non sit indecorum , neque incompatibile, quod in eadem Ecclesia adsint duo Collegia , unum Canonicorum sęcularium, & aliud regularium, ut habemus exemplum in Ecclesia S. Ambrosii Mediolanensis, sicuti ponderat Glos. *in cit. Clem. 1. de election.* advertens, quod incongruentia , ut homines disparis professionis simul in eisdem monasteriis socientur in eodem textu considerata, procedat in monasteriis, non in Ecclesiis, & alia etiam exempla, præsertim in Hispania hac de re afferri possent, ut in terminis, quod in multis Ecclesiis Hispaniæ simul adsint Regulares , & sæculares dixit Rota coram Millino *dec. 140. n. 4.* & *5.* Quodque in tantum consideretur incompatibilitas , in quantum Clerici sęculares vellent se immiscere in negotiis Regularium , & vocem in eorum Capitulo, ac locum in dormitorio, & refectorio habere contenderent, ac esse quasi fratres: secus autem ubi limites proprii muneris non egrediuntur , clarè probat textus *in c. fin. §. Præcipimus de stat. Monac.* & ibidem egregiè notant Abb. *ad fin.* Anchar. *n. 15.* & *26.* & Jo: Andr. eodem numero . Est enim indubitata conclusio , quod in Ecclesia regulari possunt esse sæcularia beneficia, quæ Clericis sæcularibus conferantur ex traditis per Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 34. n. 71.* & fuit resolutum a Rota *in Valentina Rectoriæ* 22. Junii 1650. coram Bichio , & *in Novarien. Ecclesiæ* 17. Junii 1651. coram Em. Celso.

17 Sed quatenus etiam circa interpretationem literarum unionis aliqua superesset dubitatio , quod non admittitur , ea proculdubio remaneret undequaque sublata ex observantia subsecuta, & inconcussa usque ad hæc tempora, cùm ex ea optimè recipiant interpretationem literæ Apostolicæ, ut firmat textus *in c. Cum dilectus de consuetud.* & probant Gonzal. *glos. 5. §. 7. n. 223.* ac resolvit Rota *dec. 530. n. 1.* & *2. p. 1. div.* & *351. n. 3. p. 5. rec. tom. 2.* & *in Barchinonen. Parochialis* 10. Februarii 1645. coram Cardin. Corrado & *dec. 1412. n. 26.* coram Seraphino . Est enim vera dispositionum interpres , & omnium interpretationum regina , Vivian. *de jurep. lib. 4. c. 6. num. 30.* & *lib. 6. cap. 6. nu. 29.* Mantic. *dec. 299. num. 3.* Pegna *dec. 85. num. 3.* & *dec. 220. num. 20.* Ex ea enim constat in his Canonicis concurri omnia signa Collegiatæ. Quia non solùm ipsi cum Priore constituunt Capitulum dictæ Ecclesiæ, simul conveniunt pro conferendis Canonicatibus , & Capellaniis , aliisque negotiis pertractandis, habentes proprias , & particulares constitutiones; verum etiam deferunt caputium , quod est signum Collegiatæ, & præcedunt Canonicos Regulares. Atque ex hujusmodi signis rectè , ac verè arguitur Collegialitas, Massobr. *de concurs. prælud. 2. n. 13.* & *31.* Buratt. *dec. 455. n. 5.* ubi Add. & faciunt dicta per Mantic. *dec. 175. n. 1.* & *dec. 215. n. 5.* & per Gonz. *glos. 16. nu. 14.* & *15.* & per Fusch. *de visit. lib. 2. c. 1. n. 3.*

18 Nec enim actus ejusmodi possunt referri ad meram facultatem, & permissionem Prioris , dum ab ipso tempore unionis citrà fuerunt semper sub eadem forma continuati. Unde perneceśsè convincunt existentiam istius Collegiatæ sæcularis , cùm toties multiplicati , gratia non præsumatur , Rip. *in c. Ecclesia 55. de caus. poss.* Soccin. sen. *cons. 145. num. 4. lib. 1.* Gratian. *discept. 681. num. 6.* Posth. *de manut. observ. 63. num. 20.* & Cæs. de Graff. *dec. 1. numer. 3. de caus. possess.* Osasch. *dec. 99. num. 19.* Rot. *dec. 397. num. 3.* & *640. num. 3. part. 2. rec.* Add. ad Greg. XV. *dec. 162. num. 16.* & *dec. 543. n. 3. part. 3. recent.*

19 Denique non obstat, quod Canonici dietim non interveniant, & quod eorum præbenda tenuissima sit . Ad primum namque respondetur cum Buratto *in addit. ad dec. 455. n. 7.* Ecclesiam adhuc non desinere esse Collegiatam. Ad secundum respondet Massobr. *prælud. 15. n. 3.* & Barb. *de Canon.* & *dignit. c. 12. n. 22.* stante consuetudine posse quempiam in Canonicum recipi etiam absque ulla præbenda , & tamen titulo , honore , & commodo Canonicus sit , prout verè sunt isti , qui tot, tantisque prærogativis , & jurisdictionibus ordinati ab eorum primæva origine propriam, & antiquam dignitatem semper sustinuerunt.

CONSULTATIO XCI.

An ſtatutum a Pontifice approbatum, nimirùm quod nemo in Canonicum Eccleſiæ Cathedralis recipi, & admitti poſſit, vel debeat, niſi in jure Canonico, vel civili, aut in S. Theologia candidatus fuerit, vel ſaltem per triennium iis facultatibus ſtuduerit, ac etiam quod inter ipſos cives præferri debeat, ſit confirmandum non obſtante, quod multoties fuerit interruptum?

1 AFfiirmativè reſpondendum eſt. Hujuſmodi enim Indultum eſt conſentaneum diſpoſitioni Sac. Concilii Trid. *cap.* 12. *§. Hortamur ſeſſ.* 24. *de reform.* ubi per modum hortationis hoc idem diſpoſitum legitur in locis, ubi id commodè fieri poteſt, ſaltem pro dimidia parte, & tradunt Gonzal. *de benef. part.* 7 *cap.* 7. *num.* 44. Ejuſmodi enim Concilii deſuetum, licèt ex honeſta diſcretione ſit reſtrictum ad medietatem Canonicorum, non tamen excludit totum eorum numerum ob rationis identitatem, & propter adjectam dictionem, *ſaltem*, quæ non eſt limitativa, ſed implicativa majoris numeri, Seraph. *dec.* 787. *num.* 8. Præſertim in Civitate, ac Diœceſi, quæ doctis viris floreſcit.

2 Et ſanè non ſolùm ejuſmodi ſtatuti obſervantia eſt neceſſaria propter decretum irritans poſitum in Indulto, quod decretum inducit formam, & excludit omnem contrariam conſuetudinem, atque uſum tàm de præterito, quàm de futuro, ad text. *in cap. Si eo tempore de elect. in* 6. Gabr. *concl.* 3. *num.* 34. & 40. Rot. *dec.* 41. *n.* 9 *par.* 1. & *dec.* 149. *num.* 2. *par.* 2. *div.* & 302. *num.* 13. *par.* 5. *rec.* firmantque Gonzal. *gloſſ.* 97. *num.* 12. & Gratian. *diſcept.* 944 *num.* 7. Adeòut non poſſit dici de non uſu, ac contrario, ex allegatis per Buratt. *dec.* 704. *nu.* 10. Merlin. *dec.* 814. *num.* 4. Rot. *dec.* 240. *num.* 5. *par.* 4. *div.* & impediat omnem futuram conſuetudinem, ac præſcriptionem, ut per Gratian. *diſcept.* 440. *num.* 16. & *diſcept.* 791. *num.* 13. Buratt. *d. dec.* 574. *nu.* 8. *par.* 4. *rec.* Verùm etiam, quia de jure communi Canonicis Cathedralibus æquè, ac perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis cauſarum cognitiones, ac definitiones per Sedem Apoſtolicam delegantur, *c. Super ſtatutum de reſcr. in* 6. ubi Gloſſ. & Doctores, tenetque Gonzal. *gloſſ.* 2. *nu.* 39. Zecch. *in Repub. eccleſ. cap.* 24. *ſub num.* 1. Ricc. *in prax. reſol.* 105. *num.* 3. Maſſobr. *de concurſ. requiſ.* 8. *dub.* 5. *n* 3. ipſique poſſunt etiam deputari Conſervatores Regularium, & aliorum, qui funguntur vice Judicum delegatorum Sedis Apoſtolicæ, ut expreſsè habetur in Conſtitutione Gregorii XV. *de Conſerv.* quæ eſt *in Bullar.* 9. & tradit Ric. *ubi ſupr. reſol.* 349. *num.* 4. Igitur cenſentur habere quodammodò dignitatem Eccleſiaſticam, Pariſ. *de reſignat. benef. libr.* 2. *quæſt.* 1. *numer.* 102. Ric. & Zech. *locis allegatis*, Seraph. *dec.* 443. *num.* 6. Dignitatem autem obtinentes debent eſſe graduati ex ipſo Tridentino *eod. cap.* 12. Quia in illis requiritur conſilium, & induſtria, Menoch. *lib.* 2. *præſumpt.* 51. *nu.* 22. Maſſobr. *loc. cit.* Rot. *dec.* 539. *num.* 9. *part.* 4. *rec.* Ut adjuvare poſſint Epiſcopum, cujus dicuntur fratres, & membra, Abb. *in cap. Novit, de his, quæ fiunt a Præl.* idem Abb. & Felin. *in c. Paſtoralis de offic. deleg.* Pariſ. *ibid. lib* 5. *quæſt.* 6. *nu.* 89. Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *quæſt.* 16. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 50. *num.* 53. Greg. XV. *dec.* 284. *num.* 2. & 3. & ibi Add. Rot. *dec.* 3. *num.* 3. *par.* 5. *rec.*

3 Et quod id Canonicis conveniens, ac decens ſit, ex eo quod ipſi ſunt Clerici primi gradus, cæteris Clericis honorabiliores, docent Gemin. & Præpoſit. *in cap. Epiſcopus d.* 17. Boich. *de Synod. part.* 2. *num.* 22. & *part.* 3. *num.* 17. & 27. Zecch. *d. cap.* 24. *num.* 1. Ricc. *d. reſolut.* 105. *num.* 6. Quare hujuſmodi ſtatutum eſſe favorabile, honorificum, valdèque utile ipſi Eccleſiæ, dum ei viri literati potiſſimum inſerviunt in divinis, latè tradunt Rot. *dec.* 742. *num.* 14. *par.* 4. *rec.* Lotter. *lib.* 1. *quæſt.* 15. *a num.* 1. & *quæſt.* 50. *num.* 53. *lib.* 2. Valenz. *conſ.* 34. *num.* 48. *lib.* 1.

4 Quod verò ad non admittendos exteros ad Canonicatus, hoc quoque eſt de jure. Quia illi ſunt præferendi in proviſione beneficiorum, qui ſunt de gremio ejuſdem Eccleſiæ, *cap. Nullus*, & *cap. Oblitum d.* 71. *cap. Metropolitano d* 73. dixitque Gloſs. *in cap. Cum inter Canonicos de elect.* & ubique Doctores, Rot. *dec.* 413. *num.* 1. *par.* 1. *div.* & *dec.* 337. *n.* 2. *p.* 4. *rec* Cùm qua juris diſpoſitione jungitur congruentia, honeſtas, atque utilitas publica, ut per Abb. *in cap. Ad decorem de inſtit.* Vivian. *de jurap. lib.* 6. *cap* 11. *num.* 4. Navarr. *conſ.* 6. *num.* 1. *de elect.* Gomeſ. *in reg. de Idiom. quæſt.* 1. Diaz. *in prax. crim. canon. cap.* 56. *num.* 4. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 4. *qu.* 20. Lotter. *lib.* 2. *qu.* 39. *num.* 26. & alii.

5 Quod faciliùs videtur admittendum attenta inveterata Eccleſiæ conſuetudine, quæ vocatur rationabilis, & ſancta, a Viviano modo citato *nu.* 11. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. & 2. Rot. *dec.* 232. *num.* 16. *p.* 7. *rec.* Eòque magis, quia id reſtringitur ad Canonicatus, qui habent onus perpetuæ reſidentiæ, ac ſervitii cum tenui fructu, quibus ex cauſis Dataria ſemper providet originarios locorum.

Quibus non videtur obſtare, quod ab hujuſmodi ſta- 6
tuto fuerit aliquando declinatum in pleriſque vacationibus, ac proviſionibus Canonicatuum. Quoniam cùm id non fuerit factum cum ſcientia, & tolerantia Pontificis, utique non poteſt dici ſtatutum Papale, ut advertit Rota coram Caval. *dec.* 77. *num.* 3. & *ſeqq.* ac proindè nequit allegari non uſus quantùmvis longævus, Merlin. *dec.* 814 *n.* 4. ſtante præſertim decreto irritante, quod vim habet impediendi principium, & curſum præſcriptionis, ex allegatis per Gabriel. *concl.* 3. *num.* 44. & Gonzal. *gloſſ.* 67. *num.* 50. Buratt. *dec.* 704. *num.* 1. & Mart. *de clauſul. part.* 2. *clauſul.* 255. *num.* 10. Sine præſcriptione autem non datur valida conſuetudo, quæ pariter etiam completa nullatenùs eſſet conſiderabilis. Quia contra diſpoſitionem habentem tale decretum non poteſt induci ulla conſuetudo, Gemin. *in cap. Cum de benef. n.* 5. & *ſeqq. de præb. in* 6. & ibidem Franch. *num.* 4. cum aliis per Gabr. *d. concl.* 3. *num.* 44. Gonzal. *d. gloſſ.* 67. *num.* 39. Boer. *dec.* 1. *num.* 49. Rot. *dec.* 574. *num.* 27. *tom.* 3. *part.* 4. *rec.* Ea namque tollitur tàm præterita, quàm futura, poſt decretum introducta, ut comprobant Ruin. *conſ.* 13. *lib.* 2. & Gabr. *d. concl.* 3. *num.* 39. Gratian. *diſcept.* 440. *num.* 12. & 17. Rot. *dec.* 618. *nu.* 24. *t.* 2. *p.* 5. *rec.* & *dec.* 20. *n.* 13. *rec.* Et in genere tollitur omne juris fomentum in contrarium, & quicquid fit contra decretum irritans, pro infecto habetur, Prob. *ad Monach. in cap. Tibi qui num.* 9. *de reſcript.* cum aliis alleg. per Gabr. *d. concl.* 3. *n.* 57. & per Gratian. *diſcept.* 944. *num.* 7. & 22. & Rot. *dec.* 24. *num* 5. *part.* 2. *div.*

Nihilominus ſtatutum hujuſmodi a Bonifacio Nono 7
editum pro Eccleſia Sulmonenſi S. Congregatio Concilii die 10. Septembris 1661. ad formam Concilii reducit, dixitque illud obſervari, ſi commodè fieri poterit. Atque idem ego omninò ſentio.

CONSULTATIO XCII.

Utrùm Judæus recens baptizatus, & ad Chriſtianiſmum converſus, per converſionem, & pœnitentiam illam anterioribus, & priſtinis delictis in Judaiſmo perpetratis etiam in foro ſæculari quoad pœnam corporalem rectè excuſetur, & impunitatem conſequatur?

QUamvis affirmativa, ut mitior, æquior, & Reli- 1
gioni Chriſtianæ magis favens auſtruenda, & defendenda videatur; tamen negativæ ſententiæ defenſores ſequi malo, qui ſtatuunt cum D. Thoma *in* 3. *part. qu.* 69. *art.* 2. per baptiſmum impunitatem corporalem Judæo non tribui. Baptiſmi enim effectus non eſt, ut tollat pœnam corporalem, ſed ſpiritualem. Quamvis interim non negem Magiſtratum politicum poſſe Judæo verè pœnitenti præterita delicta in honore Chriſtianiſmi condonare, vel eorum pœnam commutare, ut & alii infideles hac ratione ad Chriſtianiſmum invitentur. Vide Petr. *concl. crim.* 35. Decian. *lib.* 5. *pract. crim. cap.* 11. *num.* 7. & *ſeqq.*

Atque hæc opinio receptior eſt, eamque probant Hoſt. 2
Butr. Præpoſ. & Abb. *in cap. Gaudemus de divort.* & iterùm Præpoſ. *in cap. Deindè d.* 26. Abb. Soccin. & Aretin. *in c. De his de accuſ.* ibique Anan. teſtatur de communi ac ſequuntur Dec. *conſ.* 130. Ruin. *conſil.* 13. *n.* 3. & *ſeqq. lib.* 5. Marquard. *de jur. p.* 3. *c.* 5. *nu.* 1. Nam quemadmodum per libertatem adeptam non tollitur delictum in ſervitute commiſſum, *leg. Athletas*, *§. Pomponius*, & *l. penul. de his, qui not. infam.* ita per ſuſceptionem baptiſmi non tollitur pœna delicti. Quod procul dubio procedit quando adſunt indicia, baptiſmum ſuſceptum fuiſſe in fraudem ad pœnam evitandam, ut probat textus *in c. Ad abolendam de hæret.* ibique Abb. *n.* 6. Ruin. *loc. cit. num.* 4. Ita ei, qui efficitur Clericus in fraudem delicti anteà commiſſi, Clericatus non prodeſt, Din. & Bart. *in l.* 1. *ff. de pœn.* Jo: Andr. *in cap.* 1. *de oblig. ad ratiocin.* & *in cap. Propoſuiſti de for. comp.* aliique, quos referunt Menoch. *præſumpt.* 76. *n.* 35. *lib.* 6. Carol. de Graſs. *de effect. Cler. effect.* 1. *n.* 1128. Quibus tamen hac in re non aſſentior, de qua aliàs. Cæterum fraude ceſſante cum infidelibus ad fidem converſis conſuevit mitiùs agi, quod fieri poſſe a Judice ex arbitrio, tradit ibidem Ruinus. Quod etiam cenſuit Sac Congregatio S. Officii ſub anno 1634. Volens enim Judæus baptizari cum tota ſua familia, S. Congregatio dixit, quod baptizetur, ſed non retardetur exe-

quutio

quutio pœnæ mortis, ad quam fuit damnatus, eò quod sclopum exoneravit ad Imaginem Beatissimæ Virginis, dum venatum ibat.

3 Quod praxi confirmo. Accidit enim annis elapsis, quod tres Judæi inquisiti, ac condemnati fuerint de assassinio contra Christianum commisso. Ex iis duo se declararunt post sententiam capitalem christianè fidei mysterii initiaturos, & D. Cardinalis Veraldus impetravit a Summo Pontifice commutationem pœnæ capitalis in pœnam triremium. Circa verò modum baptizandi fuerunt instructi in fide intra carceres per decem dies, indeque baptizati in Capella eorundem carcerum. Adverto tamen, quod pœnæ commut tio est mera gratia, quodque in criminibus iæsæ Majestatis, & adulterationis monetæ, ac similium nunquam hujusmodi gratia concedi solet.

CONSULTATIO XCIII.

De Ecclesiis, atque Oratoriis privatis, ac publicis quoad immunitatem.

1 QUoniam immunitas ex communissima sententia non personæ, sed loco concessa est, D. Fagnan. *in cap. Ecclesia S. Mariæ n.* 41. *de constit.* Et ille, qui dicit se talem esse, qualem se facit, probare debet ex ratione text. *in l. non ignorat. 9. de his, qui accus. non poss.* cum regula indubitata sit, quod dum lex requirit certas qualitates, debeant illæ actu concurrere, neque aptitudo sufficit, idem D. Fagnan. *in c. Inter cætera 4. de rescript. n.* 52. cum similibus, ideò dicendum est primò.

2 Oratorium privatum non gaudet immunitate Ecclesiastica. Est communis, Innoc. *in cap. Inter dilectos n. 2. de donat.* Felin. *in cap. De quarta n. 9. de præscript.* Lopez *l. 4. tit. 11. par. 1.* Paz. *in pract. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 3. n.* 30. Abb. *in cap. fin. num. 4. de censib.* Clar. *lib. 5. qu.* 30. *num. 7.* Armil. *v. Immunitas num. 19.* Tabiena, Angelus, & Sylvest. *ibid.* Farinac. *in prax. qu. 78. num. 71. & in append. cap. 17. num. 167.* Peregr. *de immunit. cap. 4. num. 62.* Mar. Ital. *lib. 1. de immunit. cap. 4. §. 4.* Tusc. *lit. L. concl. 59. num. 24.* Filiuc. *tract. 15. cap. 6. num.* 50. Gambacur. *lib. 1. de immunit. cap. 1. n. 3.* Bonac. *tom. 3. de censur. in par. disp. 2. qu. 3. punct. 16. §. 4. num.* 14. Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 9. num. 9.* Fagund. *præcept. 2. Eccles. lib. 4. cap. 4. numer. 64.* Remig. Gonni *de immunit. ampl. 2.* Sanchez *lib. 6. cons. moral. cap. 1. dub. 7. num. 2. & de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 39.* Trullench. *lib. 1. in decal. cap. 11. dub. 1. num. 9.* Lezan. *in summ. v. Immunitas n. 4.* Barbos. *de jur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 68.* asserens ita declarasse Sacr. Congregationem Episcopor. & Regular. sub die 7. Novembris 1617. Dian. *in fin. 5. par. num. 4.* ubi pluries in Congregatione decisum refert, Themud. *dec. 45. num. 29. p. 1.* Bordon. *in cons. regul. resol. 90. num. 6.* Navarr. *in man. cap. 25. num. 4.* Giurb. *cons. 10. num. 5. & 15.* Valasch. *dec. 103. num. 9.* Franch. *dec. 402. n. 7.* Decian. *tr. crim. cap. 25. num. 18. & seqq.* ac Glos. *in Clem. Quia contingit, v. Altare de relig. dom.*

3 Ratio est, quia in Oratoriis privatis non habet locum motivum illud, propter quod est introducta immunitas quoad Ecclesias, & alia loca, quæ illa gaudent. Motivum enim introducendi immunitatem fuit reverentia debita locis sacris, aut religiosis, juxta ea, quæ notant Glos. *in cap. Inter alia de immun. Eccles.* Abb. *ib. num. 4.* Covar. *lib. 2. var. cap. 20. num. 3.* In Oratoriis autem privatis non habet locum hujusmodi motivum, quia non sunt loca sacra, neque perpetuò divino cultui dicata, nec sunt loca religiosa, sed merè profana, quia ad libitum Domini converti possunt ad usum profanum.

4 Nec obstat, quod in ipsis offeratur Deo sacrificium, & sint ad hunc effectum deputata. Quia sunt deputata veluti ex accidenti, & non permanenter. Et ideò ex oblatione non recipiunt illam dignitatem, quàm reciperent, si essent deputata permanenter. Unde nec etiam est ipsis debita illa reverentia, quæ fundatur in dignitate consurgente ex deputatione, ut sit locus permanens pro oblatione sacrificii deputatus. Deindè dignitas, quæ consurgit ex oblatione sacrificii est veluti extrinseca, & proindè non exigit reverentiam illam, quam exigit dignitas intrinseca loci, qualis est, quæ consurgit ex stabili deputatione, & perpetua ad cultum Dei, & oblationem sacrificii. Minùs obstat, quòd etiam cultus privatus erga Deum sit divinus. Quia solùm ex hoc fit, quod Oratorium sit dicatum cultui privato divino, quod non sufficit, ut sit absolutè dicatum cultui divino. Concilium enim Tridentinum requirit, quod Oratorium sit absolutè dicatum cultui divino, itaut commune sit omnibus, sicut omnes habent jus ad cultum divinum.

5 Secundò, dicendum videtur, quod ut Ecclesia, vel Oratorium publicum gaudeat immunitate, constare debet ex scripturarum testimoniis de licentia Pontificis pro illis erigendis. Ita enim sancivit Gelasius Papa relatus *in cap. Basilicas de consecr. d. 1. & in c. De locorum*, & *in cap. Præcepta eod. d.* sicut etiam *in cap. Ecclesia ibid.* ubi Nicolaus Papa idem repetit. Item constare debet de dote, quæ sufficiat ad luminaria, & ad vitam Ministrorum, Abb. *cons. 89. n. 7.* Fusch. *de visit. lib. 1. cap. 21. de altar. sine dot. non fund. n.* 10. & 11. *lib. 2.* Lambert. *de jurepatr. lib. 1. q. 5. art. 21. num. 23. & 25.* quod repetit Vivian. *eod. tr. lib. 1. c. 2. n.* 65. & Alph. de Leon. *de Offic. Capel. q. 3. n. 13.* Quare si non habuerint dotem, vel ea non fuerit sufficiens juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & explicationem Doctorum in illis verbis, *d. c. De locorum: Et ostensa donatione*, quæ postea servetur apud acta Curiæ Episcopalis, arguendum videtur tunc non interveniisse licentiam pro illis erigendis juxta præceptum Honorii III. ut in *cap. Sicut 8. de consecr. Eccl.* & Glos. ibi *v. Consecranda*, & apertiùs *in c. 1. q. 2.* ex Concilio Bracharensi 2. *c. 5. & c. Piæ mentis 26.* & conveniunt Durant. *de rit. Eccles. lib. 1. cap. 24. n. 9.* ac alii.

6 Et cum ipsa dotatio apparere debeat per scripturam, habetur intentio fundata in negativa, nisi scriptura exhibeatur, ut in puncto censuit Rot. *dec. 69. n.* 38. & *39. p. 9. t. 1. rec.* Et quamquam magis pia sit illa opinio, quod Ecclesia adhuc non consecrata, & in qua divina non celebrentur immunitatis privilegio fruatur, attamen constare debet jactum fuisse lapidem primum ab Episcopo ex destinatione construendi Ecclesiam, ut distinguendo firmat D. Fagnan. *in d. cap. Ecclesiæ n.* 8. ibi: *Quia sufficit, ut locus sit dedicatus Deo authoritate Pontificis primarium lapidem imponentis*, Thom. Delbene *de immunit. t. 1. c. 2. dub. 2. sect. 7. n.* 15. ubi etiamsi Episcopus licentiam dederit ibi Missæ sacrificium celebrandi. Quod anteà docuerat Farinac. *de immun. in append. n.* 258. ibi: *Dummodo Pontificali auctoritate canonicè interveniente, & primarium lapidem ponente constructa fuerit.* Ea moti ratione, quia non tantùm consideranda est celebratio divinorum, quantum dedicatio Deo facta, quamvis perperam negent relati per Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 9. disp. 15. qu. 3. n.* 24. ibi: *Nomine Ecclesiæ quoad hunc effectum intelligitur sola Ecclesia consecrata, aut benedicta.* Quia ante hanc consecrationem, aut benedictionem non est locus sacer, & ibi: *desiderari ultra hoc, ut locus ille sit deputatus ad officia divina, aut fidelium sepulturas.* Hujus autem dotationis negativa comprobatur ex diligentiis factis per Cancellarium Curiæ Episcopalis tàm in regestis rerum beneficialium, quàm in aliis actis ejusdem Curiæ, in quibus non reperitur aliqua fundatio, vel donatio. Quæ diligentiæ sufficiunt ad probandam negativam Gregor. *dec. 139. num. 5.* & Rot. *dec. 683. num. 1.* apud Burattum.

7 Pariter constare debet, quod in Ecclesia, sive Oratorio publico sit altare lapideum ex textu *in c. Si Motum 19. c. Nullus 25. c. Placuit 26. c. Altaria 31. c. Altaria placuit 32. c. Altaris palla 39. de consec. d. c. Proposuisti 4. c. Lignis 6. de consecr. Eccl.* & *Altar.* Fusch. *de visit. d. lib. 1. cap. 21. n. 9.* Durant. *de rit. Eccles. lib. 1. c. 25. n. 3.* Castal. *in prax. lib. 2. sect. 1. num. 1.* Quod non sufficit esse constructum ex materia murali, nisi etiam doceatur habere necessaria requisita, & inter cæteras reliquias Sanctorum reconditas intrinsecus, ut uno calculo comprobant Canonistæ per textum *in d. c. Placuit 26. de consec. d. 1.* ante consecrationem paratas, & in actu consecrationis, Durant. *d. l. 1. c. 26. n. 4.* Fusch. *ubi supra c. 21. n. 3. & cap 22. n. 5.* Castal. *d. lib. 2. sect. 13. c. 8. n. 4.* Et de his ac ipsius dote, oblatione, & consecratione fit publicum documentum, ut idem Castal. *cit. sect. 13. c. 7. n. 19.*

8 Nec non debet constare de lampade aliqua accensa juxta præceptum *d. c. Nemo Ecclesiam de consecrat. d. 1.* cùm saltem una ardens requiratur ante altare illud sacratum, ubi Sanctorum reliquiæ reconditæ sunt. Castal. *cit. l. 2. sect. 3. c. 9. n. 5.* idque ex antiqua Patrum traditione.

9 Ac etiam constare debet de Campanile, & Campana, quæ propriè ad Ecclesias, & ad Oratoria publica pertinent. Latè Fusch. *lib. 1. c. 14. per tot.* & debent esse benedicta. Idem *cit. c. 14. n. 7.* & 8. Durant. *d. l. 1. c. 23. n. 6.* Castal. *eo lib. 2. sect. 12. c. 5. n. 1.* Aliàs esset Oratorium, seu Capella privata, vel domestica, in quibus vetitum est habere campanile, & campanam per Alex. III. *in cap. Patentibus 10. de privil.* & Doctores *ibid.*

10 Ulteriùs debet etiam constare de die dedicationis, deque solemnizatione dedicationis juxta præceptum Felicis Papæ, ut *in c. Solemnitates 16.* ibi, *Dedicationum Ecclesiarum, Episcoporum, & Sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, de consecr. d. 1.* Rot. *in rec. p. 1. dec. 245. n. 4. & dec. 616. n. 1.*

Simi-

11 Similiter debet constare quod Oratorium publicum sit constructum in civitatibus, vel Oppidis insignibus, non autem in villis, fortalitiis, arcibus, ut habetur *in d. v. Placuit* 26. ibi: *Placuit ut altaria, quæ passim per agros, per villas tanquam memoriæ Martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur, de consecr. d.* 1. Publica enim Oratoria consistere non possunt, nisi docto de necessariis requisitis juxta textum *in cap.* 4. *ead. d.* 1. *de consecr.* Vel ex permissu Summi Pontificis, vel Ordinariorum, & ut latè explicat Jo: Dartes ad *d. dist. de consecr. §. Item cum Martyrum reliquiis*, excluſa illa imaginaria præsumptione, & in his terminis intelligendus est Card. Zabarel. *cons.* 8. *n.* 1. *vers. Si verò construeretur sine licentia Diœcesani esset Oratorium privatum, & cons.* 11. *n.* 5. & 6. Lap. *alleg.* 41. *numer.* 12. Federic. de Sen. cons. 151. *num.* 5. *vers. Ad hoc facit, quod si Oratorium est in Hospitali, sibi accedit, & naturam Hospitalis, non Ecclesiæ sortitur, in tantum quod Laicus purus ratione principalis scilicet Hospitalis, ipsius Oratorii dominus, sive administrator esse potest.*

12 Non obstat, quod hujusmodi Oratoria habeant aliqua bona. Quia etiam privata Oratoria possunt habere annexa bona aliqua, ex quibus personæ Ecclesiasticæ percipiant annuos redditus, & tamen non sunt beneficia Ecclesiastica, neque inde possit inferri ad statum beneficii Ecclesiastici ex Rota in una *Auximana residentiæ* 23. Maji 1609. coram Manzanedo, & firmat Lotter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 3. *n.* 6. Unde judicanda sunt juxta naturam loci, in quo sita sunt, Innoc. *in cap. inter dilectos* 8. *de donat. num.* 2. *vers. Sed oppones, ibi erat Ecclesia S. Alexii, ergo erat locus religiosus, & ejus cura ad Archiepiscopum pertinebat. Sed non erat ibi Ecclesia, quæ dignitatem Ecclesiæ obtineret, sed forte erat ibi locus aliquis, qui erat deputatus celebrationi, & orationi, sicuti ferè est in omnibus palatiis magnarum personarum*, Jo. Andr. *n.* 11. Angel. de Ubald. *cons.* 384. *n.* 1 D. Fagnan. *in cap. Auctoritate de censibus a num.* 11. referendo resolutiones suo tempore S. Congregationis *n.* 24. & Oratoria publica esse censuit cum habeant ostium, quod immediatè respondeat in viam publicam, & nullum habeant aditum, vel prospectum a loco privato. *Et n.* 27. *vers. Sed tantùm congruit Oratoriis publicis, quæ sacris ministeriis dedicantur auctoritate Episcopi.* Quos etiam notaverat Lotter. *d. lib.* 1. *q.* 13. *n.* 29. Nec obstat celebratio Missarum. Quia possunt celebrari etiam in privatis Oratoriis, ut latius dixit Rot. cor. Seraph. *dec.* 1095. *num.* 4. & *seqq.* ubi ponderat præsertim quando Oratorium rectum, & gubernatum est per laicos, qui ad suum nutum sub certi salarii constitutione semper deputarunt Capellanos absque alia Episcopi auctoritate, vel alterius Prælati Ecclesiastici, sequendo in his terminis Roman. *cons.* 477. *a n* 7. & *seqq.* Dec. *cons.* 148. *n.* 1.

13 Nihilominus dicendum est tertiò. Ut Ecclesia, vel Oratorium publicum gaudeat immunitate sufficit, quod sit erectum de licentia Episcopi. Nam licèt de jure antiquo fuisset necessaria licentia Summi Pontificis, hoc ideò servabatur, quia raræ admodum erigebantur Ecclesiæ. At temporis progressu erectio, & consecratio Ecclesiarum non est amplius de reservatis Summo Pontifici, sed sufficit, quod Episcopus loci concedat licentiam, hanc autem esse necessariam constat ex *d. c. Nemo de consecr.* & *ex auth. de Eccles. tit. §. Si quis autem*, & *ex auth. Ut detur numerus Cler. §.* Immò in *c. Auctoritate de privil. in* 6. hoc extenditur etiam ad exemptos, itaut non possint erigere Ecclesias in locis non exemptis sine consensu Diœcesani, & in exemptis sine licentia Papæ, vel ejusdem privilegio. Et ita notant communiter Doctores, & Glosa *in d. c. Nemo*, ubi etiam Archid. & cæteri *in d. cap. Auctoritate*, Angel. *v. Ecclesia n.* 5. Sylvest. *eod. v. q.* 1. Tab. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *c.* 3. *q.* 2. D. Anton. 3. *p. tit.* 12. *c.* 2. *§.* 2. Piasec. *in prax. Episc. p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Pax Jord. *to.* 2. *Lucubr. lib.* 5. *tit.* 8. *num.* 13. Verùm hodie Regulares quicunque exempti non possunt erigere novas Ecclesias, & Monasteria absque licentia, idque ex omnium recentissima dispositione Innocentii X. sub anno 1652. idibus Octobris, quæ est 28. ejusdem Pontificis in Bullario *§.* 5. ubi amplissimæ derogatoriæ, quibus utitur, derogant quibuscunque privilegiis. Concurrere verò debent illa Canonis requisita, ibi: *Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus civitatis veniat, ibidem Crucem figat, publicè atrium designet, & ante præfiniat qui ædificare vult, quæ ad lumnaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant, & ostensa donatione, sic domum ædificet.*

14 Verùm quidem, si Ecclesia, vel Oratorium publicum sit ædificatum sine dote, non debet consecrari, nisi provideatur de dote congrua. Ita communiter Doctores superiùs citati, & statuitur *in d. c. Cùm sicut de consecr. Eccles.* At non inde sequitur, quod si fuerit absque dote de licentia Episcopi erectum, vel consecratum, non gaudeat immunitate. Quia Oratorium, vel Ecclesia per solam deputationem ab Episcopo factam, vel consecrationem, sanctificatur, & specialiori modo trahit ad præsentiam Dei, ejusque cultum, ac proindè fit etiam digna veneratione, ac reverentia, Cajet. 3. *p. qu.* 83. *ar.* 3. Sot. *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Suar. 3. *p. t.* 3. *disp.* 15. *sect.* 4. & alii cum D. Thom. 2. 2. *qu.* 84. *art.* 3. *ad* 2. Sed solùm sequitur, quod vel fundator Ecclesiæ, & qui fecit eam consecrare, si neque in fundatione, neque in consecratione dotata fuerit, possit ac debeat compelli ad dotandum, sicut etiam hæredes ipsius in ejus defectum per *d. auth. de Eccl. §. Sin autem*, & *§. Si quis ædificationem*, & *cap. Præmentes* 26. *qu. ult.* & expressè statuitur in *d. c. Cùm sicut de consecr. Eccles.* Venit enim in consequentiam ad fundationem, & consecrationem Ecclesiæ manutentio ipsius, & ideò qui vult primum, tacitè se obligat ad secundum, *§.* 3. *instit. quibus ex caus.* & *l.* 2. *ff. de jurisd.* Vel Episcopus, qui erexit, aut consecravit indotatam Ecclesiam, vel Oratorium, deficiente fundatore, & hærede, quia scilicet non habeant, unde dotent, teneatur dotare, etiamsi solum consensum præbuerit consecrationi. Ita Glos. *in d. c. Cum sicut v. Consecranda*, Goffred. *in sum. tit. de Consecr. Eccles. n.* 3. *in fin.* Palaus *p.* 4. *oper. moral. tr.* 22. *disp. un. punct.* 8. *n.* 2. Pax Jordan. *to.* 1. *lucubr. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 115. Quia scilicet Episcopus permittens erigi, vel consecrari Ecclesiam sine dote, est in culpa, cùm teneatur inquirere, an sit dotata. Et ideò tenetur supplere, quòd sua culpa in damnum Ecclesiæ factum est, *l. fin. ff. De eo, per quem factum erit*, & *l. si duobus*, *§.* 1. *in fin. ff. Si mensur. falsi. mod. dix.*

Pro probanda autem erectione, vel deputatione Ecclesiæ, aut Oratorii publici de licentia Episcopi, vel ejusdem Ecclesiæ, sive Oratorii benedictione, aut consecratione non requiritur plena, & concludens probatio, sed sufficit aliqualis, ac etiam minor semiplena. Dummodò talis probatio in suo genere sit certa. Ita communiter Doctores, testante Pax Jord. *d. tom.* 1. *lucubr. l.* 5. *tit.* 9. *n.* 48. Quia non agitur de alicujus præjudicio, sed de re maximè favorabili. Unde Glos. margin. *in d. cap. Solemnitates* dicit, quod etiam id probatur per indicia. Quod aliqui procedere ajunt, quando indicia sunt certa, & non tantùm in suo esse conjecturalia, & quando sunt circa factum ipsum, non autem circa probabilitatem facti tantummodò, quia hæc non probant factum esse, sed quod probabile sit, quod sit factum. Undè adhuc relinquit factum in incertitudine. 15

Ipsa verò erectio, deputatio, benedictio, vel consecratio probari potest per testes. Ita statuitur *in d. cap. Solemnitates*. Sufficitque unicus, Glos. *in d. cap. Solemnitates, v. Nec certi testes*, Pax Jord. *d. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 57. Ratio generalis est, quia quando agitur de favore alicujus, & in iis, quæ nemini nocent, sufficit unicus testis, *cap. Cum itaque*, & *c. Pastoralis de consecr. d.* 4. & tradunt Glos. *fin. in cap. Licet universis de testib.* & *in cap. Placuit de consecr. d.* 4. & *in cap. Quantò* 2. *q.* 9. Gemin. *ibid.* Specul. *tit. de testib.* 9. *fall.* 9. & 16. Felin. *in c. Veniens de testib.* Hippol. *in l.* 1. *§. Idem Cornelio, ff. de qu.* Afflict. *super constitut. tit. de Apost. n.* 12. *l.* 1. Gabr. *tit. de testib. concl.* 1. *n.* 16. Hæc autem tendunt in favorem Ecclesiæ, & non in præjudicium alicujus, & ideò sunt ex illis, quæ teste unico probari possunt. Immò sufficere testem de auditu tenet Glos. *in d. cap. Solemnitates, v. Nec certi testes.* Quod etiam videtur sentire Innoc. *in rubr. de consecr. Eccles.* quem citat Pax Jord. *d. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 54. & concludit, quod prudens arbitrium Episcopi debet judicare ex circumstantiis, an sufficiat dictum unius testis. Hoc tamen, ut tandem veritatem agnoscamus, procedit, quando aliquis super erectione, deputatione, benedictione, aut consecratione Ecclesiæ, vel Oratorii non fundaret suam intentionem. Nam in casu, in quo fundaret in ordine ad agendum in judicio, deberet de ipsis plenè constare. Quia tunc cum procederetur judiciali modo, probationes quoque, ex quibus deberet resultare sententia, deberent esse judiciales. Et ita notat etiam Pax Jord. *d. l.* 5. *tit.* 9. *n.* 55. Quia, inquit, cessaret ratio, ob quam sufficeret unicus testis; nam ageretur de alterius præjudicio. 16

Probari etiam possunt ex memoriis relictis, sive tanquam testificationibus, sive tanquam signis, inter quas sunt inscriptiones, quæ positæ sunt ad effectum conservandi memoriam gestorum, atque adeò vim habent authenticæ probationis, *c. Sane* 24. *q.* 2. & *l.* 1. & 2. *ff. de alb. scrib.* & tradunt Hippol. *in rubr. n.* 192. *C. de prob.* 17

prob. Alex. *conſ.* 90. *n.* 22. *vol.* 6. Calcan. *conſ.* 98. *n.* 8. Guidop. *conſ.* 88. *n.* 2. & *q.* 193. *n.* 1. Præſertim quia teſtificanda eſt nuda exiſtentia, quæ non requirit aliam probationem præter inſpectionem. Sunt etiam & Cruces, quibus probatur Eccleſiæ conſecratio, Lambert. *de jurep. p.* 7. *art.* 2. *q.* 1. *lib.* 1. *n* 1. Maſcard. *de prob. v. Eccleſia an præſum. conſecr. concl.* 583. *n.* 2. Etiamſi non auſint omnes Cruces, ſed aliquæ tantum, Pax. Jord. *d. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 59. Recenſentur etiam inter has memorias libri, & cæteræ ſcripturæ Eccleſiæ, in quibus hi actus notati ſunt, Gloſ. *in d. c. Solemnitates*, Innocent. *in d. rubr. de conſecr. Eccleſ. num.* 1. Abb. *in c p. Cùm cauſam de prob.* Felin. *n.* 2. Debent tamen eſſe tales, ut ſoleat ipſis fides adhiberi, Gloſ. *in c. Venerabilem*, *v. Tranſtulit de elect.* Bart. *in l.* 1. *ff. ſi cert. pet.* Felin. *in d. cap. Cùm cauſam num.* 1. *de prob.* utque teſtentur tanquam de re certa ſcribenti, & ideò ſi id ſcriptum fuiſſet tantum de auditu, non probarent, ut notant Bald. *in l.* 1. *ff. de offic. qu.* Probantur etiam fama. Quia quando ſumus in antiquis, præſertim civilibus, fama plenè probat, Abb. *in cap. licet ex quadam poſt init. de teſtib.* Jo: Andr. *ibid.* Hoſt. *in cap Inter dilectos de fid. inſtr.* ubi etiam Abb. *nu.* 6. Bald. *in l. Conventicula*, *v. Ex his infero*, *C. de Epiſc. & Cler.* Alex. *in l. Cum aliquis*, *C. de jur. delib.* Jaſ. *ibid.* Specul. *tit. de probat. §. Nunc dicamus*, *ver. Concilium ergo*, Gabr. *lib.* 5. *de præſcript. concl.* 1. *num.* 84. Oportet tamen quod ſit conſtans, quodque originis ipſius non extet initium, alioquin ſi conſtaret, juxta ipſum formandum eſſet judicium. Et nominatim celebratione ſolemnitatis conſecrationis probatur conſecratio, ſi tamen fuerit continuata, itaut præſumi poſſit incepiſſe ſtatim poſt peractam conſecrationem. Nam facit vehementem præſumptionem, quod Eccleſia fuerit conſecrata. In antiquis autem, præſertim quando non requiritur exacta probatio, ſufficiunt probationes præſumptivæ, *l. Celſus*, & *monumenta*, *ff. de prob. & l. qui ex libertis*, *ff. de bonor. poſſeſſ. cap. Cùm cauſam de prob. & cap. Veniens de teſt.* & tradunt Cravet. *p.* 1. *de antiq. temp. p. ult. num.* 30. & 31. cùm Jaſ. & Calcan. Soccin. *conſ.* 266. *num.* 31. *vol.* 2. Pariſ. *conſ.* 104. *num.* 42. *vol.* 1. Corn. *conſ.* 24. *n.* 1. *vol.* 4. Caſtr. *conſ.* 168. *lib.* 2. Alex. *conſ.* 187. *num.* 3. *lib.* 2. Anchar. *conſ.* 210. Soccin. ſen. *conſ.* 187. *lib.* 2. Afflict. *dec.* 13. *n.* 64.

18 Quartò dicendum eſt, quod tametſi de jure antiquo non liceret offerre ſacrificium, niſi in Eccleſia ab Epiſcopo conſecrata, ut ſtatutum fuit in Concilio Romano relato *in cap. Nullus de conſecr. d.* 1. Quia cum templum ſit in ordine ad ſacrificium, debuit ſacrificium offerri in templo tanquam in loco proprio, & ad ipſum deſtinato. Debuit autem templum deſtinari, & conſecrari, ita exigente cultu divino, ut conſtat ex jam ſuperiùs adductis. Tamen fuit relictum in poteſtate Epiſcopi loci concedere licentiam offerendi extra Eccleſias conſecratas. Ita ſtatuit Clemens Papa *epiſt.* 3. quæ refertur *in cap. Hic ergo de conſecrat. d.* 1. Idem etiam ſtatuit Concilium Triburienſe *c.* 4. relatum in *cap. Miſſarum de conſecrat. eod. diſt.* Nam cùm Eccleſiæ conſecratæ eſſent tunc temporis rariſſimæ, nec etiam omnes fideles ad ipſas convenire poſſent, erat moraliter impoſſibile, quod ſemper celebraretur in ipſis, & ideò facta eſt facultas Epiſcopo concedendi licentiam celebrandi extra Eccleſias conſecratas.

19 Hinc regulariter ſacrificium offerri poteſt non ſolùm in Eccleſiis conſecratis, ſed etiam in Eccleſiis, aut Oratoriis tantùm benedictis, aut etiam non benedictis, deputatis tantùm cultui divino, ob quem immunitate gaudent. Ita communiter Doctores, qui etiam advertunt, quod hujuſmodi Eccleſiæ, vel Oratoria debent eſſe approbata, vel a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, Gl. *in c. ſi Eccleſia de conſecr. Eccleſ. vel. alt.* Panorm. *nu.* 3. & cæteri Doctores, *ibid.* D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. Raymund. *lib.* 3. *ſum. tit.* 13. *c.* 6. *§.* 4. Sot. *in* 3. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 3. Tabien. *v. Miſſa*, Sylveſt. *eod. v. quæſt.* 5. *dicto* 1. Angel. *v. Euchariſtia q.* 10. Graff. *p.* 1. *dec. lib.* 2. *c.* 42. *n.* 1. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Henriq. *lib.* 9. *ſumm. cap.* 27. *n.* 4. Vaſq. 3. *p. diſp.* 233. *cap.* 1. *n.* 2. Suar. *diſp.* 82. *de Euchar. ſect.* 3. Fagund. *præc.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 5. Reginald. *lib.* 29. *prax. for. pœnit. cap.* 9. *ſect.* 5. *n.* 175. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. Diaz. *in pract. crim. cap.* 39. Nald. *v. Miſſa n.* 31. Cuch. *inſtit. lib.* 5. & 6. *n.* 38. Navar. *in man. cap* 25. *n.* 82. Fuſcus *lib.* 1. *de viſit. cap.* 21. *nu.* 8. Sanch. *lib.* 9. *de matr. diſp.* 15. *num.* 25. & 36. Laym. *lib.* 5. *Theol. mor. tr.* 5. Conin. *de ſacram. qu.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. Palaus *par.* 4. *oper. mor. tract.* 22. *diſp. un. punct.* 8. *n.* 1. Gaſp. Hurtad. *de Sacram. diſp.* 4. *de Sacrif. Miſ. nu.* 6. Amic. *to.* 7. *curſ. theol. diſp.* 33. *ſect.* 12. *num.* 331. Villalob. *p.* 1. *ſum. tr.* 8. *diff.* 23. Tanner. *to.* 4. *diſp.* 5. *q.* 10. *dub.* 2. *nu.* 18. Trullench. *lib.* 3. *de Sacram. c.* 8. *dub.* 14. *nu.* 1. Leſſ. *de Sacram. q.* 83. *n.* 77. Garz. *lib.* 2. *de Sacr. Miſſ. c.* 13. Fauſt. *de Euchar. lib.* 2. *q.* 166. Quart. *in rubr. Miſſal. p.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 3. Dicaſt. *tract.* 3. *de Sacram. diſp.* 4. *dub.* 6. *nu.* 85. Averſ. *qu.* 11. *de Euchar. ſect.* 14. Maſchard. *to.* 2. *lib.* 4. *p.* 1. *tract.* 11. *docum.* 1. *n.* 2. Franciſc. de Lugo *lib.* 5 *de Sacram. cap.* 6. *num.* 1. Tambur. *opuſc. de Sacr. Miſs. cap.* 4 *§.* 1. *nu.* 1. Pax Jord. *tom.* 1. *lucubr. lib.* 4. *tit.* 4. *num.* 113.

Hoc autem ex eo ſequitur, quod non ſolum antiquitus dicebat celebrare extra Eccleſias conſecratas cum Epiſcopi licentia, ut conſtat ex teſtibus relatis, ſed etiam ex diſpoſitione noviſſima S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *in* decreto *de ſerv. & vitand. in celebrat. Miſs.* ubi inter alia diſponit: *Neve patiantur*, Epiſcopi, *privatis in domibus, atque omnimò extra Eccleſias, & ad divinum cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc Sacrificium a ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi*. In quibus concedit, poſſe celebrari Miſſam in Eccleſiis, ac etiam in Oratoriis, dummodo tantum divino cultui inſerviant, & negant, ſeu injungit Epiſcopis quod non ſinant offerre extra dicta loca. Per Oratoria autem dedicata non intelligit Oratoria conſecrata, aut benedicta, ſed ſolùm deputata pro ſolo Divino cultu, cùm ita praxis declaret. Idque ratione. Quia licet Eccleſiæ in maximo numero creverint, & etiam plurimæ ſint conſecratæ, attamen quia conſecratio eſt difficilis, cùm ſit longiſſima cæremonia, implenda a ſolo Epiſcopo, pluribus aliis occupationibus diſtento, & quia etiam numerus Miſſarum maximus eſt, & quia non poſſunt fideles, præcipuè in villis, & oppidis ita facilè accedere ad Eccleſias conſecratas, ideò factum eſt, quod paſſim reduceretur ad praxim, quod jure antiquo de licentia Epiſcopi concedebatur, nimirum celebrandi extra Eccleſias conſecratas, in locis tamen dicatis Divino cultui. Et quamvis conſecratio fiat etiam in ordine ad ſacrificium, immediatè tamen eſt propter ſolemnem ſanctificationem loci, & ut ſit proportionata habitatio Dei, qui ad oſtendendos ſuos effectus juxta illud Heliodor. *lib.* 2. *Machab. cap.* 3. *in loco iſto eſt verè Dei virtus quædam. Nam ipſe qui habitat in Cœlis Viſitator, & auditor eſt loci iſtius.* Unde ex hoc tantùm fit, quod Eccleſiæ, & Oratoria conſecrentur, & quod Epiſcopi debeant eſſe faciles ad implendum pro hoc munere propriam operam. 20

Immò, ut Eccleſia, vel Oratorium gaudeat privilegio immunitatis, non oportet, ut in iis divina celebrentur; ſed eo ipſo quod auctoritate Epiſcopi fuerit conſtructum, immunitate gaudet. Quia talis locus eſt religioſus, & divinis obſequiis dicatus. Quod autem in ipſo divina non celebrentur eſt per accidens, ſufficitque quod celebrari poſſint. Eſt communis, quam in primis ſequitur Correa *in relect. de immun. part.* 2. *num.* 8. Peregr. *de immun. cap.* 4. *num.* 7. Raphael de la Torre *tom.* 1. *in* 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *diſp.* 7. *grad.* 8. Germon. *de Sacram. lib. cap.* 16. *num.* 23. & *ſeq.* Bonacc. *diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 4. *num.* 2. & Farinac. *de Immun. cap.* 17. *num.* 258. qui rectè *num.* 261. id extendit ad Eccleſiam non perfectè conſtructam. Nam eo ipſo, quod auctoritate Epiſcopi cœpit conſtrui, dicitur locus divinis obſequiis dicatus, & immunitate gaudet. Deputatio enim Epiſcopi auctoritate facta locum benedictionis ſupplet, eſtque velut conſecratio quædam, ac proindè tanquam locus ſacer, & religioſus gaudet immunitate, ut docent Abb. *in rubr. de conſecr. Eccleſ. n.* 3. Angel. *v. Eccleſia n.* 3. Porrò ratio concedendi hanc immunitatem non eſt Sacrificium, vel continua Chriſti Sacramentalis præſentia, ut voluit Covarruvias *lib.* 2. *var. c.* 20. quem aliqui ſectantur; ſed quod talis locus ſit auctoritate Epiſcopi divino cultui deputatus, Peregrin. *ubi ſup. n.* 2. Ital. *lib.* 1. *c.* 4. *§.* 3. *n.* 5. Farinac. *loc. alleg. n.* 254. Bonacc. *ibid.* Palaus *to.* 2. *tr.* 11. *punct.* 6. *num.* 2. aliique communiter. Quam ſententiam ſequuta eſt S. Congregatio Immunitatis tum aliàs, tum in una Romana 1666. 21

Ut autem Eccleſias, & Oratoria, quæ inſerviunt pro oblatione ſacrifici, & ſunt tantùm divino cultui deputata probari poſſit erecta fuiſſe auctoritate Epiſcopi, ſufficit quod conſtet de jus tacita licentia. Ita Sylv. *de benef. p.* 1. *q.* 6. *n. ult.* Zerol. *in prax. Epiſcop. p.* 1. *v. Miſſa n.* 1. Fagund. *præc.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 5. Franc. Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 6. *n.* 3. Pax Jord. *tom.* 1. *lucubr. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 114. *ex cap. Miſſarum de conſecr. d.* 1. ibi, *vel ubi ipſe*, Epiſcopus, *permiſerit*. Si igitur ſufficit permiſſio, ſufficit etiam tacita licentia, cùm permiſſio plus dicat, quàm tacita licentia. Nam Epiſcopus aut annuit, aut ſaltem non contradixit, ſed ſinivit erigi Eccleſiam, vel Oratorium, & tunc facto ipſo expreſsè conſentiit, & declaravit, quod non contradixit erectioni. Conſenſus enim non ſolum verbis, ſed etiam facto, & nutu declaratur, *l. Labeo*, *§. ult. ff. de ſupellect. leg.* & *l. Ibi non voce*, *ff. de regul. jur.* & *l.* 2. *ff. de pact.* & notant Angel. *conſ.* 335. *num.* 3. Harprech. *Inſtit. de nug. n.* 181. Illa autem taciturnitas Epiſ- 22

copi

copi cùm potuerit contradicere, & debuerit, si noluit, est signum consensus.

23 Itaque ex eo tacita licentia sufficiet, quia nullo jure requiritur expressa. Quando autem nullo jure requiritur expressa, sufficit licentia quæcunque, quæ inducat verum consensum, atque adeò etiam interpretativum, qui est verus consensus. Quod colligitur ex diverso modo disponendi in jure. Nam quando disponit, quod requiritur aliqua licentia, aliquando solùm decernit, quod intercedat licentia, aliquando verò requirit explicitè expressam licentiam, Hic autem varius modus disponendi satis indicat, quod quando non facit mentionem de expressa licentia, sufficiat quæcunque, etiam tacita. Quæ duplici modo haberi potest. Primò, si sciat Episcopus erigendam Ecclesiam, vel Oratorium, & non contradicit, inhibendo erectionem. Et hoc pacto, quamvis non exhibeat erectoribus aliquod signum consensus, potest tamen argui tacitus consensus. Quia si putaret non expedire, quod erigeretur, teneretur inhibere. Secundò si nihil sciat de futura erectione, sed concurrant tales circumstantiæ, ut sufficiant pro præsumendo consensu. Quæ quia prudenti judicio ponderandæ sunt, ideò non possunt comprehendi sub aliqua regula.

24 Non ex eo igitur, quod de erectione, aut deputatione Ecclesiæ, vel Oratorii cum auctoritate, ac licentia expressa Episcopi minimè appareat ex publico instrumento, censendum est Ecclesiam, vel Oratorium non gaudere immunitate, quoniam adhuc ex signis Ecclesiam, vel Oratorium erectum fuisse auctoritate Episcopi sive expressa, sive tacita demonstrari jam potest, quod satis est. Aliud enim est supponere Ecclesiam, vel Oratorium sine auctoritate Episcopi erectum esse, ut publicum dici non possit, ac proindè nec locus immunis, aliud, quod de consensu, de licentia, seu auctoritate per publicas scripturas non doceatur. Tunc enim ad signa concurrunt Doctores, & ex eis publicum, vel privatum præsumunt. Et quidem publicum erit si altare lapideum in eo constructum sit, quia tunc auctoritate Episcopi erectum censebitur, Decian. *tr. crim. cap.* 25. *n.* 19. *lib.* 6. Farinac. *de immun. c.* 17. *n.* 267. Guazzin. *in defens.* 1. *c.* 37. *n.* 29. Sanfelic. *dec.* 219. *n.* 5. Vel si aditus ipsius ad publicam viam pertineat, & unicuique concedatur ingressus, Remig. de Gonni *de immun. ampl.* 1. *regul. n.* 5. Sanfelic. *d. dec. n.* 4. Vel si ibi publicè celebrentur missæ, & quisque indifferenter admittatur ad illas audiendas, ut distinguendo firmat D. Fagnan. *in cap. ult. de censib. n.* 4. Mascard. *de probat. concl.* 869. *n.* 2. Delben. *de immun. c.* 2. *dub.* 2. *sect.* 7. *n.* 38. *& seqq.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 132. *nu.* 51. Ubi quod ad hunc effectum sufficit celebratio decennalis, Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 39. alios referens. Præsertim si publicè, & in quibusvis anni solemnitatibus in eo celebretur, ut declaravit S. Congregatio Episcop. & Regul. in una Januen. die 7. Junii 1605. Nam in altari privati Oratorii solet ex Privilegio Apostolico concedi celebratio Missæ, exceptis solemnioribus festis, nempè Nativitate Domini nostri, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, & Assumptione B. Virginis, festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. Oratorium enim non censetur dicatum divino cultui, nisi sit publicum. Quia cultus divinus ex natura sua est publicus, & communis omnibus. Unde non potest Oratorium dici dicatum cultui divino, nisi in ipso exerceri possit eo modo quo exigit ex natura sua exerceri. Vel si ædificatum appareat in Ecclesia, *cap. Quod interrogasti* 27. *d. cap. Vidua, & c. ult. de presb. non bapt.* Archid. *in c. Nemo de consecr.* 6. *d.* 1. Vel si habeat campanile cum campana, quæ publicè pulsatur pro convocatione populi ad Ecclesiasticas functiones, *cap. Patentibus de privil.* Sanfelic. *cit. dec.* 219. *sub num.* 3. allegans Calderinum, & alios, Ital. *de immun. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 3. Mascard. *ubi supra n.* 1. Decian. *etiam supra n.* 19. ubi de campana existente extra ædificium. Quamvis necessarium non sit, ut Oratorium sit publicum, quod adsit campana ad convocandos populos, sed sine ipsa adhuc remanet publicum, si omnibus pateat, ut advertit Thom. Hurtad. *p.* 2. *ref. mor. tr.* 12. *c.* 1. *in digress.* §. 1. *dub.* 1. *n.* 2194. contra Trullench. *in Bull. Cruc. lib.* 1. *dub.* 4. *n.* 5. & Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 12. Quia campana est tantùm signum publici Oratorii, & proindè supponit, quod jam sit publicum, non autem pertinet ad formam, per quam constituitur publicum. Nam in tantum campana ordinatur ad convocandos populos, in quantum Oratorium est omnium usui destinatum, atque adeò erectum, ut publicum. Vel si habeat speciale nomen alicujus Sancti, & in ejus die celebretur solemne festum, Remig. de Gonn. *cit. regul.* 1. *n.* 5. Sanfelic. *d. dec. n.* 4. Vel si in eo fiant publicæ processiones, quæ non nisi in publicis Oratoriis fieri permittuntur, juxta *c. certum est de consecr. d.* 1. ibi: *Certum est nostris præceptionibus constitutum, nè quis in Ecclesia, aut in Oratorio, quod sedis nostræ permissione non legitur dedicatum, processionem publicam putaret impendi, nè conditores furtivis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent.* Vel si visitatum appareat ab Episcopo, cui non competit proprium jus visitandi Oratoria privata, licèt possit ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, & an benè tractentur, ut pariter distinguit D. Fagnan. *in d. c. ult. n.* 2. *de censib.* Thom. Delben. *t.* 2. *c.* 16. *sect.* 12. *dub.* 11. *n.* 6. Castropal. & alii apud ipsum. Ex visitatione autem Episcopi non potest intelligi Oratorium privatum. Tum quia hoc non subest visitationi Episcopali, qualia debent esse, quæ permittit Tridentinum. Nam licèt Oratorium privatum visitetur quando primò conceditur licentia, non tamen continuat jurisdictio Episcopi ad illud visitandum, cùm privatum sit, unde de facto non visitatur, *cap. fin. de censib. juncto cap.* 1. §. *Deinde eod. tit. in* 6. Vel si habeat dotem, aut redditus temporales, Abb. *in cap. fin. de cens. n.* 3. Ubi ex hoc signo discernit Oratorium publicum a privato. Quod confirmat Decian. *cit. cap.* 25. *n.* 19. ibi: *Si nulla foret ei dos constituta, licèt hoc non uti necessarium observetur*, Villagut. *de immun. n.* 28. quem refert, ac sequitur Sansel. *d. dec.* 219. *num.* 3. Unde S. Congregatio Episcop. & Regul. in una Ragusina die 11. Augusti 1597. & in una Siracusana die 1. Julii 1623. censuit non esse necessarium quod Oratorium publicum sit dotatum, & multo minus privatum. Quia dos non exigitur, nisi in consecratione. Id, quod habetur in *c. Cùm sicut* 8. *de consecr. Eccles. vel altar.* Vel si habeat certum Capellanum cujus Cappellania confertur in titulum, Zabarel. *cons.* 11. *n.* 6. Farinac. *in fragm. de immun. n.* 267. Quare Sac. Congregatio Concilii in una Terracinen. die 28. Julii 1619. & in una Policastren. die 15. Junii 1616. & in una Licien. die 15. Januarii ejusdem anni censuit non comprehendi in decreto S. Concilii Tridentini, nec in decreto prohibitionis celebrandi in Oratoriis privatis sub Paulo V. Capellas, quæ sunt erectæ in beneficium, & conferuntur in titulum, quamvis existant intra palatia laicorum. Et S. Congregatio Immunitatis in una Neritonen. die 17. Januarii 1628. censuit, Capellam cum beneficio esse removendam a domo privata, licèt dum non est remota, gaudeat etiam immunitate. Vel si Capellania sit de jurepatronatus. Jus patronatus enim cadit solùm in publicis Oratoriis, Vivian. *de jurep. p.* 1. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 38. & præsupponit tanquam fundamentum auctoritatem Ordinarii, idem Vivian. *l.* 2. *c.* 1. *art.* 8. Vel si ibi sit sepultura, aut cœmeterium, vel administretur baptismus, vel recipiat decimas, vel sit immune a solutione collectarum, ut ex Abb. Mascard. Quama. Ricc. Filliuc. Decian. Farinac. Sanch. Bonacc. & ex Rota tradit Delbene *c.* 2. *sect.* 7. *a n.* 38. Vel si habeat cymbalum, & publicè pulsetur, quia privatis Oratoriis publica cymbali pulsatio non conceditur, *c. Patentibus de privil.* & docent ibi Butr. *n.* 1 Abb. *n.* 1. *& in cap. Inter dilectos n.* 8. *de donat.* Felin. multis citatis *cap. De quarta nu.* 12. *de præscript.* Sylv. *v. loca religiosa q.* 3. latè Mascard. *concl.* 869. *n.* 3. *&* 4. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 1. §. *Sed non est verum.* Ac tandem Capellæ, vel Oratoria sunt publica non privata si habeant conditiones infrascriptas, quæ ponuntur in Brevi declaratorio. *Ut si Oratorii, vel Capellæ hujusmodi porta viæ publicæ adjaceat, & in ea nulla alia porta, quæ ad aliquam domum ducat, existat, & quatenus existat, illa omnino claudatur, atque ita a privatis domibus separatæ sit, ut per eas ad eam accessus, aut prospectus nemini pateat, Capellam hujusmodi sub prohibitione de mandato fel. rec. Pauli V. prædecessoris nostri de non celebrando in privatis Oratoriis publicata minimè comprehensam esse declaret, & ubi capax, & ornata decenter existat, neque aliquid eorum, quæ ad sacrum in ea faciendum necessaria sunt, desideretur.*

Si igitur unum, vel alterum, plura, vel maior pars, 25
vel omnia ex signis adductis concurrerent, & tolerata fuerint ab Episcopo, certè hujusmodi Capella sive Oratorium gaudet immunitate, Decian. *d. lib.* 6. *c.* 25. *sub n.* 19. Farinac. *ubi sup. d. n.* 267. Sanch. *de matr. d. lib.* 9. *disp.* 15. *a n.* 19. Mascard *de probat. concl.* 869. *nu.* 1. Delben. *d. cap.* 16. *sect.* 12. *dub.* 11. *in fin.* Guazzin. *defens.* 1. *c.* 27. *nu.* 29. quibus præluxerat Roman. *cons.* 477. *num.* 13. estque communis.

Illud autem, quod dicitur in d. Brevi declaratorio de 26
privato ingressu ad hæc Oratoria, quod scilicet non debeat immediatè patere ex aliquo cubiculo domus, sed vel è cortili, vel aliquo atrio extra domum, omninò advertendum est. Ibi enim declaratur debere esse separata a privatis domibus, ita ut per ipsas ingredi, aut prospici non possit. Et ideò si prius ingrediendum sit

corti-

cortile, aut atrium, servabitur declaratio. Ita enim declaratum fuit, non quia ingressus è domo privata tollat publicitatem Oratorii, sed quia non approbatur.

27 Hinc Oratorium annexum domui privatæ, per quam patet ingressus in ipsum, ita tamen, ut habeat ingressum alterum publicum correspondentem publicæ viæ, per quem quilibet ingredi possit in Oratorium publicum, censetur dicatum cultui divino, estque de iis, de quibus disponit Concilium Trid. *in decret. de servand. & vitand. in celebr. Miss. sess.* 22. ac proinde potest in ipso permitti celebratio Missæ, quia est publicum, atque adeò gaudet immunitate, non obstante quod habeat etiam ingressum privatum. Ita tradit Aversa *q.* 11. *de Euchar. sect.* 14. Thom. Hurtad. *p.* 2. *resol. moral. tr.* 12. *c.* 1. *n.* 2193. Bald. *in q. select. lib.* 14. *q* 10. *§.* 10. Pax. Jord. *to.* 1. *lucubr. lib.* 4. *tit.* 1. *nu.* 161. Quintanadven. *to.* 1. *sing. tr.* 7. *singul.* 33. *n.* 9. & confirmant Ricc. *dec.* 78. *nu.* 8. *p.* 4. Alph. de Leon. *de offic. Capell. q.* 3. *sect.* 1. *in fin.* dum dicunt, quod Oratorium erectum in cortili non sit privatum, sed publicum, & ideò non comprehendatur sub decreto S. Congregationis de privatis Oratoriis.

28 Ratio autem est, quia ingressus privatus remanente publico, non tollit formam Oratorii publici. Nam id publicum dicitur, quod est omnium usui destinatum, *§. fin. Instit. de rer. empt. & l. sed Celsus, & l. Pacta conventa, §. Papinianus, ff. de contrab. empt. & l. Riparum, ff. de rer. divis. & l. Prætor ait, §.* 1. *ff. Ne quid in loc. publ.* & observant Glos. *in d. l. Prætor ait, v. Publico usui, & in §. Superior, v. Publica, & in §. Riparum, v. Publicas*, Bart. *in l.* 1. *ff. de public. judic.* Alciat. *in l. littus, ff. de verb. signif.* Cum ergo Oratorium, quamvis habeat privatum ingressum, dummodò retineat publicum, sit omnium usui destinatum, adhuc remanebit publicum, ac proinde immune, atque aptum, ut in eo celebrari possit, cum sit erectum auctoritate Episcopi.

29 Nec obstat, quod ratione ingressus privati habeat communicationem cum domo privata, & proindè censet Oratorium illius domus. Quia communicatio per ingressum privatum cum domo privata non tollit, quin sit destinatum omnium usui per ingressum publicum, & proindè nec tollit, quin sit Oratorium publicum, & privatus ingressus non appropriat privato usui. Decretum autem de privatis Oratoriis, procedit tantum in iis, quæ inserviunt usui privato: nam dicuntur privata ratione usus. Qui autem ingrediuntur per ingressum privatum, utuntur Oratorio non usu privato, sed usu publico; quia utuntur tanquam aliqui ex iis, pro quorum usu est destinatum. Quare non facit, quod non sit publicum; siquidem adhuc permanet forma, per quam constituitur publicitas Oratorii, & proinde adhuc stat sub denominatione suæ formæ, quia prævalet esse destinatum omnium usui, cum non excludatur ab ingressu è domo privata. Denominatio namque fit ab eo, quod prævalet, & a potentiori, *l. Cum ex aliqua, ff. de acquir. rer. dom. & l. quæritur, ff. de stat. hom. & l.* 1. *init. ff. de verb. signif.* ubi Glos. & Doctores. Sic via non desinit esse publica ex eo quod in ipsam pateant ingressus è privatis domibus, nec flumen desinit esse publicum ob ingressus è privatorum domo.

30 Pariter nec obstat, quod videatur esse contra reverentiam debitam loco destinato publico cultui, & celebrationi Missæ, quod ad ipsum pateat ingressus privatus, quia censetur hoc pacto appropriari usui privato. Nam privatus ingressus non trahit secum aliquid, quod non sit in publico ingressu, & solum dicit, quod ille ingressus sit certis personis destinatus, quod non est contra debitam reverentiam, sicut non est contra reverentiam, quod in Oratorio publico, & Ecclesia aliqua loca cum speciali scamno sint reservata aliquibus personis determinatis. Nec appropriant Oratorium privato usui, quia non habent alium usum, qui privato ingressu ingrediuntur, quàm qui ingrediuntur per communem portam, & ideò non habent aliquam appropriationem sed tantum reservationem talis ingressus. Nec communicatio cum privata domo in alio consistit, quàm in ingressu, & proindè non est communicatio, qua ipsum Oratorium communicetur, sed est verè extrinseca, atque adeò nullam secum affert indecentiam.

31 Quinimmò in hujusmodi Oratoriis pro aliqua vice ex causa rationabili celebrari posse januis clausis, admissis iis tantum, qui habent privatum ingressum, & quos ipsi voluerint, firmat Quintanadven. *tom.* 1. *singul. tr.* 7. *sing.* 33. *in fin.* Quia licet publicum Oratorium requirat cultum publicum, atque adeò oblationem sacrificii, in qua consistit præcipuus cultus, publico modo exercitus confluentibus quicumque voluerint, est tamen necessarium, quod id semper publico modo offeratur; sed potest aliquando offerri januis clausis, ut passim etiam in Ecclesiis contingere solet. Ut enim manuteneatur publicus cultus, sufficit, si ut plurimum publico modo, & coram quibuscunque confluentibus offeratur Sacrificium, non est necessarium, quod semper tali modo offeratur. Eo ipso autem, quod manutenetur publicus cultus non convertitur in usum privatum per id, quod aliquando celebretur januis clausis coram certis personis.

Ad illud tandem, quod dicebatur, esse de necessitate altaris repositio sacrarum reliquiarum ex superiùs deductis. Quod etiam tenent Glos. *in cap. de fabrica init. de consecr. d.* 1. *& in d. cap. Placuit, v. Reliquiæ eod. tit.* Abb. Archid. Host. Azor Fusc. & alii, quos sequitur Pax Jord. *tom.* 1. *lucubr.* 5. *tit.* 10. *n.* 19. Respondeo primò, id intelligendum esse juxta præcitatos Doctores, ac textus relatos quando altare consecratur, non quando benedicitur, aut cultui tantum divino deputatur authoritate Episcopi. Deinde respondeo, reliquias non esse necessarias neque pro consecratione altaris. Ita Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *arg.* 2. *dict.* 6. Suar. *disp.* 81. *de Euch. sect.* 5. Vasquez *disp.* 233. *cap.* 2. *nu.* 17. Fagund. *præc.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 22. *num* 8. Reginald. *lib.* 29. *prax. for. pœnit. cap.* 6. *sect.* 6. *num.* 180. Rodriq. *in comp. quæst. reg. resol.* 9. Carain. de Lugo *disp.* 24. *de Euch. sect.* 2. *nu.* 75. Coninch. *de sacram. q.* 83. *ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 241. Angel. *v. Altare nu.* 3. Gaspar. Hurtad. *de Sacram. disp.* 4. *de sacrif. Miss. diff.* 8. Palaus *p.* 4. *oper. mor. tr.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Trullench. *lib.* 3. *de Sacram. cap.* 7. *dub.* 16. *num.* 3. *in fin.* Calpens. *p.* 2. *curs. theol. tr.* 23. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 76. *in fin.* Lezan. *in sum. v. Altare num.* 6. Granad. 3. *p. contr.* 6. *tr.* 14. *disp.* 12. *num.* 2. Zerol. *p.* 1. *prax. Episc. v. Altare*, Valer. *in differ. utriusque for. v. Missa diff.* 2. *in fin.* Leand. *de Sacram. tr.* 8. *disp.* 7. *qu.* 6. Dicastill. *de Sacram. tr.* 5. *disp.* 4. *dub.* 8 *num.* 146. Tambur. *in opusc. de sacrif. Miss. lib.* 1. *cap.* 5. *§* 1. *num.* 10. Quar. *in rubr. Miss. par.* 1. *tit.* 20. *dub.* 3. *diff.* 1. Filiuc. *tract.* 5. *num.* 123. Franc. Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 7. *qu.* 1. *num.* 15. Garz. *in sum. tom.* 3. *diff.* 8. *dub.* 3. *punct.* 1. *num.* 7. Consonat rubrica Missalis antiqui, in qua monebatur, quod si non essent reliquiæ reconditæ in altari, omitteretur illa particula Orationis, quæ dicitur post introitum: *Quorum hìc reliquiæ sunt.* 32

Nam in jure, ubi fit mentio de consecratione altarium, nihil prorsùs dicitur de repositione reliquiarum. Unde *in cap. Altaria* 2. *de consecr. d.* 1. ubi statuitur, quomodo altaria sint consecranda, solùm requiritur unctio chrismatis, & Sacerdotalis, nempè Episcopalis benedictio. Confirmatur, quia reliquiæ ex natura sua non habent vim sanctificandi, nec sunt aliquod Sacramentale ab Ecclesia institutum ad sanctificandum, sicut est chrisma, aqua benedicta, &c. Quare nullum adest præceptum recondendi reliquias in altari. Et cum hoc præceptum non derivet ex lege naturali, aut divina, sed merè ex institutione Ecclesiæ, non est asserendum, nisi constet fuisse ab Ecclesia impositum. Non constat autem fuisse impositum. Nam Canones, qui afferuntur, nihil prorsùs de hoc præcipiunt. 33

In illo autem *c. Placuit de consecrat. d.* 1. reprobatur tantummodo abusus erigentium altaria in Villis, & agris in memoriam Martyrum, ubi nulla talis memoria aderat, sed fingebatur per inanes revelationes, & proindè hujusmodi altaria esse evertenda, si fieri posset tanquam superstitiosa, quia essent incitamentum ad colendam memoriam Martyrum, ubi non adesset. Non autem vult everti quia nulliter consecrata sunt, quia sine reliquiis Martyrum. Quod etiam constat ex eo, quod ibi subditur, quod scilicet nulla memoria Martyrum acceptetur, nisi ex fidelissima origine sit. Reliqua verò, quæ afferebantur, nimirum de lampade accensa, & similibus, respiciunt tantùm decentiam, non præceptum, aut necessitatem constitutivam loci sacri, vel religiosi, Castal. *cit. lib.* 1. *sect.* 3. *cap.* 9. *num.* 5. 34

Itaque firmum maneat, non solùm Ecclesias, & Oratoria consecrata, sed etiam benedicta, vel publicè deputata cultui divino authoritate, vel licentia expressa, aut tacita Episcopi gaudere immunitate Ecclesiastica. 35

CONSULTATIO XCIV.

An consulentes, vel mandantes delicta excepta in Constitutione Gregorii XIV. gaudeat immunitate Ecclesiæ?

VIdetur non gaudere, quia licèt consulens delictum, alioquin absque consilio hujusmodi facturo non teneatur eadem pœna; sed mitiori puniendus sit, consulens tamen alioquin non facturo tenetur eadem pœna, juxta Doctores communiter, quorum multos refert Covar. *in Clem. Si furiosus p.* 2. *§.* 2. *n.* 1. Plaza *lib.* 1. *de delict. cap.* 17. *n.* 2. & 19. Duegnas *reg.* 149. Clar. *lib.* 5. *recept. §. fin. qu.* 88. Qui omnes fatentur esse certum, 1

quòd

quòd teneatur eadem pœna, quando conſulit alioquin non facturo, & eſſe communem non teneri eadem pœna, quando conſulit alioquin facturo, licèt aliqui teneant oppoſitum. Immò in utroque caſu teneri eadem pœna docet Duegnas, dicens communem, & referens multos *reg.* 22. *n.* 1. & Greg. Lopez *p.* 7. *tit.* 14. *l.* 14. ubi excipit furtum, quia in eo lex illa diſtinxit. Et notant, quod in dubio, an alioquin facturus eſſet, præſumitur non facturus. Quia in dubio nemo præſumitur delictum commiſſurus. Sic Covar. *eo num.* 1. Lopez *ibid.* & Plaza *d. cap.* 17. *n.* 14. Igitur ſaltem conſulens alioquin non facturo delicta, ob quæ non gaudet immunitate Eccleſiæ, cùm puniatur eadem pœna, nec ipſe gaudebit.

2 De mandante autem quod non gaudeat, probatur. Quia mandans delictum tenetur eadem pœna, & licèt in conſulente diſtinguatur, an alter alioquin eſſet facturus; at mandans in utroque caſu tenetur eadem pœna, et tenet communis ferè omnium, ac refert & ſequitur Covar. *d. n.* 1. Duegn. *d. reg.* 224. *n.* 1. Clar. *ubi ſupra q.* 89. licèt quidam teneant, quos ibi refert, non teneri eadem pœna, quando alter alioquin erat facturus. Immò mandans fortiùs delinquit, acriuſque punitur, quàm ipſe delinquens, ut benè Duegnas alios referens *d. reg.* 224. *n.* 12.

3 Non enim intereſt, utrùm quis occidat, an cauſam mortis præbeat, *l. nihil, ff. ad leg. Corn.* quod juxta ſententiam ejuſdem legis Corneliæ eſt accipiendum, ſcilicet quando cauſa mortis dolo malo, & animo occidendi eſt præbita. Unde idem eſſe interpretabimur, ſi magiſtratus operam dederit, qua quis falſum judicium, quaſi de communi crimine alicujus conſcius, profiteretur in hoc, ut innocens condemnetur: aut pecuniam accepit, ut publica lege, hoc eſt publico judicio quis reus fieret, aut aliud quid contra hominis necem fecerit, quod legibus permiſſum non ſit, *l.* 4. *in princ. ff. eod. tit.* Quive falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, *d. l.* 1. *§.* 1. *l.* 3. *§. item, ejuſdem tit.* Item qui per alium cædem fieri curavit, aut mandavit, *l. non ideò, C. de accuſ.* Paul. *lib.* 4. *tit.* 25. *l. aut qui aliter* 5. *§. fin. quod vi, aut clam*, ubi Bartol. *& in l. non ſolum* 11. *§. ſi mandato, de injur. l. hæc verba de adul. cap. Pro humani, ff. de homic. in* 6. Panor. & alii *in cap. mulierem, de ſent. excom.* Dec. *in l. is damnum* 129. *n.* 3. *de reg. jur.* Angel. & alii *in pr. crim.* Ac proindè mandans hominem occidi, eadem pœna tenetur, qua occidens, *l. non ſolùm, §.* 1. *mand. l.* 7. *§. hoc verò, ff. de juriſd.* Clar. *de homic. n.* 12. Menoch. *caſ.* 352. *n.* 1. Immò, & ſi revera expreſsè non mandavit, ſi injuriam paſſus dicat filio, vel ſervo: ne revertaris, niſi aliquid novi de te, & illo audiverim, Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 2. *§.* 1. *n.* 3. Carer. *in pr. crim. tit. de homic. n.* 37. Et ſi unus mandatarius rurſum mandet alii utrumque teneri puto per *l. Si ego, quod vi, aut clam*, Carer. *n.* 11. Immò non pauci exiſtimant, ſi verberari tantùm juſſerit, non occidi, mandatarius autem fines mandati tranſiliendo occidat, hac lege mandantem teneri. Quod non placet Covar. *in d. Clem. p.* 2. *§.* 1. *n.* 3. *arg. l. in lege, ff. ad d. leg. Cornel.* Quare verum non videtur, quod Dec. & Cagnol. *in l. is damnum*, Felin. *in d. c. mulierem*, Mynſing. *obſ.* 40. *cent.* 1. tradunt, eum, qui accuſet aliquem feciſſe homicidium, & probat mandaſſe, non videri probaſſe quæ in libello deducta ſunt, ac proindè ſuccumbere, quod diverſa ſint facere, ac mandare. Nam mandatum hic æquipollet facto, nec diverſa hæc ſunt, ſed eadem, cùm non minùs ex mandato, quàm ex facto pœna capitalis ſequatur, Bart. *in l. ſi per alios, ne quis eum, qui in jus voc.* Videndus omninò Angel. *in tr. malef. ad verb. Sempronium mandatorem*, Giurb. *conſ. crimin.* 50. *n.* 44. ubi plures cumulat Farinac. *de carc. q.* 28. *n.* 23. & ubi plures alios adducit, *& de immun. in app. c.* 8. *n.* 224. *& c.* 9. *n.* 9. *n.* 141. Cutel. *de imm. q.* 19. *n.* 12. *lib.* 1. Sperell. *deciſ.* 64. *n.* 45. qui alios refert, Caball. *de omnig. homicid. n.* 411. *& ſeq.* Balthaſ. Thomas *de imm. tr.* 1. *lim.* 220. Mar. Ital. *de imm. lib.* 1. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 100. *&* 110. Genuen. *in prax. c.* 94. Quare Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 15. ſcripſit, quod mandans inſidioſè alterum occidi poſt effectum ſequutum comprehenditur in exceptione, & privatur beneficiis immunitatis Eccleſiaſticæ. Nam qui per alium facit perindè eſt, ac ſi per ſe ipſum faceret, negando hanc eſſe extenſionem legis pœnalis, cùm verè ſit interpretatio, a jure facta; maximè quia tale delictum in mandante, nedum pari, ſed majori pœna dignum videtur ex vulgari axiomate, quod actus tribuatur mandanti non exequenti, quàm propterea Stephan. Baccini *p.* 2. *tr.* 11. *q.* 27. *quæſit.* 2. *concl.* 4. appellat cauſam efficientem moralem. Dictumque Suar. ſequuti ſunt Laym. *lib.* 4. *ar.* 9. *cap.* 3. *n.* 9. Fagund. *in* 2. *præc. Eccleſ. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 46. & Perſic. *de præc. Sacerd. Offic. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 111. quibus etiam adhæſit Tancred. *de relig. tr.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 7. *q.* 2. *n.* 7. licèt poſteà contrarium admiſerit, ut mox videbimus.

At nihilominus dicendum eſt, gaudere, exceptis tamen 4 conſulentibus, ac mandantibus crimen Aſſaſſinii. Nam Conſtitutio Gregoriana excludit reos Aſſaſſinii hiſce verbis: *Aut aſſaſſini rei*, ſub quorum generalitate comprehenduntur etiam conſulentes, & mandantes, quia dicuntur rei aſſaſſinii. Ita in terminis Bonac. *de excom. in par. extra Bull. Cœn. to.* 3. *diſp.* 11. *punct.* 3. *§.* 9. *n.* 6. Quam ſententiam amplectitur Ambroſinus *de Imm. cap.* 7. *n.* 1. Decian. *in tr. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *n.* 18. Farinac. *in append. de Imm. cap.* 8. *n.* 18. & alii, probatque textus expreſsus *in cap. Pro humani de homicid. in* 6. *§. Cum igitur*, ibi: *Illi, quiſic horrenda inhumanitate, deteſtandaque ſævitia mortem ſituunt aliorum, ut ipſos faciant per aſſaſſinos occidi, & §. Sacri*, ibi: *Statuimus, ut quicunque, &c. quempiam Chriſtianorum per præfatos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, &c.*

Comprobatur, quia excommunicato faciente aliquid, 5 non cenſetur excommunicatus conſulens, vel mandans, niſi id in excommunicatione exprimatur, ut dicitur in materia de excommunicatione. Item quia mandans, vel conſulens non dicitur verè facere delictum, ſed fictè, & interpretativè, ut docet Clar. *d. q.* 86. Plaz. *d. lib.* 1. *q.* 15. *n.* 22. Item quia ſtatutum, quod punit facientem delictum non ſemper habet locum in mandante, ſed diſtinguendum eſt. Aut enim ſtatutum loquitur in perſonam, ſcilicet ſi quis occiderit, & non comprehendit mandantem, quia non dicitur verè occidere. Vel loquitur in rem, ſcilicèt in ipſum maleficium, ut pro homicidio ſit pœna mortis, & tunc comprehendit mandantem, ut docent Bartolus, & multi aliis, quos refert, ac ſequitur Clarus, & Plaza locis allegatis, licèt quidam affirmant indiſtinctè, alii verò urgent, eò quòd in materia odioſa ſtatuta ſtrictè ſint interpretanda, Vand. 2. *q.* 5. Carrer. *n.* 9. Item quia Gama 1. *p. deciſ.* 271. in fine dicit quod Senatus Portugalliæ cenſuit Extravagantem, quæ in piratis loquitur, non intelligi in his, qui opem, vel conſilium præbent. Præterea, quia hæc immunitas, utpotè quæ eſt favor Eccleſiæ debet amplè intelligi, ut docet Montalbus *l.* 4. *tit.* 11. *p.* 1. Ergo cum concedatur omnibus delinquentibus præterquam facientibus illa delicta, non debet reſtringi etiam ad mandantes, vel conſulentes.

Id ipſum animadvertit Graſset. *in anat. nec prodit. §.* 6 20. *n.* 14. inquiens, quod ſatis minimè ſit ad occiſionem proditoriam concurſus poſitivus per cauſalitatem moralem, qualiſcumque ea ſit, videlicet conſilium, auxilium, aſsociatio, & quævis alia participatio citra moralem occiſionem proximi per ſe ipſum, quàm præcisè exigunt verba dictæ Conſtitutionis Gregorianæ: *Aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint*, requirentia actum occiſionis in ipſis excluſis a beneficio Immunitatis. Cùm enim hæc verba ſint directa in occidente, intelligenda ſunt de homicidio phyſicè commiſſo per ipſum proditorem, atque adeò mandans aliquem proditoriè occidi, eorum vigore non privatur immunitate Eccleſiæ, Sanchez *conſ. moral. to.* 2. *lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 9. *n.* 3. Bonac. *loc. cit. diſp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. *§.* 8. *n.* 2. Tancredus *de relig. tr.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 8. *q.* 542. *n.* 4. Guazzin. *lib.* 2. *def.* 1. *c.* 14. *n.* 20. *&* 27. Caren. *de offic. S. Inquiſ. p.* 2. *tit.* 12. *n.* 269. Donat. de Aſyl. *reſol.* 140. *n.* 4. *&* 5. cæteriſque plenius idem Graſset. *d. §.* 20. *n.* 3. & infra alios referens, & id comprobans *num.* 5. auctoritate dicentium, quod mandans aliquem occidi, vel mutilari in Eccleſia, non caret illius immunitate, quoniam non dicitur hic verè, ac propriè occidere in Eccleſia, quorum ſententia refert, & confirmat Thomas Delbene *de Immun. Eccleſ. t.* 2. *c.* 16. *dub.* 19. *ſect.* 2. *per tot.* reſpondens *n.* 7. *& ſeq.* non obſtare regulam 72. *de reg. jur. in* 6. Qui per alium facit per ſeipſum facere videtur, cùm intelligenda ſit impropriè, & per fictionem, quæ in pœnalibus non extenditur, niſi ab ipſa lege talis extenſio ſpecificè fiat.

Quare ii ſolùm dicuntur eſſe homicidæ proditores ab 7 illa excepti, qui proximos per ſeipſos occidunt, ſecus alii participes talis homicidii, ſicut in ſpecie notant Bonac. *d. to.* 3. *de cenſ. diſp.* 2. *q.* 3. *pun.* 16. *§.* 8. *n.* 1. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 12. *propè finem*, Graſset. *d. §.* 20. *n.* 26.

Atque ita cenſuit S. Congregatio Immunitatis *in una* 8 *Ravennaten.* die 28. Septembris 1666. in qua agebatur de mandante homicidium proditorium, reſolvitque gaudere, ſed præ ſceleris immanitate addidit: Cùm Sanctiſſimo pro condemnatione in pœnam extraordinariam ad triremes etiam ad vitam. Et ex his patet reſponſio ad rationes in contrarium adductas.

CON-

CONSULTATIO XCV.

1 *An familiares Eminentissimorum Cardinalium gaudeant privilegio fori?*
2 *An Judex trahens hosce familiares ad Tribunal laicale incurrat censuras?*
3 *An sola citatio sit sufficiens ad talem incursum?*
4 *An familiares renunciare possint huic privilegio?*
5 *An qui tempore exequutæ citationis est absens, gaudeat privilegio familiaritatis?*
6 *An ex capite ignorantiæ Judex laicus excusari queat?*

1 AD primum quod attinet ex recentioribus splendidè, & diligenter hoc argumentum versavit Reverendissimus Sperellus, qui *dec* 128. *n.* 43. *& seqq.* negativam potius firmare videtur. Equidem negari non potest quin hoc sit disputabile, ac de jure dubium, cum nullum Canonem expressum habeamus, nullamque Constitutionem Apostolicam declarantem hujusmodi familiares omninò exemptos esse a foro laicali. Illudque saltem requiritur, ut gaudeant exemptione, quod actu sint domestici, & commensales, vel ab ipsis Cardinalibus pro suis negotiis missi sint, vel qui recreationis causa ad tempus a Curia absint, ut statuit Leo X. in sua Constitutione 10. *§.* 5 quæ an sit in usu, adhuc dubitatur. Quin volunt quod rediens ad proprios lares præsertim ultra duas dietas non dicatur recreationis causa abesse, ut ex textu *in cap. Præsenti 34. de præb. in 6.* ubi Gemin. *n. 3.* notat, quod redeundo ad propriam domum non retinet privilegium, etiamsi habeat animum redeundi, quia potentior est causa naturalis, quàm causa accidentalis.

2 Attendendum est, familiares Eminentissimorum Cardinalium gaudere privilegio fori, ducto argumento ex *cap. fin. de offic. Archid.* quod tale privilegium verbis explicitis familiæ Episcopi concedit. Est ferè communis, atque eam ex antiquioribus tenent Manfred. *in tract. de Cardin. cap.* 8. *privil.* 15. Bonacos. *in tr. de scr. qu.* 7. & ex recentioribus Carleval. *de judic. p.* 1. *disp.* 2. *n.* 509. *in fin.* Bellett. *disquis. Cleric. p.* 1. *tit. de favor. Cler. real. §.* 1. *n.* 26. Thom. Delben. *de Immun. c.* 4. *dub.* 15. *n.* 26. *ubi dub.* 17. idem prosequitur in Episcopis, & Archiepiscopis titularibus, plenissimè Sperell. *d. dec.* 128. *n.* 39. *tom* 2. ubi etiam adducit resolutiones S. Congregationis Immunitatis, Diana *p.* 5. *tr.* 2. *resol.* 25. Ubert. *de citat. tom.* 1. *cap.* 5. *n.* 851. Quod tandem & admisit Pereira, Immunitati Ecclesiasticæ parum æquus *de manu reg. tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 13.

3 Et licèt hodie revocetur in dubium, an familiares Cardinalium sint etiam exempti a jurisdictione cujusvis Ordinarii Ecclesiastici, & solum subjecti jurisdictioni Cardinalium, quibus inserviunt, ut notant Coell. *in notit. Cardinalat. cap.* 15. *privil.* 21. *in fin.* quod est illud, de quo dicit dubitatum Sperell. *d. decis* 128. *n.* 39. tamen hoc nihil habet commune cum exemptione a foro laicali, ut benè, ac prolixè idem Sperell. loco allegato.

4 Ratio autem sententiæ nostræ petenda est a dignitate Cardinalatus, quæ tantam habet cum suis familiaribus connexionem, ut sine illis vix eluceat, utque proindè jure, ac meritò excommunicatio inflicta offendentibus Cardinales extendatur, & comprehendat etiam eos, qui ipsis inserviunt si non ex rigore Bullæ Cœnæ, saltem ex dispositione, *c. Felicis, de pœn. in 6.* ut solidè, ac perspicuè probat Dian. *d. p.* 5. *tr.* 2. *res.* 83. & Delben. *loc. cit. p.* 2. *dub.* 8. *sect.* 4 *n.* 12. *in fin.*

5 Ad secundum respondendum videtur negativè. Nam *Canon.* 15. Bullæ Cœnæ loquitur tantùm de personis Ecclesiasticis, non de familiaribus Cardinalium, aut Episcoporum, qui non sunt Clerici, nec ullo pacto Ecclesiastici tametsi gaudeant fori privilegio, ut tradunt ibidem Alter. *disp.* 16. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 6. Reginald. *in prax. lib.* 9. *numer.* 355. Bonaccin. *disp.* 1. *q.* 16. *punct.* 3. *num.* 7.

6 Nihilominùs dicendum est primò, quòd de jure communi, præscindendo a Bulla Cœnæ, Judex laicus, qui cognoscere vult de causis familiarium, excommunicatur, ut innumeris allegatis probat Delbene *de Immun. c.* 10. *dub.* 13. Secundò, talis Judex incurrit excommunicationem duorum Canonum Bullæ Cœnæ, scilicèt *can.* 15. & 17. Quatenus enim in *can.* 15. dicitur, quod personæ Ecclesiasticæ sive directè, sive indirectè non trahantur. Quare, etiamsi demus quod familiares Ecclesiasticorum dici nequeant personæ Ecclesiasticæ, cujus tamen contrarium probat Jo. Andreas allegatus a Sperello *dec.* 129. *n.* 41. certè cadunt sub verbo illo, *indirectè*, cum indirectè dicatur personam Ecclesiasticam trahere is, qui ejus familiares, & famulos molestat, ut tradit Delbene *c.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. ibi: *Consanguineos, Familiares, Colonos, & similes.* Et faciunt dicta superiùs de excommunicatione lata contra offendentes Cardinales.

Quatenus verò *in can.* 17. statuitur, quod usurpans jurisdictionem Ecclesiasticorum excommunicationem incurrat, clarè dicta excommunicatio intrat respectu Judicis trahentis hos familiares ad forum suum. Nomine quippè jurisdictionum eo loco intelligitur omne jus, & potestas, quam habet Ecclesia super personis suo foro subjectis, vel rebus ad ipsas spectantibus, ut rectè explicat Duar. *ad d. Bul. Cœn. lib.* 2. *can.* 17. *q.* 13. *n.* 13. junctis numeris antecedentibus, ubi refert Suarez, & Ugolinum. Idem exactiùs, ac perspicuè docet Bonac. *tom.* 3. *disp.* 1. *qu.* 18. *punct.* 2. *n.* 2. his verbis. *Respondeo jurisdictionem esse facultatem, seu potestatem jurisdicendi circa res, vel personas*, atque adeò etiam facultas judicandi, & cognoscendi hos familiares, qui sunt de personis subjectis foro Ecclesiastico, ut observat Duard. *ibid. can.* 15. *qu.* 8. *concl.* 1 *num.* 3. & ex eo decidit Sperell. *d. decis.* 129. *num.* 19. & 41. 7

Quamvis igitur admittamus *can.* 15. non comprehendere familiares, & ad incursum *can.* 16. de quo nunc non loquimur, necessariam esse monitionem, seu effectum impedimenti; certè cùm clara sit dispositio *can.* 17. eaque in punctualibus terminis familiarium sit a Doctoribus approbata, utique non videtur de incursu censurarum ambigendum. 8

Ad tertium videtur dicendum, non esse jure cautum, quod Judex laicus citans Clericum, eòque minùs familiarem ad suum tribunal, si steterit in simplicibus terminis verbalis citationis, & non mulctaverit, nec aliud decreverit, incidit in excommunicationem. Nam tàm jus commune *cap. Si diligenti de for. comp.* in quo aliæ pœnæ irrogantur, quàm Bulla Cœnæ *can.* 15. ubi fertur excommunicatio, loquuntur de trahentibus Clericos coram Judice laico incompetente. Non enim dicitur trahi per citationem simplicem, super qua decretum non fuit inrerpositum; ut docuerunt Commendatores Bullæ, inter quos Ugolin. *§.* 1. *n.* 11. Duard. *q.* 28. *n.* 4. Bonac. *disp.* 1. *q.* 16. *punct.* 4. *n.* 18. Alphons. de Leon. *de censur. recollect.* 4. Et licèt ipsi non dicant, fuit tamen doctrina Glos. *in d. cap. Si diligenti, v. Causam*, ubi relata opinione, quod per solam citationem pœna illius textus incurreretur, approbat benigniorem, quod requiratur contestatio litis, & sola citatio non sufficiat, quam sequuntur ibidem Imol. *n.* 16. Soccin. *n.* 23. Abb. *n.* 19. & alii. Idque sine dubio, quando non habuit effectum, ut plenè firmarunt Gabr. *conf.* 167. *n.* 27. *l.* 2. Cæphal. *conf.* 661. *n.* 30. *& seqq.* Eugen. *conf.* 31. *n.* 54. *& seqq. lib.* 1. Menoch. *conf.* 230. *n.* 96. *& seqq.* Nec in Constitutione Leonis X. *§.* 5. nec alibi infligitur pœna excommunicationis adversus citantes hujusmodi familiares. Et tamen regula est, quòd nemo censuras contrahit, nisi ex actu, a sacris Canonibus, vel Summorum Pontificum Constitutionibus sub censurarum pœna prohibito, Suar. *de censur. disp.* 4. *sect.* 3. *concl.* 1. *n.* 6. Bonac. *de censur. disp.* 1. *p.* 1. *punct.* 3. *n.* 16. 9

Et quanquam admittatur incurrere *in Canonem* 16. de impedientibus Ecclesiasticos in sua jurisdictione, attamen ad illum effectum requiritur monitio, ut desistat ab ulteriori processu sub comminatione censurarum, nec potest declarari excommunicatus per solam citationem, quando non impedit, quin Ecclesiasticus causam ad se avocet, & cognoscat contra suum familiarem, vel alium Ecclesiasticum, cùm requiratur, quòd impedimentum habeat effectum, ut significant verba Canonis, ut explicant Alter. *d. lib.* 5. *disp.* 17. *cap.* 1. Duard. *can.* 16. *q.* 7. *n.* 7. Bonac. *qu.* 17. *punct.* 1. *sub n.* 21. 10

Verùm quatenus etiam in casu simplicis citationis suscipienda esset dispositio, *cap si diligenti, de for. comp. & can.* 15. Bullæ Cœnæ, verior & magis communis opinio est, quod per solam, & simplicem citationem Judex dicatur trahere personam exemptam, & sic excommunicationem incurrat, Abb. *in cap. Significantibus numer.* 2. *de libel. oblat.* Filiuc. *tr.* 16. *cap.* 10. *qu.* 6. *num.* 260. Thom. Delbene *cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 1. quod & repetit *cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 1. 11

Idque sine difficultate recipiendum est ad terminos *can.* 17. ejusdem Bullæ, in quo excommunicantur usurpantes jurisdictionem. Quia nimirum citatio est de exercitio jurisdictionis, ut probat: *si quis posseaquam, & l. ubi cœptum, ff. de judic.* Tondut. *de prævent. tit.* 1. *cap.* 19. *n.* 3. Ac præcipuè quando citatio non fit ad instantiam partis, licèt producatur, cùm tamen Judex non decreverit, non exercet jurisdictionem. At quando Judex præcipit, & mandat, tunc pro confesso, & indubitato habetur actus jurisdictionis, quo immunitas turbatur, usurpaturque jurisdictio Ecclesiastica, dum Judex laicus audet auctoritatem suam exercere in personam fori Ecclesiastici. Quòd 12

autem,

autem, vel ſola commiſſio citationis facta a Judice ſit actus juriſdictionalis tradit Tondut. *d. tom. 1. cap. 1. nu.* 20. ac notat Delbene *d. cap. 6. dub. 1. num. 1.* probaturque per textum *in cap. 1. §. Contrahentes*, ibi: *ſi eorum auctoritate citati, de for. comp. in 6.* Quodque ex ea reſultet violatio privilegii, quo gaudet exemptus a foro laicali, ne trahatur ad aliud, firmant Abb. *in d. cap. Significantibus num. 2.* Marant. *in ſpecul. jur. p. 4. diſt. 11. num. 2.* & clarius Ubert. *de cit. cap. 5. num. 91. cum pleriſque ſeqq.* ubi in puncto dicit, quod quando apparet citationem ad comparendum in foro laicali factam eſſe ex commiſſione Judicis, non poteſt controverti, quin exercuerit juriſdictionem in perſonam fori Eccleſiaſtici, ac proinde quin incurrerit in cenſuras.

13 Non obſtant allegati in contrarium: Nam Ugolin. *d. §. 1. num. 11.* & Duard. *qu. 28. num. 4. in fin.* loquuntur de citatione facta a parte, & ex eo dicunt illam non operari incurſum in cenſuras, quia Bulla Cœnæ loquitur de Judice, non de parte. Bonac. verò *diſp. 1. quæſt. 16. punct. 4. num. 9.* vel intelligendus eſt juxta Ugolinum, & Duardum quos allegat, vel diverſimodè intellectus non videtur attendendus, tanquam contrarius opinioni communi ſupra firmatæ.

Et in omnem eventum hi Doctores tanquam loquentes ad terminos *canonis* 15. induci non poſſunt ad terminos *canon.* 17. de uſurpantibus juriſdictionem. Cùm veriſſimum ſit citationem eſſe de exercitio juriſdictionis, ut ſupra probavimus. Illud etiam quod adducitur ex doctrina Gloſ. *in d. cap. Si diligenti*, quod pœna amiſſionis cauſæ in eo, qui trahit Clericum ad Tribunal ſæculare non habet locum ſi unica, & ſola citatio præceſſerit, habet parem reſponſionem, quod ſcilicet opinio communis, & melioribus fundamentis innixa ſtat in contrarium, ſolam nempè citationem ad incurrendam hujuſmodi pœnam ſufficere. Et pro hac etiam militant text. *in c. Placuit 1. & in cap. Gravamen extra de exceſs. Præl.* ac relatis auctoribus Delben. *de Immun. cap. 5. dub. 2. ex num. 12.* ubi citat Goffred. Vincent. & Turrecrem. quibus addo Silveſt. *in ſum. v. Judex 1. num. 3.* Graſſ. *de effect. Cler. eff. 1. num. 415.*

14 Ad quartum videtur reſpondendum affirmativè. Nam exemptio familiaris a foro laicali eſt introducta ad favorem illius, atque adeo familiaris laicus originaliter ſubeſt juriſdictioni ſui Judicis, donec declaret ſe dicta exemptione uti velle. Interim autem Judex laicus exercendo contra illum auctoritatem ſibi a lege demandatam, nullam infert injuriam exempto, nec ei imputari valet aliqua contumacia, maximè ante requiſitoriam factam a Judice Eccleſiaſtico, ut deſiſtat. Sicut in fortioribus terminis carcerationis Clerici firmant Gratian. *cap. 190. n. 5.* Mart. *conſ. 162. num. 6.*

15 Et quamvis aliique Doctores aſſerant, Clericum eſſe ſtatim remittendum ſine requiſitione, attamen eorum opinio procedit in caſu, quo non dubitaretur de Clericatu; ſecus verò de laicis, & fortiùs quando adeſt aliquod dubium ſuper illorum exemptione. Siquidem tunc verior videtur eſſe opinio firmantium eſſe neceſſariam requiſitionem, ut per Doctores ſuperiùs allegatos. Ac præterea quemadmodum hoc privilegio non gaudent iidem familiares, niſi quando actu ſunt domeſtici Cardinalium, vel ab ipſis Cardinalibus pro ſuis negotiis mittuntur, vel recreationis cauſa ad tempus abſunt ab Aula; ita quoque cum poſſit familiaris ſuo arbitrio non eſſe ampliùs familiaris, poterit etiam renunciare dicto privilegio, illud non deducendo, & Judex ſæcularis exercere ſuam juriſdictionem in illum tanquam laicum, & ſubditum ratione domicilii, & originis. Tandem regulare eſt, quemcunque poſſe juri, & favori pro ſe introducto renunciare, *l. ſi quis in conſcribendo, C. de Epiſc. & Cler. l. pen. c. de pact. cap. Ad Apoſtolicam de reg.*

16 Statuendum tamen omninò eſt, non poſſe. Pro quo conſiderandum eſt, quod aliud eſt indultum conceſſum perſonæ contemplatione ipſius perſonæ, ſicut Eugeniana Curialibus, patentes Cameralibus, & hujuſmodi. Hæc enim indulta non attenduntur, niſi deducantur. Quia qui illa obtinet poteſt illis uti, & non uti, dum ipſimet ſoli conceſſa ſunt. Aliud verò eſt indultum conceſſum perſonæ ratione officii, & contemplatione Eccleſiæ, ut eſt in familiaribus, qui etiam ſpontè non poſſunt ſibi præjudicare in præjudicium dignitatis Cardinalatus, vel Epiſcopalis. Privilegium itaque fori competens familiaribus, non competit illis propter ſeipſos, ſed propter alios, nempè Cardinales, vel Epiſcopos, quibus inſerviunt, ut tradunt ferè omnes allegati *in 1. dub.* & ſpeciatim Delben. *cap. 4. dub. 15. ſect. 1. n. 14. & ſect. 2. n. 16.* Hinc autem ſequitur, quod manente qualitate familiaritatis, ei renunciari non poſſit, cùm hæc ſit natura privilegii conceſſi propter alium, *c. Cum tempore*, ubi Abb. *in 5. not. de arbitr.* Calder. *conſ. 96. alias 1. de pac.* Nam hic non ſolùm concurrit favor exempti, ſed etiam ipſius Superioris, qui eum exemit, & eximendo ſuæ juriſdictioni ſubjecit. Unde ſua intereſt non perdere iſtam immediatam ſubjectionem. Propterea concludendum eſt pro opinione negativa. Huc ſpectat quod voluit Rota in Legionen. matrimonii coram Piſaurien. quam refert Creſcent. *dec. 250.* ſcilicet ſententiam latam contra militem S. Jacobi de Spata exemptum fuiſſe nullam. Eoque magis quando privilegium habet decretum irritans, cui partium conſenſu renunciari non poteſt ad Gloſ. *in cap. Statutum, §. In nullo quoque de reſcript. lib. 6.* Adi Conſultationem noſtram. Ubi licèt contrariam ſententiam tueri videantur, loquimur tamen in aliis terminis, cumque limitationibus ſuis.

Ad quintum, clara eſt diſpoſitio Leonis X. in ſua Conſtitutione ſuperiùs allegata, quod ſcilicet familiares ad hunc effectum gaudent, etiam ſi recreationis cauſa ab Urbe, & Dominis ſuis ſint abſentes. Quod ſtabiliunt Bellet. *diſq. Cler. par. 1. tit. de favor. Cler. real. §. 3. num. 26.* & Sperell. *dec. 128. n. 39. tom. 2.* Immò Tondut. *de prævent. tom. 1. cap. 29. num. 23. & ſeqq.* dicit ad hunc effectum non requiri quod quis inſerviat Epiſcopo mente, & dente, ſed ſatis eſſe, quod ſervitium actuale alio modo præſtet. 17

Nec obſtat textus *in c. Præſent. de præb. in 6.* ubi Gemin. *num. 3.* in primo dubio adductus, & hoc loco diluendus. Quia ibi non diſputatur, an familiaritas per diſceſſum etiam recreationis cauſa ultra duas dietas admittatur, ſed ſolum, an beneficia Curialium, qui ultrà duas dietas diſceſſerunt, dicantur vacare apud Sedem, quod diverſum eſt. Immò cùm nomen familiaris diverſis reſpectibus accipi poſſit, non omnia quæ ſunt conſtitutiva familiaritatis ad unum effectum, neceſſariò concurrere debent etiam ad alium. Ita notat in puncto familiaritatis ad effectum fori, Tondut. *d. tom. 1. c. 29. ex n. 15.* ibi: *Qua in re ſupponendum eſt in primis nomen familiaris diverſimodè, & ad diverſos effectus accipi poſſe.* 19

Ad ſextum, ignorantiam excuſari certi juris eſt ex plurimis, quæ congeſſit Sayr. *de cenſur. lib. 1. cap. 18. per tot.* aliique paſſim, ſive ſit ignorantia juris, ſive facti, non tamen ſupina, affectata, aut craſſa. Hinc videtur non incurrere excommunicationem Judex ſi juſtè credit familiarem non eſſe amplius familiarem, quia ſcilicet per plures menſes in domo propria permanſit ſeorſum a ſervitio ſui Domini, cùm familiaris dici non poſſit qui ſeorſum habitat, & non probat ſe continuare in receptione partis, & ſalarii, cum mens & dens requiratur ad continuandam familiaritatem, ut plenè firmat Rot. *dec. 584. n. 2. poſt med. & n. 3. par. 1. rec.* 20

Præſertim ſi communiter reputatur velle in patria remanere. Ex hoc enim oritur probabiliſſima crudelitas, quod nolit redire ad Dominum, Seraph. *dec. 199. nu. 2.* ſicque etiam adeſt fama de hoc, quæ ſola ſufficit, Mantic. *dec. 523. n. 2.* Debet igitur probari præciſa ſcientia, quod vellet perſeverare in familiaritate, ut intret cenſura, quæ requirit præciſam ſcientiam, Ugolin. *in Bull. Cœn. §. 1. numer. 4.* & alii. Nec refragatur notoria familiaritas. Vel quia non juſtificatur tempore exequutæ citationis cum depoſitionibus decem teſtium, juxta tradita per Farinac. *q. 47. n. 267.* Vel quia notorium non eſt circa factum permanens, quod ulterius debet allegari, Farinac. *q. 21. n. 110.* Vel quia notorium nullos parit effectus, quando patitur aliquam difficultatem in facto, etiamſi modicam recipiat dubitationem, ut ſi familiaris abſit a ſervitio Cardinalis, vel Epiſcopi ſine certa ſcientia animi ipſius redeundi, vel permanendi, ut latè firmat Surd. *conſ. 405. n. 24. lib. 3.* Burſat. *conſ. 349. n. 7. & 8.* Bellam. *dec. 404.* Vel demum quia licet ſit notorium populo, non tamen eſt notorium Judici ut Judici, quod quidem requiritur, Farinac. *q. 21. n. 84.* Et propterea nullatenus locum habent, quæ de Clerico deduci ſolent. Tum quia data etiam notorietate antiquæ familiaritatis, ceſſare poteſt certa notitia familiaritatis actualis cum ſuis requiſitis. Tum etiam quia longè differt Clericus, & familiaris laicus. Illius enim, poſito facto Clericatus, exemptio de jure eſt notoria, & indubitata. Hujus autem eſt valdè dubia. Hic momento poteſt non eſſe familiaris. Ille propter indelebilitatem characteris, cujuſmodi non eſt familiaritas, nequit non eſſe talis. Unde obſervandum videtur, quod etiam reſpectu familiaris Epiſcopi, quem eſt magis certum dici exemptum a foro laicali, tota vis cenſurarum apud Sperell. *dec. 129.* conſtituebatur non in ſimplici carceratione, ſed in contumacia non remittendi carceratum poſt præceptum ab Epiſcopo factum. 21

Attamen dicendum eſt, quod admiſſa ſcientia præteritæ familiaritatis, Judex præſumitur ſcire ejus continuationem, 22

nem, Rot. *dec.* 584. *n.* 2. & *dec.* 645. *n.* 1. *p.* 1. *rec.* Quod si hujusmodi præsumptio admittitur ad effectum reservationum, multò magis admitti debet ad effectum gaudendi privilegio fori; cùm non requiratur tàm exacta probatio familiaritatis, nec exigitur qualitas continui commensalis, ut diffusè probat Barbos. *de jur. Eccles. l.* 1. *c.* 30. *n.* 36.

23 Nec dicatur, quod exigatur præcedens monitio Judicis Ecclesiastici pro remissione, ut Judex laicus in censuras incurrat. Nam quando persona, quæ trahitur ad forum sæculare certum est, atque indubitatum, quod sit de foro Ecclesiastico sive id habeatur per notorietatem, sive per famam publicam, sive per communem existimationem, tunc quilibet actus jurisdictionis, quem laicus, cui hæc qualitas innotescit, in illam exercet, inducit incursum censurarum, ut satis perspicuè probat text. *in c. Si Judex laicus de sent. excom. in* 6. ibi: *etiamsi notorium fuerit, quod idem malefactor sit Clericus, qui hujusmodi privilegio gaudere decretum, statim absque alia cognitione, vel fama publica de hoc extiterit, aut ipse pro Clerico communiter habeatur, incontinenti etiam ante cognitionem de Clericatu, Ecclesiasticæ Curiæ debet reddi.*

24 Et quamvis textus loquatur de Clericatu, Doctores tamen illum procedere etiam docent in familiare Episcopi, sive Cardinalis, quando ejusmodi qualitas est notoria in loco, itaut Judex nequeat allegare ignorantiam, quæ non sit valdè supina, & affectata, quæ non excusat ab incursu censurarum. Nam cùm sciat, ac scire debeat talem personam esse de foro Ecclesiastico, & nihilominus vult in illam jurisdictionem exercere, utique usurpat jurisdictionem Ecclesiasticam, & proinde incurrit ipso facto excommunicationem absque alia monitione, quæ ad hunc effectum non necessaria est, Ubert. *de cit. c.* 5. *n.* 67. & Anonymus in apologia censurarum contra Rempublicam Lucensem *c.* 6.

25 Minus etiam suffragatur, quod qualitati familiaris Episcopi, vel Cardinalis non possit applicari terminus *Notorii* facti permanentis. Nam etsi hujusmodi familiaritas non imprimat characterem indelebilem, tamen quandiu durat, operatur effectum exemptionis a foro laico: atque ideò sufficit, quod probetur illam permansisse tempore quo laico exercuit jurisdictionem, ad quod satis est id fuisse notorium in loco, vel haberi publica voce & fama, aut communi existimatione juxta textum in *d. c. Si Judex laicus*, in quibus terminis idem asserit Sperell. *d. dec.* 129. *n.* 19. & *seq.* ubi adducit Bart. *in l. Omnes* 2. *C. de agricol.* & *cens.* Quo loco probat ignorantiam Banni non excusare a pœnis comminatis contra receptatores bannitorum, si id erat notorium. Et tamen Bannum potest deleri sicuti familiaritas. Vide Sayrum loco alleg. & Menoch. *de arbitr. cas.* 186. qui est de ignorantiæ probatione ac nostram Consultationem §. *Immo multi cum seqq.*

CONSULTATIO XCVI.

An attentata per Judices laicos contra S. Congregationis Immunitatis decreta, præsertim emanata cum participatione Summi Pontificis de jure subsistant? & An rei, qui ad Ecclesiam confugiunt, possint ab Ecclesiastico Judice extraordinaria pœna puniri?

1 QUod attinet ad primum, cùm sint resolutiones factæ a Judice majoris prærogativæ non licet laicis inferioribus factum Superioris redarguere, *cap. cum inferior. de major.* & *obed.* Præcipuè in materia Immunitatis, in qua tàm ex dispositione juris communis, & sacrorum Canonum præscripto, quàm ex Constitutione sa. me. Gregorii XIV. hujusmodi quæstiones Ecclesiastico definiuntur judicio, privativè quoad laicalem potestatem, per ea, quæ plena manu tradit Farinac. *in prax. crim. q.* 28. *n.* 1. *in fin.* & *in tract. de Immunit. n.* 367. & *seqq.* Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 27. *n.* 1. & *seqq.* ubi quod de jure Canonum & Pandectarum etiam ante Constitutionem Gregorii, nec Reges nec Imperatores sibi talem cognitionem abrogare præsumebant. Tho. Delbene *de Immun. cap.* 16. *dub.* 41. *n.* 3.

2 Quo verò ad secundum videtur pariter res esse extra dubium. Probat textus *in c. Inter alia de Immun. Eccles.* 8. ibi: *Est tamen de eo, quod inique fecerit legitimè puniendus,* & *hoc dummodo Ecclesiasticus Judex delinquentis, qui ad altare confugit, salvam habeat* & *vitam,* & *membra,* ex traditis *in c. Reum* 17. *q.* 4. Præsertim si is, qui ad Ecclesiam confugit sæcularis Judicis timeat crudelitatem. Nam secundum jura prædicta Ecclesiasticus Judex confugientem extra ordinem judicabit, tanquam effectum de jurisdictione sua Tho. Delben. *d. c.* 16. *dub.* 31. *n.* 8. Farinac. *in append. n.* 339. post Host. *in d. c. Inter alia n.* 1. & Vitalin. *in Clem.* 1. *n.* 7. *de pœn.*

& *remiss.* prout recensendo plura pœnarum genera, quæ ab Episcopis infligi possunt reis ad Ecclesiam confugientibus tradidere exemplificando in pœna pecuniaria, vel perpetuæ servitutis in subsidium erga offensum Glos. *in d. c. Reum v. vel ad mortem*, Hostien. *in cit. c. Inter alia n.* 1. ubi graviter expostulat. ac reprehendit Prælatos, qui confugientes dimittunt impunes, & de pœna detrusionis in monasterium, Farinac. *in alleg. append. n.* 334. Et de pœna exilii, perpetui carceris, & triremium etiam in perpetuum firmarunt Gambacurta, Cutellus, & alii relati per Thom. Delben. *eo c.* 16. *dub.* 31. *sub n.* 3. & 4.

Et licet non desint qui contrarium sentiant quoad pœ 3
nam corporalem, attamen cessat omnis difficultas quando pœna triremium, & hujusmodi non est irrogata, vel ab Episcopo, vel ab alia potestate Ecclesiastica inferiori, a S. Congregatione Immunitatis, vel a Summo Pontifice, quem illa repræsentat, in quibus terminis loquuntur ac procedunt dicta Doctorum, ipsorumque interpretationes doctrinales super Canonibus in materia Immunitatis; quoniam ipsi & scriptis legibus, & magis receptis opinionibus alligantur, ut colligitur ex traditis per Decian. *tr. crimin. lib.* 6. *c.* 27. *n.* 2. & 3. & non autem quando ejusmodi pœnæ ordinatæ sunt ab eadem S. Congregatione, vel ab ipso Summo Pontifice, qui nedum in parte, & sic quoad pœnas antedictas, sed etiam in totum potest Immunitatis relaxare præsidium, Decian. *d. lib.* 6. *c.* 27. *num.* 3. Farinac. *in append. c.* 22. *n.* 346. Est enim solius Papæ Immunitatem declarare, restringere, augere, & limitare, prout sibi visum fuerit secundum casuum contingentiam. Ambros. *item de immun. c.* 1. *n.* 6. Grasset. *de homicid. prodit.* §. 29. & 30. Genuen. *in prax. c.* 76. Papa enim est viva lex, quæ semper loquitur, & quicquid in dubiis statuit circa Canonum interpretationes, si illorum intellectui est conforme, censetur illos approbare, si verò illorum dispositioni repugnat, censetur eadem potestate, qua condidit abrogare, *cap.* 1. ubi Doctores *de Constit. in* 6. Quippè quod omnes Canones habeat in scrinio pectoris sui, *l. Omnium, C. de testam.* Quemadmodum etiam in simili videmus, quod Pontifex concedit suis Legatis, quos mittit ad Principes sæculares facultatem extrahendi delinquentes ab Ecclesiis in casibus sibi benevisiis, Decian. *d. lib.* 6. *c.* 27. *n.* 4. Farin. *in præcit. append. nu.* 346. post principium.

Inde fit, ut postquam delinquentes fuerunt authorita- 4
te Summi Pontificis puniti extraordinaria pœna triremium, non possunt iterùm puniri per Judices laicos. Quia solum respectu pœnæ impositæ cessavit Immunitas, cui Pontifex potuit, ut dixi, derogare. At nullus alius, præsertim Magistratus laicus potest aliam novam pœnam imponere, quia inde violatur Immunitas Ecclesiastica, quæ alioquin reo non suffragaretur, ut docent post Glossam & antiquiores Farinac. *in d. append. c.* 21. *n.* 340. Decian. *eo lib.* 6. *c.* 29. *n.* 6. Castropal. *tom.* 2. *tr.* 11. *de rev. deb. loc. sacr. disp. un. punt.* 11. *n.* 10. Dian. *res. mor. p.* 6. *tr,* 1. *resol.* 33. Thom. Delben. *d. c.* 16. *dub.* 31. *n.* 9. & 10.

Maximè quando confugientes non solum non sunt in 5
pristina sua libertate dimissi, sed immò vincti in triremibus adhuc detinentur addicti luitioni pœnæ ab Ecclesia impositæ sub fide, & potestate ejusdem. Quibus stantibus contemptus, & offensa Ecclesiasticæ immunitatis videretur inexcusabilis, quemadmodum videmus, quod reus ductus ad mortem, vinctus a birrurariis Curiæ sæcularis transeundo per Ecclesiam, Immuniratem non acquirit; quia jam in potestate Curiæ sæcularis suam amisit libertatem, Archid. *in c. Sicut antiquitus n.* 247. *q.* 4. Oldrad. *cons.* 54. *n.* 4. Farinac. *de Immun. cap.* 15. *n.* 201. & *seq.* Gutier. *q. civil. l.* 3. *q.* 5. *n.* 1. Ita etiam dicendum contra Judices laicos, nullam eosdem acquirere potestatem in personam damnatorum, quorum dominium; & possessionem nondum Ecclesia perdiderat. Quia ad suam pristinam libertatem adhuc non sunt restituti, nec liberati a potestate Ecclesiæ, ad hoc ut fieri possint capientium, *argum. text. in §. ferè, instit. de rerum divis.* & *l. naturaliter. §. Illud quæsitum, ff. de acquir. rer. domin.*

CONSULTATIO XCVII.

An statuta seu edicta laicorum, in quibus puniuntur damna in agris ab animalibus data, comprehendant etiam rusticos, agricolas, & *operarios,* & *laboratores retinentes ac conducentes animalia Ecclesiæ, vel personarum Ecclesiasticarum, dum ipsorum culpa ab illis committitur damnum super bonis laicorum?*

AFfirmativè resolvendum censeo. Quia in vim hu- 1
jusmodi statutorum sive editorum nec turbatur,

nec in aliquo læditur, ſeu reſtringitur Eccleſiaſtica libertas, ut amplè probat Butr. *in cap. Gravamen. n.* 1. *de ſent. excom.* Felin. *in cap. Eccleſiæ S. Mariæ n.* 104. *ante fin. de conſtit.* Gramat. *conſ. civil.* 102. *nu.* 8. *& ſeqq.* Quod etiam proſequitur Surd. *conſ.* 301. *num.* 88. *lib.* 3. & Roderic. *quæſt. reg.* 66. *ar.* 2. *tom.* 1.

2 Et quidem omninò admittendum videtur. Nullibi enim de jure cautum reperitur, quod tales perſonæ gaudeant fori privilegio, ut poſt Butrium concludit Felin. *in c.* 2. *n.* 3. *de for. com.* Decian. *in tr. crim. to.* 1. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 58. Farinac. *in prax. q.* 8. *n.* 46. & Roderic. *loco alleg.*

3 Nec refragatur Panorm. *in d. cap.* 2. *ſub n.* 6. dum ait tales perſonas gaudere fori privilegio, quando conveniuntur ſuper re Eccleſiaſtica, quam ipſi conducunt. Quia id procedit quando agitur ſuper re, ſeu animalibus Eccleſiæ, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, ſecus autem quoties ipſi famuli & laboratores conveniunt ex ſuo delicto, ut rectè declarat Speculator, quem Panormit. pro ſe adducit *in tit. de compet. Judic. §.* 1. *ſub n.* 27.

4 Idque comprobatur, quia in hujuſmodi caſu nullum infertur Eccleſiæ gravamen, ſed duntaxat puniuntur tales perſonæ ex propria culpa, & negligentia, ſicque ex proprio facto & delicto, ut advertunt Grammat. *d. conſ.* 102. *nu.* 10. *cum ſeq.* & Surd. *d. conſ.* 301. *ſub n.* 88. Et longè minus læditur Eccleſiaſtica libertas. Quia ruſtici, & animalium cuſtodes, ac perſonæ hujuſmodi cùm ſuam habeant mercedem, ex illa reficiuntur damna, quæ propter ſuam negligentiam, & culpam inferuntur, prout etiam conſiderarunt Butr. *in d. c. Gravamen ſub num.* 18. & Grammat. *d. conſ.* 102. *n.* 11.

5 Quæ præſertim eò faciliùs locum habent, cùm concurrerit legitima conſuetudo, ex qua ſuper damnis datis per ejuſmodi perſonas ſoli Judices laici cognoſcunt, quæ cum ſit in hoc caſu particularis, eſt attendenda, ut in fortioribus terminis tradunt Covar. *pract. qq. cap.* 31. *ſub n.* 5. Clar. *in pract. crim. §. fin. q.* 36. *ſub n.* 2. Villalob. *in comm. opin. v. Clerici, fallent* 5.

6 Adverto tamen, quod licet allegati per Surdum *d. conſ.* 301. *n.* 88. tenuerint, Judicem laicum quoad perſonas Cuſtodum animalium ratione propriæ culpæ & delicti, non tamen quoad animalia Eccleſiaſticorum cognoſcere poſſe, attamen concluſio hæc non ita ſimpliciter procedere videtur, ſed adhibitis nonnullis declarationibus, ac circumſtantiis.

7 Prima eſt, dummodò ex dolo & culpa Cuſtodis damnum ab animalibus datum fuerit, *cap. fin.* & ibi Gloſ. 1. *de iniur. & damn. dat.* Joſ. Ludov. *de Peruſ. 9. n.* 11. Cravet. *conſ.* 353. *n.* 4. *& ſeq.* prout etiam intelligit idem Surdus, & ab eo citati. Hujuſmodi autem qualitas doli & culpæ Cuſtodis cùm de jure non præſumatur ad *l. merito, ff. pro ſoc.* & ad fundandam Judicis laici juriſdictionem requiratur, debet ante omnia probari, Farinac. *q.* 21. *n.* 87.

8 Secundà declaratio eſt, quod non propterea cuſtodes etiam data culpa & negligentia tenentur reſarcire damnum verſum in utilitatem animalium Eccleſiaſticorum, quatenus paſti fuerint in laicorum pabulis. Ad hoc enim tenetur Dominus animalium, *l. Quintus, & l. ſeq. ff. ad l. Aquil. l.* 1. *ff. ſi quadrupes paup. fed. d. c.* Alciat. *præſumpt.* 50. *n.* 3. Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 71. *n.* 3. Surd. *de alim. tit.* 8. *privil.* 62. *num.* 2. *& conſ.* 561. *num.* 26. *lib.* 4. Gratian. *diſcept.* 80. *n.* 3. *tom.* 1.

9 Tertia eſt, quod dato damno in bonis propriis jusdicentis, non poteſt ſibi ipſi ſuper prætenſo damno jus dicere cùm ſit contra textum *in l. Qui juriſdictioni* 10. *ff. de juriſd. omn. Judic.* Gratian. *d. diſcept.* 80. *nu.* 5. Nec per Judices ab eo deputatos ex notabili doctrina Bart. communiter approbata *in d. l. Qui juriſdictioni*, Roland. *conſ.* 16. *n.* 6. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 47. *n.* 2. *lib.* 1. Menoch. *conſ.* 721. *nu.* 44. *lib.* 8. cum aliis per Gratian. *diſcept.* 809. *n.* 72. *& ſeq. tom.* 5. deductis.

10 Quarta declaratio eſt, ut pro prætenſo damno cum animalibus nunquam deveniri poſſit ad capturam perſonæ cuſtodis, ſed prius aliis remediis agendum eſt, Gratian. *ibid.* Caroc. *de locat. & conduct. tit. de damn. dat. nu.* 10. Surd. *d. conſ.* 561. *n.* 27.

Quinta ſit, quod neque Eccleſiaſtici tenentur ad ſolutionem pœnæ pro damnis datis caſualibus ab animalibus tàm propriis, quàm communibus, nec illorum Cuſtodes. Quia de jure communi pro damno dato ab animalibus caſuali non debet ſolvi pœna, ſed Dominus animalium liberatur reficiendo damnum juxta text. *in l.* 1. *in princ. ff. ſi quadr. paup. feciſ. dic.* ubi etiam Gloſ. *v. Actio* notat, quod damnum ſolùm eſt in æſtimatione, & quod iſta actio eſt ſolùm civilis, & non datur a lege ex maleficio vel quaſi, ſed ſolùm propter pauperiem illatam; itaut non poſſit agi de pœna, quæ ſolùm conſideratur, quando agitur criminaliter, & ad publicam vindictam, *l. Infamem, ff. de public. judic.* Butr. *in rubr. de judic. column.* 1. *poſt med. verſ. cauſa civilis*, & ibi Dec. *n.* 96. *in fin.* Rip. *n.* 92. *&* 99. Berſ. *n.* 69. Caſus enim fortuiti nemini imputantur, *l. Qua fortuitis circa fin. C. de pignor. act.*

Quibus fortaſſe rationibus Sacra Congregatio Concilii ſemel atque iterùm declaraverit nec animalia Eccleſiaſticorum, nec eorum Cuſtodes ad pœnas laicorum ſtatuto inductas aliquo pacto teneri, prout *in una Hoſtunen.* die 25. Septembris 1609. declaravit hunc in modum. Statuta laicorum prohibentia moram, vel ingreſſum ſimpliciter, vel ad tempus quibuſcunque animalibus, pœnaſque huic prohibitioni adjunctas tàm amiſſionis alicujus ex animalibus deprehenſis, quàm etiam carceris, vel ſolutionis certæ pecuniæ in dominos, vel famulos eorum cuſtodiæ deputatos nequaquam animalia Clericorum, ipſorumque perſonas, aut famulos comprehendere. Idem cenſuit in una Brunduſina pro Capitulo, & Clero Terræ *Meſaniæ* ſub die 13. Julii 1616.

Verum hac de re extat S. Congregationis Cardina- 11
lium controverſiis juriſdictionalibus præpoſitorum prudentiſſimum decretum, quod alibi integrum adducimus, in cujus *§. ult.* ſic habetur: *At quando Coloni, & miniſtri Eccleſiarum, & Clericorum cum animalibus propriis bona laicorum damnificant, cognitionem tàm quoad bona, quàm quoad perſonas laicorum, & eorum animalia ſpectare ad Judicem laicum privativè. Sed ſi cum animalibus Eccleſiaſticorum vel Eccleſiarum quoad perſonas ſpectare ad laicum, quo verò ad animalia ad Curiam Eccleſiaſticam.* Quod decretum cùm ſit ultimum eſt attendendum, atque ex eo confirmata manet noſtra ſententia.

De pœna verò, quæ appellatur Tripedica in una Molificten. 4. Decemb. 1657. declaravit, ut ſequitur: *Ricorſe il Veſcovo altre volte a queſta S. Congregazione acciocchè dichiaraſſe, che lo ſtatuto del luogo, che diſpone, che i bovi, mentre ſono in atto di coltura, debbano ſtare nelle poſſeſſioni de' padroni con due legami ſotto pena chiamata Tripedica di due carlini per bove, non foſſe comprehenſivo de' Chierici. E perchè ebbe ordine di regolarſi conforme un decreto generale inviatogli a queſto effetto, nel quale ſi conteneva, che quando gli animali degli Eccleſiaſtici foſſero trovati a far danno ne' beni de' ſecolari, il Giudice laico poteſſe procedere contro i Coloni de' ſuddetti Eccleſiaſtici per il pagamento della pena. Ora rappreſenta, che il detto decreto è pregiudiciale, e contrario allo ſtile di tutto il Regno, di non aſtringer gli Eccleſiaſtici al pagamento della pena, ma ſolo del danno, e ſupplica per ordine più preciſo, che la pena di Tripedica non poſſa eſiggerſi, nè dagli Eccleſiaſtici, nè da' loro Coloni, e cuſtodi.* Congreg. Immunitatis, &c. declaravit: Statutum non comprehendere. Et ſuppoſita conſuetudine detur decretum in cauſa Caſtrenſi.

CONSULTATIO XCVIII.

Titius, Officialis Curiæ laicæ declaratus incidiſſe in cen- 1
ſuras can. 15. *Bullæ Cœnæ Domini, & abſolutus ab Ordinario ſub conditione expreſſa* in cap. De cætero 11. cap. Ea noſcitur 13. cap. Quod de his 26. & cap. Quamvis 58. de ſent. excom. *nempè, ut quando poſſet ſe in Romana Curia per ſe ipſum, vel Procuratorem præſentare gratia petendi abſolutionem reſervatam Romano Pontifici, petit diſpenſari a dicta obligatione, prætexens, quod periculoſum ſibi eſſet ob nimiam ſuæ Regionis diſtantiam iter tàm longum aggredi, & proſequi ſine propriæ vitæ diſcrimine, nec itidem poſſe alium ſui loco mittere citra magnam impenſam, ac grave diſpendium, quod ejus ſtatum diminueret. Quæritur,* an ſit annuendum.

Reſpondeo, ſecundùm ea, quæ proponuntur quoad 2
perſonalem acceſſum poſſe diſpenſari, ne cum gravi ejus detrimento cogatur deſerere munus publicum Officialis quod exercet, cum verba generalia tàm *d. c. Quod de his, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur*, quàm alterius *c. Quamvis, ſive quolibet impedimento canonico retrahatur quominus Romanum Pontificem poſſit adire.* Doctores exemplificent in gerente aliquod munus publicum, adeò ut ſine gravi ejus detrimento nequeat illius exercitium deſerere. Ita Alter. *de cenſur. tom.* 1. *diſp.* 22. *de excom. Bull. Cœn. lib.* 5. *c.* 2. *ſub lit. D.* & Duard. *in com. ad d. Bull. lib.* 3. *§.* 2. *q.* 8. *n.* 2. Satiſque regulariter ſit quodlibet impedimentum, quod viri prudentis arbitrio cenſetur legitimum, ſicut poſt Cornejo *p.* 3. *tr.* 5. *diſp.* 11. *dub.* 2. reſpondit Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 6. *& p.* 7. *tract.* 10. *reſ.* 23.

Quo verò ad Procuratorem negativè videtur reſponden- 3
dum, cum non ſit opus aliquem mittere, ſed hoc poſſit alteri, Romam acceſſuro, vel alteri demandari juxta notata per Bonac. *de cenſur. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. *q.* 2. *v.* 4. Quod etiam tenet in ſua praxi *c.* 53. Simon Cervinus, Tarochus S. Nicolai

lai ad Carcerem Tullianum, vir judicio, dexteritate, atque candore animi nulli secundus.

CONSULTATIO XCIX.

An filii sæculares Clerici conjugati gaudeant privilegio, quo gaudet eorum pater? Et quid de eorum uxoribus? Et Clericis sylvaticis, & oblatis?

1 NEgativè respondendum videtur. Nullo enim jure cautum reperitur quod filii laici Clericorum conjugatorum fori privilegio gaudeant. Immò contrarium suadetur ex dispositione textus *in c. un. de Cler. conjug. in 6.* dum ibi statuit Bonifacius VIII. Clericos conjugatos, & præter illa duo privilegia personalia Canonis & fori, in cæteris nullo debere frui privilegio, prout fruerentur, si eorum filii a jurisdictione, & potestate laica eximerentur, ut ibi notavit Jo: de Lignano, Franchus, & alii locis mox allegandis. Tum ex regula generali, quod, privilegium alicui ratione qualitatis personalis concessum, nunquam ad illius uxorem, & filios extendi debeat, nisi in jure expressum fuerit, *cap. Ne aliqui*, ubi hoc notant Jo: Andr. Franc. Gemin. & alii communiter *de privil. in 6.* Qua ratione uxoribus, & filiis hujusmodi Clericorum non competere privilegium fori in specie tradiderunt Joan. Andr. *in Addit. ad Specul. tit. de Cler. conjug. sub n. 5. v. Uxor* Joan. de Lign. quem refert, & sequitur Franch. *in d. c. un. §. fin.* Butr. *in c. 2* & ibi Alex. de Nev. *de for. comp.* ac probat Sanch. *de matr. l. 7. disp. 47.* Bonac. *de legib. disp. 1. q. 3. pun. 7. §. 2. n. 9.* & 10. Salas *eod. argum. disp. 17. sect. 11.* aliique passim.

2 Et quamvis plerique tàm juris civilis, quàm canonici interpretes absolutè tradiderint filios Clericorum gaudere privilegio fori, sicuti & eorum parentes, ut per Specul. loco citato, & alios, quos congerunt, & sequuntur Decian. *tr. crimin. lib. 4. c. 9. n. 84.* & Farinac. *in prax. q. 8. num. 189.* & *seqq.* horum tamen sententia intelligenda est de filiis Clericorum, quos illi, antequam ad Clericatum, vel ad Sacros Ordines promoverentur, legitimè susceperunt. Cùm enim privilegium competens hujusmodi Clericis, qui relicto statu conjugali corpus, & animam in divinum obsequium tradiderunt, sit plenum, & absolutum, illisque omni jure debitum, ut per Innoc. *in c. 1. de major.* & *obed.* non immeritò illud etiam ad filios, quos jam legitimè procreantur, diffundi potest, ut benè declarat Franch. *d. c. un. §. fin.* & consentiunt ferè omnes Doctores, ut per Sanch. *d. disp. 47. in fin.* Barbos. qui alios adducit *in c. 39. n. 62. in fin. lib. 1. de Jur. Eccles.* ubi etiam refert declarationem S. Congregationis Immunitatis in una *Callien.* die 18. Martii 1631.

3 Contra vero in Clericis conjugatis, qui transeundo a statu, & professione Clericali ad statum conjugalem, ut inquit textus *in c. Quod a te de cler. conjug.* voluptatibus, & carnalibus desideriis intenti, divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent, & ob immunditiam suam Ecclesiasticis Sacramentis, & beneficiis indigni censentur. Et propterea ratione solius characteris privilegium retinent satis tenue ac limitatum, quòdque, nonnisi concurrentibus pluribus requisitis, de quibus *in d. c. unic.* & per Concilium Trident. *sess. 23. de ref. c. 6.* in eorum persona vix unquam, vel rarò practicari potes, ut benè advertunt Scacch. *de Judic. lib. 1. cap. 11. num. 20.* Farinac. *d. q. 8. n. 6. in fin.* non est ferendum, quod illud ad filios suos, quos post desertam Ecclesiasticam professionem susceperunt, extendere valeant; itaut laicus, qui patrem habet Clericum conjugatum eodem privilegio gaudere debeat, quo gaudet verus Clericus Ecclesiæ servitio in cœlibatu deditus, aut actu Sacerdos.

4 Cùm itaque hoc privilegium in persona merè laicali nullo jure divino, aut humano fuerit introductum, sed ad summum ex generalibus Doctorum conclusionibus quodammodo deduci videatur, certum est, per contrariam consuetudinem in certo, & particulari loco removeri posse juxta ea, quæ de viribus consuetudinis in hac materia tradunt communiter Doctores *in d. cap. un. de sec. nup.* Abb. *in cap. Cùm venissent de eo, qui mit. in pos.* Covar. *pract. qu. c. 31. num. 5.* Clar. *in prax. lib. 5. q. 36. n. 5.* Farinac. *d. q. 8. sub nu. 3.* Cened. *quæst. pract. q. 4. n. 17.* & *seqq.* Cùmque non desint Doctores etiam magnæ authoritatis, qui dicunt hujusmodi privilegium tanquam merè personale ratione characteris, & ordinis non esse extendendum ad alias personas, & signanter ad uxorem, & filios, ut dicit Jo: Andr. *in d. addit. ad Specul. n. 4.* & 5. Alex. de Nev. *in d. c. 2. n. 12.* & etiam Imol. *n. 3. de for. comp.* Anchar. *cons. 196. n. 4. in fin.* Sanch. post alios, quos adducit *ex l. 7. disp. 47. n. 1.* & *3. ex d. textu in cap. 1. de Cler. conjug. in 6.* Ubi privilegium fori videtur restrictum ad personam ipsorum Clericorum conjugatorum per dictionem illam *hujusmodi*, quæ restringit ad personas, & ordinem expressum, Feder. de Sen. *cons. 25. n. 4* Surd. *cons. 308. n. 16.* Rot. *dec. 200. n. 6. p. 4. recent.* & *in Urgellen. Sacristiæ 3.* Junii 1624. coram Manzanedo, & Concilium Trid. *d. sess. 23. cap. 6. de refor. §. in Clericis vero* potiùs restringit, quàm ampliat privilegium Clericorum conjugatorum; ideò dicendum est hujusmodi consuetudinem fore observandam. Quia potest in aliqua parte diminuere privilegia Clericorum, licet non in totum tollere etiam quando agitur de immunitate Ecclesiastica. Et sic valet consuetudo, quod in aliquibus casus Clerici subjiciantur Judici laico, Covar. *d. c. 31. n. 5.* Gulielm. de Bened. *in repet. cap. Raynutius de test. v. Et uxor. n. 322.* Boer. *dec. 64. n. 20.* Tiraquell. *de retract. conjang. §. 32. glos. 1. n. 81.* Garz. *de nobil. Hispanen. glos. 9. n. 4.* Clar. *d. q. 36. n. 3.* Natt. *cons. 63. in fin.* Villalob. *commun. opin. v. Cleric. n. 8.* Grat. *discept. 340. n. 39.* Carol. de Graf. *de effect. Cler. eff. 1. nu. 788.* Farinac. *d. q. 8. n. 3.*

Si igitur valet hujusmodi consuetudo, & est observanda quoad Clericos, quod in aliquibus casibus particularibus subjiciantur jurisdictioni laicali, multò magis erit observanda in filiis sæcularibus Cleri conjugati, qui sunt merè laici, & in quibus non militat tanta ratio, quod non subjiciantur jurisdictioni laicali, arguendo de majori ad minus, ut per Everard. *in loc. a major. ad min.* Et quia privilegium non habent ex se, sed ex persona patris, qui habet etiam limitatam exemptionem quoad privilegium Canonis, & fori, non autem quoad exemptionem a gabellis, & aliis muneribus sæcularibus, *c. 1. de Cleric. conjug. in 6.* Covar. *pract. qu. 31. num. 9.* Capr. *cons. 87. num. 85.* Guidop. *dec. 583. num. 2.* Ricc. *dec. 169. p. 3.* Bellet. *disq. Cler. p. 1. §. 8. n. 11.* ubi quod nec etiam gaudet beneficio *c. Odoardus de solut.* Cost. *de remed. subsid. c. 29.* Ricc. *in prax. resolut. p. 1. resol. 253.* Præsertim si consuetudo sit immemorabilis, quæ habet vim tituli, & privilegii, *l. 1. §. Denique, l. 2. §. Apud Namus, ff. de aqu. pluv. arc. l. hoc jure, §. deductus aqua. ff. de aqu. quotid.* & *æstiv. cap. super quibusdam, §. Præterea*, ubi Gloss. *v. non extat memoria de verb. signif.* Dec. *cons. 85. num. 2.* & *cons. 117. in fin.* Ruin. *cons. 28. n. 11. vol. 2.*

At nihilominus tenendum est, filios etiam laicos Clericorum conjugatorum gaudere privilegio fori, quo Clericus pater gaudet. Probatur expresse per text. *in l. Omnis, C. de Episcop.* & *Cler.* & supponunt omnes scribentes eo loco, tenetque post Imolam Franchus pro contraria sententia minus rectè allegatus *in cap. Clerici, §. ult. n. 6. de Cler. conjug. in 6.* Bertachin. *in repet. v. Clericus*, Specul. *lib. 4. p. 3. tit. de Cleric. conjug. n. 5.* allegans text. *in d. l. Omnis*, Asin. *de exequut. §. 1. cap. 52. n. 16.* Carol. de Graff. *effect. cler. 1. n. 189.* ac latissimè Decian. *tr. crimin. lib. 4. c. 9. n. 49.* aliique communiter. 6

Quæ verissima conclusio indistinctè per Doctores tradita restringi non potest ad filios ante Clericatum susceptos. Quod probatur ex eodem textu *in d. l. Omnis*, ubi Glos. ac docent communiter Doctores, præterque Farinacium, Decianum, & Graffum locis allegatis, tradunt nominatim Milanen. *decis. Scil. 10. n. 9. l. 1.* Borell. *in sum. dec. tit. 8. n. 26.* Doctorum enim indistincta opinio habetur pro lege, ejusque appellatione venit, Decian. *cons. 111. n. 17. l. 3.* estque pro lege tenenda itaut sufficiat eam allegare præsertim ubi lex deficeret, Alex. *cons. 51. n. 5.* & *cons. 55. n. 14. lib. 4* Anan. *cons. 28. n. 3.* dicens, quod ubi deficit lex, recurritur ad opinionem majorum, quæ pro lege habetur. Potiùs autem ad favorem dictæ distinctionis allegari poterit Glossa *in d. l. Omnis, v. filii.* Sed ea, quemadmodum brevissima, ita clarissima est, ibi: *filii ante concepti*; nam post sacros ordines essent incestuosi, & Doctores ibi disputant, an sint incestuosi, vel spurii, eo quia supponuntur procreati post ordinem Sacrum. Quare cum in hoc casu agamus de filiis conceptis post ordines minores, non autem post Ordines sacros, ideò non solum cessat procul dubio Glossa, sed etiam retorquetur. 7

Estque item ponderandum, quod distinctio ejusmodi inter natos ante, & post susceptum Ordinem Clericalem non potest considerari, nisi in Clerico bigamo. Quia habenti uxorem non potest conferri ne quidem prima tonsura, ut probat textus *in c. fin. de tempore Ordin. in 6.* nisi velit Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri. Et ideò non procederet distinctio, nisi in eo, qui ex prima uxore habuit filios, & ea mortua, suscepit Ordinem Clericalem, ac deinde transiens ad secunda vota, procreavit alios filios. Quoniam cum Doctores, limitando regulam, dicant, quod filii naturales Clericorum conjugatorum non gaudent hoc privilegio, sed solùm legitimi, non possunt adesse 8

filii legitimi poſt ſuſceptum Ordinem , niſi ſint nati ex ſecundo matrimonio , & in hoc caſu fruſtra laboraſſent in firmando, quod filii legitimi, & naturales Clericorum conjugatorum gaudent privilegio fori . Quandoquidem notiſſima eſt juris concluſio, quòd Clericus bigamus non gaudet fori privilegio, ut probat textus in *cap.* 1. *de bigam. in 6.* Azor. *inſtit. mor. p.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *qu.* 12. Rota *in Ferrarien. Penſionis* 21. Martii 1627. cor. Card. Virili, quæ eſt *deciſio* 50. *par.* 5. *rec.* Quod ſi pater Clericus bigamus non gaudet, eò minus gaudebit & filius. At cùm omnes teneant filium Clerici conjugati gaudere, fatendum eſt, Doctores intellexiſſe de nato poſt ſuſceptum Ordinem, non autem antè.

9 Nec etiam movere nos debet ratio illa textus *in d. cap. Quod a te de Cler. conjug.* Siquidem hic textus loquitur ſolùm de privatione beneficii, non de privilegio fori, quo ſi quis privandus eſſet, eſſet ipſe pater non valens continere, & tamen Clericus jam exiſtens, uxorem poſteà ſuſcipiens, retinet privilegium fori, ut in terminis de Clerico exiſtente infra Subdiaconatum eſt textus *in d. c.* 1. *de Cler. conjug.* & de his loquuntur paſſim Doctores, ſpeciatim Sanchez *de matrim. d. lib.* 7. *diſp.* 46. *per tot.* Rota *dec.* 293. *n.* 5. *poſt* 2. *vol. Farinacii.* Sicque ratio textus *in d. c. Quod a te* non eſt ratio ſufficiens, ut Clericus matrimonium contrahens , qui incontinentiæ author eſt, privetur privilegio fori, nec inducere poteſt , ut filii, in quibus nulla culpa , niſi paterna conſiderari poteſt, eodem privilegio priventur.

10 Immo ratio quare filios hujuſmodi privilegium comprehendat per Doctores conſiderata , præcipuè per Decianum, & Graſſum locis citatis, ſanè procedit non tàm in filiis ante Clericatum , quàm poſt Clericatum genitis. Quia ſunt tàm ipſi, quàm illi paterni corporis pars. Quod non per fictionem, ſed per veritatem , & ſecundum naturam procedere dicit Caſtr. *conſil.* 351. *num.* 7. Itaut in omnibus procedat, patrem in filiorum corporibus cruciari. Subſiſtente autem eadem ratione, diſpoſitio generalis , loquens de filiis ita extenditur ad naſcituros, ſicuti ad jam natos Oldrad. *conſ.* 65.

11 Et quidem regula eſt , quòd quando lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus *l. de pretio, ff. de public. leg.* 1. & *l. generaliter, ff. de leg. præſt.* Jaſ. *in l. Non dubium n.* 38. *C. de legib.* Præſertim in præjudicium juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ad cujus favorem ſolet fieri interpretatio , ne detur occaſio ſæcularibus eam deludendi, *l. Sunt perſonæ , ff. de relig. & ſumpt. fun.* Jaſon. *in auth. Ingreſſi n.* 32. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Tiraquell. *de pia cauſ. privil.* 78. Decian. *conſil.* 149. *n.* 4. Burat. *dec.* 432. & *dec.* 580. *n.* 11. Quamobrem hujuſmodi diſtinctio eſt prorſus rejicienda ex pluribus.

12 Primò , quia ubi agitur de aliquo privilegio filiorum ex dignitate patris conſequendo , non attenditur , an filii ſint nati ante vel poſt dignitatem adeptam per textum in *l. Senatoris filium* 5. *ff. de Senator.* ibi: *Non intereſt, an in ſenatoria dignitate conſtitutus eam ſuſceperit, an ante dignitatem.*

13 Secundò, id etiam probat textus *in l. Cùm advocatio* 8. *C. de Advocat. div. Judic.* ubi Imperator dando privilegium perſonale Advocatis Prætorianis, dicit, illud competere eorum liberis quandocunque genitis . Ubi Albericus id notat præcipuè ad favorem filiorum natorum tàm ante, quàm poſt paternam dignitatem.

14 Tertiò, idem clarius probat textus *in leg.* 2. *C. de Advoc. div. Judic.* Ubi dicitur Advocatos ampliſſimæ tuæ Sedis, qui pro tempore ad Fiſci Patroni gradum, & officium provehuntur unà cum liberis jam natis, vel poſteà procreandis ab omni cohortalis , ſeu cujuslibet conditionis vinculo immunes ac liberos cum patrimonio ſuo conſervari decernimus.

15 Quartò , a fortiori id ipſum probat textus *in leg. Nec Dorotheum* 61. *C. de Decurion. lib.* 10. ubi ait, quod nati poſt paternam dignitatem multò magis gaudent immunitate patri conceſſa , quàm nati ante paternam dignitatem.

16 Quintò, non ſolùm id procedit de jure civili, ſed etiam de jure Canonico, ut probat textus *in cap. Ad extirpandas de fil. presbyt.* Ubi primum filium presbyterorum ſimpliciter vocat, & poſteà de iiſdem loquens, dicit, *ſive geniti ſint in ſacerdotio, ſive non.* Unde patet nihil referre , an filii Clericorum fuerint ab eis ſuſcepti antequam ad Clericatum , vel ad Sacros Ordines promoverentur , vel poſteà prout dictum textum explicat Tiraquel. *de jur. primog. q.* 31. *ſub num.* 12.

17 Sextò, adduco doctrinam Baldi *in l.* 2. *ad fin. C. de libert. & eor. liber.* Ubi quod in favorabilibus factum patris indiſtinctè prodeſt liberis tàm natis, quàm naſcituris.

18 Septimò, profero aliam concluſionem communiter receptam in ea controverſia, ſi ſtatutum deferat ſucceſſionem primogenito Regis , in eoque extent filii nati tàm ante, quàm poſt Regnum acquiſitum , quod ſit præferendus primogenitus natus poſt Regnum acquiſitum , quaſi is dicatur primogenitus Regis, de quo loquitur ſtatutum, vel conſuetudo, non cæteri nati ante , ut poſt Jacob. de Belviſio expreſsè voluit Bald. *in l. Imperialis, §. illud, C. de nupt. & in l. ult. C. de Decurion. lib.* 11. Alvarot. *in cap.* 1. *tit. de feud.* March. cum aliis per Tiraquell. *d. q.* 31. *n.* 22. Unde videtur inferri, quòd magis eſt filius Clerici qui natus eſt poſt Clericatum, quàm qui anteà. Hinc natus ante dignitatem patris, qui illum illuſtrem facit, non illuſtris eſt, ſed tantùm clariſſimus, ut notat Gloſſ. *in d. l. Senatoris filium, ff. de Senator. & l. ſi Senator.* ubi Bart. & Jo: de Plat. *C. de dignit. l.* 12. cum aliis per Tiraquell. *d. q.* 31. *n.* 6. relatis. Et generaliter jura immunitatum, vacationum, ſepulchrorum alicui, & ipſius poſteris conceſſa, indifferenter, indiſtinctè, & æqualiter ad liberos quocunque tempore natos pertinent , *l.* 4. *ff. de jur. immun. l. vacatio* 13. *ff. de mun. & honor. l. Vel quod, 6. ff. de relig. & ſumpt.* Hotoman. *illuſt. q.* 2. qui leges iſtas generaliter ſcriptas, generaliter accipiendas putat. Ratio præciſa fundatur in jure quæſito non autem ferendo, *l. filium* 9. *ff. de Senator.*

19 Quinimmò quando vir de licentia uxoris ad Sacros Ordines tranſit, etiam uxorem gaudere omnibus privilegiis Clericalibus ſicut & virum, tenet Abb. *in cap.* 2. *num.* 9. *de for. comp.* & ibi Sebaſt. de Sap. *v. Privilegio fori*, Sanch. *d. lib.* 7. *diſp.* 47. *num.* 5.

20 Non obſtat Jo: Andr. *in addit. ad Sepul.* Sanchez, Salas, Barboſa, & alii. Quia non loquuntur de filiis Clericorum conjugatorum, ſed de illorum uxoribus, qui nec etiam ſunt attendendi quoad uxores , cùm contra ipſos ſtet communis opinio relata per Graſſ. *effect. cler.* 3. *nu.* 137. Decian. *d. lib.* 4. *c.* 9. *nu.* 53. & reſolutum fuit a S. Congregatione Immunitatis *in Mihten.* die 20. Novembris 1640. & in fortioribus in uxore Clerici ſelvagii in *Hieracen.* die 4. Junii 1645. & in aliis ſæpè.

21 Ceſſante igitur quacunque auctoritate ac ratione contraria, inhærendum eſt regulæ ſuperiùs firmatæ. Patri enim adverſæ alleganti limitationem, onus probandi incumbit, *c. Ad decimas*, & ibi Gloſſ. *de reſtit. ſpol.* Et in dubio ſtandum eſt regulæ, donec exceptio probetur, *l. Illud, C. de ſacroſ. Eccleſ. l. ult. Cod. de hæred. inſtit. l. Ab ea parte ff. de prob.* Bertaz. *in repet. l. Si quis majori, C. de tranſact. n.* 603. ubi num. ſeq. reddit rationem, quia tenaces ſunt regulæ juris , a quibus non eſt recedendum. Quod latiùs comprobat Simon. Vax. *in princ. utr. jur. lit. N & X* ubi qui habet regulam pro ſe, habet intentionem fundatam.

22 Neque tandem hanc ſententiam labefactare poteſt aſſerta conſuetudo. Nam illa eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, & textum expreſſum *in d. l. Omnis, & cap. Clerici* , ac ibidem Gloſs. fin. *de judic.* ubi clarè Pontifex damnat conſuetudinem etiam particularem, ſi illa tendit contra Eccleſiaſticam immunitatem. Quia omnis conſuetudo, ſive generalis ea ſit, ſive particularis libertati Eccleſiaſticæ contraria, eſt irrationabilis, & a jure reprobata, quatenus huic libertati conſuetudine contraria etiam ex parte derogari verat . Siquidem reprobando loquitur de conſuetudinibus etiam particularibus. Quod ſæpè Pontifices, & Concilia declararunt, uti conſtat ex *d. c. Clerici, ex c. Iolita, c. Placuit, c. Si Clericus, c. Si quis ex fratribus, &c. Pervenit* 11. *q.* 5. *c. Imperialis* 21. *d. & c. Noverint de ſent. excom.*

23 Et generaliter omnis conſuetudo tendens contra Immunitatem Eccleſiaſticam reprobatur in Auth. *Caſſa de Sacroſ. Eccleſ.* Quæ authentica ſumpta eſt e Conſtitutione Friderici, quam tanquam *in æternum valituram* Honorius III. confirmavit. Unde idem Honorius *in d. cap. Noverit* excommunicat omnes, qui conſuetudines introductas contra Eccleſiaſticam libertatem ſervari fecerint, & in Bulla Cœnæ Domini, ut notarunt Colleg. Bononienſe *in reſponſ. contra Venetos num.* 59. Vigian. *de libert. Eccleſ. diſp.* 2. *concl.* 4. & *diſp.* 3. *concl.* 1. Ugolin. *in reſponſ. ad Juriſconſ. Gymnaſii Patav. c.* 7. Jo: Franc. Fagnan. *de juſtit. cenſur. Pauli V. par.* 4. *fol.* 116. Tanner. 2. 2. *diſp.* 5. *dub.* 10. *n.* 132. Bonac. *de cenſur. diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 2. Souſa *contra Venetos*, Marth. *de juriſd. par.* 4. *cent.* 1. *caſ.* 7. *n.* 12. Philiarc. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. Suarez *contra Reg. Angl. lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 3. & ex antiquioribus Abb. *in d. cap. Clerici n.* 5. Dec. *nu.* 14. Rip. *in cap. Decernimus de judic. n.* 15. Prob. *in cap.* 2 *de probat.* ubi id extendit etiam ad immemorabilem, Rot. *tit. de conſuetud. in antiq. dec.* 3 & 10. *aliàs* 123. & 840. Bart. *in l. de quibus, ff. de legib. n.* 5. Roch. de Curt. *in c. ult. de conſuetud.* Lopez *in l.* 2. *tit.* 2. *p.* 1. *num.* 6. Navar. *in c. Cùm contingat de reſcript. remed.* 1. aliique innumeri. Idque etiamſi ſit quantumvis immemorabilis, Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 11. *q.* 1. Peſantius *tr. de Immun. Eccleſ diſp.* 2. *n.* 2.

Laym.

Laym. *lib.* 4. *tr.* 9. *cap.* 10. *n.* 1. Duard. *in Bull. Cœn. cap.* 14. *disp.* 75. *n.* 2. & *disp.* 76. *n.* 5. & *lib.* 2. *can.* 14. *q.* 9. *n.* 8. Surd. *cons.* 301. *n.* 5. *tom.* 3. Marth *cent.* 2. *cas.* 101. Comitol. *in apolog. contra Venet. cap.* 3. *n.* 8 passimque alii. Nam hæc exemptio est de jure divino, contra quod non potest consuetudo humana prævalere. Item quia est juri canonico valdè contraria, & ideò non potest illi derogare; quia inferior non potest jus Superiori abrogare. Quæ quidem rationes habent vim quoad abrogationem totius privilegii etiamsi non fiat pro tota Ecclesia, sed in aliqua provincia, aut diœcesi, in qua talis consuetudo excogitatur. Quia revera, etiam similis abrogatio totius Immunitatis in aliquo loco Ecclesiæ, esset valdè injuriosa toti statui Clericali, & scandalosa, & non posset esse in ædificationem, sed in destructionem. Et in hoc sensu sine dubio loquuntur jura & Doctores. Unde jus Canonicum propter rei gravitatem, & majorem Immunitatis incolumitatem non solùm prohibet quemlibet actum illi contrarium, sed etiam abrogat omnem consuetudinem libertati Ecclesiasticæ contrariam, ut constat ex citatis Canonibus. Quoties autem lex non solum prohibet actum, sed etiam abrogat consuetudinem, non potest per consuetudinem derogari, quia lex ipsa prævenit, & vires abstulit consuetudini ad derogandum. Immò jus Canonicum non solum prohibet hujusmodi consuetudines, sed etiam reprobat. Tandem quia laici cum sint incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ nunquam possunt se tueri consuetudine aliqua etiam immemorabili, cum nunquam legitima esse possit ad præscribendum. Suarez loco alleg. *lib.* 4. *c.* 32. *num.* 23. Quæ quamvis vicem legis, & privilegii obtineat, attamen cum sit turpis, & reprobata non potest inducere privilegium quantumcumque illa immemorabilis sit.

24 Nam est consuetudo laicorum, quæ licet possit juri civili derogare, non tamen juri canonico cùm non plus possit consuetudo quàm lex; lex autem civilis non potest derogari juri canonico, nec potest Clericis gravamen imponere, vel præjudicium afferre, quia in sola authoritate civili, & temporali nititur. Unde est communis doctrina Jurisperitorum, consuetudinem laicorum non posse Clericos obligare, ut videre licet in Innoc. *rubr. de consuetud. n.* 6. & Panorm. *c. Quod Clerici de for. comp. n.* 2. Felin. *in c. Eccles. S. Mariæ de constit. n.* 100. Hostien. *in summ. tit. de Consuetud. §.* & *de virtute*, & aliis, quos refert Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *qu.* 12. qui varia jura allegant, quæ licet magis loquantur de lege vel statuto civili, per æquiparationem tamen inducuntur, ut *c.* 1. *d.* 10. & *d. c. Ecclesia de Constit.*

25 Neque hodie locum habet limitatio illa, quod scilicet consuetudo immemorabilis cum fama constanti privilegii Papæ juvat & excusat a pœnis, præsumique facit titulum justum in iis, quo um quis citra privilegium Papæ non est capax, sed cum isto est capax, ut docuerunt Suar. *d. lib.* 4. *cap.* 34. *n.* 17. Laym. *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 10. *num.* 2. Tusch. *v. Judex concl.* 453. *num.* 46. Rot. *div. p.* 2. *dec.* 215. *num.* 4. & post Farinac. *p.* 1. *dec.* 698. *n.* 4. & *p.* 2. *dec.* 545. *n.* 1. Mantic. *dec.* 289. *n.* 2. Nam hæc quoque consuetudo exposita est ab Urbano VIII. in Constitutione sua super præservatione jurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum a quibuscunque præjudicialibus, data sub die 5. Junii 1641. quæ incipit. *Romanus Pontifex*, ubi inter cætera hæc habet: *Item molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, executiones, & attenta quæcunque a quibusvis laicis etiam officialibus quomodolibet qualificatis contra personas Ecclesiasticas, vel Ecclesias, seu cujuslibet earum bona, sive jura vel fructus tam civiliter, quam criminaliter, & alias quomodolibet quandocumque hactenus facta, gesta, & commissa, etiam de facto exequutioni, etiam pluribus vicibus, & quocunque temporis cursu, etiam longævo, & longissimo, ac ut prætenditur immemorabili, etiam cum fama asserti privilegii quomodolibet demandata.* Et mox: *Nec non reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedi Apostolicæ, vel jurisdictioni, immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve juribus, bonis, & fructibus quomodolibet præjudicialia per quoscunque sufficienti, & legitima facultate Apostolica non munitos, facta, gesta, & respective perpetrata cum omnibus, & singulis quandocunque inde secutis, & quocumque tempore etiam longissimo exequutioni demandatis, ac observatis, fuisse & esse ipso jure nullas, & invalidas, ac nulla, & invalida, nulliusque roboris, vel momenti, indebitaque, & illicita, ac de facto præsumptas, & præsumpta, nullumque præjudicium eisdem intulisse, nec inferre unquam posse, illasque, & illa ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quacumque prætensa observantia quantumlibet diuturna, longæva, longissima, seu immemorabili etiam cum fama prætensi privilegii Apostolici, ac etiam juncta quavis scientia, conniventia, tolerantia, taciturnitate, facultate, & permissione etiam ex actibus positivis non legitimis resultante Prælatorum Ecclesiarum inferiorum, Legatorum, Nunciorum, & aliorum quorumcunque ministrorum Apostolicorum*, &c. Rursus: *Quinimmò omnia & singula præjudicialia fuisse a Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Conciliis etiam universalibus, præsertimque a prædicta Bulla in Cœna Domini lege solita respective reprobata, ac damnata, prout etiam ad abundantiorem cautelam tenore præsentium reprobamus, & damnamus, beneplacitaque Apostolica per Prædecessores nostros, & per nos hactenus denegata fuisse declaramus, sicut etiam harum vigore denegamus, & quatenus foret opus, omnia, & singula præjudicialia prædicta, omniaque alia, sique sint, irritamus & annullamus, ac respective revocamus cum inde secutis quibuscumque, præsertim intrusionibus, occupationibus, & observantiis, ac usibus, & consuetudinibus quantumvis longissimis, & immemorabilibus etiam cum asserta fama privilegii Apostolici, quas & quæ illicitas, & illicita, irrationabilesque & irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis, & annullatis perpetuò haberi volumus, decernimusque & damnamus; ita quod in posterum illa & illæ non possint unquam in judicio, nec extra judicium a quoquam quomodolibet allegari, deduci, probari, nec ab aliquo admitti ad quemcumque effectum*, &c. Ac denique: *Præjudicialiaque hujusmodi ne in posterum perpetuis futuris temporibus fiant etiam interdicimus, & prohibemus.*

Nam ut idem Urbanus in eadem Constitutione sa- 26
pientissimè ratiocinatur, *hujusmodi præjudicia non fuerunt Summo Pontifici pro tempore existenti, minusque ejus successoribus nota saltem cum suis circumstantiis, præjudicium inferentibus, & aggravantibus, quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præsertim ubi actum fuit, vel agitur de præjudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri, præcipuè per literas Apostolicas, sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, prout etiam in Pontificatu nostro expediuntur. Ideò si in Registris Apostolicis, quæ fideliter custodiuntur, & asservantur prædictorum quorumcunque præjudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibentur originalia literarum Apostolicarum, aut transumpta justa formam Constitutionis nostræ desuper alias editæ sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub die* 1. *Junii* 1635. *Pontificatus nostri anno* 12. *inde deducitur, neque Romanos Pontifices prædecessores nostros, nec nos unquam præjudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque Apostolica super præjudicialibus unquam concessisse.*

Atque ex his sequitur non subsistere etiam præten- 27
sionem, quod sit recurrendum ad consuetudinem locorum vicinorum. Quia hæc non procedit, quando jus est clarum & certum, tunc enim illud est attendendum, & solum recurritur ad consuetudinem aliorum locorum, quando jus est dubium, & non adest particularis consuetudo in loco particulari, ut post alios tradit Innoc. *in cap. fin. sub num.* 8. & *seq. de offic. Archid.* Abb. *in c. cum olim num.* 4. & 7. *de consuet.* Mohed. *dec.* 3. *n.* 2. *de decim.* Potiusque attendenda sunt loca, in quibus hujusmodi exemptio observatur. Quia consuetudo est stricti juris, & non extenditur de loco ad locum, sed potiùs in dubio debet attendi dispositio juris communis, quæ viget in locis magis vicinis, Innoc. *in cap. Tua de decim.* Rot. *dec.* 6. *num.* 10. *de consuet. in nov.* Dec. *cons.* 483. *n.* 22. Seraph. *dec.* 1159. *n.* 6.

Ex quibus patet quam turpiter hallucinatos esse, præ- 28
ter adductos in contrarium, Salgadum *de potest. reg. to.* 1. *part* 1. *cap.* 1. *prælud.* 3. *num.* 138. & *seq.* Cavall. *tr. de cognit. per viam viol. glos.* 4. *num.* 1. & *seq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. glos.* 32. *num.* 4. Pereir. *de man. reg. cap.* 5. *num.* 8. & *seq.* Ut proinde meritò in eos dici potest, quod rectè Bellarminus in Covarruviam dixit in respons. ad quandam *epist. pro Venet.* nimirum: *E se il Covarruvia dice il contrario, noi abbiamo a credere più alle scritture, e a' Santi Padri, che al Covarruvia, il quale in materia di giurisdizione si è mostro sempre parziale.* Quod etiam notavit Maderiag. *de Senat. cap.* 39. §. 2. Quare cautè legendi, ut de Covarruvia manet Suar. *de Relig. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 16. & Tanner. *in l.* 2. *disp.* 5. *q.* 7. *dub.* 1. *nu.* 16. & *in defens. Eccles. libert. lib.* 2. *cap.* 16.

Placet hanc Consultationem concludere sapientissi- 29
mis responsis S. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ licet ad rem omnia non faciant. Cùm autem ad instantiam Universitatis Terræ Moranni supplicatum fuisset responderi super infrascriptis.

1 An Clerici conjugati ſint exempti ab oneribus fiſcalibus, & ab aliis impoſitionibus ordinariis, & extraordinariis, & an gaudeant alio proprio quàm fori, & Canonis?

2 An idem dicendum de Clericis ſylvaticis ultra duos inſervientes Eccleſiis parochialibus?

3 An oblati gaudeant exemptione pro bonis donatis, ſi illa poſſideant, & Eccleſiæ non inſerviant, præſertim ſi habitent extra Eccleſiam in propriis domibus cum uxoribus, & filiis?

4 An donationes factæ filiis Clericis ſuſtineantur etiam pro rata bonorum eis tangente?

Die 26. Junii 1644. S. Congregatio Eminent. Cardin. controverſiis juriſdictionalibus præpoſitorum ad dubia ſuperiùs propoſita reſpondit, ut ſequitur.

Ad 1. Non eſſe exemptos ab oneribus, & realibus & mixtis, nec gaudere alio privilegio quàm fori & Canonis, niſi concurrente ad favorem legitima conſuetudine.

2 Ad Clericos Sylvaticos, non eſſe exemptos ab oneribus, & impoſitionibus realibus, ſeu mixtis, niſi concurrente legitima conſuetudine, etſi excedant numerum in decreto S. Congregationis anno 1623. edito præſcriptum, eſſe reducendum, cujus decreti tenor hic eſt. S. Congregatio Cardinalium negotiis juriſdictionalibus, &c. certior reddita in nonnullis Regni Neapolitani diœceſibus Diaconos, quos vocant ſylvaticos in maximum numerum citra Eccleſiarum neceſſitatem, aut utilitatem excreviſſe, volens eorumdem exemptionis cauſam declarare, & fraudibus quibuſcunque occurrere S. D. N. Gregorii XV. mandato, vivæ vocis oraculo deſuper habito, Diaconos ſylvaticos hujuſmodi pro Eccleſiarum & Epiſcoporum ſervitio retineri, vel in locum quoquomodo deficientium aſſumi poſſe in Cathedralibus, ſeu ſuperioribus Eccleſiis ad ſummum quatuor, in Collegiatis, vel Parochialibus duos, in aliis verò Eccleſiis, in quibus divina celebrantur, ſi Epiſcopo videbitur, unum. Quos quidem Epiſcopi prorſus gratis, & tales, qui omnino per ſeipſos non autem per interpoſitam perſonam, ſervitium debitum præſtent, nec ullo modo criminoſos, aut malæ conditionis, & famæ eligere debeant, aliàs & hi nullo gaudeant privilegio, & eligentes judicium Sedis Apoſtolicæ ſeverum experientur. Eos verò privilegio Canonis non gaudere, fori autem privilegio in criminalibus omnino, in civilibus quoad corporis diſtrictionem tantum, & immunitate ab oneribus perſonalibus, non autem ab aliis, durante ſervitio frui debere. Sed ſi alicubi majoribus utantur privilegiis & immunitatibus ex legitima conſuetudine, cujus cognitionem, & declarationem in caſu controverſiæ, eadem S. Congregatio ſibi reſervat, illam debere attendi. Cognitionem verò aliorum præmiſſorum ad Ordinarios pertinere, hoc præſenti decreto ſtatuit, præcepit, & declaravit. Romæ 10. Kal. Julii 1623.

Ad 3. Oblatos gaudere exemptionibus, & privilegiis quatenus in eis concurrant requiſita expreſſa in declaratione Sac. Congregationis Concilii, quæ eſt hujuſmodi. Cùm in Sac. Congregatione Concilii propoſitum eſſet infraſcriptum dubium, An Oblati alicujus Religionis judicandi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, adeout fori privilegio & immunitate a vectigalibus gaudeant? Reſpondit S. Congregatio, oblatos privilegio ac exemptione ita demum debere potiri, ſi in forma juris valida perpetuò & irrevocabiliter plenè & cum effectu ſeipſos & bona ſua omnia præſentia & futura, nulla prorſus, quamvis minima eorum portione, neque in proprietatem, neque in uſumfructum ſibi reſervata, Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutaverint. Quod ſi omnia prædicta ſimul non concurrant, neque fori privilegio, neque immunitate a ſecularibus exactionibus frui poſſe, ut in ſequentibus caſibus. Primò, cùm ſi quis obtulit perſonam cum reſervatione bonorum: Secundò, cum obtulit perſonam, nulla bonorum facta mentione, quippè non includuntur in ſimplici oblatione perſonæ. Tertiò, cum obtulit perſonam, & aliquam tantum partem bonorum, quamvis majorem. Quartò, cum obtulit bona omnia præſentia, & perſonam, reſervato uſufructu. Quintò, cum obtulit perſonam, & bona omnia, præſentia tantum. Sextò, cum obtulit perſonam, & bona omnia præſentia, & futura, ſed poſtea a Superiore Religionis aliquam earum partem, quamvis minimam in emphyteuſim recepit. Septimò, cum obtulit bona, vel omnia, vel partem eorum abſque perſona, quo caſu perſonam offerentem fori privilegio non gaudere, ſed bona in Religione cum effectu translata eſſe immunia a vectigalibus, dummodò offerens uſumfructum eorum non retineat. Eo namque caſu bona immunia non eſſe etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus caſibus, quibus oblati a privilegio, & exemptione a jure communi excluduntur ſervandam eſſe cujuſque Religionis conſuetudinem, cujus vigore ipſi tale jus privilegii, vel exemptionis acquiſiviſſent. His poſitis fuerunt propoſitæ deinde in S. Congregatione aliæ dubitationes. Primò, an oblati, qui omnia ſupradicta adimpleverint fori privilegio, & ſupradicta exemptione gaudeant, quamvis matrimonio copulati ſint, ſive ante, ſive poſt oblationem contraxerint? Secundò, an tales oblati fori privilegio gaudeant, etiam quoad delictum ante hujuſmodi oblationem commiſſum, cujus ratione a Judice laico erant puniendi? Tertiò, an juriſdictio, quæ vigore Concilii Tridentini cap. 11. ſeſſ. 24. competit Ordinario in oblatos carentes qualitatibus expreſſis ibidem verbo exceptis, intelligatur tributa Ordinario in oblatos cumulativè, vel privativè ad Superiores regulares? Quartò, an juriſdictio ex eodem Concilii decreto tributa fuerit Ordinario in criminalibus tantum, an verò etiam in civilibus? Ad has poſteriores dubitationes Sac. Congregatio ſic reſpondit. Ad primum, gaudere ſive ante, ſive poſt de licentia Superioris Religionis matrimonium contraxerint At ſecundum, gaudere privilegio fori, & Juriſdictione Judicis laici liberatos eſſe, punirique debere a Judice Eccleſiaſtico, ſi modo abſque fraude, ideſt non animo effugiendi ſæcularis Judicis punitionem ſe, & ſua obtulerint. Quod, ſi fraus ſubſit, poſſe a Judice laico puniri pœna confiſcationis bonorum, & alia pecuniaria, ſed non corporali, illique remanere ſubjectos quoad cauſam & bona; ſed non quoad perſonam; debere tamen Judicem Eccleſiaſticum, ſi delicti qualitas id expoſcat, tradere tales oblatos Judici ſeculari corporaliter puniendos. Ad tertium reſpondit, in oblatos carentes qualitatibus expreſſis d. verbo exceptis tributam eſſe Ordinario juriſdictionem cumulativè, non privativè ad Superiores Regulares. Ad quartum, hujuſmodi juriſdictionem Ordinario tributam eſſe in criminalibus tantùm, non autem in civilibus.

Ad 4. Donationes valere, ſi non fiant in fraudem, quæ declaranda eſt ab Epiſcopo.

Ad rem verò ſunt ſequentia: Filius legitimus Clerici ante Clericatum ſuſceptum, gaudet privilegio fori, durante vita patris, die 14. Martii 1631. in Callienſi lib. 2. decr. Paul. fol. 99.

Filii Clericorum conjugatorum poſt mortem patris non non gaudent privilegio fori, die 18. Nov. 1653. in Biſignanen. lib. 5. decr. Paul. fol. 30. a tergo.

Filii presbyterorum Græcorum mortuo patre, non gaudent privilegio fori, ſecluſa conſuetudine, die 4. Sept. 1657. in Roſſanen. lib. decret. Paul. fol. 32.

Filii Clericorum Græcorum viventes cum matribus ſuis, attenta conſuetudine ſuis, gaudent privilegio fori, die 16. Decembris 1642. in Biſignanen. lib. 3. decret. Paul. fol. 191.

An Filius Diaconi Sylvatici gaudeat privilegio fori? ſervandum eſt decret. de Clericis Sylvaticis, die 28. Martii 1653. in Umbrimenſi libr. 5. decr. Paul. fol. 2.

Filiis legitimis Clericorum debetur etiam immunitas, die 23. Julii 1647. in Ottonenſi lib. 4. decret. Pauluc. fol. 20.

Filius Cancellarii menſæ Epiſcopalis non gaudet privilegio fori, die 1. Febr. 1661. in Interamnen. decr. Pauluc. fol. 313.

Filii colonorum menſæ Epiſcopalis gaudent privilegio fori, die 6. Martii 1635. in Urbevetana decret. Paul. fol. 222.

Filii colonorum Eccleſiaſticorum non gaudent privilegio fori, die 4. Junii 1630. S. Agathæ Gotorum l. 2. decr. Paul. fol. 45.

Filius notarii Vicarii foranei non gaudet privilegio fori die 10. Jan. 1639. in Firmana l. 3. decr. Paul. fol. 83.

Alia hujuſmodi habes in noſtris additionibus ad Thom. Delbene *de immun. Eccl. v. filius*.

De uxoribus autem hæc habeo. *Monſignor Nunzio di Napoli, al quale è ſtato ſcritto, che aſſiſta al Veſcovo di Mileto, avviſa, che il detto Veſcovo vien travagliato da Regii, perchè difenda, che le Mogli de' Chierici conjugati debbano godere il privilegio del foro, ſupponendo il quaſi poſſeſſo loro, il Nunzio dubbioſo propone molte difficoltà di mantenere queſto poſſeſſo, che perciò ſupplica l' EE. VV. a farne dichiarazione, acciocchè la giuriſdizione Eccleſiaſtica non perda anche queſto poſſeſſo, fondato nella ragione, e nell' oſſervanza nel Regno di Napoli*. S. Congreg. die 20. Novemb. 1640. declaravit, gaudere durante matrimonio. De jure, quia eſt una, & eadem caro. Et de conſuetudine, quia uti rationabilis eſt ſervanda. Idem declaraverat 17. Junii 1638. in Nerotinen. & 4. Junii 1630. in Cathacenſi. Et 22. Septembris 1648. in Barenſi, & die 11. Januar. 1633. declaravit, uxores Clericorum conjugatorum gaudere privilegiis, quibus gaudent mariti viventes.

Uxores

Uxores verò presbyterorum Græcorum post mortem eorumdem gaudent privilegio fori, attenta legitima consuetudine, eadem S. Congreg. die 4. Septembris 1657. in Rossanensi. Idem de uxoribus Clericorum Sylvaticorum, de quibus supra.

CONSULTATIO C.

An blandis, subdolisque verbis suasus, ut exeat ab Ecclesia, ad quam confugerat, ab illa mox sponte excundo, amittat beneficium Immunitatis Ecclesiæ?

1 DUæ in hanc extant dissidentes sententiæ. Prima nempè affirmativa, quæ audacter docet, quod Canones solum damnant violentiam, quæ non infertur volenti. Eam tenent Abb. *in cap. fin. num.* 10. *de immunit. Eccles.* Remig. de Gon. *de immun. fall.* 12. *t.* 13. *p.* 1. ac sequitur Joan. Visch. ibid. qui reddit rationem, quia Ecclesia in facto minimè censetur offensa, Sylvest. *in sum. v. Immunitas* 3. *q.* 6. *n.* 6. Decian. *tr. crim. tom.* 2. *lib.* 19. *c.* 16. *num.* 11. Navar. *in man. c.* 25. *num.* 21. Suar. *de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 13. *num.* 2. Bonacc. *de legib. disp.* 3. *qu.* 7. *de Immunit. §.* 1. *num.* 10. Duard. *in comm. ad Bull. Cen. lib.* 2. *tit.* 5. *can.* 15. *quæst.* 16. *num.* 34. Filiuc. *p.* 1. *tr.* 15. *c.* 6. *n.* 154. Castropal. *p.* 2. *tr.* 11. *de rev. deb. loc. sacr. disp. un. pun.* 11. *num.* 3. Fagund. *in præcept. Decal. l.* 4. *cap.* 4. *cas.* 4. *num.* 56. Villagut. *de extens. leg. c. fin. n.* 4. Farinac. *in append. de immun. c.* 19. *num.* 302. qui alios refert, ac prosequitur Thomas Delbene *eod. tr. de immun. cap.* 16. *dub.* 25. *sect.* 5. *per totam*, dicens probabiliorem.

2 Altera verò negativa, quæ asserit, subdola suasione procedente egressum ab Ecclesia, si captus fuerit, illi restituendum esse. Quia hujusmodi suasiones dolosæ, ac deceptiones fraudolentæ quoad rei effectum æquiparantur violentiæ. Hanc probarunt Panormitanus, Remig. de Gonn. *de immun. fall.* 36. videndus *num.* 5. *d. tom.* 13. *p.* 1. *tract.* ubi concludit, quod extractus suasione dolosa tàm per publicam, quàm per privatam personam restituendus est Ecclesiæ, Burg. de Paz. *in pract. tom.* 1. *cap.* 3. *§.* 3. *num.* 166. & 167. Bobadil. *polit. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 34. *num.* 80. alios referens, Alphons. Villadieg. *in polit. c.* 3. *sub num.* 221. & *seq.* Ric. *in prax. p.* 3. *resol.* 32. *num.* 2. & 3. Et articulo ad partes discusso ita concludit Diana *p.* 1. *tract.* 1. Immunitatis Ecclesiæ, Ciarlin. *contr. for. lib.* 2. *c.* 163. *num.* 3. *cum seqq.* ubi veriorem appellat, Novar. *in sum. Bullar. tom.* 1. *tit.* 44. *n.* 5. *cum duobus seqq.* & *lib.* 2. *cap.* 78. ubi quod ita fuit resolutum a Regio Collaterale, cui ratio justissima patrocinatur, ne, inquit, ita per indirectum Ecclesiastica violetur Immunitas, Lezan. *in sum. v. Immunitas nu.* 78. Mastrill. *dec.* 169. *num.* 12. & 13. *p.* 2. Fontanel. *dec.* 339. *n.* 4. *cum pluribus seqq. p.* 2. dicens communem. Quibus addendus videtur Sperel. *dec.* 104. *nu.* 78. *par.* 2. quatenus latè probat, neque volentem, capi posse in loco immuni.

3 At ego censeo, controversiam istam facilè decidi posse, si distingueremus inter simpliciter suasum blandis verbis dumtaxat exire e loco immuni, & suasum verbis dolosis, ac fraudolentis, qualia profecto sunt continentia mendacium, falsaque supposita, & causas non veras ex congestis per Ricc. *d. resol. n.* 5. Quæque ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibentur, *l.* 1. *§. dolum malum, ff. de dol. mal.* Et in hac sententia fuit Mastrill. *d. dec.* 169. *n.* 13. & docuit hoc manifestè Vermigliol. *cons.* 99. *n.* 14. inquiens hoc procedere sive dolus, & fraus procedat a ministris Curiæ sæcularis, sive ab aliis ei faventibus.

4 In terminis primi casus admitto priorem sententiam, asserentium, quod ita egressus ab Ecclesia, & è loco immuni amittat beneficium Immunitatis. Quoniam volenti non fit injuria, *l. In diem, ff. de aqu. pluv. arc.* dum sua facilitate ob blanda verba audita seipsum decepit, & induxit ad exeundum. Beneficium enim non conceditur invito, unde neque ipsi reo fit injuria, cùm non sit involuntarius; neque Ecclesiæ, quia revera reus non extrahitur, sed ipse egreditur; potest enim egredi sine culpa, etiam Clericis invitis. Quod notavit Navar. *in man. cap.* 15. *n.* 21. citans Hostien. *in cap. ult. de Immun. Eccles.* quos sequitur Suar. *to.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 2. In terminis verò secundi casus, quando scilicet suasiones admixtæ fuerunt mendaciis suppositisque non veris, quibus quis fando alium decipit, ac contra quod dixit, facit, sicque utitur dolo, & fraude ac machinatione, vel factorum technis, adstipulor posteriori sententiæ dicentium, illum esse restituendum; cùm deceptus dolosè ex falso supposito habendus sit pro non consentiente. Nam si sciviſſet rem aliter se habere verisimiliter non permisisset se ad exeundum induci, nec periculo capturæ se volens ac lubens exposuisset. Fraus enim nemini debet patrocinari, immò punienda est, *l. verum est, §. tempus autem, ff. pro soc. l. transactione, C. de transf.* nullumque mali genus est, quod majorem humanæ societati pestem inferat, quam dolus malus. Semper autem, inquit Cicero *lib. offic.* 1. *in fide quid sentseris; non quid dixeris cogitandum*. Et paulò post: *Cum autem duobus modis, ideſt aut vi, aut fraude fiat injuria, fraus quasi vulpecula, vis leonis videtur. Utrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna majore.*

CONSULTATIO CI.

An Clerici solum ex quadam honestate, & quasi ex consilio debeant tempore pestis, ac in hujusmodi casibus contribuere, vel teneatur ex necessitate, & obligatione conscientiæ?

PLures sunt qui putant teneri priori modo, quod significat Panorm. *lib.* 1. *cons.* 3. *num.* 1. dicens *etiam imminente communi utilitate Clericorum, & laicorum non tenentur clerici aliquid conferre, nisi sponte velint*. Dum enim ait *sponte*, indicat voluntariam esse contributionem, non necessariam. Et ad hoc inducit verba *c. Non minus de immun. Eccl.* Suadetur ratione, quia Clerici non obligantur ex vi legum civilium, neque ex vi consignationum, quæ a laicis fiunt sub quocunque tenore præcepti, cùm non sint illis subditi, nec invenitur lex canonica, quæ illis talem obligationem imponat, nec denique lex sola naturalis eos obligat. Quia hæc obligatio pendet ex multis circumstantiis, quæ non sunt de jure naturali, sed ex pactis, conventionibusque inter ipsos cives resultat. 1

Nihilominus contrarium in hac parte sentit Gregor. Lopez. *in l.* 54. *tit.* 6. *par.* 1. *glos.* 2. quem sequitur Gutier. *pract. quæst. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. Idem tradit Guerrer. *in thesaur. Christ. relig. cap* 36. *n.* 32. Fundantur in verbis *d. c. Non minus*, ibi: *Nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint &c. ut subsidia per Ecclesias exiſtiment conferenda*. Nam ubi res committitur existimationi, non censetur committi liberæ voluntati, sed justo judicio, & arbitrio, ut declarat Ulpian. *in l. fideicommissa §. si fideicommissum, ff. de legat.* 3. ubi ait per conditionem hanc *si existimaveris* non committi rem plenæ voluntati, sed prudenti arbitrio, & quasi viro bono. Itaque in hoc sensu dixit Pontifex, Clericum *si existimet*, prudenti arbitrio, communem utilitatem, vel necessitatem urgere, debere contribuere. Suppositа igitur tali existimatione hoc debitum est moralis necessitatis, & non tantùm voluntatis. 2

In hoc articulo dicendum est, Clericos singulos, seu singillatim sumptos non teneri ad hujusmodi contributiones donec per Episcopum cum Clero prudens existimatio facta sit, & decretum in eo casu intervenire necessitatem, vel utilitatem communem, ad quam Clerus contribuere debet. Hoc probat *d. c. Non minus*, ubi statuitur debere præcedere Prælati approbationem, antequam teneantur singuli Clerici solvere contributionem, immò neque possunt. Si verò in re ipsa vera necessitas, vel utilitas communis cum debitis circumstantiis intercedat, teneri Episcopum ad contributionem approbandam, & contra rationem, & justitiam facturum esse, si contradicat. Et hoc est quod præcipuè Gregorius Lopez, & alii intendunt. Quia hoc non est ejus liberæ voluntati, sed prudenti arbitrio commissum, atque adeò ex officio, & justitia tenetur contributionem admittere, si revera existimet, casum necessitatis subsistere, vel si existimare debeat, itaut per ignorantiam invincibilem non excusetur. Et ratio reddi potest, quia hujusmodi contributiones non sunt propria tributa superiori potestate, & voluntate Principis imposita, sed sunt veluti quidam sumptus debiti, qui ex natura rei resultant ex tali opere communitati necessario. Etenim nec Clerici justè possunt resistere, aut contradicere, ne tale opus fiat, neque possunt impedire, quin in ipsos sicut, & in alios cives resultet obligatio naturalis solvendi quotam partem sumptuum, quæ secundùm justam proportionem singulos contingit. Ideòque talis obligatio non oritur ex jurisdictione sæculari, neque ex lege civili, sed ex ratione naturali, suppositо tali facto justo, & communitati moraliter necessario. Unde fit non repugnare talem contributionem Ecclesiasticæ libertati, ac proinde non esse contra Canonica jura, quæ prohibent omnes temporales exactiones a Clericis fieri, quia solum prohibent exactiones contrarias Ecclesiasticæ libertati, quales sunt, quæ in jurisdictione laicorum, & in positiva lege civili fundantur. 3

Debes tamen in postulandis a Clero hujusmodi contributioni- 4

butionibus per laicos Principes, vel per Magiſtratus ſervari modus, & forma in jure Canonico præſcripta, ſpeciatim *in d. cap. Non minus*, & *cap. Adverſus de Imm. Eccleſ.* Ita docet latè Panorm. *in d. conſ. 3.* & *in d. cap. Non minus nu. 18.* ubi refert alios antiquos Doctores in hac veritate conſentientes, præcipuè Gloſs. *in cap. Generaliter v. Collationibus*, quæ ait, *l. Ad inſtructiones*, *C. de Sacroſ. Eccleſ.* derogatam, vel certè limitatam eſſe per jus Canonicum. Et idem ſenſit Hoſt. *in ſumm. tit. de Immun. §. A quibus*, & communiter Canoniſtæ, ac proſequuntur Caſtr. Jaſ. & alii *in d. l. Ad inſtructiones*.

5 Quocirca tempore peſtis, quo nullum eſt calamitoſius, ut dixit Ripa *de peſt. tit. de remed. ad conſerv. ubert. nu.* 232. Quia ubi peſtis viget, dicitur imminere periculum mortis. Corn. *conſ.* 131. *num.* 5. *lib.* 4. Previdel. *de peſt. tit. de ult. vol. n.* 3. & Card. Tuſc. *concl.* 326. *lit. P. num.* 3. & materia concernit ſingulorum perſonas, laicas, & Eccleſiaſticas juxta eundem Rip. *de remed. ad curand. peſt. num.* 17. videtur etiam dictas Eccleſiaſticas perſonas teneri contribuere, & concurrere ad proviſiones, & remedia paranda, ut in terminis tradunt idem Rip. *de remed. ad conſer. uber. num.* 231. Previdel. *tit. de cæter. ad ſalubr. civ. pertin.* ubi dicit, nedum ad collectas, ſed ad omnia alia teneri Eccleſiaſticas perſonas, earumque bona. Quod ſequitur Duegn. *reg.* 100. *n.* 17. Vulpell. *de libert. Eccl. p.* 2. *n.* 30. ubi refert ita ſervari curaſſe Placentiæ anno 1587. & Rimin. jun. *conſ.* 2. *n.* 13. ubi teſtatur de magis communi, additque hoc caſu ceſſare omnem immunitatem, ac privilegium Eccleſiaſticum.

6 Immò & cogi poſſe Dominos locorum habilium, & vicinorum extra civitatem, ubi peſte infecti poſſint ſeparati includi, & curari ad illos cedendum favore publico, tradit Rip. *d. tit. de remed. ad cur. peſt. num.* 12. cùmque nulla loca habilia haberi poterint quàm monaſteria propter illorum commoditatem, quam non habent privatæ domus laicorum, eadem hinc neceſſitati inſervire & deputare firmat in terminis idem Previdel. eod. tit. ubi dicit, quod fuit anno 1523. deputatum Monaſterium Regularium. Quia in neceſſitate licet convivere, & hoſpitari in Eccleſia, *cap. Non oportet*, & *cap. Nulli d.* 42. ubi Alagona in ejus compendio inquit; neque fiant accubitus, niſi tranſeuntibus in neceſſitate. Et quod liceat hoſpitari tradit Abb. *in c. Cùm Eccleſia nu.* 3. *de Immun. Eccleſ.* & in puncto Rip. *tit. de privil. contract. temp. peſt. n.* 156. Nam neceſſitas facit licitum quod aliàs non liceret, *cap. Quod non eſt*, *extr. de regul. jur.* Jaſ. *in l. ſi ex toto de legat.* 1. & Roland. *conſ.* 1. *num.* 69. *lib.* 2.

7 Et ſicut tempore belli humani permiſſum eſt Eccleſias, ut ajunt, incaſtellare, & ibi facere propugnacula, & fortificationes ad defenſionem, ut tradit Abb. *in d. c. Cum Eccleſia nu.* 3 *de immun. Eccleſ.* qui poſt alios refert, quod ita faciunt ruſtici, qui tempore hoſtilitatis refugiunt ad Eccleſiam cum bonis ſuis, & ibi fortificantur, Petrin. Chellin. *de re milit. p.* 6. *nu.* 76. Remig. de Gonn. *in tract. de immun. Eccleſ. in* 23. *fallent.* eò magis, quia ceſſante neceſſitate, reſtituendæ ſunt cum refectione damnorum, Gambacur. *de Immun. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 5. Bobadil. *in polit. lib.* 28. *cap.* 15. *n.* 6. & *l.* 4. *cap.* 3. *n.* 13. ubi Gloſ. *lit. F.* Rol. *d. conſ.* 73. & 74. *lib.* 2. ubi refert, quod Rex tempore neceſſitatis belli poteſt inconſulto Papa capere calices, & bona Eccleſiæ pro ſubventione, dummodò poſteà tempore pacis faciat reſtitutionem, & quod Princeps ſæcularis poſſit fortalitia, & domos Clericorum accipere, & ibi ponere gentes armatas, poſt alios tradit Jo. Franc. a Ponte *de poteſt. Proreg. tit. de elect. offic. num.* 29. & Didac. Perez. *ad l. tauri lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 12. ubi Gl. *v. Facit textus* ſubdit, quod neceſſitate ceſſante res Eccleſiæ ſunt reſtituendæ ſine diminutione, ideòque poteſt Princeps eas accipere. Ita pariter licere debet in bello divino, quod dicitur eſſe peſtis, & a bello humano ad hoc divinum rectè argumentum ducitur, Rip. *tit. de privil. ult. volunt. num.* 4.

8 Quin etiam quod perſonæ Eccleſiaſticæ teneantur tempore belli ad cuſtodiam murorum Civitatis, tradunt ex *c. Pervenit*, *de immun. Eccleſ.* Abb. & alii, ac proſequitur Vulpell. loc. ſupr. cit. Azeved. *ad Reg. Conſtit. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 7. & Carpan. *ad ſtatut. Mediol. cap.* 352. *n.* 2. refert quod anno 1577. quo peſtis ibi graſſabatur, Clerici tenebantur ad cuſtodiam portarum, ſicut laici. Arguendo autem a tempore belli ad tempus & caſum peſtis, & a perſonis ad bona, ut facit Abbas *in d. cap. Cum Eccleſia*, infertur, quod bona & domus Eccleſiaſticorum ſunt obnoxia neceſſitati pro curanda peſte.

9 Id tamen obſervandum eſt, Clericos non poſſe cogi a laicis ad contribuendum, etiamſi per Epiſcopum jam fuerit contributio approbata. Quia nunquam laici habent juriſdictionem ad cogendos Clericos. Potuerunt verò petere, rogare, & requirere Clericos, ut ſponte contribuant, non tamen vim inferre. Et fortaſſe in hoc ſenſu dixit Panormitanus Clericos debere ſponte ſolvere. Et ob eandem cauſam exiſtimo addita eſſe *in d. cap. c. Adverſus* verba illa: prædicti laici humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione. Quapropter ſi Clerici in his caſibus ſolvere noluerint, per ſuum Prælatum cogendi ſunt, ut rectè dixit Gutierez ſupra cum aliis, quos allegat Guliem. Bened. *in c. Raynutius num.* 470. *de teſtam.* Quod ſi Epiſcopus, Clericos in hoc peccantes cogere noluerit, vel ipſe injuſtè agat nolens contributionem admittere, quando tenetur, ad Superiorem Prælatum recurrendum erit, & ita Clericorum immunitas ſervabitur, & ſubſidium communi bono neceſſarium non deerit juxta probationem Eccleſiæ, & modum ab ea præſcriptum.

Quod ſi etiam ſit periculum in mora, quia extrema, 10
vel gravis neceſſitas boni communis auxilium Clericorum ſtatim requirit, tunc non per modum juriſdictionis, ſed per modum defenſionis licere poterit, quod recta ratio ad ſubveniendum communi bono, vel impediendum damnum imminens neceſſarium eſſe dictaverit. Immò addit Abbas *in d. cap. Non minus* in tali caſu ſpeciali neceſſarium non eſſe, ut Summus Pontifex prius conſulatur. Præſertim quia Concilium Lateranenſe *in d. cap. Non minus*, loquitur de neceſſitate, aut utilitate publica, id eſt per ſe, ac principaliter pertinente ad ipſam communitatem, ſeu Rempublicam, cujus Clerici membra ſunt, licèt privilegiata, & exempta. Hic autem ſumus in caſu, in quo ſpecialiter vertitur periculum etiam Eccleſiaſticorum, ad quorum proinde defenſionem naturali obligatione debent etiam ipſi concurrere, & non minus, immò magis, quàm ſi directè agatur de captivorum, aut oppreſſorum Chriſtianorum liberatione, Sylveſt. *in ſum. v. Immunitas num.* 20. Remig. de Gonn. *de charit. ſubſid. qu.* 62. *num.* 90. & 92. *limit.* 3. Guttier. *de Gabell. qu.* 92. *num.* 43. ubi teſtatur de communi, Petr. Cened. *in collect. decret. collect.* 153. qui diſtinguit, quod ubi neceſſitas eſt repentina poſſit ſæcularis cogere ad contribuendum, Proſper Auguſtin. *in addit. ad Quaran. v. Vectigalia in* 4. *limit.* Theſaur. *for. Eccleſ. de excomm. cap.* 38. *n.* 129. ibi: *niſi tanta fuerit ſubita neceſſitas, quod ad Romanum Pontificem commodè aditus haberi non poſſit*, Duard. *in Bull. Cœn. can.* 18. *q.* 12. *n.* 3. & tradunt plures alii ab his citati, quia in tali caſu præſumi poteſt ratihabitio, ſeu tacita licentia Summi Pontificis, ex eo quod Eccleſiaſtici in caſu maximæ neceſſitatis jure naturæ tenentur, & propterea ſi recuſent, ſine juſta cauſa recuſant, Abb. *in d. cap. Non minus*, & Henr. Gandan. *quolib. 9. quæſt.* 31.

Conſert generalis concluſio, quòd quando Clerici te- 11
nentur concurrere pro utilitate privata, & ſingularium perſonarum, non ſolum pro utilitate publica in univerſum, & mixti laicorum, & Clericorum, uti ſunt contributiones, quæ fiunt pro remedio peſtis, concernentes perſonas ſingulorum, tunc tenentur Eccleſiaſtici abſolutè ſine conſenſu Superioris, & requiſitis per *dict. capit. Non minus*, *&c. Adverſus de Immun.* qui conſenſus requiritur in contributionibus ad publicam utilitatem in univerſum, ut rectè diſtinguit Abb. *in d. cap. Non minus n.* 20. Sylveſtr. *dict. v. Immun. num.* 20. Alciat. *in l. Ad inſtructiones num.* 3. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Remig. de Gonn. *cod. tract. de char. ſubſ. loc. cit.* ubi dicit hoc caſu non requiri conſenſum Papæ, Jo. Franc. a Ponte idem tenet, ſi Eccleſiaſtici, ut ſinguli, & non in univerſum ſentiant utilitatem, *d. tract. de elect. official. tit.* 3. §. 1. *nu.* 40. & *de Reg. impoſ. tit.* 5. *n.* 62. Gratian. *diſcept.* 399. *n.* 16.

Quapropter per modum defenſionis poſſe etiam inclu- 12
di perſonas Eccleſiaſticas peſte infectas ad tuitionem aliorum benevalentium, ne illorum contagio coinquinentur firmat Henr. Boich. *in c. Nuper n.* 3. *de ſent. excom.* ubi ex mente aliorum, refert ad ſui defenſionem licere laico Eccleſiaſticos includere, & carcerare.

Ad rationem in principio adductam reſpondetur obligationem hanc oriri ex æquitate naturali, cujus materia in hac parte mutata non eſt per jus poſitivum. Quin jus civile potiùs illam confirmat, cui jus canonicum in hoc non contradicit, ſed judicium practicum, & in particulari talis æquitatis Paſtoribus Eccleſiæ committit. Ratio enim & juſtitia poſtulat, ut omnes, qui hujuſmodi rebus communibus indigent, & utuntur, ad expenſas, quæ in illis fiunt, juſta diſtributione concurrant. Nam eadem ratio obligationis, & debiti in illis concurrit, & non eſt contra dignitatem ſacerdotalis ſtatus has contributiones ſolvere magis, quàm pretio ſuo res emere, quibus ad victum, & veſtitum indigent. In his igitur caſibus Eccleſiaſtici non aſtringuntur a Principe, & jure poſitivo, ſed a juſtitia, & jure naturali, cùm bonum, quod intenditur, & ad quod contribuitur directè, ac proximè reſpiciat etiam perſonas Eccleſiaſticas, cùmque æquè primariò, ac laici ſentiant commodum, ſentire debent

debent ſimul cum laicis, & incommodum. Quod docent Henriq. *lib.* 10. *cap.* 15. *n.* 8. *&* 9. Molin. *tr.* 2. *tom.* 3. *diſp.* 673. Jul. Ferret. *de gabell. n.* 129. Henric. Gandau. *d. quolib.* 9. *qu.* 31. ac alii.

CONSULTATIO CII.

An occidens amicum reconciliatum committat homicidium proditorium, ac proinde ſit privandus Immunitate Eccleſiaſtica?

1 DUm quæritur, an caſus fractæ pacis comprehendatur ſub crimine proditionis excepto a Conſtitutionibus ſant. mem. Greg. XIV. & an intret diſtinctio, utrum incontinenti, an ex intervallo, præmittenda videntur duo, ut tollantur æquivocationes aliquorum recentium Doctorum.

2 Et primò præmitto, longam eſſe differentiam inter pacem fractam ab inimicis, & reconciliationem, ſive concordiam. Pax enim eſt contractus explicitus, ſui natura continens plenam ſedationem diſcordiæ. Concordia verò importat ſolam remiſſionem injuriarum, Bald. *in l.* 1. *n.* 5. *ad med. ff. de pact.* Alex. *in l. de fideicommiſſo n.* 4. *C. de tranſact.* ubi etiam Jaſ. num. 3. Concordia eſt ſine amicitia, ſine qua pax eſſe non poteſt, ideò faciens concordiam, & poſteà offendens, non dicitur propriè proditor, ſecus verò ſi faciat pacem, ut reſpondiſſe Baldum quibuſdam Theologis eum interrogantibus, refert Fulgoſ. *in d. l.* 1. *n.* 4. Quod proſequitur Simon. de Præt. *conſ.* 64. *n.* 24 *&* 25. *l.* 1. & concordant Guazzin. *in tract. de treg. pac. qu.* 3. *n.* 9. Farin. *conſ.* 98. *n.* 8. *& ſeqq.* & Vermigliol. *conſ.* 223. *n.* 9. *&* 10. Quippè pax nihil aliud eſt quam vinculum charitatis *not. in c. Novit. de judic. & extra.*

3 Secundò præmitto, quod proditor verè, & propriè dicitur qui pacem facit, & promittit non offendere, ac poſteà occidit. Minùs ſtrictè etiam dicitur, qui non promiſit hoc expreſsè, ſed tacitè per actus reconciliationis, ut optimè admonet Caball. *in tr. de omn. gener. homicid. n.* 458. *& ſeqq.* poſt Gig. *de crim. læſ. Majeſt. tit. de Proditor. q.* 1. *n.* 8. *tom.* 11. *p.* 1. Et non ſolùm proditor eſt reſpectu alterius, cum quo contrahit, ſed etiam reſpectu Officialium, qui ſunt mediatores pacis. Eos enim prodit, dum receptos ſub eorum fide decipit, ut benè ratiocinatur Marſil. *conſ.* 32. *n.* 13. *ad fin. & ſeqq.* ſubjungens non gaudere beneficio juris, & neminem pro eo loquentem audiendum, cùm propter enormitatem delicti jura ſint tranſgredienda.

4 His præmiſſis cenſeo, indubitatum eſſe crimen fractæ pacis comprehendi ſub dicta exceptione, ut reſolutum fuiſſe a Congregatione S. Conſultationis teſtatur Farinac. *in ult. addit. ad conſ.* 188. ea ratione, quia verè, & propriè dicitur proditoriis, qui frangit pacem, ut dicunt Fulgoſ. Sim. de Præt. Gig. & Caball. locis allegatis. Quod etiam probatur ex pluribus

5 Primò, quia multò pluresſunt Authores, qui docent, homicidium commiſſum poſt reconciliationem, & pacem, atque promiſſionem de non offendendo eſſe proditorium abſque diſtinctione recentis, aut veteris reconciliationis. Nam præter Ciarlinum, Giurbam, Peregrinum, Caballum, Didacum de Marc. Cutellum, Tuſchum, Clarum, addo Palaum *p.* 2. *tract.* 8. *diſp. unic. pun.* 9. *n.* 26. cum Farinac. *lib.* 2. *d. conſ.* 268. *n.* 75. item Bonacc. *tom.* 3. *diſp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 16. *§.* 8. *n.* 5. ſolùm a proditione excuſant illum, qui ob novam inimicitiam poſt pacem alterum occidit. Qui Doctores prævalere debent illis quatuor, qui id improbarunt, nempè Ambroſino, Riccio, Dianæ, Donato, Antonio de Marinis, qui dicunt non eſſe proditionem occidere inimicum de recenti reconciliatum, quos deinde alii ſunt ſequuti, nempè Joſ. Mel. *in addit.* ad Girazel. *dec.* 16. *n.* 21. Prat. *reſp. crim.* 13. *num.* 28. *& ſeq.* Donat. de Aſyl. *reſ.* 12. *n.* 3. qui deſiderat lapſum temporis triennalis a reconciliatione, ut dicatur proditorium, Ciarlin. *contr.* 151. *n.* 33. *l.* 2. Th. Delben. *de immun. c.* 16. *dub.* 20. *ſect.* 3. *n.* 2. *& ſeqq.*

6 Secundò, quia ſic potius debet intelligi textus d. Conſtitutionis Gregorianæ excipientis a privilegio Immunitatis homicidium proditorium, ut ſit magis conformis Canoni *in c.* 1. *de homic.* & textui S. Scripturæ. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, & ab altari meo evellas eum, ut moriatur.*

7 Tertiò, quia in communi, & familiari modo loquendi occidere alterum poſt reconciliationem, & pacem, quamvis recenter factam, occidere, inquam, ex occulto, explodendo tormentum igneum a tergo, dicitur proditio, & ille, qui occidit, dicitur proditor.

8 Quartò, quia quando Princeps, ſive Magiſtratus, aut Gubernator, immò etiam aliquis circumſpectus vir privatus ſe interpoſuit ad componendam pacem, & promiſſionem accepit utriuſque partis de non offendendo, ſi unus alterum occidat, quamvis poſt recentem reconciliationem meritò graviter indignatur, & ita ut fortaſſe etiam rigoroſius plectet illum, qui pacem, & promiſſionem fregit, ac ſi purum amicum occidiſſet. Ergo ſimiliter in foro Eccleſiaſtico judicandum eſt quantum ad exceptionem ab Immunitate.

9 Quintò, exquiro. Invenitur ne in humana Republica aliquis modus, qui poſt rixam, & inimicitiam poſſit inire talis reconciliatio, qua alter de altero meritò fidere poſſit ſe non offendendum, & tanquam ex hac parte ſecurum ſe putari poſſit? Durum ſanè eſſet id negare. Quod ſi talis modus inveniretur, utique alius tutior quærendus non eſt, quàm ut fiat reconciliatio, & pax cum promiſſione non offendendi in manu alicujus viri potentis eòque magis ſuperioris.

10 Sextò, quia ſi amico reconciliato fidendum non eſſet, nullus modus ſtabiliendæ pacis eſſet inter ſemel offenſos, nec facilè dari poſſet caſus proditoriæ offenſionis.

11 Septimò, adverto cum Doctoribus, Conſtitutionem præfatam, quatenus aliquos caſus excipit ab Immunitate ultra eos, quos jus commune exceperat, eſſe odioſam, quia a jure communi exorbitat, & per conſequens eſſe ſtrictè interpretandam, nec extendendam ultra verborum proprietatem univerſalem, quam ſcilicet verba important ex ſua primæva, & ſimplici ſignificatione, & ita multis adductis docet Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 3. *a num.* 2. Sanchez *l.* 1. *de matrim. diſp.* 5. Quare cùm ex Conſtitutione Gregoriana privetur Immunitate qui proximum ſuum occiderit, & ille dicatur proximum ſuum proditorie occidere, qui occidit incautum, nihil tale præcaventem, ut ex textu *in l. proprie inſidias, C. qui accuſ. non poſſ. l. fin. C. de delator. lib.* 10. *l.* 4. *ff. ad l. Jul. majeſt. cap. Clericus* 26. *d. cap. Si cupis* 16. *q.* 1. & pluribus comprobat Anton. Gomez 3. *var. cap.* 3. *de homicid. n.* 5. & Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 5. Soccin. ſen. *cap.* 11. *n.* 12. manifeſtè ſequitur hujuſmodi homicidium eſſe proditorium, cùm ex inita primum reconciliatione coram teſtibus, & tactu manuum, & promiſſione facta de non offendendo omnis fuerit ſublata occaſio præcavendi; undè incautè occideretur, & proditorie. Ita pluribus firmat Farinac. *d. conſ.* 168. *n.* 75. & ſequitur Caſtropalaus loco alleg. *n.* 26. Suar. *ubi ſupra*, Bonacc. *ibid.* & Peregr. *de immun. c.* 7. *num.* 10. & probat Graſſet. *de prodit. §.* 13. *n.* 6.

12 Neque alicujus momenti eſt, quod docuit Diana *p.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 34. ubi citat Donat. Anton. de Marin. nimirum amicum reconciliatum, cùm quo non eſt reaſſumpta ſtricta amicitia habendum pro inimico, ideòque præcavendum, etiamſi interceſſerit promiſſio de non offendendo. Nam hujuſmodi doctrina nullo pacto ſubſiſtere poteſt. Tum quia hoc eſſet extendere verba Conſtitutionis contra communem ſenſum Doctorum, ut dixi, ad ſignificationem non propriam, & naturalem. Nam in communi, nedum vulgi, ſed etiam hominum prudentum æſtimatione poſt reconciliationem in præſentia teſtium, quilibet rationabiliter tutus habetur, & multò magis quando intercedit tactus manuum, *ex l. apud Lab. §. Injuriar.* ubi Doctores. Tum etiam quia præceſſit etiam promiſſio, quæ poſt inimicitiam, ut docent communiter Doctores, eſt ſignum amicitiæ.

13 Atque ex his patet nullo modo hujuſmodi occiſorem poſſe excuſari a proditoria occiſione, cùm proximum ſuum poſt reconciliationem expreſſam verbis, & tactu manuum in teſtium præſentia, & promiſſione facta, occiderit, ac proindè non poteſt immunitate gaudere Eccleſiaſtica, cùm ſit omninò caſus exceptus in Conſtitutione. Quam doctrinam omnes ferè Authores tum Theologi, tum Juriſtæ, qui vel de Immunitate Eccleſiaſtica, vel de homicidio proditorio ſcripſere probant, ut videre poteris apud Tho. Delben. *p.* 2 *de Immun. cap.* 16. *ſect.* 3. Tancred. *tract.* 1. *de relig. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *n.* 2. *& diſp.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 20. cùm ſoli quatuor illi, quos viderim, ſint pro contraria ſententia, nempè Ambroſin. *de Immunit. cap.* 6. *num.* 1. Don. Ant. de Marin. *reſol. quotid. cap.* 174. *n.* 3. & Diana *p.* 4. *tract.* 1. *reſolut.* 34. qui tamen *p.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 12. ad excuſandum occidentem veneno ab homicidio proditorio utitur eadem prorſus ratione a Doctoribus ſupra allata, quia ſcilicet ſtante inimicitia habebat cauſam præcavendi, & poterat, & debebat præcavere. Unde in caſu noſtro poteſt retorqueri argumentum: ergo ſtante reconciliatione, & promiſſione facta ab occiſore non habebat occiſus cauſam præcavendi, neque debebat præcavere, & proinde occiſor eſt verè proditor etiam ſtando in

ratione

ratione adducta a Diana, qui licèt habeat pro se Ricc. *p.* 1. *dec.* 168. *n.* 3. ubi cùm dubitaretur, sic inquit Riccius, in Curia Archiepiscopali Neapolitana si occidens amicum reconciliatum dicatur proditor, fuit communi voto conclusum, minimè posse dici proditorem, ex quo secundùm Rub. *id dec. qu.* 1. Amicus reconciliatus æquipolleat inimico, ideòque num. 4. & subsequentibus addit ex Bart. *in l.* 1. *ff. de S. C. Silan.* inimicum reconciliatum fugiendum ut pestem, & ex Bald. *cons.* 1. *vol* 1. posse recusari a judicando, & ex Jas. *in l. Apertissimè num.* 7. *C. de judic.* posse repelli ut suspectum, quod non sit idoneus testis, quia nimirum ex Bart. in loco citato semper in reconciliatis aliquis rancor remanet, num. tamen 7. ait: Addebatur etiam supradictis quod cùm non constaret plenè de pace ipsa, quæ ad inducendam qualitatem proditionis debet plenè, & evidenter probari secundùm Grat. *cons.* 47. *num.* 18. *vol.* 2. Vulpel. *cons.* 85. *num.* 6. Maschard. *concl.* 1162 proindè debet sumi in dubio interpretatio, quæ delictum excludat *l. meritò, ff. pro socio.* Vides quomodo non dissimulavit in ea decisione Riccius etiam apud se non esse magni ponderis rationes cæteras in decisiones deductas, quando si non fuisset, ut asserit, dubium de pace, reum a nota proditoris non absolvisset.

14 Nec intrat distinctio illa, an pax sit facta recenter, vel multò anteà. Nam procedit in sola remissione injuriæ, deducta per actus tacitè pacem significantes, secus verò in pace vera, & propria, quæ importat non solùm remissionem injuriæ, sed etiam firmam amicitiam. Et ideò æquivocant Doctores aliqui recentiores, si verè voluerint confundere pacem expressam cum sola remissione injuriarum, & utrique hanc distinctionem perperam applicare, nempè Novar. *in summ. Bullar. p.* 1. *tit. de Immun. num.* 78. Donat. Anton. de Mar. *resp.* 149. *n.* 1. Ciarlin. *contr.* 151. *num.* 33. & 34. & si qui sint alii, præsertim quia se fundant in Ricc. *d. dec.* 168. *p.* 1. qui loquitur de amico reconciliato, subjungens, pacem non fuisse probatam sufficienter, ut modò dixi. Alias authoritates congerunt ad probandum, quod pax recens non tollat rancorem; sed non dicunt id, ad quod allegantur, & essent contra Baldum, & alios præallegatos, qui pacem dicunt non dari sine promissione amicitiæ, & sic expressè non applicantur ab ipsis deducta, sed solùm tacitè, & præsumptè ex actibus reconciliationis possent adaptari.

15 Meritò igitur contra istam distinctionem latè consuluit Giurb. *cons.* 60. *num.* 17. & *seqq.* signanter *sub num.* 23. Et ista ratio mihi videtur evidens, quia ex pace inducitur amicitia, ideò proditor dicitur sive statim, sive ex intervallo eam frangat, & intrat doctrina Bart. *in conflit.* 1. *Qui sint rebelles, v. Rebellis n.* 4. dicentis, proditorem esse, qui fingit se amicum, & tractat uti inimicus, quem cæteri omnes laudant, & sequuntur. Et verè proditor est qui venit contra fidem datam, Alex *cons.* 13. *num.* 8. *lib.* 1. Sylvest. *in sum. v. Proditio*, Baldell. *oper. moral. tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 10. *n.* 1.

16 Hinc etiam sequitur, non applicari aliam conclusionem de occidente sub cautione de non offendendo. Quia ex cautione ista non tollitur inimicitia, sed ponitur tantùm vinculum inimico, ne delinqnat sine illa pecuniaria pœna, ut dicitur in Constitutione 5. Pii IV. *§.* 56. & ideò non dicitur proditor, si occidat, & in istis terminis loquuntur de Marinis, & Diana. Sed quicquid sit de ista opinione, sufficit ex ea non posse inferri ad pacem expressam, cum tollat inimicitiam, & firmet amicitiam.

17 Sicuti etiam levis est consideratio rancoris remanentis, etiam facta pace. Nam tunc tantum debet haberi in consideratione quando est magnus, de quo imprudentia esset non dubitare, non autem de parvo, ut prudenter explicat Tancred. *de Relig. tr.* 1. *lib.* 4. *qu.* 5. *n.* 26. At facta pace formali, nimis bestialis est rancor retentus, & non juridica esset dubitatio de proximo suo promittente formaliter cum authoritate majorum, seu mediatorum pacem, & amicitiam. Et si hæc actio non præstat securitatem, actum est de humano consortio, & sylvas petere prudentiùs quàm Civitates, feras quàm homines. Ita censeo pro veritate, idque ex animi sententia.

Ablegemus igitur illos, qui syncretismum, hoc est, falsam, simulatam, insidiosam pacem, odiorum callidam dissimulationem, in occasionem ultionis intentam malitiam, ignem suppositum cineri doloso, periculum ingeniosè tectum, inimicitiam ostentatione officii blandientem, umbram fœderum, pestem humanæ societatis, pietatis mortem ducere malunt, quàm fidem, pacem, alumnam veritatis, inimicam simulationis, insciam fraudum, fucum, dolosque execrantem, quæ sine animorum benevolentia mutua, & consensione esse non potest. Lege quæ de hisce vir sanctissimus, ac doctissimus Augustinus *lib.* 19. *cap.* 5. *de Civit. Dei* tradidit.

CONSULTATIO CIII.

An suscipiens habitum Clericalem in fraudem laicæ jurisdictionis gaudeat privilegio fori?

REspondeo affirmativè. Si enim quis existens in statu laicali committat delictum, & postea efficiatur Clericus, non pertinet amplius ad forum secularem, sed judicari debet ab Ecclesiastico, *cap. Proposuisti de for. comp. & l. Si quis postea quam, ff. de judic.* & tradunt Clar. *in pract. §. fin. qu.* 36. *num.* 38. Jo. Franc. a Ponte *de potest. Proreg. tit.* 7. *§.* 7. *v.* 19. Cancer. *lib.* 2. *var. cap.* 2. *n.* 133. Scacc. *de re judic. p.* 1. *c.* 12. *n.* 1. Marth. *de jurisd. p.* 4. *cent.* 2. *cas.* 121. *num.* 10 & 11. Valasch. *cons.* 48. & 65. Plaz. *in epit. delict. lib.* 1. *cap.* 35. Covar. *cap.* 32. *pract. q.* Bonacc. *disp.* 10. *de legib. quæst.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num.* 18. ubi alios citat. 1

Quod non solùm locum habet si bona fide assumpserit Clericatum, sed etiam si in fraudem, ut contra citatos tradunt Jo: Andr. *in c.* 1. *de oblig. ad ratioc.* ubi cæteri Doctores Dec. *p.* 1. *tr. crim. lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 60. testans de communi Aufrer. *tr. de potest. sæcul. super Eccles. person. reg.* 1. *num.* 19. Genuen. *in prax. c.* 9. *num.* 5. Vinc. de Franch. *dec.* 209. Surd. *dec.* 210. *num.* 3. Ciurb. *cons.* 15. *num.* 3. Cevall. *p.* 3. *q.* 1. *n.* 120. & *seqq.* Thor. *in comp. dec. v. Relegatus*, Anton. Crab. *de met. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 91. Farinac. *in prax. crim. q.* 8. *de Inquis. n.* 107. Navar. *com.* 2. *de regular. n.* 69. Suar. *lib.* 4. *contra Reg. Angl. cap.* 15. *num.* 16. Tap. *lib.* 1. *de jur. Regn. tit.* 2. *num.* 33. Carol. de Grass. *de effect. Cler. eff.* 1. *n.* 1074. Ricc. *p.* 4. *dec.* 357. Horat. Pers. *cons.* 4. *crim. num.* 1. Squillan. *de priv. Cler. cap.* 7. *n.* 53. 2

Quia cùm privilegium sit concessum statui Clericali, habet locum in quacumque persona, quæ quocumque modo acquirat talem statum, quia respicitur status ipse, non autem modus, & intentio, quibus assumitur. Nam quamvis intentio assumentis talem statum sit se subtrahere jurisdictioni laicæ, quia tamen in hoc utitur jure suo, & proindè nemini facit injuriam, cùm sit in potestate ipsius se subtrahere ad libitum; ideò non debet privari privilegio, quod secum affert status assumptus. 3

Confirmatur. Nam si laicus relegatus assumat Clericatum non potest puniri a Judice laico, sed solum est puniendus a Judice Ecclesiastico; quia licèt pœna relegationis sit imposita a Judice laico, & proindè ipse habeat jus illam exigendi, dum tamen persona, a qua est exigenda efficitur ordinis Ecclesiastici, subtrahitur jurisdictioni laicæ, atque adeò violatio relegationis non subest eidem laicæ jurisdictioni, sicut non subest persona, quæ non potest trahi ad Judicem laicum, *cap.* 2. *de for. comp.* & statuitur *in can.* 15. *Bull. Cœn.* ac desumitur ex doctrina Bart. *in l. Aut damnum, §. Quisquis, ff. de pœn.* ubi & alii Doctores Duard. *in d. can.* 15. *Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 8. Marth. *de Jurisd. d. cas.* 121. & *cas.* 176. & in specie tradunt Vincent. de Franch. *dec.* 395. Bajard. ad Clar. *q.* 36. *num.* 4. Gratian. *discept.* 226. *n.* 35. Valasch. *d. consult.* 48. *lib.* 1. Capiblanc. *de Baron. pragm. 6. num.* 193. quos sequitur Elis. Danz. *tom.* 1. *de pugn. Doctor. tit. de Cler. cap.* 4. *n.* 25. 4

Neque dicas, quod sicut Clericus mulctatus exilio, aut relegatione a Judice Ecclesiastico potest ab eodem Judice puniri, si postquam depositus Clericatum, violet exilium, aut relegationem, ut contra Vincent. de Franch. *dec.* 395. notant Genuensis, testans de praxi in Curia Archiepisc. Neapol. *cap.* 9. *n.* 3. Mad. *de sacr. ordin. c.* 3. *n.* 44. Squill. *de privil. Cler. cap.* 7. *n.* 108. Addition. ad Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 15. *ad qu.* 11. *lit. D.* ita quoque laicus delinquens, ac mulctatus a Judice laico, postquam suscepit Clericatum, potest ab eodem Judice laico puniri. Nam est diversa ratio. Quia Clericus dum efficitur laicus non subtrahitur absolutè jurisdictioni Ecclesiasticæ. Siquidem potest Tribunal Ecclesiasticum in ipsum exercere jurisdictionem quando causa aliàs ad ipsum pertinet. Unde cùm pertineat ad Judicem tueri suam sententiam, & facere ne sit frustratoria, *l.* 1. *ff. ne vis fiat ei, &c.* & tradunt Doctores cum Glossa *in cap. Quæventi de offic. deleg.* poterit Judex Ecclesiasticus procedere contra laicum jam mulctatum, dum erat Clericus. At hoc non potest Judex laicus circa Clericum ab ipso punitum dum erat laicus, quia per mutationem status est omnino subtractus ab ipsius jurisdictione, itaut continuatio pœnæ nequeat ipsius jurisdictionem prorogare, ut docent communiter Doctores præallegati. Qua de re causa Clericus delinquens, etiamsi posteà fiat laicus, potest adhuc puniri a Judice Ecclesiastico, ut tradunt Grammat. *dec.* 10. Clar. *dict. quæst.* 36. *num.* 9. Vincent. de Franch. *dec.* 417. Camil. de Curt. *in diver. jur. Feud. p.* 2. *cap.* 2. 5

c. 2. n. 114. Farinac. *tract. crim. quæſt.* 8. *n.* 66. teſtans de communi, Genuenſ. *in prax. d. c. 9. n.* 2. Quia cùm nullum ſit obſtaculum, quo minus laicus a Judice Eccleſiaſtico puniri poſſit, attenditur ſtatus, in quo erat reus tempore delicti. Quod non habet locum in Judice laico reſpectu Clerici, quia nullam in ipſum exercere poteſt juriſdictionem.

6 Hinc, quando laicus promovetur ad ſtatum Eccleſiaſticum, poteſt relinquere tutelam, quam ſuſceperat per *cap.* 1. juncta Gloſs. *de oblig. ad ratioc.* & tradunt Specul. *tit. de tutore*, §. *Generaliter n.* 11. Paul. Montan. *de tutel. c.* 35. *num.* 199. quos ſequitur Squillan. *de privil. Cler. cap.* 14. *num.* 9. Quod ſatis indicat ſolvi per promotionem ad ſtatum Eccleſiaſticum obligationem contractam reſpectu poteſtatis, & juriſdictionis civilis; quia fit tranſitus ad ſtatum digniorem, qui omnino a tali poteſtate eximitur. Unde habet locum quod dignitas ſuperveniens ſolvat præcedentem obligationem, etjam voluntariè contractam juxta textum *in l. Interdum*, *ff. de oper. liber.* ibi: *Si liberta, quæ operas promiſit, ad eam dignitatem perveniat, ut inconveniens ſit præſtare patrono operas, ipſo jure hæ intercident*. Eſt autem inconveniens, quod Eccleſiaſticus luat pœnas laicæ poteſtati, a qua omninò exemptus eſt. Ideòque ratio legis militat etiam in hoc caſu.

7 Accedit, quod promotio ad ſtatum Eccleſiaſticum eximit omninò a juriſdictione, & poteſtate laica, atque adeò ſolvit ſubjectionem reſpectu ipſius, ut inter alia decernit Leo X. ſacro approbante Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 9. in Bulla, quæ incipit, *Supernæ diſpoſitionis arbitrio* de reform. cur. ibi: *Et cum a jure tàm divino, quàm humano laicis nulla poteſtas in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*. Igitur tollit etiam effectus ſubjectionis, qui ab ipſa proveniunt, *l. adigere*, §. *quamvis ff. de jurep.* & *l. Si pater*, *ff. de hær. inſtit.* & *cap. Magnæ in fin. de vot.* & *cap. Cum ceſſante de appellat.* Ergo ceſſat etiam pœna, quia luere pœnas inflictas ab alio eſt effectus quidem juriſdictionis ſupra punitum.

8 Nec item obſtat, quod cauſa incœpta apud Judicem laicum, ſi reus efficiatur Clericus, debeat ab eodem Judice laico terminari, ut docent communiter Jo. Andr. *in d. cap.* 1. *de oblig. ad ratioc.* ubi & reliqui Doctores, ac proſequuntur Aufrer. *de poteſt. ſæcul. ſuper Eccleſ. perſ. reg. num.* 19. Vinc. de Franch. *dec.* 384. *num.* 9. Bart. *in l.* 1. *ff. de pœn.* Bald. *in l.* 1. & 2. *C. An ſervus ex facto ſuo poſt manumiſ. teneatur*, Jaſ. *in l. Cum quædam*, *ff. de juriſd. omn. judic.* Covar. *cap.* 32. *pract. quæſt. n.* 4. Borgnin. Cavalc. *dec.* 10. *num.* 2. teſtans de communi Duar. *in Bull. d. can.* 15. *qu.* 11. *n.* 6. Marth. *de juriſd. p.* 4. *caſ.* 121. *num.* 29. Navar. *comm.* 2. *de Regular. num.* 60. Clar. *in pract. §. ult. quæſt.* 56. *n.* 43. Farinac. *in prax. crim. quæſt.* 8. *de Inquiſit. n.* 107. Suarez *lib.* 4. *contra Reg. Angl. cap.* 15. Roderiq. *tom.* 2. *quæſt. regul.* 2. *art.* 3. Laym. *lib.* 4. *Theol. moral. tr.* 9. *cap.* 4. *num.* 12. Et Sixtus V. apud Rodriquez loco allegato tribuit Judicibus ſæcularibus facultatem procedendi contra eos, qui fiunt religioſi poſt acceptatam accuſationem aut inſtitutam inquiſitionem. Unde cùm Judex laicus incœperit judicium, poterit etiam illud perducere uſque ad perfectam exequutionem ſententiæ, atque adeò tueri ſuam ſententiam, quouſque pœna impoſita completa ſit.

9 Huic enim objectioni reſpondetur, quod, incœpta cauſa, poteſt Judex procedere contra eum, qui aſſumit Clericatum, condemnando in bonis, non autem contra perſonam, ut etiam diſtinguunt Doctores modò citati, quibus adde Boſſium *de for. comp. num.* 244. Giurbam *conſ.* 15. *n.* 33. & Maſtrillum *dec.* 294. *num.* 3. & *ſeqq.* Id quod admittit S. Congregatio Immunitatis. Unde non extenditur juriſdictio ipſius ad continuandam pœnam, & proindè nec ad puniendum; quia hoc eſſet exercere juriſdictionem in ipſam perſonam. Deinde cauſa cœpta contra laicum, qui fit Clericus, poteſt a judice laico continuari uſque ad complementum, non autem incipere contra ipſum novam cauſam, quamvis conſurgat ex priori terminata. Quia cùm fiat mutatio ſtatus, fit etiam mutatio Tribunalis, ad quod pertinent cauſæ omnes emergentes poſt mutationem ſtatus per ea, quæ tradunt Doctores *in d. cap.* 1. *de oblig. ad ratioc.* Jo: Andr. Butr. & alii, Bart. *in d. l.* 1. *in fin. ff. de pœn.* Bald. *in l.* 1. *num.* 4. *Cod. An ſerv. ex fact. ſuo*, &c. a Ponte *de poteſt. Proreg. d. tit.* §. 7. *n.* 14. & *ſeq.* Quia, ut dicebatur, ponitur obſtaculum per mutationem ſtatus, ne Judex laicus tueri poſſit ſuam ſententiam, ſi violetur.

10 Advertendum autem eſt, onus probandi hujuſmodi ſuſceptionem Clericatus in fraudem ſpectare ad Judicem laicum. Quia, in dubio non præſumitur, Plaz. *in epit. delict. cap.* 35. *n.* 1. & *ſeq.* Farinac. *d. qu.* 8. *num.* 111. Giurb. *dec.* 82. *num.* 7. Præterea nunquam præſumitur Clericatus in fraudem ſuſceptus, niſi præceſſerit diffamatio, accuſatio, vel inquiſitio, Vincent. de Franch. *dec.* 395. *num.* 5. Chartar. *de exeauut. ſentent. capt. bannit. cap. fin. num.* 308. Farinac. pluries alleg. *in qu.* 8. *num.* 110. Carol. de Graſs. *effect. Cler.* 1. *num.* 1076. Maſtrill. *d. dec.* 294. *num.* 3. & *ſeq.* Tandem declaratio hujuſmodi ſuſceptionis in fraudem non ſpectat ad Judicem laicum, ſed ad Eccleſiaſticum; itaut donec Eccleſiaſticus non declaret, ſæcularis omni juriſdictione careat tàm ſuper perſona, quàm ſuper bonis Clerici, Oldrad. *conſ.* 4. *in fin.* Vulpel. *de libert. Eccleſ. p.* 2. *n.* 41. Carol. de Graſs. *ubi ſupra num.* 1079. Giurb. *conſ. crim.* 15. *num.* 33.

CONSULTATIO CIV.

An crimen ſollicitationis ad actus inhoneſtos in Sacramentali confeſſione ſufficienter probetur per teſtes ſingulares? Ubi multa de hac re, quæ apud alios fortaſſe non leguntur.

AFfirmativè reſpondendum videtur. Quia crimen hæreſis ſufficienter probatur per teſtes ſingulares, 1
Doctores apud Paſqualig. *dec. moral.* 158. *num.* 2. At in hoc crimine proceditur ſicut in crimine hæreſis, Souſ. *in aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 63. Nam Confeſſarius ſollicitans eſt de fide ſuſpectus, Pegn. *p.* 2. *direct. com.* 81. Farinac. *in prax. crim. p.* 4. *q.* 137. *num.* 28.

Verùm tenendum eſt, non probari ſufficienter per teſtes ſingulares, niſi etiam concurrerint adminicula, 2
indicia, & præſumptiones. Ita ſancivit Gregorius XV. die 30. Auguſti 1622. Conſtitutione ſua, cujus initium *Univerſi dominici gregis*, in hæc verba: *Dantes etiam facultatem S. R. E. Cardinalibus*, & *Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tàm enorme, Eccleſiæ Dei tàm perniciosum remaneat ob defectum probationum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis*, & *aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi*.

Ex quibus advertit Delbene *de Offic. S. Inquiſit. p.* 2. 3
dub. 235. *ſect.* 14. *petit.* 1. *num.* 2. Primò, quod hoc arbitrium non conceditur omnibus, ſed ſolùm S. R. E. Cardinalibus S. Officii Inquiſitionis, & generalibus Inquiſitoribus, ac propterea cæteri inferiores proceſſum compilantes non habeant hujuſmodi arbitrium. Deinde, quod non poteſt formari prædictum arbitrium, ac judicium, niſi teſtes ſingulares ſint talis qualitatis, & admnicula, indicia, & præſumptiones ſint talis conditionis, ut conjunctim habeant tantam vim, quod moveant, & urgeant Judicem ad judicandum, delictum eſſe verè commiſſum, ſicque reddant delictum moraliter evidens. Quia arbitrium, & judicium debet eſſe regulatum ſecundum rationem, & prout de jure, Bartol. *in Extravag. ad reprimendum num.* 8. Pariſ. *conſ.* 8. *num.* 21. *lib.* 4. Duran. *dec.* 5. *n.* 3. Merlin. *dec.* 400. *n.* 3. Ludoviſ. *dec.* 465. *num.* 1. Rot. *dec.* 285. *n.* 1. *p.* 1. *rec.* & alii paſſim. Ut ſcilicet teſtes ſingulares cum adminiculis, indiciis, ac præſumptionibus æquipolleant plenæ probationi teſtium conteſtium, quæ de jure requiritur ad reum condemnandum. Poſtremò, quod licèt Pontifex concedat, quod qualitas delicti, utpotè difficilis probationis ſic exigat, uti probationibus minus legitimis, non tamen vult, quod eæ ſint inperfectæ in ſuo genere. Cætera vide apud ipſum.

Pontifex igitur in illa conſtitutione non intendit, 4
quod ſufficiant in hoc crimine precisè teſtes ſingulares, ſed vult, quod in ipſo procedatur ſicut in iis, quæ ſunt difficilis probationis, ac proinde quod poſſit infligi pœna concurrentibus cum teſtibus ſingularibus, indiciis, præſumptionibus, & adminiculis, ac vult tantum, ut Cardinales arbitrio ſuo, rationabili tamen, poſſint judicare, crimen probatum eſſe. Quod ſanè non poſſunt rationabiliter præſtare, niſi ea concurrant, quibus moveantur ad credendum perfectè, ita eſſe. In hoc autem caſu intervenit perfecta probatio, *l. quingenta*, *ff. de prob.* & notant Doctores communiter.

Neque obſtat, quod crimen hæreſis probetur per te- 5
ſtes ſingulares. Primò, quia id negant Brun. *tr. de hæret. lib.* 3. *cap.* 9. Royas *eod. tr. p.* 2. *aſſert.* 6. *a num.* 135. Eymeric. *in direct. Inquiſ. p.* 3. *qu.* 72. *n.* 1. Pegna *ibid. com.* 121. Canter. *in q. crim. cap.* 2. *de ver. confeſ. num.* 17. & alii benè multi cum Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 31. & *tract.* 8. *reſol.* 57. & *nos in conſult. de teſtib. ſing. in materia ſpectante ad S. Offic. Inquiſit.* Secundò, quia contrarium pro crimine ſollicitationis diſponit Summus

mus Pontifex Gregorius XV. ſua illa Conſtitutione, quæ tanquam ultima in hac ſpecie ſolùm attendi debet.

6 Porrò præter ea, quæ de ſollicitatione varii variè ſunt proſequuti, nos veluti per effata, quædam non vulgaria proferemus.

7 Quando mulier eſt nobilis, virgo, & verecunda, nec poteſt induci ad deponendum, conſulitur in Urbe Sac. Congr. & extra Urbem Epiſcopus, vel Inquiſitor, qui ſi habeant difficultatem, conſulant S. Congregationem, ſin minus, dent facultatem Confeſſariis abſolvendi pœnitentes, quæ juſtis de cauſis denunciare recuſant, & abſolvantur ſub conditione quod ceſſantibus cauſis, teneantur denunciare, ac etiam non adire amplius Confeſſarium, a quo fuerant ſollicitatæ. Conſtitutio autem Gregorii XV. non eſt huic doctrinæ contraria.

8 Confeſſarii, qui mulieribus coram ſe genuflexis, ac ſigno Crucis munitis notificant, nolle tuncearum confeſſiones audire, ut commodiùs ſollicitare valeant, puniuntur ab Inquiſitore conjunctim cum Epiſcopo, qui etiam procedunt contra Confeſſarium, qui captus amoris alicujus pœnitentis ſæpè videtur cum ea de inhoneſtis tractare in loco confeſſionis.

9 Inquiſitores ac Ordinarii denunciationes in materia ſollicitationis in confeſſione Sacramentali mittere debent ad Sac. Congregationem, illam certiorem reddentes de qualitatibus denunciatorum, & denunciantium, ac nominatorum in teſtes, nec ad ulteriora procedere abſque ordine ejuſdem S. Congregationis, niſi facti gravitas aliter exigeret.

10 Confeſſarii non debent interrogare mulieres pœnitentes, an fuerint unquam in Confeſſione Sacramentali ad inhoneſta ſollicitatæ.

11 Ordinarii approbando Confeſſores tenentur iis injungere obſervationem Conſtitutionis contra ſollicitantes, ne aliàs incidant in illius pœnas, eamque facere illis legi, ac intimari, ita ut nedum ſciant pœnas in ea contra ſollicitantes contentas, ſed etiam puniendos fore, ſi pœnitentes ſollicitatas non hortabuntur juxta d. Conſtitutionem ad denunciandum ſollicitantes; eorumque arbitrio remittitur id etiam facere cum jam approbatis.

12 Mulier ſollicitata, ſi non conſenſerit, tenetur denunciare Confeſſarium. Si verò conſenſerit, tenetur denunciare ſollicitationem, ac verba, & actus turpes Confeſſarii, & tacere ſuum conſenſum, quem non tenetur propalare, neque reſpondere, etiam ad interrogata ab Epiſcopo, vel Inquiſitore. Quod ſi dubitet conſenſum poſſe a Confeſſario propalari, monenda eſt, Confeſſarium de hoc non poſſe interrogari, ſique id ex ſe fateatur, non eſſe ſcribendum.

13 Idem clariùs habetur ex literis S. Congreg. S. Officii ad Archiepiſcopum Neapolitanum datis, & Vicario Salernitano, atque Archiepiſcopo Mediolanenſi apud Dian. *p.* 4. *tr.* 5. *reſol.* 31. & apud Epiſcopum Lycienſem *in* 2. *Syn. diœceſ.* tenoris ſequentis.

14 Archiepiſcopo Neapolitano. *Dopo eſſerſi avuta lunga, e matura conſiderazione ſopra il dubbio ſignificato da più bande, ſe i penitenti ſiano obbligati a denunciare i Confeſſori, da' quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo, o nell' atto della Confeſſione quando hanno conſentito alla ſollecitazione, Noſtro Signore, e queſti miei Signori Illuſtriſſimi nella Congregazione tenuta avanti ſua Santità a' 25. di Luglio paſſato, dopo l'aver anche inteſo il parere d'una particolar Congregazione deputata per queſto effetto, hanno riſoluto, che qualſivoglia penitente è tenuto a denunciare il Confeſſore, ancorchè gli abbia conſentito, e non è tenuto a propalare il proprio conſenſo, nè ſopra ciò s'interroghi dal Veſcovo, o dall' Inquiſitore, o da' loro Vicarji, avanti de' quali deporrà, nè meno il Confeſſore denunciato, procedendoſi poi contro di lui ne' conſtituti, che gli ſi faranno, s' interroghi ſopra detto conſenſo, e in caſo, ch' egli voleſſe dirlo da ſe, non ſi ſcriva il ſuo detto, come in ordine alla perſona ſollecitata non ſpettante all' officio della S. Inquiſizione. Le parti adunque di V. S. Illuſtriſſima ſono di ſignificare la detta riſoluzione a' Confeſſori, e incaricargliene ſtrettamente l'oſſervanza, acciochè ne' caſi, che occorrono alla giornata, conforme al tenor della Conſtituzione pubblicata di Gregorio XV. di ſ. m. contro i Confeſſori ſollecitanti, ſignifichino a' penitenti l'obbligo, che hanno di denunciare i Confeſſori, da' quali ſaranno ſtati ſollecitati, ed avendoli conſentito, e facendo difficultà in iſcoprire il proprio conſenſo, conforme alla riſoluzione, che ſi è fatta, dicano loro apertamente, che non ſono tenuti a propalare il detto conſenſo, e che tanto eſſi penitenti, quanto i Confeſſori ſollecitanti, procedendoſi contro di eſſi, non ſaranno di ciò interrogati, e dicendo da ſe, non ſi ſcriverà, nè riceverà il loro detto. E quando il penitente tuttavia perſiſteſſe nella medeſima renitenza, Noſtro Signore ſi contenta, che dal Veſcovo, o dall' Inquiſitore ſi dii autorità al Confeſſore di ricever per ſcrittura, e con giuramento la denuncia per portarla ſubito a chi avrà dato l'autorità di pigliarla. E ſe oltre le coſe ſuddette occorrerà altro caſo grave, per il quale non ſi poſſa il penitente indurre a denunciare, vuole ſua Santità, che ſe ne ſcriva quì, e s'aſpetti la riſpoſta, e in tanto ſi ſopraſeda nell' aſſoluzione, e tanto ſi contenterà V. S. Illuſtriſſima di far oſſervare nella ſua dioceſe, facendo regiſtrare la preſente negl' atti di coteſta Corte per informazion ſua, e de' ſuoi ſucceſſori, i quali dovranno aver mira, che la preſente riſoluzione riguarda ſolo que' penitenti, che per avere acconſentito, fanno difficultà in denunciare; ma quei, che non hanno acconſentito, o avendo acconſentito non ſono in ciò renitenti, non dee il Confeſſore porre difficultà alcuna, ma laſciare, che indifferentemente, e liberamente ſoddisfaccino all' obbligo, che hanno di denunciare, conforme alla detta Conſtituzione, compiacendoſi anche V. S. Illuſtriſſima di mandar copie della preſente a' Veſcovi ſuoi ſuffraganei, acciocchè da eſſi ancora ſia fatta oſſervare la ſuddetta riſoluzione. E per fine a V. S. Illuſtriſs. umiliſſimamente bacio le mani. Di Roma li 27. Settemb. 1625. il Card. Millino.*

Inſtructionem pro accipienda denunciatione mulieris ſollicitatæ in Confeſſione, quæ perſonaliter comparere nequit, exhibet idem Epiſcopus Lycienſis loco citato.

Sollicitantes in Confeſſione non ſunt adſtringendi ad ſeipſos denunciandum.

Mulieres ſollicitantes ad turpia Confeſſarios, qui illis poſtea præſtant conſenſum, non ſunt cogendæ ad eos denunciandum, ſed ipſarum arbitrio id faciendum remittitur.

Epiſcopi, & Inquiſitores non ſolùm poſſunt tribuere licentiam Confeſſariis recipiendi medio juramento denunciationes mulierum, quæ conſenſum ſollicitationi præſtiterunt, ſed etiam earum, quæ factis diligentiis, induci non poſſunt ad denunciandum in S. Officio. Parcè tamen hac facultate uti debent Ordinarii.

Sollicitationis ſpecies eſt, quando mulier, quæ aliis fœminis aſſociata ſolet adire Confeſſarii domum, dicit Confeſſarius in Confeſſione, ut ſola ſuam domum adeat, & poſtquam adiverit, copula carnalis ſequatur.

Non proceditur contra denunciatum ab una tantùm muliere de ſollicitatione in Confeſſione, quando non concurrunt alia adminicula, nimirum mala fama Confeſſarii, & bona mulieris, de quibus eſt certior reddenda S. Congregatio.

Facultas judicandi, an Confeſſarius a pluribus teſtibus de ſollicitatione in Confeſſione Sacramentali ſit convictus, ita ut poſſit tradi Curiæ ſæculari juxta Conſtit. Greg. XV. eſt reſervata S. Congregationi Eminentiſſimorum Card. Generalium Inquiſitorum.

Denunciationes tàm in Tribunali S. Officii, quàm Epiſcopi in materia ſollicitationis datæ contra eandem perſonam inſimul communicari non poſſunt, nulliſque ſcripturæ copiam Inquiſitores communicent Epiſcopis, ſed in caſibus particularibus conſultant S. Congregationem, ſignificando qualitates denunciati, & indiciorum, necnon eorum, quæ extant in Tribunali Epiſcopi, & quis prævenerit.

Contra ſollicitantes procedunt Epiſcopi, & Inquiſitores cumulativè, & tenentur inter ſe communicare indicia, ne ob defectum probationum delictum remaneat impunitum. Epiſcopi verò tales ſpontè comparentes abſolvant, ſed tamen prius mittere debent depoſitiones ad S. Congregationem, & ab ea reſolutionem expectare.

Pœnitentes ſollicitantes Confeſſarios in Confeſſione, ac renuentes illos denunciare, non puniuntur in S. Officio.

Pœnitentes ſollicitatæ, quamvis credant Confeſſarium, a quo fuerant ſollicitatæ comparuiſſe in S. Officio, non tamen excuſantur, ſed tenentur denunciare dictum Confeſſarium.

In partibus infidelium, ubi non ſervatur decretum S. Officii, abſolvuntur recuſantes denunciare ſollicitantes in Confeſſione.

Ordinarius procedere debet contra presbyterum, qui ſub ficto prætextu deferendi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum mulieri infirmæ, eamque communicandi, cum ea copulam carnalem habet.

Non proceditur in S. Officio contra Confeſſarium, qui extra locum, & occaſionem confeſſionis dicit mulieri, ſibi confiteri volenti, ut adeat domum ſuam, & adeuntem carnaliter cognoſcit. Hujuſmodi enim caſus non eſt comprehenſus in conſtitutione contra ſollicitantes.

Poteſt procedi contra Confeſſarium, tanquam ſollicitantem, qui poſt auditam Confeſſionem mulieris, ac impertitam abſolutionem, illam requirit ad lenocinium.

Confeſſarius, qui poſt requiſitam mulierem, an velit confiteri, & negativè reſpondentem ſollicitat ad turpia, depoſita prius ſtola, & extra confeſſionarium, non punitur in S. Officio.

Spontè

Spontè comparentes in S. Officio, acculantes se de sollicitatione in Confessione valdè gravi, abjurantes de vehementi, removentur a loco delicti, & suspenduntur omninò ab audiendis Confessionibus.

Consultores intervenire non debent Congregationibus S. Officii, in quibus agitantur causæ reorum inquisitorum de sollicitatione in Confessione. Hujusmodi enim causæ in Congregatione Consultorum non proponuntur, sed ad supremum Tribunal terminandæ transmitti debent.

Confessarii sollicitantes in Confessione non intelliguntur privati suis beneficiis curatis.

Mulier, quæ vult denunciare Confessarium sollicitantem, dummodo tamen ipsi promittatur, se non amplius vocaturam ad S. Officium, disponenda est ad denunciandum; nihil tamen ei promittatur, sed solum informetur de secreto S. Officii.

Al molto R. Sign. il Sign. Vicario Generale di Salerno, Acciocchè più fondatamente si proceda contro i sollecitanti in confessione, questa Suprema Congregazione ordina, che per il detto d'una sola donna non venga a costituire il preteso reo senza prima darne qui avviso con relazione delle qualità della donna, del denunciante, e del denunciato, e allora si scriverà a V. S. se debba, o nò procedere a constituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V. S. contenta di significare questo medesimo ordine a' Vescovi suoi Comprovinciali, acciocchè ancora da essi sia eseguito, e'l Signor Iddio le conceda ogni bene. Di Roma a' 17. di Luglio del 1627. Il Cardinal Millino.

Instructio porrò pro muliere denunciare recusante, cujus supra memini, quæque est typis Romanis edita in dicta 2. *part. Synodi diœcesanæ*. Lyciensis sub anno 1669. est tenoris sequentis.

Si fa un memoriale della denunciante, nel qual narra di haver da esporre cose pertinenti al Tribunal del S. Officio, che perciò priega sua Signoria Illustrissima commettere a persona religiosa, che con ogni segretezza vada a ricevere detta denuncia nel tal luogo a fine di liberare da ogni scrupolo la conscienza di essa supplicante, sottoscrivendo a' piedi del memoriale il nome, e 'l cognome di essa esponente, potendo mandarsi detto memoriale pel Confessore al Prælato, il quale udendo dire, che gli si hà proporre negozio spettante alla Santa Inquisizione, dee riceverlo con grandissimo segreto, assumendo almeno due persone gravi, religiose, e zelanti, d'una delle quali se ne servirà per scrivere gli atti, che occorrono, come sarebbe.

Die 10. Mense Maji anni 1686. in Palatio Episcopali N. in aula interiori ejusdem solitæ habitationis Illustr. ac Rever. D. Episcopi N. coram eodem D. Illustr. ac Rever. assistente R. D. Canonico Cathedralis N. & in præsentia mei D. N. Sacerdotis Ecclesiæ N. actuarii assumpti ad hunc actum comparet R. P. Fr. N. N. professus Sacerdos Theologus Ordinis N. exponens videlicet.

Vengo avanti a V. S. Illustrissima a portarle questo memoriale continente negozio del S. Officio consignatomi da N. N. la quale con occasione, che io sono andato a confessare alla Chiesa N. mi è stato dato da lei a fine che io con ogni segreto lo presenti a V. S. Illustrissima, acciocchè deputi una persona, che riceva la denuncia di questa supplicante, la quale mi hà detto, che se venisse di persona, darebbe da sospettare altri negozj a' suoi parenti, il che le potrebbe cagionar gran danno.

Ovvero se la supplicante non saprà scrivere, potrà inviare detto Religioso a dire a bocca tutto ciò, che chi sà scrivere direbbe per memoriale, e si procederà nel modo, come di sopra del Prelato, mutatis mutandis.

L'Attuario noterà ogni cosa per extensum.

Tunc Illustrissimus Dominus prædictis commisit eidem P. Fr. N. N. Professo Religionis, &c. ut accedat ad locum N. ad finem accipiendi denunciationem faciendam ab N. N. juxta instructionem Tribunalis S. Officii, quam præcepit sibi dare a me Notario assumpto, exacto prius juramento, tàm a prædicto R. P. N. N. tangendo, prout tetigit Sacra Evangelia, & pro veritate omnium supradictorum, & pro benè, ac fideliter recipienda denunciatione sibi danda, ac sub silentio omnia retinendi, quàm a vobis Assistentibus, & a me de non præsentia propalando, nec in totum, nec in partem, prout juravimus tactis Sacris prædictis Evangeliis, imponendo dicto Patri, & vobis de toto præsenti negotio silentium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ statim incurrendæ in casu contraventionis, reservatæ eidem Illustr. respectu Assistentis, & mei ipsius, & Sanctiss. D. Papæ respectu prædicti R. P. & fuit dimissus præsens tutus cum mandato, ut omnes suscribamus.

Ego Pater Fr. N. N. Professus S. T. P. Ord. N. prædicta omnia exposui.

Ego N. N. Canonicus Ecclesiæ N. Assistens deputatus interfui.

Ita est.

N. N. Sacerdos Ecclesiæ N. Actuarius assumptus ad hunc actum ab Illustrissimo D. N. Episcopo N.

Il Delegato dal Vescovo andrà con carta, e calamajo, se non potrà accompagnarsi col Notajo predetto, ò Assistente, almeno esso solo nel luogo, tempo, e giorno più opportuno per osservanza del segreto, e venendo la denunciante, ha da scrivere nel presente modo.

Die ... Mense .... anni, &c. in tali loco s'accerta, che sia fuori del Confessionario, e non potendosi, si noti il luogo, ubi solent Sacramentales Confessiones excipi, sed hæc omnia extra Sacramentum Pœnitentiæ, comparet coram me N. N. Professo talis Religionis, qui de mandato Illustriss. & Rever. D. Episcopi N. accessi ad finem, &c. talis de tali ætatis suæ annorum ... ut dixit, & ex aspectu apparet sæcularis, vel monialis, Professa, vel Bizocca, vidua q. N. N. vel uxorata, &c. e ponendo il nome del Padre, della Madre, luogo dove habita, professione, che esercita, confini della Parocchia, paese, o tempo, che ne manca, statura, pelo, segnali, e altre circostanze che ponno descrivere la persona, quando non fosse ben nota alla Corte Vescovale, sponte, non citata, neque vocata, quæ medio ejus juramento sibi per me dato, tactis Sanctis Evangeliis mei Breviarii, prout tetigit de veritate dicenda, prius monita de gravitate ejusdem fuit interrogata ad quid venerit, quæ respondit.

Sono venuta, come dissi a V. Reverenza la settimana passata, che mi voleva io sgravare la conscienza, giacchè mi mi avete detto, che sono obbligata di denunciare il Confessore, che mi hà parlato di cose brutte, quando io mi Confessava, desidero sapere, se havete parlato a Monsignor Illustrissimo, e che vi hà detto.

Cui a me fuit dictum habere in commissis recipiendi formiter suam denunciationem, ac proinde pro exoneratione suæ conscientiæ explicitè fuit interrogata, ut dicat quicquid sibi occurrerit circa prædicta a se superius nominata. Respondit, e si pongano le sue proprie parole volgari, che dice, ben vero siano chiare, ed esplicative, il Confessore sollecitante per nome, cognome, Religione, ò dignità, giorno, mese, anno, volte, che sollecitò, segni, contrasegni, habitatione, luogo, dove habita, habitava il sollecitante, parole dette, espresse, segni, seu atti fatti, e tutte le circostanze, che conducono alla replicata chiarezza del sollecitante, ò della sollecitazione.

Avvertendo, che se la persona non si sapesse esplicare, il Deputato con gl'interrogatorj, che andrà facendo, farà esplicare le cose predette necessariamente.

Gl'interrogatorj, benchè si diano in volgare, si scrivano in latino. Verbi gratia.

Interrogata, quænam verba specialia, vel quosnam actus inhonestos fecerit prædictus N. Confessarius ipsi testi exponenti, & dicat explicitè, & clarè omnia.

Respondit, mi dice, &c.

Se la sollecitazione è di qualche tempo passato, e che dice.

Interrogata, quare prius non exoneravit suam conscientiam denunciando prædictum.

Respondit, &c.

Interrogata de contestibus.

Respondit. Questo fatto è passato da solo a solo frà me, e 'l detto N. N. mentre io mi confessava nel confessionario, come hò detto di sopra, e perciò non v'è persona, che lo posa deporre.

Interrogata, an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum d. N. N. Confessario, vel cum suis consanguineis, aut amicis, vel è contra.

Respondit, &c.

Interrogata, cujus famæ sit prædictus N. N. Confessarius, & an audierit aliquando ab aliis similia prædictum N. N. patrasse.

Respondit, &c.

Si avverta, che le risposte (non mi ricordo) non s'ammettano, ma si dimanda dopo quelle, & fuit dictum a me, ut benè recordetur, &c.

Se parlasse con ira, e con passion grande, che dasse sospetto d'inimicizia, dal Notajo, ò dal deputato si noti, videlicet locuta est nimis iracundè, &c. vel animosè, aut temerè.

Interrogata, an viderit ipsa comparens prædictum N. N. Confessarium fecisse aliqua opera spiritualia, videlicet orare, eleemosynas elargiri, missas auscultare, & similia.

Respondit, &c.

Quibus habitis ego ipse mandavi, ut se subscribat, imponendo silentium, ut nullatenus alicui dicat, se revelasse, & denunciasse prædicta in totum, vel in partem contra prædictum N. N. Confessarium sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ reservatæ ipsi D. Illustrissimo Episcopo. E se sarà necessario S. D. Papæ. Et fuit dimissum examen, præstito denuò juramento, tactis &c. prout tetigit de silentio observando super prædictis.

io N. N. hò deposto come sopra.

Overo ✠ Et quia scribere nescit fecit signum Crucis cum calamo a me dato.

Ita est ego N. N. Professus Ordinis N. de mandato Illustr. &c. accessi, & interrogavi.

Le Scritture sopra questa materia non si confidino a' Ministri, ma si consignino al Tribunale supremo, ovvero si sugellino, scrivendovi sopra Scritture, che appartenghino al Tribunale del S. Officio, quali nissuno può aprire, lacerare, brucciare, o occupare sotto le pene imposte nella Bolla del B. Pio V. che comincia, Si de protegendis, *cautelandosi a fine che in vita detti negozj passino, come quelli del sugello Sacramentale, e prevedere in caso di morte non vadino in potere de' Commissarj degli spogli, ministri della Sedia vacante, o Cortegiani di Prelati Defonti, i quali per lo più, non avendo molta conscienza, o pubblicano i negozj, o li consegnano in mano delle parti per mercede. E questo basti per una brieve, e facile instruzione.*

Per maggior chiarezza si pone una formula di denuncia, cioè le parole della donna sollecitata.

Per disgravio della mia conscienza denuncio al Tribunale del S. Officio, e per esso a V. S. o a V. P. o a V. R. che viene in nome di Monsignor Illustriss. come avrà da un mese, che essendo andata a confessarmi nella Chiesa N. N. nella festività N. 20. del mese di Settembre, m' inginocchiai nel Confessionario di mano destra all' altare sotto il pulpito di detta Chiesa, dove stava ascoltando le Confessioni D. N. N. Prete secolare, o regolare, e mentre stava io in detto Confessionario, Confessando Sacramentalmente i miei peccati, mi disse parole disoneste, e sensuali, e che avrebbe voluto, ed o fcce il tal' atto, e dette queste parole. (E si narra distintamente il fatto.) Del che ne rimasi scandalizzata. E questo è quanto occorre.

Interrogata, &c. ut melius explicet illa verba (se pure fossero state dette ambigue, o dubie) e seguita come sopra.

Ricevuta la scritta rivelazione il Prelato avverta di conservarla con ogni segreto. Se il caso sarà grave, ovvero fossero più rivelazioni contro uno stesso Confessore, potrà detto Vescovo farne copia, avvertendo di dare il giuramento, quando assume persona molto grave per far detta copia, e inchiuder gli atti in una sua, che potrà scrivere alla S. Congr. del S. Officio di Roma a fine che gli ordini, come si hà da portare in tal caso, e chiegga l' instruzione per non errare, avvertendo di più, di non far alcun motivo contro il denunciato, acciocchè non penetri esser reo nel Tribunale, nè communichi tal segreto al suo Superiore, o ad altro, che sia nel Mondo, perchè sarebbe error grave in materia di S. Officio.

CONSULTATIO CV.

Quibusnam debeatur in Capella Pontificia jus præcedendi, ac sedendi immediatè post Episcopos, Generalibusque Ordinum Mendicantium, an Monachorum?

1 JUs ejusmodi deberi videtur Generalibus Ordinum Mendicantium. Id enim nititur dispositione cæremonialis Romani *cap.* 1. *sess.* 2. *lib.* 3. Quod scilicet, Abbates non debeant sedere in scamno Episcoporum, quia habent scamnum distinctum cum Protonotariis, ibi: *Sed Protonotarii, & Abbates solent habere proprium locum ultimum in ordine, & alii*, ideſt Generales Ordinum, & Pœnitentiarii, *sedent post Episcopos.* Quod sanè intelligitur de illis Abbatibus paulò antea nominatis, sive sint Abbates Generales, sive etiam non Generales.

2 Cum hac Cæremoniali dispositione concordat præcedens Constitutio Pii II. quæ est quarta in Bullario, per quam datur locus Particularis Protonotariis distinctus a scamno Episcoporum. Hinc est, quod Cæremoniale paulò post jussu Innocentii VIII. compilatum, & Leonis X. impressum, inquit: *Protonotarios solere habere locum particularem, & cum illis Abbates.*

3 Huic quoque dispositioni consonant conformes actus proximi editioni cæremonialis ex Diario Paridis de Gr. anno 1505. quibus additur actus de anno 1520. quando Generalis Humiliatorum factus fuit sedere in scamno Abbatum. Ejusmodi actus adducere libet.

4 Ex libro Cæremoniarum Paridis de Grassis sub Julio II. qui asservatur in Bibliotheca Vaticana sub n. 3635. fol. 197. die Dominica prima Adventus anni 1505. sub anno tertio Julii II. *Item Abbas quidam annalis, sive triennalis Ordinis Vallis Umbrosæ sedere se posuit in banco Abbatum. Et quia erat temporalis, & non perpetuus, ideò de consilio, & mandato Episcopi ipsum amovi, posuique in quadratura sedentem in terra cum aliis fratribus religiosis.*

5 *Item quidem Religiosus, qui se dixit Generalem Ordinis Cœlestinorum, & se posuit ante Generales omnes Ordinum Mendicantium, fuit inde remotus, & de consilio Episcopi posui eum post omnes Generales quatuor Ordinum Mendicantium in eodem banco post Pœnitentiarios.*

In die Palmarum Abbates, qui aliàs solent esse post 6 *Protonotarios in banco eorum, hoc die, quia fuerant parati, manserunt ante Protonotarios, ideſt, in banco Episcoporum.*

In die Circumcisionis anno 1507. fol. 1647. Item hodie 7 *Generalis Ordinis Cruciferorum voluit esse in banco Generalium supra omnes, quod ego nolui, ut præcederet Mendicantes. Super quo ipse fecit fieri verba Cardinalibus, qui mecum dixerunt de hoc. Sed cùm eis dixissem non debere, hanc conclusionem fecimus, ut pro ista die cessaret, donec melius intelligeretur. Et ego vidi in libro mearum quotidianarum Cæremoniarum de anno 1505. in prima Dominica de Adventu qualiter alius Generalis, qui sic supra alios Mendicantes sedere voluit, rejectus exinde fuit, & sub omnibus locatus.*

In die Cinerum anno 1509. Generalis Canonicorum Re- 8 *gularium fuit post alios Generales ante Pœnitentiarios.*

Anno 1520. Generalis Humiliatorum, qui volebat sede- 9 *re in Capella supra omnes Generales hodie in die Purificationis sine ejus præjudicio sedit in banco Abbatum, n 5944. fol. 297.*

Hæc autem observatio Cæremonialis firmatur decre- 10 tis Sacræ Rituum Congregationis anno 1601. & 1634. tenoris sequentis. *Congregatio Sacrorum Rituum, audita iterum instantia facta pro dictis Protonotariis participantibus super exequutione decreti alias sub die 12. Februarii 1598. ad illorum favorem ab eadem Congregatione emanati super præcedentia D. Sacristæ in thurificatione, & receptione pacis, candelarum, cinerum, & in adoratione Crucis in Capella Sanctiss. D. N. Auditis etiam iis, quæ pro eodem D. Sacrista deducta fuerunt contra prædictum decretum mature aliàs factum, confirmandum, ac servandum esse mandavit, ut per Magistros cæremoniarum, & alios, ad quos spectat, exequutioni demandetur, & ad similes præcedentiarum differentias amputandas, ac Dominorum Protonotariorum præeminentiam conservandam etiam ordinavit, ut imposterum Præceptor Hospitalis Sancti Spiritus, Archimandrita Messanensis, & Abbates usum mithræ habentes, post ipsos Protonotarios, & Correctorem Cancellariæ in banco ipsorum Protonotariorum in eadem Capella Santissim. Dom. Nost. sedere deberent. 27. Julii 1601.*

Eminentissimo Cardinali Cæsarino pro Eminentissimo Bur- 11 *gheſio absente, referente controversiam circa præcedentiam in Capella Pontificia inter Generales Ordinum mendicantium ex una, & Generalem Congregationis S. Georgii in Alga partibus ex altera, Sacr. Rituum Congregatio pluries citato Generali S. Georgii, respondit ad Generales dictorum Ordinum mendicantium spectare præcedentiam in Capella Pontificia supra Generalem S. Georgii in Alga, & ab ipso non posse molestari in sua quasi possessione præcedendi. Die prima Aprilis 1634.*

His, ac plerisque aliis non refragatur usus contra- 12 rius Cæremoniali. Nam actus, qui per Cæremoniarium Magistros publicantur non solùm pro majore parte fuerunt contradicti, sed etiam non firmant usum præscriptum per quadraginta annos, ut exigitur contra legem Cæremonialis. Siquidem per dictum decretum Sac. Congregationis, habens vim sententiæ in hac materia, præscriptio quæcunque interrupta fuit, præsertim stante alia interruptione per decretum anni 1634. Quibus decretis definientibus prout juris quid agi debeat, standum est potius quàm notis Magistratuum Cæremoniarum dicentium tantum, quod de facto gestum est.

Addo, in actibus discontinuis, ut in hoc casu, necessariam esse immemorabilem, *lib.* 1. *§. fin.* ubi Glos. & Doctores, *ff. de acq. plu. arc.* cum similibus.

Ita quoque nihil urget, quod Abbates in Conciliis 13 Generalibus describantur ante Generales Ordinum, & præcipuè in Tridentino. Primò, quia in ultimo Lateranensi id servatum non fuit, cùm *in sess.* 12. Abbates descripti fuerint post Generales, ut advertit Contilor. *in q. de præced. n. 69.* Et propterea ex observantia diformi nulla consuetudo resultat.

Secundò, quia Abbates admissi fuerunt ad Conci- 14 lia ante Generales Mendicantium, cùm usque ad septimam Synodum soli Episcopi admitterentur. Sed ab eo tempore ex privilegio Apostolico vocati etiam fuerunt Abbates, habentes quasi Episcopalem jurisdictionem cum voto consultivo tantùm, deindeque etiam cum decisivo, ac postmodum ex pari indulgentia Papæ admissi quoque fuerunt Generales, ut per Innoc. *in cap. Generalia n.* 14. *dist.* 17. Jacobat. *de Concil. & Eccl. lib.* 1. *cap.* 15. Azor. *tom.* 2. *l.* 5. *c.* 11. *quæst. ultim.* Tambur. *de jur. Abbat.*

Abbat. tom. 1. *q.* 1. *n.* 3. & 5. & *q.* 2. *num.* 5. Ex eo autem, quod Abbates priùs admiſſi fuerint non eſt mirum, quod locum præocupaverint, attento præſertim, quod in Concilio Abbates ſedent cum mitra.

15 Tertiò, quia, ut in Synodis diœceſanis, & ita & in Conciliis generalibus præmittitur, ac ſcribitur decretum quod nullum jus acquiratur, nec amittatur in antelationibus, & præeminentiis, ut videre eſt in Conſtantienſi *ſeſſ.* 1. in Baſilienſi *ſeſſ.* 5. & in Tridentino *ſeſſ.* 2. *in fine*.

16 Quartò, quia ſeſſiones in Concilio non dant regulam ſeſſionibus in Capella, niſi in Concilio eſſet Papa, neque è converſo, ut ex Jacobat. *eodem loco l.* 1. *cap.* 1. *num.* 113. & *ſeq.* firmat Contilor. *dicta quæſt. de præced. num.* 59.

17 Minus etiam relevat ordo præcedentiæ ad favorem Abbatum in proceſſionibus. Quia juri non repugnat, ut in aliquo loco, & caſu, & non in alio dignitas major det præcedentiam, Felin. *in rubr. de major.* & *obed. n.* 18. Gregor. XV. *deciſ.* 310. ibique Add. & *in Segutina præcedentiæ* 22. *Junii* 1619. *coram Innocentio X.* Sic enim Conſtitutio Gregorii XIII. ſuper præcedentia inter Regulares loquens de proceſſionibus præſervat diverſum jus in Conciliis, aliiſque actibus, & Conſtitutio Pii V. quæ eſt 116. dat præcedentiam Abbatibus Lateranenſibus ſupra Caſſinenſes in proceſſionibus, & non in Conciliis.

18 Ob quam rationem in Congreg. S. Officii General. S. Dominici ſedet immediatè poſt Cardinales, & Epiſcopos ſupra Decanum Rotæ, & Protonotarium, ut obſervat Contilor. loco cit. n. 27. & 29.

19 Et quod in ſeſſionibus Capellæ non atrendatur jus commune, ſed conſuetudo, quæ eſt fundata in gratia Papæ conceſſa uni, & non alteri notat ſimiliter Contilor. ibid. num. 66.

20 Neque in hac re habenda eſt ratio habitus Prælatorum Regularium, quo aliqui Generales Monachorum utuntur. Quia licèt dignior habitus ſoleat indicare majorem dignitatem; tamen id non procedit contra Prælatos Mendicantium, qui nunquam mutant habitum, ut exemplum erat ante Conſtitutionem Pontificiam in Cardinalibus hujuſmodi ordinum, eſtque in Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici, qui etiam in habitu regulari retinet ſuum locum ſupra eos, qui deferunt Rochetum, ut ponderat idem Contilor. loco allegato num. 45. Hæc pro Mendicantibus.

21 At ego contra exiſtimo, atque unum Generalium Mendicantium patrocinium non modo falſum eſt, verùm etiam indecorum. Fundatur *c.* 1. *ſect.* 2. *lib.* 3. cœremonialis Romani, quo diſponitur deberi Protonotariis, & Abbatibus proprium locum ultimum in ordine, & ponderant verba *locum ultimum*, ac ſi ob id cenſendum ſit, digniorem locum Generalibus Mendicantium aſſignatum, quàm Protonotariis, quorum collegium antiquiſſimum a S. Clemente erectum, ante Pium II. Epiſcopis aliquando prælatum eſt. Quænam verò fides debeatur cœremoniali typis excuſo non eſt hujus loci, ut dicamus. Satis nunc eſt aſſerere idem cœremoniale Apoſtolica authoritate non roboratum, in ea tantum parte retinendum eſſe, in qua hucuſque ſervatum eſt. Equidem in hac materiæ, quæ controvertitur, parte nunquam uſu receptum fuiſſe evincitur exemplo unico allegato de anno 1505. quod, etſi dubium aliàs aſſertum, præceſſit tamen evulgationi cœremonialis; ideòq; conſtat per idem non probari præfatæ legis exequutionem, cùm cœremoniale typis traditum fuerit anno 1516. ut patet ex Diario Paridis.

22 Alia verò exempla de Generalibus Cruciferorum, & Gumiliatorum non faciunt ad rem. Quippè iidem Abbates non ſunt, nec locum habent in Capella. Quantum autem de Generali Canonicorum Regularium adulterinum probatur ex codice mendis expurgato, in quo Religioſus ille non Generalis, ſed Pœnitentiarius aſſertus legitur. Et ſanè probabilius eſt, eum potiùs Pœnitentiarium quàm Generalem fuiſſe, cùm ea tempeſtate ex diverſis Ordinibus Pœnitentiarii in Baſilica D. Petri aſſumerentur, ut patet ex Diariis Brucardi, & locus Pœnitentiariorum ſacris non indutorum tum temporis eſſet poſt Generales Ordinum Mendicantium.

23 Contra hoc unicum fundamentum, per ſe jam everſum, inſurgit lex Principis, parti non contradicenti intimata, exequutioni demandata, & per ſpatium octuaginta circiter annorum in viridi obſervantia retenta. Gregorius enim XIII. teſte Franciſco Mucantio, cœremoniarum magiſtro, judicavit, juſſitque Abbatibus Generalibus ſupra Generales Mendicantium in Capella Pontificia locum jure debitum tribuendum eſſe. Hujuſmodi autem Pontificis ſententia, quam legis vim haberi nulli hominum licitum eſt hæſitare, patri ſcilicet Generalibus Mendicantium, ac præſertim Generali Prædicatorum, non contradicenti, illicò per eumdem cœremoniarum Magiſtrum intimata fuit, nunquam per unicum contrarium actum ſpatio, ut diximus, octuaginta circiter annorum, vulnerata. Quare fatendum eſt, actus poſitivos ad favorem Abbatum ſequutos nequaquam eſſe, ut aſſerimus, contra leges cœremonialis. Quandoquidem habitos eſſe probetur ad mentem, & in exequutionem decreti Summi Pontificis, qui Princeps, & conditor eſt hujuſmodi legum, nec diſcontinuos fuiſſe eoſdem actus, ideòque ad poſſeſſionem non ſuffragari quadragenariam, cùm allegari nequeat unicus poſitivus actus in contrarium.

Nec refert decretum S. Rituum Congregationis ema- 24
natum anno 1601. ad Probandum non deberi locum Abbatibus in banco Epiſcoporum ſupra Generales Ordinum Mendicantium. Nam ex regeſto ejuſdem Sacr. Congregationis, quod quidem non extat, idem decrètum formari non poteſt, neque reſultat ex annotatis in Diariis motivum ejuſdem legis condendæ, quam nec unquam exequutam fuiſſe patet non ſolùm cùm Abbatibus, ſaltem Generalibus, ſed neque cum Archimandrita Meſſanenſi, quem & quos ante, & poſt aſſertum decretum ſemper ſediſſe conſtat poſt ultimum Epiſcopum in banco Epiſcoporum. Inſuper hoc decretum ſuſtineri nequit, eò quòd grave præjudicium inferat Judici confidentiarum, & Præſidenti Plumbi: Siquidem aſſignat locum Archimandritæ, & Abbatibus immediatè, poſt Correctorem Cancellariæ, poſtquam immediatè ſedent præfati Judex confidentiarum, & Præſidens Plumbi, quibus ſemper etiam poſt annum præfatum 1601. abſque contradictione Archimandrita, & Abbates ceſſerunt. Et hoc ſatis ſuperque eſſe ad tantæ rei deciſionem puto.

Verùm ne hoc ſine ratione pronunciaſſe, & laude- 25
mus modo Pontifex Gregorius ſine cauſa ſtatuiſſe videatur, rem ipſam penſitemus. Porrò antiquiorem Ordinem præferendum ei eſſe, qui tempore poſterior eſt, cæteris tamen paribus ac ita inter Ordines Monachorum antiquiorem Ordinem poſteriori anteferendum, idque ſimiliter inter Mendicantes ſervandum fore certum eſt. Quæ prioritas temporis, ut rectè dicitur, non utique ab erectione, ſed ab Apoſtolica approbatione ſumenda. Ideò benè per Rotam deciſum fuit Abbatem Cœleſtinorum Olivetano Abbati, & Monachos Montis Virginis Olivetanis Monachis præferendos, nec referre præcedentiam nequaquam conſiderari ratione prioratis allegatæ inter Monachos tantum, & Monachos, ſed etiam inter Monachos, & Canonicos Regulares ad probandum poſſe etiam conſiderari inter Monachos, & Mendicantes. Nam ſaltem in re controverſa Generalis Canonicorum Regularium eſt Abbas, uti ſunt Generales Monachorum, ac proinde inter præfatos non intercedit diſparitas ordinis, & dignitatis. E contra ratione prioritatis prædictæ nullibi partium catholicæ Religionis Patres Mendicantes, & ſi ſaltem approbatione antiquiores, præferuntur Monachis Cœleſtinis, licet poſterioribus.

In iis itaque Capellæ ſtylus fortaſſe immutandus vi- 26
deretur, in quibus univerſalis Eccleſiæ praxis ei foret adverſa, non autem in his, in quibus, & conformis apparet, & jura tuetur dignitatis Abbatialis, quæ non ſolùm propemodum accedit Epiſcopali, verùm etiam ejuſdem dignitatis æmula eſt, eo quod permulta cum illa communia habeat, puta indumentorum, & inſignium pontificalium uſum, minorum Ordinum collationem, ſacrorum vaſorum benedictionem, & hujuſmodi. Quibus planè fundamentis rejiciuntur allegata per Mendicantes ac per Barboſam tanquam catholicæ Eccleſiæ ſtylo, & Pontificiis Conſtitutionibus ſaltem in caſu noſtro ex diametro contraria.

Nec Generalibus Mendicantium videtur ſuffragari 27
Conſtitutio Clementis VIII. ad effectum excludendi Abbatem Cœleſtinorum a jure, & poſſeſſione præcedendi, eo quod inibis eis tribuatur præcedentia ſupra omnes, antiquis tantum Ordinibus Monachalibus exceptis, & Cœleſtinorum Ordo ſit ſaltem, ut præfertur, approbatione Apoſtolica Mendicantium Ordinibus poſterior. Nam reſpectu præfatæ Conſtitutionis antiquus recenſeri poteſt Ordo Cœleſtinorum, qui & præeminentiis, juribus, ac privilegiis omnibus, quæ magis antiquis Monachorum Ordinibus olim per Sedem Apoſtolicam collata fuerunt per Summos Pontifices ſibi attributis gaudet. Quæ quidem privilegia etiam extendi ad jus præcedendi Ordinibus Mendicantium ubique locorum patet uſu, & communi obſervantia. Et ſpeciatim ad præcedentiam Abbatis Generalis ſupra Generalem Prædicatorum

torum in Capella Pontificia ſimul extendi unica ſuarum legum interpres Apoſtolica Sedes abunde declaravit, dum toties ſaltem viſo a Summis pro tempore Pontificibus Abbate Cœleſtinorum in eadem Capella ſupra Generalem præſatum in hac parte per non contrarium juſſum Capellæ praxis approbata extiterit. Et noſtra memoria, ut exempla vetuſta omittamus, nunquam aliter factitatum vidimus.

28 Et quidem ſive attendatur antiquitas, ſive dignitas, ſive conſuetudo, quibus tota præeminentiæ materia veluti ſolidiſſimis fundamentis innitur, omnes militant certa victoria pro Generalibus Monachorum. Antiquitas enim, quæ hac in re, cæteris paribus, multum attenditur, *l.* 1. *C. de conſ. lib.* 12. Menoch. *conſ.* 257. *num.* 12. *& ſeq.* Gratian. *in diſcept. form. c.* 845. *num.* 8. Rot. *dec.* 718. *n.* 1. *p.* 4. *div. & dec.* 868. *n.* 1. coram Buratto, inde palam eſt, quod Ordo Monaſticus, cujus quædam veſtigia ante Salvatoris ortum refulſerant, ut plurimis congeſtis Chryſoſtomi, Hieronymi, ac Bernardi locis firmat Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 2. *qu.* 1. *per tot.* ac latè Colleg. Paduan. *poſt conſilia Zabarella num.* 26. *& ſeqq.* cum naſcente Eccleſia fuit inſtitutus, dum a Joanne Baptiſta primordia recipiens, ab Antonio reſtitutus, brevi tempore per Athanaſium, Baſilium propagatus, tandem per Benedictum Romam ipſam, immò, & univerſum Orbem monaſteriis paſſim replevit, monaſteria monachis, deſerta anachoretis, omnia Sanctis. Vide Colleg. Bonon. Paduan. & Ferrarien. *poſt Zabarell. loc. cit.* Marſill. *de Eccleſ. reddit. cap.* 7. *n.* 6. *& ſeqq.* Suar. *de Relig. tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 13. *&* 14. & omnium inſtar Baron. *ad ann.* 31. *n.* 6. *& ad ann.* 328. *n.* 3. ac ſæpè alibi.

29 Ex quibus perſpicuè patet Ordinis monaſtici antiquitas ſupra Mendicantium Ordines, quorum primævi Authores decimo tertio ſæculo effloruerunt, Marſil. *c.* 16. *num.* 17. *ſeq.* Contilor. *de præcedent. n.* 1. *in fin.* Itaque debetur præeminentia Generalibus Monachorum, Fraguer. *de Relig. ſect.* §. *Quemadmodum*, S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 7.

30 Ejuſmodi autem Ordinis monaſtici antiquior inſtitutio manifeſtè etiam evincitur ex honorifica ejuſdem mentione ante natos Ordines Mendicantium in corpore juris Civilis expreſſa, nempe *in l. Generali lege*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Quæ fuit Valentiniani, qui floruit anno Domini 329. *& in l. Si quis Presbyter*, *C. de Epiſc. & Cler.* edita a Theodoſio anno a Chriſto nato 429. & fuſiùs *in auth. collat.* 1. *tit.* 5. *de Monach.* ubi Juſtinianus, qui vixit anno ab orbe redempto 527. ſcribens Patriarchæ Conſtantinopolitano monachalem ſtatum extollit, & monachorum Præſules appellat *Reverendiſſimos* in §. *Hinc autem*, & in §. *Si verò* 2.

31 Idem quoque habetur in jure Canonico, ubi Pontifices meminerint ſtatus Monaſtici. Nuncupatim verò id legitur *in cap. Intereedimus* 16. *quæſt.* 1. *& in cap. Presbyteris* 27. *dict.* quorum auctor Calixtus anno 227. Item *in cap. Monachos* 16. *q.* 1. qui eſt Siricii ſub anno 390. *& in cap. De Monachis* 16. *qu.* 1. quem condidit Innocentius primus anno 411. paſſimque alibi. Sed in re clara non ludo ultra operam.

32 Antiquitati accedit dignitas Ordinis Monaſtici ſupra Ordines Mendicantium. Unde pariter certa reſultat præcedentiæ probatio, *l.* 1. *& l.* 2. *ff. de alb. ſcrib.* Nam vita Mendicantium ex peculiari inſtitutione cum habeat mendicitatem quæſtuariam, *c. Confirmatos*, & ibi Gloſs. *v. Publicum de relig. dom. in* 6. Suar. *de Relig. tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 3. *& ſeq.* eſt humilior Ordine Monaſtico. Quod eſt perſpicua mens Sacr. Congregationis Epiſcopor. & Regular. quippe ſub die 24. Januarii 1617. juſſit Silveſtrinos in Diœceſi Nucerina commorantes, aut a quæſtuatione in poſterum abſtineri, aut in proceſſionibus ultimum locum aſſumere. Et quia inde expoſuerunt eidem S. Congregationi ſe a quæſtuatione abſtinuiſſe, idcircò obtinuerunt præcedentiam ſupra Mendicantes 19. Maji ejuſdem anni, ut tradunt Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 185. *& in collect. Bullar. v. Monachus* §. 6. Tambur. *ubi ſupra diſp.* 25. *qu.* 8. *num.* 8. Lez. *v. Præcedentia n. item* 8.

33 Hæc autem dignitas confirmatur nedum ex titulo, quem Imperator Monachis attribuit, illos vocans *Reverendiſſimos in §. Ordinationem auth. collat.* 1. *tit.* 5. verùm etiam ex adjecto gradu Abbatis, qui dignitatem præſeſert, ac dicitur dignitas Felin. *cap.* 2. *de judic.* Colleg. Paduan. *loco allegato n.* 24. *&* 25. Rot. *dec.* 1547. *n.* 4. *& deciſ.* 1597. *n. item n.* 4. ubi de communi coram Pegna *vol.* 2. Ex quo ſequitur, quod etiam attento concurſu hujus qualitatis Generales Monachorum ſint digniores, ac præferri debeant, Menoch. *conſ.* 51. *n.* 31. & *conſ.* 126. *a num.* 9. *ad* 11. Franc. *deciſ* 366. Tomat. *de præced. n.* 180. Concurrente præterea ad hoc idem uſu inſignium Pontificalium, atque habitus, ex quibus majoritas dignitatis infertur, Gemin. *cap. Ut Apoſtolicæ de privil. n.* 2. Caſſan. *in Catal. Glor. Mund. part.* 12. *conſid.* 96. Gratian. *d. cap.* 845. *n.* 50. *& ſeqq.* Ac inſuper attentis ſimul privilegiis Abbatum, ex quibus pariter ſequitur, quod Generalibus Mendicantium veluti minus privilegiatis ſint præferendi. Gloſ. *in c. Accuſatus de hæret. in* 6. Rot. *dec.* 17. *n.* 18. *p.* 4. *tom.* 2. *recent.* Quare Monachos ſemper præceſſiſſe Mendicantibus etiam in ſeſſionibus tradunt Jacobat. *de Concil. lib.* 1. *ar.* 6. *n.* 1. *&* 4. Decian. *conſ.* 50. *n.* 36. Manriq. *de præced. p.* 1. *n.* 25. Tambur. *d. tom.* 1. *diſp.* 24. *q.* 6. *n.* 11. *& diſp.* 25. *q.* 4. *n.* 9. *& ſeqq.* ubi teſtatur pluries id ſervatum fuiſſe in Capellis Pontificiis, referens caſus ſpeciales.

Quibus additur, quod in cœremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 13. & Romano *lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 1. *& ſeſſ.* 5. *c.* 2. primò nominantur Abbates, & poſtea Generales Ordinum. Idem obſervatur in actis Concilii Florentini *p.* 1. *num.* 20. Ex hac enim priori nominatione major dignitas neceſſariò arguitur, *l.* 1. *ff. de alb. ſcrib.* Rot. *dec.* 322. *n.* 5. *p.* 6. *rec. & deciſ.* 654. *n.* 4. coram Pegn. *p.* 1. Immò colligitur poſſeſſio præcedendi, ut in puncto Rot. *in Lucana præcedentiæ* 24. *Janu.* 1628. coram Ghislerio. Et hoc idem obſervavit in terminis præciſis ſedendi in Capella Pontificia Mucantius ſub die 27. Novembris 1605. aſſignans reipſa rationem, ibi: *Tum quia dictus Generalis S. Baſilii eſt etiam Abbas, & Abbates præcedunt Generalibus Ordinum.* 34

Porrò quod Abbas Cœleſtinorum ſit etiam Generalis non poteſt neque debet in dubium vocari, cùm talis appellatur a Paulo V. *Conſtit.* 19. & in Diplomate apud Tambur. *d. tom.* 1 *diſp.* 20. *quæſt.* 2. *ſub num.* 8. Sufficit enim quod ſit caput ſuæ Religionis, ut dicatur Generalis ex Oldrado *conſ.* 204. de Abbate Cluniacenſi. Quodque etiam ſit Abbas Generalis benedictus patet ex Conſtitutione Cœleſtini V. Item quod habeat habitum, celebretque ſolemniter Pontificalia liquet ex literis Apoſtolicis Pauli V. apud Tambur. *loco proximè cit.* Qui habitus tribuit præcedentiam, ut contra Generalem Prædicatorum ob hanc rationem conſuluit Gratian. *d. cap.* 845. *n.* 50. & confirmavit Tambur. *diſp.* 24. *q.* 3. *n.* 2. Quia non eſt neceſſe ad effectum Generalatus, quod præſit quibuſcumque Monachis Benedictinis etiam aliarum Congregationum. Nam ſi verum id eſſet, utique nec jidem Adverſarii eſſent Generales, cùm Ordo Prædicatorum militet ſub regula S. Auguſtini, Auguſtinianorum verò plurimæ ſint Congregationes, quæ diverſos habent Generales. Idem prorsùs dicendum eſt de Franciſcanis, & Carmelitis, qui ſub eadem regula habent Generales diſtinctos. 35

Atque ex his corruit quod dicebatur, Ordinem Monaſticum eſſe quidem Mendicantibus antiquiorem, non tamen hoc jus competere Monachis Cœleſtinis, aliiſque Congregationibus, quæ aſſeruntur inſtitutæ poſt confirmatas regulas Mendicantium. Nam Cœleſtinus non fundavit Ordinem, ſed illum adauxit, dum teſtatur ſe adhuc juvenem, profeſſionem decreviſſe in ordine S. Benedicti ut ex ſua *Conſtit.* §. 1. Ex hac igitur dignitate Ordinis Monaſtici præcedentia debetur omnibus in illo Ordine conſtitutis ratione dignitatis Ordinis ejuſmodi, licet quis in inferiori Ordine fuerit prius collocatus, *arg. text. in lib.* 1. *Cod. de Conſul. lib.* 12. ubi vir Conſularis ornatus Patriarchatu, quæ eſt dignitas major Conſulatu, *l. nemini eod. tit.* præfertur illi, qui prius fuit Conſul. 36

Sanè, ſi hæc ratio ſubſiſteret, deberent profectò Mendicantes præcedere in omnibus actibus, & tamen experientia contrarium nos docet. Unde objectio facilè diluitur, quod nempe Congregationes Monaſticæ ſint antiquiſſimi Ordinis Sancti Benedicti, illiuſque regulam profiteantur, ſolumque fuerint inſtitutæ pro majori ejuſdem regulæ obſervantia. Quodque Summi Pontifices dictas Congregationes receperint atque approbaverint cum eiſdem prærogativis, dignitatibus, & præeminentiis Monachorum S. Benedicti, ac proinde eis antiqua præcedentia ſupra Mendicantes debetur, Seraph. *dec.* 1213. *n.* 1. & nos ſuprà diximus. 37

Hinc a ſimili. Licet enim quando in una civitate ſint plura monaſteria, quæ ſunt fundata diverſis temporibus ſemperque præcedentia debeatur antiquiori, Gratian. *cap.* 893. *num.* 29. Thomat. *ubi ſup. num.* 77. Tamen de jure conceditur præcedentia illi, quod eſt poſitum in ordine majori, licèt, negans illam, eſſet antiquius in loco, *c. Statuimus de major. & obed.* Rot. dec. 214. *n.* 1. *p.* 4. *tom.* 2. *rec.* 38

Ex antiquitate igitur Mendicantium inducitur præcedentia quoad alias Religiones Mendicantes, non autem quoad Monachales. Nam digniores Ordines præferuntur etiam antiquioribus, Textus eſt *in dict. cap. Statuimus* 39

mus de major. & obed. dixitque Ferall. *dec.* 260. *num.* 2. *& p.* 2. *rec. & dec.* 214. *n.* 1. *p.* 8. Ita quidem ut prius præcedere debeant Monachi omnes secundum eorum antiquitatem, posteà verò Mendicantes, ut firmant Præposit. *in d. c. Episcopos num.* 3. *& d.* 17. Boer. *de auctor. magn. Consil. n.* 86. *& seq.* ac resolvit S. Congregatio apud Novar. *in Lucern. Regul. v. Præcedentia*, & Tambur. *d. tom.* 1. *disp.* 25. *q.* 7. *n.* 3.

40 At omnis tollitur difficultas, si rectè ponderetur Constitutio Pii V. quæ est 71. *§.* 3. ubi conceditur præcedentia Generali Prædicatorum supra omnes alios Mendicantes, cui concinit Glos. *in c. Quorundam de elect. in* 6. Ergo postponi debet Monachis non mendicantibus. Nam unum concedens, cætera negasse censetur, Surd. *cons.* 467. *n.* 8. Et qualitas illa Mendicantium qualificat dispositionem, itaut, ea cessante, cesset etiam dispositio ex congestis per Surd. *cons.* 106. *n.* 36. *& seq.* In legibus enim validissimum est argumentum a contrario sensu, præsertim quando jus commune non corrigitur, *l.* 1. *§. hujus rei, ff. de offic. ejus, cui mand. est jurid.* Tiraquell. *in l. Si unquam v. libertis n.* 35. Rot. *dec.* 185. *n.* 4. *p.* 1. *rec.* Idque eò magis, qia ibi Pius V. sub unica oratione parificat omnes casus præcedendi in Capella, in Conciliis, in processionibus, ac in reliquis actibus. Unde quemadmodum in processionibus est certum quod Prædicatoribus competit præcedentia solùm supra Mendicantes, non autem supra Monachos, ita planè ob dictam Constitutionem judicandum est de Capella. In æquiparatis enim una pars declarat aliam, atque una, & eadem dispositio non debet diverso jure censeri, *l. Jam hoc jure, ff. de vulg. & pupil.* Paris. *cons.* 77. *num.* 11. *lib.* 1.

41 Idipsum etiam luculenter exprimitur ex contextu Bullæ Clementis VIII. in ordine 56. *Bullar. tom.* 3. ubi confirmatur decretum S. Congregationis Episcoporum, in quo maturè statutum fuerat, Monachos Congregationis Fulienſis Cistercienſis præcedere debere uti Monachos in omnibus functionibus fratribus Ordinum Mendicantium. Et tamen Congregatio Fulienſis est nupera, cùm fuerit erecta sub Sixto V. ut in ejus *Constitutione* 32. *tom.* 2. Bullarii. Unde liquet, rationem, & motivum præcedentiæ debitæ Ordini cuilibet Monastico emanare non tantùm ex vi propriæ regulæ, per quam contradistinguitur a cæteris Ordinibus Mendicantium, verùm ab ipsa natura, & intrinseca conditione status Monachalis, qui Ordini Mendicantium ex se præfertur, Felin. *in rubr. de major. & obed. num.* 6. *in fin.* Lez. *d. v. Præcedentia*, Conrad. *in Temp. Jud. lib.* 2. *cap.* 13. *de prior. Convent.* Et specialim quod Cœlestini præferantur Mendicantibus asseverat Cassan. *consid.* 61. Thomat. *de præced. n.* 77. Quæ plenè confirmatur ex natura dictionum, *Uti Monachi*, quæ denotant a S. Congregatione, & a Pontifice in eo decreto contemplatum fuisse statum monasticum per modum causæ principalis, ita quod verba sint expressiva conditionis, quæ Pontificem movit ad declarandum præcedentiam deberi Fulienſibus, Ripa *l. Qui Romæ, §. Duo fratres n.* 9. *ff. de verb. oblig.* ac fusè Grat. *c.* 694. *a n.* 39. *ad* 42.

42 Ex qua ratione ostendit fieri non posse aliquam vim in tempore inter Monachos, & Mendicantes, inter quos est maxima disparitas propter dignitatem Abbatialem, quæ ut insinuavimus, est Episcopali proxima atque æmula. Ob quam disparitatem antiquitas Mendicantium, etiamsi adesset, nihil suffragaretur quoad præcedentiam, cùm tempus tribuat jus præcedendi solummodò cæteris paribus, Natt. *cons.* 62. *n.* 4.

43 Atque ob id Thesaurarius Cameræ Apostolicæ, qui solùm a Sixto V. citra habet locum in Capella, præcedit ratione dignitatis ipsis Archiepiscopis, quorum in ea locus est antiquissimus. Item Abbreviatores, qui pariter in Capella sunt novitii, præcedunt plures alios antiquiores. Unde quod dignitas, non autem tempus in hac præcedentia attendi debeat, probat Grat. *d. c.* 745. *num.* 46.

44 Idem indicant præterea subsequentia verba ejusdem Constitutionis pro Fulienſibus, nimirum: *Primum*, & *digniorem locum in functionibus*, & *actibus publicis jure obtinere*. Dictio enim illa *jure* demonstrat talem præcedentiam sine ullo Pontificis auxilio vel decreto; vel sola legis potestate, authoritateque Monachis deberi supra Mendicantes juxta deducta per Veteran. *lexic. v. Jure ipso.*

45 Assistit tandem præcedentiæ, quæ debetur Abbatibus Generalibus inveterata consuetudo, quæ totum est in hac materia. Rot. post innumeros *dec.* 322. *n.* 10. *p.* 6. *rec. & dec.* 124. *num.* 2. coram Gregorio. Etiamsi juri communi repugnaret, Cyriac. *c.* 210. *n.* 171. Rot. *dec.* 229. apud Posth. *de manut. n.* 2. *& d.* 214. *n.* 4. & 14.

p. 4. *t.* 2. *rec.* Atque eam in materia præeminentiarum esse attendendam, docent Bald. *in cap. Cùm olim num.* 1. & 2. *de consuet.* Natt. *cons.* 62. *num.* 7. Seraph. *dec.* 964. *n.* 1. & 2. Caval. *dec.* 649. *n.* 1. *rec. & dec.* 238. *n. itidem* 1. *p.* 2. *& dec.* 118. *n.* 5. *p.* 4. *& in Valentina juris sedendi* 15. *Martii* 1638. coram Card. Panzirolo. Et in terminis quòd in Concistorio Papæ sit attendenda consuetudo, asserit Præpositus *in c. Episcopos n.* 5. *d.* 17.

Enim verò in processionibus præferri Monachos Mendicantibus constat ex stylo observato in processione ordinata per S. Gregorium, cujus meminit Colleg. Bonon. *dict. cons. num.* 45. & in alia indicta per Alexandrum IV. in qua prius Monachos, indeque Mendicantes nominat Pennot. *in hist. Can. regul. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 9. & confirmatur ex observantia continuata in omnibus Urbis processionibus. Id, quod etiam fatetur Rodriquez *t.* 3. *q.* 37. *art.* 1. 46

Hoc idem in Conciliis generalibus observatur, quod scilicet immediatè sedent Abbates post Episcopos, ante Generales Ordinum Mendicantium ex Jacobat. *ubi supra lib.* 1. *art.* 1. *n.* 4. Ut proinde in Concilio Florentino, Lateranensi ac pariter in Tridentino prius descripti sint Abbates, quàm Generales Ordinum. Ex quibus actibus, licet Conciliaribus, optimè infertur idem practicari debere in Capella Pontificia. Nam eædem servantur sessiones in Capella, & Concilio, præsente Pontifice, Jacobat. *l. ult. cap.* 15. *num.* 23. quem refert, & sequitur Contilor. *de præced. n.* 68. In jure autem sedendi in uno loco, vel alio non debet fieri ulla alteratio, sed debet solitum servari, ut sæpè censuit Rota, & nominatim *in rec. dec.* 338. *n.* 1. *p.* 2. *& in Carthagin.* coram Lancell. post Marches. *part.* 1. *& in Pampilonen. juris sedendi* apud Posth. *d. manut. dec.* 117. *n.* 1. *& seqq.* 47

Præterea exhibentur quamplurimi actus, comprobantes idipsum in Capella Pontificia fuisse observatum per plures annos, cùm tamen ad inducendum consuetudinem in hac materia decennium sufficiat, Rot. *dec.* 214. *n.* 2. *p.* 4. *rec. tom.* 2. Immò unicus actus, Rot. *dec.* 229. *n.* 5. apud Posth. *ubi supra*, Menoch. *cons.* 126. *n.* 6. Seraph. *dec.* 339. *n.* 4. Eadem Rot. *dec.* 383. *n.* 5. *p.* 5. *t.* 2. *rec.* Ita quod secundum hanc quasi possessionem veniat judicandum, & possidenti debeatur manutentio in materia præcedentiæ, Posth. *obs.* 10. *n.* 31. Rot. *dec.* 483. *n.* 2. *p.* 5. *rec. t.* 2. *& in Neritin. Præcedentiæ* 20. *Junii* 1650. *§ fin.* cor. Peutingero. Sicuti in simili controversia præcedentiæ inter ipsos Mendicantes Gregor. XIII. *Const.* 84. decrevit, quod etiam quoad petitorium attendatur quasi possessio præcedendi. Quæ sanè, cùm sit in hoc casu contraria, probat titulum meliorem, itaut liceat ex ea allegare privilegium Summi Pontificis, etiam ex causa contractus, Rot. *dec.* 245. *n.* 10. *& seqq. l.* 3. *p.* 3. *dec.* Id, quod confirmavit Burat. *dec.* 875. *num.* 7. *& dec.* 958. *n.* 8. *rec. & dec.* 312. *n.* 4. *p.* 1. *& dec.* 218. *n.* 51. *p.* 6. *& dec.* 29. *n.* 19. *n.* 2. *& seqq. p.* 7. passimque alii. 48

Et prædicta consuetudo eo fortiùs est attendenda, quod inoleverit in actibus gestis coram Summo Pontifice ex Lancell. apud Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *disp.* 25. *q.* 1. *n.* 198. præsentibus Adversariis, Rot. *decis.* 381. *n.* 1. coram Seraph. Qui si aliquando reclamarunt, succubuerunt. Unde sequitur, quod dici non possit interrupta consuetudo, ut optimè Rot. *dec.* 214. *n.* 13. *p.* 4. *rec. tom.* 2. 49

Nec dicatur allegatos actus inductivos consuetudinis non probare ad hunc effectum, quasi simplices attestationes factas per Magistros cœremoniarum pro tempore. Nam istæ probant contra quoscunque. Tum quia in pluribus attestantur de facto proprio, Rot. *dec.* 122. *n.* 7. *p.* 1. *rec.* Tum etiam quia concernunt spectantia ad officium proprium, Cyriac. *cap.* 418. *n.* 6. Add. ad Gregor. *decis.* 204. *lit. B. in fin.* Larræa *alleg. fisc.* 4. *vol.* 1. Rot. *dec.* 176. *n.* 6. cor. Pegna, *& in Neapolitana pecuniaria* 22. *Jun.* 1648. coram Meltio. Ipsi enim in cœremoniis censentur esse organum Papæ, & præsumuntur rectè defuncti officio suo, Grat. *d. c.* 548. *n.* 32. *& seqq.* Rot. *dec.* 730. *n.* 2. *p.* 2. *rec.* Quare cùm iidem testentur in suis libris ita reperiri annotatum, idque factum fuisse jussu Summi Pontificis, sine dubio lege cautum dicitur, cùm pro lege sit servandum quidquid jussu Principis supremi factum fuerit. Textus est clarus *in l. fin. C. de legib.* 50

Nec relevant adnotationes Paridis de Grassis, qui refert anno 1505. quendam Religiosum, qui se dixit Generalem Cœlestinorum fuisse positum post Generales Mendicantes. Quia præter superiùs jam dicta, non erat cognitus uti Generalis, ideòque remotus fuit; ut ostendunt ea verba, quibus utitur. Præterea cùm sit actus ultra centum annos, subsequens centenaria operatur, ut actus hujusmodi non habeatur in consideratione, 51

Molin. *de primog. lib. 2. c. 6. n. 6.* Beltram. *ad Gregor. dec. 298. n. 13.* Rot. *dec. 491. n. 10. p. 3. & dec. 56. n. 19. & 20. p. 7. rec.* Et in materia præcedentiæ a fortiori eſt habilis, ad tollendas etiam Conſtitutiones Principis, quando adſunt, Rot. *dec. 224. n. 6. & ſeqq. & dec. 322. n. 15. p. 6. rec.*

52 Nec obſtat decretum, a Sacr. Rituum Congregatione aliàs emanatum ad favorem Prædicatorum contra Generalem S. Georgii in Alga, quia emanavit in contumaciam, nullis juribus per dictum Generalem deductis. Item controverſia vigebat cum Generali, quem aliquando ſediſſe in Capella non oſtendebatur. Ac denique eſt res inter alios acta, ideòque non præjudicat tertiò, ab illis cauſam non habenti, *vul. l. inter alios, C. res inter alios actæ*, Rot. *dec. 97. num. 15. p. 7. rec.* Quod docuit obſervantia ſubſequuta, dum etiam poſt ejuſmodi decretum continuaverit Generalis Cœleſtinorum in Capella Pontificia præcedere Generalibus Mendicantium.

53 Nec planè privilegium aliquod pro Generali S. Georgii præcedendi in Capella Generalibus Monachorum deſumi poterit ex Conſtitutione Pii V. *qu. 92.* ubi Congregatio S. Georgii è ſæculari redigitur ad regularem, & ibi Pontifex ſubdit: *Ita quod Rector Generalis, & Canonici præfati in proceſſionibus, & actibus publicis præcedat, prout antea ſoliti erant.* Nam aut Adverſarii admittunt, quod a præcedentia proceſſionum, & aliorum actuum inferri poſſit ad præcedentiam Capellæ, & caſus remanet deciſus. Quia monachi in iſtis præcedunt Mendicantibus. Aut non admittunt talem illationem ab actibus extra Capellam ad ipſam Capellam, & dicta Conſtitutio nihil operatur quoad Capellam, niſi doceatur, quod dictus Prior S. Georgii, dum erat ſæcularis, haberet locum in Capella ſupra Abbates Generales per illa verba ejuſdem Conſtitutionis, *prout antea ſoliti erant.* Quod quidem hactenus non eſt probatum. Hinc regula illa, ſi vinco vincentem te, non habet locum, quando non militat eadem ratio vincendi, & quando vincens non intrat in locum victi, Surd. *conſ. 158. num. 18. & ſeqq.*

54 Minus obſtat, quod dicatur, Generalis Cœleſtinorum, ſi velit præcedere tanquam Abbas, debere ſedere in banco Prothonotariorum. Siquidem id fortaſſe locum haberet, ſi verſaremur in ſimplici Abbate, cui non competit locus inter Generales. Verùm quia ſumus in Abbate Generali ſui Ordinis, illi debetur locus in banco aſſignato Generalibus Ordinum, maximè attenta conſuetudine, & quaſi poſſeſſione ſedendi in banco Epiſcoporum immediatè poſt ultimum Epiſcopum. Quare cùm unica vice datus fuiſſet locus Generali Montis Oliveti in banco Prothonotariorum, exprimitur perdictionem *Quia*, quæ denotat cauſalitatem, Barb. *dict. 314. n. 1. & 2.* d factum fuiſſe, *quia in banco Epiſcoporum, in quo ſolent Generales Ordinum ſedere, non ſuperfuit locus vacuus*, Et addidit, quod, *ſi adfuiſſent alii Generales, debuiſſent ſedere in eodem banco poſt ipſum Olivetanum.*

55 Propterea non applicantur caſui noſtro quæ dicuntur de eo, qui repræſentat duplicem perſonam, ut de Epiſcopo habente etiam Canonicatum, qui tanquam Epiſcopus in ſua Eccleſia præcedit, tanquam verò Canonicus in Capitulo ſedet in loco ſuæ præbendæ Canonicalis. Nam id rectè procedit, quando dignitas non eſt ordinata ad illum actum qui geritur, ut in Canonico, qui non eſt in Capitulo tanquam Epiſcopus. Sed quando dignitas eſt ordinata ad eundem actum, ut in hoc caſu, in quo Generalatus inſeparabiliter inhæret dignitati, & ornamentis Abbatialibus, tunc ipſa dignitas attenditur ad effectum præeminentiæ, ut firmat Purpur. *in d. l. 1. n. 195. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.*

56 Minus etiam obſtat, quod Abbates Generales non ſint perpetui, ſed temporales, & ideò non debeant præcedere Generali Prædicatorum, qui eſt perpetuus. Nam præcedentia datur ratione Generalatus, quæ eſt dignitas perpetua quoad ſe, licet temporalis quoad obtinentem. Quod ſi in præcedentiis conſideretur perpetuitas, certè Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, immò & Sholarum Piarum, cùm ſint perpetui, deberent præcedere Generalibus Auguſtinianis, Franciſcanis, & Carmelitanis, qui ſunt temporanei. Quippè Gubernator Urbis, quamvis ſit temporaneus, tamen uti Procamerarius in Capella, in Camera Apoſtolica, & in omnibus locis præcedit omnibus Prælatis, præſertim Auditori Cameræ, Theſaurario, Cameræ, Clericis, Auditoribus Rotæ, cæteriſque ſimilibus, quorum dignitas eſt perpetua.

57 Atque ita ſacra Rituum Congregatio cenſuit in controverſia per Mendicantes excitata contra Monachos Cœleſtinos, dum *in una Monopolitana 23. Martii 1619.* determinavit, de jure communi Monachis competere ſemper, & ubique præcedentiam ſupra Mendicantes. Sic enim decrevit. Die 23. Martii 1619. Non ſuffragari fratribus Mendicantibus ſupradictis, quod in præſtando conſenſu, ut ſupra aſſeritur, jus præcedendi Monachis Cœleſtinis ſibi reſervaverint, ſed attendendum jus commune, quod Monachis ſemper, & ubique ſupra Mendicantes tribuit præcedentiam, Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Bellarmino referente, cenſuit ſacrorum Rituum Congregatio.

Et in terminis præciſis ſedendi in Capella poſt ultimum Epiſcopum adeſt pariter alia declaratio ejuſdem S. Congregationis, dans manutentionem Generali S. Baſilii, quæ fuit notificata Procuratoribus Ordinum Mendicantium, iiſdem acquieſcentibus, quam refert Mucantius *tom. 3. Diar. his verbis*: Die 24. Decembris 1605. Abbas ille Generalis S. Baſilii, de quo ſupra mentionem habui in Dominica prima Adventus, venit hodie ad Capellam, & ſedit poſt ultimum Prælatum paratum, licet ad Capellas præteritas poſt Dominicam primam Adventus hucuſque non veniſſet, quia alii Generales Ordinum ſe ei oppoſuerint, negantes dari ei præcedentiam ſuper ipſos. Et cùm negotium hoc propoſitum fuiſſet in Congregatione ſacrorum Rituum die Sabbati 17. hujus menſis Decembris fuit ab eadem S. Congregatione permiſſum Reverendiſſimo D. Cardinali Columnæ, ut jura, & rationes ambarum partium audiret, & interim manuteneret in ſua poſſeſſione d. D. Abbatem Generalem S. Baſilii, prout fecit, & mihi expreſsè ordinavit, ut d. D. Abbati Generali Theodolo de Savocchia nuncupato locum ſibi aliàs aſſignatum de mandato ſel. rec. Clementis VIII. in Capella darem, prout feci, eique locum in banco Epiſcoporum poſt ultimum Epiſcopum paratum aſſignavi, ubi ad totas veſperas ſedit. Non interfuerunt alii Generales Ordinum, qui ſi interfuiſſent, debuiſſent d. Abbati Generali cedere. 58

Die 26. Decembris 1605. Abbas Generalis S. Baſilii ſedit poſt ultimum Epiſcopum, qui fuit R. P. D. Hieronymus Incontrius, Epiſcopus Burgi S. Sepulchri, licet Procuratores Ordinum, qui ibi aderant, contradicerent, ſed eis ſignificavi ordinem, & mandatum Congregationis ſacrorum Rituum, de quo ſupra mentionem feci in vigilia Nativitatis, & acquieverunt. 59

Extat denique ſententia Summi Pontificis per ſuum Cardinalem nepotem his verbis expreſſa a Ludovico Stancha in ſuis Diar. ſub die 13. Novembris 1561. Cùm orta eſſet controverſia de præcedentia inter generales Ordinum, & particulariter Generalem S. Dominici, & S. Auguſtini, qui tunc præſentes erant tantum in Concilio, & Abbates Ordinis montis Caſini, & Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis. Nam Generales Ordinum præcedere volebant Abbatibus præfatis, aſſerentes non eſſe Abbates inſulatos, tandem ob vigorem literarum ad Illuſtriſſimos Legatos miſſarum ab Illuſtriſſimo Cardinali Borromæo nomine Pontificis acquieverunt, & immediatè poſt Abbates montis Caſini in miſſa ſederunt, ut aliàs fecerunt in Concilio ſub Paulo, & Julio III. Canonicis verò Regularibus, qui ſe etiam Abbates aſſerebant minimè cedere voluerunt, aſſerentes dictos canonicos in præteritis Conciliis non interfuiſſe, & nunquam locum habuiſſe in Concilio, & quod ipſi vigore dictarum literarum, quarum tenorem inferiùs ſcribam, dictis canonicis cedere non tenentur, donec aliter non ſit decretum a Sanctiſſimo D. N. eodem manè præfati canonici non interfuerunt. 60

Poſt diem verò 4. Decembris in catalogo Patrum, qui in Concilio interfuerunt nominatim adſcripti reperiuntur Abbates duo ſæculares, regulares verò tres pro Congregatione montis Caſini, duo pro Congregatione Lateranenſi, & duo pro Congregatione Ciſtercienſi, & poſt illos Generales Ordinum Prædicatorum, Sancti Franciſci de Obſervantia, S. Franciſci Conventualium, S. Auguſtini, Servorum, Servitarum, & Capuccinorum. 61

Hec quippè diſpoſitio attendenda eſt uti Pontificia, cùm literæ nepotis ratione ſuperintendentiæ generalis cenſeantur ſcriptæ ex mandato Pontificis etiam vivæ vocis oraculo ſpecialiter facto ſuper ſingulis, Gait. *de credit. cap. 3. tit. 3. num. 15.* Cæſar. de Graſs. *dec. 1. n. 10. de præb.* 62

Idem ex mandato expreſſo Gregorii XIII. deciſum eſt, cùm juſſerit generalem montis Oliveti ſedere in Capella Pontificia ſupra generales S. Dominici, & Carmelitarum, ut ex Diario Franciſci Mucantii conſtare diximus per hæc verba: Sub die 25. Maji 1580. Accidit hoc mane, quod Abbas generalis S. Benedicti montis Oliveti venit in Capellam, & ſedit ſupra generalem Prædicatorum. Quod ego videns monui illum ut cederet locum dicto generali Prædicatorum, cùm ex noſtris regulis 63

cœre-

cæremonialibus generales quatuor Ordinum Mendicantium habeant locum ſupra alios generales, ut in cæremoniali cap. De ordine ſedendi, quare ille, quamvis invitus ceſſit, & ſedit poſt generalem Carmelitarum. Quod Papa videns reprehendit me, quod ita feciſſem, ſtante ſua inconſulta, cùm ille eſſet non ſolùm generalis, ſed Abbas benedictus, vel ſaltem ex privilegio habens uſum mitræ, & baculi, ac ſi eſſet benedictus, & Abbates hujuſmodi habent locum ſupra generales. Ego reſpondi Suæ Sanctitati primò, quod neſciebam, illum eſſe Abbatem de mitra, nec ipſe de hoc adverterat, propterea putabam, quod locus, qui conceditur, Abbatibus in Capella intelligeretur de Abbatibus perpetuis tantùm, ut admonet Pariſ. in ſuo tract. de cæremon. Papal. tit. de ordine ſedendi: ſed iſte non eſt perpetuus, ſed ad triennium tantùm, & ea privilegio, prout nec Prothonotariis, qui fuerint ex privilegio damus locum in Capella, nec ſupra, nec infra alios participantes. Nihilominus quia Sanctitas ſua judicavit, me erraſſe, poſt miſſam retuli eidem Abbati mentem Sanctitatis Suæ fuiſſe, ut ipſe haberet locum ſupra dictos generales, & quod in futurum poterit in tali loco ſedere præſentibus, & audientibus aliis generalibus, videlicet Prædicatorum, S. Auguſtini, & Carmelitarum.

64 Quod etiam comprobarunt Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. ut perſpicuè demonſtratur ex Diariis Joannis Pauli Mucantii, quorum particulas hìc damus. Die 20. Junii 1597. Abbas generalis S. Baſilii de mandato Sanctiſſimi ſedit ſupra omnes generales. Die 26. Martii 1600. Abbas Generalis S. Baſilii ſupra Generalem Carmelitarum. Et die prima Aprilis 1600. ſupra Generalem S. Dominici.

65 Dominica 1. Adventus hæc habet. Apud ultimum Epiſcopum ſedit Reverendiſſimus Theodorus Sanga, Abbas Generalis S. Baſilii, quod non placuit Generali Ordinis Minorum Conventualium, & Procuratoribus Ordinis Prædicatorum, & Eremit. S. Auguſtini, qui dicto Abbati Generali præcedere intendebant, & inter eos fuit quæſtio de hoc, dum ego eſſem in aula paramentorum cum Pontifice, qui ad Capellam veniebat, ſtatim ad eos acceſſi, & prædicto Generali Ordinis Minorum, & Procuratoribus aliorum Ordinum dixi, cedendum eſſe locum dicto Abbati Generali S. Baſilii, quia ſic declaratum, deciſum, & determinatum fuerat a fel. rec. Clemente Papa VIII. & ego adnotavi in meis Diariis ſub die 28. Junii 1597. Non acquievit verbis meis dictus Generalis Conventualium, & cum locum ſupra dictum Abbatem Generalem habere non potuiſſet, diſceſſit, ne ſibi credendo præjudicium pareret, quem ſequuti ſunt Procuratores præfati Ordinis Prædicatorum, & S. Auguſtini, licet ipſi Procuratores debuiſſent ſine ulla controverſia cedere locum dicto Abbati Generali S. Baſilii. Tum quia monachi præcedunt fratribus, & monachi S. Baſilii ſunt antiquiſſimi omnium monachorum. Tum quia dictus Generalis S. Baſilii eſt etiam Abbas, & Abbates præcedunt Generalibus Ordinum. Et maximè quia ita aliàs ideſt tempore Gregorii XIII. & Clementis VIII. deciſum, & declaratum fuit, & ipſe Abbas Generalis eſt in poſſeſſione præcedendi omnibus Generalibus Ordinum. Audivit hoc Pontifex dum ſolium aſcenderet a D. Paulo Alaleona collega, qui bonum jus dicti Abbatis Generalis defendit una cum Reverendiſſimo D. Cardinali Sforzia, Diacono Aſſiſtente a dextris Suæ Sanctitatis, & Pontifex annuit, & ſic dict. Abbas Generalis in dicto loco ſemper uſque ad finem miſſæ ſedit immediatè poſt ultimum Epiſcopum.

66 Diſertè etiam id habetur ex Diariis Franciſci Mucantii tom. 1. ſcilicet.

Sub die 29. Maji 1580. Abbas generalis Montis Oliveti, de quo in præcedenti volumine mentionem feci ſub die 25. præſentis menſis venit ad Capellam heri, & hodie, & ſedit poſt generalem S. Baſilii Abbatem perpetuum Fr. Antonium Rufum vocatum. Nulli alii generales adfuerunt, qui ſi veniſſent debuiſſent de ordine Sanctiſſimi ſedere ſub dd. Abbatibus per ea, quæ ſcripſi ſub dicta die 25. præſentis menſis.

Sub die 5. Januarii 1588. in banco Epiſcoporum primò Gubernator Urbis, deinde Orator Regis Galliæ, qui eſt Archiepiſcopus Tholoſæ, & poſteà Auditor Cameræ, & ſequuntur poſt ipſum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Generales Ordinum.

Item ſub d. die afuerunt ſedentes in banco Epiſcoporum Gubernator urbis Vicecamerarius, deinde Archiepiſcopus Tholoſæ Orator Galliæ, & poſteà Auditor Cameræ, & poſt ipſum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & generales Ordinum.

Sub die 2. Februarii 1601. Abbas generalis Sancti Baſilii de mandato Sanctiſſimi ſedit ſupra omnes generales.

Sub die 26. Martii 1600. Abbas generalis S. Baſilii ſupra generalem Carmelitarum.

Sub die 1. Aprilis 1600. Abbas generalis S. Baſilii ſupra generalem S. Dominici.

Sub die 26. Martii 1600. adfuit Abbas generalis S. Baſilii, qui ſedit poſt ultimum Epiſcopum.

Fuſius ac minutatim quoque idem notavit in ſuis Diariis Paulus Alaleona.

Sub die 25. Decemb. 1601. Abbas generalis S. Baſilii poſt Pœnitentiarios paratos nullus alius generalis Ordinum religioſorum adfuit, nec ullus Procurator Ordinum, quia eſt differentia inter ipſos de præcedentia, cùm dicant Abbatem præfatum S. Baſilii non eſſe generalem, ſed potius provincialem, & in Congregatione Sac. Rit. & cæremoniarum fuit commiſſa cauſa Illuſtriſſimo D. Cardinali Columnæ, ut examinet, & Congregationi referat, & interim manuteneatur d. Abbas S. Baſilii in poſſeſſione ſupra alios generales Ordinum Mendicantium, prout alias habuit, &c.

Sub die 26. ejuſdem Abbas generalis S. Baſilii ſedit ſub ultimo Epiſcopo.

Sub die 27. ejuſdem Abbas S. Baſilii ante generales Ordinum.

Sub die 31. ejuſdem Abbas generalis S. Baſilii, qui ſedit ſub ultimo Epiſcopo.

Sub die 12. Februarii 1606. adfuit generalis S. Baſilii, qui ſedit poſt ultimum Epiſcopum.

Idem Abbas ferè ad cæteras Capellas ejuſdem anni ibid.

Sub die 17. Aprilis 1607. generalis Ordinis Camalduli.

Sub die 2. Novembris 1608. generalis Ordinis S. Baſilii.

Idem ſub die 31. Octobris ejuſdem anni.

Sub die 1. Novembris 1612. Generalis Ordinis S. Baſilii ſupra generalem S. Auguſtini.

Sub die 16. Decembris ejuſdem anni generalis S. Baſilii ſupra generales S. Dominici, & S. Auguſtini.

Sub die 3. Maji 1613. Abbas generalis S. Baſilii ſedit ſupra generalem ordinum S. Auguſtini, & Servorum.

Sub die 20. Maji 1617. adfuit in Capella Reverendiſſimus D. P. Generalis Ordinis Monachorum montis Oliveti, qui ſedit in ſcamno Epiſcoporum ſub ultimo Epiſcopo, & ſupra generalem Ordinis S. Franciſci Conventualium, ideſt ſupra generales mendicantium.

Sub die 21. ejuſdem generalis Ordinis Monachorum montis Oliveti ſupra generales Ordinum Mendicantium.

Sub die 28. Februarii 1618. Abbas generalis montis Oliveti, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 11. Martii Abbas Generalis montis Oliveti, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 26. Abbas generalis montis Oliveti, & generalis Ordinis S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Anno 1618. D. Horatius Morandus Congregationis Vallis Umbroſæ Reſidens generalis, & D. Celſus Americus, Abbas generalis Cœleſtinorum habuerunt locum immediatè poſt Epiſcopos ante generales Ordinum Mendicantium.

Sub die 17. Februarii 1619. Abbas generalis Cœleſtinorum, & duo generales Ordinum Mendicantium S. Auguſtini, & Servorum.

Sub die 10. Martii ejuſdem anni Abbas generalis Ordinis Cœleſtinorum, & generales Ordinum S. Franciſci de Obſervantia, S. Auguſtini, & Servorum.

Sub die 4. ejuſdem anni Abbas generalis Monachorum montis Oliveti, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 17. ejuſdem Abbas generalis S. Baſilii, & generales Ordinum S. Franciſci de Obſervantia, S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 24. Martii ejuſdem anni duo Abbates generales Ordinum S. Baſilii, & Cœleſtinorum in benedictione, & diſtributione palmarum cum pluvialibus, & mitris, & oſculati ſunt pedem Papæ. In Miſſa in habitu ordinario Generales Ordinum S. Franciſci de obſervantia, S. Auguſtini, & Servorum.

Sub die 1. Aprilis Abbas generalis Vallis Umbroſæ, generalis Ordinum Mendicantium, S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 6. ejuſdem duo Abbates Generales Vallis Umbroſæ, & Cœleſtinorum, generales Ordinum Mendicantium S. Franciſci de Obſervantia, S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 10. Aprilis Abbas generalis Vallis Umbroſæ, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 15. Decembris Abbas generalis Vallis Umbroſæ,

broſæ, genetales S. Franciſci de Obſervantia, & S. Auguſtini.

Sub die 22. Ejuſdem abbas generalis Vallis Umbroſæ, & generales S. Franciſci de Obſervantia, & S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Sub die 26. ejuſdem abbas generalis Vallis Umbroſæ, & generalis S. Auguſtini.

Sub die 12. Aprilis 1620. Abbas Generalis montis Oliveti, & Generalis Ordinum S. Dominici, & S. Auguſtini.

Sub die 18. ejuſdem Generalis Abbas montis Oliveti, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 27. Maji Abbas Generalis Ordinis Camaldulenſium, Abbas generalis montis Oliveti, & generalis Ordinum Mendicantium S. Franciſci Conventualium, S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Sub die 29. ejuſdem Abbas generalis Ordinis Camaldulenſium, & generales Ordinum Mendicantium, S. Dominici, S. Franciſci Conventualium, & S. Auguſtini.

Sub die 15. Auguſti Abbas generalis Ordinis Cœleſtinorum, & generalis Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 4. Aprilis 1621. Generales Ordinis montis Oliveti, Ordinis S. Dominici, Ordinis S. Franciſci Conventualium, & Ordinis S. Auguſtini.

Sub die 17. Præceptor S. Spiritus cum Cappa in ſcamno dictorum Prothonotariorum ultimus. Generales Abbates Ordinum Vallis Umbroſæ, & montis Oliveti, generales Ordinum Mendicantium S. Dominici, S. Franciſci Conventualium, & S. Auguſtini.

Sub die 8. Aprilis 1624. Generalis Ordinis S. Georgii in Alga Canonicorum Regularium, & generalis Ordinis S. Franciſci de Obſervantia.

Sub die 2. Februarii 1625. Generales Ordinum montis Oliveti, S. Dominici, & S. Franciſci.

Sub die 2. Aprilis 1634. Abbas generalis montis Oliveti, generalis S. Dominici diceſſit è Capella.

Sub die 3. Decembris ejuſdem adfuit Abbas generalis Ordinis S. Baſilii ſupra generales Ordinum Mendicantium,

Sub diebus 17. 24. 25. 26. & 31. ejuſdem Abbas S. Baſilii ſedit poſt ultimum Epiſcopum, & ſimiliter ſub diebus prima, quinta, & ſexta Januarii, & 2. Februarii anni 1635.

Item plenius, & diligenter id confirmat Gaſpar Servantius ex his, quæ ſequuntur.

Sub die 11. Martii 1640. Abbas generalis Vallis Umbroſæ, & Magiſtri generales Minorum Conventualium, & Carmelitarum.

Sub die 18. ejuſdem Abbas generalis Congregationis Vallis Umbroſæ, & Magiſtri generales Minorum Conventualium, & Carmelitarum.

Sub die 1. Aprilis Abbas generalis Congregationis montis Oliveti, & magiſtri generales Minorum Conventualium, & Carmelitarum.

Sub die 14. ejuſdem Abbas generalis Congregationis Olivetanæ, & magiſter generalis Ordinis Conventualium.

Sub die 10. Martii 1641. Abbas generalis Congregationis Olivetanæ.

Sub die 17. ejuſdem Abbas generalis Congregationis Olivetanæ.

Sub die 10. Martii 1641. ſummo mane Abbas generalis Olivetanorum venit ad Capellam, & petiit a nobis, quiſnam ſibi locus deberetur? Nos verò reſpondimus poſt Epiſcopos ante generales Mendicantium, & ſic ſedit ipſe immediatè poſt Epiſcopos, quò viſo generales S. Dominici Prædicatorum, & Carmelitarum diſceſſerunt, recuſantes ei cedere, & non jure; ſæpè enim ſedit idem ſupra alios generales, & Clemens illi locum præſcriptum attribuit tanquam Generali, & Abbati, ut patet Ex Diariis Jo: Pauli Mucantii.

Sub die 22. Martii acceſſit ad Capellam Abbas S. Baſilii, quare generales Conventualium, & S. Auguſtini, ne illi cederent, diſceſſerunt.

Sub die 20. Martii 1643. Abbas generalis Cœleſtinorum ſupra generales Ordinum S. Auguſtini, & Carmelitarum.

Sub die 23. ejuſdem Abbas generalis Cœleſtinorum qui ſedit poſt Epiſcopos.

Sub die 3. Aprilis ad Miſſam, & diſtributionem adfuerunt Abbas Cœleſtinorum, & poſt ipſum generales Ordinum S. Auguſtini, Generales fratrum Servorum, & Vicarius generalis montis Carmeli.

Sub die 4. Decembris interfuit ſupra generales Conventualium, & S. Auguſtini Abbas Cœleſtinorum.

Sub die 5. Januarii 1645. Abbas generalis Cœleſtinorum, & generalis Servorum.

Sub die 2. Februarii duo Abbates S. Baſilii, & Vallis Umbroſæ, & quatuor generales Prædicatorum, SS. Apoſtolorum, ſeu Conventualium, Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 1. Martii Abbas S. Baſilii ſupra generales Ordinum.

Sub die 26. ejuſdem poſt Epiſcopos ſedit quidam Generalis Abbas Cœleſtinorum, & poſt illum generalis Prædicatorum, generalis S. Franciſci de Obſervantia, & generalis Carmelitarum.

Sub die 22. Aprilis generalis Cœleſtinus, & generales Ordinum.

Sub die 8. Martii 1648. poſt Epiſcopos non aſſiſtentes ſedit Abbas generalis ordinis Cœleſtinorum indutus mantelletto, & mozzetta, & bireto nigris, poſt verò illum ſedit Vicarius generalis ordinis Prædicatorum.

Sub die 18. Aprilis poſt Epiſcopos non aſſiſtentes ſederunt abbates generales Ordinum Canonicorum Regularium, & Cœleſtinorum induti mantellettis, & mozzettis; poſt eos autem ſedit Vicarius generalis ordinis Prædicatorum.

Sub die 13. ejuſdem poſt Epiſcopos autem ſedit Abbas generalis Canonicorum Lateranenſium indutus mantelletto, & mozzetta, & poſt illum Vicarius generalis Ordinis Prædicatorum.

Sub die 19. Ejuſdem interfuit abbas generalis Canonicorum Regularium ſupra Vicarium generalem Ordinis Prædicatorum.

Sub die 10. Junii poſt Epiſcopos autem ſedit Abbas generalis Cœleſtinorum S. Euſebii de urbe, generalis magiſter Ordinis Prædicatorum Pater Turcus, generalis ordinis Jeſuitarum, & Vicarius generalis Ordinis Heremitarum S. Auguſtini.

Sub die 21. Martii 1649. Poſt Epiſcopos non aſſiſtentes ſedit hoc mane in Capella cum mantelletto, & mozzetta Abbas generalis Congregationis Canonicorum Regularium, & poſt illum Vicarius generalis. S. Auguſtini.

Sub die 11. Decembris 1650. Generales S. Franciſci Conventualium, & Heremitarum S. Auguſtini contenderunt præcedentiam Abbati generali Congregationis Cœleſtinorum, & ne eidem cederent, diſceſſerunt, licet illi pluries ceſſerint, ne magiſtro cœremoniarum præſente, & adhuc ſuperſtite.

Sub die 6. Aprilis 1648. Abbas generalis S. Euſebii ſedit ſupra Vicarium generalem Ordinis Prædicatorum.

Sub die 6. Januarii 1650. Abbas generalis Fratrum Conventualium, & Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 2. Februarii generales Ordinum S. Auguſtini, & Carmelitarum ſubtus Abbatem generalem S. Euſebii.

Sub die 28. Martii poſt Epiſcopos Abbas generalis Canonicorum Regularium, & poſt illum ſedit Vicarius generalis S. Auguſtini.

Sub die 10. Aprilis ſub Abbate generali S. Euſebii ſederunt generales Ordinum S. Auguſtini Carmelitarum, & Servorum.

Sub die 4. Decembris ſederunt ſub Abbate Generalis S. Euſebii, Generales Ordinum Prædicatorum, Conventualium S. Franciſci, & Carmelitarum uſque ad ſermonem incluſivè.

Denique hoc idem breviter expreſſit Joannes Paulus 68
hiſce verbis. Die 10. menſis Maji 1598. Ferrariæ die Pentecoſtes poſt ipſos Prothonotarios ſedit Reverendiſs. D. Placidus Fabius Bononienſ. Abbas generalis Congregationis montis Oliveti, quia in banco Epiſcoporum in quo ſolent generales Ordinum ſedere non ſuperfuit locus vacuus; nulli alii Generales Ordinum interfuere præter ipſum Olivetanum, qui, ſi adfuiſſent, debuiſſent ſedere in eodem banco poſt ipſum Olivetanum ex decreto ſel. rec. Gregorii Papæ XIII. ut notavit Franciſcus Mucantius in ſuis Diariis anno Domini 1580. *tom. 1. in fin. & tom. 2. in princip.*

Atque ita declaravit Sac. Congregatio Rituum anno 69
jubilæi ſub Innocentio X. Ac proinde, cùm ſuper hac controverſia habeamus Pontificias deciſiones, non eſt ulterius diſcutienda, Dec. *conſ.* 341. *n.* 8. Rot. *deciſ.* 426. *num.* 17. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *& dec.* 426. *num.* 5. coram Pegna *part.* 1.

CON-

CONSULTATIO CVI.

An donatio quorundam bonorum titulo eleemoſynæ factæ Religioni, in quam quis poſt quindecim, vel viginti dies ingreditur, & deinde poſt alios quindecim ex illa diſcedit, ſit judicanda perpetua, ita ut non poſſit per ipſum amplius revocari?

1 AFfirmativè cenſeo reſpondendum. Quia etiam in donatione facta monaſterio ab ingredi volente, tanquam facta inter vivos, non revocatur, quando poſteà donans ex eo egreditur, ſed adhuc remanet penes monaſterium. Ita Gloſs. *ult. in cap. Quod a te, de Cler. conjug.* ubi Anan. *n.* 6. Hoſt. *in cap. In præſentia n.* 14. *de probat.* Quod, & quando donatio non eſt immenſa nimirum omnium bonorum tenuit Abb. *in d. c. Quod a te n.* 6. ubi ait, quod ſi expreſsè quis donavit omnia bona ſua in ingreſſu Religionis, a qua receſſit, tunc donatio revocatur, quia non eſt veriſimile, quod ſe de omnibus bonis ſpoliaſſet non tranſeundo, ideòque revocat recedendo. Quod ſi donavit aliqua bona, tunc videtur donaſſe non cauſa ingreſſus. Idem in *cap. cauſam* 14. *de probat. num.* 4. Cardinal. *cap. Statuimus q.* 4. *de regular.* Armil. Angel. Silveſt. Roſel. & alii apud Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 4. & *ſeq.*

2 Non obſtat, quod multi contrarium teneant, quos allegat idem Sanch. *num.* 5. Nam loquuntur contra communem, vel quando donatio eſt immodica, nempè omnium vel majoris partis bonorum, ut docent proximè citati Doctores, vel denique quando donatio ſit in ipſo actu ingreſſus, non quando paucis ante diebus, quemadmodum explicant idem Silveſt. *v. Religio* 2. *quæſt.* 12. *n.* 13. Roderic. *q. regul.* 80. *art.* 2. *tom.* 2. & Sanchez *d. cap.* 1. *num.* 11. & 12.

3 Et profectò dubitandum non videtur. Siquidem non donat cauſa ingreſſus, aut illius contemplatione; neque ſumus in dubio ad quem effectum donet. Quippe clariſſimè dicit, ſe hoc facere titulo puræ eleemoſynæ. Quod ponderandum eſt in hac materia Quia ſi deficeret cauſa ingreſſus, & profeſſionis, tamen adhuc ſubſiſteret cauſa eleemoſynæ, propter quam donatio ſuſtineri poteſt. Sicuti quando donatio facta eſt ab ingredi volente ob aliam cauſam, ſcilicet benevolentiam, fuit deciſum in Rota Marchiæ apud Gratian. *dec.* 2. *n.* 3. & 4.

4 Præterea cum donatio hujuſmodi ſtatim ac fit, perfecta eſt, & abſoluta, utique in nullo eventu revocari poteſt. Roderic. *ubi ſup. q.* 47. *n.* 5. *in fin.* Sanch. *d. c.* 1. *n.* 16. Poſtremò, quando eſt donatio omnium bonorum vel majoris partis illorum, tunc judicatur cauſa mortis mundanæ, itaut, non ſequuta profeſſione, recuperet donata, quod ſi eſt aliquorum tantum bonorum non videtur cauſa mortis, aut Religionis, ſed ſimpliciter donaſſe, & pro eleemoſyna dediſſe, & propterea non habet jus repetendi, ut ex Abb. *ubi ſup.* tradit Azor. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 3. *quæſt.* 3. & Sanchez *loc. alleg. n.* 6. ubi relatis opinionibus dicit hanc diſtinctionem ſibi placere ex Abbate, & aliis per eum adductis.

Maximè autem cùm donatio facta non fuerit in ipſo ingreſſu in Religionem, ſed antea; quo caſu minus dicitur facta cauſa ingreſſus, ſed potiùs ex mera pietate ac devotione, Abb. *dict. cap. cauſam num.* 4 Silv. *loc. cit. quæſt.* 10. & *quæſt.* 11. & Sanch. *num.* 11. Conjectura enim eſt hoc caſu quod ſimpliciter donare voluerit, & ſtante dicta conjectura donatio videtur abſolutè facta, ut ex Menoch. & aliis tradit Sanchez *num.* 9. Quia licet paucis diebus ante ingreſſum eam fecerit, attamen cum poſt dies aliquot exierit, non poteſt dici verè intuitu Religionis feciſſe. Ex eventu enim licet arguere, quod nec a principio habuit animum permanendi, *l. ſed Julianus, §. proinde, ad Maced. l. quædam, de reb. dub.* Everard. *in loc. ab effectu*, Gabr. *conſ.* 66. *num.* 24. *lib.* 2. Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 5. & *tit.* 7. *num.* 20. Quamvis redierit iterùm ad Religionem, & receptus fuerit, ac iterùm poſt dies receſſerit. Ex quo patet non habuiſſe animum emittendi profeſſionem, ac proindè eo magis dicendum videtur, donationem fuiſſe factam ſimpliciter, non autem intuitu Religionis, Abb. *in cit. cap. Cauſam num.* 4. *de prob.* Silv. *ubi ſupra*, & Roder. *q. reg.* 80. *art.* 2. *tom.* 2.

5 Nec prædictis obſtat Sacrum Concilium Tridentinum, ut dubitavit Sanchez. Quia illud non procedit in iis, qui adhuc Religionem non ſunt ingreſſi, ut rectè Rodericus citatus *tom.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 1. Gratian. *deciſ. March.* 57. *part.* 1. & ipſe Sanchez, qui plures adducit, ac ſequitur *dict. lib.* 7. *part.* 2. *cap.* 2. *ſub n.* 4. teſtans ita Sacram Congregationem ſub die 18. Martii 1598. interpretatam eſſe *cap.* 16. *ſeſſ.* 25. *de regular.*

Ubi quamvis prohibeantur renunciationes ab ingredientibus factæ abſque ſolemnitate ibi ſtatuta, ſi tamen fiant ante ipſum ingreſſum, vel paulò antè non dicuntur comprehenſæ, ex quo non dicuntur factæ intuitu Religionis, & ingreſſus, ſed ſimpliciter, & abſolutè, Menoch. *de arbitr. caſ.* 436. *num.* 3. & *ſeq.* Præcipuè ſi poſt receſſum a Religione per multum tempus acquieverit, tunc enim videtur facto etiam comprobaſſe, quod donationem fecerat amore Dei potius, quàm Religionis intuitu, cùm in hoc attendatur, ut dixi, conjecturæ, Honded. *conſ.* 92. *num.* 27. & *conſ.* 50. *num.* 30. *lib.* 1. ac Surd. *conſ.* 534. *n.* 28.

CONSULTATIO CVII.

CAnonicus Clericum quendam in minoribus manuali 1
mercede ſacriſtiæ ſervientem in officiis inferioribus, ut verrendi, campanas pulſandi, canonicis inſerviendi, &c. minus promptè ſibi obtemperantem manu leviter percuſſit cum aliqua indignatione, & increpatione. Quæritur,

An in aliquam excommunicationem incurrerit, vel ſaltem mortaliter peccaverit?

REſpondeo ad utrumque negativè. Primò, quia 2
communis ſententia docet, non eſſe locum cenſuræ *cap. Si quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. niſi adſit culpa gravis, ſeu gravis injuria, etiam in ratione ſacrilegii, Cajet. *in ſumm. cap.* 10. *num.* 6. Angel. *v. Excommunicatio* 5. *caſ.* 1. *num.* 27. Molin. *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 55. *num.* 6. Sà *v. Excommunicatio Papæ num.* 2. Unde niſi ſit talis percuſſio, qua in laicum facta ſit gravis injuria, etiam in Clericum facta non inducit excommunicationem, Sà *loc. cit.* Avil. *p.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 13. *caſ.* 3. cum Cajet. & Armilla. At in hoc caſu actio illa non apparet graviter injurioſa.

Immò multi affirmant, quod *dict. cap. Si quis ſua-* 3
dente requirat dolum. Ita Hoſt. *in cap. Quantæ de ſent. excomm.* Abb. *ibid. num.* 7. & *in cap. Cognoſcentes de conſtit.* Felin. *in cap. Si vero de ſent. excomm.* 2. Menoch. *de arbit. conſ.* 180. *num.* 19. Avil. *part.* 2. *c.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 9. Bellet. *part.* 1. *diſq. Cler. §.* 1. *num.* 9. Quibus non adhæreo. Quia ſi hæc doctrina vera eſſet, ut plurimum eluderetur excommunicatio. Nam rariſſimè adeſſet dolus. Quævis enim cauſa etiam levis ab ipſo excuſat, *l. Igitur, §. Et generaliter, ff. de liber. cauſ.* & tradunt Bart. *in lib.* 1. *§. non autem in fin. ff. Si quis teſtam. liber. eſſe juſ. fuer.* Barbat. *conſ. pen. lib.* 2. Anch. *conſ.* 127. *circa fin.* Soccin. ſen. *conſ.* 131. *lib.* 1. Cravet. *conſ.* 18. *n.* 9. & *conſ.* 319. *n.* 14. Alex. *conſ.* 75. *lib.* 5. Menoch. *de recup. poſſeſ. remed.* 5. *num.* 49. & 50. & cum aliis Gloſs. *in dict. l. Igitur, ff. de cauſ. liber.*

Etenim, ut quis eluderet excommunicationem, ſuffi- 4
ceret, quod allegaret quamcunque cauſam. Nam per cauſam excluditur dolus, atque adeò etiam contractio excommunicationis. Quapropter ratum eſt, quod non requiratur dolus, ut contrahatur excommunicatio, ſed ſufficiat actus prohibitus cum ſcientia prohibitionis, & cenſuræ. Nam excommunicatio imponitur attentantibus quod prohibetur, & ſcienter præſumentibus facere contra prohibitionem, quæ ſalvantur abſque eo quod interveniat dolus. Et hæc doctrina adeò eſt communis, ut pudeat Doctores recenſere.

Secundò, quia non incurrit in eam excommunica- 5
tionem Dominus, qui famulum ſuum Clericum percutit mediocriter ad correctionem, Abb. *in cap. ex tenore de ſent. excomm.* Tabien. *v. Excommunicatio* 5. *cap.* 1. *num.* 8. At Clericus iſte erat famulus Canonicorum, & ab eis ſalarium recipiebat. Sic etiam excuſant Doctores Clericum ſeniorem, qui percutit Clericum juniorem non benè miniſterium ſuum in divinis officiis implentem, cùm ſit ſubordinatus illi ſeniori in tali officio, Molin. *diſp.* 56. *num.* 8. Suar. *de cenſur. diſp.* 22. *cap.* 1. *num.* 48. Coninch. *eod tr. diſp.* 14. *num.* 192. Reginald. *lib.* 1. *n.* 131. aliique communiter.

Nec obſtat, quod Canonicus aliqua ira ſit commo- 6
tus in eo actu. Quia cùm actio externa percuſſionis non fuerit injuſta graviter, non incurritur excommunicatio ex ira & zelo admixto, Molin. *dict. diſp.* 56. *num.* 10. Angel. *v. Excommunicatio* 5. *num.* 6. Avil. *ubi ſupra dub.* 13. *caſ.* 1. Filliuc. Navar. Reginald. quos adducit ac ſequitur Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 4. *num.* 4.

Minus obſtat, quod ille Clericus alicui videbatur mu- 7
nus Sacriſtæ ſubſtituiſſe. Nam hoc non eſt verum. Etenim Sacriſta eſt cujus munus definitur *in cap.* 1. *de offic.*

Sacriſtæ, ibi: *Sciat Sacriſta, ſe ſubjectum Archidiacono, & ad ejus curam pertinere cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu theſauri totius Eccleſiaſtici, nec non quæ ad luminaria pertinent*, ſtipendia ſolvere operariis ad ſervitium Eccleſiæ conductis, Azor. *lib. 3 cap. 16. q. 1. tom. 2. inſtit. moral.* Hæ autem qualitates non reperiebantur in Clerico iſto.

CONSULTATIO CVIII.

An decretum S. Concilii Tridentini cap. 15. ſeſſ. 24. de reform. obſtet unioni officii, ſive ſimplicis beneficii aliàs de conſenſu Capituli ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ per Ordinarium factæ maſſæ Capitulari, ſeu maſſæ reſidentiali, diſtributionibuſque quotidianis?

1 REſpondeo. Cùm ſit officium, ſeu beneficium ſimplex, non autem præbenda Canonicalis, aut quid ſimile, indubitatum eſt nos non verſari in ſecunda parte diſpoſitionis dicti S. Concilii, ibi: *Vel ſi hac ratione provideri non poſſit, aliquibus ex iis ſuppreſſis, quorum fructus, & proventus reliquarum præbendarum &c. diſtributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere*. Sed præcisè verſamur in prima parte diſpoſitionis, ibi: *liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli aliquot beneficia ſimplicia, non tamen regularia iis unire*. Itaut propterea diſpoſitio S. Concilii obſtet unioni ut ſupra factæ, cùm debuiſſet uniri non menſæ capitulari, ſeu maſſæ reſidentiali indiſtinctè, & generaliter, ſed ſeparatim, & indiſtinctè certa portio redituum dicti officii, ſeu beneficii ſimplicis ſingulis præbendis Canonicalibus, & illarum ſingularum diſtributionibus: ut denotant verba illa S. Concilii *iis unire*, ſcilicet ſingulis præbendis, de quibus mentionem explicitam immediatè fecerat. Atque ita firmat Gabr. *conſ. 188. num. 3. in fin. & ſub n. 5. & ſeq. lib. 2.*

2 Quæ opinio fundatur potiſſimum in duplici ratione, nempè quod in unione beneficii menſæ capitulari neſciretur quiſnam eſſet Prælatus beneficii uniti, & ſinguli Canonici poſſent dici Prælati unius beneficii contra *cap. Tuæ fraternitati, & cap. Cùm cauſam de præb.* Et quia cùm in hujuſmodi unione requiratur conſenſus Capituli, non prohibetur authorizare unionem pro portione ſingulis præbendis, cùm hoc caſu principaliter agatur de intereſſe ſingulorum, & ſecundariò ipſius Capituli. Secus verò ſi fiat unio ipſi menſæ capitulari. Quia dicitur conſenſum præſtare principaliter ad utilitatem ejuſdem Capituli conſentientis.

3 Hanc eandem opinionem ſequitur Gonzal. *ſuper regul. 8. gloſs. 37. n. 25.* qui dicit, ita obtinuiſſe declarari à S. Congregatione Concilii, & ſuffragatur Gratian. *tom. 2. diſcept. 278. n. 33. & ſeq.* Ricc. *in prax. cap. 379. n. 4.* cum aliis ibi allegatis. Siquidem S. Concilium *d. c. 15.* in hoc caſu unionis factæ menſæ capitulari, & menſæ reſidentiali non ſubſtulit diſpoſitionem juris communis *in Clem. Si una, §. Quod ſi Epiſcopus de reb. Eccleſ. non alien. c. Expoſuiſti de præb. & dignit.* ut declarat Gloſs. *in eadem Clem. v. menſæ ſuæ, & ibid.* Uſtalin. *n. 14.* Imol. *in c. Cùm acceſſiſſent ſub n. 4. de conſt.* Oldrad. *conſ. 82. n. 3.* Gabr. Gonz. Gratian. *locis ſupracitatis*.

4 Et ita in propriis terminis *d. cap. 15.* cenſuit eadem S. Congregatio in *una Calven.* die 23. Septembris 1609. *Sacra, &c. declaravit, decretum cap. 25. ſeſſ. 24. de reform. tribuere facultatem Epiſcopo uniendi ſimplicia beneficia ſingularum præbendarum diſtributionibus, non autem menſæ capitulari. Ideòque unionem, ut proponitur menſæ capitulari ab Epiſcopo factam abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate eſſe nullam.*

5 Idem fuit reſolutum in eadem *Calven.* die 5. Februarii 1610.

6 Item in una *Alerien.* fuit dubitatum, *an Epiſcopus ex decreto cap. 15. ſeſs. 24. nedum ſingulis præbendis Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, ſed etiam ipſi Capitulo, ſeu capitulari menſæ beneficia ſimplicia unire poſſit, ubi adeò tenues ſunt præbendæ, ut ſubſtinendo Canonicorum gradui non ſufficiant.*

7 *Sacra &c. die 23. Novembris 1632. Habita Congregatione in Palatio Vaticano ex omnium ſententia decrevit, nequaquam poſſe Epiſcopum hujuſmodi beneficia unire Capitulo, ſeu capitulari menſæ, idque ſi fecerit, nullam eſſe unionem. Quam Congregationis ſententiam die 23. Decembris S. D. N. ad ſe relatam approbavit.*

8 *Sacra, &c. declaravit, Tridentinum Concilium decreta cap. 15. ſeſs. 24. de reform. tribuere facultatem Epiſcopo uniendi beneficia ſingularum præbendarum diſtributionibus, non autem Capitulo, ſeu capitulari menſæ. Quod ſi talem unionem Epiſcopus capitulo, ſeu menſæ capitulari fecerit, eſſe nullam.*

Et in ſortionibus terminis ſub die 5. Februarii 1611. 9
propoſito dubio: *An declaratio S. Congregationis, quod Epiſcopus vigore facultatis ſibi tributæ decreto Concilii Tridentini capit 15. ſeſs. 24. de reform. beneficia ſimplicia ſingulis præbendis Cathedralium, vel Collegiatarum Eccleſiarum uniendi, non poſſit eadem beneficia unire capitulo, ſeu menſæ capitulari, habeat locum in Cathedrali, vel Collegiata, in qua nullæ ſunt præbendæ diſtinctæ, ſed duntaxat maſſa communis capituli, cujus proventus illis tantum, qui ſtatis horis interfuerint, diſtribuuntur. Omnes Patres uno ore cenſuerunt, declarationem editam habere locum etiam quando præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed ſola maſſa communis.*

Idem habetur in una Bononien. in qua unio non re- 10
peritur facta ſingulis præbendis diſtributivè, ſed capitulo, ſeu maſſæ capitulari collectivè, dubitatum fuit, an ſuſtineretur. Die 10. Decembris 1610. *Sacra, &c. reſpondit, unionem, ut proponitur, factam, non valere.*

Neque huic opinioni obſtare debet declaratio in Am- 11
purien. die 28. Aprilis 1594. quæ fuit petita in forma authentica, & a S. Congregatione denegata, ſcilicet, quod beneficiorum ſimplicium unio capitulo Cathedralis Ampurien. ob illius paupertatem facta, ut fructus ipſorum in diſtributiones quotidianas convertantur, non indigebat confirmatione, ſi, ſervata forma S. Concilii Tridentini, & cum capituli conſenſu, facta fuerit.

Tum quia reſtringitur ad formam S. Concilii ſerva- 12
tam, & conſequenter intelligi debet diſtributivè ſingulis præbendis, ne repugnet cum aliis declarationibus, *ex vulgaribus*. Tum etiam quia non eſt declaratio, ſed tantùm continetur in literis reſponſivis viſitationis ſacrorum liminum, in quibus non ita maturè articuli diſcutiuntur, prout in dubiis particularibus, quæ proponuntur.

Tum & tertiò, quia declarationes poſteriores, & ſignan- 13
ter illa, quæ a ſant. mem. Clemente VIII. fuit confirmata in omnem caſum debent attendi, præſertim cum nitantur authoritate, & rationibus ſuperiùs adductis.

CONSULTATIO CIX.

An promiſſio, ſive donatio facta a Patre Monaſterio, in quo ſuus filius adhuc Novitius exiſtit, ſit contra decretum S. Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 6. de Regul. atque adeò nulla, etiamſi facta ſit inter vivos, ac de bonis propriis ipſius donantis, ſitque habitura effectum poſt profeſſionem?

ESſe nullam reſolvendum videtur. Actus enim con- 1
tra legem prohibitivam remanet nullus, etiamſi lex ultra non procedat annullando, *l. Non dubium, C. de leg.* Maſchard. *de gener. ſtat. interpr. concl. 9. n. 1. & ſeqq.* Atque ita pluries declaravit Sac. Congregatio Concilii, præſertim apud Card. Bellarm. *ſuper d. c. 16.* ibi: *Item nec ex bonis ejuſdem tribuatur, nec ex bonis parentum, vel conſanguineorum propter eandem cauſam*. Idemque teſtatur fuiſſe deciſum Galemart. *ad d. locum Concilii*, ubi etiam ait, ejuſdem textus diſpoſitionem procedere non ſolùm in bonis parentum novitii, ſed etiam conſanguineorum proximiorum; itaut nec poſſit pater novitii donare apparatum Religioni, in qua ſuus filius novitiatum agit. Quod fatetur reſolutum fuiſſe Barboſa *ad d. textum ſub n. 45.* ex Sellio ibi allegato. Quæ reſolutiones cùm ſint factæ authoritate Pontificis, perinde eſt, ac ſi ab ipſo emanatæ fuiſſent, & allegare illas juvat ac ſi ipſos Canones in corpore juris inſertos, ut diffusè probat Rota coram Buratto, *dec. 479. n. 24.*

Earum autem fundamentum eſt, quia, licet indubita- 2
tum ſit, quod in legibus novis, inducentibus correctionem antiquarum, facienda non ſit extenſio de caſu ad caſum ex ſimili, vel identitate rationis, quapropter Sac. Concilium *in d. ſeſs. 26. c. 16. de regul.* tanquam correctorium juris communis in eo, quod prohibet liberum rerum ſuarum arbitrium diſponendi, & niſi ſub certis formis in eo textu relatis, extendendum non eſſet extra caſum ibi expreſſum, attamen concluſio limitatur ubi in lege corrigente exprimitur correctionis ratio per modum cauſæ finalis, quæ expreſsè legitur in hoc textu, ne ſcilicet Novitius, ex eo quod pauperior factus ſit, retrahatur a libertate egreſſus, quia ſuus pater donavit, & ex quo monaſterium poſſideat, quod, ſi è novitiatu diſceſſerit, donata nequeat facilè recuperare. Quæ ratio ſupervenientis paupertatis ex donatione bonorum parentis benè applicatur huic caſui, ut in his terminis firmant poſt Gloſ. *in auth. Quas actiones, v. Excludantur, C. de ſacroſ. Eccl.* Bald. *ibid. n. 4.* Cuman. *in l. Cùm mulier, ff. ſolut. matrim.* Add. ad Bald. *in d. auth. lit. E.* ac pleniſſimè

mè Jaſ. *in l. de quibus a n.* 18. *ff. de leg. & poſt Clem. 1. v. eligatur* notant Butr. *ibid. de elect.* Pariſ. *conſ.* 78. *n.* 179. *lib.* 3. Ratio autem unica appoſita in textu, & incipiens a dictione *ne*, indicat cauſam eſſe finalem ex vulgar. apud Barboſ. in ea dictione.

3 Unde Sacr. Congregatio Concilii, quando declaravit donationes, etiam de eorum propriis bonis factas a parentibus monaſterio, ſeu Religioni, in qua Novitii eorum filii degunt, non addidit novum caſum textui, ſed illum, qui tacitè inerat in ejuſdem ratione detexit ad tradita *in cap. Si poſt quam de elect. &c. Novit. de appellat.*

4 Quod autem in donationibus factis a parentibus, & conſanguineis de bonis ipſorum ſubſit per omnia, & longè major ratio, quàm in donationibus factis de bonis ipſiuſmet Novitii apertò deſumitur ex ipſa mente Concilii. Quandoquidem ſi ad irritandas donationes parentum factas de bonis novitii conſideravit ſufficientem eſſe ad reſtringendam ipſius libertatem merum actum donandi de facto, quem facit pater novitii, nondum profeſſi; quæ donatio, utpotè de rebus alienis de jure non tenet, propter ſolam vexationem, quam in animo novitii parere poteſt illorum recuperatio, quantò magis valet inferre, donationem maximæ partis bonorum, factam a patre, abſorbentem totam ferè ipſius hæreditatem, quæ de jure eſt valida uſque ad menſuram legitimæ, arctius arctaturam libertatem illius, qui in probatione eſt, cùm in hoc caſu non ſolùm ſubſit difficultas recuperandi bona monaſterio de facto donata, ſed valide de jure tranſacta?

5 Quare ex hoc apertè colligitur propter majoritatem rationis de hoc caſu ſatis expreſsè agi, ſi non in verbis, ſaltem in ratione legis, *arg. textus*, quem in hac re meliorem de mundo appellat Jaſon. judicio, doctrinaque nulli ſecundus *in l. His ſolis, C. de revoc. donat.* Ac proindè eadem Concilii ratio applicanda eſt. Cauſa enim & ratio eſt anima ipſius diſpoſitionis, Bald. *in auth. Quas rationes num.* 4. *C. de conjecr. Eccl.* Duran. *dec.* 40. *n.* 42. In ſtatutis enim, & conſtitutionibus attendi debet nedum quod ex verbis deſumitur, ſed etiam quod virtualiter ex verbis, vel ratiocinatione ab expreſſis deducta inferri poteſt, Merlin. *dec.* 437. *n.* 25. Ne aſſerentes contrarium dicamus, ſapientiſſimos Concilii Patres caſum magis dubitabilem neglexiſſe, minus autem periculoſo conſuluiſſe. Sicque ab abſurdo viſitando nova conſtitutio corrigens jus antiquum comprehendit caſum, in quo vel eadem, vel major ratio procedit, ut firmarunt relati Doctores ad hunc textum adducti.

6 Atqui S. Concilium in hac parte conſideraſſe tantum libertatem novitii videtur extra dubium deſumi ex illis verbis textus, dum præmiſſa generali prohibitione quidquam tribuendi monaſteriis ad ſuæ ſanctionis rationem immediate ſubjungit: *Ne hac cauſa diſcedere nequeat.* Et propterea dum de novitii favore tractatur, ad caſus minus proprios eſſet extendenda, ubi finis, & intentio legis æquè benè ac principaliter applicatur, nihil refragante, quod ex hoc conſequatur odium Religionis, Bart. *in l. Qui exceptionem n.* 2. *ff. de condit. indeb.* Lotter. qui innumeros refert *de re benef. lib.* 2. *q.* 36. *n.* 11. *& ſeq.* Quia dato quod dicta ſanctio ſit odioſa, adhuc tamen habet locum in prædictis non per extenſionem, ſed per comprehenſionem. Ubi enim adeſt identitas rationis, præſertim expreſsæ in lege, ibi adeſt eadem lex non extenſivè, ſed comprehenſivè, *d. l. His ſolis, verſ. ſatis etiam caute, Cod. de revoc. donat. & l. Illud, C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. Item veniunt, §. Ancilla, ver. ſi tamen, ff. de rei vendic.* Nam lex diſponit de materia, ut ſtat ſub illa ratione. Unde per ſe primò, diſponit de ratione, ut de fine; de materia verò, ut de ſubjecto, in quo lex ſortitur ſuum finem. Et ideò ratio legis cum ſecundùm ſe totam ſit ſub diſpoſitione legis, extendit neceſſariò legem, ſive favorabilem, ſive odioſam ad totam materiam, quam ſibi ſubſternit; itaut non poſſit non extendere. Quia non poteſt non ſubjicere materiam legi, in qua eſt, dum ipſa ſecundum ſe tota eſt ſub diſpoſitione legis. Hinc extenſionem comprehenſivam habere locum in lege pœnali, licèt ſit odioſa, docent Imol. *in cap.* 1. *de temp. ord. in* 6. Gemin. *ibid.* Panor. *in c. fin. n.* 10. *de reſcrip. & in c. Nihil n.* 9. *de elect.* Oſaſch. *dec.* 68. *n.* 8. Covar. *in c. Alma mater p.* 2. *§.* 4. *num.* 7. Suar. *lib.* 6 *de legib. c.* 4. *n.* 2. & alii apud Sanch. *lib.* 3. *de matr. diſp.* 42. *n.* 4.

7 Immò etiam in lege correctoria, & pœnali ſimul ſit extenſio comprehenſiva ex identitate rationis, quando ratio eſt expreſſa in lege, ut tradunt Gloſs. *in d. Clem.* 1. *v. Eligatur de elect.* Card. & Anchar. *ibid.* Imol. *num.* 18. Butr. *in cap. fin. verſ. fallit primò de conſuet.* Bald. *in d. auth. Quas actiones, C. de Sacroſ. Eccleſ.* Bologner. *in l. Omnes populi n.* 130. *ff. de juſt. & jur.* Gabr. *tom.* 2. *com. opin. lib.* 17. *init.* teſtans de communi, Sanchez *ubi ſupr.* Adde, quòd prædicta ſanctio non eſt odioſa, ſed favorabilis. Tunc enim lex cenſenda eſt favorabilis, etiamſi contineat odium alicujus, quando per ipſam primariò intenditur favor alicujus, ut communiter docent Gloſs. *in cap. Si propter, v. Primi anni deſcript. in* 6. ubi Gemin. *n.* 9. Franch. *n.* 6. Item Gloſs. *in c. Sciant cuncti, v. Alios de elect. in* 6. Jo: Andr. & Gem. *ibid.* Felin. *in cap. non dubium n.* 2. *de ſent. excom.* Bart. *in l. Qui exceptionem num.* 2. *ff. de condit. in d.* Alber. & Salic. *ibid.* Caſtr. *in l. Si quis nec cauſam n.* 4. *ff. ſi cert. pet.* In caſu autem noſtro Concilium principaliter intendit favorem novitii. Quia nimirum intendit providere, ne propter donationem ab ejus parentibus monaſterio factam ab eo diſcedere nequeat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit, ut inquit Concilium eo loco.

Idque veriſſimum eſt pro tertia parte ex bonis ipſius 8
novitii donata. Nam cùm filius habeat jus radicatum in lege revocandi donationes factas a parentibus uſque ad menſuram legitimæ, & hoc illicò ortum habeat, ac pater facit donationem, quæ in excomputanda legitima filii confertur in univerſale patrimonium patris, ac ſi ipſa res donata adhuc in patrimonio patris eſſet, ut apertè cavetur *in auth. Unde ſi parens, C. de inoff. teſtam. & l. precibus* 3. *C. de inoff. donat.* traditque Clar. *in §. donatio q.* 24. *per tot.* Quapropter clarè deſumitur quoad dictam tertiam partem, donationem eſſe in verbis ipſius textus comprehenſam, & venire ſub expreſſa literali ejuſdem prohibitione, dum inſpecta quantitate donata abſorbente ferè totam ſubſtantiam patris, non eſt dubia, ſed clara voluntas donantis pro comprehenſione legitimæ, ſine qua non poterat integra donatio ſortiri effectum, Velaſch. *in prax. part. c.* 16. *n.* 30. Sanchez *in decal. lib.* 7. *c.* 5. *n.* 23.

Nec obſtat, quòd donatio hæc collata in tempus poſt 9
profeſſionem non ſit prohibita a Concilio. Nam cùm fuerit collata poſt mortem donantis, & durante novitiatu, utique effectum habere poterat, & incutere novitio timorem recuperandi.

Pariter ceſſat etiam objectio, quod non fuerit merè 10
lucrativa, ſed pro celebratione miſſam. Tum quia verba textus ſunt nimis ampla, & prægnantia, dum vertant ſub quocunque prætextu, & quomodolibet tribui. Quæ dictio comprehendit omnem caſum, Gloſs. *in cap. Suſceptum 6. Expreſsè de reſcript. in* 6. Tum etiam quia onus non excedit ſextam partem. Ideòque in reliquo haud dubiè continet lucrum, Gall. *ad conſuet.* Alexandr. *v.* 20. *n.* 97. Seraph. *dec.* 116. *num.* 31. & in puncto Sanch. *d. l.* 7. *c.* 5. *n.* 32.

Denique non ſubſiſtit, quòd Concilium loquatur de 11
ſola reali traditione. Quia verba *tribuere, recuperare, & reſtituere* non minus prædicantur de rebus, quàm de juribus, *l.* 2. *§. Perveniſſe, ff. de hæred. vend. l. Cùm hoc jur. ff. de vulg. & pupil. l.* 11. *ff. de petit. hæred.* Rebuff. *in l. verbum reddendi* 94. *col.* 4. *poſt med. ff. de verb. ſignif.* Præcipuè concurrente rationis identitate, Tiraquell. *de reſtract. lignat. §.* 2. *gloſs.* 7. *n.* 19.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, donatio- 12
nem hujuſmodi eſſe validam. Ut autem veritati conſulatur, ponderandum eſt, quòd S. Concilium de hiſce parentum promiſſionibus, ſive donationibus tempore probationis filii novitii ex propriis bonis monaſterio factis, *d. cap. 26. ſeſſ. 25. de regul.* non diſponat expreſsè. Quarè licet hoc dilemmate argumentari.

Vel Sac. Concilium illas juri communi remittit, vel 13
ſaltem tacitè, & interpretativè de iiſdem diſponere cenſetur. Si primum, non eſt, cur ex hoc capite de iiſdem promiſſionibus, ſive donationibus ambigatur, aut de illarum validitate, aut nullitate. Si ſecundum dicatur, tunc illius tacita mens ex illis, quæ expreſsè habet conjecienda venit, & hæc eſt vera legis interpretatio, ſive argumentalis, & illativa explicatio, Caſtr. *conſ.* 338. *n.* 2. Fagnan. *in c. Quoniam de conſtit.* Ab eo ſcilicet, quòd lex definivit expreſsè circa unum, & a ratione, qua id ſtatuit, colligitur illud, quod propter eandem rationem circa aliud ſtatuiſſet, ſi de illo expreſsè diſpoſuiſſet. Et hoc eſt tacitum legis ſenſum, ejuſque mentem interpretari. Sed Concilium *d. c.* 16. *ſeſſ.* 25. *de regul.* non prohibet promiſſiones, vel obligationes tempore probationis novitii monaſterio factas, nec illas abſolutè rejicit, ſed permittit expreſsè ipſis quaſcunque promiſſiones, & obligationes cujuſcunque de licentia Ordinarii facere, quæ in terminis ejuſdem Concilii non intelliguntur effectum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Et hoc, quia ſic ceſſat ratio Concilii aliàs prohibentis, cùm per id ſufficienter conſulatur profeſſionis libertati, quæ fuit unica finalis cauſa decreti. Igitur vel nihil ſtatuit etiam tacitè

citè de parentum promiſſionibus, ſed juri communi reliquit, vel utique tacitè, & interpretativè illas concedit parentibus de propriis bonis factas, cùm utrobique, immò a fortiori ceſſat ratio legis. Tacitum enim reſultans expreſſo ceſſat, ceſſante expreſſo, *l. 3. §. fin. ff. de ſervit. reſt.* Caſtr. *conſ. 196. num. 3. lib. 2.* Maximè quando ſubeſt eadem ratio, ut in caſu noſtro, Tuſc. *lit. D. concl. 2.* Unde ſi a prohibitione facta novitii eo *cap. 16.* fieri debet extenſio ad parentes, æquum eſt, ut qui onus ſentit, ſentiat & commodum, *lib. 1. ff. de conſtit. act. l. ſecundùm naturam, ff. de reg. jur.* Anchar. *conſ. 217. num. 4.* Alioquin Sacr. Concilium duo contineret decreta uno eodemque capite ad invicem pugnantia. Unum expreſsè, aliud tacitè, nulla nova ſubſiſtente ratione; quod abſurdum eſt cogitare, cùm taciti, & expreſſi idem ſit judicium, quando tacitum includitur in natura expreſſi, Barb. *axiom. 218.* alios citans.

14 Quæ ratio a Doctoribus ponderatur, nominatim a Ceval. *comm. contra comm. q. 439. n. 5.* ex verbis ac ratione ejuſdem Concilii, ibi: *Sed neque a parentibus.* Solùm enim his verbis, inquit Cevallos, cavetur, quòd nihil recipiatur a novitiis ante profeſſionem, vel ab eorum parentibus, conſanguineis, vel curatoribus pro eo tempore, quo in probatione exiſtunt. Secus verò erit jam facta profeſſione. Quia in hoc caſu neque ante profeſſionem, neque poſt reprobatur pactum, cùm referatur ad tempus habile, in quo facta eſt jam profeſſio. In quo eventu ceſſat ratio Concilii, ibi: *nec hac occaſione diſcedere nequeat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit.* Et valebit datum ad relictum ſub hac pactione, quæ non repugnat menti, nec rationi Concilii, quod tantùm afficit obligationes abſolutas, & cùm actuali traditione factas monaſterio tempore probationis, per quas bona novitii tranſeunt in dominium Religionis, non autem ſimplices promiſſiones, ſeu obligationes conditionatas, quæ ſortiri debent effectum, ſequuta profeſſione, ut optimè de more notat Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 9. n. 15. & 19* Honded. *conſ. 73. n. 20. vol. 2.* Eòque præſertim, quod Concilium eſt correctorium juris communis, & propterea non poteſt intelligi, niſi in caſu, de quo loquitur, qui eſt quando ſequitur cum obligatione actualis traditio bonorum, per quam in poteſtatem Religionis deveniunt, ut in ſimilibus terminis conſideravit Add. *ad dec. 596. n. 2. p. 5. rec.* Utitur enim Concilium verbis *recuperet, & poſſideat*, quæ important detentionem, & inſiſtentiam facti. Bart. & alii, teſte Alex. *in l. Stipulatio iſta §. Hæc quoque, ff. de verb. oblig.* Felin. *in c. Cùm cauſam n. 3. de teſtib.* Quæ non eſt niſi in corporalibus. Quare, ea ceſſante, ceſſat quoque ratio Concilii, atque adeò ejuſdem quoque legis diſpoſitio, Rot. *in Camerinen. penſionis* 7. Junii 1642. coram Tarraconen. ac tradit Suar. loco allegato, ubi quòd conſtat ex praxi, & conſuetudine Eccleſiæ. Paſſim enim non ſolùm ante duos menſes profeſſionis, ſed ipſo ingreſſu a parentibus promiſſiones, & obligationes fiunt, etiam cùm pactis, & cautionibus, & poſteà in profeſſione ſortiuntur effectum.

15 Neque dicendum ullo modo videtur, quòd Concilium voluerit arctare libertatem parentum contra omnia jura quibus diſponere de re ſua quilibet poteſt, *l. in re mandata, C. mandat.* Anchar. *conſ. 155. n. 7.* Itaut pater ſenio confectus obſequi non valeat pietati, ac devotioni ſuæ, & pro anima ſua, pro uxore, pro bono perpetuo familiæ ſuæ contrahere cum Religione contractu oneroſo, onere videlicet miſſarum ac precum in perpetuum, aliarumque obligationum tempore probationis filii, ſed teneatur expectare tempus profeſſionis, quo fortè non eſt perventurus. Nec eſt putandum, quòd ſacer ille Senatus claudere voluerit viam ſatisfactioni propriæ conſcientiæ, occultæque compenſationi, quibus ob plurimas occaſiones aliquando parentes reperiuntur adſtricti, & ex juſtitia coacti, quibus nulla alia ratione commodè valeat ſatisfieri, cum hoc non obſtet profeſſionis libertati.

16 Ejuſmodi igitur promiſſio, illiuſve obligatio non repugnat S. Concilii decreto *de Regul. ſeſs. 25. cap. 16.* ſubeſt ad mentem, & in terminis ejuſdem Concilii. Primò, quia interpretanda venit ſecundum terminos legis, ſive juris communis, ſive particularis Concilii, argum. a lege ad teſtatoris voluntatem, Dec. *conſ. 10. n. 8. vol. 2. conſ. 114. n. 8. vol. 3.* & alii. Ac proindè vel ſecundum jus commune, cui non repugnant ejuſmodi promiſſiones, Suar. *ubi ſupra*, vel ſecundùm Concilium, quod illas concedit, ut probatum eſt.

17 Secundò, quia cum in eo cap. 10. apponatur anathematis pœna, atque adeò graviſſima culpa, certum eſt, quod hæc diſpoſitio interpretanda eſt, ut excludatur culpa, ac proindè Concilii tranſgreſſio. Nam actus, qui ſonare poteſt ad delictum, & non delictum ſemper interpretatur, ut abſit delictum Cardin. Tuſch. *lit. D. concl 165.* Matchard. *de probat. concl. 149. num. 12. & conçl. 1418. n. 2.* Abb. *in c. Cùm tu de teſtib.* Farinac. *p. 3. q. 85. n. 1.* Quod a fortiori dicendum eſt in diſpoſitione ad finem pium, & pro ſalute animæ, & bonum perpetuum totius familiæ. Et ideò diſpoſitio interpretanda eſt, ut non cenſeatur facta contra Concilium, ſed modo ab ipſo Concilio ſtatuto, videlicet habitura effectum tantùm poſt profeſſionem.

Tertiò, cùm in diſpoſitione præfata adſit clauſula *voluntati &c. omnibus modo, &c.* quæ operatur, ut ſi factus non poſſit valere eo modo, quo jure fieri potuit, Barboſ. *de clauſul.* utique dicta diſpoſitio valebit eo modo, quo de jure communi, vel de jure Concilii fieri potuit. 18

Quartò, ac perſpicuè ex ipſa promiſſionis narrativa nimirum, *Cùm ſit quod N. habeat unicum filium, & annuente Deo, in proximo profeſſionem emiſſurus eſt.* Dictio autem *cùm* juncta tempori futuro *emiſſurus eſt* æquivalet dictioni, *ſi*, & habet vim conditionis, ac proindè ejus defectus vitiat, Barboſ. *d. Cùm*, ibique Tuſchus, & alii. Ergo defectus profeſſionis in hoc caſu vitiaſſet diſpoſitionem, atque adeò cenſenda eſt omninò conditionata, nec effectum habitura, niſi profeſſione ſubſequuta. 19

Conſtat itaque, ſive Concilii verba, ſive ratio attendantur non ſolùm prohibitas non eſſe, verùm etiam permiſſas promiſſiones, vel obligationes parentum de propriis bonis factis monaſterio tempore profeſſionis novitii, non habituras tamen effectum, niſi poſt profeſſionem. Quod etiam evidenter ſuadetur dum Concilium id permittit expreſsè ipſis novitiis de ipſorum propriis bonis, etiam tempore probationis de Ordinarii licentia donationes, & obligationes quaſcumque facere, quæ in terminis ejuſdem Concil. *d. c. 16.* non intelliguntur ſortiri effectum, niſi profeſſione ſequuta, idque non alia ex cauſa, niſi quia ceſſat ratio prohibitionis, & remanet ſufficienter proviſum libertati profeſſionis. Unde, & fortiùs cum Suarez, & alii multò magis intelligi debent permiſſæ hujuſmodi promiſſiones, ſeu obligationes reſpectu parentum, quàm novitiorum cum clariùs ceſſet ratio Concilii, illas prohibentis. Quoniam largitiones, etiam actuales novitiis prohibitæ tempore ſuæ probationis, non interdici putantur ab eodem Concilo reſpectu parentum. 20

Prædicta verò majorem firmitatem recipiunt quando non agitur de obligatione gratuita, quam ſolùm videtur prohibere Concilium, ſed de oneroſa, in qua datur poſſibilitas, ut tantùm poſſit recipi, quantum datur. Rodriq. *in ſumm. tom. 2. cap. 7. num. 4.* Sanch. *d. lib. 7. c. 5. q. 10. n. 32.* Tambur. *de jur. Abb. diſp. 6. q. 10. n. 13. tom. 3.* 21

Poſtremò addi poſſe videtur promiſſiones, ſeu obligationes hujuſmodi eſſe cauſa mortis, atque adeò eſſe validas, cùm Concilium tantùm loquatur de obligationibus inter vivos, quæ cum irrevocabiles ſint, poſſunt cauſare, ut novitius videns ſe facultatibus denudatum cogatur profeſſionem emittere. Quod ſanè conſiderari non poteſt in obligationibus factis cauſa mortis, ut ad rem firmat Tambur. *dict. diſp. 6. quæſt. 16.* Rodr. *tom. 2. quæſt. 46. art. 10.* & Molin. *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 139.* 22

His ita conſtitutis facilè diſſolvuntur ea, quæ pro contraria ſententia deducta ſunt. Tunc enim præſumi poteſt, novitium timore amiſſionis bonorum retrahi a receſſu monaſterii, ac proindè metu amiſſionis bonorum profiteri, quando actualiter datum eſſet, nec in promiſſione eſſet appoſita conditio aliqua. Quare, cùm ſit facta juxta terminos Concilii, debet intelligi conditionata, videlicet quatenus ſequatur profeſſio, prout juxta expreſſam ejuſdem Concilii diſpoſitionem intelligi deberet, ſi eſſet facta ab ipſomet novitio de propriis ipſius bonis, juxta *c. Quod a te, §. Sanè*, & ibi Gloſs. *v. Redire*, & Abb. *n. 6. de Cler. conjug.* Rodrig. *d. tom. 2. q. 67. art. 12.* & fuit deciſum *in Toletana nullitatis profeſſionis* 22. Junii, & 27. Maji 1598. coram Orano. 23

Unde cùm hujuſmodi promiſſiones non poſſint, nec debeant ſortiri effectum, niſi quatenus ſequeretur profeſſio novitii, & mors promittentis, nullum jus poteſt dici acquiſitum monaſterio, pendente conditione, ut notat Rota *dec. 668 num. 4.* coram Merlino. Et ita etiam ceſſat ratio timoris paupertatis, cùm novitius quotieſcunque profeſſionem non emittit, promiſſio evaneſcit ob non adimpletam conditionem; & revocata cenſeretur, prout firmant Doctores in terminis novitii recedentis ante profeſſionem, cui, quæ ſua erant, monaſterium tenetur reſtituere, & præ aliis Gutier. *can. qu. c. 1. n. 106. lib. 2.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. ca. 436. num. 7.* 24

num. 7. & *in addit. pariter num.* 7. & *conſ.* 396. *nu.* 9. Honded. *conſ.* 94. *num.* 8. *lib.* 1.

25 Nec aſſerta declaratio S. Congregationis Concilii refragatur, amplians prohibitionem etiam ad bona propria ipſorum parentum, & conſanguineorum. Nam præterquam quod non adducitur authenticè, prout requiritur, eſt contraria literali diſpoſitioni textus, ibi: *aliquid de bonis ejuſdem tribuatur*: ubi dictio *ejuſdem* ſtat relativè ad perſonam novitii, ut advertunt Bordon. *reſol.* 14. *num.* 154. Sanch. *d. cap.* 5. Suar. *eod. cap.* 9. *n.* 19. Quod non prohibet hujuſmodi largitiones fieri ex quibuſcunque bonis, ſed ex bonis ejuſdem novitii. Unde concludunt, quod parentes, & propinqui novitii tribuendo aliquid de bonis propriis monaſterio in gratiam novitii, ut benevolentiùs tractetur, vel facilius ſuſcipiatur, non agunt contra hoc decretum Concilii. Idipſum tradunt Peyr. *de ſubd. quæſt.* 1. *capit.* 19. *concl.* 3. Bart. de Vecch. *in prax. Novit. diſp.* 8. *dub.* 7. *num.* 14. & Tamb. *d. diſp.* 6. *par.* 10. *in fin.*

26 Et ſanè præfata declaratio, quamvis legalis, non applicatur, quando promiſſio non eſt facta intuitu ipſius novitii, nec novitiatus, neque monaſterii, ſed propriæ ſalutis, quæ eſt vera cauſa finalis diſpoſitionis, quæque attendenda eſt Rota *in Bononien. fideicom. de Rubeis* 4. Martii 1641. coram Cardinali Panzirolo, §. *Nec viſum fuit*. Atque huic quælibet interpretatio, & extenſio in contrarium adducta rejici debet in hac materia, quam veluti prohibitivam ſtrictè interpretamur, Dec. *conſ.* 512. *n.* 2 Soccin. jun. *conſ.* 80. *n.* 28. *lib.* 1. Burſat. *conſ.* 168. *n.* 15. Gamb. *dec.* 338. *n.* 2. Sanch. *in reſ. moral. lib. cap.* 2. *dub.* 52. *n.* 1. *v. Sed hæc*, cum alioquin ſapiat delictum ſub anathematis pœna prohibitum, ſemper excludi debet ad *l. merito. ff. pro ſoc. c. Quemadmodum de jurejur.* Bero. *conſ.* 149. *n.* 12. *lib.* 1. Surd. *dec.* 58. *n.* 4. Menoch. *conſ.* 84. *nu.* 10. Immo, & è contra, cùm agitur favore cauſæ piæ, in dubio eſt ipſi favendum, itaut contra ipſam non ſoleat admitti interpretatio, Rot. *in Romana hæreditatis* 14. Octobris 1646. coram Argueles.

27 Atque adeò donationem ſive promiſſionem ejuſmodi fuiſſe validam declaravit Sac. Congregatio Concilii in una *Mediolanenſ.* donationis die 11. Martii 1662.

CONSULTATIO CX.

Electio per compromiſſum, ut ſit valida, quid præcipuè requiratur?

1 LIcet electionem fieri poſſe per compromiſſum, ſacrumque Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reg. c.* 6. non derogaſſe huic modo eligendi, de quo *in c. Quia propter* 43. *de elect.* videatur ſæpiùs Rotam ſenſiſſe in deciſionibus relatis per Barb. *de jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 19. *num.* 149. & 156. tamen adhuc ſervari debent quæ *in d. c.* præſcribuntur.

2 Et primò, inter compromiſſarios nemo debet admitti, qui non ſit vocalis, & qui poſſit vota eligentium aliis revelare extraneis. Quare electio non eſt facienda per acclamationem, & vota propalata. Innocentius enim Pontifex *in d. c. Quia propter* requirit pro forma, quod in electione facienda compromiſſarii vota ſecretò per ſe, & ſingillatim exquirant, & in ſcriptis redigant, ut ex *d. textu* tradunt ibidem Abb. *n.* 5. *notab.* 3. Hoſtien. *num.* 30. Butr. *n.* 25. ac perſequitur Tamb. *de jur. Abb. diſp.* 28. *q.* 4. *n* 1. Samuel. *de canon. elect. tr.* 1. *contr.* 6. *concl.* 2. & 6. & firmat Rot. *dec.* 574. *n.* 40. 45. 58. & *ſeqq. par.* 4. *tom.* 3. *rec.* & apud Duran. *dec.* 232. *n.* 1.

3 Secundò, ex *d. c. Quia propter* requiritur, quod omnes de capitulo compromiſſo conſentiant, ut ex verbis dict. text. ibi, *Qui vice omnium comprobat*, ibique Gloſ. *v. vice*, Butr. *n.* 40. Franc. Marc. *q.* 706. *n.* 2. *p.* 1. Samuel *cod. loc. contr.* 3. *concl.* 1. & 4. *per tot.* At ptopterea ex metu incuſſo non poteſt dici quempiam conſentire, cùm nihil magis conſenſum excludat, quàm timor, Sebaſt. Medic. *de caſ. fort. to.* 2. *q.* 3. Boer. *dec.* 110. *n.* 1. cum protritis.

4 Reſpectu verò eligentium non poſſunt compromiſſarii decernere, quod ex aliquibus tantùm per ipſos propoſitis quiſpiam eligatur. Hujuſmodi enim modus eligendi eſt coactus, & a jure reprobatus, *ut in c. Cùm terra* 14. & *cap. Cùm dilectus in fin.* ibi: *liberam habeant*, *de elect.* & ſequuntur Covarr. *de ſponſal. p.* 2. *c.* 3. §. 5. *n.* 9. ac Rot. *dec.* 65. *n.* 6. *cum ſeqq. p.* 1. *rec.*

5 Minùſque poterit aliquis ex compromiſſariis ſeipſum eligere ad conſtituendum numerum votorum. Quia licet compromiſſarius poſſit ſe eligere ad hoc ut per ejus aſſenſum perficiatur numerus majoris partis, non tamen poteſt ſuæ electioni aſſentire ad inducendam paritatem. Hujus diſtinctionis ratio eſt, quia qui perficit numerum majoris partis, electionem ab alio inceptam complet, & ambitione caret: qui verò quærit ſuo voto paritatem conſtituere, ſuam incipit electionem, eſtque ambitionis plenus, ut rectè per Cened. *ad decret. collect.* 93. *nu.* 1. Alphonſ de Meved. *de Cur. Piſan. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 7. & 8. Lavor. *var. lucubr. tit.* 4 *de elect. can. cap.* 6. *nu.* 16. Atque idcircò vel compromiſſarius ejuſmodi deficit in votis, quia ex authoritatibus allegatis ſuum votum non debet ad conſtituendam paritatem admitti, vel ſaltem debet denuò fieri electio. Quia de jure non poteſt dici facta electio, ubi datur ſolùm paritas votorum, ut cavetur *cap. in Geneſi*, & *cap. Eccleſia veſtra* 2. *de elect.* ac firmavit Rota *in Raguſina electionis* 1. Julii 1643. coram Ghislerio.

CONSULTATIO CXI.

An legati, ſive Oratores, eorumve comites, famuli, aſſeclæ delinquentes in Rempublicam, in Principem, ad quem miſſi ſunt, poſſint ab eo puniri? & quid de Legatis, ſive Nunciis Summi Pontificis? ubi paucula de officio Principis.

HÆc controverſia pluribus temporibus ancipitem habuit reſolutionem, & in utramque partem agitata fuit. 1

Qui negant his rationibus utuntur. Legati tacita gentium omnium conventione ſecuritate gaudent, *l. fin. de legation.* ubi Pomponius Juriſconſultus ita decernit: Si *quis legatum hoſtium pulſaſſet, contra jus gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur. Quia ſancti habentur legati. Et ideò ſi cùm legati apud nos eſſent gentis alicujus, bellum cum illis indictum ſit, reſponſum eſt, liberos eos manere. Id enim jure gentium convenit eſſe.* Item Marianus *in l. ſanctum, ff. de rer. div. &c. Jus gentium*, *d.* 1. traduntque Bart. *in l. conventionem in fin. ff. de pact.* & *in l.* 1. *ff. ad l. Jul.* Bald. *in leg. Adminiſtrantes*, §. *eorum*, *ff. de excuſat. tut.* Gondiſal. *de legat. p.* 2. *qu.* 5. *num.* 10. *tom.* 1. Laudenſ. pariter *de legat. q.* 5. & 28. *tom.* 5. Franc. de Fayer. etiam *de legat. c.* 4. Bannes *in* 2. 2. *qu.* 57. *art.* 3. Aranius *in l.* 2. *qu.* 91. *diſp.* 1. *ſect.* 6. *diffic.* 3. *num.* 15. Buſius *de Republ. lib.* 3. *cap.* 6. Alex. ab Alex. *lib.* 5. *cap.* 3. *genial. dier.* & ibi Tiraquell. Toloſan. *de Republ. lib.* 11. *c.* 10. *num.* 14. Kincherus *lib.* 2. *c.* 2. Quibus ex parte aſſentitur Grotius *de jur. bell. lib.* 2. *c.* 18. *num.* 4. Legatorum enim jus, ait Cicero 3. *Verr.* humano, divinoque vallatum præſidio eſt, cujus tàm ſanctum, & venerabile nomen eſſe debet, non modò ut intra ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur, & Germanicus apud Tacitum *lib.* 1. *Annal.* facunda oratione ita exercitum qui legatis vim intentavit, alloquitur: *Quod nomen huic cœtui dabo? Milites ne appellem? Qui filium Imperatoris veſtri vallo, & armis circumſediſtis. An cives? quibus tàm projecta Senatus auctoritas, hoſtium quoque jus, & ſacra legationis, & fas gentium rupiſtis.* Et ſanè ſi violarentur, nulla eſſet ſpes tranſigendi diſſidia, quæ inter Principes ſæpè ac ſæpiſſimè aſperantur, meritòque jure Pontificio pœna eorum, qui legatos violaverint, excommunicatio eſt. Quippè qui legationem impedit, non unius, ſed multorum profectum avertit. Et qui Dei cauſam impedit, & ſtatum conturbat Eccleſiæ, ideò ab ejus liminibus arcendus, ut ſcripſit Alexander Papa omnibus Epiſcopis *ep.* 2. relata *in c.* 2. *Qui autem legationem* 94. *d.* Et Q. Mutius ſapientiſſimè reſpondit, *d. l. fin. de legat.* eum, qui Legatum pulſaſſet contra jus gentium dedi oportere hoſtibus, cujus erat Legatus pulſatus. Sic enim ſatisfieri poterit læſis, & Princeps, vel Reſpublica, in quorum ditione violatus erit Legatus, ſe purgabunt a delicto, & omni ſuſpicione conſenſus violationis, dedito delinquente, qui poterit inquiri quo animo, cujuſve juſſu Legatum offenderit. 2

Unde Legatorum injuria gravium bellorum cauſa fuit, eaque juſtiſſima, quia eſt contra jus gentium. Quod docent communiter Theologi, nominatim Coninch. *in* 2. 2. *diſp.* 31. *dub.* 2. *nu.* 24. ac teſtantur hiſtoriæ, quæ legum velut interpretes ſunt, æqui bonique teſtes. Tarentini, qui ob violatam legationem Romanam, flagitium ſervitute luerunt, Flor. *lib.* 4. *cap.* 8. Illyrii Legatos ſecuri tanquam victimas occiderunt, ſed ſtrictè poſt victoriam in Principum colla ſecures, Legatorum manibus litaverunt. Corintho etiam exitium attulit, quòd Legati Romani, incertum an manu, certè oratione, violati eſſent. Contra Mitridatem pugnatum, quòd Legatos Romanorum necaſſet. Bellum graviſſimum, & funeſtiſſimum exitio gentis cum Ammonitis geſſit Rex David. Cauſa, quòd Legatos violavit Hannon, 2. *Reg. cap.* 10. 4. Qui Legatos, Oratores, comiteſve eorum pulſaſſet, *leg. Julia vi publ.* teneri reſpondit Ulpianus *in l. Jul.* 7. *ad l. Jul. de vi publ.*

Quare Paulum IV. Pontificem Thuanus *hiſt.* 17. *hiſtor.* reprehendit, quod Hiſpanicum Legatum ab Albano, quantum- 4

tumvis hoſte, & Pontifici imminente, nulla juris gentium ratione habita, in carcerem conjici juſſerit. Nec laudant Franciſci I. Galliarum Regis factum, qui ne id, quod Fecialis a Carolo V. Imperatore in mandatis habebat, audire cogeretur, ut adventare audivit, crucem pro palatio figi mandavit, ac ei denunciari certum ſibi crucis exitium imminere, ſi mandata expoſuiſſet.

5 Item perſonam ſui Regis Legatus ſuſtinet, Alberic. Gentil. *lib.* 1. *c.* 18. *Hiſpan. Advocat.* Eſtque Regis imago, ſive ſimulacrum, qui dicit omnia, agitque tanquam ipſe ſummus ſit, quippè ſacroſancta præditus poteſtate. Rex verò judicari a Rege non poteſt. Quia par in parem imperium non habet, *l.* 4. *&* 6. *ff. de recept. arbitr.* Quo argumento Conradinus Sveviæ Princeps uſus eſt. Nam cùm Carolus Ardegavenſis hunc bello captum mortis pœna damnaverat, eique ſententia legeretur, in Notarium invectus: *Tunc impure leno*, ait, *ſcelerate fureifer auſus es morti condemnare filium Regis? An neſcis pari in parem imperium, juriſdictionemque non eſſe?* Ciſner. *in orat. de Conradin.* Cruſ. *lib.* 7. *p.* 3. *c.* 19. *Annal. Svev.* Scipio Ammir. *lib.* 17. *diſſert. pollit. diſcurſ.* 7. Idem oppoſuit Angliæ Reginæ Maria Regina Scotiæ, de qua actione videndus Michael Exinger, *in* 2. *p. theſ. Princip.* Hoc unum contendo, inquit le Fayer. *c.* 6. *de legat.* impunè Legatis licere ſive per fas, ſive per nefas, quicquid ſibi a Principe mandatum eſt, exequi ac perficere. Et Legatus Juſtiniani apud Procopium *lib.* 1. *de bell. Goth.* Orator, ait, qualiacunque a Principe ſe delegante acceperit, profert, quæ ſi minùs proba, & recta videntur non ipſe propterea jure eſt incuſandus, ſed qui miſerit fortè culpandus:

6 Exemplo ſint Legati Tarquinii, qui cùm ſub ſpecie repetundorum ſupellectilium Romam miſſi eſſent, de reducendis Regibus contra Rempublicam cum nobiliſſimis adoleſcentibus conjurarunt. Et quanquam videbantur commiſiſſe, ait Livius *lib.* 2. ut hoſtium loco eſſent, jus tamen gentium valuit. Ita & Aulus Poſthumius Volſcorum Legatos nulla injuria affectos remiſit, qui ſub honeſtæ legationis ſpecie Romanas legationes exploratum venerant, Dionyſ. Alicarnaſ. *lib.* 6. Satiuſque putatum omni tempore fuit bis aut ter nocentem pœnis legitimis non conſtringere, quàm fidem publicam frangere, *arg. l.* 1. *C. de his, qui ven. ætat. impetr.* Quod obſervavit in Legatis Carthaginenſium Scipio Africanus, qui, etſi non induciarum modò a Carthaginenſibus fides, ait Liv. *lib.* 18. ſed etiam jus gentium in Legatis ſuis violatum eſſet, tamen ſe nihil, nec inſtitutis populi Romani, nec moribus ſuis indignum facturum dixit, & Legatos dimiſit.

7 Atque in contrariam ſi ire libet ſententiam, metus eſt, ne idem Legato Regis punientis contingat. Cùm enim Legati Carthaginenſium de ſuorum impietate erga Romanorum Legatos audiiſſent, certum ſibi ob eam cauſam imminere ſupplicium judicabant, Polyb. *lib.* 15. *hiſtor.* In Gallia, verba ſunt Guicciardini *lib.* 18. *hiſtor. Ital.* Rex Legati ſui captivitate audita, Cæſaris Legatum in Lutetianam arcem, quæ Caſtellarum vocatur, conjici juſſit, & per totam Galliam mercatores Cæſaris ſubjectos retineri mandavit. Idem quoque quod ad Cæſaris Oratorem attinebat facit Angliæ Rex. Quod argumentum videtur collimaſſe Gentil. *lib.* 2. *c.* 18. *de legat.* Bonæ opinionis vult ille ex ſententia Platonis rationem habendam eſſe, & ideò nec violandas ſuſpicione legationes. Quis verò ſuſpicione violatum Legatum non dicet? Meminerimus ejus, quod a Vero ſcriptum Marco fuiſſe Volcatius refert: *In cauſis Majeſtatis*, dicebat ille, *hæc natura eſt, ut videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim quid avus tuus dixerit: Miſera conditio Imperatorum, quibus de effectu tyrannidis, niſi occiſis, credi non poteſt.*

Quod ſi deliquiſſe Legatum conſtet, remittatur ad ſuum Principem puniendus, ei enim, non alii ſubeſt, Gentil. *lib.* 1. *c.* 8. *Hiſpan. Advoc.* Is ergo, & non alius eum judicare poteſt, itaut avocationi locus ſit, Gail. *l.* 1. *obſerv. n.* 5. Atque hac ratione inter cæteras Clemens P. Pontifex Henricum Imperatorem non potuiſſe Robertum Siciliæ Regem Majeſtatis damnare contendit, quod domicilium non Imperio, ſed in Regno Siciliæ, quod feudum in Eccleſia Romana habere, *Clem. Paſtor. verſ. Nos quoque de ſentent. & re judic.* Contenduntque Juris Interpretes crimen læſæ Majeſtatis a non ſubdito haud committi, Menoch. *lib.* 1. *conſ.* 99. *n.* 16. *& ſeqq.* Decian. *conſ.* 18. *n.* 329. *vol.* 1. Quod nuper in Legato Hiſpano in Reginam Angliæ conjurantem apertè reſpondit Gentil. *lib.* 2. *cap.* 18. *de legation.*

8 Verùm alii planè id affirmant, quibus etſi in omnibus non conſentiam, tandem tamen puto hac in re diſtinguendum eſſe cum ſanioribus, aſſerendumque Legatos ſive Oratores, eorumve comites, famulos, atque aſſeclas puniri poſſe a Principe, ad quem miſſi fuerint, ſi deliquerint contra jus gentium, aut naturale. Quod in primis annotarunt docti viri, ex Theologis Thomas Delbene *de Immun. c.* 16. *dub.* 15. *ſect.* 2. & ante ipſum Paſqualigus *dec. moral.* 508. ex Juriſtis Decian. *volum.* 2. *lib.* 7. *c.* 5. *n.* 27. Farinac. *in prax. crimin. q.* 112. *n.* 174. Arumnæus *in diſcuſſ. Acad. de jur. publ. vol.* 7. *diſcept.* 21. *& in Aur. Bull. diſc.* 1. Toloſan. *de Republ. lib.* 11. *c.* 16. *n.* 9. & ex politicis Adamus Contzen. *in Politic. lib.* 7. *c.* 36. *§.* 5. *& lib.* 13. *cap.* 7. *§.* 4. Brun. *de legat. lib.* 4. *c.* 4. Germon. *item de legat. lib.* 3. *c.* 7. Paſchalius *eod. argum. c.* 74. *cum ſeq.* Hortman. *eod. tr. c.* 4. *n.* 3. Alberic. Geotil. *etiam de legat. lib.* 2. *c.* 10. Marſelaer. *itidem de legat. lib.* 2. *diſſert.* 13. & *ſeqq.* Timpler. *lib.* 3. *polit. cap.* 4. *q.* 3. *in fin.* Arſeus *de jur. Majeſt. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 12. Chriſtian. *in colleg. polit. exercit.* 11. *n.* 43. Cochier. *de legat. cap.* 42. Danæus *in aphoriſm. politic. ex Livit. lib.* 2. *aphor.* 4. Idque jure per ſubſequentes rationes contendo.

Jure gentium ſolo cenſetur Legatus, *d. l. ultim. ff. de* 9
legat. Verum Legatus in Principem, vel in Rempublicam conjurans, aut aliter delinquens, contra jus gentium agit, etiamſi ſceleris effectu potitus non ſit. Quia ad juris gentium eſſe perhibetur, quo gentes utuntur, *§. Jus autem civil. inſtit. de jur. nat, gent.* Gentium verò inſtituta, moreſque conjurantem, aliterque enormiſſimè delinquentem, licet effectum non ferat, puniunt. Curt. *lib.* 6. *hiſtor. Juſtiæ. lib.* 10. Plutarch. *in Artaxerſe, & in Cleomene, & in Agide*, Polyb. *lib.* 2. *hiſtor.* & habetur *ex l. Quiſquis, C. ad Jul. majeſt.* Gail. *lib.* 1. *de pac. publ. cap.* 14. *a num.* 4. Ubi omninò vide. Jus gentium ergo etiam punit conatum. Et ſi non puniret, miſerrima Principum foret conditio, quibus de effectu tyrannidis, niſi occiſis credi non poſſet, ut jam dictum. Et clementia Principis alium ad ſimilia invitaret, qui inſtrueret populos, & rationibus, quibus Dominum naturalem interficerent, informaret, ſi ſola dimiſſione, quę etſi labem ſecum trahat, non tamen condigna eſt tanti criminis molimine, utpotè, quæ in patriam ad ſuos reditum ſaltem ipſi imponit, ſe tutum ſciret. Etenim, ut Cicero *3. offic. & pro Milone* ait, quotuſquiſque reperietur, qui impunitate propoſita abſtinere poſſit injuria? Ea enim maxima eſt peccandi illecebra. Ita quod veriſſimè, & audenter dixerim cum eodem Oratore *epiſt. ad M. Brutum*, ſalutarem ſeveritatem vincere inanem ſpeciem clementiæ. Quod etiam dixerat Mareianus *l.* 10
11. *ff. de pœn.* Severitatem enim in tempore adhibendam nemo quiſquam eſt, opinor, tàm ſine oculis, qui non videat, cum ea fundamentum ſit, & baſis omnium Imperiorum. Eam autem non tam ob offenſas, quæ Principis perſonam reſpiciunt, quàm quæ civilem politiam lædunt, publicamque quietem interturbant exerceri, idque meritò volunt ſapientes. Hujuſmodi verò crimina ſunt, quæ ultima pœna legibus vindicantur, quibus ſi Princeps ignoſcit, nil certè aliud efficit, quàm quod delinquendi materiam incendit etiam in ejus ipſius perſonam. Siquidem permittit Deus ſæpè, ut qui parcit nocentibus, & improbis, ab iiſdem quoque puniatur, & ipſimet vindicent injuriam illatam Reipublicæ, cujus nimirum maximè intereſt maleficia impunita non eſſe, *l. Ita vulnerata ff. ad l. Aquil.* Toloſan. *de Repub. l.* 10. *c.* 11. Idque per impunitatem ſibi conceſſam in perſona concedentis. Hinc Saul Regno privatus eſt judicio Dei, quod Agag Regem contra præceptum Dei vivum conſervaret 1. *Reg.* 20. Et de talibus, ſeu iis, qui ſceleratos tolerant D. Auguſtinus *epiſt. ad Bonif.* inquit: *Quomodo Reges ſervient Domino in timore, niſi ea, quæ contra juſſum Domini fiunt religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo?*

Nec incognitum eſt, quod ſub fide publica Princeps, 11
ad quem Legatus mittitur, decipi non debeat, *arg. l.* 1. *C. de his*, qui *ven. ætat. impetr.* Celſus Bargal. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 17. *de dolo*. Hinc fruſtra legatus ſuum obtendit privilegium, quia id extra caſum eum, de quo loquitur, non extenditur. Ille autem ita demum legationis jure gaudet, ſi ſe legatum, non proditorem, aut delinquentem oſtenderit. Eleganter Fabius *declamat.* 12. *Sed legatus fuiſti?* ait: *Quid tamen ipſum? Quid eſt aliud, quam rem tractare? Rem autem qui malè agit, ut arbitror, lædit. An exiſtimat hanc Legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunque ſcelera in eo commiſerint officio, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimium invidendam hujus legationis conditionem, ſi tibi legem remiſit.* Ut jure Ovidius ad rem cecinit.

Judice me, fraus eſt conceſſa repellere fraudem,
Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

Et jura violanti, ſi jus non præſtatur ei, non violari, ſed jus reddi creditum eſt, ait Gentil. *lib.* 2. *de legation. c.* 2. Æquiſſimum

muna enim juxta Hesiodum talionis æquilibrium est, cum par pari refertur, cumque eadem cuique rei lanx, & mensura reponitur. Ideòque retaliatio nec lege Mosaica, nec duodecim tabulis, nec ipsius naturæ dictamine videtur inhiberi.

12 Et quidem si jam legatus quispiam fidem, quæ est fundamentale, ut ita dicam, legationis caput, violet, si ille idcircò legatus acceptus, ut justè & ex æquo cum Principe agat, injustè ac sacrilegè se gerat, an quisquam ita insulsus est, ut Principi putet necessitatem incumbere fidem legato commissam servandi, quam legatus priùs fidem Principi datam adeò scelerate contempserat? At longè aliter jus gentium docet, & ratio communis loquitur. Frustra enim, inquit jus civile, & Canonicum, fidem sibi quis postulat servari ab eo, cui fidem a se præstitam servare recusat. Nec obstringitur qui juramento adimplendum, quod juravit, si ab alia parte non impletur, cujus respectu præbuit juramentum, *regul. jur.* Decret. Gregor. *lib. 2. tit. 24. cap. 2. & 29.* Glos. notat *in cap. 1. §. fin. v. utilitatem de nov. form. fidel.* Bald. *ibi num. 5.* Afflict. *num. 9.* Eò quòd juramento tacita inest conditio, quatenus placita serventur, text. *in cap. Quemadmodum, & in cap. Pervenit ad nos de jurejur.* & conventio de non solvenda fide intelligitur si promissa serventur text. *in l. si convenerit, ff. pro Soc.* Bart. *ibid. nu. 1.* text. *in l. Quæro, §. Inter locatorem, ff. locat.* Frustraque, & stolidè is fidem violatam inclamat per cujus antecedentem perfidiam stetit quominus fides, quam mutuo percusserant, fixa permansit, ac rata. Ubi tam expressè civilis contractus intercedit, *facio ut facias*, quàm clarum est, hunc contractum esse irritum, si altera pars a promisso discesserit? *Si tu me non habeas ut Senatorem*, dicebat Consuli Romano Senator optimus, & vir Consularis Cicero in Orator. lib. 3. & 2. Philip. *cur ego te habeam Consulem? Non ego tractavi te ut Consulem, nec tu me ut Consularem.*

13 Id quod & pagani ratione ducti manifestò confitentur. Sic enim inquiunt illi apud eundem Tullium *de offic. lib. 1. Ea, quæ videntur digna justo homine, sæpè commutantur, & fiunt contraria, ut non reddere depositum furioso, nec facere promissum. Quæque pertinent ad veritatem, & fidem ea negare interdum, & non servare justum est. Referri enim decet ad fundamenta justitiæ primùm, ut ne cui noceatur, deindè ut communi utilitati serviatur, quæ cum tempore commutantur, & illa quoque promissa commutantur.* Qui enim potest Princeps obligari fide, quæ secum manifestum trahit Reipublicæ præjudicium, & damnum? Neque verò dicenda est fides, sed perfidia, qua ad peccatum aliquod admittendum impellimur. Inter Principem itaque qui legationem mittit, & eum, qui admittit quodam velut consensu videtur statui, & contrahi, ne quemadmodum offendi Legatus non debet, offendere quoque non possit.

14 Immò in omni mandato, & privilegio utilitas publica excepta credi debet, *l. Si quis in gravi, §. Is quoque, ff. ad Silan.* Etenim fieri non potest, ut jus publicum privatorum pactis immutetur, text. *notab. in cap. Si diligenti de for. compet.* Glos. singul. *ibid. v. pacto*, & text. *in l. Jus publicum, ff. de pact.* Capit. *in tract. de num. testam. par. 1. cap. 6. num. 4. & cap. 7. num. 18.* Pyrr. *in consuet. Aurelian. tit. de pact. cap. 11.* Gail. *lib. 1. observ. 40. num. 8. & observ. 53. nu. 16.* Immò juri publico pactis privatorum etiam juratis derogari non potest, *d. l. Jus publicum, ff. de pact. l. 1. ff. de testib.* Excepta itaque erit & in Legati privilegio, quod adversus Rempublicam, ejusve utilitatem valere non potest. Et, si, ut vult non nemo Legatum Principis sui majestatem tueri ita deceat, ut ejus, ad quem missus est, illæsa majestas servetur, utique si eam læserit, pœna eum constringi res exigit. Sunt enim hæc consequentia, offendere si prohibitum, pœnam infligere offendenti permissum erit. Egregiè Plutarchus: *Qui nos docuit sagittare, non vetuit jaculari, sed vetuit, ne aberraremus a scopo.* Ita non interdicta punitio, sed in tempore, & aptè facienda.

15 Deindè Legatus fines mandati diligenter observare debet, quos si excedat, non ut Legatus, sed ut privatus agit, *l. 16.* ibi: *Non nisi injuncto munere fungitur, ff. de legation. l. 5. ff. mandati.* Siquidem jus, & privilegium legationis, quod habet, ex mandato habet, quod si transiliat, qualitas Legati non attenditur. Et hoc est, quod dici meretur: *Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, cap. Ubi, d. 74.* & præclarè ad rem Justinianus Imperator ad Legatos suos Bizantinos rescribit. *Tandiu jus non violandorum legatorum servandum esse, quoad ipsius legationis, honestatemque servaverint. Nimirum jure aliquo abutitur, ejusdem patrocinium indignus est.* Tantum enim abest, ut libertas licentiæ manum porrigat, ut etiam majori pœna digni judicentur ii, qui honoribus, & dignitatibus aucti, privilegiisque, & immunitatibus muniti, iidem ad injuriam, aut contumeliam indignè abutuntur.

Non suffragatur Legatis, quod ex causa nova, quæ 16
committentem latebat quandoque ex tempore pro re nata, limites mandati sui pro utilitate, & in rem Domini excedere possint per textum valdè singularem, *in l. Si nominem, ff. mandat.* ubi procurator generalis potest ex justa causa, quam Dominus ignorabat, fines mandati excedere, & mutare ea, quæ sibi a Domino specialiter erant commissa. Quod tenet Crement. *singular. 151.* Trigona *singular. 32. num. 2.* Corsett. *in singularibus suis, v. juramentum* Alex. *ad rubr. & ad leg. 1. ff. de offic. ejus, cui mandat. est jurisdict.* Jas. *in leg. Non solùm, §. morte n. 17. de ff. nov. oper. nunc.* Maximè si mandato, vel instructioni, ut vocant generalis illa clausula inserta sit: *Reliqua tuæ prudentiæ, & discretioni committimus.* Prout hoc exemplis declarat Crement. *dict. singul. 151.* & ego quandoque cum laude in gravissimis causis Legatos Principum fecisse, & memini, & legi. Quandoquidem mandatum non definitum, ac determinatum esse debet, sed liberum, ut rebus turbidis consulere possit, ne id eveniat, quod Tacitus *lib. 19.* scribit: *Ex distantibus terrarum spatiis consilia post res afferebantur.* Et Romani libera mandata Legatis, ac exercituum ducibus dabant, id solummodo eis recordantes, ne Respublica aliquid detrimenti caperet.

Nam respondeo primò, tutius esse, si tempus, & oc- 17
casio ferant super nova, & incidente causa committentem consulere, ne si res aliter opinione cadat, ipsi Legati in vitæ, honoris, & bonorum periculum, ob non arctè servatum mandatum adducantur, cùm mandati fines, præsertim in negotiis principalibus diligenter custodiendi sint, text. *in l. diligenter, ff. mandati, & in l. sed & si pupillus, §. Conditio ff. de instit. act. cum similibus.* Deindè accipi debet eo modo inferius, *§. Quodque dicitur* explicando. Demum clausula illa, aliæque similes intelligendæ sunt de prudentia, arbitrio, & discretione, rationi consentaneis; Deficiente enim ratione, non prudentia, sed fatuitas censenda est. Amplissimè Felin. *in cap. 1. n. 51. de Constit. & in c. Ne innitaris nu. 2. eod. tit.* ac utrobique Doctores. Hinc turpis conditio dicitur non esse potestativa, quia id tantùm possumus, quod honestè, & sine cujusquam injuria possumus, *l. Reprehendenda*, ubi plenè per Cornel. & Dec. post alios, *C. de instit. & substitut. l. Nepos Proculo*, ubi per Alciat. *ff. de verb. signific. l. Lucius, ff. de condit. & demonstr.* Et multa de hac mentita potestate Loaz. *in cons. pro March. de Vel. dub. 1.* Socin. *cons. 164. lib. 2.* Cardin. *in Clem. Pastoralis de re jud.* aliique quamplures.

Ut omittamus eum, qui plus potest, arctioris pœnæ 18
metu constringendum esse, argum. *l. 9. C. ubi caus. fiscal.* Plus autem potest legatus propter muneris, quo fungitur dignitatem, constringi ergo arctioris metu pœnæ debet, & non solùm legati, verùm etiam ut Principis, ad quem missus in tuto sit salus, providendum erit, qui si lædatur pœnas a ledente meritò exigit. Atque ita casum hunc definit Paulus Jurisconsultus *in l. Non aliàs 24. §. 1. ff. Judic.* Legati ex delictis in legatione commissis, ait, coguntur judicium Romæ pati, sive ipsi admiserunt, sive servi eorum. Nec replicetur, textum loqui de legatis Provincialibus, seu municipalibus Quia illi, ut subditi, legatos ad Romanos non mittebant, Gentil. *lib. 2. cap. 10. de legation.* Hinc Carolus V. Imperator legatos Ducis Mediolanensis sibi subditi, & bellum machinantis carcere conclusis. Loquitur ergo Paulus de legatis hostium, aut fœderatorum.

Idem quoque confirmatur ex fine juris gentium, ultra 19
quem se non extendit. Jus enim quodlibet, ac quælibet lex non extenditur magis quàm exit finis, *c. fin. de præb. & in l. In aqua, ff. de acquir. rer. dom.* Finis autem, qui movit gentes ad habendos legatos pro sacrosanctis non aliud est, quam ut publicum negotium, peregrè, & auctoritate publica liberè agant, sed in toga, non in sago, ingenii, & eloquii propriè viribus, non armorum, aut manus, ut sint immunes ab injuria, non impunes a delicto, quia hoc non spectat ad munus legati, qui, ut veteris Poetæ verbis utar, est.

. . . . . *Vox Regum, lingua salutis,*
Fœderis Orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis,

Offendi igitur non debet, quia inerme hoc munus est, mandata, non armata adfert, verba, non verbera. Sed si velit offendere, jam munus ipse suum exuit, & violat, ut proindè neque intollerabilis esse debeat, quia inviolabilis, neque ad injurias descendere qui potissimum mittitur; ut injuriæ cessent.

Ex quibus non solùm potest Princeps punire legatos ad 20
se mis-

ſe miſſos, ſi deliquerint, ſed etiam tenetur. Primò, ex ipſo jure gentium, quod eſt præceptivum. Martinez 1. 2. *qu.* 95. *art.* 4. Lorca *diſp.* 7. *de legib.* Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 18. & alii. Nam tunc lex habet vim obligandi, quando eſt medium neceſſarium pro aſſequutione finis. Quia cùm non poſſit obtineri ſine obſervantia legis, lex obligat ad obſervantiam, cùm ſit expreſsè efficaci intentione finis. Quæ autem ſunt de jure gentium, ſunt neceſſaria ad conſervandam Rempublicam liberam ab omni injuria, aut illam vindicandam. Quin Victoria *relect.* 6. *de jur. bell. num.* 19. ait, hoc eſſe nedum de jure gentium, ſed etiam de jure naturali. Quod etiam docent Bannes, Lorca, Sylvius, Hurtadus, Cajetanus, ac D. Thomas apud Paſqualigum *d. dec.* 508. *n.* 11.

21 Secundò, tenetur ex pietate, & ex juſtitia commutativa. Qui Princeps, ſi conſideretur, ut privata perſona, eſt nobiliſſima pars Reipublicæ, & ſic lege pietatis tenetur pro ſuis viribus Rempublicam tueri. Si ut Superior communitatis, cui ex officio incumbit publici boni curatio, ac protectio, tenetur ad eadem obſequia externa pietatis lege juſtitiæ. Quia ad eum pertinet architectonicè procuratio boni communis.

22 Ideòque partes Reipublicæ tributa, & alia ſtipendia ſolvunt, quibus Princeps potitur, ut ſeipſum defendat, & bono communi Reipublicæ proſpiciat. Commoda autem quandiu quis ſentit, tandiu jungat, & onus emolumenti ſuadet æquitas, & regula juris docet, *cap. Qui ſentit de reg. jur. in* 6. Et non eſt ferendum, ut qui lucrum amplectitur, onus ſubire recuſet, *l.* 1. *§. pro ſecundo, C. de caduc. toll. &c. Qui Epiſcopatum* 8. *qu.* 1. & alibi. Quo fit, ut Princeps quaſi ex pacto cum Republica locatas operas ſuas habeat ad hæc omnia exhibenda, eaque de cauſa non minus ex juſtitia commutativa ea præſtet, teneaturque reſarcire damna, quæ, niſi ſuum officium præſtiterit, ſequentur, quàm qui operas ſuas alicui locatas habet ex juſtitia commutativa eas præſtat, teneaturque reficere damna, quæ, ſi eas non præſtiterit, fuerint ſequuta. Unde indubitati juris eſt Principem ratione juriſdictionis, & ex debito juſtitiæ ad ſubditorum ſuorum defenſionem abſque ullo effugio obligatum eſſe, ne ſubditi offendantur, ſed in ſua ſecuritate, & pace permaneant per textum *in cap. Regum, & cap. Adminiſtratores* 23. *quæſt.* 5. *& cap. Non in inferenda ead. quæſt.* 3. Et doctrinam Claud. Seyſel. *in repet. l. Ut vim num.* 170. *de juſt. & jur.* Coler. *conſ.* 39. *num.* 47. Adeòut etiam ſecundùm Theologorum opinionem, ſi omiſſa protectione, non obſtiterit damnis, aut periculis populo imminentibus, teneatur ad reſtitutionem damni illati, teſte Cagnol. *in l. culpa caret n.* 5. *& 6. ff. de regul. jur.* Vaſquez. *illuſtr. controv. cap.* 43. *nu.* 11. ubi prolixius.

23 Quare Princeps non ſolùm pacem Eccleſiæ in Religionis Chriſtianæ unitate cuſtodire, *leg.* 8. *in princ. verſ. Nam pax Eccleſiæ, & §.* 4. *&* 5. *C. de ſumm. Trinit. cap. fin. d.* 96. *in princ. & cap.* 1. *&* 2. *d.* 97. *cap. Qui contra libert. Eccleſ.* & paſſim Doctores, ac Lipſius *lib.* 4. *politic. cap.* 2. ſed etiam ſecuritatem publicam in Provinciis ſibi ſubjectis per conſtitutiones, & officia ſua civilia, & militaria jugiter tueri obligatur, *leg. Nam ſalutem* 3. *in princ. ff. de offic. Præf. Vigil.* 3. *in fin. & l.* 1. *in princ. ff. de offic. Præd. d. l.* 2. *C. de offic. Præf. Præt. Afric. l.* 4. *C. de offic. mag. mil. l. unic.* ibi: *ut modis omnibus quæ pro univerſarum Provinciarum ſalute ſancimus, ſortiantur effectum, Cod. ut omnes Judic. tàm civil. quàm milit.* Attento quod ſalus populi Principatus finis ſit, *Nov.* 149. *cap.* 3. Omnes bona facientes protegat, *auth. Habita, Cod. Ne filius pro patre*, & illæſos conſervet, *Nov.* 85. *in princ.*

24 Ac proinde legum quoque defenſio, & cuſtodia ad Principum gladium portantium, ut nempè vindices legum ſint, curam, & ſolicitudinem communi omnium gentium jura pertinet, Jo: Baptiſta *in d. l. Nemo* 13. *C. de ſent. & inter loc. n.* 87. Bechtius *diſp. de ſecurit. & ſalvocond. concl.* 42. Sanè non tàm eſt Medeæ dictum, ſed Pietatis, immò & Juſtitiæ apud Senecam *verſ.* 222.

> ..... *Hoc Reges habent*
> *Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies*
> *Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare*
> *Protegere.*

Ad quam ſubditorum defenſionem & ſecuritatem, ut Reges tanquam ſcutum eorum ſe natos intelligerent, elevationes, ſeu erectiones in ſcuto antiquitus in eorum inauguratione obſervatæ fuerunt, ut rectè ex Simon. Majol. *dier. canic. tom.* 5. *concl.* 5. adnotavit Hopingh. *diſſert. de jur. poteſt.* Hinc & Hebræi vocem *Mogen*, id eſt *ſcutum* pro ipſa protectione uſurpare ſolent. Et ea de cauſa Imperatores olim Principibus juriſdictionem, & alia Regalia conceſſerunt, ut ipſi eo alacrius, & potentius ſubditos ac populos ſuos contra hoſtes defenderent, poſt Ferrar. Mont. Thom. Mich. *de juriſd. concl.* 44. *lit. B.* Eundemque ob defenſionis finem in Imperii Germanici, & Franciæ finibus Caroli Magni ſucceſſores variis diſtracti bellis, cùm Danis, & Normannis omnibus in locis reſiſtere non poſſent, viris magnanimis, & bellandi gloria deprædicatis, diverſas ditiones patronali ſibi jure retento, dono dederunt, ut ex Pont. Hubert. *rer. Burgund. lib.* 6. teſtatur Hopingh. *diſſert. de jur. Advoc. concl.* 12. *ſub lit. C.*

Et de Principibus, aliiſque Dominis temporalibus ſunt 25
textus *in d. cap. Adminiſtratores, & c. Princeps* 23. *qu.* 5. Adeòque illi ſubditos defendere tenentur, ut ſi id facere omittant, neque hi illis ſervire obſtricti ſint. Omnes etenim legitimi Reges, Rectores, Principes non propter ſe, aut ſuam, ſed propter ſubditos, ſubditorumve utilitatem creati, delecti, ac dati intelliguntur, ad ſimilitudinem, & imaginem minorum tutelæ: *Ut enim tutela*, ait Tullius lib. 1. offic. *ſic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.* Et quemadmodum inventa fuit ad tuendum eum, qui ſe per ætatem tueri non poteſt, ita & Principatus ad tuendos eos, qui ſeſe adverſus potentiorum injurias, rapinas, violentias, impetus tueri non poſſunt, humanis neceſſitatibus id exigentibus, introductus eſt, Bald. *in leg. Ex hoc jure, ff. de juſt. & jur.* & notatur per Gloſ. *in leg.* 2. *§. poſt originem, ff. eod. & in l.* 2. *§. pen. de orig. jur.* Pariſ. de Put. *de ſyndic. tit. de exceſſib. Regum.* Quam in rem eleganter Cicero lib. 1. offic. *Omnino*, inquit, *qui Reipublicæ præſunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum Reipublicæ corpus ſic curent, ne cùm partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.* Idipſum ſentit Ariſtotel. 3. *politic. cap.* 11. *& lib.* 5. *ethic.* & pluribus allegatis Vaſquez *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 10. Guerrierius *in theſ. Chriſt. Relig. cap.* 54. *num.* 1. *&* 19. ubi ad hoc allegat D. Thomam *in opuſc.* 20. *ad Duciſſam Brabantiæ.*

Et rectè. Ideò enim Principes temporales gladium a 26
Deo acceperunt, ut pacis cuſtodes, & hominum ſibi ſubjectorum defenſores exiſtant; Bened. Aret. *problem. Theol. part.* 1. *rubr. An Chriſtianis vim & injuriam propulſare liceat.* Ideoque in Regum coronatione gladius eis porrigitur ad vindictam planè malefactorum. Quippè Princeps juxta illud Apoſtoli *ad Roman.* 23. non ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. Et hæc quidem ordinariæ protectionis obligatio non ſolùm rerum temporalium defenſionem complectitur, ſed etiam ad defenſionem Eccleſiæ, & bonorum ejuſdem porrigitur per Gloſ. *in cap.* 1. *de ſuppl. negl. Prælat. in* 6. Mart. de Garz. *tract. de Princ.* ubi dicit, quod Principes ſæculares adeò teneantur ad protectionem Eccleſiæ, ut ſi vocati non defendant, excommunicari poſſint per Gloſ. *in c. Adrianus* 2. *d.* 63.

Ac generatim denique vi juriſdictionis ſibi competen- 27
tis omnes & ſinguli Principes, ac Magiſtratus ad ſubditorum ſuorum defenſionem obſtringi docet textus *in l.* 1. *§.* 12. *de offic. Præf. Urb.* Innoc. *in cap. Pro illorum de præb.* Bologn. *in l. ut vim num.* 8. *de juſt. & jur.* & ante eum Panorm. *in cap. Quarto de ſent. excom. & cap.* 1. *de reſt. ſpol.* Et facit, *l.* 1. *§. hujus ſtudii, ff. de juſt. & jur.* Bald. *conſ.* 88. *num.* 5. *vol.* 7. ubi tradit quod ad quemlibet Dominum pertinet defendere cauſam, & patrimonia ſubditorum. Innoc. *in cap. Dilecti extr. de appel.* Matt. Steph. *lib.* 2. *de juriſp. par.* 1. *cap.* 1. *memb.* 1. *n.* 15. Felin. *in c. Auditis n.* 27. *de præſcript.* Gloſſa & DD. *in c.* 4. *in fin. de privil. in* 6. Ayrer. *de hom. neceſſ. p.* 1. *n.* 286. Vaſquez *illuſtr. contr. cap.* 43. *nu.* 11. Sicut enim ſubditi juris naturalis æquitate, atque inſtinctu tenentur afferere ſtatum Dominorum, Pruch. de Reg. *cap.* 3. *n.* 35. Abb. *in cap. Pervenit n.* 1. *de Immun. Eccleſ.* Natt. *conſ.* 557. *n.* 7. *tom.* 3. Card. Tuſc. *pract. jur. concl. tom.* 6. *lit. P. concl.* 133. Petr. Anton. de Petr. *de jure quæſito per Princip. non toll. c.* 15. *n.* 42. ubi hoc ipſum de incolis etiam affirmat; ita & hi viciſſim ſubditorum, *c.* 1. *in fin. de form. fid. c. Jus militare d.* 1. *cum ſimilib.* Coler. *conſ.* 39. *n.* 47. Gail. *de arreſt. Imper. cap.* 6. *n.* 23. *& c.* 8. *nu.* 3. Sixtin. inter *conſ. Marp. conſ.* 8. *n.* 46. *vol.* 3. ſubdens, quod divina & humana jura cuilibet ordinario Magiſtratui ſeriò jubeant ac velint, ut ſuos ſubditos, eorumque bona contra injuſtam vim defendant, ac tueantur. Hinc appoſitè Vida *lib.* 2. *de Rep. dignit.* Princeps, inquit, & qui aliis præſunt tales eſſe oportet, ut cogitent civium ſe potiùs patrocinium ſuſcepiſſe, quàm imperium, aut dominationem. Neque enim Principatus ipſe finis eſt, aut altitudo illa, & ſplendor, ſed populi bonum, ideſt directio ejus, & tutela. *Officium eſt imperare, non regnum*, ait Seneca. Quod etiam perpul-

chrè

chrè notavit Boer, *in auth. magni conf. in 1. addit. magn. n.* 131. & communiter tradunt Doctores, præsertim Albert. de Rosat. *in l. Decernimus, C. de Episc. & Cler.* Bart. *in tract. de Reg. civil.* Glos. & Abb. *in Clem. un. de baptism.* Luc. de Penn. *in l. militaribus, C. de decur. lib.* 10. Et breviter Principis munus est, ait Panegeristes, *admittere in animum totius Reipublicæ curam, & populi fata susçipere, & oblitum quodammodo sui, gentibus vivere. Accipere innumerabiles undique nuncios, totidem mandata dimittere de tot urbibus, nationibus, & Provinciis cogitare, noctes omnes, dieſque perpetua solicitudine pro salute omnium cogitare.*

28 Inter istos Tyberius Imperator, qui pulchra voce, utinam & rei testatus in pleno Senatu: *Dixi & nunc & sæpè aliàs P. C. bonum, & salutarem Principem, quem vos tanta, & tam libera potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universi civibus, sæpè ac plerumque etiam singulis. Neque id dixisse me pœnitet.* Serviat scilicet in bono omnium procurando, in justitia administranda, injuria arcenda. Quod Trajanus item Imperator considerans, cùm Præfectum suum Prætoris de more gladio succingeret, daretque vitæ, & necis potestatem: *Cape hunc*, inquit, *& si quidem recte, & ex utilitate omnium imperavero, pro me; sin aliter contra me utere.* Jam Adrianus Imperator quoties auditus est dicere? *Ita se Rempublicam gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam.*

29 Atque ideò tales Rectores Plato non dominos, sed Reipublicæ servatores vocat, quorum tutela tutò ac liberè vivitur, nulliusque rei cura major eis incumbit, quàm civium libertas; quæ ab æquitate proficiscitur, cujus nihil magis est proprium, quàm pari jure vivere in multitudine. Quare Principes videntes aliquem suæ jurisdictioni subjectum in periculum constitutum ei omninò succurrere tenentur, quantum possunt. Quia idcircò Magistratus officio suo fungitur, ut subditorum saluti prospiciat, *leg. 2. §. Originem 13. ff. de orig. jur. l. 1. §. 12. ff. de offic. Præf. Urb. l. 3. & l. 6. §. 2. ff. de offic. Præt. l. ult. ff. quod met. cauſ.* Quapropter non solum instructus est satellitibus, & apparitoribus, sed etiam imperio, ut mandare aliis possit, quo tali subveniant, & auxilium præstent, ut præclarè docuit Georg. Obrech. *tract. de defens. cap. 7. n. 50.* Gail. *de arrest. cap. 8. nu. 12.* Unde pariter omnes, & singuli Magistratus obligati sunt territoria sua purgare a malis hominibus, *leg. 3. & 13. ff. de offic. Præf. l. 4. §. 2. ff. ad l. Jul. pec.* Boss. *de acquir. n. 76.* Mysinger. *cent. 5. observ. 70.* Gail. *lib. 2. observat. 64. n. 2.*

30 Hæc autem non tantùm locum obtinent in Principe sæculari, sed etiam in Ecclesiastico, præsertim Summo Pontifice, qui in primis non solùm Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, sed alios etiam sibi subjectos homines sæculares instar aliorum Dominorum temporalium protegere tenetur, ut Leo IV. de seipso rescripsit sequentibus verbis *c. Scire 23. qu. 8.* relatis: *Scire vos*, inquit, *oportet, quod nunquam ab aliquibus nostros homines finimus opprimi. Sed si necessitas ulla occurrerit, præsentialiter vindicamus. Quia nostri gregis in omnibus cultores esse debemus, & præcipui adjutores.* De incumbenti verò Episcopis ordinaria suorum defensione in Concilio Toletano IV. circa tempora Honorii I. celebrato *c. 13.* statutum expresè fuit, ne scilicet Episcopi, eam nempe defensionis curam a Deo sibi impositam abigere debeant, Hoping. *dict. dissert. de jur. protect. tit. 13. lit. B.* Atque ad eos maximè pertinet magna solicitudine ad hoc intendere, ut apud suos omnia sint tutissima, *c. 1. d. 86. c. 1. §. Episcopos*, & ibi Alvarot. *de pac. juram. firm.* Cardin. *in Clem. 1. notab. 10. de offic. Ordin.* Zas. *consil. 15. num. 10.* Idque meritò. Quantò enim eorum potestas dignior, & major est sæculari, *c. solit. de major. obed.* tantò diligentiores esse debent in sui officii exercitio, & subditorum suorum cura ac defensione administranda.

31 Et sanè si Clerici contra fidem vel pacem publicam vi armata offendantur, dubium non est, quin vi armata resistere, se, suaque tueri possint, cùm defensio sit non solùm juris naturalis, sed etiam divini, omniaque jura vim vi repellere permittant, text. *in l. vim vi, ff. de just. & jur. & in cap. Si verò 2. de sent. excom. & text. in cap. significasti 2. fin. de homicid.* ubi elegans Glossa *v. Tutelæ*, text. *in l. 1. Cod. unde vi, & in l. 3. §. Cùm igitur, ff. de vi & vi armat.* text. *in leg. 1. §. vim vi. ff. eod. tit. & in l. scientiam, §. Qui cùm aliter, ff. ad l. Aquil.* text. *in l. sed & partus, §. 1. ff. de eo, quod met. cauſ.*

32 Quod licet regulariter Clerici bellum movere non possint, quia neminem occidere, vel mutilare debent, aliàs honore, & exercitio ordinis privantur. Quia arma Clericorum debent esse lacrymæ, & orationes ex sententia D. Ambrosii, & aliorum Patrum auctoritate, prout prolixè notatur *in c. Non pila, & in c. Si mortem, & in c. Conveniat, & in c. reprehensibile 23. q. 8.* Nam cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non convenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire, text. *in c. Clericum, c. Miror., c. De his, d. 50. d. c. Reprehensibile.* Et D. Paulus *ad Timoth. c. 1.* hortatur Timotheum, ut laboret tanquam bonus miles Christi, & quod militans Deo non debet se implicare negociis sæcularibus. Tamen pro defensione sua, & rerum suarum atque Ecclesiæ arma sumere possunt. Quia non propriè bellum, sed defensio est, quæ omni jure permittitur, ut præclare concludit Innoc. *in c. Olim cauſam n. 7. de rest. spol.* Quare Prælati habentes jurisdictionem temporalem contra subditos inobedientes licitè movent arma, eosque pro tuitione jurisdictionis suæ meritò puniunt, text. *in c. auctoritatem 15. q. 6.* Glossa *ibid. v. Materiali*, Innoc. *in dict. c. Olim cauſam n. 8.* text. *in d. cap. 1. de pœn. in 6. & in l. Si quis forte, §. Si quis comitum, ff. eod. tit.* Facit text. *in l. Qui restituere, ff. de rei vind.* Alex. *conſ. 13. n. 10. vol. 6.* Quo casu non vellum, sed potiùs jurisdictionis exequutio fieri dicitur, Innoc. *ubi supra num. 8. & 9.* Nec audiendi sunt Juliani Apostatæ sequaces, cujus in mentem venit amarulentia tyrannica. Cùm enim Christianos, ac præsertim Ecclesiasticos per injuriam facultatibus exueret, Christi doctrinam de laude paupertatis, de contemptu opum, injuriæque prætexebat auferenti tunicam, dandum & pallium, percutienti maxillam præbendam & alteram. Pari sarcasmo Ecclesiasticis patientiam, humilitatem, charitatem, mansuetudinem commendant Pseudopolitici recentiores, ut rapinas, & tormenta feramus. Errant. Bella justa posse ab Ecclesiasticis geri mirum est proponi post tot bella etiam a Sanctis, a martyribus bellata. Non repugnat Ecclesiasticorum virtutibus gladius sublimium potestatum sive de castris sive de tribunali stringatur. Nulla patientia prohibet a Republica, ab innocentibus injurias, raptores, latrones repellere. Mansuetissimus hominum Moyses gladio usus est. Multum sanguinis fuit Rex ille, qui orabat: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Non est illa crudelitas sed necessaria defensio, quam natura omnibus concessit, gratia Christi non abstulit.

Legatos verò Summi Pontificis, quod attinet secùs di- 33
cendum est. Primò, quod cùm intra alienam ditionem erigant proprium Tribunal, pertinet ad ipsos recognoscere de delictis suorum comitum, famulorum, & assectarum. Quod esse a Summis Pontificibus declaratum fatetur Pasqualig. *eo loco num. 7.* & Delbene *d. cap. 10. dub. 15. sect. 2.* Equidem magnum hoc Ecclesiæ privilegium est in medio Romani Imperii, aliorumque Regnorum proprium Tribunal erigendi potestas. Hoc autem legitimum esse nos Doctor Gentium docet *1. Corinth. 6. 1. & seqq.* Quo loci Christianos quidem sic affectos esse Apostolus desiderat, ut pati injuriam, quàm inferri malint. Quia tamen in magna multitudine non deerant, qui sua pertinaciter tueri, aliena avidè appetere solebant, Judice opus erat. Ne verò inter Ethnicos lis agitaretur, in Ecclesia Judices legendos censuit. Hoc igitur est regale sacerdotium, cui cedere debuerunt gentilium Cæsarum leges. Si igitur Apostoli in Civitatibus tribunalia erigere, Judices constituere potuerunt, quis dubitet eos quoque judicasse multòque magis judicare potuisse? Dare enim potestatem judicandi plus est quàm judicare. Est enim architectonicæ potestatis. Lege Clementem *lib. 1. const. c. 49.* Augustinum *ep. 47. ad Proculejan. & de oper. Monachor. c. 29.* Secundò, quia Clerici in enormissimo quoquo crimine ante degradationem non possunt puniri per Judices laicos, etsi esset læsa Majestas humana, prout tradunt Gigas *tr. de crimin. læs. Majest. in rubr. Quis de crim. læs. Majest. cognosc. poss. n. 12.* Roland. a Vall. *conſ. 4. n. 6.* Boss. *tit. de for. comp. n. 127.* ac nos alibi. Sunt enim simpliciter exempti a potestate Principis sæcularis. Quæ nullo pacto dici queunt de Legatis sæcularibus.

Neque ab hac sententia nos dimovere debebunt illa, 34
quæ, pro parte altera disputata sunt. Nam priora procedunt, si se legatus, ut legatum decet, gerat. Legatum puniri nolumus, conjurantem sive aliter delinquentem plecti concedimus. Legatus inter hostium tela non conjurans, non delinquens, tutus est, Legatus ab eo, ad quem missus est judicari nequit, conjurans ac delinquens potest. Nam per delictum, forum in loco, ubi deliquit, sortitur, *l. 4. C. de commer. & mercat. l. 2. C. Quæ res export. non deb. Verùm enimvero*, inquit Marsealer ubi supra, *desinit esse legatus, qui esse proditor incipit, & deeens, immò justa ultio, quæ necessaria, quæ non libidine sæviendi, sed studio tuendæ dignitatis, & incolumitatis nata. Nec verò tenetur Princeps aliena scelera, injurias, proterviam cum sui indignitate, aut discrimine excusare, vel præterire. Itaque si eò animi legatus præcesserit*,

vit, ut hoſtis potiùs quàm hoſpitis videri poſſit officium profiteri, pœnæ ſe obnoxium ſciat, immò iræ, quæ non ſinit, moderatam pœnam eſſe. Thuanum verò nihil moror. Plus enim habet eloquentiæ, quàm veritatis.

35 Quodque dicitur ex mandato ſui Regis debere id facere legatum, apertè falſum eſt, & fallitur vehementer le Fayer dicto loco, dum per fas, & nefas legato ad mandatorum exequutionem graſſari licere exiſtimat. Ligatus enim cenſetur jure gentium. Jus gentium verò nihil aliud eſt, teſte Tullio *de legibus*, quàm ratio ſumma, inſita a natura, quæ jubeat, quæ facienda ſunt, prohibeatque contraria. Et Ulpianus *in l. 1. §. fin. de juſt. & jur. §. 1. de jur. nat. gent. & civil.* apud Juſt. *Jus gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, quod a naturali procedere facilè intelligere licet. Quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus, inter ſe commune ſit.* Veluti; ut ſubjungit Pomponius Juriſconſultus *l. 2. eod. tit. Erga dum Religio, ut parentibus, & patriæ pareamus*, & Florentinus *l. 3. eod. l. 45. §. fin. ad l. Aquil. Ut vim, atque injuriam propulſemus. Nam jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Et cùm inter nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt, hominem nemini inſidiare nefas eſſe.* Unde Lactantius *lib. 6. cap. 8. Eſt*, inquit, *hæc lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quę vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quę tamen neque probos fruſtra jubet, aut vocat, neque improbos jubendo, aut vetando monet.* Quippè ejuſdem rationis vis eſt, ut rectè facere jubeat, vetet delinquere omnibus hominibus, ex quorum numero ſunt Principes cujuſcunque ſint dignitatis, vel Principatus. Ratio enim habet vim cogendi ad ea, quæ honeſta ſunt, & neceſſaria pro ſtatu ſingulorum, & proindè potuit etiam cogere Principes ad ea, quæ ſunt neceſſaria pro conſervanda Republica. Quia voluntas eſt determinata ad honeſtatem. Unde & ſubditi, qui per vim non poſſunt cogi, coguntur ad obediendum ab ipſa ratione. Turpia itaque, ut illo jure non mandantur, ſic mandata exequi licere Legato non permittitur. Aliàs enim quis juris authoritate deciperetur, quod fieri non debet, text. *in l. 1. in fin. ff. de his, qui ven. ætat. impetr.* Jaſ. *in l. tranſigere, C. de tranſact. num.* 2. Quod intelligens Caroli V. Imperatoris Legatus, cùm ab ipſo Franciſcus I. Galliarum Rex peteret, ut epiſtolam ſuam ad Cæſarem perferret, atque ejuſmodi verba nunciaret, videlicet, Cæſarem in eo, quod Feciali ſuo, ſe ipſi fidem non ſervaſſe dixiſſet, falſum dixiſſe, quotieſcunque id diceret, toties ipſum mentiri, Guicciard. *lib. 8. hiſt.* mandatum, ut rei turpis, recipere recuſavit.

36 Nec legatorum Tarquinii, aut Volſcorum exempla ſententiæ ejus patrocinantur. Quia magnanimitatis Romanorum, non juris ſunt, atque adeò in exemplum trahi nequeunt. Et non ſatis apta in Tarquiniis Livii ratio videtur. Jus tamen gentium valuit, ait. Immò contra jus gentium illi fecerant, quod comprobatum. Valere itaque & illud contra illos debuit. Quinimmò, & hoc inſinuavit ibidem Livius, cum dixerit, quod cenſuerunt Romani commiſiſſe, ut hoſtium loco eſſent, & nihilominus voluiſſe ipſis ſervare jus gentium, quod quidem ſervare non tenebantur. Ex quo Danæus hunc aphoriſmum aſſumpſit: *Legati, qui in tempore, & prætextu legationis aliquid ſævum in nos moliuntur, puniri quidem poſſunt; honeſtius tamen ad ſuos cum querimonia de ea legatorum injuria, & conſilio remittuntur. Sic Legati Tarquiniorum remiſſi.* Et ſanè poterant in eos advertere Romani, ſed ne magis irritaret quos timebant, Tarquinios, dimiſerunt. Legati Volſcorum, quia utique nomen aliud exploratorum, & ſpeculatorum, potuerunt puniri. Nam dimittere nil aliud eſt, quàm eos voti compotes facere, Gentil. *lib. 2. c. 4. de leg.* & rectè Ayla *lib. 1. c. ult. num. 2. de jur. & offic. belli* exemplo hoc non putarem, ait, legatos ſimilia molientes tutos eſſe.

37 Illud objectum: ſatiùs nocentem dimittere, quàm fidem publicam frangere, utique verum eſt, ſi nocenti fides data eſt. Nam ſi legato poſt delictum fides data eſt, ea ſervanda erit. Sed cùm fidem, quam jus gentium ei dat, fregerit, & ut fœdifrago non rectè fidem ſervari petitur. Exemplum Scipionis Africani ad magnanimitatem, non jus pertinet. Quod Polyb. *d. lib. 15.* diſertè innuit. Non tàm ait, ſpectandum eſſe quid meritò patiendum eſſe Carthaginenſibus, ſcilicet ex jure, quàm quid Romanos, magnanimitate ſcilicet facere quidam decet. Et ſi nullo non jure Scipionem Legatis parcere debuiſſe, Ayla *lib. 1. c. 6. n. 59.* exiſtimet. Malè. Quia generalis eſt conventionis regula, ut nemo illis ſtare teneatur, niſi ex adverſo quæ convenerunt, præſtentur. Quam tradit idem Ayla *d. c. 6. n. 17.* Carthaginenſes autem ſua ex parte Legatis Romanorum fidem non ſervarunt, ſed contra jus gentium dimiſſos in mari oppugnarant, Polyb. *d. lib. 15.* Et ideò nec illorum Legatis fides præſtari ex jure debuit.

Similiter, & in reliquis jus collimamus, non quid contingere poſſit, aut poluit. Nec quia pluries ita ſit judicatum, ideò in poſterum ita quoque judicandum ſit, tùm non exemplis, ſed legibus ſit judicandum, *l. Nemo, C. de ſent.* Jus enim non permittit, ut Princeps Legatum probum puniat, quia improbus punitur. Quod ſi ſecus fiat, violatur jus gentium, cujuſmodi facta extra noſtræ controverſiæ curſum ſunt. 38

Nec ſuſpicione violatur legatio, quod arbitratur Gentilis. Quia utique delicto conſtare volumus. Neque Legatus remitti debet ad ſuos. Quia, licet, ut Legatus non ſubſit Principi offenſo, attamen ut delinquens contra eum, aut Rempublicam, quam offenderat, ſubeſt. Nam delictum ei fori, & Judicem loci commiſſi delicti ſua voluntate conſtituit, *l. Imperatores.* ibi: *Ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti, ff. de jur. fiſc.* Grammatic. *dec. 26. n. 6. & ſeqq.* Et quicunque violant ſecuritatem Principis, aut Reipublicæ incidit in crimen læſæ Majeſtatis per text. *in l. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt.* Pulchrè Caſtr. *conſ. 423. n. 9. vol. 1.* Boer. *dec. 179. n. 1.* Menoch. *de arbitr. caſ. 337. & 346.* Guid. *dec. 418.* & Gail. *lib. 1. obſer. 1. n. 8.* Quin etiam ibi quiſque conveniri poteſt, ubi reperitur, idque, ne crimen remaneat impunitum, Angel. *in auth. Si vero, C. de adult.* Grammatic. *ea deciſ. 26. a n. 1.* per textus ibi allegatos. 39

Et licet regulariter delictum cognoſcatur per Judices originis, delicti, & loci, in quo quis magis verſatur, *l. 1. C. ubi de crim. agi opor.* ubi Doctores univerſim, *c. licet, c. Poſtulaſti*, ubi Abb. *de for. comp. cap. Ofius*, ubi Butr. *de elect.* Jo: Andr. *in cap. Cum nullus in fin. de temp ordin. in 6.* Marian. Soccin. *in cap. poſtulaſti col. 3. de for. compet.* Jodoch. *pract. crimin. c. 95. in fin.* & Covar. *pract. qq. 10 poſt n. 6.* Attamen forus delicti eſt principalior ſecundum Jo: Andr. *in c. 3. col. 2. de conſt.* Et in eo potiùs delinquens puniendus, quàm in loco originis, Bald. *in l. de quibus q. 5. ff. de leg.* Paul. de Caſtr. *in d. l. 1. notab. 3. C. ubi de crim. agi opor.* Jaſ. *in l. ſi plures n. 6. & ſeq. ff. de pact.* Idem Soccin. *d. c. Poſtulaſti*, Butr. *in c. 1. in fin de rapt.* pro qua ſententia adducitur Gloſſa communiter approbata *in l. hæres abſens, ff. de judic.* Unde forum delicti dici potiſſimum forum delinquentis tradidit Alberic. *in auth. qua in provincia, C. ubi de crim. agi oper.* idque per text. *in §. ſi quis verò comprehenſorum in auth. ut nulli Judicum.* Et Judex originis facere non poteſt, quod per ſe ſubditus originarius puniatur, qui in alio territorio deliquit, Alex. *conſil. 111. col. 2. vol. 1.* Hippol. *conſ. 66. n. 63. & conſ. 100.* dicens eſſe magis communem, Laur. de Peruſ. *inter conſ. crim. conſil. 103.* & hanc eſſe communiorem teſtatur Grammatic. *d. dec. 26. n. 6.* Theſ. *dec. 90. n. 2.* Ea quidem ratione, quia forus delicti præfertur foro originis, quoniam per delictum offenſa eſt juriſdictio territorii delicti, non originis. Hippol. *in l. fin. n. 135. & 138. ff. de queſt.* Ac proindè delinquentes in loco delicti puniendos eſſe habetur ex *l. capitalium, § famoſos ff. de pœn. l. fin.* ubi Bald. *ff. de noxal. & in l. 1. C. de aggerib. non rumpend.* docentque Soccin. *in rep. cap. Qualiter, & quando n. 260. de accuſ.* Clar. *pract. crim. §. fin. q. 99. n. 6.* Quod ſufficit ad enervandum id, quod dictum eſt, crimen Majeſtatis a non ſubdito committi haud ſolere. Nam quatenus delinquens in Regno ejus, contra quem deliquit, invenitur, puniri poteſt, quamvis non abnuam, mitiori pœna, ſi nec ſola dimiſſio condignam criminis punitionem habeat. Quandoquidem nec famam ejus, & remiſſio onerat, *l. Ob hæc verba, ff. de his, qui notat. infam.* Quia, ut Cicero ait 3. *de legib.* noxæ pœna par eſſe debet; proportio enim inter remiſſionem, & criminis commiſſi gravitatem, omnium gentium exempla oſtendunt, inſtitui debet. Nam pœna commenſuranda delicto eſt, & qui gravius peccat, gravius puniri debet text. *in c. Felicis, §. præmiſſi de pœn. in 6. & in l. lęvia, ff. de accuſat. & in l. 1. §. Unde quęritur, ff. de publ. & vect.* text. *in auth. omnes peregrini, C. commun. de ſucceſſ. & in l. 1. §. Sed & qui, ff. de abig.* Hippolyt. *ad l. fin. n. 48. ff. ad l. Cornel. de Sicar. & in l. Is, qui cum telo n. 2. C. eodem tit.* Facitque quod ſcribitur Deuteronom. *c. 25. Pro menſura peccati erit plagarum modus.*

Minus etiam pro noſtra ſententia confirmanda deſiderantur exempla, quorum plura refert Paſqualigus ac alii ubi ſupra, & præcipuè Grotius *eo lib. de jur. bell. c. 18.* Nos uno duntaxat eoque inſigni Philippi II. Hiſpaniarum Regis contenti erimus, quod ſine Numine conceptum non reor, aut emiſſum, de quo Marſelear. *cit. diſſert. 14. Erat Matriti Legatus Venetorum*, ipſa ejus verba ſunt, *qui adverſus juſtitiæ miniſtros, & ſatellites, miſſos authoritate publica familiam ſuam inſtigavit, & violentam eſſe juſſit. Facilè lædi potuerunt qui oppugnari* 40

non

non ſolent, & quibus reſiſti piaculum eſt. Res in judicium, & in reos ſententia partim capitis partim fuſtigationis lata eſt. Rex autem, ut clemens eſſet, & plus legationis, quàm Legato deferret ſupplicio paulo poſt omnes exemit. Sed ut offenderet eximendos non fuiſſe, ad Principes chriſtianos mox ſcripſit, ſe nolle Legatos ſuos immunitate muneris juſtitia ſanctiores eſſe, quando legibus eorum Regni conveniri, & condemnari poſſent, ſi quando facinus quodpiam ab officio, aut mandato ſibi impoſito alienum commiſiſſent. Melius nihil poſſum. Quare deſino. Placet huic noſtræ Conſultationi diſſertationem hac ipſa de re Lucæ Holſtenii annectere, & de illa judicium Lectoribus relinquere.

Diſſertatio Lucæ Holſtenii in Librum Chriſtophori Ronconii ad Santiſs. D. N. PP. Urbani VIII.

SANCTISSIME PATER.

1 FUit in hac Curia elapſis diebus Chriſtophori Ronconii pervulgata diſſertatio, qua legatos, qui in ditione Principis, ad quem miſſi ſunt, ſceleribus ſe immiſcuiſſent, perinde ac alios ab eodem Principe plecti poſſe in loco delicti probare nitebantur. Hujuſce quæſtionis novitas mirificè animum meum ad perveſtigandam veritatem accendit. Itaque in celeberrimam Eminentiſſimi Cardinalis Barberini Bibliothecam (cui me illius humanitas jamdudum præfecit) ingreſſus cœpi leges, & Doctorum authoritates a Ronconio adductas perſcrutari, & ipſius argumentationes diligenter expendere; ut mihi tandem veritatem ipſam intueri liceret.

Porrò cùm totus verſarer in hoc ſtudio, en repentè advenit (ut perſæpè adſolet) Eminentiſs. Card. Barber. qui magnam, quos aperueram, librorum congeriem, meque totum in ſtudio defixum adſpiciens perhumaniter interrogavit; ut quid tanta mihi eſſet librorum moles, & qua tunc ſtudii occupatione detinerer? Tunc me dixi in Ronconii examinanda diſſertatione verſari. Mox cùm meam de eâ re ſententiam percunctatus eſſet. Ronconium toto cœlo erraſſe, germanica libertate, reſpondi.

Porrò, ut id probarem, congeſtas Doctorum authoritates oſtendere, rationum mearum momenta depromere, argumentationes Ronconii confutare, pro viribus, enitebar. Et quidem me ſatis pro ipſius veritatis præſidio hactenus pugnaſſe credidiſſem; niſi & adhuc per omnium manus Ronconiam diſſertationem ad te, Sanctiſs. Pater, exaratam circumferri cognoviſſem. Inde enim fieri poteſt, ut nonnulli, qui rem totam perveſtigare non curant, in eundem errorem miſerè prolabantur. Operæ igitur pretium eſſe cenſui, ut tibi primum, & deinde aliis ſermonem, quem cum Eminentiſs. Barberino de hac ipſa quæſtione habui, hoc ſcripto patefaciam. In hanc ergo ſententiam, & his propemodum verbis Cardinalem Barberinum alloquutus ſui.

Id primum mihi concedendum eſt, Cardin. Ampliſs. poſt jus divinum, & naturale ſummam authoritatem habere jus gentium, quod hoc nomine nuncupatur, quia illo omnes ferè gentes benè inſtitutæ utantur; ut quaſi cum ipſo humano genere propagatum cenſeri queat. Hinc fit, ut in ipſo initio a nullo legislatore ſcriptis fuerit conſignatum; cùm ſolo populorum uſu authoritatem obtinuerit; ſic de hoc jure cenſuit D. Iſidorus relatus *in can. jus gentium diſt.* 1. & uberius explicarunt S. Theologi, & præſertim Suar. *de legib. l. 2. c. 18. duobus ſeq.*

Inter hæc juris gentium præcepta illud unum celeberrimum eſt, ut legati ſub publica fide ſarti, & incolumes habeantur, viſque nulla eis unquam inferatur. Quamobrem legati antiquitus Sancti cenſebantur, quod perinde erat, ac ſi dixiſſent eos, & inviolatos, & ab omnibus colendos eſſe *l. Sanctum, §. 1. ff. de rer. diviſ. l. fin. ff. de leg.*

Idque apud omnes gentes rectè inſtitutas ſemper fuit in uſu. Quòd ſi natio aliqua in tam ferinos mores declinavit, ut violato jure gentium legatos læſerit: inde bella diriſſima, Civitatum everſiones, populorum ſtrages emanarunt, quemadmodum tùm Sacra *Regum c. 10.* tùm profana paſſim teſtatur hiſtoria; ut me in tàm perſpicuæ rei argumento diutiùs jam pudeat immorari.

Porrò cum ad humani generis conſervationem ſit perquam neceſſaria ſocietas, ut in primo Politic docet Philoſophus; hæc autem per legatos aptiſſimè conciliari poſſit, propterea diligentiſſimè præcavendum eſt, ne legati injuria, vel verbis etiam afficiantur. Quocirca, ut Romani legatos cujuſcunque exteræ nationis ſummo honore proſequebantur (quod, & Sacra teſtatur pagina, *Machab. 14.* ubi a Populo Romano Simonis Macabæi legatos gloriosè exceptos fuiſſe, perhibetur) ſic & in eos potiſſimum inſævire conſueverunt; qui legatos eorum vel durius excepiſſent, vel injuriosè compellaſſent; ut Cicero *in orat. pro l. Manilia*, inquit accidiſſe Civitati Corinthi, quæ ob hanc cauſam fuit propemodum in cineres redacta; Etenim ait, *Legati quod erant appellati ſuperius Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt.*

Porrò id, quod de legatis veteres tradiderunt, locum etiam ſibi vindicat in iis, quos legatus familiæ ſuæ adſcriptos ſecum duxit, ut dignius, & ſplendidius legationis munere perfungatur, quod & ſcripſit Bald. *l. adminiſtrator. §. eorum ff. de excuſ. tut. & eſt text. in l 4. C. de commerc. & mercator. ibi exceptis videlicet iis, qui legatorum Perſarum quolibet tempore ad noſtram clementiam mittendorum iter comitati &c.* Et quidem id optima ratione perſuadetur; nam & privilegia perſonæ ſingulariter conceſſa in eos derivare certiſſimum eſt, ſine quorum ope, vel miniſterio injunctum munus haud commodè poteſt exerceri, quod & exemplis familiarum Epiſcoporum, & pleriſque aliis illuſtrari poſſet, quæ paſſim obvia ſunt apud Doct. *c. fin. de offic. Archid.* Fel. *c. 2. de foro comp.* Bald. *l. ſcriniar. C. de teſt. milit.* Oldrad. *conſ. 293. & pleroſque alios, quos de induſtria omitto.*

Et quidem hujuſcemodi legatorum immunitatis limites ab ipſo Romani Imperii naſcentis exordio ad hæc uſque tempora tàm ſanctè fuerunt cuſtoditi, ut eos violare etiam ob cauſam perduellionis, Romani nefas eſſe putaverint. Inſigne eſt, & pervulgatum id, quod a Livio lib. 2. hiſt. de Tarquinior. Regum legatis memoriæ proditum eſt. Nam cùm Romanam juventutem temerè concitaſſent ad ſeditionem, Populus Romanus, qui de proditoribus indigenis, & de ipſo etiam conſulis filio ſupplicium ſumpſit, legatos tamen ab omni pœna liberavit. His autem perpaucis verbis ſummoperè nutandis Livius priſcam Romanorum ingenuitatem aperuit. *Proditoribus extemplo in vincula conjectis de legatis paulo addubitatum eſt; & quamquam viſi ſunt commiſiſſe, ut hoſtium loco eſſent, jus tamen gentium voluit.* Sed & illud eſt inſigne Romanæ virtutis exemplum, nam licèt Carthaginenſes, Romanorum legatis, per ſummum ſcelus, in vincula conjectis, vereri potuiſſent, ne conſimili legatorum Punicorum violatione vindictam ſumerent, ob idque in ancipiti verſarentur; num legatos pro impetranda pace ad Romanos Conſules deſtinarent: tamen Hanno Pœnorum Dux Romanorum virtute confiſus legationis munus minimè detractavit: quod crederet fore, ut Romani ex oppoſito Punicæ perfidiæ propriam virtutem oſtentarent: ſicque prorſus exitus comprobavit. Nam cùm Tribunos quidam Hannoni loquenti catenas intempeſtivè minaretur, Conſul Tribunum loquentem interpellavit, & ad legatum converſus. Iſto inquit, te metu fides noſtræ Civitatis exoluit Valer. *l. 6. de fid. publ. ubi & alia in idem affert exempla* ſic & A. Poſthumius Volſcorum legatos nulla injuria affectos remiſit, qui ſub honeſta legationis ſpecie Romanas legiones exploratum venerant, ut auctor eſt *Dion. Halicar. l. 6.*

Cæterùm & illud illuſtre eſt Romanæ olim probitatis teſtimonium, quod a Polyb. Hiſtor. l. 15. proditum eſt de P. Scipione; qui licèt ob violatos a Carthaginenſibus populi Romani legatos, potuiſſet jure ac meritò, & Pœnorum legatis, quos Beja captivos fecerat, pœnas irrogare, tamen tantùm valuit juris gentium auctoritas, ut eos potius liberaliter exceptos in patriam remittere decreverit. Et hæc quidem ſunt verba Polyb. *Optimo uſus conſilio, & prudenter conſiderans, quàm patria ipſorum fidem erga legatos maximi faciat: & illud inita penes ſe ratione reputavit, non tàm ſpectandum, quid meritò patiendum eſſet Carthaginenſibus, quàm quid Romanos facere deceret.*

Verùm ſi eo tempore, quo Chriſtiana fides nondum Romanis illuxerat, tantum eis inerat virtutis ſtudium, animi candor, & honeſtatis cultus, qualia nunc Romanæ Reip. moderatorum eſſe deceret ingenia, poſtquam Urbs olim orbis Domina mitiſſimam Chriſti legem complexa Crucis vexillum ad trophæum pietatis erexit.

Huc ſpectant ea, quæ in laudem veterum Romanorum diſſertiſſimè pronunciavit D. Auguſtin. *lib. 5. de Civit. Dei c. 12. & 15.* cujus veſtigiis inhæret & D. Th. *in tr. de Regim. Princ. lib. 3. c. 4. 5. & 6.* Inquiunt enim veteres Romanos licèt veræ Religionis exortes virtutibus ſuis aliquo modo promeruiſſe, ut D. O. M. eos ad Ampliſſimi Imperii terrenam gloriam extolleret. Sic autem loquitur D. Aug. *Quibus non erat Deus daturus vitam æternam cum Sanctis Angelis ſuis in Civitate ſua Cœleſti, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Deinde Aug. proſequitur latius Romanorum virtutes, & concludit, dicens: *His omnibus artibus tamquam vera via nixi ſunt, ad honores, imperium, & gloriam.*

riam. Honorati sunt, imperii sui leges multis imposuerunt, hodieque literis, & historia glorioſi sunt pene in omnibus gentibus.

Sed cur veteres Romanorum mores recolo, Inſtar omnium prodeat Urbani Octavi Summi Pontificis authoritas. Cùm enim olim in Regno Galliæ Apoſtolici Nuncii munere ſungerentur, accidit, ut quidam Hiſpanus Oratoriis Hiſpaniarum Regis familiæ adſcriptus de Civitatis Maſſiliæ proditione tractata vehementi ſuſpicione laboraret. Cùm autem, eo ob id in vincula conjecto, ſyngrapha in quadam ligula tibialium conſuta totius conjurationis ſeriè indicaſſet, & ob id illius vita in magno diſcrimine verſaretur; tum D. Balthaſſar de Zuniga Hiſpaniarum Regis orator de violato jure gentium conqueri cepit; & ob id pacis fœdera inter duos Reges jampridem firmata turpiter abrumpi denunciabat, aliorumque oratorum, & præſertim Nuncii Apoſtolici ſtudia ad ſuam cauſam juvandam, communis dignitatis obtentu, trahere contendebat. Ut Nuncius ex hominis Hiſpani vinculis magnam duorum Regum diſſenſionem exoriri poſſe cognovit, mirum dictu, quanto animo robore, & felici auſu hanc perdifficilem provinciam ſuſceperit. Itaque Henricum quartum eloquentiſſima oratione cohortatus eſt, quam gloriam animi magnitudine, bellica fortitudine, & triumphorum numero ſibi comparaverat, tandem hac nota violati juris gentium, ceu objectis tenebris, oſtendi minimè pateretur. Summa illi erat apud Regem authoritas; nam ejus tum divinarum, tum humanarum rerum peritia, in gerendis rebus ſingularis prudentia, & divina propemodum in dicendo eloquentia tàm magnam illi in Galliæ Regno nominis celebritatem, & fidem conciliaverant, ut ipſius ſententiæ oraculi loco haberentur, nihilque tàm arduum videretur, quod ille ſua ſapientia; & dexteritate conficere non poſſet. Tandem itaque obtinuit Nuncius a Magno Henrico, ut Hiſpanus a vinculis abſolutus mitteretur ad Regis Hiſpaniarum legatum, qui totam cauſam pro ſua religione deffiniret.

Hæc omnia ſic accidiſſe non ex ſcriptis annalibus, quæ plerumque a veritate diſſentiunt, ſed ex ipſo Sanctiſs. Urbani Pont. Max. ore didiſcimus; quod & pleriſque aliis eundem enarraſſe compertum eſt.

Tota igitur hæc conſultatio redigatur ad libram, & quiſque in alteram lancem Ronconii argumenta, cumulataſque ab eo Doctorum authoritates imponat; in alteram verò Sanctiſs. Pontificis patrui tui ſententiam, hanc profecto tantùm propendere cognoverit, ut nec altera pars quidquam momenti habere videatur. Legis itaque vim obtinebit, quod olim Urbanus VIII. etiam in difficiliori conſultatione, in qua non de erepto a lictoribus reo, ſed de proditione Civitatis agebatur, ſapienter admodum pronunciavit. Quare hæc ſola Summi Pontif. deciſio tanti ponderis eſt, ut mihi onus objecta confutandi præripuiſſe videatur. Cæterum, ne quis ea pluris faciat, quam par ſit, ipſam aggrediar confutationem.

Sed in primis præfari liceat, mirum videri, quomodo Ronconius hanc quæſtionem inter magnos Principes exoratam ex ſolis legibus juris civilis deffiniri poſſe crediderit; quando ei potiùs conſtare debuiſſet, cauſam illorum Principum, qui in ſæculari poteſtate neminem ſuperiorem agnoſcunt, non ex juris civilis, ſed ex juris naturalis, & gentium præſcripto deffiniri, quod & in magnorum Principum legatis obſervari probavit, Vaſq. *Controverſ. Illuſtr. l. 2. c. 51. n. 30. & plur. ſeq.*

Hoc conſtituto facilè etiam innoteſcet error eorum, qui leges civiles de legatis loquentes ad legatos Regum, & principum, qui nemini ſubjecti ſunt, ſine ulla ratione detorſerunt. Conſtat ſanè his, qui leges civiles, & Romanorum Hiſtorias lectitarunt in latiori ſignificatione a Romanis fuiſſe legati nomen uſurpatum.

Legatos appellabant eos, qui a propria patria mittebantur ad ſupremum Principem vel ſponte, vel ab eo evocati. De his agitur toto tit. *C. de leg. l. 10. & potiſſimam in l. pen. & fin. & ibi Doct.* Ad hos etiam legatos ſpectant leges ferè omnes excepta ultima, quæ ſub rer. de legat. in pandectis collocatæ ſunt. His legatis ſimiles etiam ſunt illi, qui a Civitatibus Bonon. & Ferrariæ ad Sum. Pontif. Supremum dominum tranſmittuntur.

Præterea Romani Legatos appellabant eos, quos Proconſulibus ad regendas Provincias deſtinatis uti ſocios adjungebant, quorum munus erat Proconſulum implere mandata. De his legatis extat totus titulus in Pandectis de offic. Proconſul. & legat. & eorum officium, ac poteſtatem uberimè declaravit Alex. *Genial. lib. 5. c. 3.* ubi & addit legatos aliquando vocatos fuiſſe eos, quos Princeps abſque Conſule ad aliquam provinciam regendam miſiſſet. Nec ab his diſcrepant gloſ. *in d. rubr. C. de leget. lib. 10.* & Alciat. *in tract. de Magiſtrat.*

Eſt igitur aſſerendum omnes leges, quæ ad coercendos quoquomodo legatos ſancitæ fuerunt, illis tantùm convenire, qui Principis, ad quem miſſi ſunt, imperio ſubjiciuntur. Id autem ex eo potiſſimùm colligi poteſt; quod ex decem ſeptem legibus, quæ in pandectis ſub rubrica de legationibus, & ex ſex aliis, quæ ſub eodem titulo in decimo libro Codicis conſcribuntur, unica tantùm, quæ eſt ultima in pandectis titulo de legation. exteris legatis poteſt accommodari. Cæteræ verò leges ſancitæ ſunt, vel ad deffiniendam legatis impoſitam neceſſitatem, ut officium legationis ſubeant, vel vacationis privilegia a cæteris muneribus durante legatione conceſſa; vel ad præſcribendam pœnam his, qui non ſedulò operam dederint negotiis Reipublicæ, a qua miſſi fuerunt; vel ad indicandas cauſas, quibus injunctam legationem aliquis jure poteſt detrectare, & pleraque alia, quæ ad Civitatum ſubjectarum legatos propriiſſimè ſpectant.

Sed & aggrediamur præcipuum propugnaculum ſententiæ Ronconii, quæ potiſſimum inititur *text. in leg. ſi non alias 24. de judic. in pandect.* Hæc autem ſunt verba textus: *Non aliàs in eos, quos Princeps evocavit Romæ competit actio, quàm ſi hoc tempore contraxerint.* Hactenus Paulus J. C.

Hæc utique ſanctio pertinet ad legatos, prout ibi Doct. omnes in ſummario dicunt, & potiſſimum Angel. & Jacobin de Sanct. Georg. Porrò ex illis verbis, *quos Princeps evocavit* evidenter elicitur J. C. ad illos legatos ſermonem ſuum retuliſſe, quos Imperator ex provinciis Rom. Imperio ſubjectis ad ſe mitti jubeat. Nec majoris ponderis ſunt verba, quæ in ſequenti verſiculo ſubjungit Paulus dum de delictis legatorum loquitur. Nam Accurſii tempore, eo ſic aſſerente, lectura communis erat; ut verſiculus ille non ſumeret initium a verbo legati, (prout nunc legitur) ſed continuativè ad præcedentia verba ſic ſe haberet, *ex delictis in legatione commiſſis coguntur judicium Romæ pati, ſive ipſi admiſerint ſive ſervi eorum.* Ex hac quidem lectura, quæ Accurſ. tempore communi calculo probabatur, nonniſi per ſummam ineptiam, argumentum deduci potuit ad deffinitionem propoſitæ quæſtionis, quæ de legatis Principis liberi proponitur. Nam dum eodem retento themate evocati per ſupremum Principem ad Curiam legati loquitur Paulus, ſatis perſpicuum eſt omnibus diſcrimen, quod conſtitui debet inter legatum miſſum ad Principem mittentis dominum, & eum, quem Rex, vel Princeps ſupremus ab alterius ſubjectione ſolutus ad Summum Pontificem, vel alium Regem deſtinavit. Porrò licèt in lectura Piſana, quæ nunc hodie invaluit, illis verbis *in delictis* præpoſita fuerit ea dictio *legati*, ut clariorem ſenſum redderet, tamen non ob id immutatus eſt ſenſus, cùm legati nomine juxta legum præſcripta potiſſimum nuncupentur ii, qui ab ipſo Principe in aliquam Provinciam ſunt delegati; vel ipſius juſſu ad Curiam evocati; vel ab ipſis Provinciis ſponte ad Curiam tranſmiſſi; prout hæc omnia ſuperiùs probavi. Et quidem non eſt abſonum, ut lectura Piſana ab illa communi interpretatione mutuet, quemadmodùm & in ſacrarum literarum explicatione ſervatur; nam plerumque Græcis, & Hebraicis verſionibus utimur ad hauriendam vulgatæ lectionis interpretationem.

Quod ſi aliquis perfractè contendat evocatos a Principe, de quibus fit mentio in initio *d. l. non alias* differre a legatis, de quibus loquitur J. C. in ſequenti verſiculo id ſaltem dicendum eſt, modicum inter eos diſcrimen eſſe, & utroſque ſubjectos fuiſſe Principi, etiam antequam ad eum mitterentur, prout haud obſcurè innuit Cujac. *tom 2. in recitat. ſolemn. ad tit. & §. 3. l. 2. de judic.*

Dilucidior apparebit hæc noſtra interpretatio; ſi expendamus illius legis authorem fuiſſe Paul. J. C. qui ab anno a partu Virginis 224. uſque ad annum 240. imperantibus Heliogabalo, & poſt eum Alex. Severo, juris reſponſa depromebat; *quemadmodum tradiderunt Genebr. in Chron. ad annos prædictos Aymar. Rival. in Hiſtor. Jul. Civil. l. 5. n. 33. & Valent. Forſter. in eadem Hiſtoria junctis his, quæ ſcribit Haloander in Chronol. Conſulum Rom. Sanſovin. in Chronol. Hier. Brian. in hiſt. Ital. ad dictos annos.*

Porrò hoc ipſo tempore Romanum imperium provinciarum ſubjectarum, numero, opibus, & potentia florebat; & præſertim Britaniæ inſula, quam Angliam appellant, Romanorum Imperatori parebat, ac certiſſimum eſſe tradidit Virgil. Polidor. in hiſt. Angl. lib. 3. Itaq; Odofred. antiquus, & ſummæ auctoritatis Cæſarei juris interpres *in d. l.* non alias per Ronconium allegata proponit exemplum de Imperatore, qui ex Anglia evocaverat nonnullos, ut ad ſe qui Romæ morabantur, accederent. Mox in §. legati idem Odofr. text. ſic in compendium redigit, *Si legati miſſi de provincia in Urbem deliquerunt Romæ ipſi, vel eorum ſervi de iſtis delictis poſſunt convenire Romæ.*

Romæ. Equidem fas eſt credere, Odofr. juris Civilis peritiſſimum Provinciæ nomen, ſecundùm uſurpatam a legislatoribus ſignificationem, accepiſſe. Conſtat autem Provincias a Romanis eas fuiſſe nuncupatas, quæ procul ab Italia armis devictæ Romano parebant Imperio. Tres autem erant Provinciarum ſpecies. Aliæ enim Proconſulares; aliæ Præſidales; aliæ verò Prætoriæ. Hæc omnia probarunt Alciat. *l. notionem 99. numer. 3. ff. de verb. ſign. & in d. tract. de Magiſt. Luc. de Pen. l. ſi quando num. 3. C. de bon. vacant. l.* 10. Itaque Odofr. qui in proponendo caſu illius legis de Anglia, & de Provincia meminit, nobis ſatis oſtendit, ſanctionem eam referri ad legatos tranſmiſſos a Provinciis ſubjectis ad ſupremum Principem, de quibus Romani legislatores frequentius ſermonem habuerunt. Hujus etiam ſententiæ fuit Cujac. *tom. 2. in paratit. ad rubr. de judic.*

Nec mirum eſt in jure Civili unam, vel alteram tantùm extare legem, quæ legatis Principis ab alterius ſubjectione ſoluti verè conveniat. Etenim tàm vaſti aliquando fuerunt Romani imperii limites, ut vix gens aliqua extaret in orbe, quæ de libertate cum populo Rom. contenderet. Quamobrem ſingularis fortè cenſeri poteſt lex 4. *C. de comer. & mercat.* in qua fit mentio de Rege Perſarum tunc Romano Imperio minimè ſubjecto, *ut ſcribit ibi gloſſa* 1. & in ipſa lege veſtigium aliquod apparet illius immunitatis, quam probare nitimur, nam Imperator ſub gravi pœna decernit, ne Romani ad loca Perſarum, vel ipſi Perſæ ad Romanorum Provincias ultra limites in fœdere conſtitutos mercimonii cauſa ſe conferant, ne alieni regni arcana ſcrutari videantur. Mox excipit Perſas, qui legati Regis Perſarum ad Imperatorem venientis in itinere comites eſſent. Hiſque utitur verbis: *Quia humanitatis, & legationis intuitu extra præfinita loca mercandi copiam non negamus*. Hinc porrò colligitur Romanos Imperatores tantùm legatis Regum liberorum detuliſſe, ut nec eorum familiares in lege generali, quæ pro Romani imperii ſecuritate ſancita fuerat, comprehendi voluerint.

Porrò ſecus actum eſt cum legatis, quos ſubjecti populi ad Senatum Romanum mittebant, cujus rei præclariſſimum extat exemplum apud Livium lib. 6. Cùm enim Circienſes coloni de auxilio Volſcis præſtito ſuſpicione laborantes, ut per ſe purgarent, legatos ad enatum miſiſſent, ſtatim ab Urbe fuerunt ejecti, quòd ſubjectis civibus jus gentium minimè prodeſſet. Hæc autem ſunt Livii verba, *Quod Cives Romani nefanda patriæ oppugnandæ conſilia iniiſſent, faceſſerent propere ex urbe ab ore, atque oculis Populi Romani, ne nihil eos legationis jus externo, non civi, comparatum tegeret.*

Sed vix ferendus eſt Ronconius, nam oblitus Pontificiæ Majeſtatis, ad quam ſuam diſſertationem perſcribit, Modernos authores, & quidem leviſſimæ auctoritatis adducit; cum tamen Summo Pontifici nonniſi Doctores magni nominis conſueverint allegari. Prætereà, ut Modernorum uni, nempè Feder. Marcealer authoritatem aliquam conciliaret, ſubjunxit, ipſius authoris libellum fuiſſe impreſſum Pariſiis anno 1606. ac ſi ad Gallici Oratoris quæſtionem, de qua agit Ronconius, dirimendam, libelli in Gallia impreſſi fidem inconcuſſam cenſeri diceret. Cæterùm ſi Modernos afferre licet, & typographiæ locus fidem authoris adauget (quod olim nunquam fuit auditum) utique nobis expediet allegare librum Politicarum diſſertationum in hac alma Urbe excuſum anno 1612. cujus author fuit Tiberius Gambarutus J. C. & Pronotarius Apoſtol. qui in c. de legatis fol. 219. ſic loquitur.

Hora in tanto ſono ſicuri gli Ambaſciadori da ogni oltraggio appreſſo a qual ſi voglia nazione, eziandio Barbara, che per qual ſi ſia accidente, non vi ſi ha da far offeſa alcuna, eſſendo totalmente eſſenti dalla giuriſdizione del Prencipe, al quale ſono mandati, ed immediatamente ſoggetti al proprio, che gli manda. Et paulò poſt ſic dicit.

Teniamo adunque queſta maſſima per vera, eſtabile, che in niun conto ſi deve mai moleſtar Ambaſciadore alcuno.

Ut autem Ronconius, & ex hiſtoriis antiquis aliquid decerpſiſſe videatur, quod conferat ad cauſam, refert obiter ſententiam Gotthorum Ducis Theodati, qui teſte Procopio in lib. 1. de bell. Gott. ſic Juſtiniani Cæſaris Oratores affatus eſt: (*Magna quædam, & inclyta Oratorum dignitas eſt, & apud omnes mortales alioquin honorabilis, ſed tamdiù in ſe id muneris retinent, quoad ipſi ſuæ legationis officium ſervent. Nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem, & jure pro humanis legibus licet, cùm regem videbitur contumelia affeciſſe, vel ſi cum muliere cubuerit alteri cuiquam nupta.*) Sed mirandum non eſt, Ronconium ad Barbarorum, nempe Gotthorum exempla perfugium habuiſſe, poſtquam, & tota ejus conſultatio immaniſſimis ſententiis abundat. Debuiſſet ſanè Ronconius rationis trutina ponderare Theodati mores ab eodem Procopio paulò ante recenſitos his verbis. *Theodatus interea Oratores, qui ad ſe venerant ex Bizantio nullius momenti jam facere, ut qui ſuapte natura propenſior ad perfidiæ eſſet, & animi plane inconſtans, quippe quem præſens fortuna temere ſemper, ac præter decoris, & officii dignitatem, vel in nimiam trepidationem impelleret, vel è contra in audaciam ineffabilem*: Ejuſdem Theodati perditiſſimos mores latiùs deſcribit Jo: Magnus Epiſcopus Upſal. l. 10. hiſtor. Gott. cap. 7. uſque ad 10. ubi eum Hæreticum, Summi Pontificis contemptorem, tyrannum, uxoricidam, & perfidum appellat, nec ab eo diſentit Cardin. Baron. in annal. ad annum 536. Ex tanto igitur vitiorum monſtro accipient Chriſtiani Principes eruditionis exempla. Hæc longè faceſſant, & a te potiſſimum, Cardinalis ampliſſime, qui nomine Sanctiſſimi Pontificis Chriſtianam Rempublicam moderaris.

Nec ad convellendam authoritatem juris gentium, quo præcipuè nitimur, ſat eſt apud aliquas nationes ſecus aliquando fuiſſe ſervatum; nam & D. Iſid. relatus *in d. can. Juſgentium prima diſt.* ſic ait: *Hoc inde jus gentium appellatur, quod eo jure omnes ferè gentes utantur*; Hinc propterea ponderans Suarez *de legib. lib. 2. cap. 19.* vim illius dictionis *ferè* ſic doctiſſimè pronunciavit. Non eſſe neceſſarium, ut jus gentium ſit commune cunctis omninò gentibus, etiam ſecluſa ignorantia, & errore; ſed ſatis eſſe, ut ferè omnes gentes benè inſtitutæ illo utantur. Quocirca nullius omninò erunt ponderis exempla barbarorum Principum, qui ob animi impotentiam furori habenas aliquando relaxarunt.

Nec dici poteſt jus gentium nobis refragari, quod cum illud fuerit ad humanam ſocietatem conſervandam tacito omnium populorum conſenſu firmatum, eo utique legatis, vel ipſorum famulis minimè ſit conceſſum, ut liceat impunè debacchari, & pleraque in publicæ pacis jacturam moliri. Etenim nec nos unquam legatis ipſis eorumve famulis impunitatem, ac veniam tribuendam eſſe diximus; ſed & eos (ſic dicere fas ſit) majori pœna dignos eſſe putamus; quòd ad conciliandam, & mutuis officiis augendam alterius Principis benevolentiam deſtinati ipſum potiùs turbis ac ſeditionibus ad odium compellere voluerunt.

Cæterùm in eo a Ronconii ſententia diſcedimus; dum ille putat, legatos Regis, & Principis liberi, eorumque clientes, & famulos, a Principe, ad quem miſſi fuerunt, commeritis pœnis eſſe plectendos; nos autem è contra cenſemus eos, ſi fortè ad evitandum majus periculum in carcerem conjecti fuerunt, mox ad eorum Principes eſſe remittendos; nam credendum eſt fore, ut pro juſtitiæ cultu in ſontem hominem graviter animadvertant.

Porrò id faciliùs aſſerendum eſt in cauſa Roverei Chriſtianiſſimi Regis Oratoris familiæ adſcripti, de qua loquitur Ronconius, cùm ille ſit ex Gallia oriundus.

Potuiſſent equidem omitti, quæ Ronconius, ut animum tuum, Cardinalis Eminentiſsime, magis incitaret ad pœnam, de Roverei criminis atrocitate conſcripſit. Perduellem ſcilicet eſſe eum; quia è lictorum manu ad triremes damnatum eripuit: nam & id jure communi inſpecto eſt ab omni veritate alienum, quando ereptus non erat reus læſæ Majeſtatis: vel quando eripiens non eo conſilio exemit, ut juriſdictionem Principis turbaret; ſed ut amicum ab imminente pœna ſubtraheret *gloſ. l. cujuſque in v. reum ff. ad l. Jul. Majeſt.* & eſt communis opinio Farinac. *quæſt. 30. numero 103.*

Hortabatur olim Eugenium Summum Pontificem D. Bernardus in lib. 3. de conſideratione, ut omnes Pontificiæ gubernationis actus triplici ponderatione dirigeret. Primum, num aliquid liceret, deinde, an deceret, poſtremo, nunquid expediret. Ego quidem officio meo ſatisfeciſſe videor; cùm Ronconii confutata ſententia Oratoris Regii immunitatem defendi, & nihil durius in Rovereum decernendum eſſe demonſtravi. An verò, Cardinalis ſapientiſsime, quidquam attentare deceat, aut expediat, dum de Chriſtianiſsimi Regis maxima indignatione vereri poſsumus, tuum erit judicare.

Ego quidem, ſi quidquam ſeverius in Rovereum conſtituatur, exiſtimo fore, ut non ſolùm Galliæ Rex, ſed omnes Principes, quorum Oratores reſident in Curia, mirificè commoveantur, & communibus officiis, & ſtudiis, ac etiam armis, ſi opus fuerit, ad tuendam legatorum dignitatem conſpirent. Jam nunc totius

Galliæ expoſtulationes audire videor, quòd Summus Pontifex, cujus præceſſores a Pipino Francorum Rege in Romana ditione gladium Imperii, & poteſtatis temporalis acceperunt, & deinde ab aliis ereptum Caroli M. Galliæ Regis armis iterùm vindicarunt auctore Cardin. Baron. ad ann. 755. & 773. & ſeqq. nunc eundem gladium ad invictiſſimi Ludov. XIII. Galliæ Regis dignitatem jugulandam adhibeat.

His dictis diſſertationi meæ finem impoſui. Tunc verò Cardinalis, qui me loquente animo veluti perculſus ſemper obmutuerat, his propemodum verbis repentè ſilentium abrumpit. Nec meæ exiſtimationi notam inuri, nec Pontificiam patrui mei Majeſtatem in contemptum adduci patiar.

Sed tunc illi legendum obtuli D. Bernardum *in lib. 4. de conſider. ad Eugen. Papam*, ubi ſic piè admodum, & diſertiſſimè loquitur.

Inter hæc tu Paſtor procedis deauratus tàm multa circumdatus varietate, oves quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ovium paſcua hæc. Scilicet ſic facilitabat Petrus? ſic Paulus ludebat? Vides omnem Eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda? Honori totum datur, ſanctitati nihil, aut parum? Si cauſa requirente paulò ſummiſſus agere, ac ſocialius te habere tentaveris; Abſit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, Majeſtati non convenit; Quam geras perſonam attendito. De placito Dei ultima mentio eſt, pro jactura ſalutis nulla cunctatio. Niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, id juſtum. Ita omne humile probro ducitur inter Palatinos. Hactenus D. Bernardus.

Hæc ea ſunt Sanctiſſime Pater, quæ cum ampliſſimo Card. Barberino diſſerui.

Porrò cùm nullum aliud mihi conſilium fuerit in hac cauſa, quàm ut veritatem ab inanibus Ronconii objectis defenderem, propterea ejuſdem etiam veritatis impetus me, vel invitum compulit, ut & ipſam meam diſſertationem ad te præſcriberem; cùm Chriſtum illum authoritate referas in terris, qui ſe hoc præclariſſimo, ac divino veritatis nomine nuncupavit. Itaque pedibus tuis advolutus humiliter peto, ut qualemcunque hunc meum laborem, quem pro tuenda veritate, quinimmò & tua ſententia ſuſcepi, æqui bonique facias, meque Apoſtolica, ac Sacroſancta benedictione communias.

CONSULTATIO CXII.

An profeſſus in una Religione tranſiens ad aliam, quæ dubitabatur, utrum fuerit approbata a Sede Apoſtolica, a qua deinde ſupreſſa fuit, teneatur redire ad primam, vel ingredi aliam Religionem approbatam?

1 PArs affirmativa videtur probari primò, quia quilibet legitimè profeſſus, & Deo ſacratus in Religione approbata de jure divino, & canonico tenetur ſervare, quod promiſit, & ſi recedit ab inſtituto, cogendus eſt ad regreſſum. Ex jure quidem divino Pſal. 75. *Vovete, & reddite Deo veſtro.* Et Eccleſ. 5. *Si quid voveris, Deo ne moreris reddere.* Ex jure autem Canonico 20. *qu. 3. cap. Proclivis*, & deſumitur ex Concilio Tolet. 6. cap. 6. ubi præcipitur, deſertorem inſtituti regularis cogendum eſſe ad redditum. Igitur ex vi profeſſionis jam emiſſæ in prima Religione ejuſmodi profeſſus tenetur in clauſura permanere, & ad eam eſt cogendus.

2 Neque per tranſitum illum ad aliam Religionem, vel per diploma ſuppreſſionis ejuſdem Religionis dictus profeſſus remanet diſpenſatus a clauſura, & diſciplina regulari, ſicut remanent alii Religioſi in ea Religione profeſſi. Quia hic profeſſus in ea Religione nullum jus acquiſiverat, ſed permanebat illicitè, & contra jura, cùm tranſitus ipſius a prima Religione ad ſecundam fuerit illicitus, & contra canones, ac proinde non poteſt gaudere privilegio, quod per Diploma ſuppreſſionis conceditur illis profeſſis.

3 Nam ut tranſitus ex una Religione in aliam ſit licitus, & ſecundùm canones, debent in eo ſervari, quæ ſtatuta ſunt in jure Canonico, ut *in cap. Mandamus, cap. ſtatuimus 19. qu. 3.* & præcipuè *in cap. licet de regul.* nimirum, ut ſit ad Religionem arctiorem, frugem vitæ melioris, & juſta intercedat cauſa. Quorum nullum interceſsit in tranſitu hujus profeſſi ad ſecundam Religionem. Fuit igitur illicitus, & contra Canones, ideòque cenſendus non eſt profeſſus ſecundæ Religionis, neque poteſt frui diſpenſatione, illius profeſsis conceſſa.

4 Primùm patet. Quia Religio illa nec erat Religio, nec arctior. Nam ut aliqua coadunatio fratrum ſit Religio, petit inter cætera, ut ſit approbata a Sede Apoſtolica, ut notat diſertè D. Thom. *in 4. d. 38. qu. 1. art. 2. quæſt. 3.* in ſpecie, & ad 3. Novar. *comm. 1. de Regul. numer. 18.* Lezan. *in ſumm. quæſt. regul. tom. 1. cap. 2.* Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 4. numer. 86.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. de relig. ſtat. eſſent. cap. 15.* Mirand. cum aliis, quos congerit *in man. Prælat.* Qui docent non eſſe ſatis emittere vota eſſentialia, niſi ſolemnizentur in aliqua Religione approbata. Et liquet ex decreto Innocentii III. in Conc. Lateran. *cap. fin. de relig. dom.* & Gregorii X. in Concil. Lugdun. *cap. un. eod. tit. in 6.* ac item habetur ex *cap. un. de vot. in 6. ex Clem. un. de relig. dom.* & *Extrav. Sancta Romana eod. tit.* Quæ omnia jura non ſolùm habent vim prohibendi, ne inſtituatur Religio abſque approbatione Sedis Apoſtolicæ, ſed maximè habent vim irritandi, itaut validè, & legitimè ſine tali approbatione inſtitui non poſsit, ut luculenter oſtendit Suarez *lib. cit. cap. 16. numer. 19.* ex D. Thoma, Cajetano, Summiſtis communiter & Gloſſa, itaut nec Doctores, nec Cardinales, nec ipſe Pontifex contra ejuſmodi Canones ſtatuere poteſt abſque derogatione ſpeciali. Rot. *dec. 122. per tot. par. 1. div.* quæ habet concordantes. Illa autem Religio non erat approbata, ut conſtat ex diplomate ſuppreſſionis. Immò ex hoc capite docet Pontifex ſe illam ſupprimere. Igitur non erat Religio, & ſic deficit prima conditio, ut ſcilicet tranſitus ſit ad Religionem approbatam. Quare neceſſariò ſequitur, quòd hujuſmodi profeſsus non definit eſſe Religioſus primæ Religionis. Sola enim ſecunda profeſsio ritè facta extinguit primam, & transfert profeſsum ab uno ad alium ſtatum irrevocabiliter, ut docet Sylveſt. *v. Religioſus 4. quæſt. 5.* Tabien. *eod. v. num. 74.* Mirand. *tom. 1. Man. quæſt. 31. par. 9. §. 1. numer. 2.* Bordon. *reſ. 29. quæſt. 16. numero 57.*

Alterum etiam probatur. Nam ſive per arctiorem 5
intelligatur ſtatus perfectior ratione inſtituti, ſeu finis, vel profectus ſpiritualis, ut vult Sylveſt. *v. Religio qu. 1.* & Navar. *comm. 4. de regul. numer. 2.* ſive durior, ſtrictior, ac aſperior ratione macerationis, & auſteritatis, Religio illa nequit eſſe vel dici arctior prima Religione. Non ratione inſtituti, quia non erat addicta vitæ activæ, vel contemplativæ, neque proximorum profectui, ſicut Religio prima, quæ incumbit orationi, ſtudiis, choro, ſacramentorum adminiſtrationi, prædicationi, aliiſque hujuſmodi exercitiis, quæ a ſecunda Religione non poterant exerceri. Neque ratione aſperitatis dici poterat arctior. Nam Religio prima mancipata eſt ſtrictæ, & rigoroſæ obedientiæ, paupertati, aliiſque obſervantiis regularis diſciplinæ, quæ omnia ſecunda Religio obſervare non poterat, cùm in ea non fuerit præſcripta, & probata forma obſervantiæ. Ergo ex defectu hujus conditionis pro tranſitu ad Religionem arctiorem requiſitæ ex præfato *cap. Licet*, tranſitus iſte fuit etiam contra Canones.

Neque interceſsit conditio illa requiſita ex *d. cap. Li-* 6
cet, nempè quòd tranſitus ſit ad frugem vitæ melioris. Nam campus ſterilis nequit dare frugem meliorem. Talis enim videtur fuiſſe naſcens illa Religio reſpectu prioris Religionis, quæ optimam vitæ frugem in ſuis alumnis promit, cum eos in orationis, jejunii, ſilentii, obedientiæ & ejuſmodi mortificationum operibus aſsiduè exerceat, ex quibus vitæ perfectio emanat. Unde D. Bernardus loquens de Religione *in lib. de præcept. & diſpenſat.* inquit: *ob perfectam mundi ob renunciationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quæ præeminet univerſis vitæ humanæ generibus hujuſmodi converſatio profeſſores, & amatores ſuos Angelis ſimiles, hominibus diſſimiles facit. Immò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto.* Quæ omnia in Religione illa, viventes ſine forma, & canone vitæ religioſæ reperiri nequiverant. Et ſic nequit dici fruges melioris vitæ hæc forma vivendi, ac proinde ex defectu ſtatus perfectioris ad Religionem illam, quæ a Summo Pontifice non fuit judicata proficua, tranſitus non fuit licitus, & juxta Canones, ſed contra illos.

Ac demum in tali tranſitu non interceſsit ultima 7
conditio taxata *in d. cap. Licet*, nimirum juſta cauſa, ſine qua nullus eſt tranſitus. Nam neque in petitione expoſita Sacr. Congregat. Regularium manifeſtata fuit a petente cauſa talis tranſitus, neque explicata in licentia obtenta a dict. Sacr. Congregatione. Igitur præſumitur nullam adfuiſſe cauſam talis tranſitus, alioquin fuiſſet expoſita, ut per talem expoſitionem magis facilem illi redderet licentiam tranſeundi. Ex defectu itaque hujus conditionis tranſitus ille a Religione approbata ad Religionem vix ortam, & toleratam eſt nullus, & conſequenter permanſio in illa fuit ſemper illicita, & contra jura. Ex ſtylo enim Curiæ, & ex

decre-

decreto Sacr. Congregat. causa debet exprimi, de quo testantur Quarant. *v. Monasteria & Conventus, §. Quoad transitus*, Barbos. *in summ. Apostol. dec. v. Transitus regularis numer.* 14. Donat. *in prax. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 5. *quæst.* 48. *numer.* 2. & est consentaneum Constitutioni Gregor. XV. quæ incipit, *Onerosa*.

Nec suffragatur hujusmodi professo asserere, quòd ipse jam exposuit S. Congregationi Regularium suam voluntatem transeundi ad secundam Religionem, non manifestando causam justam, neque alia requisita, & tamen obtinuit licentiam transeundi. Ex quo enim S. Congregatio visa est uti potestate Pontificia, vel quasi Pontificia, dispensavit in transitu hujusmodi ad laxiorem non confirmatam, & sine causa. Unde tam transitus, quàm permansio videntur continere validitatem. Id inquam non suffragatur. Nam quidquid sit, an Pontifex dispensare possit sine causa in votis solemnibus Religionis, quod negant omnes ferè Theologi cum Altisiod. Albert. D. Tho. & aliis, cùm in jure divino nequeat dispensare creatura; verùm etiamsi possit, ut defendunt alii cum Azor. *in Instit. mor. lib.* 1. *c.* 7. & cæteri ab eo citati, quibus assentior, regulariter tamen Pontifex non utitur hac potestate, sed operatur juxta regulas Canonum. Et hoc idem, ut quotidiana docet experientia, exequitur S. Congregatio Regularium negotiis præpositа, quæ nunquam intendit in jure aliquo, & multò minus divino dispensare, sed operatur secundùm Canones. Immò in decreto pro concessione gratiæ dicti professi præcepit S. Congregatio servari Constitutionem Sixti V. pro hujusmodi transitu, volens eumdem remanere obligatum ad quartum votum emissum in priori Religione. Itaque S. Congreg. in tali concessione non intendit dispensare in jure sive Canonico sive divino, sed voluit uti ordinaria facultate ac formula dispensandi.

9 Pariter nec diploma suppressionis d. Religionis, & dispensatio a clausura aliquod subsidium affert dicto professo. Tum quia illicitè, & contra jura in ea manebat ex supradictis. Tum etiam quia dum Pontifex concessit congregatis illis, ut vivant extra clausuram sub Episcoporum obedientia, non dispensavit cum eis in votis alicujus Religionis, quia nulla erant, sed declaravit tantùm, quod non erant Religiosi, & ad Regulam Religionis non erant adstricti, quia Religionem professi non erant in re, sed in spe, putantes aliquando formam illam vivendi habituram vim Religionis, si Pontifex annueret. Ideoque ipso non annuente, sed abrogante Institutum illud, non dispensavit in Religione, nec in votis Religionis, sed reliquit eos, ut erant, obligatos ad simplicia vota. Ex hac autem abrogatione & suppressione, immò veriùs negatione consensus Pontificis non potest hujusmodi professus inferre, quod comprehendatur etiam ipse in Diplomate illo suppressionis. Quia ipse erit verus Religiosus, cùm quo non dispensatur per licentiam illam concessam Congregatis non Religiosis. Pontifex enim loquutus fuit de Religiosis, qui vota regularia emiserant in Religione suppressa, non autem de illis, qui prius professi fuerant in alia. Nam isti per primam professionem fuerant absoluti a jurisdictione Ordinarii, & obnoxii primæ Religioni, ideoque non censetur, Pontificem voluisse derogare juri per priorem Religionem in hunc professum acquisito ex traditis per Rotam coram Buratto *decis.* 510. *per tot.* præsertim *sub. num.* 5. Quoniam sicuti primæ Religioni remanent reliquiæ obligationis respectu alimentorum præstandorum Monacho, quatenus Religio, ad quam ille fuit translatus esset collapsa ex Butr. *in d. c. fin. de regul.* ita quoque residere debet penes ipsum jus observantiæ votorum erga Religionem.

10 Hinc, etiamsi fuisset vera Religio, nihilominus, ea extincta, hujusmodi professus reincidit in observantiam primæ. Quia per secundam professionem vota non sunt sublata quoad substantiam, sed suspensa quoad accidentalia duntaxat. Nec derogatio facta a Pontifice liberat eumdem professum, quia est facta quoad vincula Religionis extinctæ, non quoad alia si quæ adsunt. Quando enim plura vincula concurrunt non sufficit unica derogatio, Gonz. *gl.* 13. *num.* 47. *& seqq.* Duran. *dec.* 5. *num.* 10. & passim alibi. Et licèt concedatur d. professo, quod sine dolo malo, ac bona fide transierit ad dictam Religionem, quod non debet præsumi, quia tenebatur scire, quæ sunt sui juris, ille tamen transitus fuit ad statum religiosum, & mutatio Religionis ad Religionem. Igitur ista bona fides, adveniente scientia, non potest reddere illum non Religiosum, sed relinquit eum cum onere Religionis, a qua non dispensavit Pontifex per diploma illud suppressionis congregatorum, qui non erant religiosi. Quia dispensatio a Religione, facienda a Pontifice, requirit gravem, & manifestam causam.

Ad illud autem, quod adducitur, nempe secundam Religionem constare fuisse approbatam ex Oraculo Pontificis, de quo testatur Cardinalis S. Angeli, facilè respondetur, oracula omnia fuisse sublata per Urbanum VIII. etiamsi signata fuissent manu Cardinalium, ut in ejus Constit. 119. *§.* 3. Nec adversantur Doctores dicentes, credendum Oraculis, sicuti Constitutionibus, quod speciatim asserit Donat. *d. to.* 1. *tr.* 15. *quæst.* 3. Nam ipse statim *in tr.* 16. *q.* 1. dicit antiquitus ita fuisse, sed revocata postea ab Urbano VIII. cujus declaratoria in ordine 139. non loquitur indistinctè, sed tantùm quoad ea, quæ pertinent ad munus, & officium illorum Officialium, qui de Oraculis testari solent & possunt, quemadmodum sunt Cardinalis Camerarius, Cardinalis Vicarius, Gubernator Urbis, ac similes. Atqui approbatio Religionum non pertinet ad aliquod officium; ideò sub ista exceptione non potest comprehendi Cardinalis, qui circa Religiones nullum habebat officium. 11

Quare minus officit quod objicitur de effectu consummato. Quia licèt Constitutio Gregorii haberet istam restrictionem, tamen in Constitutione Urbani fuit indistinctè dispositum de omnibus, ac proinde revocata etiam censetur quoad effectus futuros & declaratio, super qua aliqui fundantur; loquitur tantum secundùm terminos Constitutionis Gregorianæ, non secundùm terminos Urbanæ, ut rectè more suo dilucidat Lezana *to.* 1. *q. reg. c.* 3. *num.* 21. & Novar. *in Lucer. v. Privilegio num.* 6. 12

Quæ quidem conclusio vera est. Quia Constit. Urbana emanavit ad ampliandam Constitutionem Gregorianam, ut patet ex procemio, eamque revocavit in non innovatis, ut in *§.* 6. ibi: *Non obstantibus præinsertis literis hujusmodi &c.* Item: *In genere vel in specie*. Limitationes enim primæ Constitutionis censentur abrogatæ in secunda, Bart. *in. Constit. Ad reprimendum verb. Non obstantibus in fin.* Felin. *in cap. Nonnulli num.* 21. *limit.* 1. *de rescript.* Marescot. *l.* 2. *cap.* 40. *num.* 6. Eò præsertim quia stante clausula sublata, non possunt vires extinctionis in dubium revocari, nec potest allegari, quod hodie constet de confirmatione, stante alia clausula, quod de subreptione, vel obreptione dari non possit, Andr. *dec.* 62. *n.* 6. 13

Ex quibus apertè colligitur, quòd cùm hic professus non legitimè, neque licitè; sed contra jura transierit a Religione ad non Religionem, sive ad Religionem extinctam, tenetur ad clausuram, & vitam regularem regredi usque dum, justa exposita causa, dispensationem legitimam obtinuerit a Pontifice, ne aliter permanens in habitu presbyteri sæcularis sit desertor regularis Instituti & apostata. 14

Nihilominus prestandum censeo in sententia negativa. Quia cùm hujusmodi Religiosus de consensu primæ Religionis, & cum licentia, & authoritate S. Congreg. ad secundam ritè ac legitimè transierit, utique remansit omninò solutus & liber a votis, & vinculis prioris Religionis, & ipsa pariter libera ab obligationibus erga eum contractis. Ita Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 86. Bordon. *de profes. regul. cap.* 2. *quæst.* 72. Bonac. *tom.* 1. *tr. de claus. quæst.* 2. *pun.* 9. *§.* 4. *diffic.* 1. *num.* 1. *&* 3. & prosequitur Castr. Pal. *p.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *pun.* 17. *sub princ.* Pelliz. *in man. regul. tom.* 1. *tr.* 1. *cap.* 1. *num.* 34. *&. tr.* 3. *cap.* 5. *sect.* 1. *num.* 11. Barbos. *in collect. super c. Licet num.* 87. *de regul.* Botiglier. *de renunc. cap.* 2. *theor.* 17. *num.* 14. & alii multi. 15

Quod adeò verum est, ut prior Religio post emissam validam professionem in secunda non teneatur amplius recipere, vel alere transeuntem, si ad ipsam redierit, ut rectè Sylvest. *v. Religio* 4. *quæst.* 5. Sanch. *loc. cit. num.* 104. Bonac. *sup. num.* 4. Pelliz. *ibid. tr.* 3. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 105. & confirmat Donat. *in prax. rer. regul. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 5. *de transf. quæst.* 52. *num.* 8. *& seq.* Bord. *resol. reg. tom.* 1. *res.* 29. *num.* 57. Qui omnes concludunt, quod prior Religio solùm tenetur recipere exeuntem, si revertatur ante professionem, vel post professionem in secunda nulliter ac irritè emissam. 16

Quin etiam casu, quo ipse vellet, ac posset ad priorem licitè redire post emissam professionem in secunda, indigeret nova professione, perinde ac si denuò efficeretur religiosus. Quia priora vota remanserant extincta per professionem in secunda Religione; ideòque necesse est, ut reversus ad priorem iterùm profiteatur, seque subjiciat illius superioribus, a quibus se exemerat, ut egregiè tradit Bordon. item *sup. cap.* 2. 17

nu. 72. & *ref.* 57. *n.* 73. & concinit Donat. *ibid. q.* 52. *n.* 11. & ex Canoniſtis aſſerit Panorm. *in c. Abbate n.* 5. *de verb. ſignif.*

Idque quidem perſpicuè habetur ex diplomate ſuppreſſionis iſtiuſmodi Religionis. Ex eo enim liquet, Pontificem cogitaſſe, ac ſciviſſe, quod in d. Religione aderant translati ex aliis Religionibus, ut oſtendunt illa verba, ex aliis Religionibus etiam Mendicantium profeſſos ad ſe tranſeuntes recipere conſueverint. Item quòd Religio ſuppreſſa non eſſet approbata a Sede Apoſtolica; ibi: *Et quamvis de ſui fundatione, & erectione hujus Sedis Apoſtolicæ authoritate legitimè facta per ſcripturas, & relationes nuper exhibitas minimè docuerit.* Et tamen his non obſtantibus voluit, & diſpoſuit, quòd omnes recepti in d. Religione poſſint vivere in ſæculo ſub poteſtate Ordinariorum; ibi: *Congregationem hujuſmodi perpetuò ſupprimimus, & extinguimus, ac Religioſos Congregationis ſuppreſſæ hujuſmodi, qui in eadem Congregatione vota regularia emiſerunt, quoad vixerint omnimodæ juriſdictioni, & obedientiæ Ordinariorum locorum ſubjicimus.* Quibus verbis intelliguntur liberi a Religione, & ſubjecti Epiſcopo in ſæculo, ut rectè Navar, *de Regular. comm.* 2. *n.* 37.

18 Quamobrem non poteſt opponi, neque prætendi, quòd hujuſmodi profeſſus teneatur redire ad Religionem prætextu quòd ipſe eſſet translatus ex alia Religione, & quòd Religio ſuppreſſa non eſſet approbata, dum Pontifex his omnibus cognitis, & perpenſis, voluit nihilominus, quòd poſſit permanere in ſæculo ſub juriſdictione Epiſcopi cùm clauſula ſublata, & decreto irritante, quæ adimunt omnem juriſdictionem, & impediunt, ne poſſit aliter judicari, nec impetrari, Rota cor. Seraph. *dec.* 1020. *n.* 1. & cor. Buratt. *dec.* 831. *n.* 4. & *dec.* 77. *n.* 9. *p.* 5. & *deciſ.* 168. *nu.* 8. *p.* 6. *rec.* ac paſſim alibi. Satiſque eſt Pontificem ſciviſſe in hac Reli-
19 gione conſueviſſe recipi translatos ex aliis Religionibus, ut quoad illos cenſeatur etiam diſpoſuiſſe; quia ad hunc effectum ſufficit eum cogitaſſe in genere quod in illa poterant adeſſe translati, ut prudenter Rot. *dec.* 24. *n.* 9. & *dec.* 100. *nu.* 30. *p.* 5. & *dec.* 222. *nu.* 6. *p.* 7. *rec.*

20 Quæ verò ſuperiùs objiciebantur parum habent efficacitatis. Nam ſi diſcutietur qualitas dictæ Religionis concurrunt omnia requiſita ad veram, & propriam Religionem conſtituendam. Illa enim fuit erecta ab initio ſub certa regula, & uno Rectore de triennio in triennium eligendo independenter ab Ordinario, fuitque approbata a Paulo III. & confirmata a Julio etiam III. Deinde Cardinalis Farneſius major Pœnitentiarius anno 1562. ex ſpeciali mandato Pontificis, ſibi vivæ vocis oraculo dato, conceſſit eidem Congregationi licentiam, & liberam poteſtatem, ut eam ingreſſi ſolemnem profeſſionem trium votorum in manibus Rectoris pro tempore emittere poſſint, & diſpoſuit, quod ex dictis votis adſtringantur, ſicut alii Religioſi. Et ita patet emitti tria vota in communitate approbata a Sede Apoſtolica, & quod acceptantur a Rectore, in cujus manibus emittuntur cum traditione, & ſubjectione perſonæ, ſub juriſdictione, & poteſtate certi ſuperioris. Quæ ſunt requiſita ad ſubſtantiam, & eſſentiam veræ, & propriæ Religionis ad differentiam eorum, qui emittunt dicta vota ſine authoritate Pontificis in communitatibus non approbatis a Sede Apoſtolica juxta *cap. Cùm ad monaſterium in fin. de relig. dom.* & aſſerit Navar. *conſ.* 6. *n.* 2. *de Regul. lib.* 3. Gratian. *diſcept.* 457. *nu.* 24. Marant. *reſp.* 3. *n.* 35. *p.* 4. & *reſp.* 17. *n.* 15. & 16. *p.* 5. egregiè Sperel. *dec.* 2. *n.* 47. Adden. ad Greg. *dec.* 87. *nu.* 14. Duran. *dec.* 308. *n.* 7. Rot. *dec.* 216. *n.* 3. *p.* 2. *div.* & latè præter cæteros Sanchez *in Decal. lib.* 5. *cap.* 1. *nu.* 16. & *ſeqq.* Leſs. *de juſt.* & *jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 1. *per tot.* Pellizar. *in man. regul. tom.* 1. *tr.* 1. *tot. cap.* 1. Caſtropal. *d. p.* 3. *tract.* 16. *de ſtat. relig. diſp.* 1 *punct.* 1. Quod ſuſius, & luculenter ut ſolet, confirmat Suar. *de Relig. tom.* 3. *lib.* 2. *diſp.* 3. & explicatius ex inſtituto tradit Tappia *in auth. Ingreſſi cap.* 5. *n.* 3. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* Azor. *Inſtit. moral. p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 1. *q.* 8. Jacob. Morand. *in addit. ad* 7. *tom. Surii ſub die* 23. *Januarii*, Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 24. *quæſt.* 4. *n.* 8. Marul. *in Ocean. Relig. lib.* 5. Joſeph Michel. *in Theſaur. Relig.* itemque alii ab iis allegati. Enimverò ſub eadem ferè formula verborum fuit approbata a Sixto V. Religio Clericorum regularium minorum per ejus Conſtitutionem 81. in Bullar. novo, & Religio Convertitarum Urbis a Leone X. in ejus Conſtitut. 34. ac aliæ plures apud Bordon. *ref. regul. tom.* 2. *ref.* 86. *n.* 150. *cum ſeq.*

21 Nec illud nos movere debet, nimirùm quòd licentia non emanavit ab ipſo Pontifice, ſed a ſummo Pœnitentiario. Quoniam iſte eam non conceſſit uti Cardinalis, neque authoritate propria, ſed ex mandato Pontificis, & ex ejus vivæ vocis oraculo. Unde perinde eſt ac ſi ipſe Pontifex conceſſiſſet. Quia actus attribuitur mandanti, non exequenti, ad textum *in cap. Cùm aliquibus de reſcript. in* 6. Et hujuſmodi literis emanatis vigore oraculi vivæ vocis plenè creditur, præſertim cùm prodiderint in præſentia Pontificis, ideòque dicuntur Conſtitutiones Pontificiæ, habentque eandem vim, quam literæ Apoſtolicæ, ut benè probant Rodriq. *quæſt. regul. to.* 1. *q.* 4. *art.* 5. & *to.* 3. *q.* 22. *art.* 1. & 2. Bordon *reſol. regul.* 3. *n.* 1. Donat. *tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 15 *de Oracul. viv. voc. quæſt.* 3. *n.* 2. & advertunt Portel. *in dub. regul. v. Vivæ vocis oracula n.* 2. Lezan. *in ſum. quæſt. regul. tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 21. Novar. *in Lucer. Regul. v. Privilegia num.* 1. Peyr. *tom.* 1. *privileg. ad conſtit.* 17. *Julii II. n.* 1. paſſimque alii.

Itaque facilè eventilantur quæ contra revocationes O- 22
raculorum vivæ vocis referuntur. Conſtitutio namque Pii IV. non aptè adducitur. Quia licentia conceſſa Religioni ſuppreſſæ eſt anterior. Et ideo non comprehenditur ſub dicta revocatione poſteriori. Nam Pontifex in §. 27. expreſsè declarat, revocare ſolummodò conceſſiones illas, quæ in futurum emanarent vivæ vocis oraculo, ut oſtendit dictio *Deinceps*, ibi: *Gratias, & expeditiones deinceps ab eodem officio Pœnitentiariæ pro tempore emanandas.* Quæ verba denotant tempus futurum, & confirmant oracula antecedentia, Men. *conſ.* 462. *n.* 21. Honded. *conſ.* 66. *nu.* 3. & *ſeq.* Henriq. *conſ.* 75. *n.* 2. Rot. cor. Caval. *dec.* 566. *n.* 2. & 4.

Conſtitutiones verò Gregorii XV. & Urbani VIII. quæ 23
revocationem extendunt etiam ad Cardinales non comprehendunt actus effectum ſortitos, plenèque conſummatos juxta veriorem, & communem ſententiam, ut in terminis Conſtitutionis utriuſque Pontificis latè proſequitur Don. loco proximè adducto *p.* 1. *tr.* 16. *q.* 4. *nu.* 1. & *ſeq.* Peyr. *tom.* 2. *privil. Minim. ad Conſtit.* 3. Greg. XV. *n.* 1. & *to.* 3. *ad conſtit.* 18. *alias* 28 Urbani VIII. *num.* 4. Bordon. *q. regul. p.* 1. *q.* 31. *n.* 8. & plenius probat Caſtel. *de elect. c.* 6. *num.* 37. ubi refert reſolutionem S. Congregationis Epiſcop. & Regul. Lezan. & Novar. ille *in qu. regul. to.* 1. *cap.* 3. *n.* 21. hic *in v. Regularium Privilegia n.* 9. dubitantes dumtaxat de illis oraculis, quæ recipiunt ſuam perfectionem in tempus futurum, habentque tractum ſucceſſivum.

Præterea in iis declaratur non comprehendi Officia- 24
les, & Cardinales, quibus ratione officii credi debet, qualis erat eo tempore Cardinalis S. Angeli, cui ut aſſumpto ad officium Pœnitentiarii credi debet, ut firmat Gen. *de ſcript. privat. lib.* 3. *tit. de lit. Apoſtol. n.* 9. & 10. Cæſar. de Graſſ. *dec.* 1. *n.* 10. & 13. *de præb.* Rot. *in rec. dec.* 630. *n.* 2. *p.* 4 & *in Mediolanen. Canonicatus* 17. *Junii* 1642. *cor.* Panzirolo, & ſpeciatim in terminis Card. Pœnitentiarii concedentis licentiam tranſeundi ad arctiorem, vel æqualem ſtatuit Zabarell. *conſ.* 28. *num.* 4.

Hinc porrò non obſtat, quòd fundatio novarum Re- 25
ligionum prohibitafuerit in Conciliis Lateranenſi, ac Lugdunenſi. Quia non ſolùm in licentia emittendi tria vota, adeſt clauſula non obſtantibus, per quam intelligitur derogatum Conciliis, Rot. *in rec. dec.* 687. *n.* 24. *p.* 2. & cor. Martin Andr. *dec.* 100. *n.* 26. Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 8. *nu.* 87. Verùm etiam, quia dum Pontifex in dictis locis prohibet, ne quis in poſterum novam fundet Religionem, loquitur de fundantibus Religiones ex ſe ipſis, non autem comprehendit illas, quæ approbantur a Sede Apoſtolica, ut expreſsè ſe declarat text. in *d. cap. un. in fin.* ibi: *Qui nullam confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt*, & explicant Leſs. *de juſt.* & *jur. l.* 2. *c.* 41. *dub.* 1. *n.* 15. Suar. *de Relig. to.* 3. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 1. proſequitur Ricc. *de jur. perſon. l.* 8. *c.* 4. *n.* 5.

Minus urget aliud motivum, quòd approbatio Reli- 26
gionis non ſit delegabilis inſtar Canonizationis Sanctorum. Quia, quidquid ſit de veritate hujus placiti, quòd non videtur tutum, cùm Religiones omnes ſint de jure poſitivo, in quo Pontifex quidquid vult, diſponere poteſt, Menoch. *de arbitr. c.* 421. *n.* 18. & 19. Ricc. *d. l.* 8. *c.* 4. *n.* 2. Tunc quidem admittendum eſt, quum Pontifex dat alicui facultatem approbandi Religiones in genere. Quo caſu eſſet veluti transfundere ſuam poteſtatem in alium, & approbatio Religionum non penderet a judicio Pontificis, ſed Judicis delegati. Secus verò quando Pontifex committit alicui, ut approbet certam, & determinatam Religionem ſuo nomine, ſuaque authoritate. Hoc enim eventu Pontifex cenſetur prius approbaſſe, & delegatus declarare, ac exequi ejus approbationem tanquam purus miniſter, & merus exequutor. Quod fieri poſſe, ut in terminis Canonizationis alicujus Sancti, quæ majus opus eſt, quàm approbatio

Reli-

Religionis: affirmant Panvin. *in relat. Canoniz. S. Bonav. §. Adducuntur*, & alii, quos refert ac sequitur Castel. *de certitud. Sanct. cap. 38. §. 4. in fin.* ibi: *Nisi accedat super his specialis, & expressa facultas Sedis Apostolicæ*. Et *§. 6.* tradit, quod facultas canonizandi Sanctos olim concessa fuerat Episcopis a Sede Apostolica. Et *num. 39. §. 1.* inquit: *Nisi intercedente authoritate speciali Papæ*. Et *§. 2.* probat, quod Canonizatio S. Jo: Chrysostomi fuit celebrata per Cyrillum Patriarcham Alexandrinum authoritate subdelegata a Summo Pontifice, idque comprobat Troyl. Malvet. *de Sanctor. Canonizat. dub. 2. n. 5.* ac docent alii plures recentiores docti & graves, qui contrariam sententiam tanquam potestatis Pontificiæ coarctivam rejiciunt.

27 Quòd si testibus inhærendum est, non desunt Authores, qui astruunt illam fuisse veram Religionem connumerando eam inter cæteras veras, & legitimas Religiones a Sede Apostolica approbatas, quibus standum est. Nam licèt non pendeat ab Authoribus approbatio Religionum, sed a Pontifice; ad eos tamen spectat interpretari an ex constitutionibus Pontificiis Religio sit approbata. Quare decisionibus Authorum in puncto loquentibus magis standum est, quàm ratiocinationibus, & argumentis Advocatorum, ut notat Cyriac. *controv. 248. num. 21. & seq.* & latissimè Garon. *var. resol. c. 2. num. 134.* & pluribus aliis, ac Put. *dec. 66. in fin. p. 3. in correct.* Eòque præcipuè quod approbatio Religionum non habet certam formam verborum, sed sufficit quod fiat quomodocunque sive sit expressa, sive sit tacita, sive implicita, sive virtualis, sive præsumpta lapsu longi temporis, ut firmat Ludov. de Angel. *apud Pennot. lib. 2. histor. can. regul. cap. 36. num. 7.* & docet disertè Bordon. *resol. reg. 86. tit. de confirm. Relig. num. 150. & seq.*

28 Hisque præsertim accedit continuata approbatio ejusdem Religionis facta a Romanis Pontificibus, qui ei dederunt Protectores uti veræ Religionis, & a Sacris Congregationibus Eminentissimorum Cardinalium aliisque Summis Tribunalibus Urbis, ac plures alii intervenerunt actus tum judiciales, tum extrajudiciales cum lapsu longissimi temporis, ex quibus dicitur approbata, vel saltem inducitur præsumptio legitimæ confirmationis, quæ sufficit etiam in hac materia, ut probat Bordon. *ubi supra d. num. 150. & seq.* Tambur. *de jur. Abb. disp. 25. qu. 1. num. 147.* & Rot. *dec. 216. num. 6. p. 2. diverss.* Unde necesse est dicere, quod illa fuerit legitima Religio, aliter non fuisset tolerata, ut in terminis tenuit Rota *div. dec. 216. num. 6. par. 2.* Vel quatenus adesset aliquod dubium, tolleretur ex dicta inconcussa observantia, ex qua Constitutiones Apostolicæ declarantur, Barbos. *de jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 39. §. 3. numer. 119.* & dixit Rot. *dec. 451. num. 3. & dec. 560. num. 11. p. 5. rec.*

29 Nec difficile objectio illa repellitur, qua opponebatur requiri causam ad transitum laxioris. Nam id procedit de jure communi juxta textum in *d. cap. licet de Regul.* non de transitu ex authoritate Pontificis, qui potest concedere licentiam transeundi sine causa non solùm ad strictiorem, & æqualem, verùm etiam ad laxiorem, ut disert docet Mirand. *in man. Præl. tom. 1. quæst. 31. art. 5. concl. 2.* Peyrin. *de subdit. qu. 1. cap. 24. sub princ.* Bordon. *resol. reg. 29. num. 14.* Quibus præiverat Lap. *alleg. 113. num. 3.* & ibi Addit. *litt. G.* qui loquitur in foro exteriori, & judiciali etiam ad effectum contrahendi matrimonium, quidquit sit in foro conscientiæ, in quo solus Reus judicat, ut distinguendo tenent communiter omnes, nominatim Glos. *in cap. Cum singula 32. §. fin. v. Canonicæ de præb. in 6.* ubi Gemin. *n. 5.* Franch. *num. 3.* traditque Rebuff. *in prax. de stat. monach. num. 21.* Navar. *in c. statuimus notab. 4. n. 12. & 19. q. 3.* Gratian. *discept. 434. n. 6.* Ricciul. *d. l. 8. c. 4. n. 1. & 2.* Quia Religiones omnes, ut diximus, sunt de jure positivo, in quo Summus Pontifex habet summam potestatem. Ac de veritate hujus receptissimæ sententiæ apud Canonistas testatur Paris. *cons. 68. n. 47. & seqq. l. 4.* Quam magis communem appellat Decian. *cons. 22. n. 5.* eamque probat Donat. *supr. q. 27. n. 1. & seqq.* Pellizar. *superius adductus t. 1. tr. 3. cap. 5. sect. 3. n. 65.* Atque ita intelligendus est Suar. *de Relig. t. 4. l. 3. c. 11. n. 14. & 15.* prout rectè se explicat in præcedenti *n. 6.*

30 Et demum cessat penitus quæcumque difficultas ex eo, quod Pontifex dedit licentiam transeundi determinatè ad hanc Religionem. Unde qualiscunque ea est, hujusmodi professus remansit liber. Quia Pontifex non solùm potest concedere licentiam transeundi ad arctiorem, æqualem, & laxiorem Religionem, sed etiam potest facere, ut Religiosus non sit amplius Religiosus, & facere de monacho non monachum, Suar. *de Relig. to. 3. lib. 6. cap. 16. num. 5.* annuuntque Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 7. quæst. 1.* Less. *de just. & jur. lib. 2. cap. 40. num. 141.* Layman. *in theol. moral. lib. 4. tr. 5. cap. 1. num. 8.* Pellizar. *in man. Regul. tom. 1. tr. 3. cap. 5. num. 1. 8.* & alii non pauci. Quæ sententia est communis Canonistarum, teste Navar. *in man. cap. 12. num. 77.* & ferè communis Theologorum. Satisque est, Pontificem credidisse istam esse veram Religionem; quia sufficit illa communis reputatio, Less. modo citatus *cap. 14. dub. 1. num. 14.*

CONSULTATIO CXIII.

An possint eligi in Conservatores Regularium Archiepiscopi, & Cardinales?

REspondeo affirmativè. Etenim ex Constitutione Bonifacii VIII. *in cap. fin. de offic. Deleg. in 6.* innovata per Gregorium XV. in novis de Conservatoribus possunt eligi in Conservatores Episcopi, eorumque Superiores. Ita post Doctores *in d. cap. fin.* notat Azor. *Instit. moral. lib. 3. cap. 34. q. 4.* Fusch. *de visit. lib. 2. c. 23. num. 4.* Monet. *de Conserv. cap. 5. num. 36.* Barbos. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 106. num. 8.* 1

Quo casu videntur etiam eligi posse Archiepiscopi, & Cardinales, qui sunt Superiores Episcoporum ex *cap. Pastoralis de off. Ordin.* & Glos. *v. Superioribus, c. Quia periculosum de sent. excom. in 6.* Glos. *fin. c. sicut de offic. ordin.* Corrad. *in Templ. omn. Jud. lib. 2. cap. 4. num. 2.* Et de Archiepiscopis in Conservatores eligendis expresè Monet. *d. cap. 5. num. 54. & seq.* Quod videtur esse de mente S. Congreg. Concilii, dum declaravit in Conservatores eligi posse Episcopos, eorumve Superiores. 2

Nec refert, quod tali casu Conservator esset extra diœcesim. Quod videtur repugnare *d. cap. fin. §. Conservatores.* Nam si potest eligi Superior Episcopi, & sic etiam Archiepiscopus, necessariò sequitur, ut electio sustineatur etiamsi sit extra diœcesim, cùm id veniat in necessarium consequens dictæ electionis, *lib. 1. §. Qui habet, ff. de serv. rustic. præd. lib. 2. ubi Doctores, ff. de jurisd. omn. Jud.* & plenè Everar. *in sua centur. in loco a concessione antecedenti.* 3

Et quod dicitur *in §. Conservatores* procedit quoad exercitium jurisdictionis extra locum deputationis prohibitum, quòd si deputatus sit Conservator in tota Provincia potest ex eadem ratione suam jurisdictionem exercere. Quod in terminis benè tradit Monet. *codem loc. cap. 7. numer. 64.* dicens posse Archiepiscopus in suis propriis Provinciis, & singulis eorum civitatibus ac locis exercere jurisdictionem hujusmodi. 4

Idque ex eo videtur posse comprobari, quia ex eodem *cap. fin.* possunt eligi in Conservatores etiam Abbates, ut etiam per Azor. *d. lib. 5. cap. 34. quæst. 4.* & Roderic. *in comp. quæst. regul. resol. 33. numer. 2.* dicens de Abbatibus regularibus eligendis. Quia dum textus indistinctè loquitur de Abbatibus, de regularibus etiam intelligit, Moneta *cap. 5. numer. 34.* Et tamen possunt tales Abbates esse nullius diœcesis, & sic extra diœcesim. Cùm existens nullius non sit nec in diœcesi, nec de diœcesi, Rot. *dec. 207. numer. 2. par. 2. div. & in rec. d. 324. par. 1.* ex Glos. *Clem. 1. §. Volumus v. Diœcesis de for. comp.* ubi Cardin. Imol. Abb. & alii. 5

Ex quo fit, ut sive attendatur locus deputationis, & electionis, sive etiam locus, pro quo deputatur, possit etiam Cardinalis sive Episcopus, sive Archiepiscopus hanc jurisdictionem exercere in diœcesi, quæ est de sua Provincia, Monet. *ubi sup. cap. 7. num. 62.* Maximè si quis non extrahatur ultra unam dietam proprii domicilii, ut *in d. §. Conservatores*, & Azor. *ibid. quæst. 8. in fin.* Vel ultra duas secundùm Roderic. *d. resp. 33. n. 6.* ubi ad hoc allegat Constitutiones Clem. VII. Sixti IV. & Gregorii XIII. dietam computantium a finibus diœcesis, in qua degit citandus, non autem a continentibus ædificiis, ut *ex d. §. Conservatores* tradit Azor. ubi supra, Portel. *v. Conservator n. 5.* Mirand. *tom. 2. Manual. quæst. 47. art. 8. concl. 3.* Regulariter enim dieta commensuratur a fine diœcesis, Rot. *dec. 34. de rescript. in antiq.* ex Glos. *in cap. Statutum v. unicam dietam de rescript. in 6.* Abb. *in cap. Nonnulli v. 2. not. 2. & cap. Dilectus il 2. num. 3.* ubi etiam Felin. *n. 10. eod. tit.* Menoch. *de arbitr. cas. 206. num. 5.* Atque ita perinde est, ac si esset nominatus existens in diœcesi, cùm hujusmodi distantia de jure non habeatur in consideratione *d. cap. Statutum, §. Cùm verò.* 6

Quod præcipuè locum habet quando electio, & nominatio Conservatoris a Regularibus facta in personam alicujus ex subditis Episcopi diœcesani suum nequeat 7

ſortiri effectum propter terrorem perſecutionis, minas, ac violentias hujuſmodi electo ab Epiſcopo illatas, nec poſſint iidem Regulares tutò eligere alium ſubditum Epiſcopo. Stante enim hac cauſa tàm juſta, & legitima poſſunt Regulares nominare Conſervatorem extra diœceſim & locum, ubi aliàs debuiſſet nominari, *cap. Statuimus*, & ibi Gloſ. & DD. *de off. Deleg. in 6.* Innoc. *in cap. 2. ſub num. 2. de oper. nov. nunc.* Gemin. *in d. cap. Statutum*, § *In nullo num. 4.* ibique Franch. *nu. etiam 4.* Lap. *alleg. 123. num. 1.* Præſertim quia impedimentum proveniens ex culpa partis adverſæ ſemper reputatur legitima cauſa, & excuſat ac ſuffragatur, ut aliquid fiat eo modo, quo fieri poteſt, *l. ſine hærede*, §. *idem juris*, *ff. ad l. Rhod. de jact.* Bald. *in l. Diffamari num. 5. in fin. C. de ingen. & manum.* Rota coram Pap. Gregor. XV. *dec. 341. num. 2.*

8 Confirmantur ſupradicta. Nam aliter fruſtratoria poſſet reddi facultas nominandi Conſervatores. Ordinarii enim poſſent in ſuis diœceſibus Judicibus ſynodalibus, aliiſque Clericis vel directè vel indirectè prohibere acceptationem hujus officii, quod tamen non eſt permittendum, ne Regulares careant ſuo Conſervatore ex dolo, & fraude Ordinariorum; atque adeò permittendum eſt, quod ſtantibus legitimis cauſis eligatur Conſervator Metropolitanus ex *d. cap. Statuimus*, ubi Jo: Andr. Gemin. Franch. & alii *de off. deleg. in 6.*

9 Quod etiam facilius procedit ſi Metropolitanus eſſet Cardinalis propter eminentiam dignitatis, & quia eſt omni exceptione major, poteritque manifeſtas injurias, & violentias, quæ poſſent per Ordinarios, atque alios inferri Regularibus, arcere, eoſque tueri. Quam ob cauſam Conſervatores de jure conceduntur, *ut in d. c. fin.* ibi: *Et a manifeſtis injuriis de offic. deleg. in 6.*

CONSULTATIO CXIV.

An Patres Viſitatores Apoſtolici Urbis poſſint Venerabile Hoſpitale, & Eccleſiam Sanctorum Jacobi, & Idelphonſi inclytæ nationis Hiſpanorum de Urbe, facultate ſibi demandata, viſitare?

1 VIdetur, quod admitti non debeant ad viſitandum ejuſmodi Hoſpitale & Eccleſiam, ſalva ſemper ſummi Pontificis authoritate, & obedientia, cùm prætenſa viſitatio ſit directè contraria indultis, & conceſſionibus Apoſtolicis Regum, ne loca eorum Patronatus ſine eorumdem licentia viſitentur, & expreſsè contra S. Concil. Trident. *cap. 8. ſeſſ. 22. de refor.* præſervans a viſitatione Hoſpitalia exiſtentia ſub immediata Regum protectione.

2 Equidem juſpatronatus expreſsè probatur ex tabella antiqua in qua notatur, quod prima Miſſa celebretur pro D. Infante Henrico I. fundatore Hoſpitalis, quæ inſcriptio in antiquis probat juſpatronatus. Gloſ. *in cap. Cum cauſam v. Per libros de probat.* in puncto Bald. *conſ. 310. lib. 5.* Imol. *conſ. 60.* Calcan. *conſ. 98. num. 8.* Dec. *conſ. 135.* Lambert. *de Jurep. p. 2. l. 2. ar. 9. q. 10.* cum aliis per Men. *lib. 2. præſumpt. 59. num. 2.* ac fusè Gratian. *diſcept. 918. num. 8.* & Rot. *dec. 374. num. 7. p. 2. rec. & dec. 230 n. 1.* cor. Coccino.

3 Item ex inſigniis, ſive armis Regum, quæ in Capella majori, tota Eccleſia, & januis viſuntur quæque vel concludenter probant in antiquis, vel efficax juriſpatronatus præbent argumentum, Anchar. *conſ. 113. numer. 4.* Anan. *conſ 86. num. 2.* Gabr. *conſ. 196. numer. 10. lib. 2.* Lambert. *d. qu. 10. art. 9. & lib. 3. qu. 5. art 4. num. 2.* Rot. *dec. 518. num. 5. p. 1. & dec. 548. numer. 7. par. 2. rec.* & cor. Coccino *d. dec. 230. numer. 1.*

4 Et licèt ſola armorum vel inſignium exiſtentia per ſe negaretur ſufficiens ad probandum juſpatronatus, attamen concurrentibus tot adminiculis, & temporis diuturnitate probant, maximè in inſigniis Regiis, quæ nullus audet ſibi uſurpare, nec rebus ſuis affigere, niſi ii tantùm, quibus natura ſanguinis Regii conceſſit, & eorum aſſiſtentia ſaltem probat ædificationem, & dominium Eccleſiæ. Quia in re aliena nemo poteſt arma ſua ſignare, ut in ſpecie docet Anan. *d. conſ. 86. num. 2.* Et ideò dominium, & poſſeſſionem probant *ex l. Qui libertatem*, §. *fin.* ubi Bart. & reliqui Doctor. *de oper. publ.* ac proſequitur Cepol. *de ſervit. urban. cap. 4. numer. 16.* Bald. *in auth. Dos data, C. de donat. ante nupt.* Gratian. *conſ. 9. num. 70. lib. 1.* Decius, loquens in ſpecie de acquiſitione juriſpatronatus *d. conſ. 135. num. 1.* Bart. *in l. Stigmata, C. de fabricen. l. 11.* Et in antiquis eſſe inevitabile argumentum fatetur Angel. *in l. Monumentorum, C. de relig. & ſumpt. fun.* & Rot. *dec. 201. num. 2.* cor. Coccino.

Cùm itaque fundatio, & ædificatio, ac dominium 5
probentur ex armis, ſeu inſignibus Regis, conſequenter oritur probatio juriſpatronatus, quod ex fundatione & ædificatione Eccleſiæ acquiri nemo eſt, qui neget, ita ut probatio iſta ſufficiat in antiquis, etiamſi non probetur conſenſus Ordinarii, nec reſervatio juriſpatronatus. Ita per textum *in c. a nobis de jurep.* firmant Canoniſtæ, quos ſequitur Zabarel. *conſ. 122. n. 2.* Anan. *conſ. 24. num. 4.* Abb *conſ. 44. lib. 1.* Et ita contra antiquas deciſiones, requirentes expreſſam reſervationem patronatus ſæpiùs Rota judicavit *dec. 57. p. 1. numer. 4.* & *421. num. 2. par. 2. rec.* & *in Cæſarauguſtana Parochialis de Maella 6.* Novembris 1617. cor. Coccino. Igitur cùm inſignia Regia probent ſaltem ædificationem, & ex ædificatione oriatur patronatus, concluditur ex illis, maximè adjunctis adminiculis, patronatum ſufficienter probari.

Accedunt honores, proceſſiones, atque alii actus, de 6
quibus per textum & Doctores *in cap. Nobis de jurepat.* ac fusè per Lambert. *d. lib. 3. q. 16. numer. 1.* qui ibi jugiter exhibentur ab Oratoribus tanquam Reges repræſentantibus, quique præferunt juſpatronatus, præſertim cùm illuc aſſiduè accedant tanquam ad propriam Eccleſiam. Plurimumque conducit, quod in ea celebrentur Regum, Reginarum, ac infantum, & Principum exequiæ. Et omiſſis aliis antiquioribus & clariſſimæ memoriæ Carolo V. Imperatore, id probat vexillum, quod uſque ad hæc tempora durat de Philippo II. Regina Margarita & Philippo III. aliiſque. Hæ autem actiones pro naſcentibus, & pro defunctis probant juſpatronatus, cùm ſint orationes, quas Eccleſia patronata tenetur effundere pro Patronis, ut per Lambert. *eo lib. 3. art. 3. qu. 8.*

Nec leve eſt argumentum, quod in dicta Eccleſia 7
monumenta glorioſa reponantur, ut eſt clavis Tripolis, ac tanquam in propria Eccleſia, & archivio Regis deponantur memoriæ fundationum Regiarum, ut fuit ordinatum deponi ſcripturas patronatus & onerum debitorum Regibus Catholicis fundatoribus in monaſterio, & Eccleſia S. Petri Montorii. Quæ omnia præſeferunt Patronatum & authoritatem Patroni ad notata per Rocch. *de jurepatr. v. Et utile*, & per Lambert. *d. lib. 3. art. 6.* & *7. qu. 1.* ubi inter alia patronus dicitur quaſi dominus.

Ac denique ſi libris in hoc eſt credendum juxta Gloſ. 8
in d. c. Cùm cauſam v. Per libros, de prob. liber vulgaris, cui titulus *Mirabilia Romæ*, expreſsè dicit hanc Eccleſiam & hoſpitale fuiſſe fundatum ab Infante filio Regis Alphonſi, & poſtea reædificatam ab Epiſcopo Paradinas.

Nec ſupradictis obſtat, cauſam iſtam verſari circa 9
patronatum Regis Hiſpaniæ potentiſſimi Principis, in quo propter potentiam non ſic facilè admittuntur probatio, & præſumptiones juriſpatronatus juxta mentem S. Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 9.* & quæ decidit Rot. *dec. 409. p. 1.* coram Robuſterio *in Reatina*. Quia reſpondetur primò, eam præſumptionem uſurpationis, in qua Concilium fundatur, omninò ceſſare in hoc caſu, ubi tot documenta & probationes concurrunt. Atqui ceſſante illa præſumptione, quæ eſt ratio finalis, utpotè expreſſa in illo decreto, ceſſat omninò diſpoſitio. Secundò, reſpondetur, decretum Concilii procedere quando patronatus exiſtit in terris & dominiis Regum, aliorumque ſupremorum Principum, in quorum obſequium, vel propter timorem diu ſubticuiſſe Epiſcopos præſumitur, & eos potuiſſe ea, quæ ſibi non competunt uſurpare. Quo factum eſt, ut eam Conſtitutionem ad Barones habentes juriſdictionem in ſuis locis extendendam fore declaraverit S. Congregat. Concilii. At nos ſumus in caſu, quo iſta uſurpatio conſiderari non poteſt, cum Rex Catholicus Romæ nullam habeat juriſdictionem, ſed ſummam præſtet Pontifici obedientiam.

Quæ magis procedunt, quia ſumus in jurepatronatu 10
Regio, quod intactum reliquit S. Concilium *d. cap. 9. ſeſſ. 25. de refor. verſ. Et exceptis* & ſumus in patronatu honorifico juxta *c. Quia nobis de jurepatr.* in quo non cadit præſentatio, nec habet locum præſumptio uſurpationis, cùm Concilium ſolùm loquatur ad effectum præſentationis tantùm, non autem quoad præeminentias.

Nec juſpatronatus hujuſmodi, illiuſque candorem ac 11
veritatem offuſcant inſcriptiones ſub janua majori, quod Paradinus Epiſcop. ſtruxit, & in lapide ſepulchrali, quæ illum fundatorem appellat. Nam præterquam quod prima inſcriptio eſt verſibus exarata, & deprimitur ab armis & inſignibus Regiis ſupraſtantibus, utraque detegitur erronea ex libris d. Eccleſiæ. Tum ex quo pluribus inſtrumentis ab ann. 1470. Epiſcopus iſte denominatur

minatur ſimplex Eccleſiæ, & Hoſpitalis Gubernator, Procurator, Syndicus, atque Rector. Tum quia, ut conſtat ex alio libro de domibus, ac redditibus Eccleſiæ, ex partitionibus, & enunciativis de anno 1505. liquet quod ante Paradinas anno 1470. circiter d. Eccleſia & Hoſpitale jam aderant ab immemorabili, & poſſidebant bona & domus, & in ſpecie unam ad ſcalas Aracœli, quæ ab immemorabili uſque ad annum 1505. inſerviebat Eccleſiæ & hoſpitali pro hoſpitio, ſeu hoſpitali mulierum. Unde patet adulationis ergo poſita fuiſſe verba illa *ſtruxit & fundatoris* pro reparavit, auxit, vel exornavit, ex quibus non acquiritur juſpatronatus, Rot. *dec.* 53. *p.* 1. *rec.*

12 Conceſſo tamen Epiſcopum Paradinas reædificaſſe Eccleſiam, adhuc dicendum eſt, nihil nocuiſſe veteri juripatronatus. Nam omiſſa diſputatione, quando ex reædificatione acquiratur novum jus, & ceſſet antiquum, ad quod eſt neceſſarium quod Eccleſia ſit omninò deſtructa, & a fundamentis reædificetur, quod in hoc caſu non conſtat, nec eſt verum, nec probabile juxta tradita per Abb. *conſ.* 59. *num.* 3. *lib.* 2. Gemin. *conſ.* 117. *num.* 4. & 5. In hoc caſo dicendum eſt, etiamſi Eccleſia SS. Jacobi & Idelphonſi fuiſſet omninò deſtructa, & reædificata ab Epiſcopo Parad. & ei Pontifex ob reædificationem conceſſiſſet patronatum non ſufficeret. Quia dum reperitur antiquus dominus & patronus, neque ex reædificatione, neque ex conceſſione poteſt ei præjudicium inferri: ſed neceſſarium eſt ad vetus jus abolendum non reperiri veterem patronum. Ita Abb. *d. conſ.* 59. *numer.* 3. quem ſequitur Card. Tuſch. *tom.* 4. *lit. I. concl.* 600. *num.* 37. Unde cùm reperiatur patronus Rex Hiſpaniarum, nihil nocet reædificatio Paradinas, etiamſi eſſet a fundamentis Eccleſiæ.

13 Stabilito igitur pro indubitato jurepatronatus regio, intrant indulta Sereniſſimi Regis, & quaſi poſſeſſio, in qua exiſtunt Reges Hiſpaniarum, ne loca ſui juriſpatronatus viſitentur abſque illius conſenſu, & eo nominante Viſitatores, Pontifex, vel ejus Nuncius confirmant, & juriſdictionem concedunt, & reſultat illud efficax contra prætenſam viſitationem fundamentum, ſcilicet immediata Regum protectio, quæ juxta S. Conc. Trident. *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. *de refor.* operatur, ut dicta hoſpitalia nequeant viſitari ſine licentia Regum protectorum, Perez de Lar. *de anniverſ. & capel. lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 49. Valaſc. *conſult.* 105. *num.* 62. Cabed. *de patron. Reg. coron. cap.* 39. *numer.* 3. & *cap.* 42. *numer.* 5. latè Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. p.* 3. *alleg.* 75. *numer.* 16.

14 Quod autem ex patronatu reſultet neceſſariò jus protectionis eſt exploratum in jure, cùm patronus eo ipſo ſit protector, qui Eccleſiam & bona protegat & defendat, *c. filiis 6. quæſt. 7. cap. In generali de elect. in 6. cap. Præterea de jurep.* Lambert. *p.* 1. *lib.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *num.* 23. & *lib.* 3. *q.* 2. Immò & ſine patronatu ſufficit ſola protectio, quæ quid ſit notant Doctores *in cap. Si Papa de privil. in* 6. & copioſè Gail. *obſer.* 34. *lib.* 2. & Cochier. *de juriſd. in exempt. p.* 1. *qu.* 9. *num.* 3. Quippè nihil aliud eſt, quàm quod Protector præſtò adſit ad defenſionem. Et quod hæc ſola ratio protectionis etiam aliunde, quàm ex jurepatronatus reſultans ex ſola ſubjectione voluntaria paſſiva ſufficiat, notant Gaillus, & Cochier ſuperiùs allegati.

15 Non obſtat interpretatio ab aliquibus data ad *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. quod nimirum loquatur de viſitatione Ordinariorum non autem de viſitatione delegata. Nam reſpondetur primò, quod S. Concilium loquitur de Ordinariis etiam tanquam delegatis a Sede Apoſtolica, in quo viſitatores Apoſtolici ſunt pares cum Ordinariis uti delegatis. Secundò reſpondetur, quod cauſa præſervandi hoſpitalia exiſtentia ſub immediata Regum protectione eſt ipſa eminentia Regiæ dignitatis. Barboſ. *d. alleg.* 75. *n.* 16. Et hæc tàm militat in Ordinariis, quàm in Delegatis Apoſtolicis. Tertiò reſpondetur, Summos Pontifices in ſuis delegationibus, & conceſſionibus nunquam præſumi derogare juri quæſito, maximè juripatronatus laicorum, ut firmant omnes Doctores, præſertim, quando patronatus non proceſſit ex privilegio, cui facilius derogatur, ſed ex fundatione, ut in hoc caſu. Item & præcipuè quando pertinet non ad quencumque laicum, ſed ad Regem. Unde licet Pontifex ut Pontifex viſitationem faciat, non cenſetur præjudicare juripatronatus.

16 Denique non obſtant prætenſæ viſitationes, quia de illis in libris Eccleſiæ nullum reperitur decretum, nec fuerunt citati, nec vocati Adminiſtratores, & Officiales d. Eccleſiæ & hoſpitalis, nec Regis Catholici Orator, prout citari debebant. Præterea ſunt clandeſtinæ, non demandatæ executioni, & nulla unquam extitit realis viſitatio, niſi illa Card. Dezæ ad inſtantiam, & licentiam Regis, tolliturque omnis difficultas etiam quòd appareret de realibus & veris viſitationibus, ſcientibus & patientibus Eccleſiæ adminiſtratoribus & Officialibus, quia illæ non valent, nec faciunt ſtatum. Tum quia Concilium *d. c.* 8. tollit conſuetudines contrarias etiam immemorabiles. Tum quia eſſent ſine ſcientia, & patientia Regis, habentis indulta & intentionem fundatam in Concilio eo *cap.* 8. quod non poſſint viſitari Eccleſiæ ſui patronatus, & protectionis, niſi de ejus licentia, cui non potuerunt Officiales Eccleſiæ, etiam volentes, præjudicare, ut eſt textus expreſsus, cui reſponderi non poteſt *in c. Cùm tempore de arbitr.* traditque optime Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 33. *num.* 2. ac fusè Cochier. *ubi ſupra p.* 2. *qu.* 6. *num.* 2. Monet. *de comm. ult. volunt. cap.* 8. *num.* 716. ac reſolvit Rota *in Ulyſipponen. Monaſterii* 19. Novemb. 1625. cor. Coccino, in qua plures Doctores adducuntur, qui licèt loquantur in exemptis, optimè tamen applicantur ad hunc caſum ratione præjudicii Superiorum.

Poſtremò ſufficere debet obſervantia, & quaſi poſſeſ- 17
ſio præmiſſorum, cùm quoties vitare tentarunt, fuit facta juris reſiſtentia, & tempore ſa. me. Gregor. XIII. & Clementis VIII. Viſitatores acquieverunt. Ex qua contradictione & acquieſcentia reſultat quaſi poſſeſſio viſitationis paſſivæ ad Gloſs. *in l. Qui luminib.* & ibi Bart. Caſtr. & alii, *ff. de ſerv. urb. præd.* Felin. *in cap. Paſtoralis, num.* 5. *limit.* 8. *de offic. Ord.* Gabr. *de præſcript. concl.* 10. *num.* 130. Juncta præſertim viſitatione activa Cardinalis Dezæ, quæ vera fuit viſitatio de licentia Regis, & facultate Papæ virtualiter data propter eminentiam perſonæ, & dignitatis in verbis Diplomatis & realiter exequutioni demandata, ut expreſſis verbis dicitur ibi: *Viſitataque perſonaliter.*

Nihilominus, his non obſtantibus, tenendum eſt, quod 18
hujuſmodi Eccleſia, & hoſpitale non poſſunt ſe excuſare a ſacra Viſitatione recipienda, cùm dictum Hoſpitale comprehendatur ſub diſpoſitione S. Conc. Trident. *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. & *ſeq. de refor.* Nec exemptum dici poteſt, ex quo prætenditur exiſtere ſub immediata protectione potentiſſimi Regis Hiſpaniarum, quam protectionem immediatam nec in fundatione, nec alibi video. Nam ſi conſideremus Hoſpitale iſtud uti opus pium, & ſacrum a Regibus ædificatum juxta textum *in cap. Boni Principis* 96. *d.* certum eſt, quod non potuit ædificari ſine conſenſu Summi Pontificis, cui tantummodo & locorum Ordinariis ſimilem conſenſum præſtare competit, ut probatur *in c. Quicumque* 16. *qu.* 19. deſumpto ex Concilio Vormacienſi his verbis: *Quicunque voluerit in ſua proprietate Eccleſiam ædificare, & conſenſum & voluntatem Epiſcopi habuerit in cujus parochia eſt, licitum ſit.* Et *in c. Lator* 16. *qu.* 5. & *in c. Quidam*, deſumpto ex Conc. Chalcedonenſi 18. *qu.* 2. his verbis: *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut conſtruere monaſteria, aut Oratorii domum ſine conſenſu ipſius Civitatis Epiſcopi,* & *tex. in c. Placuit* 1. *q.* 3. & *in c. Nemo*, & *in c. Baſilicas*, & *in c. Eccleſias, de conſecr. d.* 1. & *text. in c. Ad audientiam*, & *in c. fin. de Eccleſ. ædif.* & *in cap. Ad hoc de relig. dom.* & *in c. Cùm olim, §. Inſuper de privil.* melior textus *in c. Authoritatem eod. tit.* & *in cap.* 1. *de exceſs. Prælat. eod.* Quod etiam Juſtinianus diſpoſuit in novella 5. *ſub pr.* & *in novel.* 131. *ver. Nemo Oratorium*. Et ultra ordinarios in ſupracitatis locis tradunt Turrecrem. *in d. cap. Nemo n.* 5. *Abb. in c. Nobis n.* 2. *de jurep.* & Gregor. Lopez *in l.* 1. *gl.* 5. *tit.* 10. *p.* 1.

Et ratio principalis eſt, quia Summus Pontifex, vel 19
Ordinarius antequam ad licentiam concedendam, & conſenſum præſtandum procedant, opus eſt, ut habeant conſiderationem ad proventus, ad cuſtodiam, cuſtodumque ſtipendia, quos ſtatuit qui ædificare deſiderat, & quod dotatio ſufficiat pro cultu divino in illa Eccleſia, ſeu Hoſpitali, & miniſterio miniſtrantibus, & pro oneribus ſolvendis ad text. *in cap. Piæ mentis* 16. *qu.* 7. Cùm aliàs Summus Pontifex, vel Epiſcopus ſi ſine dotatione permiſiſſet Eccleſiam vel Hoſpitale ædificari, tenetur de proprio illam dotare exemplo ordinatorum ſine titulo, quos tenetur vel alere, vel eis de beneficio providere, *cap. Epiſcopus de præb.* Etſi ideò ante conſtructionem Eccleſiæ vel Hoſpitalis opus eſt omnia prædicta examinare, illorumque examen ſpectat ad Summum Pontificem, vel Ordinarium, ſatis rationi congruit ſtabilire, prout S. Conc. ſtabilitum habet, quod poſt conſtructionem, debeat dicta Eccleſia vel Hoſpitale viſitari quandocunque ad effectum, ut onera ſolvantur, & debita ſuſtentatio ſubminiſtretur, & Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici, quam laici debeant rationem reddere ſuæ adminiſtrationis, ut in *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 9.

20 Si verò conſideremus Hoſpitale fundatum uti domus laicalis pro pauperibus recipiendis, & infirmorum gubernio, quæ domus licèt largo modo dicatur religioſa reſpectu operis pii, non tamen gaudebit Eccleſiaſtica libertate, immunitate, & aliis Eccleſiaſticis Privilegiis. Et tunc in illius conſtructione non eſt neceſſaria licentia, ſeu conſenſus Apoſtolicus. Ita diſtinguit Hoſtienſ. *in ſum. tit. de Regul. §. Si quis ſit regularis*, & *in tit. de relig. dom. §. Quis dicatur locus religioſus*. Eandem diſtinctionem faciunt Lambert. *de jurep. p.* 1. *l.* 1. *art.* 3. *qu.* 2. *numer.* 4. quam ſimiliter ſequitur & Paul. de Cittad. *eod. tr.* 3. *p. num.* 7.

At certum eſt, quod hujuſmodi hoſpitale gaudet libertate, immunitate, & aliis Privilegiis Eccleſiaſticis, & ex juribus ſupra allegatis non potuit ædificari abſque licentia & conſenſu Apoſtolico, ideòque neceſſariò dicendum eſt, quod non comprehenditur ſub exemptione *d. cap.* 8. *ſeſſ.* 22. S. Concil. Trident. cùm verè & realiter non exiſtat ſub immediata protectione regia, prout requiritur in d. Sac. Conc. ad effectum exemptionis prædictæ. Et immediata Regis protectio dicitur illa, quæ non habet aliquam dependentiam ab Eccleſia, conſiderando verbum illud *immediatè*.

21 Conſidero etiam, quod ſacra Viſitatio in Urbe fit a Summo Pontifice, & ejus nomine omnibus locis piis, & neſcio cur hoc Hoſpitale velit ſe eximere ab illa recipienda ſub prætextu Regiæ protectionis, quæ, etiamſi Hoſpitale non eſſet locus pius, & Eccleſiaſticus, non poſſet in Urbe dici immediata, ut S. Concilium requirit, in qua tàm Eccleſiæ, quàm loca profana exiſtunt immediatè ſub Pontificia juriſdictione. Sed de hoc non eſt opus diſputare, cùm verè ac realiter Hoſpitale iſtud ſit locus pius & Eccleſiaſticus, & ſic immediatè ſub poteſtate, & juriſdictione Summi Pontificis. Ipſe enim eſt verus Adminiſtrator omnium Eccleſiarum, earum ac communis Rector, & ideò liberiùs poteſt in eis diſponere, quàm alius Rector, vel Princeps in bonis ſubditorum, ut *in c. Sicut venire*, & ibi Bart. *de exceſſ. Præl. in c. Multiplici de decim.* & latiſſimè Hiſpanus Gloſsator Greg. Lopez *in l.* 5. *tit.* 5. *p.* 1. *gloſ.* 21.

22 Et in omnem caſum, quamvis ejuſmodi Regia protectio debeat haberi in conſideratione & de ea evidenter conſtet, non poteſt dici, niſi protectio generalis, quæ non eximit perſonas, neque res a poteſtate Ordinarii, ut eſt textus expreſſus *in c. Ex parte* 2. *de privil.* ubi omnes, & eſt caſus ſingularis apud Gemin. *in conſ.* 81. Et hoc caſu videtur potiùs commendatio, quàm protectio, per quam etiamſi in ſignum recognitionis ſolvatur cenſus, non tamen locus, & perſona commendata eximitur a poteſtate & juriſdictione ejus, cui de jure ſubeſt, textus *in c. Recipimus*, & *in d. c. Ex parte de privil.* & *in c. Si Papa eod. tit. in 6.* Gemin. *ubi ſup. n.* 2. Unde Summus Pontifex *in d. c. Ex parte* decernit, quod exiſtentes ſub generali poteſtate ipſius, & Sedis Apoſtolicæ non eximuntur a poteſtate Ordinarii, quantò magis concludendum venit, quod exiſtentes ſub generali protectione Regis non ſunt exempti a poteſtate Summi Pontificis, cui cedunt Imperatores, & Reges ipſi ex adductis per Jo. Garz. *de nobil.* & *exempt. Hiſpan. gloſs.* 48. §. 3. *n.* 4. & 8.

23 Porrò hujuſmodi Eccleſiam, & hoſpitale fuiſſe aliàs viſitatum poſt S. Conc. Trident. conſtat ex viſitatione facta ſub anno 1574. die 8. 9. & 11. Martii, quæ videtur ſufficiens. Nam facta legitur tàm de Eccleſia, quàm de hoſpitali, ut *col.* 1. ibi: *Una cum hoſpitale, dictæ Eccleſiæ annexo viſitandi gratia de mandato Illuſtriſſimi almæ Urbis Vicarii*. Et rurſus: *Inventa fuit dicta Eccleſia & hoſpitale, &c.* & *col.* 4. ibi: *Pro Eccleſiæ & hoſpitalis ſervitio*. Et clariùs *col.* 8. his verbis: *Deindè fuit viſitatum hoſpitale.*

24 Item quia fuit facta præſentibus & acquieſcentibus Adminiſtratoribus, ut in *col.* 1. ibi: *Præſentibus Doctore Salizedo, Doctore Iſidoro, & Jo: Baptiſta Velez, adminiſtratoribus*. Et *col.* 5. ibi: *præſentibus dictis Doctore Salizedo &c.* Qui adminiſtratores probabiliter ſunt adminiſtratores tàm Eccleſiæ, quàm hoſpitalis, dum immediatè dicitur: *Et regitur & gubernatur per gubernatorem, & officiales infraſcriptos.* Quæ verba ad utrumque referuntur. Et quia iidem adminiſtratores informationem dederunt de utroque & præſentiam præſtiterunt in viſitatione utriuſque.

25 Objectio de ratione non reddita, videtur ceſſare. Nam inſtantia hujuſmodi redditionis, & promiſſio adminiſtratorum de illam reddendo juſtificatur *col.* 3. ibi: *Quorum omnium expenſarum notulam prædicti Domini Officiales requiſiti a Rever. DD. Viſitatoribus promiſerunt exhibere mihi, & col.* 4. *ordinatum, &c.* & *col.* 5. ibi: *fuit ordinatum, ut & in ſcriptis omnium reddituum, ſtabilium, & expenſarum detur notula per eoſdem, qui ſe obtulerunt illam dare.*

Et quia conſtat etiam de aliquali redditione rationis, 26
ut in col. 5. ibi: *Et primo habitis quibuſdam ſermonibus ſuper redditibus. Et in col.* 3. ubi datur diſtincta relatio ſalarii & expenſarum circa Capellanos. Et *in col.* 4. & *ſeq.* magis diſtinctè exponitur de ſalario officialium, & inſervientium. Unde cùm exacta redditio adminiſtrationis fiat extra Eccleſiam & locum viſitatum, ut pluries cenſuit S. Congreg. Concilii in ſequentibus declarationibus, ideò non mirum ſi in rogitu actus viſitationis non habeatur magis diſtincta expreſſio hujuſmodi redditionis computorum, nec propterea ex hoc inferri poteſt ad non redditionem.

Die 11. Aprilis 1603. *in una Cremonen.* S. Congregat. 27
Concil. &c. Ad primum reſpondit, Adminiſtratores teneri coram Ordinario libros rationum exhibere extra Eccleſiam.

Die 11. Martii 1624. S. Congregatio cenſuit redditio- 28
nem rationis debere fieri in domo Epiſcopi viſitantis, non in loco Confraternitatis.

Hæc autem redditio reſpicit nedum Eccleſiam, ſed 29
etiam hoſpitale, cùm in *d. col.* 9. & *ſeq.* fiat mentio expenſarum *della Lavandara della Caſa, e della Chieſa*. Quod reſpicit etiam ſervitium hoſpitalis. Et quia habetur mentio de ſalario medici, & Barbitonſoris, qui ſunt miniſtri ipſius hoſpitalis.

Ex quibus liquet, quod clandeſtinitas prætenſa in vi- 30
ſitationibus antiquis non eſt veriſimilis. Tum etiam quia ex viſitatione SS. Euchariſtiæ Sacramenti, omnium altarium, & ſucceſſivè ſacrarii, ac rerum, quæ in eo continebantur manifeſtè colligitur ſcientia & conſenſus adminiſtratorum atque cuſtodum, ad quos ex officio ſpectabat hujuſmodi rerum reddere rationem. Quoniam verò in una præfatarum viſitationum interfuit Archiepiſcopus Teatinus tunc temporis Vicegerens, ex hoc elicitur Eccleſiam & hoſpitale ejuſmodi viſitatum fuiſſe authoritate Ordinaria, quæ longè inferior eſt authoritate Apoſtolica.

Quod autem hujuſmodi viſitatio ſit de jure permiſſa 31
Viſitatori de mandato Eminentiſſimi almæ Urbis Vicarii, etiamſi Eccleſia, & hoſpitale ſint ſub Regis Catholici protectione ultra latiùs deducta ex Socc. *de viſit. ſub numer.* 16. & quaſi poſſeſſione ex dicta viſitatione anno 1574. quæ ſufficit *ex vulg.* non videtur in dubium poſſe revocari ex opinione Sacr. Congregat. Concilii, de qua in ſequentibus declarationibus, quæ in fortioribus terminis viſitationis Ordinariorum loquuntur.

In una *Meſſan.* fuit dubitatum, an hoſpitale, aliàs 32
non exemptum, ſi accipiatur a Rege ſub immediata ſui protectione, eximatur a juriſdictione Ordinarii, itaut ab eo viſitari non poſſit juxta S. Conc. Trident. diſpoſitionem *ſeſſ.* 28. *cap.* 8. *de ref.*

An hoſpitale, in quo Rex habet juſpatronatus, ſi 33
aliàs exemptum non fuerit, viſitari poſſit ab Ordinario?

An per immemorabilem conſuetudinem non viſitan- 34
di aliquod hoſpitale excludatur Ordinarius a jure illud in poſterum viſitandi?

Die 11. Decembris 1621. S. Congregatio Concilii ad 35
primum dubium reſpondit, hoſpitale aliàs non exemptum, non ideò eſſe immune ab Ordinarii juriſdictione, etiamſi acceptum fuerit a Rege ſub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obſtare, quominus ab Archiepiſcopo viſitari valeat.

Ad 2. Hoſpitale, in quo Rex habet juſpatronatus, ſi 36
aliàs exemptum non fuerit, utique poſſe ab Ordinario viſitari.

Ad 3. Ejuſmodi conſuetudinem etiam immemorabi- 37
lem eſſe ſublatam decreto *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. *de ref.* ac proindè per eam nequaquam excludi Ordinarium a jure hoſpitalia viſitandi.

In una *Neapolitana* die 12. Dec. 1601. Sacra &c. 38
reſpondit decreto ipſius Concilii nequaquam fuiſſe juriſdictioni Ordinarii in aliquo derogatum, aut detractum etiam in locis, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, ſed tantum novam Epiſcopis facultatem, quoad ejuſmodi loca non fuiſſe per Concilium tributam.

Cujus declarationis ratio fuit, quia decret. Concil. 39
cap. 8. *ſeſſ.* 22. in quo excipiuntur loca, quæ ſub protectione Regum exiſtunt, non tribuit novam exemptionem prædictis locis, ſed tantùm præſervat, ſi quam prius habebant, ut ſæpiùs declaravit eadem S. Congreg. & ſignanter re diligenter examinata die 12. Decemb. 1602. in eadem Neapolitana. Nec propterea exemptio a viſitatione, ſi aliàs legitimo, juſtoque titulo non fuerit acquiſita, allegari poſſet.

Minus

40 Minus constat de immediata protectione Regia. Nam hæc protectio non conceditur, nisi a Sede Apostolica, & in ipso actu fundationis duntaxat. Quare cùm in hoc casu non appareat de aliqua fundatione, nequit consequenter constare de concessione prætensæ protectionis. Ultra quod immediatæ protectiones hospitalium, aliorumque locorum piorum non conceduntur Regibus aut Principibus in alienis dominiis. Hinc ex decreto S. Concilii juxta opinionem ejusdem Congregationis excipitur sola legitima, atque justa immediatè protectio, videlicet illa, quæ ex authoritate Sedis Apostolicæ fuit concessa, non autem illa, quæ de facto vindicatur, aut assumitur. Nam S. Concilium sicut jura Regum hac in re imminuere noluit, ita nec illis quicquam adjecit, aut concessit in præjudicium Ordinariæ jurisdictionis. Et in casu concessionis protectionis ex privilegio Apostolico semper censeretur Pontificem majorem jurisdictionem sibi præservasse.

41 Sed demus, quod de hac reservatione constaret, & consequenter quod d. Ecclesiam & hospitale subjacerent immediatè protectioni Regis, non ideò nequit visitari. Nam licet S. Concilium Tridentinum præservet hujusmodi loca pia atque Ecclesias a visitatione Episcoporum, id tamen non habet, nec potest locum habere in Romano Pontifice, qui est Episcopus universalis Ecclesiæ cum suprema, & absoluta authoritate, quæ nec a Sacris Canonibus, nec a Sac. Conciliis limitationem, aut regulam accipere potest, cùm Apostolica authoritas sit supra omnes Canones, supra omnia Concilia, quæ tantum roboris ac validitatis habent, quantum illis communicat Summus Pontifex, qui ab alio non dependet, nisi a Deo immediatè, ut legitur in eodem Conc. Trid. in quo præservatur authoritas Sedis Apostolicæ, a qua decrevit confirmationem decretorum Conciliarium petendam esse.

42 Hic autem advertendum est, quod dictum hospitale videtur esse unitum Ecclesiæ, & ab ea dependens, prout colligitur ex d. Visitatione ibi: *Una cum hospitale d. Ecclesiæ annexo*. Ac proindè cùm præservatio favore Regum *in d. c.* 8. *sess.* 22. sit restricta ad hospitalia, non potest extendi ad Ecclesiam, & hospitale ei annexum, sed hoc loco potiùs intrat dispositio *cap.* 8. *sess.* 21. cum concordantibus.

43 Ad illud autem, quod adducitur de jure patronatus respondetur etiam non constare. Immò contrarium apertè concluditur. Nam supponitur, quod fundator hujus Ecclesiæ fuerit Infans D. Henricus secundò genitus Regis Castellæ. Et tamen certissimum est, quod secundò geniti Regii non sunt Reges, quodque juspatronatus fundatum ab ipsis dum transit ad Reges, non acquirit qualitates juspatronatus Regii. Nec juspatronatus acquiritur per solam fundationem, si in ipsa non præservetur a fundatore Quod quidem in hoc casu non constat. Quinimmò cùm prædicta Ecclesia fundata fuerit a Domino privatæ condictionis, colligitur fundationem nedum Regiam non esse, sed minùs habuisse originem a descendentibus Regiis, cùm sit indubitatum ejus fundatorem fuisse Alphonsum Paradinas, Episcopum Civitatensem, quemadmodum legitur in marmoreis monumentis ejusdem Ecclesiæ, ac testantur scriptores. Ex quo fit, quod juspatronatus non evasit Regium, eò quia transiit postea ad Regem. Præterea cùm non sit Ecclesia titularis, nec titulum aliquem in se habeat, esse non potest, nisi de jurepatronatus honorifico, quod sanè aliud privilegium non tribuit, nisi sepulturæ, præeminentiæ, & alimentorum. Et esto etiam, quod prætensum hoc juspatronatus Regium probaretur, quod non conceditur, non idcircò aliquid ex eo contra sacram Visitationem deducitur. Nam jurapatronatus Regia regulariter visitantur, & hujusmodi Ecclesiæ indigent visitatione non secus ac aliæ, nec ob id præcisè gaudent in hoc aliqua exemptione, nisi fortè concessa eis fuerit in ipsa fundatione. Quod vel rarissimè, vel nunquam conceditur.

44 Pariter nec obstat, quod tempore Greg XIII. Cardinalis Deza visitaverit, ut nominatus a Rege. Id enim non constat, sed visitavit, uti delegatus Sedis Apostolicæ. Nec refragatur quod præfatus Cardinalis in Instrumento statutorum ab ipso formato dicat: *Visitataque personaliter dicta Ecclesia*. Quia hic actus non infert illam visitationis speciem, de qua hìc agimus, sed dumtaxat, denotat, Cardinalem se transtulisse personaliter ad Ecclesiam uti annexam Hospitali, ut Indulgentias consequeretur, ut moris est. Quare terminus *personaliter* refertur ad personam ipsius Cardinalis, non autem ad personas Ecclesiasticas ab eo visitatas, quæ cum non sint titulares in illa Ecclesia, sed solùm mercenarii, & amovibiles, non visitantur. Quatenus verò Instrumentum illud intelligendum sit de visitatione, de qua agimus, necessariò dicendum est, Cardinalem Dezam excessisse terminos sui mandati, cùm non habuerit in suo Breve facultatem aliquam visitandi, ut dictum est. Ita etiam non juvat, quod ia. me. Clemens VIII. Ecclesiam istam non visitaverit. Nam ex hoc non infertur, quod fuit præservata a visitatione. Id enim evenit, quia ille Pontifex paucissimas Ecclesias visitavit. Quod si illæ, quæ ab eo visitatæ non fuerunt, possent exinde privilegium exemptionis prætendere, certè Ecclesiæ Urbis ferè omnes exemptæ essent a visitatione Apostolica. Quamobrem ex hujusmodi actus omissione haud rectè colligitur Pontificem non potuisse, aut non debuisse Ecclesiam istam visitare.

Confirmatur. Quia in Hospitali administrantur Sa- 45
cramenta a Capellanis Ecclesiæ deputatis a Gubernatore ejusdem Ecclesiæ, quod absque visitatione non posset permitti, sed Hospitale hoc casu remaneret subjectum Parochiali Ecclesiæ S. Eustachii.

Et quæ dicta sunt de visitatione, multò magis pro- 46
cedunt de redditione rationis administrationis computorum. Quia exceptio locorum, quæ sub immediata Regum protectione sunt, non legitur nisi *in c.* 8. *d. sess.* 22. in quo tantùm agitur de jure visitandi, non autem *in c.* 9. ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis; immò in eo excipitur tantùm casus, quod expressè cautum esset in fundatione. Quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptuatis. Cap. enim 8. restringit se ad dispositionem juris communis, ibi: *In casibus a jure communi concessis*, sed *c.* 9. indistinctè & generaliter loquitur. Ideòque S. Congreg. sæpiùs respondit in una Neapolitana, ut sequitur.

S. Congr. &c. censuit cap. 8. *sess.* 22. *de refor. Concilii* 47
Trid. intelligi, & habere locum in casibus a jure communi permissis. Licere tamen Ordinario ab eis rationem administrationis exigere ex decreto cap. 9. *ejusdem sess. nulla habita ratione juris communis.* Ex quo patet Concilium ampliorem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis, quàm in visitatione piorum locorum. Ideòque non mirum, si quoad visitationem excepit loca sub Regum protectione existentia, secus verò quoad reddendas rationes.

Et ex his, atque aliis Congr. S. Visitationis Apostoli- 48
cæ die 22. Septembris 1626. censuit Ecclesiam præfatam, ejusque Hospitale debere visitari. Quod quidem exequutioni demandatum fuit, effectumque fortitum est.

CONSULTATIO CXV.

An crimen polygamiæ spectet ad forum Ecclesiasticum, sive ad Inquisitores hæreticæ pravitatis privativè quoad Judices sæculares?

REspondendum est omninò affirmativè. Nam est 1
contra Sacramentum matrimonii, quod nequit esse, nisi inter unum & unam secundùm legem naturalem, divinam, Evangelicam, canonicam, & civilem. Atque adeò pertinet ad forum Ecclesiasticum, cujus est conservare unitatem in Sacramento matrimonii, ne permittatur adulterium, statuíque peccati, ac proindè in eodem foro est puniendum, *c.* 34. *qu.* 1. 2. *& 3. de sponsal. c. In præsenti ac sec. nupt. cap. Dominus de divort. c. Gaudemus cum concord. eod. tit.* Ac propriè in Tribunali S. Inquisitionis. Quia sic contrahentes sunt suspecti de hæresi, Ex hoc enim vehemens oritur suspicio, quod malè sentiant de Sacramento matrimonii, peccantes contra illud, præsertim quod sit licitum Christiano accipere ac habere eodem tempore plures uxores. Est resolutio antiqua, & sententia communissima fere omnium Doctorum, inter quos antiquiores sunt Lap. Abb. *in cap. Accusatus* ✱ 2. *de hæret. in 6.* & ibi Franch. *n.* 3. Gemin. *n.* 7. Felin. *in cap. Ad abolendam n.* 1. *de hæret.* Jo: Lup. *in c. Per vestras de donat. inter vir. & uxor. §.* 18. *n.* 25. Tenentque Rosella *v. Hæreticus n.* 6. Gundisalvus de Villadiego, Rotæ Auditor *de hæretic. c.* 9. 5. Franch. Episcop. Squillacen. *de fide cath.* 15. *n.* 2. Cov. *in* 4. *decr. p.* 2. *c.* 7. *§.* 3. *n.* 6. Explicatiùs etiam Reper. Inquis. *v. Contrahens* Simanch. *de cath. instit. cap.* 40. *tit. de matrim. n.* 2. *& in Enchirid. viol. Relig. tit.* 12. *n.* 1. Campeg. *ad Zanchin. de hæret. c.* 35. Royas *de hæret. c.* 35. Menoch. *de arbitr. cas.* 420. *num.* 114. *& de præsumpt. lib.* 5. *præs.* 6. *n.* 37. Alber. *de agnoscen. assert. q.* 23. *nu.* 65. Alphons de Castr. *de just. hær. punit. l.* 1. *c.* 1. Conrad. Brun. *lib.* 1. *de hæret. c.* 2. *n.* 4. Rebuff. *in concord. Franc. tit. de public. concub. §. cum omnes* Bermund. *eod. tr. n.* 4. Decian. *tr. crim. tom.* 1. *lib.* 5. *rub. Inquisitores hæres. quæ possint*,

possint, *num.* 41. Pegna *in* 3. *par. direct. tom.* 81. Lucerna Inquisitor *v. matrimonium*, Locat. *in prax. Inquis. v. suspicio*, Nav. *cons.* 2. *num.* 8. *de hæret.* Perez. *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *ordin.* Azeved. *l.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil.* Gutier. *pract. quæst. qu.* 8. *n.* 1.

2 Idem habent ex recentioribus Farin. *de Inquis. qu.* 8. *num.* 127. & *de delict. carn. qu.* 140. *num.* 24. & *de hæresi qu.* 178. *num.* 71. & *in Append. ad d. quæst.* 140. Sous. *in aphor. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 18. Narbona *in* 3. *par. nov. recopil. lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 20. Glos. 11. *numer.* 66. Canter. *in qq. crim. tit. de adult. num.* 29. Freita *in addit. ad Acugnan. de solicit. quæst.* 2. *num.* 32. Lup. *in edict. S. Inquis. par.* 2. *lib.* 14. *art.* 2. *diffic.* 1. Trasmiera *in tr. de Polygam. lib.* 2. *quæst.* 2. *num.* 18. Latèque confirmant Caren. *in prax. de hæret.* §. *Circa secundum*, *num.* 60. *de offic. S. Inquisit. p.* 2. *tit.* 2. *num.* 20. Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 55. Campanil. *in diversi. jur. rub.* 1. *num.* 46. *ad* 49. Diana *resol. moral. par.* 4. *tr.* 7. *resol.* 4. Barbos. *in d. c. Gaudemus de divort.* & *in c. Nuper de bigam. num.* 3. & *de potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 40. *numer.* 44. Mour. *de Ensalm.* & *incant. sect.* 3. *cap.* 1. *num.* 14. & *cap.* 3. *num.* 4. & 8. Aberghin. *in man. qualif. tit. de Polygam. nu.* 18. Bordon. *in Tribun. S. Off. cap.* 22. *num.* 63. Salleses *de mater. Tribun. S. Inquis. c.* 20. *reg.* 119. *num.* 104. Guas. *defens.* 1. *cap.* 11. *num.* 26. Chartar. *dec.* 90. *num.* 21. Henriq. *in sum. lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 4. Fragos. *de regim. Reip. par.* 3. *lib.* 10. *disp.* 22. *num.* 89. & alii absque numero, quibus accedit novissimè P. Delbene *de offic. S. Inquis. par.* 2. *dub.* 209. *a num.* 1.

3 Ideòque observatum est, observaturque generatim per totam Italiam, & Europam ac ubicunque sunt Inquisitores fidei, quod ex hujusmodi hæresis suspicione Officium S. Inquisitionis procedat contra ducentes secundam uxorem, vivente prima. Quod ab anno 1625. usque ad hanc diem semper in suprema, & universali Inquisitione fuit habitum pro constante: itaut contra Judices laicos, prætendentes causam polygamiæ ad se spectare privativè quoad Ordinarios & Inquisitores, processerit tanquam contra impedientes S. Officium, præsertim die 18. Jan. 1601. ac die 30. Septembris 1604. Quare anno 1627. die 20. Jul. fel. rec. Urbanus VIII. edidit Constitutionem, qua decrevit, quod ii, qui mentito nomine, vel cognomine, prima uxore vivente, secundam ducunt, damnentur ad triremes in perpetuum, & si fuerint inhabiles, fustigentur, & ad carceres perpetuos damnentur. Si verò pro qualitate, & enormitate criminis majores pœnas meruerint, etiam Curiæ sæculari arbitrio S. Congregationis Cardinalium generalium Inquisitorum puniendi tradantur.

4 Oritur autem hujusmodi suspicio hæresis ex facto ipso ducendi duas uxores eodem tempore, ut dicebatur. Sive enim cum textu *in d. c. Ad abolendam de hæret.* dicamus, quod illud sit factum hæreticale, quod opponitur directè Sacramentis Ecclesiæ; sive cum Mart. Delrio *disquis. lib.* 5. *sect.* 15. §. *Axioma primum*, factum hæreticale illud esse, quod quamvis non sit hæresis, quia pertinet ad enunciationem intellectus, attamen quasi materialiter enunciat hæresim, seu est materia circa quam intellectus errat; sive cum Soto *in tract. de hæres.* factum hæreticale esse illud quod aliqui hæretici præcipuè laudarunt, vel non esse peccatum affirmarunt, semper quidem hoc factum contrahendi binas nuptias erit factum hæreticale.

5 Primò namque casu, certum est, hunc modum contrahendi nuptias opponi directè sacramento matrimonii, quod est unius cum una legitima conjunctio, cùm ab initio una costa in unum virum conversa sit, ut loquitur Innoc. III. *in d. cap. Gaudemus*, notantque Transmier. *quæst.* 1. *lib.* 2. *num.* 17. Albergh. *in man. cap.* 27. *n.* 3. & disertissimè Campanil. loco cit. qui ait, quod illud verbum *sentire*, de quo *in d. cap. ad Abolendam* explificatur in eo, qui in externo facit, aut dicit aliquid, quo animus ejus convincatur ita sentire. Sentire ergo non interpretatur solùm de sententia intellectus, sed etiam de sententia facti, ut probat Jo: And. *in d. c. Ad Abolendam*, *n.* 27.

6 Secundò verò casu, certum est de fide non licere Christianis plures eodem tempore habere uxores, & qui contrarium assereret hæreticus esset reputandus, ut ex *can. Apostolorum* 48. Nicæno Concilio general. I. *c.* 25. & *c.* 66. *Innoc. I. ep.* 36. Syricio *ep.* 1. *c.* 4. *ut in c. De conjugali* 27. *qu.* 2. Cœlestino I. *cap. Videtur nobis* 35. *qu.* 6. Toletano Concilio I. *c.* 17. Nicolao I. ad Consulta Bulgarorum *cap.* 15. Alexandro III. *in Append. cap.* 15. & 25. Innocentio III. *in d. cap. Gaudemus de divort.* Concilio Florentino *in decr. pro Armen.* Concilio Colonienſi sub Paulo III. *p.* 1. *c.* 41. Moguntino sub eodem in decretis fidei cap. 36. & nuperimè ex S. Concilio Trident. *in c.* 2. *sess.* 24. *de reform. matrim.* ubi inter cætera habetur; *si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores,* & *hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Ex quibus hoc factum ducendi duas uxores eodem tempore est materia, circa quam intellectus errat.

Tertiò autem casu, quia hæretici, præsertim nostri 7
temporis non solùm factum istud laudarunt, sed licitum esse asseruerunt, ut tradunt Bellarmin. *tom.* 2. *controvers.* 3. *cap.* 3. Valentia *in* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 10. *qu.* 1. *pun.* 3. Canisius *tom.* 2. *lib.* 2. *de Mar. Deip. nu.* 13. & Alberghin. *in man. cap.* 27. *num.* 1. passimque alii.

Deindè oritur hujusmodi suspicio ex eo quod ducens 8
duas simul uxores facit opus, quod dissidet a communi vita, & conversatione fidelium, & ab Ecclesiæ probatis ritibus, & consuetudinibus, ut observat Caren. *p.* 2. *de Polygam. tit.* 5. §. 2. *n.* 14. Transmiera *d. tract. de polygam. loco adducto eo num.* 18. Tale autem opus inducere hæresis suspicionem rectè docent Pegna *in Direct. p.* 3. *com.* 24. & Caren. loc. cit.

Item oritur suspicio hæresis ex abusu Sacramenti ma- 9
trimonii. Licèt enim qui ducit simul plures uxores possit induci non ex prava voluntate, sed ex libidine, vel avaritia, negari tamen non potest, quin ad explendas hujusmodi cupiditates non abutatur Sacramento matrimonii, ut docent ferè omnes Doctores adducti, & præsertim Gutier. *pract. quæst. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Chartar. *d. dec.* 90. *num.* 21. Caren. *loco allegato*, §. 11. *n.* 59. Farinac. *quæst.* 178. *num.* 2. Freita ad Acugnam *de Confessar. solicit. qu.* 2. *num.* 32. & quamvis non omnis abusus Sacramenti inducat hæresis suspicionem, in hoc tamen casu concurrunt tales circumstantiæ, nempè eversio primarii finis Sacramenti, imitatio morum hæreticorum, recessio a ritibus Ecclesiæ, ut meritò ex abusu Sacramenti matrimonii taliter circumstantiato oriatur hæresis suspicio ut prudenter ratiocinantur Transmiera *lib.* 3. *q.* 2. *n.* 61. & *seq. de Polygam.* & Mour. *de Ensalm.* & *incant. sect.* 3. *c.* 3. *n.* 8. & 10.

Postremò quia sic contrahens malè videtur sentire de 10
Sacramento matrimonii, ut iidem planè Doctores firmant.

Atque ex his certò infertur, quod cognitio delicti poly- 11
gamiæ spectat privativè ad Inquisitores fidei ad Tex *in cap. Accusatus*, §. *Sanè de hæret. in* 6. ex quo atque ex Glossa *v. Sapiunt* elicitur, quod ad tribuendam Inquisitoribus jurisdictionem non attenditur intentio, sed factum ipsum. Ac propterea, quamvis qui utitur cibis prohibitis tempore Quadragesimæ, licet ex appetitu gulæ id possit facere; nihilominus subditur jurisdictioni Inquisitorum privativè quoad Judices laicos, quia attenditur illud factum, quod sapit hæresim, non autem intentio. Ita Pegna *ad Direct. p.* 3. *comm.* 24. & *p.* 2. *comm.* 80. Farinac. *de hæres. q.* 178. *n.* 8. Caren. ubi supra, Repertor. *Inquis. v. cognoscere*, Zanchin. *de hæres. cap.* 35. *nu.* 2. Zerol. *in Prax. v. Casus* Riccius itidem *in prax. p.* 2. *tit.* 15. §. 4. Alberghin. *in man. c.* 22. *n.* 2.

Idem quoque dicendum est de sacrilegio hæreticali, 12
& de blasphemia pariter hæreticali. Quia licet ab iis possit abesse prava intentio, attenditur nihilominus illud factum, vel dictum, quod sapit hæresim, nec Judices sæculares in hisce criminibus difficultatem faciunt, quin pertineant ad Inquisitores privativè, ut per Sanfel. *dec.* 233. *per tot.*

Jure igitur, meritòque ex his Doctores firmarunt, co- 13
gnitionem delicti polygamiæ spectare ad Judices fidei privativè quoad Jucices laicos. Id quod nominatim asserit Albertin. *de agnoscen. assert. hæret. quæst.* 23 *n.* 64. Ubi quod hoc factum non solùm videtur sapere hæresim manifestè, sed etiam esse factum hæreticale. Et num. 74. fatetur, quod hoc crimen esset mixti fori nisi annexa esset illa qualitas, quæ sapit hæresim, vel nisi concurreret suspicio, quod malè polygamus sentiret de Sacramento matrimonii. Idem tradit Rojas *de hæret. num.* 540. Azeved. *ad Reg. Constit. Hispan. lib.* 5. *tit.* 1. *l.* 5. 6. & 7. *num.* 3. ubi quod quamvis præventioni locus esset in hoc delicto inter Judices Inquisitionis, & Judices alios Ecclesiasticos sæculares, ita quod quilibet eorum, qui præveniret, cognosceret, puniretque, hodiè tamen propter frequentiam actus, vel quia ob aliam causam aliud per Inquisitores providetur, vel provisum est particulari jussu, & mandato, ipsi Inquisitores cognoscunt. Item Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 55. ubi quærit, an ductio plurium uxorum eodem tempore sit delictum mixti fori? Et respondet negativè. Quia de eo cognoscit Inquisitor privativè quoad laicum. Vide Albertinum, Simancham, Cuchum. Et ita teneas, quicquid dicat Clar. *lib.* 5. *recept. sentent.* §. *fornicatio*. Ratio autem est, quia iste videtur malè sentire de Sacramento matrimonii. Unde de eo venit diligenter interrogandus ab Inquisitore,

& ita

& ita vidi ſæpiùs ſervari. Diſertè Narbon. *in 2. p. novæ recopil. lib. 4. tit. 1. l. 20. gloſs. 12. num. 66.* firmat, quod ducens ſecundam uxorem, vivente prima, non eſt remittendus ad Judicem ſæcularem. Quia hodie de hoc crimine a quocunque fuerit commiſſum, Inquiſitores cognoſcunt, & delinquentes debitis pœnis afficiunt. Nam qui cum duabus uxoribus ſimul matrimonium contraxit, ſeu eodem tempore eas retinet, de hæreſi ſuſpectus eſt, cùm malè de Sacramento matrimonii ſentire videatur. Quinimmò dico quod Inquiſitores ſolummodo cognitionem habent, ut ſupra. Confirmat Souſa *in aph. lib. 1. cap. 35. num. 18.* ubi dicit, quod *hodie ad ſolos Inquiſitores ſpectat punitio contrahentium binas nuptias, & extat declaratio Summi Pontificis ad Inquiſitorem Luſitaniæ.* Hæc autem declaratio emanavit die 24. Octobr. 1612. pro Archiepiſcopo Ulysbonæ.

14 Concinit Farinac. *q. 8. n. 127.* ubi quòd cùm contrahens binas nuptias ſit de hæreſi ſuſpectus, cognitio hujus criminis nonniſi ad Eccleſiaſticum Judicem privativè quoad ſecularem ſpectabit. Et quamvis addat, quod, ſi qualitas iſta ſuſpicionis hæreſis non adeſt, puta quia jam apparet, quod id fuerit factum potiùs ex concupiſcentia, quàm quod malè ſentiat de fide, delictum hujuſmodi eſt mixti fori. Tamen *in tr. de hæreſ. qu. 178. n. 71.* ſtatuit, quod in ducentem ſecundam uxorem, vivente prima, vix poteſt dari caſus, in quo ceſſet ſuſpicio hæreſis, ad effectum, ut hujuſmodi crimen poſſit reputari mixti fori. Et hæc eſt veritas. Quia licet conſtaret ex ſolo concupiſcentiæ affectu ſecundam uxorem duxiſſe: nihilominus quia ad hunc finem abutitur Sacramento matrimonii, redditur ſuſpectus de hæreſi, ut per eundem Farinac. loco cit. Et quando ceſſaret abuſus Sacramenti, quia ſcilicet bona fide polygami contraherent, attento hoc caſu, nec Eccleſiaſticus, nec ſæcularis procederet. Nam ceſſante dolo, ceſſat delictum, vel ſaltem illius pœna. In dubio autem, an bona fide, an dolo Polygamus contraxerit, eſt cognitio Inquiſitoris, & non Judicis ſæcularis. Idem Farinac. qui hoc repetit. *in Append. ad q. 140.* ubi de mente Rojas aſſerit, quod licet communiter teneatur, cognitionem hujuſmodi criminis eſſe mixti fori, hodie tamen ad ſolos Inquiſitores dicta cognitio pertinet per extravag. Clem. VI. de qua per Albertin. *d. tr. de agnoſc. aſſert. hæretic. q. 23. n. 35.* Sed in hoc errant Rojas & Farinacius. Quia Conſtitutio illa eſt non Clementis VI. ſed Clementis VII. & non tractat de delicto polygamiæ, ſed vitii nefandi.

15 Suffragatur Cantera *qu. crimin. tit. de adulter. q. 4. nu. 29.* quærens: Sed quid ſi utrumque matrimonium non valeret, fortaſſe quia erat conſanguineus cum una, & affinis cum alia? Reſpondet. Videtur quod etiam de jure puniretur pœna ordinaria, quia jam fecit, quod in ſe fuit, *argum. text. in cap. Nuper, de bigam.* Verùm de hoc addubito. Quo caſu poſſent ſalvari Judices ſæculares, cognoſcentes de binis nuptiis, quamvis ego ſemper tenui contrarium, videlicet quod Judices ſæculares non poſſunt cognoſcere de illo, qui bis contraxit matrimonium. Nam ſemper debent cognoſcere ad punitionem, an bis contraxerit, vel ne, & ſic incidenter tractare debent de matrimonio, licet non tractent de vinculo matrimonii, quod totum prohibitum eſt laicis. Idipſum videtur ſentire Paſqualig. *in quæſt. moral. jurid. q. 290. n. 11.* Ubi teſtatur de praxi, dicens, quod tranſeuntem ad ſecundum matrimonium abſque certificatione de morte alterius conjugis punire debent Inquiſitores. Nam abutitur Sacramento, dum adhuc dubius, an ſit ſolutus vinculo prioris matrimonii, tranſit ad ſecundum contra expreſſam prohibitionem ſacrorum Canonum, qui requirunt certitudinem de morte, ut poſſit ſuperſtes conjux ad ſecundas nuptias tranſire. Qua de re Farinac. *de hæreſ. q. 178. num. 71.* & Caren. *de off. S. Inquiſ. p. 2. tit. 5. §. 4. n. 27.*

16 Et hanc planè veritatem, quod hujuſmodi delicti cognitio ſpectet ad Judices Eccleſiaſticos privativè quoad ſæculares tenent etiam luculenter Tranſmier. *de Polygam. lib. 2. qu. 2.* ubi latiſſimè reſpondet omnibus contrariis, Carena ſupra n. 20. ubi plenè ac doctè Adverſarios refellit, Mour. *de Enſalm. & incant. ſect. 3. cap. 1. n. 14.* ubi quod in praxi receptum ſit ſpectare privativè ad Inquiſitores, immò & mero jure, quia factum ipſum ſapit hæreſim, Bordon. *in Tribun. S. Offic. c. 22. num. 63.* Selelles *de matr. Tribun. S. Inquiſ. c. 20. reg. 149. num. 104.* Delbene *de immun. & juriſd. Eccleſ. cap. 10. dubit. 2. ſect. 2.* inquiens: *ſi quis contrahat binas nuptias, ob quod ſit de hæreſi ſuſpectus, conveniendus eſt coram Judice Eccleſiaſtico, & non laico. Quia hæc crimina ſolùm rei Eccleſiaſticæ, ſcilicet fidei & Religioni adverſantur.* Quod docent Doctores, quos citat & ſequitur Farin. *qu. 4. pract. n. 127. & de hæreſ. q. 18. §. 4. n. 101.* Card. de Lugo *tr. de fid. diſput. 24.* & firmat praxis. Atque expreſsè habetur *in c. tuam de ordin. cognit. c. Caujam, quæ qui fil. ſint legit. cap. Decernimus &c. Quanto de Judic.*

Nec refert, an polygamus contraxerit clam, vel pa- 17
lam, ut nonnulli malè opinantur. Quaſi quod qui clam contrahit, videatur potiùs doloſè contrahere, quàm ex prava voluntate, ſecus ſi palam, quia tunc videtur malè ſentire de Sacramento matrimonii. Quoniam hanc diſtinctionem rejiciunt Doctores citati a Chartar. *d. dec. 90. n. 22.* & a Salelles loco cit. nu. 107. Nam licet id ex parte diminuat, non tamen totaliter tollit ſuſpicionem. Ut optimè docuit Squillacen. *de fid. cathol. cap. 25. num. 2.* Campeg. *ad Zanchin. cap. 35.* Locat. *v. Hæreticus nnm. 22. & v. Suſpicio num. 27.* Salled. *in pract. crim. cap. 8. lit. B.* & alii, quos ſequitur Farnac. *de delict. carn. q. 140. num. 24.*

At quod cognitio criminis polygamiæ ſit mixti fori 18
probare nituntur aliqui Doctores auctoritate Abb. *in cap. 1. de Offic. ordin. & in cap. Cùm ſit generale n. 23. de for. compet. & in cap. Cùm haberet n. 2. de eo, qui duxit in matr. quam poll.* Sed nec textus allegati, nec auctoritas Abbatis faciunt ad rem. Loquuntur enim de delicto ſimplicis adulterii, cujus cognitio abſque dubio eſt mixti fori.

Adducitur etiam Decianus *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 26. num. 7.* poſt Anchar. *in cap. Et quæ num. 10. de reg. jur. in 6.* & Barbat. *in d. cap. Cùm ſit generale de for. compet.* ac poſt ipſos Caball. *caſ. 98 n. 3.* cum aliis per eum allegatis, qui tenent, ideò eſſe mixti fori, quia punitur tale delictum per leges civiles, ut *in l. Eum, qui duas, C. ad l. Jul. de adult.* cum ſimilibus.

Verùm hæc ratio nullius eſt momenti. Quia & cri- 19
men blaſphemiarum, & ſortilegiorum s punitur etiam per leges civiles, & nihilominus laicu in his ſe non ingerit, quando adeſt ſuſpicio hæreſis' prout adeſt in crimine polygamiæ, ut jam dictum.

Admodum frigidum eſt, ac proindè omittendum 20
quod Simanch. *de Cath. Inſtit. tit. 4. de matrim.* Bellug. *in Specul. Princip. rubr. 11. Viſo n. 9. & 10.* dicuntur, nimirum ad Inquiſitores cognitionem hujus criminis ſpectare, eo duntaxat, ut intelligant, utrum reus malè ſentiat de Sacramento matrimonii, vel ne. Quod ubi peregerint, perfuncti ſunt officio ſuo. Nam ſi conſtiterit reum in fide non erraſſe, neque unquam credidiſſe, licere ſimul duas habere uxores videtur quidem, quod Inquiſitores ultra procedere nequeant, & in horum auctoritate potiſſimum ſe fundant Judices laici.

At falſa eſt horum Doctorum opinatio. Nam Eccle- 21
ſia, etiam purgata hæreſis ſuſpicione, poteſt polygamos punire, etiam in foro contentioſo ex doctrina Abbatis *in d. cap. Cum haberet nu. 2.* Sicuti enim purgata hæreſis ſuſpicione punit ſortilegos, blaſphemos, & comedentes cibos vetitos diebus prohibitis, & praxis oſtendit, ita quidem & polygamos. Præterea, etiam purgata per torturam hæreſis ſuſpicione, adhuc remanet in foro Eccleſiaſtico cum polygamo agendum. Quia indicitur ei abjuratio de vehementi juxta praxim Inquiſitionis Italicæ, de levi juxta conſuetudinem Hiſpaniarum. Nam, etſi per torturam purgaverit malam intentionem, quoad Judicem, reſtat tamen, quod ſe purget per abjurationem ob illum actum materialem reſpectu populi apud quem eſt ſuſpectus de hæreſi, tolletque ſcandalum illatum eidem populo, ut eo modo verus catholicus cognoſcatur, ut ſapientiſſimè cenſuit Repert. Inquiſ. *v. Abjuratio*, Rota *dec. 51. nu. 5. poſt 1. vol. conſ. Farinac.* Tranſmier. *de Polygam. lib. 2. q. 2. num. 12.* qui hanc Simanchæ opinionem ſpeciatim reprobat.

Tuentur etiam ſuam intentionem Judices laici, au- 22
ctoritate Genuenſis *in Prax. Archiep. Neap. cap. 68. nu. 13.* qui ita ſcribit: *Si bygamus eſt præventus a Curia ſæculari debet remitti ad Curiam Eccleſiaſticam, quæ torquet ipſum ſuper intentione, & abjurare facit, deinde tenetur illum remittere ad Curiam ſæcularem, quæ ipſum punit pro bigamia. Quando verò eſt præventus a Curia Eccleſiaſtica in totum punitur ab ea, & non poteſt amplius Curia ſæcularis ſe intromittere, ut ex literis S. Congregationis S. Officii, quæ conſervantur in Curia.* Genuenſem videtur ſequi Delbene *de offic. S. Inquiſ. d. p. 2. dubit. 209. numer. 3.* & Diana *3. d. part. 4. trat. 7. reſol. 4. §. Verum.*

Sed quod malè ſentiat Genuenſis, nulloque modo 23
quod aſſerit, ſervetur in praxi, nec debeat ſervari, benè probant Tranſmier. *d. lib. 2. q. 1. num. 4.* & Narbon. *loco præcit.* An autem veræ ſint hujuſmodi literæ non conſtat. Quod ſi conſtet illæ fuerunt literæ Cardinali S. Severinæ datæ ſub anno 1591. in caſu particulari ex indulto Summi Pontificis. Equidem etiamſi ſuſpicio a-

væ credulitatis purgaretur omninò abjuratione, quod negatur, cum perfectè ac completè evacuetur pœna. Ac etiamsi in solam incontinentiam vel avaritiam delictum refunderetur; nihilominus semper remanet abusus Sacramenti, ac sacrorum rituum, quibus polygamus indè ac turpiter abutitur ad suas effrænes concupiscentias. Hic autem sacrilegus abusus non potest, neque debet puniri in alio Tribunali, nisi in illo, ad quod propriè spectat puritatis Religionis, & Sacramentorum provida, & accurata solicitudo, quod sanè Tribunal S. Inquisitionis est.

24 Proferunt etiam iidem sæculares ad sui favorem dispositionem S. Concilii Tridentini *cap. 4. sess. 24. de reform. matrim.* ubi habentur hæc verba: *Multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente diversis in locis ducunt. Cui malo cupiens S. Synodus occurrere omnes, ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hujusmodi vagantium ad matrimonium facilè recipiant, Magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant.*

25 Verùm ex hoc Concilii loco non infertur, quod sit laicis attributa facultas cognoscendi causas polygamiæ; sed S. Synodus eos hortatur, ut vagos polygamos severè coerceant modo tamen licito, hoc est in carceres conjiciendo, & ad Ecclesiasticum Judicem remittant, vel ad instantiam Judicis Ecclesiastici per brachii sæcularis auxilium retineant ad text. *in l. 6. in fin. ff. de pœn.* ubi coercere intelligitur quoad vincula. Est enim valdè inverisimile Patres illos, qui hæreseo notaverant, & anathemate perstrinxerant eos, qui secundam ducere uxorem, vivente prima, licere asseverabant, ut habetur *in dict. cap. 2. sess. 24. de ref. matrim.* voluisse delegare laicis causam hæresis, vel saltem hæresis suspicionis, quæ nonnisi ab Ecclesiastico Judice cognosci potest. Debet igitur Concilium recipere interpretationem a jure, ut nimirum laici coerceant vagos polygamos modo licito.

26 Fundant etiam se laici in asserta consuetudine immemorabili, & quasi possessione cognoscendi hujusmodi causas, ut testatur Grammat. *vot.* 17. & Franch. *dec. 36.* Sed respondetur primò, hanc consuetudinem, sive privilegium cognoscendi privativè in causis mixti fori non probari, nec aliquo in casu demonstrari. Secundò, respondetur cum Carena *p. 2. de Polygam. §. 3. in fin.* id potiùs esse abusum, quàm consuetudinem. Tertiò, respondetur, hanc quasi possessionem nullatenus fuisse pacificam, cùm semper Judices Ecclesiastici obstiterint, & si quid laici in hac re egerint, violenter & de facto egerunt, vel ipsis Ecclesiasticis insciis. Quartò, respondetur, consuetudinem & quasi possessionem non suffragari, data incapacitate in laicis cognoscendi de hujusmodi causis. Rot. *dec. 3. & 10. de consuetud. in antiq.* cum concordantibus, & nos etiam alibi. Ac quintò, respondetur delictum polygamiæ non esse mixti fori. Nam Doctores præallegati tenent, quod contrahentes secundum matrimonium, vivente prima uxore, subjiciuntur jurisdictioni S. Inquisitionis. Quia malè videntur sentire de Sacramento matrimonii, atque ideò regulariter abjurant tanquam vehementer de hæresi suspecti, quamvis negent pravam intentionem. Quia ex facto ipso, hoc est ex contractu secundi matrimonii, prima uxore jam vivente, oritur vehemens hæresis suspicio. Et ob hanc vehementem hæresis suspicionem damnantur ad triremes juxta praxim perantiquam, ac pervetustum morem S. Inquisitionis.

27 Hinc quoniam compertum est, præsertim post modernas hæreses, non dari polygamiam, quæ non involvat hæresis suspicionem, ut post Farinac. loco superiùs citato defendit Caren. *d. tit. de Polygam. §. 4. & seqq.* cessatum est ab hujusmodi consuetudine tàm in Hispaniis, quàm in Sicilia, ut testantur Simancha, Matienzo, Cantera, Narbona, Sousa, Moura locis adductis, & Transmiera *d. lib. 2. quæst. 1. num. 13.* Nec in statu Mediolani, & Pedemontium, in quo aliàs Judices sæculares de hujusmodi delicto cognoscebant, ut videre est apud Boss. *in prax. de coit. damnat. & punib. num. 78.* & Clar. *§. fornicatio, num. 30.* & Gaspar. Anton. Thesaur. *quæst. 14. lib. 1.* hodie amplius de hoc crimine cognoscunt, sed ab Inquisitoribus hujusmodi delinquentes puniuntur.

28 Sumam. Crimen polygamiæ spectat ad Officium S. Inquisitionis privativè quoad Judices sæculares, idque ex sententia ferè omnium Doctorum, qui in hanc rem scripserunt. Item ex praxi ferè totius Orbis Christiani, contradicentibus jam ipsis Judicibus laicis, & postea acquiescentibus. Ex ordinationibus Principum, præsertim Regis Hispaniarum, ut ex literis Nunciorum Sedis Apostolicæ sub die 27. Novemb. 1604. & 24. Januarii 1607. Ex possessione per plures annos. Ex impugnatione S. Tribunalis in casibus contrariis cum effectu subsequuto. Ex facto ipso per se hæreticale, vel saltem de hæresi suspecto. Ex jurisdictione, quæ mensuratur a facto materiali, non ab intentione, nec a causa delicti. Ex eo, quod hodie non datur polygamia, quę non sit suspecta de hæresi. Ex eo, quod in blasphemiis etiam ex ira, in esu carnium etiam ex gula non attenditur causa, sed delictum ipsum. Ex stylo S. Tribunalis, quod si nimirum a sortilegio proveniat homicidium, cognoscit etiam de homicidio. Ex eo, quod remittitur reus ad laicum pro eodem delicto. Ex suspicione hæresis, quæ talis est, ut etiamsi negetur a Christiano non licere sibi eodem tempore plures uxores habere, idque sustineatur in tortura; nihilominus necessaria est abjuratio de vehementi, quæ non datur, nisi in casibus fidei, in quibus laicus non potest ullo pacto se ingerere. Ex eo, quod crimen polygamiæ differt ab aliis criminibus. Nam in aliis eo ipso, quod purgantur indicia per torturam, nil aliud superest, quia negatur. Sed hic delictum est probatum, & duntaxat negatur qualitas, quæ habet contra se præsumptionem. Ex eo, quod esto delictum sit mixti fori, laicus tamen non potest in eo procedere ob suspicionem hæresis, illi annexam, & quousque non fuerit declaratum id, quod ad fidem pertinet, ideòque Judex competens est Ecclesiasticus. Ex eo, quod laicus in hoc casu dici potest incapax jurisdictionis, cùm sit materia Ecclesiastica. Nam incidenter cognoscit super validitate matrimonii. Quia si primum est validum, secundum est nullum. Ex eo, quod laicus non potest cogere Ecclesiasticum, ut sibi tradat fidem matrimoniorum ut que videat, an illa contracta sint juxta formam S. Conc. Trid. cujus declaratio ad Judicem Ecclesiasticum spectat.

CONSULTATIO CXVI.

Utrùm concedenda sit licentia, ut cadaver puellæ virginis, filiæ magni Principis, nimirum Oratoris Regis Hispaniarum, Galliarum, &c. sepeliri possit intra clausuram Monialium de earundem consensu?

CAusa concedendi licentiam ingrediendi clausuram Monialium debet esse juxta Concil. Trident. *sess. 25. c. 5.* necessaria, & juxta Constitutionem Greg. XIII urgens necessitas, juxta verò Constitutionem Bonifacii VIII. *in cap. Periculoso, de stat. regul.* debet esse rationabilis, & manifesta. Quæ verba Concilii, & Pontificum, quamvis videantur diversa, sunt tamen æquipollentia, & reducuntur ad necessitatem & causam moralem, & rationabilem arbitrio, & prudentia Ordinarii, ut graviter advertit Sanch. *lib. 6. c. 16. nu. 40. in decal.* Mirand. *in manual. qu. 2. art. 4. concl. 1.* Atque minor causa requiritur ad ingressum mulierum, quàm virorum, & ad ingressum in priora clausuræ receptacula, quàm ad interiora, Sanch. ubi supra n. 41. 1

Urbanus autem IV. in Regula Monialium statuit, 2
ut ad agendas exequias circa sepulturam, & cadaver sepeliendum de consensu Monialium pateat ingressus in clausuram, ut refert Sorb. *v. Ingredi monasteria §. 6.* quam constitutionem cùm absolutè loquatur, procedere etiam in casu, quo sæcularis persona sit intra clausuram sepelienda, monent Rodriq. *tom. 1. q. 47. §. Et advertendum.* Mirand. *in d. Man. q. 2. art. 17. cas. 3. in fin.*

His suppositis, & stante Monialium consensu, arbi- 3
tror, concedendam esse hujusmodi licentiam. Primò, propter enixam voluntatem & devotionem ejusdem Principis. Secundò, quia sicut omnes admittunt, posse educari puellas sæculares intra clausuram ad instructionem morum, & hæc judicatur causa necessaria, ita etiam ad instructionem Monialium, ut aspicientes, quod nobiles sæculares optant, & expetunt intra suam sepulturam recondi, stabiliantur in sua vocatione, magisque libenter permaneant in clausura, & sæculum contemnant, debet judicari causa sufficiens. Tertiò, propter utilitatem monasterii, & eleemosynas, quas sine dubio ejusmodi Principes Monasterio largientur. Quartò, quia præsertim Oratores Regum, cùm sint extranei, nec Romæ habeant propriam Capellam, seu sepulturam, non possunt sine magna expensa pro puella filia condere sepulchrum correspondens suæ nobilitati & gradui. Quam expensam evitant sepeliendo devotionis causa.

Hæc atque plura, quæ considerari possunt, videntur 4
concurrere ad causam rationabilem & manifestam, ac proindè concedendam esse licentiam iterùm arbitror.

CON-

CONSULTATIO CXVII.

De pœna coitus habiti a Clerico cum commatre.

1 QUod coitus cum commatre sit de jure canonico crimen incestus asseverant Boer. *d.* 319. Paul. Ghirlan. *de pœn. omnif. coit. q.* 3. *n.* 1. & *q.* 25. *sub nu. etiam* 1. & *seqq.* Bermond. Chover. *de public. concub. v. Incestu n.* 3. & 13. Paris. *de Judic. v. Adulterium num.* 8. Diaz. *in pract. crim. can. c.* 76. in antiquis, & in novis *cap.* 82. *num.* 4. Majol. *de irregul. lib.* 5. *cap.* 27. & 28. Cabal. *resol. crim. cas.* 200. *num.* 68. & Farin. *de delict. car. q.* 138. *p.* 1. *n.* 48.

2 Quodve pro tali incestu Clericus sit perpetuò deponendus, privandusque omnibus beneficiis & officiis probat textus loquens de sacerdote fornicante cum filia spirituali *in cap. Si qui sacerdos* 30. *quæst.* 1. ibi: *Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, postea verò ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat*, dixeruntque Jo: de Anan. *in c. Cum dilectus* 20. *num.* 2. *ad med.* & *in cap. significavit* 5. *num.* 4. *de adult.* Imol. *in cap. Ut Clericorum num.* 8. *de vit.* & *honest. Cler.* Felin. *in cap. At si Clerici nu.* 14. ibique Dec. *num.* 232. *de judic.* Covar. *in epit. de sponsal. part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 3. Jo: Sylv. *de benef. part.* 3. *quæst.* 3. *num.* 6. Ghirland. *d. quæst.* 3. *num.* 3. & *quæst.* 5. *num.* 2. Bermond. Chover. *d. v. Incestus num.* 3. Clar. *in §. Incestu n.* 7. Diaz. *d. cap.* 76. *alias* 82. *num.* 1. & 4. Decian. *trat. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 3. & 10. Farinac. *d. qu.* 138. *part.* 1. *num.* 53. & 55. Antonel. *de regim. Eccles. lib.* 6. *cap.* 35. *num.* 2.

3 Neque insistendum est in sola depositione. Etenim Glos. *in cap. Pitacium, v. Multò magis* 30. *quæst.* 3. asserit patrem spiritualem magis diligendum quàm carnalem, idque notat Barb. *in lib.* 2. *ff. de v. oblig.* & *in repert. l. Cum acutissimi, C. de fideic.* & Glos. *in cap. Qui dormierit*, tradit affinitatem spiritualem majorem esse, quàm carnalem, & *in cap. Aut fatum v. Parentem de pœn. d.* 1. ait non minus puniendum esse qui interimit parentem spiritualem, quàm qui carnalem. Eam sequitur Alex. *in add. ad Bart. in l. Div.* ubi Marsil. *in fin. ff. de parricid.* Hinc Abb. *in cap. fin. n.* 4. *de purg. can.* quem sequuntur Dec. *cons.* 462. & *in d. cap. At si Clerici n.* 38. & alii, rectè monet, quod gravis pœnitentia, & pœna imponenda sit sacerdoti pro delicto incontinentiæ commisso cum filia spirituali. Quia cognatio spiritualis procedit ex venerabiliori parte. Ideòque magis est digna veneratione. Quod num. 5. comprobat, animadvertendo nunquam legi Ecclesiam Romanam dispensasse circa cognationem spiritualem, & tamen quotidiè dispensare in cognatione carnali circa matrimonium contrahendum. Atque id duplici ratione statuit Bermond. *d. v. Incestus num.* 3. Altera, ne hæreticis non videntibus ejusmodi delicta Clericorum graviter plecti audacia præstetur de illis obloquendi. Altera, ne, frigescente charitate, ac Dei timore, laicis detur occasio retrahendi eorum uxores & filias ab Sacramentis baptismi & chrismatis. Addo tertiam ex Diaz loc. alleg. nempè quod delicta hujusmodi etiam in opinione populi gravia judicantur, quare dixit, quod Clericum convictum de hujusmodi delicto non solùm hac tempestate deponeret, sed alicui carceri manciparet per non paucos annos.

4 Neque ab hac doctrina dissentiunt Menoch. *de arbit. cas.* 502. *num.* 103. ubi ex mente Bermondi asserit presbyterum & Clericum, qui carnaliter cognoscit commatrem puniri pro Judicis arbitrio. Item nec Cabal. *d. cas.* 200. *sub num.* 69. qui tradit solummodo locum esse pœnæ extraordinariæ, cum talis cognatio sit incognita de jure civili, & a Canone tantum considerata, cui adhæret Farinac. *d. q.* 138. *p.* 1. *num.* 5. *in fin.* Quia intelligunt de pœna extraordinaria respectu mortis, quàm Boer. *in præcit. d.* 318. *num.* 3. & alii relati per Berluch. *p.* 4. *concl.* 32. *num.* 23. & Carpzou. *p.* 2. *q.* 72. *n.* 57. admiserunt in laico.

Propterea censeo, sacerdotem convictum de incestu perpetrato cum qualitate stupri per carnalem cognitionem commatris, non solum posse deponi, sed etiam per triennium ergastulo mancipari.

CONSULTATIO CXVIII.

Concursus in Parochialibus quomodo faciendus? Quis reputetur magis dignus? Quando de exclusione appellandum, contraque Episcopum præsumendum?

PRo resolutione prænotandum est, quod S. Concil. 1
Trident. *cap.* 18. *sess.* 24. *de ref.* §. *Peracto*, non solùm mandat considerari scientiam, sive doctrinam, cum qua sæpè vitia, vel aliæ inhabilitates conjunguntur, sed etiam ætatem, mores, & prudentiam, aliaque ad curam animarum exercendam dignè & laudabiliter necessaria.

Ex quo fit, quod magis literatus, etiam doctor, non 2
ideò præferri debet alii, cujus mores, & reliquæ habilitates sunt Ordinario cognitæ, ac probatæ ex traditis per Gonz. *ad reg.* 3. *Cancell. glos.* 4. *num.* 100. & *seqq.* Garz. *de benef. p.* 9. *c.* 2. *n.* 111. Massobr. *in prax. habend. concurs. requis.* 5. *dub.* 2. *n.* 17. & *seq.* Greg. XV. *decis.* 11. Rot. *decis.* 654. *n.* 1. & 655. *num.* 1. *p.* 4. *div.* & *dec.* 537. *n.* 14. *p.* 1. *recent.* Quod constanter semper amplexa est S. Congregatio Concilii apud Gonz. *d. glos.* 4. *num.* 112. & Garz. *d. cap.* 2. *nu.* 111. & apud Rot. *dec.* 537. *num.* 14. *p.* 1. *recent.*

Præterea licitum est Episcopo præferre illum, qui est 3
de gremio sui Cleri, alteri, qui sit exterus, *c. Nullus d.* 61. cum aliis allegatis per Barbos. *de offic.* & *potest. Episc. alleg.* 60. *sub n.* 102. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *c.* 15. *q.* 1. Lotter. *de re benef. lib* 2. *q.* 31. *n.* 135. Massobr. *d. requis.* 5. *dub.* 2. *n.* 37. Rot. *dec.* 628. & 677. *in princ. in recollect.* a Farinacio, & latè Gonz. supr. nu. 109. Ac præsertim si talis exterus brevi tempore manserit in loco concursus, & nesciatur qua causa reliquerit propriam diœcesim, vel si aliquali diffamatione, aut defectu notatus sit. Quæ advertere Ordinarius tenetur ad fundandam ejus exclusionem, prout considerari docuit Gonz. *d. glos.* 4. *n.* 132. Massobr. *d. requis.* 5. *dub.* 2. *num.* 18. & *seq.* Quippè quæ Ordinarii judicium eximunt a dolo, & irrationabilitate requisita ad ejus præclusionis revocationem ex traditis per Garz. *d. cap.* 2. Gregor. XV. *dec.* 11. *n.* 1. Rot. *dec.* 654. *num.* 4. *p.* 4. *divers.* Quod etiam satis explicat Constitutio ipsa Pii V. de conferendis Parochialibus, ac faciunt, ut eligenti judicio deferendum sit, tanquam magis informati. Gonz. *eo loco num.* 133. Gregor. XV. *d. dec.* 11. *num.* 3. cum ibi allegatis per Addentes.

Et quamvis communi examinatorum judicio dicatur, 4
excludum tum moperè doctrina antecellere electo, atque etiam a majori parte declaretur electum esse literatura idoneum ad curam, non idcircò excludus benè ac rectè appellat, itaut constet de irrationabili judicio Ordinarii. Quia non solum est considerandа doctrina, & scientia concurrentium, ut jam dixi, sed mores, & aliæ qualitates, ac circumstantiæ, quæ aliquem reddant idoniorem, & aptiorem ad curam animarum, cui est præponendus, ut disponit Tridentinum loc. cit. & firmant communiter Doctores, inter quos Maresc. *var. res. c.* 52. *l.* 1. *n.* 21. & *seqq.* Unde si Ordinarius circa scientiam concurrentes æqualiter idoneos invenerit, non potest unquam de irrationabilitate argui, cùm in æquè idoneis sit locus gratificationi, ut multis probat Barbos. *ubi supra in addit. ad d. alleg.* 60. *n.* 104.

Immò, perpensis aliis qualitatibus, & circumstantiis, 5
eum, qui excellit prudentia, & diligentia, integritate, pietate, aptitudine ad dictam curam, accedente etiam voluntate populi, & publica utilitate, Ordinarius existimare debet idoniorem, semperque sumenda est interpretatio pro judicio Ordinarii, ut fusè Gonz. *ead. glos.* 4. *numer.* 125. & *seq. num.* 133. Maresc. *ibid. num.* 24. Garz. *supra num.* 250. Burat. *decis.* 22. *num.* 28. & *seq.* Quia nemo est, qui potest habere magis notos mores, quàm Ordinarius. Ex quo inferunt Doctores, quod Ordinarius tenetur illum præferre, cujus mores sunt sibi magis noti. Barbos. *in addit. ad d. allegat.* 60. *n.* 102. Maresc. *ubi supr. n.* 35. Garzias, & Burattus locis præcitatis.

Et licet juxta plurimorum sententiam Ordinarius, eli- 6
gens dignum, omisso digniori, peccet mortaliter, tamen in foro externo electio non invalidatur, ut ex innumeris Doctorum authoritatibus tradit Barb. *d. alleg.* 60. *num.* 97. & Garz. *ubi supra num.* 226. & *seqq.* & *nu.* 235. Quæ quidem, quando habuit effectum, sustineture non obstante reclamatione excluſi, ut litium occasions, amputentur. Quod firmavit Rot. *dec.* 40. *n.* 4. *p.* 1. *rec.* quam loco alleg. n. 100. sequitur Barb. ubi reprobat tenentes contrariam opinionem, ac etiam asserit Garz. n. 250. in fin.

Nec

7 Nec dicatur, quod si standum sit judicio Ordinarii, nunquam erit locus appellationi, quam admittat Constitutio Pii V. Quia tàm Constitutio Pii, quàm alii pro appellatione sentientes loquuntur & intelligendi sunt, quando liquidò ac evidenter constat de dolosa electione, & irrationabili judicio Episcopi, ut probant verba dictæ Constitutionis. Et hanc opinionem Rota pluries sequuta est, præcipuè in Ravennaten. Parochialis, in Pamphilonen. beneficii, & aliqui, quos refert, ac sequitur Marescot. *d. c.* 52. *n.* 23. Barbos. *eo loco num.* 102. Gonzal. *n.* 139. Garz. *ibidem*, Buratt. *d. dec.* 22. *n.* 31. & ibi Add. & alii concordantes n. 39.

8 Idèoque, si excluſus obtinere prætendat, debet concludenter docere de dolo, & irrationabili judicio Ordinarii ex probationibus concludentibus. Nam licèt constaret, quod concurrentes æqualiter fuerint approbati, quodque aliæ qualitates exclusivæ electi non afferantur, nec inclusivæ excluſi, veluti Doctoratus, Vicariatus, & id genus alia, itaut veniat quis præferendus, ut firmavit Rot. *p.* 3. *rec. dec.* 61. & Gonz. *d. glos.* 4. *num.* 115. Tamen non ideò sunt tales, ut possint annullare electionem, factam ab Ordinario. Quia mores præcipuè sunt considerandi, præsertim verò prudentia, diligentia, vitæ honestas, & aliæ qualitates necessariæ ad curam animarum exercendam, adeò quod etiam minus doctus sit præferendus, ut in proposito declaravit S. Congregatio Concilii *ad d. c.* 18. *n.* 25. & in meo vetusto codice manuscripto his verbis: *Episcopus ex concurrentibus eligere potest eum, cujus mores noti, probatique sint, & præferre illi, cujus vita aut ignoratur prorsus, aut prava habetur, licet doctior sit*, die 27. Octobris 1577. Item: *Approbantibus licet examinatoribus aliquem tanquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, & habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, & approbatum in moribus, hic ultimus est præferendus.* Quod notat pluribus Gonz. *d. glos.* 4. *num.* 111. *& seq.* Marescot. *ubi supra num.* 27. Garz. *ibid. a num.* 249. & Burat. *d. dec.* 22. *n.* 28. *cum seqq.*

9 Quin etiam ratione tantum originis justè præfertur electus excluso alienigenæ, cùm debeat originarius minus dignus præferri alienigenæ digniori. Textus est expressus *in cap. Hortamur d.* 71. & ibi Glos. *& in cap. Nullus d.* 61. traditque Mastrill. *dec.* 2. *n.* 14. ubi quod necessariò sit præferendus originarius non solum de jure civili, & canonico, verùm etiam de jure divino ex cons. Mandosii 55. *num.* 4. *& seqq.* cum aliis per Gonz. *d. num.* 218. & Barbos. *eod. num.* 102. ibique Addentes optimè deductis.

10 Quod eò magis procedit quando alienigenæ opponitur aliquo morbo laborare, nec probat, prout probare tenetur se contraxisse domicilium in Urbe, ubi Parochialis vacat. Quare ex his causis poterit Ordinarius illum excludere, forsan tanquam non gratum populo, ut est electus originarius *ex d. c. Nullus d.* 61. & Gonz. *num.* 64. *& seqq.* Nam in allegata *dec.* 61. & aliis, in quibus a Rota fuit pronunciatum pro appellatione, nulla aderat oppositio contra appellantem, & pro eo militabat origo, & aliæ omnes qualitates necessariæ, ut in eis liquet. Adde quod non parum ad rem duceret, si excluſus obtinuerit aliquod beneficium simplex & electus nullum haberet beneficium. Nam non habens beneficium præterendus est habenti, Seraphin. *dec.* 767. & Barbos. *ubi supra num.* 103.

11 Nec obstaret, quod electus esset familiaris Ordinarii. Quia dicta qualitas ex se non sufficit, nisi aliæ qualitates exclusivæ electi, inclusivæ excluſi concurrant, prout videre est *in d. dec.* 61. & ex adductis per Gonzal. *loco præcitato.* Nec quod in examine excluſus reperiatur doctior. Quia præter quod non sufficit, ut sæpè dixi, prævalere in doctrina, nisi doceatur etiam præcellere in aliis requisitis, non idcircò concluditur verè esse doctiorem. Quia id fortè potuit evenire ex quæstione proposita, vel ex alia causa. Unde ad confirmandum quempiam esse doctiorem volunt Doctores, requiri trinum examen, Abb. *in cap. Cùm secundum num.* 14. *de præbend.* Gonzal. *d. glos.* 4. *num.* 119. *& seqq.* Garz. *loco pluries citato n.* 251.

12 Verùm enim verò probè subductis rationibus semper in hac re S. Congregationis Concilii sententiæ adhæsi, quæ sciens nihil Concilia, Pontificesque inexploratum omisisse pro regimine Parochialium, quibus tota ferè christiana gubernatio constat, ejusmodi concursus, quos aliàs ex more pravos esse, & exemplo periculosos agnovit, ita semel atque iterùm præstanti judicio expendit, atque deliberavit.

13 Die 12. Augusti 1603 habita est Congregatio Concilii in Palatio S. D. N. cui interfuerunt Blanchettus Mantica, Platus Justinianus, de Monte, Paravicinus, Matthæjus, Sanctorum quatuor, & de Osat, in eaque proposita causa *Pistorien. concursus* censuit, novum examen esse decernendum propter affectum Episcopi, qui potissimum discernitur ex pensione reservata super hac Parochiali ad favorem fratris ejusdem Episcopi, cui verisimilius erat consensurum de Verdeschi, quàm Thomam. Et huic examini dixit valdè favere Constitutionem sa. me. Pii V. super collatione Parochialium Ecclesiarum, quæ dum vult licere magis idoneo posthabito per Episcopum appellare, & ad novum examen provocare, & constito de Episcopi eligentis irrationabili judicio, Parochialem huic magis idoneo esse conferendam, satis manifestè requirit novum axamen ad hujusmodi irrationabile judicium cognoscendum, itaut non sit necesse de illo constare antequam decernatur examen, sed absque eo quod de tali judicio irrationabili constet, illud debere decerni, ut per examen perveniatur ad cognitionem irrationabilis judicii. Et propterea Rota, quę *in decis.* 11. coram Ludovisio aliter sensit, non videtur consentanea menti & verbis d. Constitutionis, nec decisio defendi potest ea ratione, quod cum Constitutio ita demum tribuat rejecto facultatem appellandi, & ad novum examen provocandi, si prælatus sibi fuerit minus idoneus, de hac conditione, sub qua Constitutio loquitur, ante omnia constare debeat. Quia respondetur, hanc conditionem non esse ante omnia probandam, sed de ea constare postea debere per examen, & processum. Alioquin sequeretur, quod talis conditio deberet verificari nedum ante examen, sed etiam ante appellationem, cùm illam conditionem Constitutio requirat in utroque. Absurdissimum autem esset oportere de irrationabili judicio constare ante appellationem. Præterea ea non potest dici conditio, cum præteritæ rei veritatem respiciat, & non futurę implementum, quod est de natura conditionis.

Cùm itidem die 8. Martii anno 1614. fuisset propo- 14
sita in Congregatione Concilii causa Parochialis Ecclesiæ S. Eusebii nullius diœcesis Provinciæ Urbinaten. in qua duo ex concurrentibus æqualiter cum prœelecto approbati ab examinatoribus Synodalibus fuere, sed ab Ordinario postposiți, ab irrationabili judicio ejusdem ad Congregationem appellarunt, ipsumque prælectum ad novum examen provocarunt, ut per illud possent docere de irrationabili prioris eligentis judicio, S. Congregatio censuit inhærendum decretis alias sæpius ab ipsa Congregatione editis, & præsertim in causis Interamnen. Firmana, Vincentina, Clusina, Pistorienſi, & Montisregalis, quibus probatur, Congregationem ad solam provocantis instantiam consuevisse novum examen decernere absque eo quod alias constet de Ordinarii gravamine. Atque ita semper interpretatam fuisse Constitutionem sa. me. Pii V. adversus nonnullas Rotæ decisiones, eo quod Pius V. novum concursum introduxerit, tanquam speciem probationis de irrationabili judicio. Ideòque nulla habita ratione scripturarum a rejectis ad irrationabile judicium ostendendum exhibitarum, uno omnium consensu censuit ad novum concursum hic in Urbe deveniendum esse, ac propterea vocandum prælectum Romam, ut una cum postpositis novo se examini subjiciat coram Illustrissimo Urbis Vicario, ad hoc ut eodem examine postea peracto, Congregatio statuere possit quis illorum verè sit dignior judicandus, cui Parochialis Ecclesia conferatur. Idem declaravit in Pisana die 17. Januarii 1630. & in Urbinaten. 11. Februarii 1629. & in Nucerina 26. Junii 1635. Quod firmavit Rot. in Majoricen. parochialis 19. Junii 1646. coram Em. Celso, & iterum coram eodem 1647. Idque non obstante, quod Urbanus VIII. die 27. Novembr. 1640. in Signatura gratiæ occasione commissionis in causa Algaren. relata ab Rev. P. D. Gallo, mandaverit Congregationi Concilii præsente D. Cardinali Pamphilio, illius Præfecto, & stylum ejusdem Congregationis allegante, & de mente aliorum Pontificum observatum, ut, illo non obstante, non se ingerat in causis appellationum, quæ interponuntur, occasione concursuum pro parochialibus ab irrationabili judicio, vel mala electione Episcopi, sed in tali casu adeatur Sanctitas sua pro commissione causæ hujusmodi appellationis, testante ipso R. P. D. Gallo.

CONSULTATIO CXIX.

QUidam Ordinarius obtinuit a S. Congregatione li- 1
centiam nominandi extra Synodum sex examinatores, accedente consensu Capituli. In vim dictæ facultatis nominavit tres Canonicos Ecclesiæ Metropolitanæ, duos alios Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ, &

unum

unum Archipresbyterum, quos cum proposuisset Capitulo, requirendo illius consensum, ille fuit a majori parte Canonicorum denegatus, prætextu, quod dicti nominati essent amici ipsius Ordinarii. Quæritur,

An ejusmodi nominatio sit confirmanda?

2 REspondetur affimativè. Ex quo enim Ordinarius nominavit Examinatores, & instítit penes Capitulum, ut præstaret consensum, quod illum sine causa præstare recusavit, habentur pro legitimè deputatis, etiam dicto consensu non interveniente, ut declarat Abb. *in cap. Nullus num.* 1. Anchar. *num.* 3. & Butr. *num.* 2. *de jurepatr.* ubi quod tali casu Pontifex, ad quem habetur recursus, vel dat licentiam, supplendo dictum consensum, vel cogit ad consentiendum, Zabarel. *in Clem.* 2. *§. ultim. num.* 4. *de appel.* Iste enim consensus debet concedi ex justitia, & ideò pro concesso habetur, si præstari differatur. Burs at *cons.* 45. *numer.* 2. & *cons.* 57. *num.* 8. *lib.* 1. & latissimè Surd. *dec.* 220. *n.* 54. & *seq.* Mantic. *dec.* 226. *tr.* 9. Valenz. *cons.* 132. *nu.* 27. *cum pluribus sequentibus lib.* 2.

3 Eoque magis, quod ex dictis Examinatoribus adsunt tres Canonici ex Cathedrali, & duo ex Collegiatis, & unus Archipresbyter exercitatus in cura animarum. Ideòque cum non solum concurrant qualitates requisitæ a Concilio Trident. *c.* 38. *sess.* 24. *de reform.* quod scilicet esse debeant Doctores, vel Licentiati in theologia, sive in jure Canonico, sed etiam sint insigniti ecclesiastica dignitate, non videtur ex ulla parte posse allegari causa consensus supradicti denegandi, & propterea præsumi debet, quod ob causam inimicitiæ, quam cum Ordinario nonnulli de Capitulo profitentur, noluerint consentire, quod in specie abhorret textus *in dict. cap. Nullus vers. Et si quis Episcopus.*

4 Neque meretur allegari, quod omnes isti Examinatores sint amici Ordinarii. Quia sufficit, quod sint præditi qualitatibus requisitis, quibus non debet obesse amicitia, præsertim quia eorum dumtaxat partes sunt approbare concurrentes, cum electio dignioris spectet ad ipsum Ordinarium juxta dispositionem ejusdem Concilii, ac proinde etiamsi omnes Examinatores essent inimici Ordinarii, non idcircò illi eriperetur facultas eligendi quem voluerit ex approbatis in concursu. Ob hanc itaque rationem nullius est momenti consideratio amicitiæ cum proprio Prælato, atque adeò non potest absque injuria denegari approbatio, ut post alios firmat Surd. *d. decis.* 220. *numer.* 54. & *seq.* Hinc S. Congregatio in una Messanen. hujusmodi nominationem approbavit, confirmavitque die 20. Septembris 1645.

CONSULTATIO CXX.

An Monialis, quæ a monasterio aufugit, timens juste ac probabiliter a monialibus sui monasterii mortem sibi veneno, aut incendio inferendam, possit transire ad aliud monasterium diversæ Regulæ etiam laxioris?

1 ET affirmativè respondendum est. Nam cùm in prefato monasterio tutè manere non possit propter odia & persequutiones, nec ibi, neque in aliis ejusdem Ordinis absque molestia vivere queat propter infamiam, & pudorem, quo continuò suffunderetur; cùmque in aliis monasteriis diversi Ordinis tranquillam cum ingenti bono, & augmento spirituali vitam absque animi solicitudine duceret, utique licita translatio est, etiam ad Ordinem laxiorem ob majus bonum spirituale, quod præcipuè attendi debet. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. & cum eo Suar. *de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 22.

2 Immò ipsum odium & persequutio, pudor, ac infamia per se absque consideratione majoris boni & commodi spiritualis sunt causæ dispensandi in transitu. Sanch. *in decal. to.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *n.* 32. Eoque magis, quia, licet causa hujusmodi pudoris propter delictum patratum sit justa, odium tamen, & persequutio est injusta. Suar. *ubi supra n.* 24.

3 Concurrit cum odio justus metus mortis ex probabili causa cadens in constantem virum, qui planè sat est ad effectum ipsum absolutè excusandi a reditu, prout in potioribus terminis dixit Grammat. *decis. crim.* 5. *nu.* 8. *cum seqq.* Ita quod dubitari non possit, quin metus iste semel illatus semper durari debeat, & præsumatur quousque causa metus duret, *l. pen. ff. de condit. ob turp. caus.* ubi Bart. *num.* 5. & 7. Osasch. *dec.* 179. *n.* 12. Boer. *decis.* 100. *n.* 12. & 13. & censuit Rot. *in Conchen. nullitatis ordinis* 10. Martii 1606. coram Pegna.

Non obstat, quod hæc monialis non habeat causam proximam timendi, sed tantum remotam, quæ non sufficit, ut timor sit justus. Quia quando casus est probabilis semper valet pro fundamento intentionis, ut probat textus, *in leg. fin. Cod. quod met. caus.* Bart. & Bald. *in leg. Ad vindictam, ff. eod.* Dec. *in l. Pacta novissima sub n.* 11. *cum seqq. Cod. de pact.* Paris. *cons.* 139. *nu.* 25. *lib.* 4. idem Bart. *in l. Ob turpes num.* 7. *de condit. ob turp. caus.* Neviz. *cons.* 52. *n. item* 52. Grat. *cons.* 38. *n.* 14 *l.* 2. Osasch. *dec.* 142. *n.* 12. 4

Quæ præsertim locum habent, si mœrore confecta, 5
ægritudinem animi, & corporis contraxit, quam minuere non potest, nisi ad aliud monasterium diversi Ordinis se transferat, ac proindè digna est dispensatione transeundi ad non strictiorem Religionem, Sanch. *loc. cit. num.* 72. Azor. *instit. mor. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 17. *qu.* 8. Roderic. *tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 9. Suar. *d. num.* 22. ubi quod etiam ex hac causa resultat commodum spirituale transeuntis.

Quodque eodem modo etiam post Concilium Triden- 6
tinum liceat Monialibus hic transitus ad aliam Religionem, sicut licet viris religiosis, probat idem Sanch. *eod. c.* 7. *n.* 5. & dixerat Mandos. *de signat. grat. v. licentiæ.* tenetque Roderic. *d. tom.* 3. *quæst.* 12. *art.* 6. & Zerol. *in prax. p.* 1. *v. Moniales.*

Et ex his, injuncta prius Moniali pœnitentia salutari, ac lege, ut dotem primo monasterio relinquat, solvatque novam secundo, hujusmodi translatio indulgentia videtur. Atque ita resolvit S. Congregatio Episcop. & Regul. in una Messanen. die 29. Aprilis 1603. & in una Cæsaraugustana transitus 1639. 7

CONSULTATIO CXXI.

QUidam accessit ad presbyteratus Ordinem & visum est sibi Episcopum non protulisse super se, immò & super alios sufficienter verba substantialia primæ formæ, nimirum *Accipe potestatem celebrandi, &c.* ac propterea absque formidine, & cogitatione de opposito verè non esse ordinatum, & potestatem celebrandi non recepisse firmiter tenuit, cogitavitque alio tempore accedere ad sacram ordinationem; & dum hæc statuebat in sua mente dixit: ex quod absolutè primam potestatem celebrandi non habeo, ad quid secundam absolvendi recipere debeo? Quomodo dabitur secunda sine prima? Sic resolvit, & tunc nihil aliud melius cogitavit. Ut omnia a principio incipere possim, & ne ulla sit dubitatio de tota ordinatione, accedam, sed cum intentione illam secundam potestatem non recipiendi. Hæc enim tunc manifestare, vel non accedere scandalum maximum judicabat, & talis actus suæ mentis perseveravit usque ad pedes Episcopi. Tunc enim ex maxima angustia ille quievit corpore, & quievit tali actu, & dum nihil cogitaret, Episcopus protulit verba secundæ formæ, scilicet: *accipe Spiritum sanctum, & quorum remiseris peccata remittuntur eis, &c.* Illum autem actum contrarium non revocavit, neque resumpsit voluntatem recipiendi illam secundam potestatem. Verissimum tamen est, quod si credidisset primam potestatem accepisse, etiam secundam accipere voluisset: at de hoc nihil cogitavit expresse, cùm primam firmiter teneret non recepisse. 1

Completa ordinatione accessit iste ad suum Confessa- 2
rium, exponens ei prædictum casum, simulque animum accedendi denuò ad sacram ordinationem antequam missam celebraret. Confessarius, & aliqui valdè docti secretò consulti affirmarunt, ipsum verè esse ordinatum, & posse tuta conscientia celebrare. Quia, licet ipse sic ordinatus sit in sacra theologia speculativa, & morali satis versatus, ac propterea multa fides ei adhibenda sit: tamen sæpè convincebatur scrupulis laborare, ac proindè Episcopum non protulisse verba sufficienter, dæmonis illusionem, non veritatem esse statuerunt, quia & Episcopus ille est benè doctus, & timoratus, de quo nullo modo in re tàm gravi errasse credendum est. De prima ergo, sedatis omnibus scrupulis, nullum est dubium.

Quod verò ad secundam potestatem attinet inter ip- 3
sos doctos consultos fuit aliqua dubitatio. Nam aliqui tenuerunt talem Sacerdotem secundam potestatem non habere. Quia etiam ex parte recipientis, maximè adulti, requiritur intentio saltem virtualis non revocata juxta Theologos *in* 4. *sentent.* quam iste non habuit. Quia dum illum actum elicuit, ut supra, eam revocavit.

Tamen major pars censuit, illum Sacerdotem tàm 4
primam, quàm secundam potestatem habere. Vel quia in prima forma utraque potestas confertur, ut multi Doctores probabiliter sentiunt, præsertim apud Dian.

part.

part. 3. trat. 4. de Sacram. reſol. 187. Vel quia illa quies ad pedes Epiſcopi eſt quædam ceſſatio actus contrarii, & non diſſentire, quod ſufficit, ſicut patet de pueris. Vel quia ignorantia talis facit involuntarium juxta doctrinam Ariſtotelis, & D. Thomæ. Sicuti emittens ſagittam contra hominem credens eſſe feram, involuntariè ferit. Si enim ipſe cogitaſſet primam poteſtatem habuiſſe, etiam ſecundam recipere vellet. Similiter etiam contrahens matrimonium, & errans in eſſentiali, v. g. in perſona, involuntariè conſetur contrahere, & invalidè. Ita hæc ſua voluntas ſeu intentio, cum fuerit fundata ſuper errorem eſſentialem, ideſt ſuper falſum, fuit involuntaria, & nihil poſuit in eſſe, ut termè probatur expreſsè ex doctrina Jacobi Mancini *in ſua prax. viſit. infir. append. ad part. 3. dub. 28.* dum de abſolutione loquitur. Vel quia in recipiente aliqui dixerunt, non requiri intentionem, ſicuti in parvulis, dum baptizantur. Sed hoc in adultis non valet, ut etiam dictum eſt ſupra. Vel tandem, quia credebant, illum actum contrarium fuiſſe intellectus, & tentationis, non verò voluntatis. Hoc autem ultimum talis ordinatus non admittit, & cùm ſit actus ejus merè internus, ei ſoli fides adhibenda eſt quo ad hoc, & maximè quia jurare poteſt, ſuam intentionem, & voluntatem ita fuiſſe, ut explicatum eſt.

5 Perpenſa eſt propter hoc opinio cum fundamentis ſuis ſolidis ſapientiſſimi ſenis D. Fagnani *in Decretal.* qui abſolutè tenet & ipſe, quod utraque poteſtas ſimul, & ſemel conferatur in prima, unica forma. Aſſerit tamen alteram actionem, & formam eſſe neceſſariam ad poſſe uti ſecunda poteſtate. Epiſcopus etiam aliquis fuit rogatus, ut in hoc ſuppleret ſaltem ſub conditione, ſed ſine certitudine reſolutionis Romanæ noluit, quia conſilia ſapientum cenſuit non eſſe neceſſaria. Ideò petitur,

An adhuc talis ordinatus propter illos paucos diſſentientes, de quibus ſupra ſaltem ſub conditione ad recipiendam ſecundam poteſtatem accedere poſſit ac debeat ad ordinationem, maximè quia ſecundum ſuum ſtatum talem poteſtatem exercere debebit?

An verò poſſit tuta conſcientia etiam illam ſecundam poteſtatem, aliis concurrentibus, exercere?

6 Et quidem negativè reſpondendum videtur, itaut poſſit quis in Sacramentis, ſicut & in aliis materiis uti opinione probabili, relicta probabiliori, & certa. Quod docent Vaſquez, Perez, Sanchez, Sayrus, Pontius, Salon, Diana, Villalobos, & alii, quos refert & ſequitur Delbene *trat. 2. moral. de conſcient. opinab. dub. 8. num. 3.* qui etiam *num. 27.* vocat rationabilem, non tamen neceſſariam limitationem a Vaſquez, Villalobo, Diana, & ab utroque Sanchez adductam, qua docent id procedere, quando pars probabilis non eſt contraria charitati & miſericordiæ proximi ob grave damnum, quod ipſi imminet, applicando remedium incertum pro certo. Adjungunt rationes. Tum quia ex contraria ſententia imponeretur grave onus. Item quia ſic operans operatur prudenter, cùm non ſe exponat culpabili periculo irritandi Sacramentum, ſed teneat viam moraliter certam.

7 Verùm hoc placitum eſt apertè falſum, quippè ex diametro pugnat cum inſtitutione Chriſti, qui certè uni tantum modò parti determinavit effectus Sacramentorum. Ideòque illud ablegamus, omninòque tenemus in Sacramentis, præcipuè neceſſariis ad ſalutem, nefas eſſe uti opinione probabili, relicta certa. Ita paſſim ſtatuit Suarez gravis, & multi nominis auctor, ſpeciatim *tom. 3. in 3. part. diſput. 16. ſect. 2. & diſput. 21. ſect. 4. & diſput. 45. ſect. 1. & diſput. 60. ſect. 1. & tom. 4. diſp. 26. ſect. 6. num. 5.* Henriq. *lib. 1. de Sacram. cap. 9. num. 15.* Medin. *in l. 2. quæſt. 19. art. 6.* Alan. *lib. 1. de Euchar. cap. 19.* quibus præluxerat Scot. *in 4. d. 11. quæſt. 6. num. 2.* ac proſequitur Granad. *in 3. part. contr. 9. tract. 1. diſp. 6. num. 2.* & conſentit in hac parte Diana, diligentiſſimus recentium authorum excerptor *part. 12. trat. 1. reſol. 47.* ac alibi, traduntque Ledeſm. *de Sacram. in gen. dub. 5. concl. 4.* Laym. *lib. 1. trat. 1. cap. 5. §. 3. num. 13.* Petr. de Sot. *lib. 1. de inſtit. Sacerd. lect. 2. de Euchar.* Valent. *3. part. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 1.* Salas *l. 2. trat. 8. diſput. un. ſect. 5. num. 86.* Quibus addo Fagnanum non obiter tantum, ſed toto operoſo commentario ſuper *cap. Ne innitaris de Conſtit.* qui hoc argumentum præter pleroſque ab eo deductos latiſſimè, & multis tractationi morali ex ſacris canonibus de more admixtis ſtabilit, quemque ægrè repellunt qui pro adverſariis diſputant.

8 Ratio autem recta eſt. Quia ſecundum leges charitatis, & juſtitiæ tenemur evitare grave damnum ſpirituale noſtrum, & proximi ſub peccato læthali, atque adeò etiam adhibere ea media ad illud evitandum, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Cùm autem in noſtra poteſtate ſit, ut ſupponimus, ſequi certitudinem, quæ eſt medium congruum atque neceſſarium ad evitandum damnum, utique tenemur eadem obligatione illam ſequi. Quia qua obligatione obſtringimur ad finem, obſtringimur etiam ad media neceſſaria pro illius conſequutione. Quod præcipuè ſervandum eſt in iis Sacramentis, quæ afferunt neceſſarium remedium ad ſalutem. Quando enim exhibendum eſt remedium alicui poſito in tanto diſcrimine quantum eſt animæ, charitas exigit, ut eligatur illud, quod certum eſt, non quod ſolum probabile. Idque confirmatur. Quia eligens opinionem probabilem, relicta certa, exponit ſe periculo faciendi irritum Sacramentum, quod eſt ſacrilegium. Quia effectus Sacramenti eſt alligatus uni tantum parti determinatæ.

Amplexus eſt hanc veritatem Cardinalis de Lugo, 9
vir ſummi limatiſſimique judicii, qui unus omnium inſtar in *reſponſ. moral. lib. 1. nu. 11.* ita firmat: *Quicquid ſit de aliis Sacramentis, an in eorum collatione, & ſuſceptione liceat amplecti opinionem probabilem, in baptiſmo tamen, Sacerdotio, & Epiſcopatu propter eorum neceſſitatem, & damnum irreparabile, quod ex eorum invaliditate conſequeretur, debemus, quoties fieri poteſt, certam & ſecuram viam amplecti.* Idem ratum habet *dub. 33. num. 3.* Quare prudentiſſimè, ut in omnibus S. Congregatio Concilii Tridentini die 26. Septemb. 1665. in caſu propoſito reſolvit, ac declaravit, Sacramentum Ordinis hujuſmodi reiterandum eſſe ſub conditione.

Atque ex his rationes in contrarium manent eliſæ. 10
Nam immeritò urget onus, quod ex hac doctrina intulit Delbene, aliique non pauci. Quia quando in poteſtate noſtra eſt eligere opinionem probabilem æquè ac certitudinem, nullum hinc onus conſcientiæ adjicitur, ſed potiùs levamen, dum per hanc certitudinem ſedatur murmur illud internum, quieſcitque in veritate cognita.

Eodem recidit ſecunda ratio. Temerè enim, non prudenter ille ageret in hoc eventu. Quis enim, niſi amens, ſi capite damnatus ſit, poſſitque evadere mortem duobus mediis, quorum unum ſi adhibeatur bonum quidem eſt, ſed non certum, ſi alterum, certitudo exurgit evadendi periculum, velit nihilominus adhibere non certum? Hic profectò non cenſeretur æſtimare vitam ſuam quanti debet, niſi certum medium adhiberet. Multò minus igitur æſtimare cenſeretur vitam æternam. Quia ubi de totius æternitatis ſumma irrevocabiliter agitur, tenetur ex charitate propria, quàm maximè poteſt, ſe in tuto ponere, ne in æternum pereat. Se autem in tuto non poneret, ſi, relicta certitudine, amplecteretur in Sacramentis opinionem probabilem. Hinc D. Auguſt. *lib. 1. de bapt. contra Donatiſt. c. 3.* veriſſimè pronunciavit; *Qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponit, graviter peccat.* Quod recolendum eſt ſæpè ac ſerìò,

Qui plura de hac re plenè ac minutatim ſcire deſi- 11
derat, adeat Fagnanum ipſum loco proximè adducto, ubi catholicè ſolidiſſimis fundamentis hanc doctrinam ſtabilit, & acutè juxta ac graviter adverſariorum rationes elidit. Adeat etiam, ſi lubet, noſtrum Breviarium theologicum *v. Sacramentum, num. 103.* Et hujus ſententiæ audio, fuiſſe Michaelem Angelum Riccium, virum gravitate, prudentia, fide propè ſingulari, quem ſingulariter, & miror, & diligo. Nihil eſt enim quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit.

CONSULTATIO CXXII.

Exemptio a proceſſionibus an concedenda?

PEtebatur a Patribus Capucinis exemptio inſtar exem- 1
ptionis ann. 1641. conceſſæ Patribus Reformatis minorum Obſervantiæ S. Franciſci a proceſſionibus, quæ ſæpiùs ab Epiſcopis Italiæ indicuntur. Ad evitandum autem abuſus, controverſias, & diverſitates opinionum, quæ oriebantur in materia proceſſionum ſa. me. Urbanus VIII. ann. 1628. Congregationem deputavit plurium Cardinalium, qui erant Congregationis Epiſcoporum, Rituum, & S. Concilii, nec non omnes Secretarios earumdem Congregationum, & omnibus maturè perpenſis, emanavit declaratio tenoris ſequentis, ab eodem Sanctiſſimo expreſsè approbata, & confirmata, atque ſucceſſivè obſervata.

Die 27. Julii 1628. & 21. Auguſti, ac 19. Septembris ejuſdem anni habita fuit Congregatio particularis de ordine Sanctiſſimi D. N. Urban. VIII. in Palatio Illuſtriſſimi & Reverendiſs. D. Cardinalis Mellini,

cui

cui interfuerunt idem Illuſtriſſimus Mellinus, nec non Illuſtriſſimus Ubaldinus, & Ginettus, & alii, ac RR. PP. DD. Paulucius, & Benignus Secretarius Congregationis Rituum & alii, &c. Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque maturè diſcuſſo, unanimiter cenſuerunt, poſſe Epiſcopos pœnis ſibi beneviſis compellere quoſcunque Regulares recuſantes etiam Monachos, & quomodolibet exemptos ad infraſcriptas proceſſiones accedere, atque illis intereſſe, exceptis dumtaxat in ſtrictiori clauſura viventibus, & monaſteriis ultra medium miliare a Civitate diſtantibus; nempè in die feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuſcunque aliis publicis & conſuetis, vel pro bono, cauſa, aut honore publico ab Epiſcopis indictis proceſſionibus, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus, privilegiis tantum Apoſtolicis S. Concilio Tridentino poſterioribus contrarium deſuper diſponentibus minimè ſublatis. Regularibus autem & Confraternitatibus minimè ſublatis. Regularibus autem & Confraternitatibus in Eccleſiis Regularium eſſe permiſſum intra eorum Eccleſiæ clauſtra tantùm proceſſiones facere, & non extra. Si verò Eccleſiæ clauſtro careant, eiſdem Regularibus, & Confraternitatibus licere proceſſiones facere intra ambitum dumtaxat earundem Eccleſiarum, hoc eſt propè muros Eccleſiæ, ſive exeundo a janua Eccleſiæ & intrando per aliam, ſive per eandem januam, & ſemper propè muros Eccleſiæ, & non extra dictum ambitum, niſi de licentia, & conſenſu, aut cum Cruce Parochi, privilegiis pariter, ut ſupra, Apoſtolicis contrarium diſponentibus, & in ſuo robore permanentibus, quibus per hoc decretum minimè cenſeatur derogatum.

3 A qua declaratione nullo modo recedendum videtur, ne exemplo unius Religionis aperiatur via cæteris in abolitionem dictæ declarationis, & renovationi præcedentium inconvenientium, & abuſuum in hac materia.

4 Sed potiùs expreſſis nominibus Epiſcoporum, qui tam frequenter indicunt proceſſiones providendum cum dexteritate & prudentia, ut reſtringant ad ſolitas & neceſſarias proceſſiones juxta morem antiquum Eccleſiæ, juxta quem Patres Capucini hactenus interfuerunt abſque præjudicio illorum de Obſervantia, poteruntque in futurum intereſſe. Atque ideò die 18. Novembris 1645. S. Congregatio Concilii cenſuit, Sanctiſſimo referendum, non eſſe Fratribus Capucinis concedendum privilegium petitæ exemptionis a proceſſionibus, ſed ſervandas eſſe declarationes hac in re editas. Epiſcopos tamen, qui tam frequenter proceſſiones indicunt eſſe oretenus monendos, ut abſtineant.

CONSULTATIO CXXIII.

An contra eum, qui gaudet fori privilegio, & aliquod delictum commiſit, poſſit validè Judex laicus procedere, ſi reus non allegaverit ſuum privilegium?

1 IN hac re ita diſtinguendum cenſeo. Aut certum eſt, ac manifeſtum, quod Judex laicus non habet jurisdictionem in perſonam gaudentem privilegio fori, quia ſcilicet eſt Clericus, & tunc opus non eſt allegare fori privilegium. Nam Clericus nec directè, nec indirectè poteſt trahi ad Judicem ſæcularem, *ut in auth. Statuimus, C. de Epiſc. & Cler. &c. Si diligenti de for. comp.* Ubi expreſsè Abb. & Doctores communiter. Itaut Judex laicus ſit inhabilis & incapax jurisdictionis contra Clericum. Quod tenuit etiam Bald. *in l. Si quis ex aliena ff. de judic.* Et ſic non ſolùm invalidè procederet, *ut Inſtit. de pœn. temp. litig.* Salicet. *in l. Conſulta divalia, C. de teſtam.* Zabarel. Gemin. & Aret. *in c. Quoniam frequenter extra, ut lite non conteſt.* Sed etiam excommunicatur, *c. Si Judex laicus de ſent. excommun. in 6.* Et ita procedit textus in Clem. *Paſtoralis, §. Piſana de ſent. & re judic.* Imol. *in l. Quidam, ff. de re judic.* Socin. *in c. Poſtulaſti qu. 12. de for. comp.* Caravit. *rit. 235. & 230. num. 3.* Urſil. *in dec. 123. ſub principio*, Bulla Cœn. Dom. *can. 15.*

2 Nec videtur in aliquo ſibi obſtare, quod non allegaverit fori privilegium. Quia jurisdictio non poteſt exerceri in non ſubditum, *cap. Per venerabilem extra, qui fil. ſint legit.* & tradit Felin. *in cap. Quæ in Eccleſiarum de conſtit.* Idque etiam de conſenſu Epiſcopi, *ut in cap. Decernimus, & in c. Quantò de Judic.* Unde ſtatim ac quis eſt Clericus, eſt exemptus ab omni poteſtate ſæculari, ut plenè Grammat. *dec. 61.* per textus ac Doctores ab eo relatos. Ac etiamſi a ſententia non reclamaverit, nec de nullitate dixerit. Quia ſententia, ejuſque executio eſt nulla. Ita in puncto voluit Bald. *in l. generaliter, C. de Epiſcop. & in Cler. & in l. 1. C. ſi a non comp. jud.* Et hoc ob defectum jurisdictionis, qui ſemper opponi poteſt, & reddit judicium retrò nullum, ut inquit Bald. *ibid.* Et maximè quando, prout hic, deficit ipſo jure jurisdictio, ſemper opponi poteſt, etiamſi ſtatutum, vel conſtitutio dictaret generaliter, quod non poſſit opponi de nullitate ſententiæ, ut notatur *in cap. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. & ibi* Gloſ. ſingul. Quod etiam conſuluit Bartol. *conſ. 62.* & poſt ipſum Dec. *conſ. 212. vol. 2.* & plenè Felin. *in cap. Cum ordinem extra de reſcript.*

Aut eſt probabile, aut dubium, an delinquens ſit exemptus a Judice laico, quia ſcilicet & ipſe delinquens uti laicus incedit, vel laicus eſt, & uti familiaris, aut miniſter, vel officialis Epiſcopi intendit gaudere fori privilegio, & tunc tenetur illud allegare. Ita Myſinger. *cent. 7. obſ. 9.* & Afflict. *dec. 136.* Quæ quidem concluſio communis eſt, eamque in primis ſequuntur Jaſ. *in l. Ex quacunque nu. 31. & 33. ff. Si quis in jus vocat.* Felin. *in repert. v. Citatus*, Jo. Andr. *in c. Sicuti de reg. jur. in 6.* Clar. *lib. 5. §. fin. n. 5.* Rebuff. *de privil. ſchol. privil. 154.* Boer. *ſing. 58.* Gig. *conſ. 35. n. 3.* Grammat. *deciſ. 29. n. 3. & 6.* Covar. *pract. quæſt. c. 33. n. 2.* Perez *l. 1. tit. 3. l. 1. pag. 59.* Anton. Scapp. *de jur. non ſcript. lib. 1. c. 12. n. 2.* Cened. *in collect. ad jus can. par. 2. collect. 151. num. 1.* 3

Ratio autem eſt, quia cùm talis delinquens non ſit Clericus, qui nunquam ſuo privilegio renunciare poteſt, quia conceſſum eſt ſtatui & ordini clericali: ſed tantùm ſit de familia laica Epiſcopali, cujus privilegium eſt perſonale, atque adeò renunciabile, cumque contra ipſum proceſſerit Judex laicus agens ea, quæ continent actus contrarios privilegio, ipſeque poterat declinare forum & non declinavit, ſed ſuccubuit jurisdictioni ac ſententiæ Judicis laici, cenſetur privilegio renunciaſſe. Siquidem per uſum aut actum contrarium privilegium perſonale amittitur, *cap. Gratum de offic. Deleg. &c. Ex ore de his, quæ fiunt a major. par. cap.* ubi Doctores, & habetur etiam *in cap. Si de terra de privil. & in c. Cum acceſſiſſent de conſtit.* ac tradunt Juriſtæ *in l. fin. ff. de conſtit. Princip.* Quod præcipuè locum habet in privilegiis negativis, quæ eximunt a jurisdictione, ut notat Merol. *tr. 3. theol. moral. diſp. 6. c. 7. dub. 2. in princ.* Et in privilegiis facultativis, quale eſt præſens, & ideò per actum contrarium amittitur, ut docent Doctores *in l. 1. C. de ſerv. acq.* Surd. *conſ. 127. n. 2.* & decidit Rota coram Merlin. *in Dertuſen. Vicariæ 22. Aprilis 1524. & dec. 288. n. 14. p. 6. rec.* 4

Idque ipſum etiam ſuadetur ex textibus *in d. l. Si quis ex aliena, ff. de judic.* & in *l. 1. §. Si quis in jus vocatus non jerit*, in quibus habetur, quod ſi etiam a Judice incompetente citatus prætendat ſe non teneri ad comparendum, quod nihilominus venire debeat, & allegare ſuum privilegium, & cauſas quare non teneatur coram ipſo reſpondere. Concordant text. *in cap. Cum parati, & in cap. Si duobus*, ubi Doctores *de appell. in 6.* Gloſ. *in cap. ſi Epiſcopus n. 3. q. 1.* Afflict. *in conſtit. Reg. Statuimus nu. 35. in fin.* Dec. *in cap. Cæterum in 3. notab. de judic.* Aliàs enim talis fit contumax, & propter contumaciam amittit privilegium declinandi forum, Imol. *in d. c. Si duobus*, ubi etiam Franc. *col. 8.* Alex. *in d. l. Si quis ex aliena, ff. de judic.* Afflict. *deciſ. 123.* Bart. *in l. ubi cæptum, ff. de Judic.* Jacob. *in l. Subjiciat. ff. eod.* Angel. *in l. Cum, qui, ff. de privil. credit.* poſt Innoc. *in cap. Ad petitionem de accuſat. & in c. Super de offic. deleg.* Bald. *in l. Si quis ex conſenſu, C. de Epiſcopal. audien.* Accedit, quod cum privilegia ſint facti alieni, text. *in c 1. de Conſtit. lib. 6.* Pariſ. *conſ. 95. n. 8. vol. 4.* Ideò eorum ignorantia, omiſſa prævia inſinuatione, præſumitur, text. *in l. Plurimum, ff. de jur. & fact. ignor. & in l. fin. ff. pro ſoc. cum ſimil.* Quare privilegium non legitimè præſentatum Judici, neque parti, nihil prodeſt. *Auth. in med. lit. non fier. ſacr. form. text. in l. Si quis divinam, C. de aquæduct. & in lib. fin. C. eod. tit.* Roman. *conſ. 330. n. 19.* Gail. *l. 1. obſ. 1. n. 9.* Otho Meland. *in comm. Cameral. part. 1. n. 7.* 5

Nec obſtat ſi dicatur, quod ejuſmodi privilegium poſſit recuperari per ipſum delinquentem, atque adeò eximia jurisdictione ſæculari. Nam reſpondetur, id fieri non poſſe poſt latam ſententiam a Judice laico. Tunc enim ſententia non debet eſſe ludibrio, & privilegium ſemel amiſſum, ſine authoritate Superioris non recuperatur, ut in terminis declarat. Butr. *in c. Joannes n. 15. de Cler. conjug.* quem alii ſequuntur, nominatim Imol. *ib. nu. 17.* Afflict. *ad Conſtit. Regn. l. 1. rubr. de Apoſtat. n. 15.* Vitalin. *in Clem. 1. n. 64. de vit. & honeſt. Cler.* Capr. *regul. 97. n. 105. & ſeq.* Farinac. *quæſt. 8. n. 66.* Idemque rectè diſtinguendo firmat Angel. de Perus. *inter conſil. crim. div. tom. 2. in fol. conſil. 30. n. 26.* 6

Verùm eſto, quod illud recuperare poſſit, recuperatio tamen nil operaretur quoad præſentem cauſam, ſed operari poterit ſolùm in futurum, ut in ſpecie declarant. 7

Imol. *in d. cap. Joannes con.* 17. Capel. Tolos. *dec.* 144. Capr. *d. reg.* 97. *n.* 111. Angel. de Perus. *cod. conf. crim. n.* 30. & *n.* 41. & *seq.* Viv. *dec* 512. *num.* 15. Clar. *in §. fin. q.* 36. *n.* 16. Graff. *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 1233. Decian. *tr. crim. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 102. Farinac. *d. q.* 8. *n.* 66. *post medium*.

Tandem non obstat, quod quando jus proprium ita est implicatum cum alieno, ut renunciatio ipsius cedat in præjudicium tertii, non teneat, ut tradunt Felin. *in cap. Cum delicta de rescript.* Abb. *in cap. Significasti num.* 11. *de for. comp.* Castr. *in l. pen. in fin. C. de pact.* Jas. *num.* 14. Dec. *in cap. Cum accessissent n.* 23. *de Constit.* Calder. *conf.* 1. *in fin. de pact.* Gozad. *conf.* 88. *n.* 20. Seraph. *dec.* 324. *num.* 5. & 341. *num.* 7. Mandel. *conf.* 74. *num.* 3. Tusch. *lit. P. concl.* 759. *num.* 3. Silvest. *v. Privilegium q.* 10. Armil. *eod. v. q.* 9. Cened. *q.* 12. *can. num.* 10. Sigismund. de Bonon. *de elect. p.* 1. *cap.* 2. *dub.* 25. *n.* 7. Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 39. *n.* 29. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 6. *num.* 2. Rot. *dec.* 32. *num.* 8. *p.* 2. *divers.* & *decis.* 273. *n.* 3. *p.* 4. *rec.* Et de renunciatione privilegii, cui implicatum est jus tertii decidit text. *in cap. Cum tempore de arbitr.* & *in c. Cum olim*, *§. Nos igitur de præscript.* Quia præjudicans juri proprio quod est implicatum cum Jure alieno, illi nocet; nam ita est inter ipsos implicatum, ut non possit competere uni, nisi etiam competat alteri, ut docent Cancer. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 2. *de jurisd. n.* 194. Giurb. *conf.* 95. *n.* 13. Et proindè non valet renunciatio privilegii, quod concernit utilitatem publicam. Quia quamvis contineat privatum commodum alicujus, interest tamen omnium, quod in privatis quoque servetur. Sicque non potest Clericus renunciare privilegio fori etiam in causa, quæ solùm concernat privatum interesse ipsius. Quia ea, quæ constituta sunt in favorem Ecclesiæ, communitatis, & publicæ utilitatis non sunt sub dispositione privatarum personarum, & ideò deficit in ipsis potestas, quæ requiritur, ut teneat renunciatio privilegii juxt. *cap. Cum super de offic. deleg.* Quare cùm privilegium familiæ laicæ Episcopi sit ob publicam utilitatem, & favorem Ecclesiæ, ne scilicet debito privetur famulatu, & ut ipsi inservientes sint a foro laicali exempti, non poterit validè ipsi renunciari tanquam habenti implicatum jus tertii, & publicam utilitatem.

9 Verùm respondeo, quod licet hæc negari non possint, negandum etiam non est, quod quis validè possit renunciare suo privilegio absque licentia sui Superioris per ea, quæ tradunt Abb. *in cap. Veniens num.* 2. & 23. *de præscript.* Felin. *in cap. Cum omnes num.* 8. & *in d. cap. Cùm accessissent nu.* 6. & 30. *de constitut.* Jas. *in l. Si unus*, *§. pactus ne peteret*, *ff. de pact.* Gomez. *in reg. de jur. quæs. non tol. quæst.* 16. Gonzal. *in reg. de alter. glos.* 7. *num.* 14. Cravet. *consil.* 335. *num.* 38. Boer. *conf.* 7. *num.* 72. *lib.* Ruin. *conf.* 2. *num.* 8. *lib.* 1. Ferret. *conf.* 38. *num.* 15. *lib.* 1. Gozad. *conf.* 26. *num.* 55. Tiraquell. *de jur. primog. quæst.* 24. quos allegat & sequitur Pelliccion. *quæst. illustr.* 41. *nu.* 29. Quatenus docent, quod in alienatione jurium Ecclesiæ non sunt necessariæ solemnitates ad validitatem, quando res revertitur ad sui naturam. Ex quo desumitur fundamentum, quod valeat renunciatio prædicti privilegii absque consensu Superioris, sive Episcopi; quia per talem renunciationem res revertitur ad sui naturam, & ad jus commune. Non fit autem injuria rei, si restituatur ad pristinum statum, ut tradit Glos. *in cap. Ab exordio v. Alfa d.* 25. allegans textum *in l. d. Si unus*, *§. Pactus ne peteret*, *ff. de pact.*

10 Præterea objecta vera sunt quando læditur jus Superioris non consentientis, ut notat Castr. *cons.* 431. *nu.* 3. Roman. *conf.* 369. *n.* 18. Card. *conf.* 36. *in fin.* Afflict. *dec.* 173. Gratian. *decis.* 78. *nu.* 50. Cened. *q.* 12. *can. num.* 8. & *seq.* Tusch. *lit. C. concl.* 1027. *n.* 3. Gail. *lib.* 1. *obser.* 40. *n.* 3. Rovit. *pract.* 2. *de jurisd. invit. non turb. num.* 25. Jo: Bapt. Cost. *de scient.* & *ignor. cent.* 2. *dist.* 66. *n.* 5. Non autem quando intervenit consensus Superioris etiam tacitus. Quia tunc abusus vel renunciatio privilegii conferetur etiam Superioris, & proindè ambo amittunt privilegium. Nam consentiendo ratum haberet, & proinde faceret suum proprium. Tunc autem conferetur consentire, si videns abusum frequenter, aut renunciationem, aut actum contrarium privilegio, taceret. Quia cùm posset impedire, tacendo conferetur consentire, *l. Si fidejus. C. mandati*, & notant Bart. *in l. Quæ dotis*, *n.* 22. *ff. solut. matr.* Barbos. *ib. n.* 60. Covar. *c.* 15. *pract. n.* 5. *v. Tertiò*, Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 99. *num.* 5. Tiraquel. *de retract. §.* 1. *glos.* 9. *n.* 149. Mascard. *de probat. concl.* 1158. *n.* 47. Surd. *cons.* 290. *n.* 22.

11 Postremò procedunt in illis privilegiis, quæ ita pertinent ad singulos, ut etiam pertineant ad totum corpus, & ideò qui illis præjudicat per abusum, vel per renunciationem, aut actum contrarium non præjudicat toti corpori. Quod quidem rectè exemplificatur in Clerico qui suo privilegio per ejus renunciationem, præjudicare non potest, quia jus proprium est implicatum cum alieno, nempè toto statu atque ordine Clericali per text. *in d. cap. Si diligenti de for. compet.* ubi Doctores. At quando privilegium est personale, ita ut jus unius sit separabile a jure alterius, tunc potest unus renunciare absque alterius præjudicio. Quod notant Milius *in repert. v. possessio seu quasi jur. in corp.* & Coccin. *dec.* 52. *n.* 8. Quando enim jus est separabile, potest uni præjudicari, & non alteri per ea, quæ tradunt Bart. *in l. pen. n.* 3. *sub princ. C. de pact.* Bald. *n.* 4. *opp.* 4. Salicet. *n.* 4. *cas.* 3. Abb. *in d. c. si diligenti n.* 7. *de for. comp.* Seraph. *d.* 970. *n.* 2. Gonzal. *de alter glos.* 45. *§.* 2. *n.* 21. Gratian. *tom.* 3. *discept. for. c.* 420. *n.* 8. & 9. Rota apud Farinac. *dec.* 132. *n.* 4. *to.* 2. *posth.* & in una *Senensi Juris patronatus* 1. Decemb. 1606. coram Lugdunensi.

Atqui privilegium fori, quo gaudet familia Episcopi non 12
est concessum ordini aut statui familiari, sed tantummodò personis. Non enim id reperitur in jure cautum, prout reperitur pro Clericis. Quòd si aliter diceremus, esset planè absurdum, cùm non distingueretur in hoc status & ordo Clericalis a familia laica Episcopi.

Atque hinc concludunt Doctores, quod quando privi- 13
legium concessum est privatæ personæ, tunc unico actu directè ei contrario amittitur. Nam directa contraventio renunciationem inducit. *d. c. Cum accessissent*, Panorm. *ib. n.* 7. *text. in l.* 2. *C. de jur. dom. impetr.* Bart. *in l.* 1. *nu.* 1. *C. de his, qui sponte mun. publ. sub l.* 10. Quando verò concessum est communitati vel Ecclesiæ non perditur privilegium per actum contrarium, nisi longissimo tempore, puta quadraginta annorum spatio præscribatur, text. *in cap. Si de terra*, & *in cap. Accedentibus de privil.* Gloss. magistralis *ib.* Panorm. & Felin. *in d. c. Cum accessissent*. Ratio, quia singulares personæ non possunt per contraventionem renunciare privilegio concesso Ecclesiæ, vel Communitati. Ex quo infertur primò, Prælati factum non nocere privilegio Ecclesiæ concesso. Secundò, privilegium civitati datum non amitti propter contraventionem civium. Quia actus eorum non debet nocere universis. Quod est singulariter notandum Felin. *in d. c. Cum accessissent n.* 28. ubi hoc prolixius explicat, & vide eundem *in c. Cum omnes de constit. num.* 24. ubi de collegiali consensu Canonicorum, & universitatis multa præclarè dicit. Facit ad hoc text. *in d. c. Significasti*, & *in c. Si diligenti*, *§. fin. de for. comp.* & text. *in l. Sancimus*, *C. de pœnis*.

CONSULTATIO CXXIV.

An Clericus offendens suum Principem naturalem, seu temporalem, sit reus læsæ majestatis, possitque ab eo puniri?

DE hac re Doctores valdè dissentiunt apud Carol. de 1
Gras. *effect. Cler.* 1. *nu.* 571. ubi affirmativam ipse tuetur. Sunt qui tenent, quod & Clericus in crimen læsæ Majestatis incurrat, si contra Imperatoris, vel sui Principis temporalis salutem quid machinetur per text. *in cap. ult. vers. ne aliquis tit. de offic.* & *potest. deleg. in* 6. ubi traditur, quod etiam Clericus sit de districtu, & Provincia sui Principis, etiamsi a jurisdictione sæculari sit exemptus. Confert huc item text. *in can. Si quis laicus*, *vers. Episcopus* 22. *q.* 5. ubi cavetur, quod Episcopus, vel alia persona Ecclesiastica, quæ perversè, ac dolosè Regis sui regnum tractaverit, & in mortem Regis aliqua machinatione insidietur, degradatione puniatur.

Atque hanc affirmativam decisionem amplectuntur post alios, quos referunt ac sequuntur Gigas *tr. de crim. læs. majest. rubr. qualiter*, & *a quibus crimen læsæ majest. committ. quæst.* 63. & Decian. *in pr. crim. l.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. Verùm multò plures sunt, qui negant, quos recenset ac sequitur Delbene de Immunitate Ecclesiastica benemeritus in suo egregio, ipsoque ac necessario opere *cap.* 6 *dub.* 4. Atque horum sententiam omninò verò magis consentaneam puto, utpotè quam & ipsa observantia confirmat. Eamque longo stylo examinat. Præpos. *in c. In primis*, *§. de persona* 2. *quæst.* 1. Negativæ autem conclusioni patrocinantibus manum porrigit Pontifex Romanus in *c.* 2. *de for. comp.* ubi decretum, ne Clericus sæculari jurisdictioni sit suppositus. Id, quod etiam Innocentius affirmat *in cap. Significantibus extr. de offic.* & *potest. deleg.* ubi ait, quod Clerici sunt exempti a jurisdictione Imperatoris. Si ergo Clericus Imperatori subjectus non est, certè adversus eum crimen majestatis committere non dicitur. Id, quòd post alios asserit etiam Boer. *in tr. de Seditios. cap.* 6. *n.* 3. Roland. a Val. *conf.* 4. *n.* 4. *vol.* 1. & ex veriori ac magis recepta opinione tenent Glossa magna *in Clem. Pastoralis*, *verbo Nota de sent.* & *re judic.* & alii longo ordine congesti per Julium Chartar. *in disp. pro Eccl. Immun. n.* 337. item Boss. *de cr. læs. maj. n.* 80. *sum. seq. ac de for. comp.*

comp. num. 137. Clar. *in §. Læsæ majestatis, vers. Hinc infertur*, asserens ita in facti contingentia judicasse Senatum Mediolanensem, & *§. fin. qu.* 36. Foller. *in pract. crim. nu.* 95. Decian. *tr. crim. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. Marth. *de jurisd. part.* 4. *cent.* 2. *cas.* 133. *nu.* 4. cum pluribus sequentibus, Rota apud Farinac. *dec.* 241. *vol.* 2. de Franch. *dec.* 440. idem Farinac. *in prax. q.* 8. *n.* 30. *ac de crimine læs. majest. q.* 112. *n.* 131. & Genuens. *in prax. Cur. Archiep. Neap. c.* 72. testans ita fermè decisum fuisse a Clemente VIII. Ratio est perspicua. Quia Clericus non est subditus Principis temporalis.

Majestatis enim crimen est crimen publicum, quo civis Romanus contra Imperatorem, vel populum Romanum, ejusve securitatem dolosè aliquid molitur. Est autem civis Romanus, qui in orbe Romano Imperatori Romanorum mediatè, vel immediatè subditus est, *l. in orbe* 17. ubi Doctores, *ff. de stat. hom. & l. Sed si conditione 6. §. solemus, ff. de hæred. instit.* Hic autem solus, non etiam quilibet peregrinus, id est exteræ nationis civis, qui Imperatori, sive Romano Imperio supposítus non est, crimen majestatis committit, textus est in *d. c. pastoralis, §. rursus* ubi Glos. Imola, & alii Canonistæ, ubi Robertus Siciliæ Rex faciendo confederationes, & conspirationes in offensam Henrici Imperatoris Romani expressè negatur crimen læsæ majestatis commisisse, eò quòd ipsi Imperatori eo modo non subfuerit, ut in eum crimen læsæ majestatis contrahere potuerit.

Hinc communi Interpretum calculo receptum, quod nonnisi subditus crimen majestatis committat, Boer. post alios, quos citat *loco alleg. c.* 6. *nu.* 1. & 3. *Martin.* Lautens. *in tr. de crim. læs. majest. q.* 34. Gig. *ead. rub. q.* 34. & 68. Ludovic. Carer. *in pr. crim. tr. appellationis in criminalib. cas.* 11. *num.* 21. Clar. *lib.* 3. *sent. §. Læsæ majest. crimen. num.* 6. & 7. Gomez *in comment. jur. to.* 3. *c.* 2. *nu.* 10. Farinac. *de judic. & tort. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 51. *n.* 79. & *seq.* Agit ibi de eo, qui non revelat tractatum contra Principem, quod non tenetur, si non sit subditus, Decian. *resp.* 18. *n.* 320. *vol.* 1. & *tr. crim. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 12. & *cap.* 8. *n.* 5. Menoch. *cons.* 99. *num.* 16. 17. 97. & *seq.*

2 Ideòque certum est, cognitionem & punitionem ejusmodi criminis non spectare ad Judicem laicum, sed Ecclesiasticum dumtaxat ex theorica Bart. *in extravag. Ad reprimendum, v. Conditionibus*, Boss. *tr. crim. in tit. de crim. læs. majest. num.* 88. Afflict. *super const. lib.* 1. *rubr.* 43. *const. de person. n.* 6. Lel. Zanch. *de privil. Eccl. privil.* 85. *n.* 10. & prosequuntur alii apud Carol. de Grass. *effect. cler.* 1. *n.* 568. ubi multa congerit, & quos referunt Farinac. *d. q.* 112. *n.* 233. Chartar. *disp. præd. ex n.* 338. *cum. seqq.* ac Delbene *d. c.* 6. qui prolixè ac eruditè sententiam hanc defendunt, respondentque contrariis, ille usque *ad n.* 432. hic per totam dubitationem, exposita opinione dissentientium, quam tuentur Rabard. *de tuen. schism. sect.* 2. *n.* 8. Ramir. *de leg. reg. §.* 17. *n.* 11. *in glos. lit. D.* Hevia *in Cur. Philipp. p.* 3. *§.* 2. *n.* 23. & Cutellus *de prisc. & rec. Eccl. libert. l.* 2. *q.* 20. *per tot.* Atque ita testantur decisum Franc. *dec.* 69. Genuens. *loc. alleg.* & de Toro *v. Clericus*. Unde sub Clemente VIII. in quadam rebellione fuit processum contra Clericos, & Monachos ex delegatione Summi Pontificis per Judicem laicum Clericali charactere insignitum insimul cum Judice Ecclesiastico, ut testatur pariter Tapia *in d. Const. de person. n.* 10. Ricc. *p.* 3. *collect. dec.* 2062. & *in pr. for. Eccl. rer. quotid. resol.* 35. de Ponte *dec.* 9. de Franch. *loc. cit.* Dian. *p.* 1. *resol. mor. tr.* 2. *ref.* 19. & Genuen. *ib.*

3 At enim verò si Clericus, habitu dimisso, crimen læsæ majestatis in suum Principem temporalem committeret, quamvis non sit propriè reus læsæ majestatis, sed proditionis, Clar. *in §. fin. q.* 36. Farinac. *q.* 211. *n.* 61. nihilominus secundùm multos Doctores ipso facto omne privilegium clericale amitteret etiam fori & canonis, etiam nulla monitione præcedente per *c. Perpendimus* 23. *de sent. excom.* & tradunt Boss. *eod. tit. de for. comp. n.* 139. Clar. *loc. cit.* ubi testatur de communi, ac tenet Guidop. *dec.* 401. At rectiùs longè asserendum est, privilegio solùm Canonis privari ex *d. c. Perpendimus*, quod clarissimi quique Canonistæ, ac Theologi docent, præcipuè Coninch. *disp.* 14. *n.* 159. & 160. Laym. *c.* 5. *n.* 3. *§.* 4. Sayr. *cap.* 27. *n.* 8. *lib.* 3. *de censur.* Suar. etiam *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 12. & *seq.* Dian. *tr.* 2. *de Immun. resol.* 23. *to.* 1. Post trinam autem monitionem, si nec habitum resumat, nec ab enormitatibus abstineat, sed incorrigibilis maneat, multi dicunt ipso jure esse privatum privilegio fori; sed alii longè probabilius docent non esse privatum ante degradationem, Laym. *§. Sed quid. num.* 3. Dian. *resol.* 129. *tr.* 2. *p.* 1.

4 Hinc negant reos dicti criminis actualiter degradatos esse tradendos Curiæ sæculari. Ità Præpos. *in c. In primis, §. De persona a num.* 3. *q.* 1. testando *nu.* 16. de communi, a qua tanquam mitiori non sit recedendum in judicando. Quod sequitur Boer. *tr. de seditiosis q.* 6. *post num.* 3. Boss. *de crim. læs. majest. n.* 86. & infra, qui pariter testatur de communi, Diaz. *in prax. crim. canon. c.* 119. juxta novissimam impressionem, id concludens ex Synodo Toletana celebrata anno 693. & alii benè multi, quorum meminit Farinac. *d. q.* 112. *n.* 231. licet contrarium asseverent quamplures ab eodem relati sequenti *n.* 232.

Priori tamen sententiæ inhærendum videtur, nisi talis 5
Clericus priùs fuerit incorrigibilis, sicut antiquioribus figillatim enumeratis disertissimè docet, articulo plenè discusso, Delbene *d. c.* 6. *dub.* 5. *sect.* 1. per totam, repetitque *sect.* 3. *n.* 13. Ac nisi agatur de deprehenso in actu seditionis, ut probat textus expressus *in d. c. Perpendimus*, quem in contrarium ponderavit Cutell. *d. lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 40. & 41. Quò tendit assertio Dec. *d. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 6. dum fatendo veriorem esse dictam opinionem negativam, subdit eam non servari de facto in rebellione notoria.

Admittunt etiam Doctores, consulto Summo Pontifice, posse degradari, ac tradi Curiæ sæculari, ut videre est 6
apud Farinac. *d. q.* 8. *n.* 81. Episcop. Scalens. *de irregul. c.* 14. Felician. *de cens. c.* 14. & Delben. *d. c.* 6. *n.* 17. Sed in hoc moneo esse maturè procedendum, viso processu, singulisque circumstantiis exactè perpensis.

Nullus autem inficiatur, quin possint deponi, & in mo- 7
nasterium detrudi ad perpetuam pœnitentiam ibi peragendam. Quod itidem ex Præposito asserit Farinac. *d. q.* 112. *n.* 231. & 236. Ideòque etiam sint omninò privandi omnibus beneficiis ad tradita per Afflict. *tit. quæ sint regalia n.* 114. quod reasumit Farinac. *d. n.* 236. Et si multi velint ipso facto esse privatos beneficiis, officiis, jurisdictione, jurepatronatus, & aliis juribus Ecclesiasticis, seu juris canonici propter argumentum a crimine hæresis ad crimen læsæ majestatis. Ita enim tenent Rebuf. *in prax. p.* 3. *tit.* 1. *de mod. amit. benef. n.* 32. Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 15. *n.* 72. Barbos. *alleg.* 52. *n.* 233. *de jur. Eccl.* Sed hæc doctrina communiter rejicitur. Quia non sunt ipso facto privati juribus Ecclesiasticis, sed possunt per sententiam privari. Ita Bart. *in extrav. Qui sint rebel. in* 21. Diaz. *in prax c.* 121. *in fin.* Farinac. *q.* 116. *num.* 70. Quæ omnia frequenter sequuta est S. Congregatio Immunitatis.

Et sanè ejusmodi Clericum non in judicio sæculari, sed 8
coram Ordinario Judice Ecclesiastico conveniendum esse firmiter tenendum est ex text. *in cap. At si Clerici de Judic.* & ibi Doctores, latè Jul. Clar. *in pract. crim. d. §. fin. qu. 36. per tot.* Gail. *lib.* 1. *de pac. publ. cap.* 11. *nu.* 7. Quia Princeps laicus ob delictum non habet jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, nisi ratione Regalium, feudorum, & beneficiorum sæcularium per text. *in cap. Nimis de jurejur.* Nam eo casu considerantur ut Principes politici. Qua de re alibi fusè. Idipsum & juri civili consentaneum est. Quia omnes causæ Clericorum tàm civiles, quàm criminales ad Judicem Ecclesiasticum pertinent, adeò ut huic privilegio neque tacitè renunciare possint per text. *in cap. Si diligenti de for. comp. §. Si Clericus de pac. publ. & ejus viol. text. in §. Nos Fridericus, v. Item statuimus de statut. & consuet. & usibus feud.*

Deinde pugnat pro hac sententia textus *in c. Clericum* 9
11. *q.* 1. ubi habetur negocia Clericorum sive criminalia, sive civilia nonnisi apud Judicem Ecclesiasticum ventilanda esse, ut latè probat Alex. *cons.* 8. *vol.* 1. ubi quod laicus quacunque dignitate fulgeat nullo modo possit cognoscere in causa civili ipsius Clerici, & multò minus in criminali. Jurisdictiones enim sunt distinctæ, & Summo Pontifici competit in spiritualibus, Imperatori verò in temporalibus, *c. Cum ad verum d.* 96. Quare Clericos in enormissimo quoque crimine ante degradationem non esse puniendos per Judices laicos, etsi esset læsa majestas humana, diserte tradunt Gigas *tr. de crim. læs. majest. in rubr. Quis de crim. læs. majest. cognosc. poss. num.* 12. Rol. a Vall. *cons.* 4. *n.* 6. *volum.* 1. alique.

Et quamquam Doctores aliqui asserant, quosvis, etiam 10
Clericos lacerantes, vel aliud facientes contra salvam guardiam Principis in ejusdem contemptum puniri per judices laicos, tamen asserente etiam Marth. *de jurisd. p.* 4. *cent.* 2. *cas.* 134 *num.* 4. verior opinio est in contrarium, videlicet, neq; Principem ipsum, neque ejus ministros posse animadvertere in Clericos hujus facinoris reos. Quam opinionem defendunt etiam aliqui Gallorum Jurisperiti, nempè Petr. Jacob. *in tit. de condict. ex leg. instit. de act. §. Quadrupli colum.* 2. Guidopap. *sup. alleg.* cum aliis. Et in facti specie Judices procedentes contra Clericos hoc in casu excommunicationis censura innodari apertè testatur præstantissimus jurisconsultus Guidop. *q.* 77. *n.* 3. dicens, Judices temporales cognitionem violatæ guardiæ suscipientes esse excommunicatos per tex. *in c. pe-*

xult. de Immun. Eccl. & ibi noviſſimus Apoſtillator ſcribit, tales Judices incidere in pœnam *c. Si quis ſuadente* 17. *c.* 4. Jo: Andr. *in c. 2. gl. penult. de for. comp. lib.* 6. de quo vide Uran. *conſ.* 36. *per tot. tom.* 2.

11 Unde non obſtat aſſerta conſuetudo, contra quam multa ſcripſit idem Marth. *caſ.* 63. & *ſeq.* Quia, ut diximus, Clerici ſunt exempti a juriſdictione ſæculari, Innoc. *in c. Significantibus de offic. deleg.* Quia ſunt res ſpirituales, ideòque ſolùm debent conveniri coram Judice Eccleſiaſtico, non ſæculari, ut probant omnes *in d. cap. At ſi Clerici de judic.* Et hoc privilegium conceſſum Clericis a Pontificibus, & Imperatoribus non habuerunt diſpoſitivè, ſed declarativè, ut dixit Gloſs. *in cap. Si Imperator d.* 96. Et antequam emanaſſet, Clerici erant liberi a juriſdictione ſæculari, ideò Conſtitutio Eccleſiaſtica eſt declaratio, non diſpoſitio, *textus in d. cap. ſi Imperator in v. Deus omnipotens voluit Clericos diſcuti a Pontificibus, & non a poteſtatibus ſæcularibus.*

12 Non obſtant argumenta, & authoritates, quæ in contrarium adduci poſſunt. Quia, ut inſinuavimus, procedunt duntaxat quando Eccleſiaſtici ratione Regalium, & feudorum, & ſic magis reſpectu beneficiorum ſæcularium, quàm ſuarum perſonarum intuitu, ſortiuntur forum ſæculare. Gail. *de pac. public. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. & notant etiam Canoniſtæ. *in cap. Romana, §. debet de appel. nu.* 6. Franch. *numer.* 2. & *in cap. Cæterùm de judic.* Gloſ. *in cap. Solita v. ſuſcipiunt de major. & obed.* Caſtr. *in l. Si quando, C. de appel. num.* 2. Bart. *ibid. num.* 3. idem præclarè *in l.* 1. *§. Si quis num.* 14. *ff. eod. tit.*

13 Quæ ita etiam dicta velim, ut Clericus feudatarius non poſſit ratione læſæ majeſtatis perſonaliter diſtringi. Quia dominus feudi non habet in Clericum vaſallum ratione cujuſcunque delicti perſonalem diſtrictionem, ſed ſolùm realem juxta veram ſententiam, quam docent Jo: Andr. Barbat. Bald. Gemin. & alii apud Delben. *de Immun. d. cap.* 6. *dub.* 4. *n.* 24. & *ſeq.* licet Abbas. probabiliorem ac tutiorem appellet. Vide Delben. *loc. cit.* ubi plura in hanc rem inſigniter tractat, exemplíſque confirmat *a num.* 9.

14 Ac propterea Ægydius de Mandalb. antiquus & accuratus Doctor in ſua diſputatione, quæ reperitur inter diſputationes Pauli de Leazar, reſpondendo ad Bart. *in l. Non videtur de judic.* firmat, quod Clericis coram Judice ſæculari non eſt licita comparitio, nec poſſibilis prorogatio per *c. ſi diligenti de for. comp.* Idem in Regno Neapolitano tenet expreſsè Andr. de Iſern. *in Conſtit. de perſ. ſub. rubr. ubi Clerici in maleficiis conveniri debeant*, quo loco inquit, fuiſſe conventum inter Romanam Eccleſiam & Regem Regni in Inveſtitura, quod Rex nullam in aliquo caſu habeat juriſdictionem in Clericos, niſi ratione feudi. Et ita de hac conventione loquitur ſpecialis Conſtitutio Regni: *Item ſtatuimus, quod Clerici non trahantur ad Judices ſæculares, niſi pro bonis feudalibus.* Intellige modo explicato, nimirum non per diſtrictionem perſonalem, ſed ſolùm realem. Quade re Afflict. *in d. Conſt. de perſonis, & in Conſt. Juſtitiarius num.* 32. & habetur *in c. Papæ Honorii*, quod incipit. *Item quod Clerici*. Non obſtante eadem Conſtitutione de perſonis, qua cavetur, quod ſi Clericus commiſerit aliquod delictum debet judicari, & condemnari per ſuum Epiſcopum, & non per Judicem ſæcularem, excepto, ſi commiſerit crimen proditionis contra Regem, vel aliud magnum crimen, & ibi Gloſſa dicit, ſi eſſet crimen læſæ majeſtatis. Quoniam Princeps nullam juriſdictionem habet in perſonas Eccleſiaſticas, & ideò non poteſt condere legem, quod Clerici committentes crimen læſæ majeſtatis ſint ſub juriſdictione Judicis laici, ut concludit Bald. *in c. Si Clericus de pac. tuend.* Quare dicta Conſtitutio non habet vim in Clericos, ut ibi dicit Andr. de Iſernia, & Afflictus. Atque ita fuit judicatum per Judices laicos in caſu propoſito anno 1600. ſcilicet nullam eis competere facultatem cognoſcendi contra Clericum committentem in ſuum Principem temporalem crimen læſæ majeſtatis. Idem dicendum de Clericis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis quomodolibet exemptis tàm ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti, &c. qui, vel quæ aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint, ut ex Conſt. Urbani VIII. incip. *in ſuprema*, idib. Novemb. 1627. Ubi etiam vult, quod culpabiles in præmiſſis reperti, prævia degradatione, Curiæ ſæculari puniendi tradantur. Pecunias verò ſic, ut præfertur adulteratas, ſcienter detinentibus ſeu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſive opera ad præmiſſa præſtantibus, pœnam triremium per decennium impoſuit, & cognitionem cauſarum hujuſmodi quoad perſonas Eccleſiaſticas præfatas tàm ſæculares, quàm regulares in Provinciis Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ ſubjectis ad S. R. E. Cardinales in ditione Eccleſiaſtica mediatè, vel immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecta de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore exiſtentes, in aliis verò omnibus, & ſingulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis tàm ſub dictæ Sedis, quàm cujuſvis alterius Principis ditione in Italia tantùm comprehenſis, privativè quoad omnes, etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum ſpectare etiam voluit. Quare non eſt ampliùs hac de re diſputandum. Hujuſmodique cauſæ cognitionem ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum, non autem ad laicum, fatentur ingenuè Franch. *dec.* 691. *n.* 7. Boſſ. *de for. comp. n.* 134. Clar. *q.* 36. *n.* 20. qui aſſerit hanc eſſe communem opinionem, & ſequitur de Graſ. *d. eff.* 1. *n.* 345. & 576.

Et hæc omnia contra Calliſtum Ramirez, Cutellium, & quamplures alios dicta ſunto.

CONSULTATIO CXXV.

An Regulares, præſertim Ordinis Prædicatorum teneantur ad refectionem viarum?

NEgativè. Ab hujuſmodi enim onere ex diſpoſitione 1
juris communis penitus ſunt exempti, Gloſ. *in cap. Generaliter, v. Collationibus* 16. *q.* 1. Eſtque communis Doctorum, in primis Jo: Andr. *in c. Non minus num.* 14. *de Immun. Eccl.* Bart. *in l. Ad inſtructionem num.* 3. *C. de ſacroſ. Eccl.* Abb. *conſ.* 3. *n.* 1. & 2. Everard. *conſ.* 42. *per tot. lib.* 1. Paul. de Caſtr. *conſil.* 423. *n.* 2. *vol.* 2. Borel. *conſ.* 74. *n.* 45. *lib.* 1. Alvar. *in ſpecul. Rom. Pontif. c.* 35. Lopez *de Immun. Eccl. q.* 4. *nu.* 3. *in fin.* Canophil. *de privil. Eccl. tit. de Immun. Eccl. privil.* 11. Quo ſpectant textus *in d. c. Non minus*, ubi de foſſatis, quæ civitatis cuſtodiam & publicam concernunt utilitatem, ac reſolutio S. Congregationis Concilii in una *Ferrarien.* 11. Auguſti 1631. proponente Cardinali Cæſio.

Non obſtat textus *in d. l. Ad inſtructionem*. Nam ut ali- 2
bi animadvertimus, fuit correctus nedum a jure canonico, ſed etiam a civili, *ut in auth. Item nulla communitas, C. de Epiſc. & Cler.* & nominatim obſervat Paul. de Caſtr. *d. conſ.* 423. *n.* 2. Bero. *conſ.* 31. *n.* 21. & *ſeq. volum.* 1. Borel. *d. conſ.* 74. *n.* 46.

Quæ ſententia eò faciliùs tenenda eſt, cùm Regula- 3
res nedum de jure communi, ſed etiam ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſint omninò exempti, ut conſtat præcipuè ex Conſtitutione 11. Pii V. *ſub §.* 1. pro Prædicatoribus, ibi: *Propontibus, viis, aquæductibus, muris ſtruendis, & reparandis, ſeu reficiendis.* Quæ Conſtitutio perpetuam, & inviolabilem obſervantiam ſub graviſſimis pœnis injungit *ſub §.* 6. Cùmque ſit munita, clauſula ſublata, & decreto irritante *ex §.* 7. omnia in contrarium geſta radicitus inficit, ut firmat Rot. *dec.* 61. *nu.* 6. & *ſeqq. p.* 6. *rec.* Idem ſentiunt Balzeran. *in c.* 1. *§. Illicitas, nu.* 9. *de pac. ten. in uſib. feu.* Graſſ. *de effect. Cler. eff.* 3. *nu.* 226. & cenſuit S. Congregatio Concilii in *Aſculana* ſub die 11. Februarii 1648.

Quodque magis urget cùm agatur de gravanda Ec- 4
cleſia pro reficienda via, quæ circum ipſam Eccleſiam poſita eſt, ad quam nullatenus eſt adſtringenda, cùm Eccleſia ſit Deo conſecrata, & in nullius ſit bonis, ut in puncto tradit Jacob, Butrigar. *in d. l. Ad inſtructionem in fin.* & ibidem Bald. *n.* 1. confirmatq; plenè Turrecrem. *in c. Si tributum n.* 1. 11. *q.* 1. Everar. *d. conſ.* 42. *nu.* 50. & reſolvit Rot. *dec.* 339. *n.* 40. *p.* 6. *rec.*

Præſertim verò, ſi hujuſmodi via fuerit ipſius Civi- 5
tatis facto devaſtata & per ipſam ad hunc ſtatum redacta. Quo caſu perperam Civitas prætenderet Eccleſiam gravare, dum ipſamet Civitas fuit cauſa hujuſmodi damni, ad quod ipſa, etiam aliis quibuſcunque rationibus circumſcriptis, tenetur. Ita Menoch. *conſ.* 1188. *n.* 15. & *conſ.* 1194. *nu.* 33. Adeò quidem ut iniquam hujuſmodi prætenſionem appellet. *conſ.* 244. *n.* 66. *lib.* 3.

Quæ ſanè fortiora redduntur ex antiquiſſima præſcri- 6
ptione intra cujus tempus nihil unquam pro refectione viarum Regulares perſolverunt, Borel. *d. conſ.* 74: Bartol. *conſ.* 59. *n.* 7. *lib.* 1. Corn. *conſ.* 268. *ſub nu.* 21. *vol* 4. Bertazol. *conſ. civil.* 71. *num.* 66. *lib.* 1. Rimin. Sen. *conſ.* 307. *n.* 10. *lib.* 2. & pulchrè confirmant Pancirol. *conſ.* 157. *nu.* 7. & *conſ.* 158. *n.* 7. Rimin. jun. *conſ.* 198. *n.* 1. *lib.* 2 Bero. *conſ.* 146. *n.* 1. Alciat. *conſ.* 12. *num.* 12. *l.* 4. Cephal. *conſ.* 129. *n.* 2. & 4. *in fin. lib.* 1. & *conſ.* 628. *n.* 5. *lib.* 5. Surd. *conſ.* 239. *num.* 14. *l.* 2. ut etiam fatetur Menoch. *conſ.* 1042. *n.* 12. *l.* 11. Anchar. *q.* 50. *n.* 1. & *ſeqq. lib.* 2. Grammat. *dec.* 100. *n.* 21. & 24. Theſaur. *dec.* 239. *n.* 3. Becher. *dec. ſeu diſſert. jur. l.* 1. *diſſert.* 13. *n.* 10. aliique innumeri.

CON-

CONSULTATIO CXXVI.

An Ecclesiastici participare debeant de bonis Communitatis, de quibus participant alii cives oriundi?

1 AFfirmativè resolvendum est. Etenim verè & priè sunt cives, ut concludit Oldr. *cons.* 32. ubi per totum copiosè firmat, Ecclesiasticos esse cives, & de Universitate, infertque Ecclesiasticis deberi jus pascendi in bonis Universitatis, sicuti debetur aliis civibus laicis. Idem asserunt Alberic. *in l.* 1. *sub num.* 7. *ff. Quod cujusque univers. nom.* Boer. *dec.* 260. *num.* 21. Bertram. *cons.* 92. *per tot. lib.* 3. Surd. *cons.* 65. *n.* 6. Mart. *de jurisd. p.* 4. *cas.* 8. *num.* 3. Mastril. *dec.* 49. *n.* 1. *& seqq. ex c. Nullus de temp. ordin. & l. Assumptio, ff. de municip. ac l. Cives, C. de incol.*

2 Ratio est manifesta. Nam ubi dividuntur bona Universitatis, vel Castri assignari debet portio unicuique de Universitate vel Castro, *l. de modo, ubi Gloss. v. Arbitri, ff. fin. regund.* Amanell. *singul.* 255. Calcan. *cons.* 45. *n.* 1. ubi subjungit, iis, quibus debetur portio herbarum in pascuis, deberi etiam portionem quando ad culturam reducuntur. Quia fructus ejusdem rei eodem jure censeri debent: Sed Ecclesiastici sunt de Universitate, & non desinunt esse cives propter ordinem Clericalem, & participant de pascuis Universitatis ex Doctoribus adductis. Ideòque debent participare etiam de usu agrorum, quando ad culturam civibus conceduntur.

3 Quod autem sint cives, & propter ordinem clericalem non desinant esse tales quoad privilegia, & favores, licet secùs quoad onera ultra Oldradum, & præcitatos tradunt etiam Bald. *in usib. feud. tit de milit. qui arm. bellic. depon. n.* 5. ubi etiam Præpos. *n.* 2. *ante fin.* Alvarot. *nu.* 12. Afflict. *n.* 4. repetitque idem Bald. *cons.* 241. *lib.* 3. Lap. *allegat.* 201. *n.* 6. & 7. ibique Add. Anchar. *in c. Ea, quæ n.* 25. *post princip. de reg. jur. in* 6. ubi singillatim refert rationes Oldradi. Idem Anchar. *cons.* 341. *n.* 1. Roman. *cons.* 180. *num.* 2. & eo loco Add. Assentitur Castr. *cons.* 292. *num.* 3. *lib.* 1. *& in l. omnes populi n.* 8. *ff. de just. & jur.* Alex. *cons.* 41. *n.* 4. *lib.* 7. Felin. *in c. Ecclesia S. Mariæ n.* 69. *de const.* ubi de communi, teneteque Franc. Marc. *dec.* 456. *num.* 9. *p.* 1. Cassan. *ad consuet. Burgund. rubr.* 13. *§.* 5. *in princ. n.* 3. *& seqq.* Natt. *cons.* 157. *num.* 7. Carol. de Graff. *de effect. Cleric. in prælud. n.* 368. Genuen. *in prax. c.* 41. *n.* 3. *& seq.* ubi etiam de communi, & resolvit Rota *dec.* 452. *num.* 2. *p.* 1. *divers.*

4 Non obstat, quod Clerici onera gabellarum non subeant. Quia propter hoc non desinunt esse cives & pars universitatis, cùm & Decuriones, Senatores, & alii privilegiati in multis sint exempti, & tamen negari non potest, quin sint cives, ut inquit Oldrad. *d. cons.* 32. *nu.* 1. *& seq.* quem sequuntur Alberic. & Bertram. *loc. sup. cit.* & notant Bart. *in l.* 1. *n.* 11. *ff. ad municip.* Anchar. *cons.* 341. *n.* 1. Castr. *cons.* 63. *n.* 3. *lib.* 1. *& in d. l. Omnes populi n.* 8. *ff. de just. & jur.* Alex. *cons.* 41. *n.* 4. *lib.* 7. ubi addit, quod aliàs privilegium exemptionis, datum in favorem Clericatus, redundaret in odium. Et proindè non esse excludendum civem propter honorem & dignitatem, firmat Genuens. *d. c.* 41. *n.* 4.

5 Præterea non subsistit, quod Clerici non sustineant onera Universitatis. Quia licet ex privilegio sint exempti ab oneribus temporalibus, tamen sustinent spiritualia, orando pro populo, & inserviendo Ecclesiis, ceu ponderavit Anchar. *cons.* 61. *n.* 2. Castr. *cons.* 157. *num.* 1. *lib.* 2. Dec. *cons.* 114. *n.* 1. Add. ad Alex. *d. cons.* 41. *lib.* 7. Cephal. *cons.* 54. *n.* 10. *& seqq.* Genuen. *d. c.* 41: *n.* 4. *in fin.* Carol. de Graff. *effect.* 2. *n.* 363. *& seqq.* qui plures congessit.

6 Minus refragatur prætensa consuetudo non admittendi Clericos. Quia non subsistit, nec probari poterit, quod Clerici ante quadraginta annos, institerint pro admissione, & tamen fuerint excluſi. Requiritur enim cursus quadraginta annorum ad inducendam consuetudinem contra jus, ut per Card. Mantic. *dec.* 51. *n.* 3. Et cum simus in actu negativo non sufficit aliter factum esse, sed requiritur, ut institerint pro admissione, & tamen fuerint excluſi, & acquieverint; nec ante expressam instantiam potest currere aliquod tempus pro consuetudine, ut benè advertunt Cravet. *cons.* 154. *n.* 2. Surd. *cons.* 127. *num.* 81. *& seqq.* Rot. *dec.* 411. *n.* 7. *p.* 1. *div.* & coram Caval. *dec.* 77. *nu.* 6. Sic in simili consuetudo, quod Ecclesia cogatur renovare emphyteusim, non inducitur ex continuatis renovationibus, sed probari debet Ecclesiam voluisse pro se retinere, & tamen coactam fuisse renovare. Rota coram Mantica *dec.* 10. *n.* 10. *& seqq.* & coram Greg. XV. *dec.* 45. *n.* 4. *& seq.* Ea ratione, quia consuetudo debet probari in casu speciali cum omnibus qualitatibus, & per consequens quando fuit petitum, & nihil obtentum.

7 Ulteriùs hæc consuetudo esset laicorum contra Ecclesiasticos, atque adeò non est attendenda, immò reprobatur. Quia sicuti laici prohibentur statuere contra Clericos, ita etiam nequeunt inducere consuetudinem, Glos. *in c. Masana* 56. *v. Consuetudine de elect.* Bart. *in auth. hoc jus porrectum n.* 18. *C. de sacrof. Eccl.* Alex. *cons.* 149. *n.* 10. *lib.* 6. Bero. *cons.* 31. *n.* 17. *lib.* 1. Alciat. *cons.* 3. *n.* 3. *l.* 7. ubi de communi Surd. *cons.* 396. *n.* 33. Rot. *dec.* 3. *n.* 4. *de consuet. in antiq.* Et generaliter quod in casibus, in quibus non possunt populi statuere, pariter non possint consuetudinem inducere, tenuerunt Surd. *cons.* 460. *num.* 33. *& seqq.* aliique cumulati per Rot. *dec.* 479. *n.* 3. *p.* 3. *rec. & in Narnien. successionis* 22. Maji 1628. coram Merlino.

8 Demum ista exclusio Clericorum videtur retrahere homines a Clericatu. Pauperes enim, qui Clericatum appeterent, ab eo se abstinebunt, ne amittant ratam usufructus rerum communium. Et ideò hujusmodi solitum dividendi subsistere nequit, cum improbentur similes dispositiones, quæ præstant occasionem retrahendi a Clericatu, *l. Deo nobis* 44. *C. de Episc. & Cler.* ubi Bald. *in* 2. *not ab.* & Castr. *n* 4. Alex. *cons.* 139. *num.* 13. *ad med. lib.* 2. Soc. *cons* 241. *num.* 3. *post. med. lib.* 2. latè Roland. *cons.* 35. *num.* 26. *& seqq. lib.* 3.

9 Atque ita censuit S. Congregatio Immunitatis præcipuè in una Nucerina die 17. Martii 1631. Et hanc sententiam novissimè defensam Auditoribus suis sæpè tradidit D. Joseph Palamolla Canonistarum ex primo primus, cùm in Archigymnasio Romano materiam de Constitutionibus publicè interpretaretur. Cujus quidem viri doctrinam præter animi candorem, & humanitatem cum audivi libenter, tum etiam prudentiam ejus in sententiæ dictione sic amplector, ut planè admirer.

CONSULTATIO CXXVII.

An ligare in Ecclesia compedibus vel manicis ferreis confugientem ad illam sit contra Immunitatem Ecclesiasticam?

1 REspondendum est. Officialem laicum, qui propria authoritate in Ecclesia ligare facit compedibus, vel manicis ferreis confugientem ad illam, incidere in censuras per Constitutionem Gregorii XIV. inflictas, ut aliàs maturè censuit S. Congregatio Immunitatis in una *Theatina* die 11. Augusti 1626. in qua tamen ob atrocitatem delicti decrevit obtineri debere a sanctissimo facultatem directam Archiepiscopo absolvendi ministros laicos, qui confugientem ligare fecerant, & dicta resolutio fuit præcipuè habita ex sententia Cardinalis Bandini, qui intervenit compositioni ejusdem Constitutionis, fuitque illius compilator, cui propterea plurimum deferendum est.

2 Hæc autem opinio potissimum fundatur in ipsamet Constitutione, dum in illa prohibetur nedum extractio ab Ecclesia, sed etiam captura, & carceratio in ipsa. Ita enim in ea legitur: *capere, extrahere, aut carcerare non possint, nisi in eo casu, &c.* Siquidem ligare compedibus vel manicis ferreis est plusquam capere, & species durioris carceris, *§. Propter*, ubi Glos. *v. capere, & v. manicis de hæret.* cum concordantibus. Et hoc casu confugiens non remanet in ea libertate, in qua erat statim atque ad Ecclesiam confugit, & in qua privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ conservari debet, ut liberè & ad sui libitum possit exire ac recedere. Quod si aliter diceremus dispositio ejusdem Constitutionis & Immunitatis Ecclesiasticæ redderetur ferè cassa atque eluſoria. Et hac de causa S. Congregatio censuit, eos in censuras d. Constitutionis incurrere, qui aufugientes ad Ecclesiam occidunt, etiamsi non extrahant, idque præsertim ex Farinacio, & aliis in una Cremonen. die 17. Augusti 1629. Idipsum deduci potest ex *c. Definierit* 17. *cap.* 4. *& ex l. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug.* & tenent ii, quos refert, & sequitur Covar. 2. *var. resol. c.* 20. *n.* 17. malè addens cum ipsis contrarium moribus receptum esse, & permitti posse, ubi ambiguum sit, an debeat delinquens gaudere Immunitate Ecclesiæ, modo vincula ab utroque Judice, scilicet Ecclesiastico, & sæculari, injiciantur. Hanc etiam tenet Perez. *in prax. l.* 5. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 4. & habetur *l.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. Clar. *lib.* 5. *recept. §. fin. q.* 30.

3 Comprobatur. Quia sub dispositione ejusdem Constitutionis prohibita censetur facultas tàm perquirendi confugientem ad Ecclesiam, ut firmat Parin. *in tr. de Immun. num.* 327. post Franchum, Martham & alios, quàm custodiam eidem confugienti apponere, ut post alios firmat Ambrosinus super *d. Const. Immun. cap.* 11. *num. fin.* ac sæpiùs censuit eadem S. Congregatio, præsertim in illa Neapolitana de Sanfelice sub die 26. Septembris, & 9. Novembris 1626. quæ fuit diu agitata, & tandem supe-

ſuperata cum effectu ſubſequuto, adeò ut Curia ſæcularis nec obtinere potuerit, ut nomine Curiæ Eccleſiaſticæ vel longè ab Eccleſia cuſtodiæ retinerentur, non obſtante prætenſa gravitate delicti. Ita enim jubetur in *d. l. Præſenti*, *C. de his, qui ad Eccl. confug. & d. l.* 2. *tit.* 11. *p.* 1. ubi Lopez, traditque Hoſtienſis, Montalvus, Panormitanus, Guido, & Joannes Igneus, quos ſequitur Covar. *d. n.* 17. dicens, eſſe communem, & ſic obſidere, eſſe immunitatem Eccleſiæ omninò violare. Idem aſſerunt Perez *lib.* 1. *ord. tit.* 20. *l.* 2. Armil. *v. Immunitas nu.* 16. Angel. *eod. v. n.* 21. D. Antonin. *3. p. tit.* 12. *c.* 3. *§.* 3. Sylveſt. *v. Immunitas* 3. *q.* 8. & alii communiter contra Paz. *ubi ſup. n* 6. qui perperam id limitat quando dubium eſſet, an gaudeat, inquiens, tunc poſſe poni cuſtodes, ne delinquens inde exeat, donec cauſa decidatur, dummodo victus, aut requies ei non denegetur. Immò Lopez *d. l.* 2. *verſ. Cercarlo* effutivit, quod etiam quando conſtat gaudere, poſſint poni extra Eccleſiam cuſtodes, ut, ſi inde exeat, capiatur. Quod quidem abhorret a jure, & ab exemplo. Atque ita etiam in una *Cotronen.* die 17. Maji 1631. reſolvit S. Congregatio Immunitatis, ubi quoque reſolvit ligare in Eccleſia confugientem ad ipſam, eſſe contra Immunitatem Eccleſiaſticam.

CONSULTATIO CXXVIII.

An Epiſcopus in materia Immunitatis Eccleſiaſticæ ſuper prætenſo delicto a Conſtitutione Gregoriana excepto, teneatur ſtare proceſſui Curiæ ſæcularis? Sive quod idem eſt,

An Epiſcopus poſſit ex proceſſibus confectis in Curia ſæculari ante extractionem rei ab Eccleſia cognoſcere, num ille gaudere debeat beneficio Immunitatis, vel ne, ſeu præcisè teneatur novum proceſſum conficere? Et,

An proceſſus Eccleſiaſtici ſuper extractione conſignari debeant Judicibus laicis? ubi de pœna extraordinaria extractorum,

1 FArinacius *conſ.* 76. *ſuper* 1. *dub. n.* 1. *& ſ.* 2. *vol.* 1. aſſerit, quod Epiſcopus nullo modo poſſit ſtare proceſſui facto per Judicem ſæcularem, ſed quod debeat ſuper aſſerto delicto probationes admittere coram ſe. Quod latiùs probarunt tres Conſulentes ab eo relati *conſ.* 168. *in* 2. *art. ex num* 26. *vol.* 2. Marius Ital. *eod. tract. lib.* 1. *c.* 6. *§.* 1. *ſub num.* 79. Diana obiter quidem *p.* 4. *tr.* 1. *reſol.* 112. *in fin.* plenè autem *p.* 5. *tr.* 1. *reſol.* 31. concludendo, id procedere de ſtricto jure perpenſis verbis Conſtitutionis Gregorianæ. Idque ipſum docent Riccius. *collect.* 1792. Bellet. *diſq. Cler. tit. de jav. Cler. real. §.* 4. *num.* 51. Pax Jord. *var. lucubr. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 298. Anſald. *de juriſd. p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 16. *num.* 3. aliique copiosè relati a Thom. Delbene *de Immun. tom.* 2. *cap.* 19. *dub.* 43. *ſect.* 1. *num.* 1. Rejecta opinione dicentium, quod Epiſcopus teneatur ſtare proceſſui Judicis laici per literas Clementis VIII. in forma Brevis, relatas a Genuenſi *in prax. Cur. Archiep. Neap. cap.* 94. quamque tenent Giurb. *conſ.* 50. *num.* 2. & 3. *ac conſ.* 100. *num.* 28. Gratian. *diſcept.* 196. *num.* 22. & Novar. *in ſum. Bullar. to.* 1. *tit. de Immun. Eccl. n.* 87.

2 Cæterùm, quanquam ferè omnes admittant, Epiſcopum non teneri præcisè ſtare proceſſui confecto per Curiam ſæcularem, complures tamen quærentes, an illi ſtare poſſit, diſtinguunt inter proceſſum formatum a Curia ſæculari ante vel poſt confugium rei ad Eccleſiam, aſſerentes minimè ſtandum eſſe proceſſui laicali formato, vel perfecto eo tempore, quo verè, aut veriſimiliter poterat eſſe controverſia ſuper delicto, an eſſet, vel ne de caſibus exceptis in Gregoriana ob ſuſpicionem vigentem eo caſu adverſus Curiam ſæcularem, quæ de propria juriſdictione contendit, ſicque reputatur incompetens, etiam ratione proprii intereſſe, ut inquiunt Farinac. *d. conſ.* 76. *num.* 1. *& in Append. cap.* 22. *num.* 375. Maur. Burgius *de mod. proced. ex abrupt. p.* 1. *qu.* 65. *n.* 52. Guazzin. *defenſ.* 24. *c.* 9. *num.* 29. Caſtropal. *tom.* 2. *tr.* 11. *diſp. un. punct.* 13. Ciarlin. *controv. forenſ. lib.* 1. *c.* 10. *num.* 51. Primus conſulens apud Dianam *d. p.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 31. Bonac. *tom.* 3. *cenſur. diſp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. *§.* 12. *num.* 88. Th. Delben. *d. cap.* 16. *dub.* 43. *ſect.* 1. *n.* 7. Pax Jord. *ubi ſup. nu.* 301. & alii.

3 Neque hoc reſpuiſſe videtur Giurba *d. conſ.* 50. *num.* 4. *& 5.* Novar. *loco allegato num.* 87. dum inquiunt, aſſertionem Riccii in fine dictæ collectaneæ, quod Epiſcopus nullo pacto debeat ſtare proceſſui Judicis ſæcularis, procedere, quando contra teſtes examinatos a Fiſco laico urget ſuſpicio, ſeu aliter Epiſcopus eſſet dubius, adduntque, eo caſu non teneri totaliter ſtare proceſſui ſæculari, ſed poſſe majorem aliquam diligentiam adhibere curando diligentiùs examinari teſtes prædictos, atque etiam alios pro informatione ſuæ conſcientiæ, quorum verba repetit Thom. Delben. eo loco *num.* 6.

Quod verò ad proceſſum fabricatum ante confugium 4
tempore, quo nulla eſſet controverſia inter Curiam Eccleſiaſticam & ſæcularem, dicunt, Epiſcopum poſſe illi, ſtare. Quia non modicam veritatis fidem facit. Ita Farinac. *de Immun. cap.* 22. *num.* 375. Bonac. *d. diſp.* 2. *qu.* 3. *pun* 1. *§.* 12. *num.* 9. Caſtropal. *eod. tract.* 11. *diſp. un. punct.* 13. *nu.* 9. Thom. Delben. *ibid. n.* 7. admonens Epiſcopum, ut hoc advertat Lezan. *tom.* 3. *ſumm. qq. regul. verb. Immunitas n.* 28. Pax Jord. *d. lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 300. M. Angel. Donat. *de Aſyl. reſol.* 187. *num.* 10. Idemque aſſerit primus Conſulens apud Dianam *d. p.* 6. *tr.* 1. *reſ.* 31. motus ex clauſulis expreſſis a Clemente VIII. in præaſſerto Brevi, ut Epiſcopus ſummariè, ſimpliciter, & extrajudicialiter, & quantum pro conſcientiæ informatione ſufficere videretur, delicti veritatem inquireret. Ait enim dictas probationes extrajudiciales ſumere poſſe ex proceſſu Judicis laici. Quia in eo contentæ inſtar extrajudicialium ſunt inforo Eccleſiaſtico. Subdens, & meritò id facit ſi ex perſonarum gravitate ac dignitate fides videatur teſtibus adhibenda; aut ſi ex tempore exceptarum probationum ſuſpicio tolli videatur, veluti ſi talis proceſſus fuerit confectus nondum orta controverſia, cui multum tribui poteſt, ſecùs dicens in parato poſt litem.

Verùm alter Conſulens ibid. *ſub §. Quamobrem*, non 5
ſolùm amplexus eſt præfatam diſtinctionem inter proceſſum formatum ante & poſt confugium, ſed ampliùs in confecto priuſquam reus confugerit ad Eccleſiam, exigit, quod contineat ſententiam condemnatoriam ipſius rei, vel ſaltem, quod teſtes in eo examinati, probantes delictum exceptum in Gregoriana, fuerint repetiti vel aliàs ab ipſo reo habiti pro repetitis, improbato ſuper hoc dicto Guazzini *defenſ.* 1. *c.* 30. quod refert Giurba, ut ſufficiant teſtes deponentes ſuper crimine, licèt non ſint repetiti, cùm ratio Guazzini, quod in criminibus exceptis probent teſtes examinati, etſi non citata parte, maximam difficultatem patiatur, pluribus quippè aſſerentibus etiam in illis citationem requiri. Immò Ciarlinus *contr. for. d lib.* 1. *c.* 10. *num.* 51. *in fin.* ad hujuſmodi effectum vult, quod proceſſus a Curia ſæculari fabricatus antequam reus confugiſſet ad Eccleſiam, non ſit factus in contumaciam, quia tunc licet poſſit aliquam fidem ac indicium facere in foro Eccleſiaſtico, non tamen illud eſſe inquit indubitatum, & ſufficiens ad remiſſionem rei ex traditis a Guidopap. *dec.* 201. *num.* 6. Genuen. *in pract. Archiep. c.* 6. *n.* 3. & Gratian. *diſcept.* 619. *num.* 9. Ideòque ſuperiùs dicta de proceſſu formato ante confugium dumtaxat admittit, quando lis fuerit conteſtata cum reo, ipſeque erat confeſſus, vel convictus, aut condemnatus de tali delicto; poſtea verò fugiens è carcere ſe recipit in Eccleſiam. Quoniam ſi de novo contingat in foro Eccleſiæ dubitari, an delictum ab eo commiſſum ſit de exceptis, tunc proceſſus laicalis exhibitus in actis Eccleſiæ non modicam fidem faciet, & pauliſper adminiculatus ſufficiet, ſubdens in hiſce terminis intelligendum eſſe Gamam *dec. Luſit.* 179. *num.* 1. *& 2. ac dec.* 281. *num.* 1. quare *num.* 53. concludit melius eſſe teſtes proceſſus laicalis repetere in foro Eccleſiaſtico, atque ita de ſtylo practicari.

Ac hujuſmodi ſenſus fuiſſe videntur etiam tres illi Con- 6
ſulentes apud Farinacium *d. conſ.* 168. *num.* 30. dum conſiderantes controverſiam Immunitatis, ut plurimum contingere antequam rei conjiciantur in carcerem, atque ita Judices laici proceſſu adhuc imperfecto negant ei ſtandum eſe. Tum quia probationes receptæ ſunt abſque citatione contra textum *in cap.* 2. *de teſtib.* Tum quia acta nondum publicata ſunt, quæ propterea non probant in alio judicio etiam inter alias perſonas, *l. geſta*, ubi Jacob. de Aren. *n.* 2. *C. de re judic.* Bart. *in l.* 2. *n.* 5. & Jaſ. *n.* 20. *ff. judic. ſol.* Felin. *in c. Cauſam quæ il* 1. *num.* 14. *de teſtib.* Alex. *conſ.* 82. *nu.* 23. *vol.* 3. dicentes communem.

In hac igitur gravi ac frequenti controverſia nos, miſ- 7
ſis ambagibus, atque tricis, aſſerimus: Epiſcopus ſuper pretenſo delicto contra eum, qui confugit ad Eccleſiam non tenetur ſtare proceſſui exhibito per Judicem ſæcularem. Quod in terminis Conſtitutionis Gregorianæ certum omninò eſt, & abſolutè ſequendum abſque diſtinctione ulla de proceſſu facto ante confugium, vel poſt confugium.

Primùm, quia apertè mandat Summus Pontifex Gre- 8
gorius XIV. dum dicit: *Curiæque ſæculari nec conſignari nec tradi poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſerint.*

Deinde, quia regula eſt, quod Judex Eccleſiaſticus non 9
teneatur ſtare proceſſui facto per Judicem ſæcularem, ut docent Grammaticus, Clarus, ubi de communi, Ambroſinus.

sinus. Farinacius, quos citat, & sequitur Peregrinus *de Immun. c. 3. num. 2.* Scortia, Diana, Marius Italia, Ciarlinus, Trullench, Guazzinus, Riccius, Bellettus, Vulpius, Lezana, Naldus & Bonacina, quos adducit ac sequatur Delbene *de Immun c. 16. dub. 43. num. 1.* quibus addo Panormitan. *in c. Et si Clerici de judic.* & Butr. *c. 1. de oblig. ad ratioc.* Nam acta unius judicii non probant in altero. Forum autem sæculare respicit reum puniendum, Ecclesiasticum verò Immunitatem Ecclesiæ deferendam.

10 Postremò quia cognitio hujus articuli per eandem Constitutionem specialiter demandatur Episcopo, ut liquet ex illis verbis: *Nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, &c.* Cui autem demandatur cognitio alicujus causæ, etiam censetur demandata potestas sumendi probationes super illa causa. Constat *ex cap. Præterea de offic. Deleg.* & ibi etiam Glos. *verb. Delegatus*, suffraganturque leges civiles, nempè *l. Ubi* cum Glos. *Cod. ad l. Corn. de falsi.* & confirmant plenè Ambrosinus, Peregrinus, Farinacius, aliique prælegati. Igitur Episcopus potest recipere probationes de prætenso delicto, & non tenetur stare processui exhibito per Judicem sæcularem, cùm agatur de proprio interesse.

11 Non obstat Breve Clementis VIII. pro Archiepiscopo Panormitano. Primò, quia fuit in casu particulari. Secundò, quia ex eo non sequitur, quod Episcopus teneatur stare processui seculari, nec quod tollatur substantia probationis, sed tantùm quod tollantur longinquitas temporis, & ambages judicii, cùm verba illa summariè, simpliciter, & extrajudicialiter, seu de plano non excludant concludentem, plenam, & veram probationem, sed modum probandi, jurisque solemnitates, ita tamen, ut jus gentium atque naturæ juxta quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum, Episcopus observare omnino teneatur, *cap. Si quis testes 1. q. 3. l. Ubi numerus, ff. de testib.*

12 Atque illud sanè observandum est, etiam ex Brevi Clementis VIII. non posse Episcopum pro informatione suæ conscientiæ quid sufficienter habere, nisi prius habeat per se probationem veram, plenam, & concludentem, licet summariè, præsertim cùm tractetur de præjudicio confugientis, & Ecclesiæ.

Probatur generaliter. Quia quando lex probationem requirit, intelligi debet de probatione plena, & vera, non de præsumptiva. Hoc in terminis ejusdem Constitutionis est indubitatum. Quia illa expressè vult, ut verè constet Episcopo crimen exceptum ex illis verbis tertiò relatis: *Cognito prius, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint.* Ubi per modum conditionis vult constare de veritate criminum commissorum antequam delinquentes Curiæ sæculari tradantur, sive id fiat ante confugium, sive post confugium. Quæ sanè conditio inducit plenam & concludentem probationem, *l. Lucius, ff. de condit. & demonstr.* & ibi Bart. Natta, & quidam alii, ac docent Farinacius, & cæteri apud Peregrinum. *sup. num. 5.*

13 Ex his autem dumtaxat consequitur, quòd Episcopus, tametsi non teneatur stare processui sæculari, possit tamen ei stare, si velit, dummodo ipsi constiterit per ejusmodi processum legitimè factum, crimina esse probata, ita ut indubiè credat, ac noscat vera esse, quæ in eo continentur, quo casu poterit ei stare, eoque ut ad suam conscientiam informandam. Ea enim vera esse dicimus, quæ vel propriis oculis inspeximus, vel aliàs haud dubiè novimus, ut ait Innoc. *in c. Cùm causam col. 2. vers. Illud autem extr. de Immun. Eccles.* nihilque aliud expostulat Constitutio Gregoriana. Et ita eam interpretata est S. Congregatio Episc. & Regular. literis suis datis Episcopo Papiensi 16. Octobris 1595. quarum tenor hic est.

14 *Si è toccato nella Congregazione il dubbio proposto da V. S. del modo, che dovran tenere i Vescovi nell' eseguire la Constituzione della felice mem. di Gregorio XIV. intorno a conoscere i delinquenti, che si ritirano a' luoghi pii, ed esenti, se gli debbano rimettere al Magistrato secolare, esi è venuto in parere, che i Vescovi in questa parte non siano meri esecutori, ma che abbiano ancor facoltà di conoscere, e chiarirsi della verità, e qualità del delitto, in modo che se non paresse loro ben giustificata l' intenzione di chi ricerca la remissione da' processi, e atti fatti nel foro secolare, possano i Vescovi per sicurezza della loro conscienza chiarirsi meglio per quella via, che giudicheranno esser più sicura. Però in tal caso douranno procedere più sommariamente, che sarà possibile per ispedirsene quanto prima, ed occorrendo simili casi, V. S. potrà governarsi nel modo suddetto.*

15 Idipsum censuit S. Congregatio Immunitatis in una Syracusana die 16. Julii 1626. his verbis: *Sufficere probationem arbitrio Episcopi, qui potest etiam adhibere fidem processui Judicis laici, verum fabricato antequam reus ad locum tutum se confugisset.* Et in una Castri maris 8. Decemb. 1629. resolvendo, *Standum esse arbitrio Vicarii, si vellet præstare fidem processui fabricato per Judicem laicum ante confugium. Sed nihilominus ipse formet processum in actis Curiæ Ecclesiasticæ, illumque transmittat ad S. Congregationem.* Et in una Caputaquen. 15. Julii 1636. ubi respondit Episcopo, *ut ad ulteriora servatis servandis procedat, atque insinuetur se posse adhibere fidem processibus Curiæ laicalis super delictis eorum, qui fuerunt ab Ecclesia extracti, si ante extractionem fuerunt fabricati.* Et in una Theatina, in qua die 20. Jun. 1651. quærebatur, *an sufficeret indicia ad torturam. S. Congr. respondit, requiri plenam & concludentem probationem.* Et in una Viterbien. 20. Septembris 1656. ita censuit: *Visa relatione processuum exhibitorum a Curia sæculari, ex gratia speciali, receptis aliis duobus testibus, condemnentur rei in pœnam extraordinariam.* Et in una Melevitan. die 15. Junii 1638. respondit, *ad effectum extrahendi delinquentes, qui ad Ecclesiam confugiunt, seu ad alia loca immunia, non requiri probationes plenas & concludentes, sed illas sufficere probationes pro arbitrio, & conscientia Episcopi super qualitatibus delictorum ex Constitutione fel. rec. Greg. XIV.* Et in una Calaguritana 1. Augusti 1619. ita rescripsit: *Sanctissimum D. N. annuit, ut stante relatione Episcopi, consignentur rei Curiæ sæculari, dummodo quoad duos, qui socrum & amitam respectivè occiderunt, non habeat aliquas circumstantias in contrarium, & dummodo reorum confessiones, & ratificationes in actis suæ Curiæ redigat, vel saltem se summarie & extrajudicialiter informet quantum ad animum suum movendum sufficit. Quod etiam in similibus casibus observare poterit.*

Idem quoque scripsit Archiepiscopo Mediolanensi die 16
9. Decembris 1665. hunc in modum: *Essendo state riferite a nostro Sign. le difficoltà insorte costì circa il modo, che V. S. dee tenere nell' eseguire la constituzione della fel. me. di Greg. XIV. intorno al conoscere, se i delinquenti, che si ritiran nelle Chiese, e luoghi immuni si debban rimettere alla Corte secolare, si è compiaciuta Sua Beatitudine col parere d' una Congregazione a ciò deputata, conformandosi con le risoluzioni altre volte fatte in questa materia di permettere, ch' ella possa a tale effetto valersi degli atti, e processi legitimamente fatti nel foro secolare. E quando da questi non le paresse ben giustificata l' intenzione di chi domanda la remissione de' delinquenti, resti in sua libertà di chiarirsene meglio per sicurezza della sua conscienza per quella strada, che le parrà più accetata, precedendo sommariamente, e con sollecita spedizione. E io me le offero di cuore.* Quod etiam confirmavit in una Ravennaten. die 28. Septemb. 1666. quamvis quidam ex Eminentissimis Patribus, viri cordati, & longius prospicientes, futura volvendo aliter senserint, nempè teneri Episcopum per se probationes super delicto excepto suscipere, nec posse stare processui sæculari. Quorum sententiæ ego quoque olim non temerè adhæsi, eamque juxta mentem præfatæ Constitutionis Gregorianæ tutiorem ac veriorem existimo. Quod ex jam dictis haud obscurè elicitur, quibus nunc addo non esse audiendos hac in re Farinac. *de immun. n. 374.* Lezan. *v. Immunitas n. 28. to. 2. summ.* Delbene *d. c. 16. dub. 42. sect. 1. num. 13. tom. 2.* aliosque allegatos per Corrad. *dec. 21. num. 62. & 75.* ac Merlin. *contr. for. 64. num. 10.* quatenus asserunt ad amittendam immunitatem Ecclesiæ requiri probationem, saltem sufficientem ad torturam. Nam contrarium expressè resolvit S. Congregatio Immunitatis in Theatina modò allegata. Consule inter alios Peregrinum *ubi supra.* Ciarlin. *d. c. 10. n. 53.* qui non admittit Episcopum per se posse reum ex hoc processu tradere Curiæ sæculari, nisi consulat Summum Pontificem, & ab eo licentiam obtineat juxta notata per Guazzin. *defens. 20. cap. 9. n. 30.* Unde refert, Paulum V. in una Casulensi ejusmodi licentiam concessisse die 1. August. 1619. simileque rescriptum legitur in præcitatis literis Clementis VIII. Quare tutius profectò arbitror, quod stantibus circumstantiis, quæ concurrunt in casibus particularibus, Sanctissimus Episcopis det facultatem procedendi etiam ex processibus in Curia sæculari confectis.

Processus verò per Judicem Ecclesiasticum fabricati su- 17
per delictis extractorum a loco immuni ad effectum declarandi, an gaudere, vel non gaudere debeant privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ, ex opinione S. Congregationis Immunitatis consignari non debent Judicibus laicis. Ita censuit in Consentina 23. Augusti 1649. & in Aprutina 30. Augusti 1649. Etiam Judicibus laicis status Ecclesiastici, ut in Terracinen. 10. Februarii 1631. & in aliis.

18 Adeò ut si Sanctissimus aliter jusserit, requiratur rescriptum speciale suæ Sanctitatis, etiam ad effectum dandi simplicem copiam aliquorum actorum pro instructione Judicis laici. Ita in Viterbien. 17. Novembris 1643.

19 Extractorum autem ab Ecclesia, qui gaudere debent privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ, & ex gratia a Summo Pontifice conceditur, ut puniri possint alia pœna, quàm mortis & mutilationis membrorum, exequtio demandatur & fit a Judice Ecclesiastico. Ita in Januen. 14. Januarii 1634. cujus occasione Urbanus VIII. sic observari jussit. Item in Mediolanen. 24. Janu. 1634. Et in Syracusana 21. Augusti 1633. Ac pariter in Januen. 9. Septembris 1642. & rursus in Januen. 2. Jan. 1643. Ita ut in Secretaria S. Congregationis extet formula literarum, quæ est hujusmodi.

20 *Genova. Monsignore Arcivescovo. Fattasi relazione alla Santità di nostro Signore del contenuto della lettera di V. S. sopra i gravi delitti, e male qualità di Giovan Maria Guazzo, da lei estratto dalla Chiesa, Sua Beatitudine è condiscesa per dette cause, ed altre note, ch' ella trasmetti il detto Guazzo per cinque anni in galera con pigliare l' obbligazioni cautelate in ciò necessarie da' Ministri di cotesta Repubblica di non maltrattarlo. E del seguito ne darà avviso, mentre &c. Roma 14. Gennaro 1634.*

21 *Genova. S. Cardinal' Arcivescovo. Benche Ottaviano Albora dovesse godere il privilegio dell' Immunità Ecclesiastica, tuttavia per le qualità de' delitti, che si pretendono da lui commessi, e per l' efficaci instanze interposte in nome di cotesta Repubblica, la Santità di Nostro Signore condiscende per grazia speciale, la qual non si possa allegare in esempio, che giustificati da V. Em. con prove legitime i suddetti delitti, venga punito non di pena ordinaria di vita ò di mutilazione di membra, ma di pena straordinaria. E così V. Em. si compiacerà eseguire, mentre le bacio humilmente le mani. Roma 2. Gennaro 1643.*

22 Formula verò dignior videtur illa, quæ fuit observata in una Cremonen. his verbis: *Cremona. Vescovo. Benche Vittorio Vezzoli per lo rigore della Bolla di Gregorio XIV. di sa. me. dovesse godere il privilegio dell' Immunità Ecclesiastica, nondimeno per le male qualità di esso, e per le circostanze aggravanti de' delitti da lui commessi, riferiti da V. S. nella relation fatta a questa S. Congregazione, perciò la Santità di Nostro Signore col parere di essa Congregazione per iterate instanze fatte a nome del Signor Governatore di Milano, è condiscesa per grazia particolare, la quale non si possa allegare in esempio, che costando a V. S. per prove legittime, e sufficienti, che il suddetto sia delinquente de' delitti da lei avvisati, lo facci condennare alla pena, &c. e a questo effetto consegnarlo poi a' Ministri Regii, pigliando in ciò le solite promesse, ed obblighi giurati con l' altre cautele consuete. E così eseguirà V. S. mentre &c. Di Roma a' 16. di Decembre del 1647.*

23 Inter autem cæteras cautiones illa supponitur, quod scilicet completo tempore pœnæ, restituatur reus eidem Ecclesiæ, a qua jam condemnatus fuerat extractus; quod nequeat puniri in alia pœna, quam in expressis, quodque nec ante, nec postea, nec tempore dictæ pœnæ quovis alio modo vexari possit. Vide *can. Id constituimus* 17. *quæst.* 4. Sylvestr. *v. Immunitas* 3. *quæst.* 4. & Suarez *de Relig. tom.* 1. *tr.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Hæc autem securitas, seu cautio sufficit si sit juratoria, ut in *d. can. Id constituimus*. At si timetur, quod Judex sæcularis juramentum non servet, debet esse fidejussoria, arg. *c. Ex transmissa de rest. spol.* & docet Sylvester cum aliis loco prælegato.

CONSULTATIO CXXIX.

An sit annuendum Magistratibus laicis, ut promovendi ad statum Clericalem describantur in actibus Curiæ sæcularis?

1 Respondeo negativè. Nam satis consultum videtur si a locorum Ordinariis observetur dispositio sacri Concilii Tridentini, cujus vigore in assumptione Ordinum clericalium promoti nedum describuntur in actis Curiæ Ecclesiasticæ, sed etiam in eisdem actis registratur ipsemet actus collationis, & specificè adscribuntur servitio alicujus Ecclesiæ, ut in *cap.* 11. *&c. 6. sess.* 23. *& de reform.*

2 Unde licèt præsumi non debeat inobservantia, seu negligentia, aut suspicio fraudis in Episcopis, qui habent formam ab eodem Concilio Ordines conferendi, ut *in cap.* 5. *ac dd. c.* 11. & 16. poterit tamen ex abundanti cautela eis a S. Congregatione Concilii demandari per literas ut in collatione Ordinum, & disciplina Clericorum præcisè observent decreta S. Concilii.

Atque ita observatum fuit in una Januensi sub die 15. Septembris. 1642. 3

CONSULTATIO CXXX.

An consuetudine induci potuerit, ut unus Canonicus, quo tempore obligatus est servitio Chori, possit Canonicum alium pro eo tempore non obligatum pro se substituere, ita ut nec peccet, nec distributiones amittat?

PRo parte affirmativa videtur posse afferri, quod consuetudo in hac materia satisfaciendi obligationibus Chori multa longè duriora, & difficiliora induxit; potuit ergo etiam hoc inducere. 1

Et primò, difficiliùs est consuetudine induci, ut qui tribus mensibus a Tridentino *sess.* 24. *c.* 12. permissis non residet, accipiant distributiones. Contra quam consuetudinem, quæ olim ante Tridentinum fuit in Ecclesia Bituricensi prolixè scribit Prob. *in c. unico a num.* 34. *de Cler. non residen. in* 6. dicens *n.* 43. esse irrationabilem, & ideò non posse induci, quod post Tridentinum difficilius est, maximè cùm extet declaratio. S. Congregationis tenoris sequentis: *Canonicos non posse vi cujuslibet consuetudinis, etiam immemorabilis frui quotidianis distributionibus, illis tribus mensibus, quibus a Tridentino sess.* 24. *c.* 12. *abesse permittuntur, etiam si omnes fructus Canonicatuum consistant in distributionibus*, ex Moneta, & Bonac. *de Horis canonicis disput.* 2. *pun.* 5. Et tamen hæc consuetudo Romæ viget, & testatur Filliuc. *tr.* 41. *c.* 6. *n.* 49. de qua etiam Bonac. *ubi supra pun.* 6. multa adducit ex Macigno ad illam substinendam, ipse tamen hæret, & existimat opus esse Summi Pontificis declaratione, nec sufficere ejus taciturnitatem. 2

Quam ob rem valere consuetudinem legitimè præscriptam, ut Canonici, qui per duos menses ab Ecclesia absunt, percipiant eo tempore distributiones, sentiunt Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 5. ubi universaliter ait, validam esse consuetudinem in aliqua Ecclesia inductam ob justam aliquam rationem, ut quotidianæ distributiones absentibus debeantur, modò hi absint ad breve tempus. Sic etiam tenent Dec. *in c. Cum omnes, de const. in* 2. *lect. num.* 2. & ibi Andr. *num.* 50. Lap. *alleg.* 36. Duenas *reg.* 209. *limit.* 1. Hojed. *in tr. de benef. incomp.* 1. *p. cap.* 17. *num.* 10. At reputatur breve tempus spatium duorum mensium, ex Ripa *in l. si insulam, ff. de verb. oblig. num.* 36. Corb. *de cauf. privat. emphyt. ob non solut. can. limit. ult. num.* 25. Quam sententiam sequitur Cenedo *p.* 3. *collect.* 15. *num.* 7. ubi ait, ordinationem, qua duo menses conceduntur Clericis ad res familiares componendas, & honestam animi oblectationem esse rationabilem, & hujus consuetudinis vigore posse hos Clericos percipere quotidianas distributiones. Sic etiam Moneta *de distrib. p.* 2. *qu.* 12. *num.* 54. Jo. Ocon. *in repet. d. cap. unic. de Cleric. non resid. in* 6. 3

Non obstat si dicatur cum Probo ad Monach. *in d. cap. un. de Cler. non resid. in* 6. *num.* 34. asserentem talem consuetudinem non valere, & accipientes distributiones in absentia duorum mensium a propriis Ecclesiis tanquam fures teneri ad restitutionem, cùm talis consuetudo reprehendatur *in d. cap. un.* & sæpè a S. Congregatione Concilii sit decisum, absentes recreationis causa non lucrari nisi fructus beneficiorum, & nullo modo distributiones quotidianas, nec consuetudinem immemorialem obstare. Quare vacationes omnes unius, aut plurium mensium, quibus absentes distributiones percipere solebant sublatæ sunt, nisi absint ex causis a jure permissis, & sic sæpè fuisse decisum refert Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 249. *& seqq.* Et hanc consuetudinem non esse validam docent etiam Curt. *in repet. cap. fin. de consuet. sect.* 5. *num.* 39. *&* 43. Barbos. *de Offic. Episc. p.* 3. *alleg.* 35. *num.* 124. Ricc. *in praxi resol.* 385. *num.* 10. Franciscus Leo *in Thes. for. Eccl. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 27. Armendar. *in addit. ad recopil. leg. Navar. l.* 2. *tit.* 23. *de resid. num.* 36. Garz. *d. num.* 249. Gonzal. *in regul.* 8. *Cancel. §.* 7. *procem. num.* 182. Zech. *de Repub. Eccl. tit. de benef. num.* 6. Paris. *lib.* 1. *de resignat. cap.* 10. *num.* 65. Zerola *in praxi p.* 1. *verb. Privatio.* 4

Nam respondent aliqui, decisiones S. Congregationis, si tamen extent de hac materia, esse intelligendas de consuetudine non legitimè præscripta, neque rationabili, sed de consuetudine interpretante, quod liceat per duos menses, vel tres indistinctè, & universaliter abesse a choro, & interim percipere quotidianas distributiones, & pariter de consuetudine interpretante, quod sicut Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* concedit 5

obti-

obtinentibus dignitates, canonicatus, & præbendas, ut a suis Ecclesiis possint abesse per tres menses, & interim percipere fructus præbendarum, pariter concedat posse percipere distributiones. Quæ interpretatio est omnino falsa. Ita Moneta *supra num.* 56.

6 Nec huic sententiæ adversatur text. *in d. cap. un.* Nam solùm ibi dicitur non valere consuetudinem introductam in quibusdam Ecclesiis, ut qui absunt a choro, percipiant distributiones, quamvis absque justa, & legitima causa absint; nos verò loquimur de consuetudine introducta ex legitima, & rationabili causa, & quando etiam Ecclesia non patitur defectum in divinis. Immò in hoc casu potiùs augetur divinus cultus cum præbendati ferventiùs, & alacriùs ad recitandas preces horarias, aliaque ministeria Ecclesiastica redeant. Deinde Bonifacius VIII. *in d. cap. un.* solùm sustulit consuetudines contrarias jam præteritas, ut etiam sustulit Concilium Trident. *d. cap.* 12. *sess.* 24. innovando Constitutionem Bonifacii, non tamen hic Pontifex improbavit futuras consuetudines, sicut nec Concilium; cùm tamen, si lex non faciat mentionem de consuetudine futura, sed simpliciter tollat præteritam consuetudinem, possit de novo induci consuetudo eidem legi derogans, ut docent Gloss. *pen. in Clem. statutum de elect.* Anchar. *in cap. 1. de constit. in 6. num. 30.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 17. q. 10.* Vasquez *t. 2. disp. 177. cap. 8. n. 70.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 13. n. 4.* Ut etiam tenetur dicere ii, qui sentiunt consuetudinem, quæ est reprobata per legem tanquam irrationabilis, posse vires resumere ad legem abrogandam, si nova causa superveniat, etiamsi in lege fiat expressa mentio de consuetudine futura. Ita Vasquez, & Covarr. *locis citatis*, Angel. *verb. Consuetudo num. 9.* Sylvester *eod. verb. qu. 6.* Dec. *in c. 2. de probat. n. 68.* & ibi Felin. *n. 71.* Anton. Gomez *in l. 51. Tauri n. 26.* Ceyall. *qq. pract. q. 704. n. 6.* Rochus de Curt. *de consuetud. sect. 7. n. 11.* Duegna *regul. 144. limit. 1.* Brunor. *in comp. lit. C. verb. consuetudo*, Jo: Lup. *in cap. Per vestra de donat. inter vir. & uxor. notab. 2. in princ. n. 2.* Gemin. *in c. 1. de constit. in 6.* & ibi Franch. *n. 19.* Guttier. *lib. 2. pract. q. 31. n. 12.* Petrus Raven. *de consuet. sect. 3. n. 11.* & *16.* Ferrett. *in repet. c. 2. de probat. num. 26.* Abb. *in c. fin. de consuet. n. 24.* Bald. *Novel. de dot. 6. p. privil. 21. n. 19.* & alii multi.

7 At in casu nostro potest in aliqua Ecclesia esse introducta rationabiliter consuetudo, ut Clerici per substitutos inserviant choro ad breve tempus, & percipiant distributiones, quia Superiores judicarunt non solùm hac ratione divinum cultum non minui, sed potiùs augeri, cùm Clerici redeant ad officia, & ministeria Ecclesiastica obeunda majori cum devotione, attentione, & alacritate, quod habetur *in l. præsenti, in princ. Cod. de his, qui ad Eccl. conf.* & dicemus infra.

8 Unde quando dicitur, consuetudine non posse induci, ut distributiones dentur absentibus, vel inservientibus per substitutum, id est intelligendum de consuetudine in generali. Nam potest ex justa causa introduci consuetudo, ut in aliquo casu rationabili beneficiatus possit lucrari distributiones, quamvis inserviat per substitutum, ut notant Hojed. *sup. p. 1. cap. 17. n. 10.* Duenas *regul. 206.* Cenedo etiam *sup. q. 1. n. 67.*

9 Item sunt qui probant, valere consuetudinem legitimè præscriptam, vel distributiones quotidianæ dentur iis, qui intersunt non omnibus horis, sed certis tantùm, ut affirmant Gloss. *in Clem. Ut ii, qui, de ætat. & qual. & ordin. præf. v. certis horis*, & ibi Cardin. *qu. 17.* Anchar. *n. 8.* Imol. *n. 33.* Rochus de Curt. *in repet. c. fin. num. 485.* aliàs *sect. 3. num 43. de consuet.* Duenas *regul. 206. limit. 2.* Hojed. *in tr. de incompat. p. 1. c. 17. n. 11.* quos refert, & sequitur Moneta *d. p. 2. q. 3. concl. 8. n. 43. & qu. 12. num. 42.* & *54.* Quamvis contrarium velint Graff. *p. 2. dec. lib. 3. cap. 15. n. 12.* & alii plures. Ergo etiam valida erit consuetudo, ut qui inserviunt choro per substitutum ad modicum tempus possint lucrari distributiones.

10 Nec minùs difficilis est alia consuetudo, ut Canonici, qui fruuntur septingentis, alicubi etiam mille aureis reddituum (qui redditus multis in locis sufficiunt uni Episcopo, multis item in locis integræ, & numerosæ familiæ Religiosorum, Choro semper inservientium) per unam hebdomadam inservientes, aut per quasdam tertiarias non peccent, & lucrentur distributiones etiam pro tempore, quo non inserviunt, & tamen hæc consuetudo viget Romæ, ut testatur idem Filliuc. & Bonac. *locis citatis*, & quidem non solùm in illis Ecclesiis, in quibus omnes fructus consistunt in distributionibus, in quibus non habere locum Bonifacii constitutionem dixit Glos. *verb. acceperit*, & cum ea Azor. *to. 2. lib. 7. cap. 7. qu. 7.* quæ tamen non est recepta a Sacra Congregatione supra allegata, sed etiam in illis, in quibus extat præbenda distincta a distributionibus, pro qua consuetudine justificanda dicunt, censendum esse, quod Papæ consensus accesserit. Quia talis consuetudo non potest induci sine ejus consensu, aut justa causa utilitatis Ecclesiæ, quam hic adesse dicunt, eò quod sic alliciuntur ad inserviendum facilius. Quam tamen consuetudinem improbat Navarr. *conf. 9. de Cler. non resid.* & Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 5. qu. 5.* admittit, & *qu. 6.* dicit oppositum esse probabilius.

Longè difficiliùs est id, in quo prædictas consuetudi- 11
nes fundari dixit Azor. *loc. cit.* ut Bonifacii Constitutio non reprobet consuetudinem dandi distributiones non interessentibus aliquando, sed solùm iis, qui perpetuò absunt a divinis officiis, & tamen id dictum fuisse ab aliquibus dixit Archidiaconus, & licèt ipse improbet, id tamen tenet Jo: Monach. *in cap. unic. de Cler. non resid. in 6.* nec ibi dissentit Probus. Tenet item Lap. *alleg. 36.* & sequuntur multi recentiores apud Azor. *supra*, quos citat Bonac. *d. p. 6. num. 20.* Menoch. Graff. Cenedo, Moneta, ita interpretantes etiam Tridentinum, quod Bonifacii Constitutionem innovat.

Sanè tàm antiquiora jura, quàm Constitutio Bonifa- 12
cii, & Tridentinum, quod illam innovat explicari video a pluribus, ut peccati mortalis damnent solùm eos, qui nulli fulti consuetudinis beneficio frequenter, & veluti ex contemptu, & consuetudine a choro absunt, non autem eos, qui rarò, & aliquando non intersunt, etiamsi per alium non deserviant, dummodo cultus divinus ob eorum interabsentiam notabile damnum non patiatur. Ii sunt Tabien. *v. horæ canonicæ, n. 28.* Sylvest. *verb. horæ, qu. 10.* Armill. *eod. v. n. 21.* Cajetan. *in summa item verb. horæ canonicæ, §. quoad quintum*, & qui post Tridentinum scripserunt Navarr. *c. 5. de orat. n. 14. 18. & 19.* Reginald. *tom. 2. lib. 18. c. 13. n. 175.* Sanch. *conf. mor. lib. 2. c. 2. dub. 112.* Layman. *lib. 4. tr. 2. cap. 6.* Filliuc. *tom. 2. tr. 23. cap. 6. n. 207.* qui dicit videri, hoc esse in praxi, Barbos. *in remissionibus ad Conc. Trid. sess. 24. c. 12. n. 63.* multos adducens, Diana plures itidem citans *p. 2. resol. 31. & p. 4. tract. 4. miscell. resolut. 249.* nec improbabile putat Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. de horis canonicis, cap. 13. num. 8.* immò *n. 9.* cum Sylvestro consentit, & probabile dicit Bonac. *disp. 1. q. 1. punct. 2. n. 3.* nec dissentire videntur qui ex opposito ibi allegantur, cùm dicunt, Canonicos non posse ultra tres, aut quatuor dies tuta conscientia abesse a choro.

Nec aliter intelligendus est Comitolus *lib. 1. respons.* 13
qu. 61. n. 4. dicens esse peccatum mortiferum, si Canonicus non conveniat in templum ad laudes divinas, ut loquatur de frequenti absentia, aut notabili ultra tres, aut quatuor dies, ut dicit Bonacina, nec plus probant ejus rationes præter eam, qua parificat hanc absentiam cum privata recitatione, cujus unica omissio est mortalis, sed Bonacina, quamvis ea paritate initio utatur, eam tamen non currere postea *n. 2.* rectè vidit.

Et quidem ex omissione privatæ recitationis deficit 14
privata recitatio præcepta sub mortali, ex absentia autem unius Canonici, non deficit officium in choro, ut supponimus, unde & leviorem causam ad hac absentiam, quam ad illam omissionem sufficere dicunt omnes, Immò Medina *1. 2. q. 96. art. 4.* ad 2. sentit non solùm non peccare mortaliter, sed nec venialiter si distributiones non accipiant, sed hanc abstinentiam a distributionibus non excusare a peccato rectè probat Ricc. *in prax. resol. 363.*

Quare mihi videtur, quod qui vel unica vice abest 15
a choro, ita ut neque per se, neque per alium inserviat, etiamsi id non faciat ex contemptu, nec cultus divinus notabile damnum patiatur, etiamsi distributiones non accipiat, peccat graviter venialiter, nisi adsit rationabilis causa. Ita Tabiena, Cajetanus, Sanchez, & Navarr. *supra*, qui dicit causam excusantem esse utilitatem Ecclesiæ, necessitatem quampiam, aut infirmitatem, ad quam infirmitatis excusationem spectare non solùm infirmitatem, quam quis patitur, sed etiam illam, quam timere potest, & vitare cupit, minuendo sanguinem, aut medicinam sumendo dixit Turrecremata *in cap. Clericus victum, dist. 91.* Adderem ergo etiam sumendo justam & licitam aliquam animi relaxationem. Nam quod caret alterna requie, durabile non est, & interposita animi relaxatio tædium aufert, redditque alacriores postea ad servitium, ut post Innocentium dixit Jo: Andr. *in c. dolentes, de celebr. miss.* ubi quod quis nimis fatigatus spiritu potest sine scandalo aliquantulum a choro exire, addo etiam & abesse.

Quoad distributiones, an præcisa consuetudine, de 16
qua supra, possint percipi ab iis, qui aliquando, sed rarò, & cum limitationibus, de quibus supra, absunt a choro,

choro, res est clara. Nam Constitutionem Bonifacii VIII. quam Tridentinum innovavit, ut omittam antiquiora jura, *c. licet, de præben. cap. fin. de conces. præben. cap. de cætero de Cler. non resid.* consuetudo ita interpretata est, ut non solùm qui semper absunt, sed qui aliquando, vel semper eas non percipiant, contraria consuetudine tàm induci potest, ut percipiant, sicut supra in allatis exemplis.

17 Ex his facilè respondetur ad dubium propositum. Nam, ut omittam id, quod Jo. de Medina dicit, *C. de orat. 5. qu. 7. §. ex dictis apparet*, Beneficiarium debere choro interesse per se, vel per alium, saltem ex dictis liquet, posse Canonicum hebdomada, qua est obligatus alium Canonicum ea hebdomada non obligatum sui loco substituere, & sic substituendo posse distributiones accipere, nullumque peccatum committere, si consuetudine ita introductum sit. Nam si consuetudine introduci possunt ea, de quibus supra, quæ longè duriora, & difficiliora sunt, & quæ non fiunt sine aliquo damno divini cultus, cùm ibi nullus substituatur, per quem absentia suppleatur, & cultus Dei præstetur, multò magis hic, ubi per substitutum idem cultus Deo exhibetur, qui exhibendus est per substituentem. Hinc fit, ut etiam si Episcopus non possit concedere licentiam alicui, ne choro inserviat, ut per duas declarationes Sac. Congregationis Concilii apud Corradum *in praxi dispensationum lib. 5. cap. 6. num.* 10. idem tamen Episcopus possit licentiam dare pro hac substitutione, ut declaravit Sacr. Congregatio his verbis: *Censuit S. Congregatio, facultatem Capitularibus se se invicem substituendi in servitio Ecclesiæ ab Episcopo debere concedi, ea tamen cautione adhibita, ut non eodem tempore sint adstricti.* Circa quam declarationem obiter adverto, licentiam Episcopi non videri necessariam, nisi cum diuturna est hæc substitutio, ad ea, quæ tradit Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis canonic. cap. 10. n.* 18. & dixit Abb. *in cap. extirpandæ. §. Qui verò, de præbendis.* Atque ex ea declaratione licet arguere pro nostra consuetudine. Quia quod potest licentia obtineri, potest consuetudine induci, Navarr. *conf. 21. num. 3. de Cler. non resid.* & aliis citatis Laym. *alleg. cap 6.* Idemque probatur ratione invincibili, quia quicquid est solo jure positivo Ecclesiastico constitutum, potest rationabili consuetudine abrogari, maximè si consuetudo sit immemorabilis, quæ non comprehenditur in prohibitione consuetudinis, Abb. *in cap. ult. n. 3. de præscript.* Covarr. *lib. 3. var. resol. c. 13. n.* 5. Mascard. *de probat. concl.* 1471. *n.* 45. aliis citatis, nisi expressè consuetudo immemorialis prohibeatur, aut excludatur, prout per declarationem Sacræ Congregationis, relatam a Barbos. *ad Conc. Trid. sess. 24. cap.* 12. excluditur consuetudo immemorialis, ne excuset a non residendo, etiam si ante Tridentinum Abbas in *cap. Cùm omnes n. 1. de constit.* dixerat valere ordinariam consuetudinem, ut Canonici recipiant fructus præbendarum in absentia. Quia ad eos percipiendos sufficit, quod sit Clericus, & in sortem Domini electus, ut idem dixit, ac repetit *cap. extirpandæ, §. qui verò.* Nam etiam propter hoc instituta sunt beneficia, Prob. ad Jo: Monach. *in d. cap. un. de resid. in 6.*

18 Verùm nos non agimus de residentia, sed de interessentia, quæ duo diversa sunt. Etsi enim residere esse idem, quod deservire dixit Goffred. *in summa tit. de Cler. non resid. num.* 1. & Comitol. *lib. 1. resp. moral. qu. 60.* attamen quod aliud sit residere, aliud interesse, certum est. Nam residere est esse in loco beneficii causa servitii præstandi, quod facit etiam, qui non interest, ut dixit Gemin. *in d. cap. unico, §. consuetudinem, num. 2. & §. statuimus, numer. 5. de Cler. non resid. in 6.* & ibi Franch. *§. consuetudinem, num. 1. & §. Statuimus num. 3.* Jo: Andr. *ibidem*, & post eum Prob. *num. 9. qui n.* 46. affert rescriptum quoddam Clem. Papæ, in quo residentia ab interessentia distinguitur prout eam distinguunt etiam Navarr. *conf. 13. numer. 2. de Cler. non resid.* post Abb. *in cap. olim, num. 9. de verb. signif.* Cassador. *dec. unic. de Cler. non resid.* Covar. *lib. 2. var. resol. c. 13. num.* 1. Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 7. q.* 5. & alii apud Bonac. *tract. de obligat. Beneficiat. ad residen. qu. 4. punct. 1. num.* 1. *& horis canonicis disput. 1. quæst. 3. punct. 4. num.* 10. Immò ipse Bonifacius VIII. in sæpè citato *cap. un.* residentiam distinguit ab interessentia, prout etiam Glos. *ibi, v. adfuerint, & receperit*, & sic pœnæ latè contra non residentes non extenduntur ad non interessentes, nisi cum nunquam, aut rarò intersunt. Tunc enim, ut dixit Glos. *in d. c. unico, verb. præsentes*, quid prodest præsentia in locis, si non adsint Divinis, propter quæ Beneficia sunt instituta? Et idem dixit Sylvest. *v. residentia*, Layman. *citat. cap. 6. num.* 1. & ita est intelligenda declaratio Sacr. Congregationis relata a Barbos. *ad sæpè cit. c. 12. Trident. sess. 24.* dicens, quod nihil prodest Canonicis, quod in civitate maneant, nisi Ecclesiis debitis horis inserviant.

Immò etiam consuetudo temporis ordinarii, ideſt quadragenaria potest legem istam de amittendis distributionibus abrogare, ut sæpiùs dixit Bonac. *disp. 2. qu. 1. punct. 5. n. 1. & q. 5. punct. 6. n. 7. & q. 4. punct. 5. n.* 5. citatque Rotam, & ibidem id dicentes, Suarez & Azorium. Immò omnem legem Ecclesiasticam posse quadragenaria consuetudine abrogari cum communi docet ibidem. Idque verum esse non obstante lege resistente, & prohibente consuetudinem introduci, nisi lex addat illam consuetudinem esse irrationabilem, ut multis citatis tradit idem Bonac. *cit. quæst. punct. 6. num. 3. & 4.* quibus adde Gemin. *conf.* 132. Anchar. *conf.* 51. *in fin.* Glos. *in Clem. Statutum de elect. & c. 2. de Clerico ægrotante in 6.* Prob. *in addit. ad Jo: Monach. in alleg. cap. un. n. 43. de Cler. non resid. in 6.* qui alios citat, & Laym. *lib. 1. tr. 4. cap. 24. n.* 7. qui dicit, clausulam prohibentem, ne consuetudo introducatur, nisi addat, esse irrationabilem; dirigi ad Judices, & Superiores, ne permittant eam consuetudinem induci, non ad subditos, ne introducant. Quod maximè locum habet, cùm subditi coram Principe, atque adeò ipso sciente, consuetudinem introducunt. Nam tunc Princeps videtur consentire, & tacitè legem abrogare, cujus consensu, & non aliter videntur justificari illæ duæ consuetudines initio adductæ, etiamsi contra primam extet declaratio S. Congregationis, prohibens consuetudinem, etiam immemorialem. Quia consensus Pontificis derogat illi declarationi, aut sanè ea declaratio intelligenda est, nisi consensus Pontificis intercedat. Et in terminis distributionum, quod possit introduci consuetudo, etiam resistente & prohibente lege, nisi dicat, esse irrationabilem, dixit Covarr. *lib. 3. var. resol. cap.* 13. *n.* 5. Duegna *regul. 206. vers. limita quintò*, Monet. *de distribut. p. 2. qu.* 12. *a n.* 45. Et licèt Prob. *in cit. cap. un.* dicat, quod ex mente textus illius, atque ex rationibus luculenter constet de irrationabilitate consuetudinis recipiendi distributiones sine interessentia, etiamsi ibi non dicatur expressè, quod sit irrationabilis, quod etiam dixit Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 7. qu. 6.* ea ductus ratione, quod cùm Bonifacius tres tantùm causas admittat tanquam rationabiles, videtur cæteras tanquam irrationabiles reprobare, nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Nihilominus quod præter illas tres causas, quæ solæ tunc rationabiles visæ sunt, potuerint postea successu temporis aliæ causæ rationabiles, & justæ apparere, ut pro prima consuetudine supra allata, rationabilem & justam apparuisse esse causam, ut sic reliquo tempore Canonici alacriùs inserviant, multis citatis dixit Bonac. *cit. q. 5. punct. 6. n. 4. & 7.* 19

Et generaliter quod consuetudo possit derogare legi positivæ, habetur *in c. fin. de consuet.* & docet *ibi* Abb. *num. 24. & in cap. 2. de probat. num.* 8. ubi Dec. *num.* 68. Felin. *num.* 11. Aret. *num. 34.* & prosequuntur Tabiena, Angelus, Armilla, Silvester, Cevallos, Rochus de Curte, Duegnas, Lupus, Gabriel, Brunorus, Covarruvias, Gomez, Geminianus, Franchus, Petrus Ravenna, Barbatia, Baldus, & Guttierez, relati a Sanctarello *var. resol. q. 46. num. 3.* & tradunt communiter Canonistæ, & legistæ, ac Theologi cum D. Thom. 1. 2. *q. 97. art. 3.* Ea enim æqualem vim habet cum lege, & ideò sicut potest legem includere, ita etiam abrogare, *§. ex non scripto, instit. de jur. nat. gent. & l. de quibus, ff. de legib. & leg. 2. Cod. quæ sit longa consuet.* Et ideò potest in præsenti derogare obligationi inserviendi Choro per se pro aliquo tempore, dummodò sit ex aliqua rationabili causa inducta. 20

At quicquid sit de illis consuetudinibus, quæ defensione non indigent, cùm vigeant Romæ coram Summo Pontifice, sed potius ex eis argumento a minus rationabili ad magis rationabile, infero, licitam esse consuetudinem alium Canonicum substituendi, quæ consuetudo nec aliqua lege est reprobata. Nam Juribus Bonifacii, & Tridentini reprobatur consuetudo simpliciter absendi a Choro, & in illo nec per se, nec per alium interessendi, Bonac. *disp. 2. quæst. 1. punct. 5. num. 3. & quæst. 5. punct. 6. num.* 17. nec est irrationabilis, quia non est contra finem & rationem legis. Æquè enim per Canonicum substitutum, ac per substituentem exercetur cultus divinus, & chorus frequentatur, & hæc est ratio fundamentalis, & unica finalis institutionis distributionum, & impositæ pœnæ non interessentibus, ut eas amittant, constatque ex Tridentino *sess. 21. cap. 3.* & dixit Glos. *in cap. unico de Cler. non resid. in 6.* Abb. *in cap. licet, de præben.* Dec. *cons.* 280. *num.* 4. Apostill. *ad conf.* 42. Butr. *verb. cultus divini*, Prob. *in addit. ad Jo: Monach.* 21

Monach. sæpè cit. cap. unico n. 5. qui alios citat, Navar. *de orat. cap.* 18. *n.* 10. ut ab innumeris recentioribus citandos abstineam.

22 Et quod de Jure communi debeat per se ipsum quis exercere curam animarum, *cap. relatum*, & *cap. quia nonnulli de Cler. non resid.* ubi Glos. *verb. per se ipsum* dicit, de Jure communi verùm id esse in omni beneficio, quod dixit etiam Abb. *in cap. conquerente de Cler. non resid.* & *in c. pervenit* 2. *de appellat.* Nihilominus quòd non sit irrationabilis consuetudo, sed immò induci possit, ut quis per alium deserviat in beneficiis non curatis, in quibus non eligitur industria personæ, idque indubium esse, & hanc consuetudinem esse in multis Cathedralibus, dixit Abb. *in cap. quia nonnulli de Cler. non resid.* & *in repet. c. extirpandæ*, §. *qui verò*, *de præben.* Immò etiam in curatis, in quibus eligitur industria personæ, quod valet consuetudo, ut per modicum tempus possit per Vicarium deservire, dixit idem Abb. *in cap. extirpandæ*, §. *qui verò*, *de præben.* & quod etiam per longum tempus, & semper, Jo: de Lignano *ibi* citatus, & Navarr. *cons.* 21. *n.* 4. 6. & 7. *de Cler. non resid.* loquendo saltem de consuetudine immemoriali, & tamen Navarrus viderat ea, quæ de his statuit Tridentinum.

23 Et ideò quod etiam post Constitutionem Bonifacii VIII. & decretum Tridentini consuetudine induci posset, ut Canonicus alium licitè substituat, & lucretur distributiones, dixerunt Doctores citati a Bonac. *disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 1. quos ipse sequitur *ibi*, & *qu.* 5. *punct.* 6. *num.* 17. utrobique atteſtans, ita esse usu receptum Romæ, potestque ea consuetudo esse rationabilis; quia sic alliciuntur ad psallendum devotius, & morosiùs, cùm a negotiis, & curis expeditis per se ipsos interſunt. Nam si quando habent curas, & negotia æquè per se ipsos cogantur interesse, cursim, & velociter officium absolvunt non sine indecentia, ut fit alicubi, & possunt pro hac consuetudine afferri, quæ idem Bonac. *qu.* 4. *punct.* 5. affert pro Canonico habente coadjutorem, & per eum inserviente, & nihilominus lucrante distributiones, pro quo multos Doctores, & decisiones Rotæ coram Pegna allegat, sed tempore, & authoritate præcedit omnes istos Doctores D. Thom. *quodlibet* 1. *art.* 13. ubi recitationem privatam ab unoquoque Beneficiato dicit faciendam per seipsum, eam verò, ad quam tenetur ob debitum Ecclesiæ, dicit, quòd debet solvere vel per se ipsum, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundùm Ecclesiæ statutum, vel consuetudinem. D. Thomam transcribit, & sequitur Turrecremata *in c. Eleuterius n.* 11. *dist.* 91. Unde obligationi horarum posse Beneficiatum satisfacere per alium, dixit etiam Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *post* 5. *concl.* & quod qui abest a Choro propter honestam causam, quæ sibi occurrit, etiamsi sit causa propria, & non pertinens ad utilitatem Ecclesiæ, excusatur, & distributiones lucratur, dummodo in aliis recompenset, dixit idem Paludan. *supra art.* 3. *post* 9. *concluſ.* Turrecremata *in c. final. n.* 7. *dist.* 42. Plenè autem recompensat qui per alium substitutum interest, maximè si alia hebdomada, qua vacaret, ipse pro substituto suo interſit. Hoc tamen addendum est cum eodem Bonacina, quod hæc consuetudo est strictè interpretanda, & propterea quod non potest substitui, nisi alius Canonicus ejusdem Ecclesiæ. Quia hoc solùm usu receptum est, non autem, ut substituatur alius Clericus ab illorum Canonicorum collegio extraneus, quod non esset rationabile, & est jure communi prohibitum, Prob. *in addit. ad* Jo: *Monach. c. un. n.* 62. *de Cler. non resid. in* 6.

24 Neque his obstat declaratio S. Congreg. quam Barbos. *de Canon. & dignit. c.* 31. & *ad Trident. sess.* 24. *cap.* 12. refert in hæc verba: *si factum est aliquod statutum, quod Canonici possint inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia est contra Concilium*, ut tradunt Zerola *in Praxi p.* 2. *verb. canonibus num.* 5. Seraph. *dec.* 1256. *n.* 4. Rota *dec.* 659. *p.* 4. *diver.* Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. §. 2. *n.* 498. Ciarlin. *controv. forens. lib.* 1. *cap.* 38. *n.* 3. & ante omnes dixerat Franch. *in d. cap. unico*, §. *statuimus n.* 2. *de Cler. non resid. in* 6.

25 Item: *Cùm in Ecclesia Eborensi extaret statutum a Canonicis conditum, & inter alia ejusdem Ecclesiæ statuta generaliter juratum, per quod licebat Canonicis per centum dies quolibet anno a sua Ecclesia abesse, & nihilominus distributiones quotidianas lucrari, & dubitatum esset, an hoc statutum a Concilio cap.* 12. *sess.* 24. *esset sublatum.*

26 *Sacra Congregatio censuit, quoad quotidianas distributiones nec quidem in tribus mensibus a Concilio permissis posse quemquam Canonicum eas in absentia lucrari. Quod verò attinet ad quæstionem: An statutum illud juratum censeatur sublatum, censuit esse sublatum, quamvis juratum, tum quia lex generalis tollit statuta; ergo & juratum; tum quia juramentum fuit generale, non speciale ad istud statutum; tum quia statutum factum est a solis Canonicis, qui nullam potestatem habent ita statuendi.* Ac rursus.

Cùm Canonici Cathedralis Ecclesiæ Æsinæ ab immemorabili tempore consuevissent quatuor menses quotannis ab Ecclesia abesse, & eo tempore distributiones quotidianas percipere, eaque consuetudo ab omnibus Episcopis tolerata fuisset, & præsertim a Sanctæ memoriæ Paulo V. qui in minoribus eidem Ecclesiæ præfuit; & supplicarent propterea, ut sibi liceret pergere in eadem consuetudine. Sacra Congregatio censuit, non concedendum; sed de cætero absentiæ tempus tres menses ad summum excedere non debere; & absentes eo tempore percipere posse fructus præbendæ dumtaxat, amissis distributionibus quotidianis.

Respondetur enim, licèt non possit statutum illud fieri, quia jure Canonico non potest inferior contra legem Superioris statuere, at consuetudo contra jus admittitur, *cap. final. de consuetud.* ita in nostris terminis Navar. Suarez *to.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de horis canonicis*, *cap.* 12. *n.* 16. Bonac. *disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 5. & ante illos dixit post Abb. Decius *in cap. cum omnes n.* 54. *de constit. sect.* 2. Quamvis etiam Cenedo 3. *par. collect.* 15. *n.* 7. asserat, posse fieri statutum, quo possit quis percipere distributiones, licet per duos menses absit a sua Ecclesia ob animi relaxationem, vel ob negotia sua domestica. Ergo multò magis consuetudine induci potest, ut quis per substitutum Choro inserviat. Atque sicut etiam potest tolerari statutum, quo senibus, & benemeritis, qui per quadraginta annos inservierunt Ecclesiæ assistendo divinis officiis, dentur distributiones, quamvis absint ab Ecclesia, Monet. *d. p.* 2. *qu.* 7. *num.* 21. & *q.* 12. *num.* 61. & *q.* 13. *n.* 41. Cenedo *pract. qu.* 1. *n.* 21. & *d. collect.* 15. *n.* 8. Garz. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 344. Gratian. *tom.* 2. *cap.* 298. *n.* 19. Barbos. *de off. Episc. p.* 3. *alleg.* 55. *n.* 117. & dicitur sic fuisse decisum a S. Congreg. *ad d. sess.* 24. *cap.* 12. *de refor. Concil. Trident.* his verbis: *licet statuta sint sublata, per quæ absentibus dantur distributiones, nihilominus Gregorius XIII. senibus, & benemeritis misertus, mandavit, statutum Compostellanum posse tolerari, per quod debentur distributiones non servientibus, qui per quadraginta annos jam servierunt.* Ita quoque potest tolerari consuetudo, qua Clericus per substitutum ad aliquod breve tempus Choro inserviat. Præterea resolutiones adductæ loquuntur de totali absentia a Choro, non de interessentia per substitutum. Quod diversum est, ac proinde earum dispositio non intrat *ex vulgaribus*. In primò enim casu detrimentum pateretur cultus divinus. In secundo autem nil detrimenti patitur, sed quodammodo augetur. 27

Neque obstant Canones, qui ex adverso afferri possunt; iis enim uno verbo dici potest, consuetudinem rationabilem contra illos induci potuisse. Verùm ad abundantiam possumus singulos percurrere. In primis *c. Clericus* 21. *q.* 1. prohibetur pluralitas beneficiorum. Quia nemo potest duobus Dominis servire. Quæ ratio, ajunt adversarii, ruit, si alteri per se, alteri per alium licet inservire. Respondetur, textum illum facere contra frequentem, immò perpetuam absentiam. Loquitur enim de duobus beneficiis, quibus ambobus non potest beneficiatus servire. Qui autem non potest servire, non solùm abest aliquando, sed frequenter aut semper. Idemque respondetur *ad cap. super inordinata de præbendis*, ubi pluralitas beneficiorum ob eandem rationem prohibetur, Glos. *ibi*, *verb. beneficiati.* Simile est, quod affertur *in cap. quia nonnulli*, *de Cler. non resid.* ubi prohibetur conferri beneficium ei, qui non potest deservire, qui autem non potest, nunquam deservit, ut dicebamus. Adde in hoc *cap.* sermonem esse de beneficiis curatis, in quibus, quia eligitur industria personæ, ideò non facilè permittitur, ut quis per alium inserviat, ut indubium est, permitti non curatis, Abb. *ibi*, & tamen in utrisque consuetudinem induci posse, ut per alium quis deserviat, dixit idem Abb. *ibi*, & *in cap. extirpandæ*, de quo mox dicam. 28

Ad cap. extirpandæ, §. *qui verò de præbendis*, respondetur, ibi sermonem esse de beneficiis curatis, & tamen, ut supra vidimus, *ibi n.* 2. & *in repetit. ejusdem* §. & *cap. n.* 12. dicit, quod ex causa, & ad tempus modicum, quod dicit esse tempus trium septimanarum, potest etiam sine licentia Episcopi constitui Vicarius, & *n.* 8. & *in repetit. n.* 13. & 31. conciliando Doctores dicit, quod consuetudo rationabilis inducere potest, ut etiam in curatis, non solùm consuetudine induci possit, ut deserviatur per Vicarium, sed etiam ut accipiantur fructus non deserviendo neque per se, neque per alium, si Ecclesia non patitur defectum in Ministris. Hostiensis tamen vult, quod hoc secundum consuetudine induci non possit, sed debere deservire saltem per alium. 29

Ad *cap. conquerente*, *de Cler. non resid.* respondetur, quod Glos. *verb. deserviat*, & Abb. *ibi*, dicit, quod non 30

poteſt beneficiatus in abſentia aliquid percipere, niſi conſuetudo in contrarium ſe habeat; nam tunc in abſentia etiam a reſidentia poteſt. Idem habet Gloſ. *in cap. ad audientiam, verb. conſtitutio, eodem, & in cap. licet, verb. diſtributiones, de præbendis*, Prob. *in addit. ad Monach. cap. unico, n. 62. de Cler. non reſid. in 6.* dicit hoc capite ſolùm prohiberi, ne Canonicus deſerviat per alium, qui non ſit Canonicus.

31 Ad *c. Eleutherius diſt. 91.* clara eſt reſolutio; loquitur enim in caſu, quo beneficiati erant in cauſa, ut officia non celebrarentur, quod etiam notavit Abb. *in cap. cit. extirpandæ, §. qui verò*, in quo caſu peccatum mortale incurri nos etiam ſupra diximus, & diſtributiones amitti.

32 Ad *c. Clericus victum, & c. Clerici, diſt. 91.* reſpondetur, hos textus loqui de frequenti abſentia, & cum contemptu, ut conſtat ex pœna excommunicationis ibi appoſita, quæ non juſtè imponeretur ob raram abſentiam, unde in poſteriori capite expreſsè habetur vox, *contempſerint*. In illis autem canonibus, ut patet, & intelligunt Doctores, ſermo eſt non de beneficiatis tantùm, ſed de omnibus Clericis, nullum beneficium habentibus, qui ante inſtitutionem beneficiorum ex vi Clericatus erant obligati Choro, cui obligationi nunc pro iis, qui ſunt in ſacris ſucceſſit obligatio recitandi horas privatim; quis autem dicat, ſimplices Clericos ob id, quod aliquando deſunt a Choro, fore excommunicandos? Benè verum eſt, quod illi quotieſcunque aberant, ſimpliciter aberant, nec alium ſubſtituere poterant, cùm omnes eſſent ſemper obligati.

33 Ad *c. final. diſt. 92.* ſive intelligatur de beneficiatis, ut vult Archidiac. & Turrecremata, ſive de omni Clerico, ut vult Gloſ. *verb. deputatus*, loquitur de frequenti abſentia, ut textum illum exponit Gratian. *§. qui autem, diſt. ead.* & patet ex pœna depoſitionis, quæ non poteſt imponi pro non frequenti abſentia.

34 Eodem modo reſpondetur ad Calderinum *conſ. unico, de Cler. non reſid.* quem ſequitur Tuſch. *lit. D. concl. 514. n. 6.* uterque enim loquitur de Jure communi, quo non licet alium Choro inſervire, eodemque modo loquutus eſt Reginald. *p. 2. lib. 3. tract. 3. n. 60.* allegans pro ſe Covarr. *lib. 3. var. reſol. cap. 13.* qui hanc ſententiam probat, ita tamen, ut oppoſitam non damnet, ſed omnes iſti nihil dicunt de conſuetudine.

35 Denique non obſtat Tridentinum, ex quo tres præcipuè textus poſſunt urgeri. Primus eſt *ſeſſ. 21. cap. 3.* ubi ſic habet: *Ut diſtributiones inter Dignitates obtinentes, & cæteros divinis officiis intereſſentes dividantur*. Secundus eſt *ſeſſ. 22. cap. 3.* ubi hæc habet: *Ut unuſquiſque perſonaliter competens ſibi ſervitium juxta formam ab Epiſcopis præſcriptam quolibet die ſtatu impleat*. Tertius habetur *ſeſſ. 24. c. 12.* ibi: *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit: conſuetudinem, quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus. Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere & inſervire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devotèque laudare*. Quibus poſſet addi ille *ſeſſ. 5. cap. 1.* ubi vult, *præbendam Theologalem nonniſi perſonis idoneis, & quæ per ſe ipſas poſſint munus illud explicare, conferri*. Unde videtur colligi, Tridentinum velle, ut ſingulæ perſonæ per ſeipſas ſua munera exerceant, atque adeò, ut etiam Canonici ſuum munus, quod eſt Choro intereſſendi per ſeipſos. Denique & ille *ſeſſ. 6. c. 2.* ubi obtinentes quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, perſonalem reſidentiam requirentia, jubet cogi reſidere, nullique privilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragari.

36 Ad primum locum reſpondetur, nomine intereſſentium venire etiam eos, qui per alium interſunt; nam qui ſimpliciter non interſunt, ſcilicet nec per ſe, nec per alium, verè intereſſentes dici non poſſunt, ut ſupra diximus, & propterea S. Congreg. Concilii ſupra allata dixit, Epiſcopum debere concedere licentiam Canonicis ſe inviſem ſubſtituendi, immò ſi ſubſtitutio non ſit diuturna, non erit neceſſaria illa licentia, ut *ſupra* dixi, & etiamſi ſit diuturna poteſt conſuetudine introduci, ut ſine licentia Epiſcopi fiat. Verùm ſi dicamus Concilium *ibi*, & locis ſequentibus allatis prohibere diſtributiones dari non intereſſentibus per ſe, ut intellexit Suarez *cit. c. 12. n. 15.* potuiſſe nihilominus contrarium conſuetudine induci conſtat ex dictis, etiamſi Tridentinum addat ſuo decreto, non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabilibus, quia illa clauſula abrogat conſuetudines præteritas, non reprobat futuras.

Dices immò reprobare etiam futuras, cùm addat, 37
creſcente non ſervientium contumacia, liceat contra eos procedere. Quibus verbis declarat non ſervientes in poſterum contumaces, ac proinde videtur reprobare futuram conſuetudinem, dum decreti ſui futuram tranſgreſſionem vocat contumaciam. Lex enim, quæ reprobat conſuetudinem ſemper reprobat, ut notant Jo: Andr. *in c. certificari de ſepult.* Butr. *ibid.* Cynus *in l. 2. q. 5. C. quæ ſit longa conſuetudo*, Alex. *in l. Si mihi, & tibi, §. in legatis n. 7. de legat. 1.* Jaſ. *n. 21. in 1. lect. & n. 14. in 2. lect.* Dec. *in cap. 2. n. 2. de probat.* Felin. *ibid.* Alex. *conſ. 193. n. 8. lib. 2.* Tiraquell. *de retract. in præf. num. 18.* alios referens, Gratian. *deciſ. March. 16. n. 9.* Rota *in Cracov. jur. legendi 21.* Martii *1627.* coram Coccino. Cùm autem lex ſemper loquatur, *l. Ariani, C. de hæret.* ſemper etiam reprobat conſuetudinem ſupervenientem, & complectitur etiam quæ de nova ſuperveniunt, ut notant Franch. *in cap. unic. de exceſſ. Præl. in 6.* Gemin. *ibid. n. 8.*

At reſpondetur, illos fore contumaces, ſi vigore præ- 38
teritæ conſuetudinis, quam Concilium abrogavit, pergant deeſſe ſervitio, non autem ſi nova conſuetudo inducatur, quam, ut dixi, non reprobat. Verùm etiamſi reprobaret, poſſet nihilominus induci, quia Concilium non dixit fore talem conſuetudinem irrationabilem juxta ſupradicta; ea autem inducta, poſſent jam Canonici ſine contumacia deeſſe ſervitio.

Quando enim conſuetudo non reprobatur tanquam 39
iniqua, & irrationabilis, poteſt de novo induci contra legem, quia hujuſmodi conſuetudini derogat, ut docent Abb. *in c. de conſuetud. n. 22.* & ibi Butr. *n. 53.* Roch. de Curte *n. 597.* Duegnas *regul. 144. n. 1.* Tiraquell. *de utroque retract. in proœm. num. 18. & ſeqq.* Covarr. *lib. 3. var. c. 13. n. 4.* Loaſez *de matr. Reg. Angl. fundam. num. 32.* Lopez *lib. 6. tit. 9. part. 3.* Avendan. *in c. 6. Prætor. n. 7. lib. 2.* Anton. Gabr. *tit. de præſcription. concl. 1. n. 32.* At conſuetudo, ut Canonici poſſint inſervire per ſubſtitutum ad modicum tempus, nimirum ad duos menſes, non reprobatur a Concilio tanquam iniqua, & irrationabilis. Deinde Concilium, dum revocat omnem conſuetudinem, non cenſetur auferri immemorabilis. Hæc enim non cenſetur ablata, niſi de ea fiat expreſſa mentio in lege, vel decreto revocante conſuetudinem, etiam appoſita dictione univerſali, ut docent Gloſ. *in auth. Ut de cætero, §. Ut de cætero, verb. præſcriptione collat. 5.* Angel. *in leg. omnes, C. de præſcript. 30. ann. in fin.* Tiraquell. *lib. 2. de retr. convent. §. 1. gloſ. 2. num. 12.* Afflict. *deciſ. 254. n. 5.* Ripa *in l. nemo poteſt, ff. de legat. 1. n. 115.* Covarr. *ſuper d. cap. 13. n. 5.* Ruin. *lib. 2. conſ. 13. n. 30.* Cravett. *de antiquit. temp. 4. p. n. 47.* Roderic. *tom. 1. qq. regul. q. 6. art. 5.* Felin. *in rubr. de præſcript. n. 18. & ult. & in c. accedentes eod. tit. num. 9.* Guttier. *lib. 3. pract. q. 77. n. ult.* Roland. *lib. 4. conſ 59. n. 17.* Dec. *conſ. 271. & conſ. 496. n. 10.* Bertrand. *vol. 1. conſ. 98. n. 12.* Prob. *in addit. ad Monach. in cap. 1. n. 24. de præſcript.* Curt. Jun. *conſ. 158. n. 12.* Avendan. *reſp. 16. n. 4.* Flor. de Men. *q. 10. n. 44.* Anton. Gabr. *loc. cit. concl. 1. n. 30.* Put. *deciſ. 205. lib. 1.* Rot. *dec. 717. n. 2. p. 1. div. & dec. 614. n. 1. p. 2. & dec. 286. n. 1. p. 4. rec. & dec. 53. n. 13.* coram Eminentiſſimo Otthobono, Pelaez de Mierez. *de major. p. 4. qu. 20. n. 51.* Velaſquez *l. 2. taur. gloſs. 11. n. 9.* Bald. *de præſcript. p. 2. q. 6. n. 21.* & alibi, aliique innumeri. Quia conſuetudo immemorialis privilegio æquivalet, eandemque vim utrumque habet, Gloſſ. *in cap. Novit, de jud. verb. conſuetudine*, & ibi Abb. *num. 22.* Felin. *in d. cap. accedentes, de præſcript. n. 6.* & pater *ex cap. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verb. ſignif. & l. hoc jure, §. ductus aquæ, ff. de aqua quotid.* & aſſerunt etiam Innoc. Flamin. de Rub. Campeg. Alberic. Brun. Gratian. Veg. Borell. Riminald. Marſil. & alii apud Sanctarell. *var. reſol. q. 4. n. 36.* Concilium autem in ſuo decreto non abſtulit privilegium, quin Canonici ſervire poſſint per ſubſtitutum, ut benè docent Leſſius *lib. 2. de juſt. cap. 34. dub. 26. n. 162.* Garz. *de benef. p. 3. cap. 2. n. 197.* ubi ait, ſic fuiſſe declaratum a Sacra Congregatione, Ammendariz, Navarr. Azor. & alii penes Sanctarellum *d. q. 4. n. 29.*

Ad ſecundum locum Suar. *ſæpè cit. l. 4. c. 12. n. 12.* 40
per perſonale illud ſervitium dicit, non intelligi ſervitium pſallendi in Choro, aut in eo aſſiſtendi, ſed potius ſervitia illa, quæ interdum Canonici tenentur præſtare, ut ſunt miniſtrare in Altari, Evangelium, vel Epiſtolam cantare, interdum in Choro ſacris veſtibus indui, vel aliquid ſimile facere, ad quæ Concilium vult Canonicos perſonaliter teneri; & tamen etiam in his poſſe unum Canonicum impeditum alium ſubſtituere dixit S. Carolus *in Concil. Mediolan. 3. tit. de iis, quæ ad Divina officia pertinent*. Quod Concilium celebratum eſt poſt

Con-

Concilium Tridentinum. Quare iterùm dicimus, ut ad præcedentem locum diximus, conſuetudine potuiſſe illi derogari. Immò hunc locum ita interpretata eſt Sacr. Congregatio declaratione ſupra allata, quod ſit facultas danda Canonicis ſe invicem ſubſtituendi. Unde fit, nec beneficio conſuetudinis opus eſſe.

41 Ad tertium locum quòd illa verba: *Diſtributiones verò qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui his careant.* Reſpondetur, ut ad primum locum, intelligi de iis, qui per ſe, vel per alios interfuerint: Quoad illa autem verba, quæ magis urgent: *Omnes verò Divina per ſe, & non per ſubſtitutos &c.* Omiſſa reſponſione Leſſii *lib. 2. cap. 34. dub. 33. n.* 186. quam optima ratione rejicit Suarez *cit. cap.* 12. *n.* 9. & Dian. *part. 2. reſol. 6.* dicimus, illa verba: *per ſe, & non per ſubſtitutos*, cadere ſuper illa officia, de quibus in proximè præcedenti loco, & ſuper aſſiſtentiam, quam Epiſcopo Pontificalia exercenti præſtare debent, non verò ad ſervitium Chori, de quo non convincere omninò, ut teneantur per ſe præſtare, dixit Suarez *cit. cap.* 12. *n.* 9. & clariùs *n.* 12. & 14. dixit omninò verba illa non extendi ad ſervitium Chori, de quo poſteà, ſed de illis officiis, de quibus ſupra eſſe intelligenda, & affert ad hoc Sacræ Congregationis declarationes. Verùm utcumque intelligatur, ſemper ad idem redeo, potuiſſe conſuetudine oppoſitum induci.

42 Ad locum autem, qui additur *ex ſeſſ. 5. cap. 1.* præterquam quod loquitur de præbenda Theologali, a qua ad Canonicatus non eſt facienda extenſio odioſa, adhuc cùm vult illam non conferri, niſi perſonis idoneis, & quæ per ſe ipſas munus explicare poſſint, hoc ſolùm convincit, non eſſe danda officia, aut etiam Canonicatus iis, qui idonei non ſunt, & per ſeipſos ſervire non poſſint. Iis enim non ſolùm aliquando, ſed ſemper per ſubſtitutos ſervirent, quod licet conſuetudine poſſe induci, etiam in beneficiis curatis dixerit Jo: de Lignano, & Navarr. *ſup.* allegati; immò Medina *ſupra* dixerit etiam de jure communi licere; nos tamen non defendimus tantam laxitatem, quæ a contemptu excuſari vix poſſet, & vix percipi poteſt, ut de jure hoc liceat, aut quomodo tàm laxa conſuetudo poſſit eſſe rationabilis.

43 Denique ad locum *ex ſeſſ. 6. c. 2.* dicimus, ibi ſermonem eſſe de reſidentia, non autem intereſſentia, quæ duo diſtingui, *ſup.* oſtendimus, & conſuetudinem etiam immemorialem non reſidendi excluſam fuiſſe a S. Congregatione ſupra demonſtravimus, non ſic conſuetudinem per ſe ipſum aliquando non intereſſendi, ſed per alium, & quidem, qui non reſidet per ſe ipſum, nunquam intereſt. Nos autem defendimus ſolùm conſuetudinem inſerviendi aliquando per alium cum compenſatione, in qua re nullam nec etiam venialem culpam agnoſcimus; ſi autem ſine compenſatione fiat, non crederem proindè ſic ſubſtituentem ſemper peccare graviter venialiter, etiamſi ex levi, aut nulla cauſa id faciat, ut peccare eum, qui vel unica vice, neque per ſe, neque per alium ſine rationabili cauſa non inſervit, *ſup.* diximus, ſi tamen hoc faciat frequentiùs, peccabit graviter venialiter, ſi autem tàm frequenter, ut ex contemptu ſui officii, cui eſt mancipatus, faciat, peccabit etiam mortaliter, neque enim hoc rationabilis conſuetudo in Eccleſiis Urbis induxit, & tales peccarent peccato non reſidentium, & eorum pœnis fortè damnari poſſent juxta Gloſſam, & declarationem Sacr. Congregat. ſupra allatam, dicentem, quod nihil prodeſt Canonicis, quod in Civitate maneant, niſi Eccleſiis debitis horis inſerviant.

45 Pro coronide addam, quod licet diſtributiones non debeantur niſi intereſſentibus, nec valeret conſuetudo in contrarium, tamen ſi eſſet dubium in jure, ut revera eſſe oſtendimus, an debeantur intereſſenti per alium, tunc valeret conſuetudo, ut aliis allegatis, ut tradit Probus *in d. cap. unito, de Cler. non reſid. num.* 49. Dec. *in cap. cum omnes num. 3. de conſt. lect.* 1. Adverſarii autem, etiamſi fortè controvertant, an ſit de jure certum, quod cùm tot Doctoribus ſupra oſtendimus, poſſe Canonicum ſine peccato mortali aliquando non intereſſe nec per ſe, nec per alium, poſſe etiam ſine veniali aliquando intereſſe per alium, at negare non poſſunt, ſaltem eſſe dubium, atque adeò juxta Probum, & Decium valere conſuetudinem, ne peccent, nec diſtributiones amittant. Multi enim Doctores ſcribunt, quod ſi de aliquo contractu dubitetur, an ſit uſurarius, ſi ex conſuetudine reputetur licitus, talis conſuetudo excuſet contrahentes ab injuſtitia, & ab omni culpa, ut Bart. *in l. ſi quis ſit fugitivus, §. apud Labeonem, ff. de ædilit.* Bald. *in l. unic. col. 7. C. de his, quæ.*

46 Atque ita tenendum cenſeo, ſequens reſolutiones deſuper factas tàm in Sacr. Congreg. Cardinalium interpretationi ipſius Concilii præpoſitorum, quàm ſacrorum Rituum. Prima enim in Abulen. 27. Julii 1587. approbavit reſponſum Cardinalis ponentis hiſce verbis conceptum: *Porrò facultatem ſubſtituendi in ſervitio Canonicatus quempiam alium Canonicum, qui eo tempore ſervitio non ſit adſtrictus exiſtimavit illi minimè denegandum eſſe, ceſſante fraude, & calumnia.* Quam reſolutionem referunt Garz. *de benefic. d. par. 3. cap. 2. §. 2. num.* 503. & Barboſ. *d. Canon. & dignit. d. cap. 31. n. 7. verſ. porrò*, & bis a regula negativa excepit caſum legitimè impediti nempè in Eginaten. 29. Novemb. 1602. & in Neritonen. 15. Aprilis 1606. dicendo. *Canonicos teneri per ſe ipſos, & non per ſubſtitutos ſuo muneri ſatisfacere, niſi legitimè ſint impediti.* Utriuſque enim meminit Barb. *d. cap. 31. n. 3.*

Altera verò in *Abulen.* die 12. Maji 1602. edidit hu- 47
juſmodi decretum, quod Garz. *de benef. d. p. 3. cap. 2. §. 2.* integrum refert num. 496. & ſeq. teſtatur vidiſſe in forma authentica ſubſcriptum manu propria Cardinalis Ptolomæi Comenſis ac Secretarii ejuſdem Congregationis, idemque per extenſum pluries impreſſit Barboſ. ſcilicet *in tract. de Canonicis d. cap. 31. n. 6. in collect. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. d. cap. 12. n.* 118. *& in ſumma Apoſtolicarum deciſionum verb. Canonicus in Eccleſia, Collectan. 92. n. 2.* Illud eſt hujuſmodi.

Obtinentes dignitates, Canonicatus, vel portiones in Ec- 48
cleſiis, præſertim in Cathedralibus cujuſcunque qualitatis ſint, tenentur munera eiſdem dignitatibus, Canonicatibus, & portionibus in cantione Miſſæ, Evangelii, Epiſtolæ, & ſimilium functionum præſtatione, incumbentia, & annexa per ſe ipſos ſubire, & exercere.

Quod ſi aliquando aliquis legitimo impedimento deten- 49
tus per ſe ipſum adimplere non poterit, tunc alios ejuſdem tamen ordinis, & gradus, non autem inferioris, dignitates nempè alias dignitates, Canonici Canonicos, & Portionarii reſpectivè Portionarios in ſua quiſque hebdomada, ne graduum, & ordinum prærogativæ confundantur, deputare debebunt, idque per Epiſcopos opportunis remediis hujus Decreti vigore, providendum erit.

Unde liquet, regulam negativè ſtatutam in Triden- 50
tino *d. ſeſſ. 24. c.* 12. quod nequeant divina officia obire per ſubſtitutos, intelligendam eſſe, vel ſemoto legitimo impedimento pro ſolius voluntatis libitu, ne obligatus inſervire per ſe ipſum dicta facultate abutatur, vel per ſubſtitutos alterius gradus, & ordinis, ne confundantur prærogativæ ordinum, graduum, & limitari quoties perſonaliter inſervire debentes aliquo legitimo impedimento detinentur, ut munus ſuum implere valeant per alium, ejuſdem gradus, & ordinis, qui non debuiſſet ea die inſervire, quoniam ita impediti vices ſupplentur ab alio tunc non obligato per ſe, nec ſervitio Eccleſiæ deficit numerus præſcriptus conſimili præſentia impletus.

Nec refragatur Sac. Congregat. Epiſcoporum, & Re- 51
gularium negotiis præpoſita, quæ ſæpè cenſuit, præſertim in Eugubina 25. Junii 1597. & in una Catanien. 2. Junii 1598. quod *Canonici legitimè impediti poſſunt cantare miſſas, & explere alias functiones ſacrorum ordinum per alium Canonicum, non verò divinum officium, neque per Sacerdotem exterum.* Item in una *Civitatis Pennen. 6. Novemb.* 1584. *Canonici Cathedralis non ſolùm debent celebrare per ſe ipſos divina officia, ſed etiam miſſas, ut ſæpius reſolutum eſt a S. Congregatione Concilii.* Quod etiam dixit Chalder. *conſ. 1. de Cler. non reſid. dub. 2.* Gallet. *in margar. caſ. conſc. v. diſtributiones*, Barboſ. *de offic. Epiſc. p. 3. alleg.* 53. Covarr. *lib. 3. var. c. 13. n.* 2. & habetur ex Conſtitutionibus Baſilicæ S. Petri in Vaticano a Paulo V. confirmatis *cap. 3.* in hunc modum: *Miſſas tàm pro vivis, quàm pro defunctis celebrare, & alia divina officia per ſe ipſos, non autem per ſubſtitutos perſolvere teneantur, & debeant, alioquin diſtributiones quotidianas, necnon quæ ſecundùm conſtitutiones ejuſdem Nicol. III. ſunt dividenda inter Canonicos, Beneficiatos, & Clericos ſupradictos præſentes, & inſervientes tantùm, non lucrentur, & faciant ſua.* Et ex decretis S. Viſitationis Apoſtolicæ Urbani VIII. ann. 1624. *Miſſas conventuales tàm pro vivis, quàm pro defunctis, necnon reliqua divina officia, quibus perſonaliter ſunt obligati, non legitimè impediti, per ſe ipſos, non per ſubſtitutos perſolvere teneantur.*

Nam reſpondetur, contrarium eſſe dicendum, quan- 52
do alicubi eſſet conſuetudo legitimè præſcripta, quod quis per alium poſſet Eccleſiæ inſervire, & percipere interim diſtributiones. Quod etiam aſſerunt Moneta *de diſtrib. p. 2. qu. 5. n. 20. & qu. 12. n. 47. verſ. limita* 5. Cenedo *qq. pract. qu. 1. n. 77.* Auguſtin. Bero. *qu.* 114. & nos ſuperius dicebamus. Certum enim eſt, quod Clericus ex Pontificis privilegio poteſt percipere diſtributiones, quamvis abſit ab Eccleſia, cui eſt adſcriptus, do-

cent-

centque communiter Doctores apud Cenedum *pract. q. 1. n. 26.* Nam quod distributiones debeant dari solùm iis, qui divinis officiis interſunt, est de jure humano. Et quod ex eodem privilegio potest illas percipere, quamvis per ſubſtitutum ſerviat, tradunt Chalder. *conſ. 1. de Cleric. non reſid. dub. 2.* Gallet. *loco alleg.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 13. n. 2.* Moneta, & Cenedo proximè citati. Atqui conſuetudine introduci potest privilegio concedi, ut tradit Gloſſ. *in cap. conqueſtus, verb. conſuetudo 9. q. 3. & in c. Novit, de judic.* & notant communiter Doctores, nominatim Oldrad. *conſ. 137. n. 1. & conſ. 254. num. 8.* Bald. *conſ. 49. lib. 1.* Zabarel. *in Clem. 2. §. Illi verò num. 4. & not. 1. de ætat. & qual.* Ubald. *de Can. port. par. 2. c. 2. n. 28.* Barbat. *conſ. 81.* Grammat. *conſ. civil. 98.* Mandoſ. *de privil. ad inſtar gloſ. 15. n. 59.* Cravett. *de antiq. temp. p. 4. q. 3. n. 10.* & alii paſſim. Cùm ex privilegio obtineri poſſit, quod inſerviatur per ſubſtitutum, poterit etiam obtineri ex conſuetudine.

CONSULTATIO CXXXI.

An cadavera punitorum Medicis ad anatomiam ſint concedenda?

1 AFfirmo. Primò, quia facit ad perfectionem artis medicæ cognitionem, quam habere magni Reipublicæ intereſt. Secundò, quia ea, quæ utilitatis publicæ cauſa fiunt, etiamſi in alterius vergant injuriam, non ſunt culpanda, cumque omnibus proſint, præferuntur utilitati privatæ, *leg. unica, §. fin. C. de caduc. toll.* Neque injuriarum Magiſtratus corpora punitorum petentibus concedentes tenentur, *leg. Quod Reipublicæ, ff. de injur.* ubi habetur, Judicem non inferre injuriam, ſi aliquid faciat intuitu Reipublicæ, licèt tendat in contumeliam alicujus privati. Quod tenet Dec. *in l. Imperium, ff. de juriſd. omn. Jud. n. 17.* & Anton. Gomez *to. 3. var. cap. fin. num. ult.* Tertiò, quia nullum honorem meruerunt vivi, utpotè pœnæ ſervi, & eorum corpora abjici, vel in furca relinqui poterant. Quidni igitur ad anotomiam uſurpari poterunt? Quartò, quia ſcelerum, forma larvalis ab Apulejo dictum, quod plerumque conſervari ſolet, conducit nos ad ardentiorem fragilitatis noſtræ conſiderationem, & vehementiorem microcoſmi, ejuſque architecti ſapientiſſimi admirationem. Hinc fertur, Carolum V. Imperatorem conſuluiſſe ſuper hac re Univerſitatem Salmaticenſem, & reſpondiſſe Univerſitatem licere. Licet Bart. *in l. fin. ff. de cadav. pun.* id reliquerit indeciſum. Quod etiam fecit Anan. *in cap. 2. de furt.* Vide, ſi placet Ripam *de peſt. p. ult. n. 142. & ſeq.* Boer. *dec. 287. n. 6.* Roman. *ſing. 709. n. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 3. caſ. 285. nu. 10.* Dec. *in l. Imperium n. 18. ff. de juriſd.* ubi Bolognet. *n. 37. in fin.* Clar. *in prax. qu. 100. n. 2.* ubi Add. *litt. A.* Dan. Moller. *lib. 4. conſtit. electoral. conſt. 34. nu. 3.* Et licet apud veteres Chriſtianos non videatur receptum fuiſſe, quorum rationem, uſumque honeſtiorem dicere proclive eſt, conſuetudo tamen in cadaveribus punitorum hoc permittit, quæ quidem conſuetudo cùm ad publicam utilitatem pertinere videatur, ſatis poteſt exiſtimari rationabilis, atque idcircò tolleranda. Et confirmatur. De Sanctiſs. Epiſcopo Genevenſi Franciſco Saleſio narrant, adoleſcentem Patavium iviſſe juris cauſa addiſcendi, & gravi morbo correptum, ſpe ſalutis amiſſa, teſtamento corpus ſuum legaſſe chirurgis, ut cum præ humilitate reputaret, ſe hactenus ſocietati humanæ inutilem, ſaltem aliquod mortuus emolumentum conferret, ſui corporis diſſectione Medicis permiſſa, quoad alios curandos fierent peritiores.

CONSULTATIO CXXXII.

Utrùm Vicarius Generalis Ordinis dignioris deputatus per Pontificem, vivente ſuo Generali, tàm ab eo abſente, quàm præſente præcedere debeat Vicario Generali ulterius Ordinis inferioris etiam per Pontificem deputato in locum tamen Generalis demortui, ut toti Religioni præſideat?

1 PRæeminentia loci dignioris, quam in Capella Pontificia abſque ulla controverſia pro ſui Ordinis prærogativa obtinet Generalis Ordinis dignioris reſpectu Generalis inferioris Ordinis, quando in defectu Generalium res agitur inter Vicarios Generales eorundem Ordinum eodem jure videtur deberi Vicario Ordinis dignioris. Quia data paritate dignitatis, & officii, ille præferendus eſt, qui dignitatem, & officium habet in loco, ſeu Collegio digniori, prout exempli cauſa non ambigitur, digniorem eſſe Religione Dominicanorum Religione Carmelitarum juxta ea, quæ notat Innoc. *in cap. Fraternitatem in fin. de ſepult.* Felin. *in rubr. de major. & obed. num. 4.* Caſsan. *in Catal. glor. mund. p. 4 conſid. 47.* Natt. *conſ. 638. n. 10.*

Non obſtat, quod non verſamur inter Vicarios paris 2
conditionis, ſed videatur longè inferior dignitas, & conditio Vicarii Ordinis dignioris, qui habet Superiorem in Ordine, nempè Generalem, actu ſuperſtitem, qualem non habet Vicarius Ordinis inferioris, qui propterà cenſeri debet, & honorari tanquam caput totius ſui Ordinis.

Nam huic objectioni, quæ unica videtur adduci poſ- 3
ſe, in primis reſpondetur, quod etſi defectus Superioris, actu ſuperſtitis, operari poſſit in Vicario ampliorem uſum juriſdictionis, non ideò tamen operatur augmentum dignitatis, quæ nihilo magis egreditur limites Vicariatus, atque adeò eum non facit abſolutè caput Ordinis, prout eſt Generalis, ſed ſolùm ipſius capitis locumtenentem, & quidem ad breve tempus, ſcilicet futuri Capituli. Ad effectum autem præcedentiæ non ſolet attendi, an quis habeat ampliorem uſum juriſdictionis, ſed an habeat majorem dignitatem, *l. 1. & 2. C. ut dign. ord. l. 12.* Et de facto obſervatur in eadem Capella Pontificia inter Epiſcopos, ex quibus etiam titulares, qui carent omni juriſdictione præferuntur quibuſcunque inferioribus habentibus pleniſſimam juriſdictionem.

Præterea ſuperexiſtentia illius, cujus aliquis eſt locum- 4
tenens, ſeu Vicarius, tunc demum detrahit dignitati ipſius Locumtenentis, quando fuit ab illo creatus Locumtenens, & Vicarius, & habet talem dignitatem dependenter ab illo, ſecus autem quando fuit creatus Vicarius a Superiore, qui illi dederit poteſtatem independenter ab eo, cujus vices illi committit ad text. *in d. c. Præcipimus 93. d.* & tradit Bart. *in l. filius, ff. de legat.* Card. *in Clem. 1. oppoſ. 6.* Abb. *in cap. Cum olim 2. in 1. notab.* & ibi Felin. *de offic. deleg.* Alex. *in rubr. de offic. ejus n. 14.* Dec. *in cap. Sanè n. 12. de offic. deleg.* Et pluribus adductis latè exornat Gratian. *diſcept. 111. numer. 54. & ſeqq.*

Unde cùm Vicarius Generalis Ordinis dignioris non fuerit deputatus ab ipſo Generali, nec habeat poteſtatem dependenter ab ipſo, ſed immediatè dependet a Summo Pontifice, ideò, quicquid ſit quoad uſum juriſdictionis, certè quoad qualitatem dignitatis ea non alteratur ex eò, quod defunctus ſit, vel ſuperſtes ipſe Generalis, a quo dignitatem non recognoſcit.

Poſtremò, hæc ſuperſtitis Superioris exiſtentia tunc eſ- 5
ſet conſiderabilis ad effectum, de quo agitur concedendi locum digniorem Vicario Generali, quando idem ſuperior eſſet actu præſens, juxta tradita per Doctores *in c. 1. §. Officiales*, ubi Franch. & Gemin. *de offic. Vicar. in 6. & in cap. Cum nullus de tempor. ordin. eodem lib.* Tunc enim non eſset cur Vicarius Generalis prætenderet locum debitum juxta prærogativam ſui Ordinis, quæ primò, & principaliter tunc repræſentaretur in perſona ipſius Generalis; ſed quando Generalis eſt abſens, tunc ſicut præeminentia Ordinis repræſentari debet per ipſum Vicarium Generalem, ita per ipſum etiam debet retineri locus, qui ſupra alios intra limites ejuſdem dignitatis Ordini ſuo debetur.

Neque ex eò, quod habet ſuperiorem ſuperſtitem il- 6
li præferendus eſt Vicarius Ordinis inferioris, ſuperiorem ad certum tempus non habentis, cùm in hujuſmodi actu attendatur potius prærogativa Ordinis, quàm alterius qualitatis, & in hac materia quoad illum actum, in quo quis vices gerit alterius, quando non eſt deputatus ab ipſo, confunditur uterque caſus, abſentiæ ſcilicet, & mortis illius, cujus vices gerit, ut per Bart. *in d. l. filius num. 1.* ibi, *propter receſſum, vel mortem Rectoris*, Cardin. *in d. Clem. 1. de off. Vicar. in 6. oppoſ.* ibi: *Ob carentiam Rectoris, vel abſentiam*, Alex. *in d. rubr. de offic. ejus num. 14. in fin.* ibi: *in locum abſentis, vel defuncti*, & benè facit textus *in c. Si delegatus de offic. deleg. in 6.* ubi Gemin. Franch. & cæteri communiter.

Verùm ego contra planè ſentio. Primò, quia digni- 7
tatem, quam ejuſmodi Vicarius Generalis Ordinis inferioris habet, ex perſona propria habet, cum omnia poſſit, prout ſi verè eſset Generalis, ut habetur *in Clem. Exivi de Paradiſo de verb. ſignif.* & tradit Roderic. *tom. 3. qu. regul. 76. art. 2.* Major autem eſt dignitas, quam quis habet ex perſona propria, quàm dignitas, quæ ei competit ex perſona alterius, Bart. *in l. Quod Principi in fin. ff. de legat. 2.* Dec. *in cap. Sanè numer. 2. de offic. Ord.* benè, ac latè Cagnol. *in d. dict. rubr. de offic. ejus num. 79.* ubi firmat, quod repræſentans perſonam alienam, dignitatem, quam habet, alieno jure habet; perſona verò repræſentata ex jure in ſe radicato dignitatem habet jure proprio, & propterea hæc dignitas, illi

præ-

præferenda est, *arg. leg. Si quid in bello* cum ibi notatis per Glossam, & Doctores, *ff. de capt. & postlim. reversi.* cum aliis ibidem per Cagnolum adductis.

8 Secundò, quia cùm ipse sit caput Religionis, & nullum alium habeat supra se, ratione administrationis, & dignitatis dicitur major illo, qui habet Generalem supra se, & illum repræsentat, & ejus tantummodò vices obtinet. Unde neque illi debetur tantus honor. Nam adest Generalis, qui est caput, Alex. *in l. Sed si, §. Semper, in princ. ff. de in jus voc.* ubi Jas. *num. 6.* Et prosequitur Dec. *in cap. Sanè num. 3. ff. de offic. Deleg.* traditque accuratè Roderic. *tom. 2. quæst. reg. 34. art. 2.* Atqui non est dubium, quin major in dignitate semper præferendus sit, *cap. Ad hæc d. 89. cap. 1. & cap. Statuimus de major. & obed. leg. 2. ut dignit. ordin. servit. l. 1. ff. de alb. scrib.* Abb. *cons. 21. n. 3. in fin. lib. 2.*

9 Tertiò, quia ita in terminis communiter docent Doctores, dum disputant, an Vicarius, sive Vicerector, gaudeat eadem immunitate, & præeminentia, qua gaudet Rector. Quod scilicet si sit constitutus in locum Rectoris demortui, habeatur ac si principaliter esset creatus Rector, & gaudeat eadem immunitate, & honore, juxtà textum *in l. fin. C. ut dignior. d. ser.* Id quod tenet Bart. *in d. leg. filius eo num. 1. ff. de legat.* Alex. *in rubr. de off. ejus, cui mand. est jurisd.* & ibidem stabiliunt Jas. *num. 74.* & Cagnol. *num. 75.* Caccialup. *in l. Diem functo num. 61. ff. de off. assess.* Gornes. *in §. fuerat n. 13. inst. de act. auth. in rubr. de except. num. 7.* Barbat. *in d. c. Sanè 2. nu. 6.* & ibi Dec. *n. 2. de offic. deleg.* Roman. *sing. 377.* Boer. *tr. de auct. magn. Consil.*

10 Nec juvat, quod Vicarius Ordinis dignioris sit constitutus per Pontificem, & non per suum Generalem. Quia non propterèa sequitur, quod ipse sit caput suæ Religionis, & quod idem honor ei debeatur, ac si esset creatus in locum demortui Generalis. Cùm semper verùm sit, quòd ipse agat nomine sui Generalis, & excepta reverentia in illo actu, honor primarius semper debeatur Generali, cujus vices ipse obtinet, ad text. *in d. filius, ff. de legat.* & latè ac pulcherrimè in his terminis philosophatur Cagnol. *in d. rubr. ff. de offic. ejus a n. 75. ubi sup. n. 79.* statuit, quod quando quis est constitutus in locum demortui, tunc pro se gerit non pro alio, & omnis prærogativa sibi competit, juxta text. *in l. 2. C. de offic. ejus*, ibique Doctores.

CONSULTATIO CXXXIII.

An, & quatenus Episcopus possit Parochos, ritè ac rectè semel approbatos, iterùm ac pluries ad examen vocare?

1 DIcendum videtur, Episcopum non solùm hoc posse, sed etiam ad id teneri. Probatur ex illa Domini sententia: *Speculatorem dedi te domui Israel.* Et ex illa: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* Ratio quoque id persuadet. Nam potest ac tenetur Episcopus experiri examine, an Parochi sufficientes sint, quia fundamentum eorum sufficientiæ, hoc est scientiæ, mutari, ac destrui potest, vel primò ob habitum contrarium, vel secundò ob habitum incompossibiliter oppositum, vel tertiò propter oblivionem, vel quartò ob ipsius conclusionis oblivionem.

2 Nec minoris est momenti visitare Parochos in externis, quàm in internis. At habet Episcopus ex Concil. Trident. *sess. 7. cap. 8. sess. 21. cap. etiam 8. & sess. 24. cap. 3. de ref.* jus visitandi annis singulis, vel saltem biennio Parochorum vitam, & mores. Poterit igitur etiam illorum scientiam examini subjicere, sine quo ejusdem Concilii verba salvari nequeunt. Quippè cura animarum non consistit præcipuè in eo, quod Parochus Sacramenta petentibus ministret, sed quod rectè.

3 Confirmo. De jure divino naturali incumbit Episcopo pabulum spirituale suis ovibus ministrare, & ad id sufficienter ministros secum adhibere. Fit ergo, illum constrictum esse eodem jure prospicere, an Parochi scientiam semel acquisitam amiserint, ac novo examine eos probare, ut insufficientes repellat, ne oves fame pereant. Quamobrem Salvator, Ecclesiasticos alloquens, præsertim Parochos, inquit Matth. 5. *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras.* Et alibi per os Malachiæ cap. 2. dicit Deus: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Vos autem recessistis de via.* Et alio in loco propheticè affatur Oseæ *c. 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.* Hinc & D. Petrus cùm Rectoribus Ecclesiæ scriberet ep. 1. & 3. ait, *Parati esse debetis reddere rationem omni poscenti vos satisfactionem de ea fide, & spe, quæ in vobis est.*

Unde licet Parochi semel acquisiverint approbationem, non idcirco jus habent justitiæ, quod iterùm non examinentur, cùm examen in favorem boni communis sit necessarium, cui cedere debent Parochi, etiam cum incommodo boni proprii. Solùm enim habent jus justitiæ, quod non impediatur eorum jurisdictio, si idoneos esse constiterit. 4

Verùm alii approbationem Parochorum esse a jure docent. Ita nominatim Henriq. *in sum. lib. cap. & n. 6.* Vasquez *3. p. qu. 93. art. 3. dub. 5. num. 1.* Ochagau. *de Sacram. tract. 2. de confess. qu. 40. num. 7.* Suarez *de pœnit. disp. 18. sect. 2. & 8.* Zerol. *in prax. de Sacram. pœnit. q. 2.* Reginald. *lib. 1. prax. for. pœnit. num. 201.* Barbos. *de potest. Episc. al. 25. n. 23.* aliique. Et proindè inferunt, talem approbationem non posse revocari ab Episcopo. Unde secundum hos Doctores videtur dicendum, quod non possit Episcopus Parochos ad examen vocare, præsertim si alias ipsos examinaverit, & idoneos judicaverit juxta regulam, *quòd semel placuit, amplius displicere non potest, de reg. jur. in 6.* Ideòque non posse Episcopum amplius Parochos examinare absque causa, cùm ipsi in examine per concursum approbati fuerint, habeantque præsumptionem pro se, ne sint illiterati, sed habiles, atque idonei, tradiderunt Oldrad. *cons. 18 sub princip.* & Innoc. *in cap. Accepimus n. 1. de æt. & qual.* Felin. *in c. Ex literis n. 6. de constit. & in cap. Cum venerabilis num. 49. de except.* ubi Abb. & Innoc. *num. 55.* ac Dec. *num. 150. & 154.* Ubi ostendit hoc habere locum etiam respectu Superioris, Rebuff. *in prax. tit. de rescript. in form. com. & in form. paup. num. 11.* Verall. *dec. 367. p. 2.* Boer. *dec. 149. num. 16. & 18.* 5

Et sanè cùm Parochus examine acquisiverit jus, quo effectus est idoneus ad munus parochiale absolutè, & non limitatè, jus habet justitiæ, quod semper reputetur habilis, donec oppositum ex sufficientibus indiciis non constiterit. Est enim regula vulgaris, *Nemo præsumitur malus, nisi probetur, cap. Dudum de præsum. cap. un. de scrut. & c. Inter dilectos de fid. instr.* Quapropter sicuti esset judicium valdè temerarium suspicari de aliquo absque indiciis, eum esse deperditis moribus, maximè si aliquando opera virtutis fuisset assequutus, ut rectè Lessius *lib. 2. de just. cap. 29. dub. 4. n. 34.* ita profectò temerarium esset suspicari de Parocho semel judicato idoneo incidisse in imperitiam, ut proindè oporteat illum denuo examinare. Injuria namque ei fieret ex illa suspicione, quod videlicet suum munus indebitè exequatur. Et sicut Judex lethaliter peccaret condemnando aliquem ob solam suspicionem ex levibus exortam indiciis, ut ibi Lessius *dub. 2. n. 8.* & universi, ita etiam peccaret Episcopus, condemnando ad examen Parochum semel approbatum absolutè. 6

Tenendum tamen est in hac re tanquam certum, quod possit Episcopus Parochos ad examen vocare, quando defectus eorum scientiæ est notus, præceditque fama eorum imperitiæ, vel erroris in administratione Sacramentorum. Quia tunc error, & fama se habent tanquam accusatores. Item certum esse debet, quod possit eos examinare, quos probabiliter judicaverit insufficientes esse, eò quòd non vacarint studio, & scientiam, quam prius habebant, deperdiderint. Alioquin inane redderetur decretum Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 6.* declarans, quod possit Episcopus Rectoribus Parochialium illiteratis dare coadjutores. Nam si posset examinare, aut non daret coadjutores, aut dando, fieri posset, quod iis quoque daret, qui revera essent sufficientes. Unde quoscunque suspicatur insufficientes esse, poterit ad examen vocare, tàm in visitatione, quàm extra, tàm ipse, quàm ejus successor. Quia tunc habet sufficiens fundamentum innovandi examen. Siquidem opinio insufficientiæ est veluti quædam denunciatio. Atque ita censuit S. Congregatio Concilii in una Placentina die 28. Augusti 1628. & in una Consentina die 3. Jan. 1594. ac præcipuè in una Pampilonensi, in qua conquærebatur 7

Primò, utrùm possit Episcopus examinare Parochos, & Rectores semel approbatos ad curam animarum exercendam, quando ex rationabili, & legitima causa habetur vehemens suspicio de illorum imperitia ad Sacramenta ministranda, & munus suum adimplendum, ut clarius cognita illorum illiteratura detur illis Coadjutor benemeritus cum assignatione alicujus portionis fructuum pro ejus congrua sustentatione? 8

Secundò, si potest hoc examen facere non solùm in actu Visitationis, sed etiam extra illam respectu alicujus Parochi, de cujus imperitia habeatur certa notitia. 9

Tertiò, si ad hujusmodi examen faciendum requiritur, quod imperitia talis Parochi examinandi probetur 10

juri-

juridicè per teſtes deponentes, an verò ſufficiat talem imperitiam conſtare Epiſcopo extrajudicialiter, vel quia expoſitum fuit illi per perſonas fide dignas, quæ nolunt juridicè deponere propter metum, reſpectum, vel aliam rationem; vel quia ipſemet Epiſcopus ex rumore, & ex aliquibus actionibus, quas videt, & notat in ipſo Parocho, & ex verbis, quæ ab illo audit, & ex aliis accidentibus, quæ occurrunt, facit conjecturam ferè evidentem de imperitia illius. His igitur ſcrupulis anxiatus, ſupplicat pro declaratione, ut ſalutare pabulum ſuis ovibus præbere, ſuoque munere ſatisfacere poſſit.

11 Sacra, &c. die 15. Januarii 1667. cenſuit ad omnia reſpondendum, *affirmative*. Quodque poſſit ad eos examen iterùm vocare ſub pœna privationis reſolvit eadem S. Congregat. *in una Lucerina* die 13. Januar. 1594. & *in una Interamnen.* die 1. Octobris 1602.

12 Extra verò hos caſus non poteſt Epiſcopus vocare ad examen Parochos. Habent enim intentionem fundatam, ut ad exercitium curæ animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem admittantur, cum hoc veniat in conſequentiam approbationis ab examinatoribus de eorum perſona factæ, ut Sacr. Congregat. reſolvit in una Nucerina die 6. Octob. & 10. Novemb. 1617. Quia cùm eorum approbatio ſe habeat per modum ſententiæ decernentis de idoneitate, dat jus approbato ad manutenendum ſuam idoneitatem, quam de jure poſſidet, & ideò non poteſt ſine cauſa revocari in dubium ipſa poſſeſſio, ſicut revocaretur, ſi jam approbatus iterùm ad examen vocaretur.

13 Nec obſtat, quod ſtante diſpoſitione Concil. Trident. non proſit fuiſſe ſemel examinatum, Seraph. *dec.* 1323. *num.* 1. Barboſ. *in d. cap. Accepimus in fin.* Quia verùm eſt examen in promotione ad Ordines non ſuffragari ad evitandum examen in promotione ad beneficium, nec examen in aſſequutione unius beneficii curati liberare ab examine in translatione ad aliam Eccleſiam parochialem, ut concludit Jo: Andr. qui rationem aſſignat *in addit. ad Specul. rubr. de jurep.* Guidop. *dec.* 69. Rota *in Legionen. Parochialis* die 30. Martii, & 9. Aprilis 1590. coram Comitulo, & reſolvit Sacr. Congregatio Concilii die 14. Julii 1594. At ſecus dicendum eſt, quando agitur de excludendo approbato prætextu inhabilitatis ab exercenda cura animarum ejuſdem Parochiæ, ad quam fuit approbatus pro idoneo, quod quidem fieri non poteſt niſi interveniat juſta cauſa. Quoniam approbatus reſpectu ejuſdem Eccleſiæ præſumitur idoneus, cum habeat pro ſe, tàm judicium examinatorum, quàm conceſſionem ipſius Epiſcopi in literis inſtitutionis. Approbatio enim vigore examinis declarat idoneitatem, ac proindè approbatus ſemper remanet affectus qualitate idoneitatis, quæ vim habet ſententiæ, tranſitque in rem judicatam. Idque apertè colligitur ex *d. c. Accepimus*, ubi habetur, quod qui promovetur, præſumitur idoneus apud promoventem, itaut non poſſit poſteà uti exceptione idoneitatis, licèt talis habendus non ſit apud omnes.

14 Hinc non eſt legitima cauſa, quæ pro parte Ordinariorum aliquando adducitur, nimirum, quod Examinatores, etſi approbaverint Parochos, ipſi tamen eos inſtituerint ſub ſpe futuræ habilitatis. Eſt namque contra Sacrorum Canonum diſpoſitionem, qui requirunt idoneitatem, & ſcientiam tempore præſentationis, & inſtitutionis in promovendis ad regimen animarum, *cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, &c. Nihil eſt de elect.* Quarum qualitatum diſcuſſionem, & inquiſitionem S. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 18. relinquit Examinatoribus ſynodalibus, qui mortaliter peccarent, ſi qualitates ejuſmodi diligenter non inquirerent, Garz. *de benef. p.* 9. *q.* 9. *cap.* 3. *n.* 105. *& ſeq.*

15 Pariter nec obſtat, quod etiam illiterati poſſint promoveri, ſi ſpes affulſerit, quod in futurum diſcant ex Innoc. *in d. cap. Cum in cunctis num.* 1. *de elect.* Imol. *in Clem.* 1. *numer.* 3. *de ætat. & qual.* Nam primò reſpondetur, dictum Innocentii non eſſe intelligendum de promovendis ad regimen animarum, in quibus eſt neceſſaria ſufficiens ſcientia tempore proviſionis, nec ſufficit ſpes dicendi, ut admitti poſſint jure ordinario, ſed tantùm per modum indulgentiæ, & diſpenſationis, juxta Hoſtien. & alios *in d. cap. Cum in cunctis*, præſertim Butr. *num.* 12. & Abb. *num.* 4. quos refert, ac ſequitur Navarr. *in cap. Si quando, except.* 16. *numer.* 8. *de reſcript.* ubi aſſerit hanc eſſe communem ſententiam. Quæ ſanè diſpenſatio contra Concilium Lateranenſe *in d. cap. Cùm in cunctis*, & Tridentinum *loco alleg.* Epiſcopo non permittitur, Navarr. *ibidem numero* 9.

16 Deinde non applicatur. Quia Innocent. non dicit promoveri poſſe eum, qui ſit adeò rudis, ut non poſſit exercere curam animarum, nec Sacramenta adminiſtrare, ſed propter ſpem profectus putat minorem ſcientiam ſufficere, Gonzal. *ſuper reg.* 8. *glof.* 4. *numer.* 79. *& ſeq.*

Hinc non ſubſiſtit, quod Parochi non habeant jus juſtitiæ, ut non examinentur, ſed cum proprio incommodo debeant cedere utilitati communi, in cujus favorem inſtituitur examen. Quia cùm approbatio ſit judicium, quod fertur de idoneitate, habet vim ſententiæ, atque adeò approbatus poſſidet ſuam idoneitatem vigore ſententiæ judicialis, ac habet jus juſtitiæ ad ipſam manutenendam, itaut ſine nova cauſa non poſſit in dubium revocari. Et quamvis examen reſpiciat bonum publicum, non tamen debet Parochus privari jure ſuo ſine cauſa. Quia licet publica utilitas ſit ſufficiens cauſa auferendi jus ſuum privatis perſonis, ut tradunt Doctores communiter *in cap. Quæ in Eccleſiarum de conſt.* præſertim Felin. *numer.* 27. hoc tamen non habet locum, niſi quando ita exigit publica utilitas, ut grave incommodum pateretur, niſi ita fieret. Publica autem utilitas non exigit Parochos vocari ad examen ad libitum Epiſcopi, ſed ſolùm quod ſint idonei. Unde quando ſemel, ut tales approbati ſunt, non exigit amplius, quod fiat experientia de ipſorum idoneitate, niſi concurrente juſta cauſa, qualis eſſet opinio inſufficientiæ. 17

Quare Epiſcopus ad id non tenetur ex natura rei, 18
quando Parochi ab initio pro abſolutè ſufficientibus habiti ſunt. Nam tunc Epiſcopus certus eſt de ipſorum ſufficientia, atque adeò recta adminiſtratione Sacramentorum, quantum eſt ex parte ſcientiæ. Unde non tenetur deponere talem certitudinem abſque rationabili cauſa, & niſi ſuboriatur aliquod dubium, quod ſcientia in iis defecerit, ita tamen, ut ſit dubium rationale; nam certitudo non eliditur, niſi per ſuborientia dubia. Si verò Parochi ab initio non ſint abſolutè habiti pro ſufficientibus, tunc ſolùm tenebitur Epiſcopus inquirere dum actu viſitat, de recta Sacramentorum adminiſtratione, & adhibere examen, ſi fuerit neceſſarium pro hac notitia acquirenda. In tali enim caſu tenetur invigilare, quod oves rectè gubernentur ab immediatis paſtoribus, & cavere, ne ſtante minori Parochorum ſufficientia, error aliquis committatur.

Tota igitur difficultas reducitur, an fidendum ſit ar- 19
bitrio Epiſcopi, qui prætextu inhabilitatis Parochos divexare poterit? Et ſanè malum, ſi omnia ejus arbitrio relinquantur, pejus, ſi nihil. Scio, quod arbitrii appellatione non continetur cujuslibet pravus affectus, ſed arbitratus boni viri, *l. In propoſita autem, ff. pro ſoc. l. hæc venditio, ff. de contr. empt.* Eſt autem incorruptum animi judicium, quod arbitrium boni viri dicitur. Siquidem hæc vox Arbitrio, vel Arbitratu boni viri ſemper denotat, debere abeſſe calumniam, & agi rem ſincerè ex æquo, & bono. At hoc difficillimum ex eo, vel ſolum quia arbitrium. Incredibile enim dictu, quæ relæ abuſuum ex hoc magno litium ſtamine, & ſubtegmine enaſcantur, idque in longè maximam ſingulorum captionem. Quod probè quondam conſiderans Ariſtoteles, quem Sotus apud Vaſquium *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 11. *contr. illuſtr.* ac prudentiores alii ſequuntur, ſentit, utilius, commodius, ac tutius per legem, quàm per Principem Rempublicam gubernari. Quare inquiunt, melius eſt, ut quam maximè fieri poſſit, cuncta legibus explicentur, Judicibus autem nonniſi minima, & quæ legibus comprehendi nequeunt, relinquantur.

Exiſtimo proindè, quod conſtare debeat Epiſcopo, 20
examinandos verè eſſe illiteratos, vel quia tales fuerint antequam ad curam animarum admitterentur, vel propter aliam cauſam, quæ ſupervenire potuerit juxta *d. cap. Accepimus*, ibi: *Niſi forte poſtquàm promoti fuerint, reddiderint ſe indignos.* Utque id conſtet, non debet attendi atteſtatio ejuſdem Epiſcopi, ſed requiruntur neceſſariò diligentes inveſtigationes in ſcriptis reducendæ, juxta Felin. *in d. cap. Ex literis*, ibi: *Per diligentiorem inveſtigationem num.* 7. *de conſt.* quæ licèt fuerint extrajudiciales, attamen ex iis apparere poterit, an conſtet de illiteratura. Quod ſentire videtur Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. glof.* 4. *num.* 96. Idque, ut poſſint Superiores dignoſcere, an Epiſcopus jure meritoque proceſſerit ſecundùm Rotam *par.* 3. *rec. dec.* 23. Eſto itaque, quod cauſa ſubſiſteret, ea deberet probari, *ex l. Cum ii, ff. de tranſl. §. ult. junct. princ.* vel ex eo maximè, quia revocatio pertinet ad forum externum, & verſatur in adimendo jure quæſito.

CON-

CONSULTATIO CXXXIV.

1 PRO Lectoribus Cathedraticis extat privilegium apostolicum, in quo inter cætera legitur: *Lectores præfati omnibus illis horis, quibus suis officiis, & functionibus vacabunt ad interessendum divinis officiis minimè teneantur, & nihilominus distributiones quotidianas percipiant, & lucrentur.* Quibus ex verbis petitur,

An iis lectoribus concedi possit, vel debeat ex gratia, vel ex justitia facultas recipiendi integras distributiones matutinas, & pomeridianas, quando legunt sub eo prætextu, quod opus sit aliquo tempore meditationis, & studii, ac quietis ante, & post lectionem?

2 QUÆ duæ ratæ temporis conjunctæ cum illa hora, qua legunt actualiter, & pro qua recipiunt distributiones, ac si præsentes essent, absorbent ferè integrum tempus matutinum, & vespertinum; itaut, ad evitandas istas partitiones temporum, & minutorum, petitio videatur ex justitia admittenda, vel concedenda ex gratia.

3 Planè existimo, neutrum esse concedendum. Non quidem ex justitia. Quia vel id petitur de jure, vel exindulto. Si de jure videtur injusta petitio. Nam distributiones quotidianæ dantur solùm iis, qui divinis officiis in Choro intersunt, Ita statuitur *in cap. licet de præb. cap. un. de Cler. non resid. & cap. fin. de rescript. & cap. cùm non deceat de elect. in 6. Clem. 2. de ætat. & qual. extrav. 11. de præb.* inter communes, & etiam in Trid. *sess. 21. cap. 4. & sess. 24. cap. 12. de reform.* & tradunt tum antiqui tum recentiores communiter, ac nominatim Cassador. *dec. un. tit. de Cler. non resid. per tot.* Durand. *de ritib. Eccles. lib. 3. cap. 25. num. 2. & seqq.* Gigas *cons. 144. num. 6. & 13.* Rebuff. *in concord. d. rubr. 1. tit. de collat. §. 1.* ac alibi, Paris. *volum. 4. cons. 32. n. 4. & cons. 35. num. 1. & seqq.* Covar. *lib. 3. var. cap. 13. num. 13.* Cæsar. de Grass. *dec. 116. alias 5. de præb. n. 3.* Monet. *de distrib. par. 2. qu. 5. num. 19.* Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 7. qu. 5.* Roderic. *tom. 3. qq. regul. quæst. 74. art. 4.* Cosmas *pragm. sanct. tit. in quo tempor.* quisque debet esse in Choro, Zerol. *in prax. cap. 1.* Guttier. *lib. 2. qq. can. cap. 15. num. 9.*

4 Si ex indulto, pariter injusta videtur petitio. Quia ejus verba sunt restricta per dinumerationem temporis, quo Lectores occupantur in suis functionibus, ibi: *Omnibus illis horis, & temporibus, quibus suis officiis, & functionibus vacabunt.* Ergo non potiuntur privilegio, nisi duntaxat pro horis positivæ, personalis, & moralis assistentiæ in functionibus scholasticis, ac proindè ultra id tempus non debet extendi. Hæc enim exceptio continet dinumerationem temporis, & horarum, cùm illa particula indicativa, *Illis*, restringat dispositionem ad solos casus expressos. Ubi enim tempus est determinatum dicitur de substantia actus, Paul. de Castr. *cons. 455. sub pr. l. 1.* Anch. *cons. 388. num. 8.* ubi ait, quod attenditur hora determinata, quod etiam in simili sentit Cald. *cons. un. sub nu. 7.* Concessum quippè ad tempus, remanet negatum post tempus, *l. Imperat. ff. de postul.* Rot. *dec. 473. num. 1. part. 2. rec.* Nat. *cons. 485. num. 4.* Men. *cons. 121. num. 74.* Surd. *dec. 75. n. 1.* Habet namque in se contrariam dispositionem extra illud tempus. Idem Surd. *cons. 403. num. 38.*

5 Quæ interpretatio eo magis suadetur, quia hoc Indultum est odiosum, & contra jus, ut scilicet ratione studii quis eximatur a servitio Ecclesiæ, possitque lucrari distributiones quotidianas: itaque debet strictè interpretari, *cap. Licet 32. de præb.* Covar. *lib. 3. var. cap. 13. nu. 2.* Gonz. *ad reg. 8. §. 6. procem. num. 174.* Monet. *de distr. part. 2. quæst. 10. num. 25.* Cened. *qq. Canon. quæst. 1. n. 30.* Garz. *de benef. part. 3. cap. 2. num. 112.* qui omnes latè, ac benè firmant hanc conclusionem. Quia tendit in diminutionem cultus divini, & in præjudicium tertii, itaut in eo non admittatur aliqua etiam minima extensio ex identitate, vel majoritate rationis, *cap. Sanè*, ubi Abb. & Dec. *de privil.* cum aliis congestis per Monet. *p. 2. qu. 14. num. 7. & seqq.* Quod etiam censuit S. Congregat. Concilii, cujus declarationes refert Gonz. loco alleg.

5 Idipsum comprobatur ex dispositione textus *cap. fin.* ibique Abb. *nu. 5. de magistr.* in quo expressè cavetur, quod docentes Theologiam, & habentes privilegium percipiendi fructus absque ulla temporis determinatione, eo tantum tempore gaudere debeant strictè, quandiu docuerint. Illa enim dictio, *Quandiu* de sui natura est divisiva temporum, & restrictiva ad illud, in quo dispositio accipi potest in vera, & potiori significatione, ut per Gonz. eodem loco *gl. 43. nu. 14.* Id, quod etiam videtur sentire in hac planè materia Sac. Concil. Trident. *cap. 1. sess. 5. de refor.* his verbis: *Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publicè in scholis docuerint, gaudeant, & fruantur privilegiis omnibus de perceptione fructuum in absentia.* Pondero illam dictionem, *Dum*, quæ de sui natura denotat illud momentum temporis, quo quis in aliquo officio, seu munere detinetur, *l. Differentia in fin. de arbitr.*

Confirmantur hæc omnia ex dispositione text. *in cap. un. de Cler. non resid. in 6.* Ubi habetur non valere consuetudinem, quod Canonicus, qui absuit pro negotiis Ecclesiæ, ac post reditum per aliquot dies domi suæ quieverit, distributiones percipiat, licèt illa quies sit subordinata labori itineris habiti pro servitio Ecclesiæ, ut exactè explicat Jo: Andr. *in eodem cap. sub princ.* Franch. *sub num. 3.* Idque arbitror non alia ratione; nisi quia dum quieverit non amplius continuat servitium, cessatque illa vera causa, ob quam distributiones in absentia debentur. 6

Atque hinc privilegiatus, si ratione studii prætenderit lucrari etiam distributiones, necesse est, ut impetret speciale privilegium a Papa, ut nedum pro illis horis, quibus occupatur in functionibus Academicis gaudere possit distributionibus quotidianis, sed etiam extra illas horas pro tota illa die, in qua exercet aliquam functionem doctoralem, prout aliàs impetrarunt a Gregor. XIII. Canonici legentes S. Scripturam, ut testatur Gonz. *d. §. 7. num. 180.* adducens resolutionem S. Congregationis Concilii ab eodem Gregorio consultæ, de qua etiam Garz. ubi supra n. 119. & Monet. *de distrib. par. 2. qu. 2. 10. num. 75.* ac Ricc. *in prax. ref. 386. & 389.* utrobique *nu. 6.* & Barb. *de off. Epis. par. 3. alleg. 56. n. 8. & tr. de Can. & dignit. cap. 24. num. 7.* 7

Quam resolutionem moneo, loqui duntaxat pro illis Canonicis lectoribus, qui a Papa impetrant peculiare Indultum, ut possint percipere distributiones pro tota illa die, aliàs secus. Quod etiam fatetur Garz. eo loco, ubi n. 135. solidè, ac perspicuè tollit motivum præparationis ad lectiones, ea potissimum ratione, quia noctes, ac tempus, quod suis officiis superest, possunt, ac debent lectores ad præparationes pro futuris lectionibus conferre. Quod si Garzias id asserit de lectore pœnitentiario, & theologo, quorum servitium, & lectura redundat in honorem propriæ Ecclesiæ, multò quidem magis id asserendum est de his lectoribus, qui non inserviunt Ecclesiæ, sed Civitati. Quod advertit etiam Gambar. *de auct. legat. lib. 6. num. 22.* 8

Ac licèt verum sit, quod ubi agitur, de evitanda mora, vel pœna, & sic de evitando damno, habetur ratio de tempore, quo quis se præparat ad actum faciendum, ut luculenter ait textus *in l. Sciendum, ff. de usufr.* Oldrad. *cons. 270. num. 11.* Secus tamen est in hoc casu, in quo agitur de lucrando distributiones; non enim est par ratio lucri, & damni. 9

Distinguo igitur Horas matutinas in tres partes, quæ distinctio etiam applicabitur Horis vespertinis. Prima pars est de illis Horis divinis, quæ recitantur ante functiones doctorales, prout regulariter solent esse matutinum, & laudes, & in his Horis, cum præcedant tempus lectionum, nulla ratio suadet, quod lucrentur distributiones. Secunda pars est de Horis illis, quæ recitantur tempore lectionum, & in his distributiones lectoribus conceduntur tàm pro lectionibus, quàm pro ejusmodi functionibus. Tertia pars est in illis horis, quæ recitantur post lectiones, seu alias functiones, & de his iniqua profectò est petitio se eximendi ab earum interessentia, fruendique distributionibus ratione quietis a labore, cùm non sit major quies quàm sedere in Choro, laudando, & psallendo Deo, cui servire regnare est. Unde tametsi Sac. Concilium *capit. 1. sess. 23. de reform.* concedat Episcopo tres menses absentiæ ex causa recreationis, & quietis a functionibus Episcopalibus, eo tamen tempore Episcopus non gaudet alternativa, quæ ad instar distributionum datur solis residentibus. Quod idem est de tempore quietis, quod datur Canonicis, Gonzalez *§. 7. procem. numer. 182. & gloss. 43. num. 27.* 10

Nec juvat, si dicatur, quod saltem id dictat ratio naturalis, quæ exigit, ut legenti detur tempus ad componendam lectionem, & post eam recitatam, detur tempus ad quietem, ne statim cursum currat ad Chorum, & duplici labore fatigetur. Nam in hac materia non attenditur commodum personæ, sed servitium Ecclesiæ, quæ solvit de suo mercedem operariis juxta laborem singulorum. Unde qui non potest Ecclesiæ integrum præstare servitium, tenetur vel dimittere præbendam, ut alius non impeditus serviat, vel æquo animo ca- 11

rere distributionibus pro tempore absentiæ, ut aliis accrescant.

12 Itaque non intrat ratio naturalis, quia distributiones dantur intuitu servitii, quo non præstito ex quacunque causa, præter aliquam ex approbatis a jure juxta *d. c. unic. de Cler. non resid. in 6.* non dantur distributiones ad instar contractus innominati *do, ut facias*, tacitè celebrati ab initio inter Ecclesiam, & præbendatum. Ideòque cùm simus in materia, quæ pendet a voluntate, ut sunt contractus, & a lege, quæ ita disponit, utique cessat illa ratio naturalis, quam comminiscuntur, & subintrat tum vera ratio naturalis, quod scilicet pacta, & conventiones serventur, tum & ratio legis, quod serventur quæ pro bono regimine Ecclesiæ disposita sunt.

13 Minus relevat, quod pro tempore cujuslibet functionis oriretur controversia in illius determinatione. Quia totum id unica temporis præfixione absolvet Ordinarius, cùm celebratio divinorum, lectionumque hora taxanda sit in tabella pro toto anni tempore.

14 Pariter non obstat, quod cathedra videatur esse subrogata in locum Chori. Nam id procederet quando lectores gratis legerent, non quando pro suo munere habent sufficiens stipendium. Deinde talis subrogatio intelligitur juxta formam privilegii limitati ad solas horas lectionum, & non ultrà.

15 Consentaneè igitur ad hanc doctrinam non refragantur resolutiones ejusdem S. Congreg. Concilii, quarum meminit Gonz. Barbos. & Garz. *par. 3. cap. 2. nu. 118. & seqq.* in quibus dicitur facta gratia distributionum non solum pro horis, in quibus legitur, sed etiam pro tota die. Quia hæc fuit gratia particularis, non autem declaratio, prout de jure, ut ibi legitur, & facta fuit, volente sic Pontifice, ut testatur *ibidem* Garz. *num. 120.* Ergo, cessante privilegio, non debentur distributiones totius diei, aliàs enim non fuisset impetratum privilegium.

16 Postremò non obstat contraria interpretatio inducta ex observantia subsequuta, quæ potissimum attenditur in interpretando privilegiorum sensu. Primò, quia hæc asserta observantia non probatur. Secundò, quia verba Indulti sunt clara, & non dubia, quo casu non attenditur interpretatio subsequuta, Bald *in l. De quibus num. 21. de legib.* Guidop. *dec. 298. num. 1.* Afflict. *dec. 388. num. 1.* Boer. *dec. 25. col. fin.* Seraph. *dec. 1410. num. 24. & 25.* Rot. *div. dec. 39. n. 11. par. 2. cum concord.* Tertiò, quia ex jam dictis apparet inducta contra mentem, & rationem Indulti, quo etiam casu nihil operatur, Rot. *par. 1. dec. 136. num. 10. & dec. 196. num. 7. rec.* Tandem, quia quælibet observantia, vel consuetudo cùm sit contra jus, & dispositionem conciliarem, non relevat. Nam Concilium habet decretum irritans, quod operatur, ut non possit induci contrarius usus, Verall. *dec. 204. num. 2. part. 3.* Cassad. *dec. 2. de reserv. & dec. 11. num. 5. super regul.* Facitque, ut consuetudo statim nata censeatur extincta, semperque retineat nomen corruptelæ, *cap. Nonnulli*, & ibi Felin. *num. 2. de rescr. & in cap. 1. num. 28. de const.* Sarn. *in proœm. reg. qu. 5.* ac Rota *dec. 122. num. 4. & 5. par. 1. div.*

17 Neque id concedendum est ex gratia. Ratio autem uno verbo est. Quia Princeps non rescribit in præjudicium tertii, *cap. Dudum de privil. cap. Quamvis in fin. de rescript. in 6. cap. Cum dilectus de consuetud. cap. Super eo de off. deleg.* & habetur *l. 2. §. Si quis a Principe, ff. ne quis in loco publ.* firmantque plenè Rebuff. *in regul. de non toll. glos. 6. num. 11. & seqq.* Lambert. *de jurep. lib. 2. part. 3. quæst. 9.* Rota *decis. 21. num. 5. de præb. in nov.* passimque alii. De præjudicio autem constat ex superiùs dictis, nedum respectu Ecclesiæ, quæ privatur servitio actuali ejusmodi lectorum, sed etiam respectu aliorum participantium, qui nunquam sperare possunt incrementum suarum portionum per jus accrescendi, juxta Glossam communiter receptam *in Clem. 2. ut pars dimidia, de ætat. & qual.* ac S. Conc. Trid. *sess. 21. cap. 3. de ref.* traduntque Gigas, Rebuff. Gemin. Franch. & alii apud Sanctarell. *var. res. qu. 13. num. 2.* licèt ipsi soli pondus, & æstum diei sustineant. Quare Jo: Andr. *in explic. Glos. c. unic. de Cler. non resid. in 6.* & Cosma *in pragm. Sanct. tit. de collat. §. 1.* relati a Cenedo *qq. pract. quæst. 2. nu. 26.* asserunt, se non vidisse unquam privilegium concessum a Sede Apostolica, ut quis in absentia posset percipere distributiones. Quod quidem, regulariter loquendo, verum est.

18 Atque ita censuit Sac. Congregatio Concilii tum passim alibi, tum in una Valentina distributionum tenoris sequentis.

19 Existunt in Ecclesia Valentina duodeviginti simplicia officia, seu beneficia, Præposituræ nuncupata inibi a Sixto V. sel. rec. institutæ pro totidem Cathedraticis, Præpositis nuncupatis, quorum sex sacram theologiam, alii sex jus Pontificium, & reliqui jus Cæsareum in Universitate studiorum Valentiæ publicè docere tenentur, quibus omnibus nedum concessit stallum in Choro, & habitum Canonicorum, sed etiam, quod temporibus, quibus suis functionibus, & officiis vacarent ad residendum in Ecclesia minimè tenerentur, quodque nihilominus distributiones quotidianas, tàm diurnas, quàm nocturnas perciperent, & lucrarentur in absentia, ac si personaliter residerent, & aliàs prout in literis desuper expeditis plenius continetur. Quibus stantibus, strictè interpretantes onus residentiæ hujusmodi, recusant præfata præstare, restringendo dictas facultates ad horas tantùm lectionis, itaut solùm habeant distributiones matutinas, si de manè, & vespertinas, si de serò legunt, quod cùm sit in notabile præjudicium dictorum Præpositorum, qui pro præparanda lectione indigent studio totius diei, humiles Oratores supplicant, quatenus ad tollendas difficultates dignentur illis indulgere, quod omnibus diebus, quibus legunt, & non tantùm pro horis, quibus legunt, respondeatur eisdem integraliter de omnibus distributionibus, & emolumentis suorum beneficiorum in absentia, ac si personaliter interessent divinis.

20 *Die 19. Decembris 1626. S. Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, de jure communi non lucrari distributiones quotidianas, nisi pro illis horis, quibus legunt. An autem vigore privilegii mandavit illud exhibere.*

21 Et iterùm. Aliàs fel. rec. Sixtus V. ut Civitas Valentina, quæ est una de principalioribus Europæ, abundaret Doctoribus, qui amplissimum populum ad justitiam erudirent, suppressit unam Præposituram Ecclesiæ Valentinæ, de eaque in eadem Ecclesia decem, & octo aliàs Præposituras, seu beneficia instituit pro totidem præpositis Cathedraticis nuncupandis, quorum sex sacram Theologiam, alii sex jus Canonicum, reliqui verò sex jus Cæsareum in Universitate, & scholis dictæ Civitatis publicè legerent, & interpretarentur, quos etiam habitu, & insigniis Canonicorum decoravit, volens quoque quod haberent stallum in choro, & locum in processionibus, & in aliis actibus immediatè post Canonicos, quodque temporibus, quibus lectionibus, & aliis functionibus scholasticis vacarent ad residendum in choro minimè tenerentur, & quod nihilominus perciperent omnes, & singulas distributiones quotidianas ea integritate, qua illas perciperent, si divinis interessent, & aliàs prout in literis desuper expeditis, quæ extant in novo Bullario Constit. 11.

22 Et licèt vigore illarum, & aliarum forsan Constitutionum Apostolicarum dicti Præpositi hucusque consueverint percipere integras distributiones dict. Ecclesiæ, pro diebus, quibus nedum pro horis matutinis illi, qui legunt de manè, sed pro horis vespertinis illi, qui legunt post meridiem, nihilominus Canonici, & Capitulum dict. Ecclesiæ adversarii, ad quos administratio reddituum dict. Ecclesiæ spectat in odium dictorum Præpositorum sub prætextu tamen, quod ipsi nullum desuper haberent privilegium, de facto prohibuerunt, ne illis in posterum dentur dictæ distributiones modo præmisso, sed dumtaxat pro horis, quibus in choro interfuerint, dempta tamen illa sola, qua legunt. Quod cùm sit in notabile præjudicium nedum ipsorum Præpositorum, sed etiam totius Civitatis, & Regni Valentiæ, proindè Illustrissimi Domini Consules Jurati Rationalis, & Syndicus dict. Civitatis patroni tàm dictarum Præpositurarum ipsius Universitatis studiorum necnon Præpositi ipsi supplicant Dominationibus vestris Eminentissimis, & Reverendissimis quatenus consulendo indemnitati dictæ Civitatis, & ad tollendas lites, & dissensiones dignentur ex gratia speciali concedere dictis Præpositis omnes, & singulas distributiones dictæ Ecclesiæ integraliter, non tantum pro illis horis matutinis, si de manè legant, & vespertinis, si de serò, prout anteà, sed etiam generaliter, & indistinctè pro tota die, qua legere debent, & tenentur.

23 Quod videtur concedendum. Tum quia illi indigent diurno, & continuo studio pro præparandis lectionibus, & responsionibus argumentorum, quæ passim fiunt in privatis, & publicis conclusionibus, & argumentationibus. Tum etiam quia ita solet hæc Sacra Congregatio ex facultate sibi tributa ex sua solita benignitate concedere in gratiam piè laborantium, & diseminantium semina sapientiæ in agro Domini, ut pluribus exemplis comprobat Garz. *de benefic. part. 2. capit. 2. numer. 8.* & meminit Gonzalez *ad reg. 8. §. 6. proœm. numer. 170.* in fortioribus terminis habenti præbendam theo-

theologalem in Ecclesia Oriolensi, quæ est sita in eodem Regno Valentiæ, concessit similem gratiam, licèt non teneretur legere in scolis publicis.

24 Et rursus eo magis est concedenda, quia emolumenta dictorum Præpositorum sunt exigui valoris, nec sufficiunt pro congrua sustentatione magistrorum.

25 *Die* 10. *Julii* 1627. *S. Congreg. Eminentiss. Patrum S. Concilii Tridentini Interpretum censuit, gratiam petitam non esse concedendam.*

CONSULTATIO CXXXV.

Quæ probationes frequentiores requirantur ad relaxandas censuras ob homicidium in Clericum ex mandato vel ratificatione præcipue viri Principis patratum?

1 PRO resolutione præmittendum est, quod excommunicationis majoris pœnas per Sacros Canones infligitur non solum contra Occidentes Clericos per text. *in cap. Si quis suadente* 27. *quæst.* 4. *cap. Sicut dignum de homicid.* verùm etiam contra mandantes illos occidi, *cap. Mulieres de sent. excommun. cap. fin. de homicid. in* 6. vel homicidium eorum nomine perpetratum, ratum habentes, *cap. Cum quis de sent. excomm. in* 6. Qua de re etiam Farinac. *qu.* 184. *num.* 85. Sive illi consentientes, vel authoritatem præstantes, *d. cap. Mulieres*, ac demum illud non impedientes, & prohibentes, quando id facere possunt, *cap. Quantæ, de sent. excomm.*

2 Secundò, præmittendum est, quod mandatum ad occidendum cùm sit difficilis probationis, quia secretò dari solet, justificatur ex inditiis, & præsumptionibus, ut post alios Farin. *qu.* 86. *num.* 36. & *qu.* 134. *num.* 11. & *conf.* 26. *sub n.* 13. cum aliis relatis per Giurb. *conf. crim.* 91. *sub num.* 1. & *seq.*

3 Tertiò, præmittendum est, quod ratificatio sufficiens est, sive sit expressa, sive tacita ex factis subsequutis, vel aliis conjecturis resultans per *l. Paulus*, *ff. rem rat. hab.* Farinac. *qu.* 24. *num.* 141. & *quæst.* 136. *sub num.* 62. dicens, hanc sententiam teneri a Doctoribus *in d. cap. Cum quis de sent. excomm. in* 6. licet *n.* 59. eam non admittat quoad pœnam ordinariam delicto imponendam.

4 Præmissa verò fortiùs procedunt, quando agitur ad effectum incursus, ac declarationis censurarum. Tunc enim certius est, quod in hujusmodi casibus inditia, & præsumptiones urgentes sufficiunt, Gloss. *in cap. cum in diœcesi, v. Manifesti, de usur.* per illum textum, & *in cap.* 1. *v. Manifestis eod. tit. in* 6. & *in cap.* 1. *de homicid. pariter in* 6. ibi: Postquam probabilius constiterit argumentis, aut utrobique notant Doctores, & comprobat Genuens. *in prax. cap.* 23. *sub n.* 18.

5 Quibus ita firmatis, videtur quod sufficientia urgerent inditia, præsertim contra unum Principem, seu mandati, seu saltem ratificationis homicidii in personam Clerici perpetrati. Mandati quidem si constiterit de causa inimicitiæ capitalis inter ipsum, & occisum. Si homicidium commissum fuerit a famulis, seu familiaribus, militibus, & adhærentibus præfati Principis, qui licet regulariter non præsumantur id facere de mandato Domini, tamen secus est, quando aliquæ conjecturæ etiam leves concurrerent. Quia certum est, quod faciliùs præsumitur mandatum in hujusmodi personis, quàm in extraneis, Dec. *tr. crim. lib.* 9. *cap.* 37. *sub num.* 10. Et pluribus relatis probat Farinac. *d. qu.* 134. *num.* 86. Eòque magis quando sunt personæ facinorosæ, viles, & pravæ conditionis. Menoch. *de præs. lib.* 5. *præsumpt.* 27. *num.* 17. *cum seq.* & alii relati per Farin. *ead. qu.* 134. *num.* 78.

6 Aut si ante domicilium Clericus ab eisdem occisoribus è propria domo, in qua reperiebatur, vel ab Ecclesia publicè ac violenter extractus, & in arce, vel carcere Principis carceratus, ac inde eductus publicè tormentorum ictibus, vel aliter interfectus, ac ejus caput è corpore abscissum in loco publico, in quo contra facinorosos homines justitia exequi consuevit, expositum fuerit. Quæ quidem facti, ac similium circumstantiarum qualitas, gravitasque efficacissimè suadent mandatum, & authoritatem mandantis præcessisse. Nam aliàs privati homines tantùm ausi non fuissent, ut benè probat Bero. *conf.* 118. *num.* 23. *lib.* 3. quem sequitur Lancel. & Farinac. *d. qu.* 134. *num.* 80.

7 Item si mandans successivè adeptus fuerit, ac penes se retinuerit, & adhuc retineat Clerici bona. Unde etiam resultat mandati præsumptio, Bero. *d. conf.* 118. *n.* 21. *cum seq. l.* 3. & aliis citatis sequitur Farin. *q.* 24. *sub num.* 131. *ad fin.*

8 Nec obstat, si non probetur secreta alloquutio ejusdem mandantis cum sicariis ante commissum delictum. Quoniam hoc requisitum suppletur ex aliis inditiis, & præ-

sumptionibus suadentibus, famulum, vel alium de mandato Domini, sive alterius deliquisse, ut post alios benè declarat Farinac. *d. qu.* 134. *sub num.* 105.

Minus obstaret, quod particulares vigebant inimicitia- 9
rum causæ inter occisum, & sicarios, illique a fautoribus ipsorum mors fuerit comminata. Quia comminatio probanda est, nec si fuerit probata, mandatum excluderet. Quippè longè major, & urgentior erit inimicitia Principis mandantis, tàm ratione causæ, quàm ejus personæ. Neque verisimiliter poterit tantum facinus cum suis circumstantiis sine ejus authoritate, atque mandato a privatis hominibus attentari, seu perpetrari, ut probat Ruin. *conf.* 6. *sub num.* 2. & *seqq. libr.* 5. Boss. *in tit. de mandat. ad homicid. sub num.* 53. Franc. Marc. *dec.* 423. *sub num.* 26. *lib.* 1. Farin. *conf.* 104. *in addit.*

Ratificationis verò. Primò, si Princeps tempore com- 10
missi delicti fuerit in Civitate, in qua maximus erat super eo rumor, & non solùm nullam fecerit inquisitionem contra delinquentes, seu alium actum in detestationem commissi sceleris, sed cadaver occisi publicè in loco prædicto expositum, idque verisimiliter sciens, præsertim si eo transiens viderit, nec id detestatus fuerit, nec illud inde amoveri curaverit, ut facere poterat, ac debebat tanquam Princeps; aliàs enim ex hujusmodi sua tolerantia actus successivi tacita resultat delicti ratificatio, Paris. *conf.* 74. *sub num.* 22. & *seq. lib.* 1. Menoch. *d. præs.* 27. *num.* 12. *lib.* 5. Farin. *qu.* 24. *sub num.* 142. & pluribus adductis ea *qu.* 134. *num.* 73. dicens *n.* 76. hanc esse communiter receptam.

Secundò, si illius bona, ut dictum est, apprehende- 11
rit, ac sibi appropriaverit, eoque pacto commodum ex ipso delicto receperit. Unde resultat suæ ratificationis præsumptio juxta theoricam Bart. *in leg. Aut facta*, §. *Nonnunquam sub num.* 10. *ff. de pœn.* Dec. *tr. crim. l.* 9. *cap.* 38. *sub num.* 8. dicens *sub num.* 15. id procedere etiamsi delictum ejus nomine commissum non fuisset, Farin. *d. qu.* 24. *sub num.* 131. & *sub d. num.* 142. & prosequitur aliis relatis *qu.* 135. *n.* 91.

Tertiò, si nullam unquam a tempore commissi deli- 12
cti inquisitionem, processum, vel aliam diligentiam fieri curaverit contra delinquentes, sed omnia dissimulaverit, perindè ac si gesta non fuissent contra text. *in c. Quantæ*, ubi Innoc. in fin. Host. & Anchar. pariter *in fin. de sent. excomm.* & notata per Jo: Monach. *in d. c. Cum quis sub numer.* 2. & Jo: Andr. *sub num.* 1. *eodem tit. in* 6.

Nec obstat, si non probetur hujusmodi delictum suo 13
nomine commissum fuisse, quod necessariò omninò est in criminalibus ad effectum, ut ejus ratificatio induci possit, etiam pro incursu censurarum, ut deducitur *in d. cap. Cum quis superius relato*. Quia non requiritur, quod id fuerit explicitè declaratum, sed sufficit ejus contemplatione id actum fuisse, ut ibidem explicat Glos. *v. suo nomine*, & probat pluribus relatis, Farinac. *qu.* 135. *num.* 88. dicens veriorem.

Hujusmodi autem contemplatio cùm in animo agen- 14
tis consistat, nonnisi verbis, aut exterioribus signis eam denotantibus probari potest, quæ planè elici possunt non solùm ex qualitate sicariorum, qui viles sunt, ac facinorosi, ipsique Principi inservientes, verùm etiam ex qualitate ejusdem Principis, sive alterius mandantis, & ex qualitate, ac circumstantiis facti, si in formam publicæ vindictæ, non autem privatæ fuerit perpetratum. Ac demum inspecto effectu, qui ad commodum Principis, ejus bona occupantis, redundaverit.

Postremò, non obstant, quæ opponi poterunt contra 15
testes tàm in dictis, quàm in personis. Quia cùm agatur de probatione mandati, ac ratificationis sui natura difficili, eòque magis ex accidenti contra Principem ejusdem loci leviores utique probationes sufficiunt, ac aliàs minus legitimè, ut latè in specie probat Farinac. *conf.* 26. *sub num.* 13. saltem ad effectum inducendi præsumptionem, ut dictum est, ac tradit post alios idem Farinac. *conf.* 55. *sub num.* 71. Et in omnem casum Judicis arbitrio commissum est quanta illis sit fides adhibenda, quæ secundùm verisimilitudinem eorum depositionum præsertim metiri debet, *l.* 3. §. *ideoque Divus*, *ff. de testib.* Menoch. *de arb. lib.* 2. *cas.* 90. Farinac. *de testib. quæst.* 62. *sub num.* 335. & *seq.* & *dict. conf.* 55. *sub num.* 70.

Quare ex prædictis videtur satis constare posse de in- 16
cursu Principis in censuras, atque ita esse declarandum censeo, prout declaravit S. Congr. Immunitatis Ecclesiasticæ in his ferè terminis die 13. Aprilis 1649.

CONSULTATIO CXXXVI.

An conventio, ſive tranſactio inter Epiſcopum, & Monaſterium abſque Priore inita, in qua inter cætera conventum eſt, quod Epiſcopus tanquam perpetuus Abbas d. Monaſterii in exequutionem cujuſdam prætenſæ unionis, poſſit liberè uti jure illud perſonaliter viſitandi quoties voluerit, & quando ipſe nolucrit, aut non potuerit, poſſit mittere Viſitatores ſæculares, adjuncto Regulari. Item quod tanquam perpetuus Abbas in d. Bullis prætenſæ unionis conſtitutus poſſit ad nutum inſtituere, & deſtituere Priorem, eumque etiam ex alia Congregatione aſſumere, & ſi quis Monachus ſe a Priore gravatum ſenſerit, poſſit, petita ſolùm, licet non obtenta licentia, adire Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Nuntium, ſit valida ac ſuſtinenda?

1 REſpondendum videtur, concordiam hujuſmodi poſſe ſuſtineri tanquam validam. Quia ad ipſius valorem non requiritur rigoroſa meritorum diſcuſſio, ſed quæcunque cauſa ſuffragatur, Rot. *in recent. par.* 4. *dec.* 162. *num.* 2. fatiſque ſit remiſſio litis, cùm dicatur ſatis acquirere, qui ſe liberat a lite, Rot. coram Burat. *dec.* 280. *n.* 11. ubi etiam Add. *lit. A.*

Nec obſtat, quod non adfuerit P. Prior. Quoniam erat abſens nedum ultra duas dietas, ſed etiam extra Provinciam, quo caſu non erat neceſſe illum vocare, ſed ſufficiebat præſentia Superioris, qui actualiter in hoc contractu intervenit, Abb. *in c. Cum inter de elect.* Lavor. *var. lucubr. tit.* 4. *cap.* 17. *n.* 1. *& ſeqq.* Et in puncto de authoritate Superioris tempore, quo Prior abeſt, docet Lezana *in ſum. tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 41.

Neque ex hujuſmodi abſentia argui poteſt aliquis metus, quo concordiam dici poſſit irritam fuiſſe. Nam nihil adducitur ad ejus juſtificationem, cùmque ſit quid facti eſt ab allegante probandus *l. merito, ff. pro ſocio, l. quoties, §. quia dolo, ff. de dol. cum aliis*, de quibus per Maſcard. *concl.* 1051. *n.* 1. *& ſeq.* Omninò autem excluditur ex præſentia Nuncii Apoſtolici juxta ea, quæ in his terminis ponderando præſentiam Judicis aſſerunt Bart. *in l. ult. ff. Quod metus cauſ.* Maſcard. *d. concl.* 1051. *n.* 5. & Rot. cor. Buratto *dec.* 783. *n.* 12.

2 Cæterùm quod unio hujus monaſterii facta fuerit menſæ Epiſcopali patet perſpicuè ex literis Apoſtolicis, ex quibus elicitur verus modus illam probandi, ut ſcitè Vivan. *de jurep. l.* 14. *cap.* 5. *num.* 62. Rot. *in rec. part.* 3. *d.* 753. *num.* 2. literarum itaque verba a Julio II. ad monachos directa hæc ſunt: Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus venerabilem fratrem noſtrum Veponem, modernum, & pro tempore exiſtentem Epiſcopum, tanquam patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, & exhibentes eidem obedientiam, & reverentiam debitam, ac devotè ejus ſalubria monita, & mandata humiliter, & efficaciter adimplere curetis.

3 Verba hæc ſunt ſatis clara. Unde implicat in adjecto, quod quis ſit Pater, & Paſtor animarum, & quod habeat curam, & gubernium ſolius temporalitatis. Sic enim de illis Paſtoribus eſſet, quibus ſolemniter minitatur Deus: *Væ paſtoribus Iſrael, nonne ſemetipſos paſcebant, gregem autem meum non paſcebant?* Hanc eandem unionem iiſdem ferè verbis approbavit Leo X. Paulus III. & Pius IV.

4 Etenim Rota ad effectum cognoſcendi, an ſub donatione Eccleſiæ veniat ſimplex jus conferendi beneficia, vel potius etiam jura ſpiritualia, ſolet advertere, an donatio ſit univerſalis, verbis prægnantibus concepta, & cum omnibus pertinentiis ejuſdem Eccleſiæ, ut optimè præter alios Greg. *dec.* 77. ubi Add. *n.* 11. Cavaler. *dec.* 599. *nu.* 4. Rot. *in Pampilonen. Vicariæ de Steila* 16. Junii 1642. coram Bichio, & in Barchinon. Parochialis 15. Februarii 1657. cor. Ghislerio.

5 Unio autem, quàm præfati Summi Pontifices fecerunt, & reſpectivè approbarunt, confirmaruntque eſt generaliter cum dicta amplitudine, & ſpecialiter de omnibus pertinentiis concepta, atque adeò continet etiam jura ſpiritualia.

Non obſtat, quod idem Pontifex Julius II. expreſsè reſervaverit jura ſpiritualia. Ergo illa non conceſſit. Nam reſpondetur ex verbis ejuſdem reſervationis, nempè: Volumus autem, quod per unionem, annexionem, & incorporationem prædictus ſolitus Monachorum, & miniſtrorum numerus non minuatur, & aliàs dictum monaſterium in ſpiritualibus non lædatur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineat, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Si enim præſervatio ſpiritualium facit, quod illa non veniat ſub unione; igitur præſervatio temporalium pariter operatur, quod illa ſub unione non veniant. Hoc autem ſi quis diceret, negaret utique unionem in omnibus. Ergo dicendum eſt, quod præſervatio hujuſmodi importet ſolùm jus continuandi, ſeu continuari faciendi in monaſterio eandem Regularem obſervantiam, non autem quod ſpiritualia non cenſeantur conceſſa.

Verùm unio etiam reſpectu ſpiritualium poſitivè con- 6
vincitur ex ipſa formali profeſſione plurium monachorum coram Epiſcopo, tanquam domino monaſterii emiſſa. Atque hinc conſtituto, quod unio importet jura etiam ſpiritualia, neceſſariò ex ea conſequuntur omnia illa, quæ in concordia continentur.

Nam poteſt Epiſcopus ſe appellare Abbatem mona- 7
ſterii uniti. Quia per unionem efficitur Prælatus, & Rector Eccleſiæ unitæ, Rot. *in præcit. Barchinonen. Parochial.* 15. Februarii 1647. coram Ghislerio, ex eo præſertim, quod Pontifex illum vocat ejuſdem monaſterii *Patrem, & Paſtorem.*

Item poteſt, ac debet illud viſitare. Quia tali onere, 8
ac jure viſitandi gravaretur ipſe Abbas, & Prælatus, in cujus locum per unionem ſuccedit, Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 19.

Rurſus poteſt vices ſuas ad effectum viſitandi aliis delegare. Quia ob unionem fuit effectus Ordinarius, & Prælatus monaſterii uniti, ut dixi. Ordinarius enim habet facultatem viſitandi etiam per alium, Lezan. *ubi ſupra v. Commiſſarius n.* 7.

Ac etiam poteſt cauſas gravaminum a Priore illato- 9
rum cognoſcere. Quia ex decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum edito tempore Clement. VIII. de quo per Ghislerium *de Judic. regul. cap.* 15. *n.* 59. Regulares appellare debent ad Superiorem immediatum, qualis eſt Epiſcopus per unionem.

Et demum poteſt Priorem deſtituere, & inſtituere. Vel 10
quia ſemper fuit in iſta quaſi poſſeſſione, vel quia effectus unionis eſt amovibilitas ad nutum. Rot. cor. Greg. XV. *dec.* 96. *n.* 3. *& in rec. p.* 4 *tom.* 2. *dec.* 485. *n.* 14.

Verum tamen dicendum eſt, tranſactionem hujuſmo- 11
di nullam, & læſivam, atque adeò non eſſe confirmandam. Et quod nullitatem ea controverti non poteſt. Nam deficiunt debitæ ſolemnitates. Non enim in hoc contractu intervenit Prior monaſterii, qui præ omnibus deſideratur juxta textum *in Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* Felin. *in cap. Cum omnes n.* 17. *de conſtit.* Fulgoſ. *conſ.* 231. *n.* 4. Alex. *conſ.* 17. *n.* 4. *lib.* 4. Hi enim contractus fieri debent capitulariter, prævia omnium legitima vocatione, ut advertit idem Fulgoſ. eod. loco. Quo caſu non ſolùm ſuperior, verùm etiam ſimplex monachus non vocatus, & contemptus operatur nullitatem actus, *cap. Quod ſicut*, & ibi Doctores *de elect.* Sperell. *dec.* 182. *nu.* 10. Angel. *conſ.* 269. *num.* 2. & Bald. *conſ.* 475. *n.* 11. *lib.* 1. Sicuti etiam ille remanet nullus quando omnes vocati conſentiunt. In hujuſmodi enim alienationibus voluntariis non ſufficit major pars, ut in terminis tranſactionis firmat Rot. *in rec. dec.* 755. *n.* 4. *p.* 2. *& dec.* 189. *num.* 4. *dec.* 270. *n.* 2. *p.* 4. & cor. Seraph. *dec.* 708. *n.* 3.

Eò præſertim, quia dictus Prior erat ad inſtar Abba- 12
tis, ut poſt alios probat Jo: Coraſ. *aphor. Sacerd. p.* 5. *cap.* 3. *ſub num.* 4. quem refert, & ſequitur Valenz. *conſ.* 43. *num.* 38. *vol.* 1. atque adeò agebatur de illius præcipuè intereſſe, juxta *cap. fin.* ubi Innoc. *ſub num.* 3. Butr. *in* 5. *notab.* Abb. *in* 6. *notab.* & Bellamer. *ſub num.* 6. *de major. & obed.* ac proſequitur Burſ. *conſ.* 159. *ſub num.* 8. *lib.* 2. Cardin. Seraphin. *dec.* 708. *ſub nu.* 3. & alii quamplures. Eòque etiam magis, quia agebatur de tranſactione, quæ habet vim alienationis ex adductis per Gratian. *diſcept.* 846. *ſub n.* 6. Ciarl. *contr.* 8. *num.* 64. Ricc. *in prax. reſol.* 43. *num.* 1. *&* 2. Ex quibus reſultat, quod cùm non fuerit vocatus Prior, illeque hujuſmodi tranſactioni ſemper reclamaverit, actus remanet omninò nullus. Sola enim Prioris impugnatio ſufficit ad reſciſſionem tranſactionis, ut latè comprobat Valenz. *conſ.* 114. *ſub num.* 34. *cum ſeqq. vol.* 2.

Nec hujuſmodi nullitas excuſari poteſt ſub prætextu, 13
quod d. Prior eſſet abſens. Quia vel debebat expectari illius reditus, cùm nulla urgens cauſa, aut neceſſitas adeſſet, ut docent Alex. *in l. Cùm antiquitas num.* 4. *C. de teſtam.* Carpan. *ad ſtatut. Mediol. cap.* 300. *ſub num* 31. *part.* 3. Lamberteng. *de contract. gloſſ.* 9. *num.* 1. Cardin. Mantic. *dec.* 288. *num.* 3. Vel debebat per literas, vel per nuncium, vel alio legitimo modo vocari, ut probat Raguc. *de vocat. canon. quæſt.* 10. *num.* 5. Caſtellin. *de elect. cap.* 8. *num.* 7. Barboſ. *de Canon. cap.* 39. *num.* 1. Lavor. *var. lucubr. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 7. Mantic. *d. dec.* 288. *ſub num.* 4.

Sed quatenus interveniſſet conſenſus Prioris, & mona- 14
ſterii, adhuc deficeret altera ſolemnitas, beneplacitum,

nempe

nempè Sedis Apoſtolicæ, quod omninò requiritur, quando exempti a juriſdictione ordinaria, & immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ ſe aliquo pacto ſubjiciunt Ordinariis, ut latiſſimè firmavit Rot. *dec.* 454. *num.* 10. *& dec.* 461. *num* 2. *&* 20. *part.* 5. *rec.* Quod beneplacitum, etſi fuerit reſervatum, cùm tamen hucuſque non fuerit obtentum, & monachi concordiam impugnent, ſuumque conſenſum revocaverint, ex hoc ſolùm corruit, nec poteſt amplius agi de confirmatione. Quia in hac materia ante obtentum beneplacitum locus eſt pœnitentiæ, Caputaq. *dec.* 12. *numer.* 4. *part.* 3. Achil. *dec. de pact.* Rot. *dec.* 573. *par.* 1. *div.* Mareſc. *var. reſol. libr.* 1. *cap.* 14. *num.* 1.

15 Cum defectu ſolemnitatum concurrit etiam defectus cauſæ, quæ pariter requiritur in alienatione rerum Eccleſiæ. Cùm enim non verſemur in contractu neceſſario, ſed voluntario, non poteſt dari alia cauſa ſufficiens, quàm evidens utilitas. Hæc autem non ſolùm non concurrit in hoc caſu, verùm etiam læſio eſt evidens. Nam licèt controverti non poſſit, quod hoc monaſterium fuerit unitum menſæ Epiſcopali, tamen cùm detur duplex genus unionis, unum eſt, quod complectitur tàm ſpiritualia, quàm temporalia, alterum verò, quod comprehendit temporalia tantùm, adeòut quoad reliqua, & præſertim ſpiritualia res unita remaneat in priſtino ſtatu, ut explicitè advertit Rot. *dec.* 758. *num.* 1. *& ſeqq. par.* 1. *div.* latèque Flor. de Men. *var. reſol. l.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 16. *& ſeq.* Dubitari non poteſt, quin hoc monaſterium fuerit unitum quoad temporalia tantùm. Tum quia ita in dubio præſumitur, cùm ſemper ea ſit capienda interpretatio, ut minus præjudicetur Eccleſiæ unitæ, ut rectè Imol. *in cap. de Monachis num.* 7. *de præb. & dignit. ad med.* Flor. de Men. *d. lib.* 1. *qu.* 10. *num.* 17. & benè id comprobatur ex *capit. Paſtoralis* 7. *de donat.* Tum etiam quia in præſenti nulla adeſt dubitatio, quin hæc complectatur tantùm temporalia. Quia in proœmio unionis conceſſæ per Pontificem aſſeritur, quod *bona ejuſdem monaſterii ſunt valdè diminuta propter malum regimen Abbatum, & alios eventus, adeòut nulla ſit ſpes, quod illa per Monachos poſſint reduci ad priſtinum ſtatum.* Et inferius: *Ad hoc ut Epiſcopus juxta Epiſcopalis dignitatis exigentiam facilius ſe ſuſtentare poſſit.* Unde cùm hæc enunciativa ſit cauſa finalis, quia apparet inſerta in proœmio, *l. fin.* & ibi Doctores, *de hæred. inſtit.* Dec. *conſ.* 600. *ſub princ.* Burat. *dec.* 106. *num.* 2. & loquatur duntaxat de rebus temporalibus; ita etiam idem dicendum eſt de tota diſpoſitione, & unione, etiamſi aliàs verba eſſent univerſalia, & generalia, atque apta comprehendere etiam reſ ſpirituales. Quod perſpicuè expreſſit Cravet. *conſ.* 16. *num.* 5. & pronunciavit Rota coram Mohedan. *dec.* 13. *de præb. & dec.* 224. *num.* 12. *par.* 5. *recent.* & ſæpè alibi. Ac licèt etiam diſpoſitiva excludat omninò res ſpirituales, ibi: *Et aliàs dictum Monaſterium in ſpiritualibus non lædatur*. Nam læſio eſſet manifeſtiſſima, ſi illud erat omninò ſui juris, & immediatè ſubjectum Sedi Apoſtolicæ remaneret quoad ſpiritualia ſub Ordinario tanquam membrum ipſius Epiſcopatus.

16 Dum ergo Monaſterium, non obſtante unione temporalibus exceptis, remanſerit in ſuo primævo ſtatu, læſio tranſactionis redditur enormiſſima ex pluribus. Et primò, quia Epiſcopus in tranſactione appellatur perpetuus Abbas in exequutionem prætenſæ unionis, & tamen literæ unionis continent præciſam conditionem, quatenus Monaſterium in ſpiritualibus non lædatur, & ſic Pontifex non intellexit alterare in ſpiritualibus Monaſterii ſtatum, cui congruit, quod Abbas non eligatur, niſi regularis, & profeſſus in eodem monaſterio juxta *cap. Quamvis*, *§. Defuncto* 18. *quæſt.* 2. traditque Azor. *Inſtitut. moral. par.* 1. *l.* 12. *cap.* 20. Mirand. *in man. Præl. tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 11. *concluſ.* 4. Quod procedit etiam quando jus præſentandi, ſeu nominandi Abbates ſpectat ad ſæculares, & etiam in monaſteriis commendatis, ut probat Roderic. *tom.* 2. *quæſt.* 123. *art.* 4. Navar. *com.* 3. *de regul. in pr. ſub num.* 2. Garz. *de benef. par.* 7. *cap.* 10. *ſub num.* 14. & concordat diſpoſitio S. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *de regul.*

17 Secundò, quia data fuit facultas d. Epiſcopo viſitandi Monaſterium, quod fieri nequit. Quia Epiſcopus non poteſt viſitare monaſteria exempta, quibus non imminet cura animarum ſæcularium. Atque ita fuiſſe a S. Congregatione Concilii reſolutum teſtantur poſt alios Tamburin. *de jur. Abb. to.* 1. *diſp.* 15. *ſub n.* 50. *& de jur. Abbatiſ. diſp.* 16. *q.* 3. Sellel. *in ſelect. canon. c.* 6. *ſub n.* 25. Barb. *in collect. Bullar. v. viſitare, & de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 74. *n.* 16. & abſolutè prohibetur a Sac. Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 8. & probat Roderic. *ſup. to.* 1. *q.* 36. *art.* 3. Novar. *in lucer. reg. v. Epiſcopus quoad Regulares n.* 34. Idque multò minùs poteſt in monaſteriis, in quibus viget regularis obſervantia, cùm ab illorum Superioribus, non autem ab Epiſcopo viſitari debeant, Roder. *loc. alleg.* Azor. *ubi ſup. part.* 2. *libr.* 3. *cap.* 40. *qu.* 10. Armend *in add. ad recopil. leg. Navar. lib.* 1. *tit.* 6. *l.* 4. *§.* 2. *ſub n.* 98.

Tertiò quia data fuit Epiſcopo poteſtas viſitandi ad ſui 18
libitum, quod nec fieri poteſt. Nam etiam quando competit Epiſcopo jus viſitandi hujuſmodi monaſteria, tamen illud jus ſub duplici conditione manet. Primò, quatenus præcedat admonitio, & negligentia Superiorum. Secundò, quatenus viſitatio fiat non ad libitum, ſed juxta inſtituta regularia, ut diſponitur in eodem Trid. *d. ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *de reform.* & avertunt Campanil. *rub.* 12. *&* 13. *ſub num.* 50. Armend. ubi ſupra ſub num. 98. & alii.

Quartò, quia elargita fuit facultas Epiſcopo viſitandi 19
tàm per ſe, quàm per alios ſæculares, & hoc repugnat non ſolùm Sacris Canonibus, ut *in cap. Decernimus, c. Epiſcopum, &c. Placuit* 10. *quæſt.* 1. diſponentibus viſitationem faciendam eſſe ab Epiſcopo per ſeipſum, ut probat Azor. proximè allegatus *quæſt.* 4. & præſertim in viſitatione monaſteriorum exemptorum, ut firmant Armend. *ibid. num.* 91. Sed etiam repugnat congruentiæ, cùm incongruum ſit, quod ſæculares viſitent Regulares, & qui reformatione indigent alios reformare ſtudeant, & infirmi viſitent medicos, ex Roder. *d. art.* 3. *per tot.*

Quintò, quia fuit data Epiſcopo facultas ad ſui quo- 20
que nutum inſtituendi, vel deſtituendi Priorem monaſterii, quæ facultas operatur, ut Prior metu amotionis nullo modo contradicere poſſit Epiſcopo, & hinc tollitur monaſterio totaliter defenſio. Quia quoties Paſtor vel diſpergitur, vel formidat, oves etiam diſperguntur ut habetur *in cap. Quamvis* 7. *qu.* 1.

Sextò, in aſſerta tranſactione permittitur Monachis 21
etiam non obtenta licentia a Priore recurrendi ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Nuncium, quæ facultas ex diametro adverſatur diſpoſitioni Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de regul.* Et latè hoc probat Roderic. *d. tom.* 1. *qu.* 30. *art.* 3. & 4. Sanchez *in decal. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 102. Sicuti idem evenit de pacto illo, quod poſſit eligi Prior, qui ſit ex alia Congregatione, Rover. *tom.* 2. *qu.* 52. *art.* 6. & 9. *num.* 1. Eſt enim contra ſacros Canones, *ut in cap. Quam ſit neceſſarium* 18. *qu.* 2.

Concurrit quoque quod d. tranſactio emanavit per me- 22
tum cadentem etiam in conſtantem virum, pro quo ſufficit conſiderare, quod hujuſmodi metus eſt veriſimilis, ſtante quod tranſactio fuerit ad favorem Epiſcopi potentis, & præſentis, abſolutumque dominium monaſterii prætendentis, ac ſtante enormiſſima læſione ex adductis per Novar. *de gravam. vaſal. tom.* 3. *præl.* 10. *ſub n.* 1. & *ſeqq.* Enormiſſima enim læſio præſeferet non ſolùm metum, ut probant Galerat. *de renunc. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *ſub n.* 12. Cyriac. *contr.* 403. *ſub n.* 19. *dec.* 86. *ſub num.* 17. ſed etiam ſpeciem doli, ut decidit Fontanel. *dec.* 64. *ſub n.* 8. *& dec.* 66. *ſub num.* 17. Rota *in rec. dec.* 321. *nu.* 14. *&* 19. *par.* 4. *tom.* 2. Et operatur, ut ne dicatur adfuiſſe conſenſus in Monachis, & ſic tranſactio dicitur ipſo jure nulla ex defectu conſenſus, ut probant Surd. *conſ.* 127. *ſub num.* 24. *& conſ.* 323. *n.* 14. Cyriac. *contr.* 155. *ſub num.* 10. *& ſeq.*

Hinc autem metus confirmatur ex eo quia Monachi 23
omne jus renunciarunt Epiſcopo, & ab illo nihil de proprio receperunt. Et tamen ſubſtantiale eſt in tranſactione, quod hinc inde aliquid detur, alioquin ſubſiſtere non poteſt ad text. *in l.* 1. *ff. de tranſ.* Cyriac. *contr.* 128. *ſub num.* 23. Merl. *dec.* 621. *num.* 20. Rot. *in rec. dec.* 271. *n.* 11. *part.* 6. *& in Roman. dotis, ſeu tranſactionis* 1. Julii 1643. cor. Carillo.

At quatenus unio non eſſet intra terminos rerum tem- 24
poralium reſtricta, adeòut etiam Epiſcopus eſſet in monaſterio loco Abbatis, adhuc tamen cum ea, quæ per tranſactionem fuerint alienata, reſpiciant regularem diſciplinam, læſio adhuc remaneret clariſſima. Quæ etiam in his monaſteriis, in quibus omnimoda juriſdictio ſpectat ad Epiſcopum, adhuc tamen quæ pertinent ad regulare Inſtitutum debent gubernari per proprium Superiorem regularem, ut docent diſertè Franch. *in c. Nullus* 28. *n.* 3. *de elect. in* 6. Grat. *diſcept.* 270. *n.* 4. Rot. *dec.* 152. *num.* 2. coram Coccino.

Nec juvat, quod ſi præſervativa, de qua in literis Julii 25
II. relinqueret Monachis jura ſpiritualia, etiam temporalia eſſent præſervata, cùm illa eodem modo exceptuata appareant. Quia non uniformiter jura ſpiritualia, & temporalia præſervantur. Spiritualia enim ſimpliciter, & ſine ulla additione exceptuat, ibi: *aliàs Monaſterium in ſpiritualibus non lædatur*. Secus verò temporalia. Nam poſt præſervativam additur: ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Unde, ſtante hac diverſitate, retorquendo

argumentum poteſt optimè firmari, quod reſpectu ſpiritualium Monaſterium remanſit in eo ſtatu, in quo erat ante unionem ſimpliciter, ſecus verò quoad temporalia, cùm illi ſint reſervata ea emolumenta, quæ pro congrua ſuſtentatione requiruntur.

26 Nec contrarium evincere poſſunt ſubſequentia Diplomata Pontificia. Tum quia juxta limites, & terminos primæ conceſſionis, & unionis intelligenda ſunt, Roſental. *de feud. c. 1. concl. 13. n. 1.* Tum etiam quia nullum ex illis comprobat hanc unionem, quoad ſpiritualia. Alterum enim ejuſdem Julii II. eſt expreſsè ad primum relativum, & licèt mentionem faciat de obedientia, & reverentia debita Epiſcopo, hoc tamen non comprobat unionem, cùm certiſſimum ſit, quod etiam ſublata, Monachi exempti erga Epiſcopum tanquam Ordinarium, tenentur debitum præſtare obſequium, & in multis ſunt illius juriſdictioni ſubjecti, ut tradit Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 28. n. 105.* Rot. *dec. 111. n. 14. & ſeq. par. 5. & dec. 156. n. 7. p. 1. rec.* Et in hunc ſenſum referri poſſunt verba illa *tanquam Patrem, & Paſtorem*, Leo X. præcipit tantum exequutionem quarundam ſententiarum, quæ optimè referri poſſunt ad temporalia. Paulus III. & Pius IV. ſolùm confirmant antecedentia.

Poſtremò non ſuffragatur aſſerta profeſſio. Quia non apparet, quod illa fuerit emiſſa in manibus Epiſcopi, ſed tantùm coram Epiſcopo.

CONSULTATIO CXXXVII.

1 CUm a S. Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 9. de refor.* diſponatur ad probandum juſpatronatus Baronum, & Univerſitatum, requiri præſentationes continuas non minori tempore quam 50. annorum, quæ effectum ſint ſortitæ, & authenticis ſcripturis probentur.

2 Quæritur pro evitandis controverſiis, & pro inſtructione Epiſcoporum,

An pro authenticis ſcripturis intelligantur tantummodo publica, & authentica inſtrumenta, non autem ſimplices literæ patentes Baronum, ſeu Univerſitatum ad juſpatronatus præſentantium tenoris ſequentis, aut ſimilis?

3 *Vacando per la morte, ec. il benefizio ſemplice, e rurale ſotto il vocabolo di S. Domenico nella giuriſdizione, e Territorio del noſtro Caſtello, ec. la collazione, e preſentazione del quale per ragion di Juſpatronato, che per antica, ed inveterata conſuetudine abbiamo ne' benefizj, che ſi trovano in detto noſtro Caſtello, e ſuo Territorio ſpetta a noi. Di noſtra certa ſcienza, e volontà conferiamo detto benefizio vacante come ſopra con tutte le ſue entrade, onori, e peſi ad N. e in virtù di queſta lo preſentiamo avanti al Reverendiſſimo Ordinario Veſcovo, pregando ſua Signoria Illuſtriſſima, ſe lo trova idoneo, come noi lo teniamo, a confirmarlo, e fargli ſpedire le Bolle, il che ci ſarà gratiſſimo. N. N. loco ✠ ſigilli.* Sive hunc in modum. *Vacando il Rettorato della Chieſa di S. Antonio Abbate della noſtra Terra, ec. per morte, ed ultimo poſſeſſore di eſſo, il quale è di noſtro juſpatronato, come ſono tutti gli altri benefizj di detta Terra. E volendo noi preſentare perſona idonea a queſto benefizio per vigore della preſente eleggiamo, e nominiamo N. avanti al Reverend. Monſignor Veſcovo, ec. pregando ſua Signoria Illuſtriſſima, che trovandolo idoneo a queſto, lo voglia ammettere, inſtituire, e fargli la debita collazione, ec. N. N. loco † ſigilli.*

4 Et quidem negativa ſententia mihi ſuadetur. Quia illis non adaptantur modi, quibus ſcripturæ de jure dicuntur authenticæ juxta Gloſſ. magiſtralem *in c. Dicenti 16. §. Omnes, v. Ut auth. 25. qu. 2.* cui adhæret Gloſſa 1. *in capit. 1. de fid. inſtr.* ubi poſt alios notat Hoſt. *num. 5.*

5 Secundò, quia S. Concil. Trid. *d. cap. 9. ſeſſ. 25.* ob præſumptam uſurpationem præſcripſerit ſtrictiſſimam formam pro authenticis ſcripturis ipſarum præſentationum timore præſumptæ uſurpationis, intelligenda ſunt tantummodo inſtrumenta authentica, ut evitetur occaſio cujuſcunque fraudis in hac probatione, ut in puncto firmavit Vivian. *de Jurepatr. part. 2. lib. 11. cap. 7. num. 23.* Lotter. *de re benef. libr. 2. cap. 38. & ſeq.* Qui licet illativè *ad deciſ. Bellam. 311.* non impugnet contrariam conſuetudinem de jure communi, in quibus terminis loquitur Bellamera, cùm illius deciſiones longè præceſſerint publicationem S. Concilii; nihil tamen poſt Concilium obſtare poteſt, tùm ſpecificè derogetur quibuſcunque conſuetudinibus in fine *d. cap. ſeſſ. 25.* & latius in Conſtitutionibus Pii IV. & Pii V. confirmatoriis ipſius Concilii, quarum vigore quodlibet caput ejuſdem Concilii dicitur habere decretum irritans excluſivum cujuſcunque conſuetudinis, ut firmat Gonz. *ad regul. 8. gloſ. 15. num. 37.* Rot. *in Seguntina 1.* Junii 1593. cor. Cardinali Blanchetto, & in aliis. Quod proſequitur Ricc. Gonz. & alii plures.

Hoc idem expreſsè cenſuit Rota *dec. 197. num. 64. p. 6 5. rec.* ibi: *Cum præſentationes debeant probari per authentica documenta.* Idem in Jacen. 20. Julii 1603. cor. Cardin. Pamphilio in fine his verbis: *Hoc tamen non procedit, quando adeſt præſumptio uſurpationis. Quia tunc præcise ſervanda eſt forma tradita per Concilium, oſtendendo documenta authentica ipſarum præſentationum.* Et in Calaguritana Juriſpatronatus 9. Maji 1616. cor. Remboldo, ibi: *In omnem etiam eventum deficeret alterum requiſitum neceſſarium præſentationis, ſcilicet per ſpatium quinquaginta annorum effectum ſortitæ, de quibus debet per publica, & authentica documenta conſtare.* Id ipſum in Lucana, & in aliis ſæpè deciſum fuit. Quod etiam cenſuit Sacra Congregatio Concilii, & ſignanter in una Panormitana Juriſpatronatus menſe Februario 1633. ibi: *Præſentationes per inſtrumenta authentica.*

Tertio, quia cùm in terminis S. Concilii communiter 7 Doctores, Rota, & Sacra Congregatio tenuerint verba præcedentia *ex authentico documento* importare authentica inſtrumenta, ut Gonzal. *ubi ſupra gloſs. 18. nu. 38. & ſeq. cum* aliis ibi relatis, idem utique dicendum eſt de verbis *authenticis ſcripturis*, cùm verbum Documenta, & Scripturæ (quidquid dicant Grammatici) de jure civili, & canonico reputantur ſynonyma, ut *in auth. de Tabellion. ſub princ.* ubi Gloſ. *v. Documentum*, ibi: *Documentum, id eſt chartam.* Unde *in auth. Si quis, C. de edendo*, documenta dicuntur inſtrumenta. Immò verbum Documenta de jure latius extenditur quàm verbum Scripturæ, eò quod verbum Documenta comprehendit etiam depoſitiones teſtium, quas comprehendit verbum Scripturæ. Innoc. *in cap. 1. ſub num. 7. de elect. & in cap. Pia ſub nu. 8. circa fin. de except. in 6.* facitque textus *in l. Pervenit 4. de teſtib. cogen.* ac ponderat Alberic. *in Diction. legal. v. Documentum in fine.*

Itaut propterea jus diſpoſitionis S. Concilii ſtet in ver- 8 bo *Authenticis*, ſeu authentico, & conſequenter cùm hujuſmodi literæ patentes non poſſint dici ſcripturæ authenticæ ex d. Gloſ. *in cap. Dicenti* cum aliis ſupra allegatis, ſequitur non poſſe ſufficere ad probationem a S. Concilio explicitè præſcriptam.

Et licèt Inſtitutiones ſubſequutæ eſſent authenticæ, uti 9 de actis, & per notarium, ac licèt documenta dicantur etiam literæ publicæ *in cap. Quoniam contra, extra de prob.* Ex quo tamen Sac. Conc. probationem diſtinctam, & ſeparatam requirit reſpectu præſentationum, non poſſunt inſimul coacervari, & hoc modo elidere probationem præſentationum a S. Concilio, ut ſupra præſcriptam.

Ex quibus infero non obſtare deciſſionem coram Peu- 10 tingero, cum ex ſupradictis rationibus, & deciſionibus Rotalibus contraria opinio ſit verior, ac tutior in materia præſumptæ uſurpationis.

Hæc tamen differo, & conſideranda propono. Cæte- 11 rùm S. Congreg. Concilii ſæpè cenſuit juſpatronatus ex ſolis præſentationibus continuis ultra hominum memoriam probari, licèt in eis nulla fuerit facta mentio de fundatione, aut dotatione. Item formam requiri, ut probatio fiat per authenticas ſcripturas, ut eſt legere apud Gonz. *d. gloſ. 18. num. 46. 79. & 82.* & habetur in Trid. *d. ſeſſ. 25. cap. 9. de reform.*

Porrò authenticon græca vox eſt pro authorato. Hinc 12 lex authentica, & decretum authenticum, quod multorum authoritate comprobatum eſt. Ac proinde Alciat. *cap. 46. l. 2. pareg.* rectè obſervaverit authentici vocabulum pro re certæ fidei poni non ſolùm apud Julianum, Paulumque Juriſconſultos, ſed etiam apud Tullium *ep. ad Attic. lib. 9. & 10.* tametſi Gaza *libel. de menſ.* hanc vocem apud veteres hoc ſenſu non reperiri ſcribat. Quare eadem Sac. Congreg. Concilii die 4. Febr. 1651. cenſuit literas patentes præſentationum Baronum, ſeu Communitatum cum ſubſcriptione, & ſigillo eorundem exhibitas in actis, & effectuatas, haberi pro ſcripturis authenticis.

CONSULTATIO CXXXVIII.

De præcedentia tàm inter Ordines Mendicantium, quàm Monachorum?

ASſerendum eſt: In proceſſionibus, aliiſque functio- 1 nibus tàm publicis, quàm privatis, ille Ordo eſt præferendus ac manutenendus in poſſeſſione, vel quaſi præcedendi, qui vel juxta conſuetudinem, vel juxta poſſeſſionem, vel quaſi præcedendi, præcedit. Quando verò

non

non probatur, aut non conſtat de quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ille Ordo, qui antiquior eſt in loco controverſiæ præcedere debet, itaut ſi contigerit nova monaſteria, aut domos in aliquo loco recipi, ille Ordo, qui prius monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat. Sic ſancivit Greg. XIII. Conſtit. 86. *tom.* 2. *Bullarii.* Quæ ſanè præcedentia juxta prioritatem, & antiquitatem Conventuum eſt oretenus decidenda per Ordinarios, quacunque appellatione poſtpoſita.

2 Et quanquam Pius V. *in ſua Conſtit.* 71. ob prædilectionem erga ſuam Religionem Dominicanam ei conceſſerit prærogativam præcedendi omnes alios Mendicantes, non habita conſideratione anterioritatis in loco, minuſque quaſi poſſeſſionis centenariæ, vel immemorabilis, attamen ejus ſucceſſor Greg. XIII. agnoſcens, quod exinde plures ortæ fuerant lites, quietem religioſam perturbantes, rationi, & æquitati conſonum eſſe duxit eas dirimere, determinando, quod in proceſſionibus tàm publicis, quàm privatis attenderetur quaſi poſſeſſio, ubi adeſſet, & quod ubi de aliqua poſſeſſione non conſtaret, præcederent ii, qui eſſent antiquitus in loco controverſiæ cum derogatione ampliſſima quorumcunque privilegiorum, indultorum, & literarum Apoſtolicarum in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio & cum quibuſcunque derogatoriarum derogatoriis conceſſis, & addita etiam clauſula quorum tenores, ut proinde non videatur dubitandum, quin præcedens Conſtitut. Piana fuerit ſufficienter abrogata, licèt non fuerit facta de ea ſpecialis mentio, cùm derogationes ita amplæ, & conceptæ cum d. clauſula *Quorum tenores* operentur ac ſi omnium privilegiorum, ac Conſtitutionum in contrarium facientium tenor fuiſſet per extenſum inſertus ex doctrina Felini *in c. Nonnulli n.* 4. & *in cap. Accedentes num.* 5. *de reſcript.* Dec. *conſ.* 165. *num.* 2. Gonz. *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 36. *n.* 29. & 31. Caſſador. *dec.* 10. *n.* 2. Burat. *dec* 390. *n.* 5. & 6. ibique Add. *n.* 13.

3 Amplitudinem autem derogatoriarum tollere quæcunque privilegia, & indulta in contrarium facientia, etiam quod eſſent ſpecialia, firmat Caſſad. *d. dec.* 10. *n.* 2. & Rota coram Buratto *d. alleg.* 390. *n.* 6. Maximè verò dum ulterius concurrit ſpecifica expreſſio in dictis clauſulis derogatoriis quorumcunque privilegiorum in contrarium tàm in genere, quàm in ſpecie.

4 Quodque etiam Gregorius intellexerit comprehendere in d. ſua Conſtit. Patres Prædicatores ex eo probatur, quia in diſpoſitiva comprehendit omnes Mendicantes ſe de hujuſmodi præcedentia contendentes, ibi: *Volumus & Apoſtolica authoritate decernimus, quod quicunque d. Fratribus mendicantibus inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, &c.* Quæ ſunt verba adeò univerſalia, ut omnes nullis exceptis, includant, Marth. *p.* 3. *clauſ.* 44. *n.* 2. Rot. *dec.* 368. *num.* 5. & *dec.* 791. *n.* 10. *p.* 1. *div.* Seraph. *dec.* 980. *n.* 8. paſſimque alibi.

5 Ac eadem voluntas Gregorii comprehendi PP. Prædicatores in d. Conſtit. comprobatur ex ejus declaratione facta vivæ vocis oraculo. Siquidem excitata lite eodem anno ſuper præcedentia in loco nuncupato Caſtr. Villari, Caſſanen. diœceſes inter eoſdem Patres Prædicatores, & Patres Sancti Franciſci; Sacra Congregatio ad quam negotium fuerat delatum, dubitans fortaſſe propter d. Conſtitutionem Pianam, & ex quo idem Gregorius aliàs declaraverat, quomodo in ſimilibus caſibus eſſet procedendum, nihil voluit determinare, niſi facto verbo cum Sanctiſſimo, qui juſſit eſſe attendendam antiquitatem in loco, quemadmodum per S. Congreg. fuit reſcriptum, ut ex decreto relato in Brevi Urbani VIII. quod in fine adducam.

6 Notandum autem eſt, quod dicta declaratio Gregorii facta fuit ante Conſtitutionem univerſaliter editam. Nam d. decretum S. Congregationis emanavit die 24. Maji 1583. Conſtitutio verò fuit publicata 15. Julii ejuſdem anni. Unde liquet, quod Pontifex in d. Conſtitut. licèt non fecerit ſpecialem mentionem Patrum Prædicatorum, nec Conſtitutionis Pianæ; nihilominus voluit abrogare d. Conſtitutionem. Et non contentus dicta declaratione facta vivæ vocis oraculo circa obſervantiam anterioritatis in loco, voluit generali Conſtitutione decernere, ac ſtabilire cum expreſſa, & ampliſſima derogatione quibuſcunque Conſtitutionibus contrariis, arguendo a contemporaneitate, & vicinitate actuum, quod eſt optimum argumentum pro declaratione diſpoſitionis, quæ aliàs eſſet dubia, & ambigua, Gloſ. *in leg. fi. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum. l. hæredes palam. Sed etſi notam. ff. de teſtib.* Giovagn. *conſ.* 163. *n.* 27. & 29. *lib.* 1. Caſtill. *de uſufr. c.* 30. *n.* 52.

7 Comprobatur etiam hæc intentio Gregorii comprehendi ſub dicta Conſtitutione PP. Prædicatores, & abrogandi Conſtitutionem Pianam, ex quo in proœmio adducitur pro ratione motiva, quod in multis civitatibus, & diœceſibus diverſarum Mundi partium ortæ fuerant lites, & controverſiæ ſuper hac præcedentia. Quod ſicuti optimè verificatur reſpectu Patrum Prædicatorum tàm ex d. differentia in loco præfato Caſtri Villari, quàm ex aliis, de quibus fit mentio in præcitato decreto S. Congregationis, non obſcurè oſtendit principaliter reſpectu dictorum PP. Prædicatorum præfatam Conſtitutionem emanaſſe, cùm ratio in proœmio Conſtitutionum expreſſa plurimum conferat ad earum interpretationem, Rom. *conſ.* 16. *n.* 4. & *conſ.* 180. *n.* 6. Lap. *alleg.* 101. *nu.* 24. Et hoc argumentum pro declaratione d. Conſtitutionis Gregorianæ admittit Contelor. *de præced. n.* 75. licèt in applicatione deficiat; errore enim ductus putavit, quod nullæ lites aderant inter Religionem Prædicatorum, & alias Mendicantium, tanquam deciſas per d. Conſtitutionem Pianam.

Immò ex dicta declaratione Gregorii ſuper obſervan- 8
tia anterioritatis in loco, & ex aſſertione S. Congregationis, quod idem Pontifex fecerat alias declarationes in ſimilibus caſibus clarè deducitur, quod d. Conſtitutio Piana nunquam fuerit uſu recepta, nec etiam a principio; & ſic eo minus obſtare poteſt. Quia licèt Conſtitutiones Apoſtolicæ non poſſint abrogari per non uſum, hoc procedit quando ſemel uſu receptæ fuerunt, ſecus quando nunquam fuerunt obſervatæ; immò ipſo Principe ſciente, & tolerante fuerunt facti actus contrarii, ut communiter declarant Canoniſtæ *in c.* 1. *de treg. & pac.* & præſertim Abb. n. 4. Felin. nu. 6. Qui ulterius dicunt, quod ubi concurrit Principis ſcientia, ſufficit binus actus in contrarium. Idem ſequuntur Benintend. *dec.* 13. *num.* 9. Put. *dec.* 1. *circa fin. lib.* 1. *in correct.* Suar. *de legib. lib.* 7. *c.* 18. *n.* 17. Farinac. *fragm. crimin. p.* 2. *v. lex n.* 120. Quod præcipuè in terminis præcedentiarum firmavit Rot. *dec.* 585. *n.* 1. *p.* 4. *div.* & coram Gregorio XV. *dec.* 114. *n.* 2. & 4. & coram Cavaler. *dec.* 588. *nu.* 7. in qua etiam atteſtatur ita fuiſſe reſolutum ab eadem S. Congr. Regularium. Idem docet Navar. *conſ.* 2. *lib.* 1. *de major.* & communi calculo ſtabiliunt congeſti per Sperell. *dec.* 76. *ſub numer.* 3. & 4.

Et ſanè admodùm rationabilis fuit prædicta abrogatio 9
Conſtitutionis Pianæ, cùm in ea derogetur conſuetudini & quaſi poſſeſſioni etiam immemorabili; cùm tamen in hac materia præcedentiæ primas partes teneat conſuetudo, & ei plurimum jus ipſum deferat, Caſſan. *in catal. glor. mund. p.* 4. *conſid.* 33. *in fin.* Gratian. *diſc.* 106. *num.* 8. Manriq. *de præced. q.* 18. *n.* 1. Rot. *dec.* 214. *n.* 2. & 14. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & *dec.* 15. *n.* 14. *p.* 6. *rec.* Cùmque etiam in ea tollatur privilegium anterioritatis in loco, quæ in tantum ſecundùm aliquos non eſt attendenda, in quantum cedere debeat antiquioritati inſtituti. Sed hæc ratio non potuit haberi in conſideratione, dum Religio PP. Prædicatorum non eſt origine & approbatione Inſtituti antiquior omnibus aliis, cùm fuerit fundata ſub anno 1208. approbata verò ſub Honorio III. ſub anno 1216. ut refert Caſſan. *loc. alleg. p.* 4. *conſid.* 69. Religio autem Eremitarum S. Auguſt. cæteris omiſſis, fuit ſub regula S. Baſilii tempore Gelaſii, qui vixit anno 490. ut inquit idem Caſſan. *ubi ſup. conſid.* 71. & poſt eum Manriq. *qu.* 45. *num.* 9.

Nec obſtat Conſtitutio 13. Clementis VIII. Quia po- 10
tius comprobat, quod d. Conſtit. Gregoriana comprehendat etiam PP. Prædicatores, ut clarè habetur ex proœmio. Et quatenus eiſdem PP. Prædicatoribus concedit digniorem locum poſt Ordines Monachales, & ſupra omnes alios Mendicantes, etiam magis antianos in locis, eſt advertendum, quod id non fuit Indultum generale, ſed peculiare conceſſum Provinciæ Aragoniæ, & nonnullis alii locis ibidem ſpecialiter expreſſis. Unde non poteſt ullo modo extendi ad univerſum Ordinem etiamſi militaret identitas rationis, *ut arg. l. Jus ſingulare, ff. de legib.* traditque Alex. *in l. Scriniarios n.* 2. *in fin. ff. de milit. teſtam.* & cenſuit Rota cor. Buratto *dec.* 19. *n.* 5. Et in terminis Indulti localis, quod non extendatur ad alia loca fuit latiſſimè firmatum in Barchinonen. Canonicatus 4. Dec. 1644. & 9. Junii 1645. Ubi nominatim reſpondetur argumento ducto ab identitate rationis coram Veroſpio, & in Bononien. ſucceſſionis de Zanis 9. Dec. 1654. *ſ. fin.* cor. Bichio. Quod etiam ritè adaptatur aliis duabus Conſtitutionibus ejuſdem Clementis VIII. emanatis anno 1592. & 1600. cum pari modo fuerint conceſſæ particulariter pro Regno Portugaliæ, ut ex earum lectione perſpicuè conſtat.

Nec facit ratio in proœmio expreſſa, quod ſcilicet 11
PP. Prædicatores primum locum inter alios Mendicantes obtineant, & hic ritus in Urbe ſervetur, ut poſt Ordines monachales ipſi ſubſequantur. Unde prætenditur, diſpoſitionem extendendam eſſe ad omnia loca, cùm eadem ratio ſit omnibus adaptabilis. Nam cùm diſpoſitiva

ejuſdem Conſtitutionis ſit aptiſſimè reſtricta ad civitates, & loca Regni Portugalliæ, non poteſt, etiam ex identitate rationis admitti extenſio ad alia, cùm hæc ſit differentia inter privilegium particulare, & legem univerſalem, ut notat *Abb. in cap. Sane pr. de priv.* & ex text. *in l.* 2. ubi Gloſ. *v. Nec generalia C. de leg.* dixitque poſt alios Rot. *in adducta Barchinon. Canonicatus* 9. Junii 1645. cor. Veroſpio.

12 Ponderando maximè, quod d. prima Conſtitutio quantumvis emanata ob præaſſertam rationem, ſuſpenſa nihilominus remanſit per alias literas ejuſdem Clementis VIII. in quibus ordinatum fuit, quod donec negotium melius examinaretur, ſervari deberet in eo Regno inter Mendicantes alternativa, ut habetur in fine ipſius Conſtitutionis. Quod clarè oſtendit præfatas rationes, nec etiam pro iiſdem Regnis fuiſſe habitas pro ſufficientibus ad ſuſtinendam ejuſmodi declarationem. Et quamvis poſtmodum anno 1600. prævia per octo annos acerrima cauſæ diſcuſſione inter Procuratores Religionum dicti Regni emanaverit a Sede Apoſtolica alia Conſtitutio præcedentis confirmatoria, id referendum omninò eſt ad particulares rationes, quæ potuerunt in eo Regno militare, ut præ aliis ex eo colligitur, quod auditi non fuerunt, niſi Procuratores particulares ejuſdem Regni.

13 Et hanc reſtrictionem dict. Conſtitutionis Clementis VIII. ad loca particularia benè agnovit S. Congregatio Epiſcop. & Regul. dum orta ſimili controverſia inter Patres Prædicatores, & PP. Franciſcanos in Civitate Ferentini fuit ſub die 1. Junii 1604. reſponſum, quod ſervari deberet motus proprius Gregorii XIII. Qui tamen pro parte Patrum Prædicatorum allegabatur d. Clementina, eadem S. Congregatio in ipſomet decreto expreſſit, quod talis Conſtitutio non fuerat facta ad derogandum generaliter d. motui proprio Gregorii XIII. ut ex decreto, quod habetur in præcitato Brevi Urbani VIII. a quo poſtmodum obſervantia d. Conſtitutionis Gregorianæ fuit expreſsè ordinata in Brevi edito ann. 1627. ad favorem Fratrum B. Joannis Colabitæ, nec non in alio Brevi anno 1637. in quo præſertim ex certa ſcientia, & prævia matura cauſæ cognitione, habitaque declaratione ejuſdem S. Congregationis determinavit, ſupradicta decreta in eodem Brevi inſerta, quæ fuerunt emiſſa in cauſis vertentibus inter alios Regulares, & PP. Prædicatores, cùm innitantur juſtitiæ d. motus proprii Greg. XIII. & ſint conformia declarationibus etiam aliarum Sac. Congreg. generaliter obſervanda eſſe ubicunque contigerit de eadem præcedentia dubitari, non attento quod talia decreta emanaverint in caſibus particularibus. Idemque Breve fuit conceptum cum ampliſſimis clauſulis derogatoriis, munitum clauſula ſublata, & decreto irritante, ut proinde non videatur hac de re ulterius diſceptandum.

14 Atque ita eadem S. Congreg. deinceps, ubicunque caſus evenit, reſpondit, nempè pro obſervantia d. Conſtitutionis Gregorianæ, ut noviſſimè anno 1655. menſe Novembris, & aliàs ſæpè. Unde PP. Prædicatorum Ordinis habere præcedentiam ſuper cæteros Mendicantes in locis tamen, ubi habent pro ſe uſum, & ſunt in quaſi poſſeſſione hujuſmodi præcedentiæ, aliàs minimè reſolvit eadem S. Congregatio die 8. Junii 1618. Cùm enim Regulares S. Dominici, & Carmelitani Turris græcæ Neapolitanæ diœceſis ſuper jure præcedendi in proceſſionibus, aliiſque actibus tum publicis, tum privatis, quod hi ex præſcripto Conſtitutionis ſel. rec. Gregorii XIII. illi verò ex conſuetudine eis competere prætendebant apud Sac. Congregationem Sacrorum Rituum contenderent, Illuſtriſs. ejuſdem S. Congreg. Patres, Illuſtriſs. Camporio referente, id, conſuetudine hujuſmodi attenta ſupradictis Regularibus S. Dominici competere cenſuerunt, & die 23. Septembris 1624. ac die 6. ejuſdem menſis 1625. Itemque declaravit, quod ii, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. Ita præſertim in una *Arben.* die 13. Martii 1582. in una *Caſſanen.* 24. Maji 1583. in una *Ferentina* die 1. Junii 1604. in una Jeſuitarum die 15. Julii 1616. in una Conventualium die 13. Novemb. 1637. in una Auguſtinianorum die 8. Octobris 1645. Licèt Romæ præcedant illi Regulares, quorum Ordo prius approbatus fuit per Sedem Apoſtolicam, ut reſolvit eadem S. Congreg. die 15. Februarii 1693. in *Hieracen.* & die 30. Martii 1594. in una *Mantuana.*

15 Hinc patet lapſus Contelorii *de præcedentia n.* 73. *cum ſeqq.* dum pro excludenda derogatione d. Conſtitutionis Pianæ per d. motum proprium Gregorii cenſet, quod Conſtitutio, ſeu lex generalis, etiam quod ſit poſterior, non tollat præcedentem ſpecialem, quodque d. Conſtitutio Gregorii emanaverit ad tollendas controverſias inter Mendicantes, quas *num.* 76. dicit nec adfuiſſe, nec potuiſſe oriri inter Prædicatores, & alios, dum per ſan. me. Pium V. fuerat jam deciſus hic articulus. Hæc enim facillimè corruunt, eorumque fallacia demonſtratur. Primum namque, quod Conſtitutio generalis non tollat ſpecialem non procedit quoties derogatio eſt ampliſſima quorumcunque privilegiorum, vel Indultorum in contrarium facientium. Ea ſiquidem, ubi præſertim eſt addita clauſula *Quorum tenores*, ut in hoc caſu, nedum ſpecialia, ſed etiam individua privilegia comprehendit, ut benè firmat Caſſad. *d. dec.* 10. *num.* 2. *ſuper regul.* & fuit reſolutum coram Burat. *d. dec.* 390. *num.* 6. Multòque minus objectum procedere poteſt, quando in Conſtitutione fuit expreſsè derogatum quibuſcunque privilegiis tàm in genere, quàm in ſpecie conceſſis, prout hæc clauſula legitur in Conſtitutione Gregorii §. 6. & eam veriſimiliter ipſe Contelorus alioquin vir diligentiſſimus non obſervavit, cùm aliàs hoc motivum, cui factum ipſum reſpondet, non adduxiſſet.

Nec minus ex facto removetur alterum deſumptum a 16
ratione motiva ſopiendarum litium, quas Contelorus credidit nec adeſſe, nec oriri potuiſſe cum PP. Prædicatoribus. Siquidem, ut ſupra dictum eſt, fuerat paulò antè excitata hæc controverſia in S. Congreg. inter PP. ipſos Prædicatores & PP. Franciſcanos, & terminata ſecundùm antianitatem in loco, quæ ſtabat pro PP. Franciſcanis. Unde ſumma ratione credendum eſt, quod inde occaſionem ſumpſerit Summus Pontifex Gregorius edendi generalem declarationem.

Quod autem dicitur, PP. Prædicatores habere inten- 17
tionem fundatam etiam de jure communi, cùm eorum regula fuerit prius approbata, non eſt indiſtinctè verum. Nam præ aliis Ordinem Carmelitarum eſſe anteriorem Ordine Prædicatorum, uti inſtitutum ſub Regula D. Baſilii, & pariter illum Eremitarum S. Auguſt. longè anteriorem originem trahere advertit Caſſad. loc. cit. ac deducitur ex *Clem. un. de relig. domib. ſub §. Cæterùm.* Porrò in hac materia non attenditur quis Ordo ſit prius confirmatus a Sede Apoſtolica, ſed ſolùm qui prius habeat domum, ſeu Monaſterium in loco controverſiæ, ut habetur in eadem Conſtit. Gregoriana ſæpius relata.

Doctores, qui in contrarium ſententiam longa ſerie 18
allegari poſſunt, non applicantur. Quæ omnia, quæ ab iis adducta ſunt, fuerunt ſublata per S. Conc. Trid. *de regul. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. Ubi expreſsè committitur locorum Ordinariis, ut hujuſmodi præcedentiarum controverſiæ inter quoſcunque oriundæ ab ipſis definiantur, nempè juxta locorum conſuetudines, omni appellatione remota, cui quidem decreto Concinari per d. Conſtit. Pii V. non fuit ſpecialiter derogatum, ac proinde neque etiam tacitè ex defectu voluntatis. Rota cor. Caputaqu. *dec.* 176. *par.* 1. & Coccino *dec.* 279. *num.* 1.

Præterea notandum eſt, præfatam Conſtitutionem diſ- 19
ponere duntaxat ſuper plenario petitorio, videlicet terminis, in quibus aliæ Religiones Mendicantium non ſunt in poſſeſſione, vel quaſi præcedendi juxta conſuetudinem locorum. Unde non loquitur de locis, in quibus aliæ religiones habuerunt, & habent antiquiores Conventus. Pro his enim nihil fuit innovatum, ut in ſimili diſponit text. *in cap. Statuto de decim.* ubi Gloſ. *v. Poſſidebant.*

Breve autem Urbani VIII. quod propoſuimus eſt hu- 20
juſmodi.

Breve Sanctiſſimi D. N. Divina Providentia PP. VIII. ſuper præcedentia inter Regulares diverſarum Religionum. Romæ ex Typographia R. Cameræ Apoſtolicæ 1638. Urbanus Papa Octavus. Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Blaſii a Cherſio Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum nobis expoſitum fuit, quod dictus Ordo gravatur admodum litibus occaſione præcedentiæ cum aliis aliarum Religionum Regularibus in proceſſionibus, ex quo etiamſi alias a Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotiis Regularium præpoſitis diverſis in prædicta materia præcedentiæ literis emanatis, unam videlicet contra ejuſdem Ordinis de Obſervantia nuncupati Arben. aliam contra Servorum B. Mariæ Virginis Soanen. nec non duas literas contra Prædicatorum reſpectivè Ordinum Fratres Caſſanen. & Ferentinen. obtinuerit tenoris ſubſequentis, videlicet Arbi: All' Arcivescovo. Pare, che ſia nata differenza della precedenza tra coteſti Frati di San Franceſco Conventuali, ed Oſſervanti, allegando ognuno di loro alcune ragioni, per le quali ſi perſua-

ſuadono di dover procedere agli altri, le quali eſſendoſi diligentemente conſiderate nella Congregazione di queſti miei Illuſtriſs. Signori Prepoſti da N. Signore ſopra le cauſe de' Veſcovi, e Regolari s' è riſoluto, etiam con il parere degl' Illuſtr. Protettori di tutte due le Religioni, di far ſcrivere a V. S. che occorrendo più ſimili differenze, le termini ſenza alcuna eccezione nell' iſteſſo modo, che quel Convento tenga il primo, e più degno luogo, che è più antico nella Città, ſecondo che ſi è fatto fin' ora per quanto ſi preſuppone. Imperciocchè queſto mezzo uſato altrove è ſtato tale, che hà finito ogni controverſia come ſi ſpera, che farà anche coſtì per mezzo della prudenza, e deſtrezza di V. S. e Dio, &c. Roma 6. Marzo 1582. al Veſcovo di Sovana, o ſuo Vicario. Avendo inteſo queſti miei Sig. Illuſtriſſimi, che in coteſta Città ſono in diſparere di precedenza li Frati de' Servi con quelli di S. Franceſco Conventuali, hanno voluto, che io faccia ſapere a V. S. che nella precedenza di queſti Frati Mendicanti ſecondo il parere di N. S. s' attende ſolamente l' antichità de' loro Conventi, cioè, che precedino quelli, che prima hanno ottenuto i Monaſteri ne' luoghi, ove è nata la differenza, e perciò ella potrà dichiarare, che quelli precedino, li quali prima ſono venuti ad abitare in coteſta Città, che ſara appunto conforme a quello, che s' è riſoluto, ed oſſervato in altri luoghi, &c. Roma li 24. Maggio 1583. al Veſcovo di Caſſano. Fù dato in Congregazione un memoriale dal Procurator Generale de' Frati Conventuali di S. Franceſco a nome del ſuddetto Monaſtero di Caſtrovillari di coteſta Dioceſi, nel quale ſi doleva, che alcuni Padri di S. Domenico, che poco fa hanno pigliato luogo nella medeſima Terra, pretendevano nelle azioni pubbliche di procedergli, non oſtante che già ſiano 350. anni, che quel Monaſtero di S. Franceſco è fondato, e ſapendoſi, che N. Signore altre volte aveva dichiarato, come ſi doveva procedere in ſimili caſi, queſti miei Signori Illuſtriſſimi vollero, che ſe ne daſſe conto a ſua Beatitudine, la quale hà commeſſo, che ſi ſcriva a V. S. che faccia avere la prerogativa ove naſcono queſte novità, alle Religioni, che ſono più antiche nel luogo, il che farà V. S. intendere a' detti Padri di S. Domenico, e oprerà, che così s' eſequiſca. Roma li 24. Maggio 1583. Ferentino al Veſcovo. Nella differenza, che verte trà coteſti Frati di S. Domenico, e quelli di S. Franceſco per conto della precedenza, la S. Congregazione vuole, che s' oſſervi per l' avvenire quello, ch' è ſtato oſſervato trà loro per lo paſſato, ſin tanto che non ſia deſtinato altro, ed inclina, che conforme al moto proprio di Gregorio XIII. di fel. mem. debbano precedere quelli, che prima hanno avuto il luogo nella Città, e i decreti, che ſi allegano per parte de' Frati di S. Domenico in contrario non ſono ſtati fatti per derogare generalmente al moto proprio di Gregorio XIII. oltre che in quelle occaſioni militavano altre ragioni di quelle, che poſſono militare coſtì. Queſta è la mente di queſti Illuſtriſſimi miei Signori, ed ella la dovrà eſeguire, e Dio, &c. Roma il primo Giugno 2604. Attamen in caſibus occurrentibus eadem litera reputantur proviſiones particulares, non autem declarationes generales, dictique Fratres Conventuales nova ſemper judicia iiſdem de rebus ſubire coguntur. Quare d. Blaſius Procurator Generalis nobis humiliter ſupplicare fecit, ut circa prædictarum literarum obſervantiam per aliquod opportunum declarationis noſtræ miniſterium providere, ac alias, ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur d. Blaſium Procuratorem Generalem hujuſmodi ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Vener. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium eiſdem Regularium negotiis præpoſitorum conſilio præinſertas literas ab eiſdem Cardinalibus aliàs utcunque in caſibus particularibus emanatas, cum innitantur juſtitiæ motus proprii Greg. XIII. hac de re editi, & ſint conformes declarationibus S. C. T. ac Rituum Congregationum, ut qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant, & ubi non probatur, aut non conſtat de poſſeſſione, præcedant, ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ, eſſe generaliter obſervandas ubicunque contigerit de eadem præcedentia dubitari Apoſtolica authoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus Decernentes irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quocunque quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque Superioribus, fratribus, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenore, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, decretis in genere, vel in ſpecie ac aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenore præſentium pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis; aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annullo Piſcatoris die 18. Decembris 1637. Pontificatus noſtri anno 15.

Quod autem eadem Conſtitutio Gregorii XIII. de præcedentia comprehendat non ſolùm Mendicantium, ſed etiam Monachorum Ordines pluries declavit S. Congregatio Rituum, & S. Congreg. Epiſcop. & Regular. Rota. Declarationes Sac. Congregationum refert Barboſa *de jur. Eccl. lib. 1. cap 43. num. 183. & in Collect. Apoſt. dec. collect. 482. v. monachus num. 1.* Idque ipſum firmavit Rota apud Caval. de Cœleſtinis, & Olivetanis *dec. 588. num. 5.* & de Olivetanis, ac Monachis Montis Virginis *dec. 594. num. 2.* poſt Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. diſp. 112. num. 2.* 22

Nec obſtat quoddam decretum S. Congregationis Epiſc. & Regular. quod editum die 26. Auguſti 1593. refert Quaranta *in Jum. Bullar. v. Præcedentia* dicens, ſe illud inveniſſe impreſſum, inter privilegia Ordinis Camaldulenſium, quo firmatur obſervandum eſſe in præcedentiis modum, qui hic in Urbe ſervatur, & quatenus opportunum videbitur faciendam eſſe novam Conſtitutionem Apoſtolicam, quæ alteri prædictæ Gregorianæ deroget. Illud eſt hujuſmodi: *Ad ſedandas, & componendas cauſas, lites, & quæſtiones, & controverſias, quæ plerumque inter Regulares oriri ſolent ſuper præcedentia, ac ritu incedendi in actibus, & proceſſionibus tam publicis, quàm privatis, S. Congreg. ſuper Epiſcopos cenſuit referendum eſſe S. D. N. ſibi videri, cùm hujuſmodi cauſæ, lites, & quæſtiones ad eandem Congregationem devenerint, decernendum eſſe, ac decerni debere, quod is ritus, & ordo inter controvertentes ſervari debeat, qui in hac Urbe omnium Caput, & magiſtra ſervari conſuevit, & actu ſervatur. Et eſt, quod præcedant Regulares illi, quorum Ordo prius approbatus fuit a Sede Apoſtolica, non obſtantibus Breve, ſeu declaratione Gregorio XIII. edita ſub die 25. Julii 1583.* qua relatione facta eidem Sanctiſs. ab Illuſtr. D. Card. Alexandrino, S. Congregationis Præfecto, placuit Sanctitati ſuæ Congregationis votum, & quatenus opus ſit etiam Conſtitutione Apoſtolica id ſancire mandavit die 30. Auguſti 1592. & die 26. Auguſti 1593. Quod fuit directum Epiſcopo Mantuano 30. Martii 1594. Nam hoc decretum non eſſe obſervatum probatur evidenter ex pluribus ejuſdem S. Congreg. Epiſc. & Regul. declarationibus, in quibus omnibus habetur, ut omninò ſervetur d. Conſtitutio Gregorii, ut pleno calamo eas congerit Barboſa *de Jur. Eccleſ lib. 1. cap. 43. num. 182. & ſeq.* Et hoc ipſum patet ex aliis decretis poſterioribus Congregationis ſacrorum Rituum ad formam d. Conſtitutionis Gregor. emanatis, quæque refert idem Barboſ. *eodem num. 182. & 192. & in Apoſt. dec. collat. 482. v. Monachus num. 1. & collect. 590. v. Præcedentia num. 19.* & Rota apud Caval. *d. dec. 588. num. 5. & dec. 594. num. 2.* poſt Tambur. *ubi ſupra tom. 3. diſput. 112. num. 2.* Ultra quod in fine dicti decreti apud Quarantam impreſſi additur, Clementem VIII. in illius relatione ſibi facta, ſi opportunum fore videbitur, generalem Conſtitutionem deſuper fieri mandaſſe, illa Gregorii, quæ incipit *Expoſcit*, aliiſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus, At hæc nova Conſtitutio nunquam fuit facta, & nunquam fuit derogatum Conſtitutioni Gregorii, quæ, ideò, derogatione non ſecuta, meritò remanſit in ſuo robore, omnemque diſputationem ademit Conſtitutio Urbani VIII. jam producta, comprobans, ac exequi mandans prælibatam Conſtitutionem Gregorii XIII. in qua plures declarationes S. Congregationis Epiſcop. & Regul. leguntur impreſſæ apud Piaſec. *in prax. Epiſcop. part. 2. cap. 3. art. 6. de viſit. Regular. num 5.* 23

CON-

CONSULTATIO CXXXIX.

Plus quidam teſtator inter cætera ita diſpoſuit. Item quod dicti Capellani teneantur ac debeant omni die, juſto ceſſante impedimento, ad Altare majus Miſſam unam pro quolibet ipſorum celebrare ob reverentiam B. Joannis Baptiſtæ, & intereſſe divinis Officiis in d. Eccleſia unà cum Capitulo Canonicorum reſidentium ipſius Eccleſiæ S. Joannis. Nunc quæritur,

An poſſint celebrando in d. altari juxta formam præſcriptam a fundatore tuta conſcientia, uti hactenus conſueverunt, ad eorum libitum Capellani præfati ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium applicare, & pro illo eleemoſynam a Chriſti fidelibus percipere, an potius ligentur celebrare pro anima fundatoris.

3 PUto ejuſmodi Capellanos non eſſe obligatos ad offerendum ſacrificium pro anima fundatoris, ideòque poſſe pro applicatione Miſſæ in d. Altari quotidie celebrandæ eleemoſynam a Chriſti fidelibus, uti hactenus conſueverunt, recipere. Hujus reſponſionis prima pars probatur. Quia a diverſis inter quæ non datur neceſſaria aliqua connexio, non fit illatio, *l. Papinianus, ff. de minor.* Eſt autem diverſa, ut benè notant Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 85. ſect. 1.* Vaſquez *ibid. diſp. 234. c. 6. n. 26.* Bonac. *de Sacram. diſp. 4. q. ult. p. 7. n. 5.* alios plures referens, obligatio celebrandi Miſſam in tali loco, & die, ſeu tempore ab obligatione ſacrificium aliqua cum ſpeciali, & determinata intentione applicandi, nec illa obligatio per ſe, aut aliqua neceſſaria connexione conjuncta cum hac eſt, cùm nulla apparet neceſſitas connexionis, ideòque ab illa priori obligatione ad poſteriorem tanquam diverſam, & a priori ſeparabilem non valet illatio, ut iidem Doctores, ſed poteſt ita una cum altera conjungi, ut poſſit etiam ab illa ſeparari juxta voluntatem exterius expreſſam dantis elleemoſynam, ſeu fundatoris Capellaniæ aut beneficii eum onere Miſſarum. Quare ex eo quod ſingulis ex d. Capellanis ex diſpoſitione, & voluntate fundatoris ſufficienter manifeſtata teneantur quotidie ad Altare majus Eccleſiæ Collegiatæ ab ipſo fundatæ ob reverentiam S. Jo: Baptiſtæ celebrare Miſſam, obligatio non deducitur celebrandi dictam miſſam quotidianam pro anima ejuſdem fundatoris. Ergo cùm neque ex alio capite deduci poſſit, dictum fundatorem voluiſſe etiam obligare dictos Capellanos ad celebrandum pro anima ipſius, dicendum eſt, eos non habere talem obligationem, præſertim cùm hæc in dubio, an fuerit impoſita, præſumi non debeat, cùm poſſeſſio ſtet pro libertate, cui etiam favet conſuetudo in quæſito expoſita.

4 Nec obſtat id, quod ait Card. de Lugo *diſput. 20. de Euchar. ſect. 1. n. 23.* nimirum tàm in iis, qui dant eleemoſynam pro Miſſis, quàm in iis, qui Capellanias inſtituunt, niſi contrarium explicetur, aut ex circumſtantiis colligatur, voluntatem ſemper præſumi, quod miſſæ pro illis applicentur. Idemque præſumi quoad eos, qui Capellanias inſtituunt, docent Homobon. *de exam. Eccleſ. p. 1. tr. 4. c. 13. qu. 221. in fin.* Bonac. *d. p. 7. §. 2. n. 13. & 14.* Quia Capellaniæ regulariter inſtitui ſolent cum onere applicandi Miſſam pro fundatore. Fortiſſima autem præſumptio deſumitur ex conſuetis, & communiter accidentibus, ut cum Everard. & Menoch. notat Sanchez *lib. 4. in decal. c. 1. n. 13.*

5 Nam reſpondetur, cùm dicta præſumptio ſecundùm limitationem allatam a Cardin. de Lugo locum non habeat quando ex circumſtantiis contrarium colligitur, non habet locum in hoc caſu, quod ex circumſtantiis colligatur. Nam primò non ſumus in caſu, in quo vel fundator ſuam intentionem, ſeu finem non expreſſerit, ad quem voluit miſſam celebrari quotidianam a ſingulis ex quatuor Capellanis, vel de tali ejus intentione, ſeu quamvis fortaſſe utrumque expreſſerit, nunc non conſtet, de quo caſu loquitur Bonac. d. nu. 3. Unde recurrendum ſit ad voluntatem ex communiter accidentibus præſumptam. Sed ſumus in caſu, in quo conſtat de dicta intentione, & fine, cùm per ea verba *ob reverentiam S. Jo: Baptiſtæ* clarè utrumque in ſua diſpoſitione fundator expreſſerit, qui ſicut dictum finem expreſſit, ita ſi aliud, hoc eſt ſuæ animæ refrigerium, & remedium per ſacrificii oblationem pro anima ſua ex obligatione faciendam intendiſſet, id etiam veriſimiliter expreſſiſſet, præſertim cùm ſoleat exprimi ab illis, qui id intendunt, cum Capellanias inſtituunt, & ex communiter accidentibus valida juxta dicta deſumitur præſumptio. Quare cùm ſolùm expreſſerit finem reverentiæ, hoc eſt cultus, ſeu honoris S. Jo: Baptiſtæ, qui ſufficienter habetur per celebrationem miſſæ quotidianæ juxta formam præſcriptam, dicendum videtur, fundatorem ad aliud noluiſſe obligare Capellanos. Cui etiam illationi favet quod ſicut in legibus ſolemus earum obligationem interpretari juxta finem in iis a legislatore expreſſum, ita a pari videtur ſervandum eſſe in obligatione ab homine privato per ſuam diſpoſitionem impoſita.

Ad hæc, ſi ut docet Cardinalis de Lugo loco citato 6
cùm inſtituitur Capellanus, qui celebrare debeat ad commoditatem eorum, qui tali hora Miſſam audituri ſunt, nullo illi alio onere expreſsè impoſito, præſumi poteſt Capellano relinqui libertatem applicandi ſacrificium, cui voluerit. Quod idem docent Pelliz. *in man. reg. tom. 2. tr. 6. c. 3. num. 20.* Bordon. *conſ. reg. tom. 1. reſ. 25. n. 6.* alios plures referens, etſi eandem libertatem relinqui Capellano doceat Homobon. *d q. 121.* quando in Capellaniæ inſtitutione apponeretur, ut in tali Eccleſia cultus Dei augeatur. Quod etiam ſenſere Pelliz. & Bordon. loc. alleg. cur non idem dicendum eſt ſi inſtituantur Capellani, qui celebrare quotidie debeant in aliqua Eccleſia ob reverentiam, hoc eſt honorem, ſeu cultum alicujus Sancti, nullo alio fine, ſeu onere, quoad celebrationem Miſſæ expreſſo?

Quod dicendum eſſe in hoc caſu etiam ſatis ſuade- 7
tur ex eo quod fundator præter onus jam dictum Miſſæ quotidianæ aliud onus valdè grave impoſuerit ſuis Capellanis, cùm voluerit eos etiam teneri intereſſe in d. Eccleſia Collegiata divinis officiis, & cum tanto rigore, ut qualibet vice, qua non ſatisfecerint huic oneri, aut oneri celebrandi Miſſam quotidianam ad Altare majus Eccleſiæ Collegiatæ a ſe fundatæ, teneantur ſolvere pœnam pecuniariam. Unde præſumendum eſſe videtur, ideò eum nihil dixiſſe in inſtitutione Capellaniarum de applicatione Miſſæ, præſertim cùm ii, qui volunt, cùm Capellanias inſtituunt, Miſſas a Capellanis in obligatione celebrandas pro ſe, vel alio applicari, ſoleant hoc exprimere, quod, ut in Capellanis, quos duplici onere ita duro tàm rigidè gravaverat, alacritatem in Eccleſia a ſe fundata cultu foveret, voluerit illis liberam relinquere Miſſæ applicationem, qua libertate videtur compenſari illud ſecundum onus tàm rigidè impoſitum, & ſine qua libertate viderentur nimis gravati.

Probata prima reſponſionis parte, probatur etiam ſe- 8
cunda. Primò, authoritate Doctorum, aſſerentium, Sacerdotem jam obligatum ad miſſam celebrandam ex vi ſtipendii, ſeu reddituum, niſi ſimul jam habeat obligationem eam applicandi aliqua ſpeciali, & determinata intentione, ſed liberam habeat ejus applicationem, poſſe pro hac eleemoſynam accipere. Ita enim docent Major. *in 4. d. 45. qu. 2.* Rodrig. *p. 1. ſum. c. 252. concluſ. 1.* Nald. *v. Parochus nu. 19.* Cordub. *in qq. l. 1. qu. 4. dub. 5.* Henriq. *l. 9. ſum. c. 22. n. 6.* Trullench. *l. 3. de Sacram. c. 8. dub. 11. n. 18.* Tanner. *to. 4. diſp. 5. qu. 19. dub. 5. nu. 77.* Homobon. *d. p. 2. exam. Eccleſ. tract. 4. c. 13. qu. 121. & in conſ. reſp. 63. c. 13. tract. 4. p. 1.* Alphon. de Leon. *de jubil. p. 1. q. 20 nu. 27. & de offic. Capell. qu. 8. ſect. 8.* Fauſt. *l. 1. de jubil. qu. 81.* Ludovic. a Cruc. *in Bull. Cruc.. diſp. 3. dub. 19. n. 22.* Vaſquez. *in 3. p. diſp. 234. c. 6. nu. 5.* Averſ. *qu. 11. de Euchar. ſect. 17.* Garz. *in ſum. tract. 3. difficult. 10. dub. 3. n. 6.* Leand. *de Sacram. tract. 8. diſp. 4. q. 12.* Tambur. *opuſc. de ſacrif. miſſ. l. 3. c. 1. §. 3. n. 14.* Luis. Turrian. *in ſelect. diſp. p. 2. diſp. 31. dub. 1.* Cardin. de Lugo *d. ſect. 1. num. 23.* Fraxinel. *de obligat. Sacerdot. ſect. 4. concluſ. 4. §. 8.* Suar. *d. diſp. 86. ſect. 3. concluſ. 2.* Bordon. *d. reſol. 25. n. 6.* Peliz. *d. c. 3. n. 20. & alii.*

Secundò, ratione. Quia non faciunt, ſuppoſita prima 9
reſponſionis parte, injuriam fundatori, pro quo Miſſam applicare non tenentur; neque illis deeſt ex eo, quod jam habeant ſtipendium ſeu redditus ſuarum Capellaniarum, titulus accipiendi eleemoſynam pro applicatione Miſſæ, qui eſt ſuſtentatio neceſſaria miniſtri, ſacrificium offerentis, ad quam exigendam ab eo, qui petit pro ſe ſacrificium applicari, jus habent Sacerdotes. Nam juxta doctrinam rectè traditam a Cardin. de Luogo *d. ſect. 1. n. 24.* ſuarum Capellaniarum ſtipendium, ſeu reditus accipiunt ut pretium laboris, & obligationis antecedentis, qua obligantur cum tanto rigore, ut quotidie ſint prompti in d. Eccleſia Collegiata non ſolùm ad celebrandam miſſam, ſed etiam ad celebranda ſtatis temporibus divina officia. Quæ obligatio eſt onus magno dignum pretio: eleemoſynam verò accipiunt pro oblatione ſacrificii, non ut pretium, ſed ut ſtipendium ad ſuam ſuſtentationem. Et licèt aliunde jam habeant neceſſariam ſuſtentationem, id tamen non obſtat, quominus poſſint, & debeant ſuſtentari ab eo, qui ſacrificium petit, ut conſtat in Sacerdote divite, qui etiam poteſt recipere conſuetum ſtipendium intuitu celebrationis miſſæ. Quia obligatio naturalis exhibendi ſuſtentationem iis, qui nobis

bis impendunt ſuum miniſterium non oritur ex paupertate ipſorum, ſed ex miniſterio impenſo, quod quando impenditur ad alicujus ſpecialem inſtantiam, exigit miniſtrari ab illo ſuſtentatio; & ideò durat titulus ſuſtentationis quandiu durat impenſio miniſterii, nec extinguitur per divitias ſive ſæculares, ſive Eccleſiaſticas.

10 Solùm obſtare poſſe videtur huic doctrinæ declaratio quædam S. Congreg. Concilii data anno 1626. Cum enim ab ea quæſitum fuiſſet, *An Sacerdotes, qui Miſſas tenentur celebrare ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, ſeu ſalarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votivis, aut defunctorum recipere, & unico miſſæ ſacrificio utrique oneri ſatisfacere?* S. Congr. hoc dedit reſponſum. *Sacerdotes, quibus diebus tenentur miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, ſeu ſalarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.* Unde de omnibus, qui obligantur ad celebrandum in aliquo loco, vel dic pro ſtipendio, vel redditibus, aut ſalario abſolutè non poſſe ab alio ſtipendium, ut fructum ei applicent ſacrificii, recipere, docent Gavant. *ad rub. Miſſal. tom. 1. p. 3. tit. 12. nu. 5.* Barbat. *de off. Paroch. c. 11. & de pot. Epiſcop. alleg. 24. n. 15.* Fauſt. *lib. 2. de Euch. q. 155.* qui tamen oppoſitum alibi ſentit. Fundamentum eſt, quia, quamvis tales Capellani non teneantur applicare fructum ſacrificii, habent tamen ſtipendium pro ſuſtentatione, correſpondens Miſſis, quas tenentur celebrare. Ergo non poſſunt aliud ſtipendium accipere. Nam ſi acciperent pro applicatione fructus acciperent, quod eſt ſimoniacum.

11 At reſpondetur cum Card. de Lugo *d. ſect. 1. nu. 23.* Pelliz. loc. cit. & aliis Doctoribus, qui ſcripſere poſt ejuſmodi declarationem, ſcilicet, in ea ſermonem eſſe de Sacerdote, qui ratione beneficii, Capellæ, legati, aut ſalarii certis diebus obligatur ad celebrandum pro aliquo cum applicatione fructus; hic enim non poteſt, accepta eleemoſyna ab alio eadem Miſſa ſatisfacere debito celebrandi pro utroque. Et certè cùm decretum, ad cujus declarationem fuit propoſito quæſito ea data reſponſio unà cum aliis decretis de celebratione Miſſarum, editum fuerit ad tollenda inconvenientia enumerata in eorum proœmio, ex quo deſumitur intellectus legis, nec ullum ſit inconveniens, ut colligitur ex dictis, ſi Sacerdos jam obligatus ratione ſalarii, ſtipendii, ſeu redditui ad Miſſam celebrandam in aliquo loco, ſed liberam habens applicationem ſacrificii, pro hac eleemoſynam accipiat, conſtat eo modo, quo dictum eſt, intelligendam eſſe reſponſionem S. Congregationis.

12 Ad fundamentum reſpondetur, negando conſequentiam. Quia in tali caſu Capellani recipiunt ſtipendium intuitu obligationis officiandi Eccleſiam, in qua exhibent ſuum miniſterium, & ideò remanet illis liberum obligare miniſterium ad offerendum ſacrificium pro alio, exigendo ab ipſo ſtipendium. Unde hinc fit quod nulla interveniat ſimonia. Quia ſtipendium non datur pro applicatione, ſed pro obligatione miniſterii, non ſecùs ac ſi nullum aliud interveniret ſtipendium.

Verùm enim verò quanquam hæc ſententia viris doctis ac piis probabilis ſit, tenendum tamen eſt, Capellanos hujuſmodi obligatos eſſe ad applicationem ſacrificii, atque ita in dubio præſumendum. Quando enim non poteſt elici ex verbis, aut mente fundatoris, quod velit tantùm officiaturam, adeſt obligatio applicandi fructum ſacrificii. Quia eo ipſo quod fundator obligare intendit miniſterium Capellani, intendit etiam obligare in ordine ad id, quod, facit per hujuſmodi miniſterium, quod eſt offerre ſacrificium. Dum autem intendit obligationem ſacrificii, intendit etiam fructum tanquam acceſſorium ad ipſum. Et ideò niſi ex verbis, aut mente oppoſitum colligatur, remanebit obligata applicatio ſacrificii. Quippè Capellæ cum onere celebrandi ad duos præcipuè fines inſtituuntur, ad cultum Dei, & ad utilitatem fundatoris, qui ſemper præſumitur ſibi voluiſſe conſulere eo meliori modo, quo potuit, ac proinde voluit ſibi miſſam applicari, licèt id non expreſſerit. Dicitur enim mens ac voluntas expreſſa, & evidens, quando ex conjecturis colligitur, *l. licet Imperator, ff. de legat. 1.* ubi plenè Jaſ. & alii, Abb. *conſ. 68. p. 2.* Et voluntas conjecturata idem operatur, quod expreſſa, *l. Si ſervus plurium, ff. de legat.* Idem & voluntas veriſimilis juxta Gloſ. *in l. tale pactum, §. fin. de pact. l. Ita ſtipulatus v. Sabinus*, ibi: *Ex mente*, ubi Paulus, & alii, *ff. de verb. oblig.* Sufficitque quòd probationes concludant veriſimiliter in iis, quæ evidentem probationem non recipiunt, Gloſ. *in leg. Neque natales C. de prob. quæ com. app.* ſecundum Corn. *in l. ſi emancipati, C. de coll.* Hic autem non cadit evidens probatio, quia agitur de interpretando animo illius, qui Capellanias inſtituit.

Hinc eſt, quòd Capellanus quando non poteſt celebrare in loco deſignato, tenetur celebrare in alio loco ejuſdem Eccleſiæ, aut ſi etiam Eccleſia ſit impedita, in alia Eccleſia, niſi clarè conſtet, quòd fundator noluerit obligare ad applicandum ſacrificium ex Azor. *p. 1. l. 10. c. 24. q. 8.* Sà *v. Miſſa n. 47.* Nald. *in ſum. cod. v. n. 3.* Fagundez *præcept. 1. Eccleſ. l. 3. c. 9. n. 2.* Monet. *de comm. ult. vol. c. 10. q. 5. num. 242.* Tho. Hurtad. *p. 1. reſol. moral. tr. 2. c. 4. reſol. 11. n. 105. & 106.* Dicaſtil. *de Sacram. tr. 5. diſp. 4. dub. 21. n. 397.* Bard. *in ſelect. moral. l. 10. q. 9. §. 2. n. 4.* Qui addunt, quòd in dubio debet ſupponi intentio fundatoris, quod voluerit celebrari in alio loco, quia hoc ſibi utiliùs eſt. Nam fundator Capellaniæ quamvis habeat pro fine ſplendorem altaris, & cultum Eccleſiæ, in qua deſignat celebrationem, hæc tamen non eſt unica cauſa finalis ipſius. Siquidem intendit etiam beneficium ſacrificii. Quod ex eo conſtat, quia poſſet alia via de majori cultu, & ſplendore diſponere. Unde cùm eligat potiùs ſacrificium, præſumendum eſt, quod per ſe primò velit beneficium ſacrificii, & hoc poſtea ordinet ad cultum Eccleſiæ, & altaris. 13

Confirmatur ex reſponſione 4. S. Congregationis Concilii ad dubium propoſitum ſuper decreto de celeb. Miſſar. modò adducta, in qua habetur, quod obligatus celebrare ratione Capellaniæ, beneficii, &c. non poteſt eadem Miſſa ſatisfacere huic obligationi, & obligationi ratione ſtipendii. In tantùm autem poteſt accipere ſtipendium, in quantum non tenetur applicare ſacrificium. Ergo ut poſſit accipere, debet conſtare de mente teſtatoris, quod non teneatur applicare; quia aliàs ſubintrat dicta declaratio, quod non poſſit ſatisfacere eadem Miſſa utrique obligationi, atque adeò quod teneatur applicare ſacrificium. Nam dubium propoſitum fuit eidem S. Congregationi de his, qui tenentur celebrare, non autem de his, qui tenentur officiare Eccleſiam officio Miſſæ. Celebrare enim propriè eſt offerre ſacrificium, ac proindè conſecutivè trahit ſecum applicationem.

Ad oppoſitam ſententiam reſpondetur, ſatis conſtare de onere. Nam eo ipſo quòd quis obligat ſibi miniſterium Sacerdotis ad celebrandam Miſſam, intendit, quod illud ſacrificium offeratur ad ſui favorem, atque adeò in ipſa petitione celebrationis imponitur obligatio applicandi ſacrificium. Pro expreſſo enim habendum eſt, quod ex ipſis ſequitur, *l. Cum quod, ff. ſi cert. pet. & l. Prætor ait, §. 1. ff. de nov. oper. nunc.* ubi Gloſ. *v. Expreſſum.* Et notant Bald. *in l. 1. circa fin. C. de his, qui ante aper. tab. teſt.* Cravet. *conſ. 149. n. 11.* Pariſ. *conſ. 98. n. 107. vol. 1.* Roland. *conſ. 27. n. 37. l. 4.* Quæque ex natura rei inſunt, parum refert ſive exprimantur, ſive non, quia ſubintelliguntur, *l. Aliquando 106. ff. de cond. & dem. l. Non recte 3. de fidejuſ.* Unde ſoluta manent contraria. Nam tunc ſolùm voluntas mente retenta nihil operatur, quando nullo modo exprimitur, ſecus autem quando aliquo modo exprimitur. In præſenti autem exprimitur in eo, quod obligatur Sacerdos ad celebrandum, atque adeò ad offerendum ſacrificium. Neque enim celebratur unquam ab aliquo ſine applicatione, neque hæc omitti poteſt ſine peccato. Ergo cenſetur fundator voluiſſe ſibi applicari Miſſam, quando onus celebrandi Capellanis injunxit, ex quo ſufficienter ſuam pro ulgavit voluntatem. Ideòque ex quo acceptarunt Capellaniam cum onere celebrandi, non amplius dici poteſt illos ſuam poſſidere libertatem, quia hanc tranſtulerunt in fundatorem. 14

Neque ex eo quod fundator obliget ad celebrandum in certo loco, quamvis non adſit aliqua circumſtantia, quæ contrarium perſuadeat, ſequitur, quod petatur ſola præſentia, ſeu officiatura; ſed inſuper opus erit, quod ex aliqua circumſtantia colligi poſſit, quod intendatur ſola officiatura. Nam licet intentio fundatoris feratur in locum, non per hoc tamen excluditur, quin feratur in oblationem ſacrificii, & ideò niſi intentio fructus ſacrificii excludatur aliunde, cenſenda eſt intervenire tanquam ea, quæ regulariter intervenit, cum principalius motivum obligandi ſibi miniſterium Sacerdotis ſit obtinere fructum ſacrificii, & connectere onus celebrandi cum applicatione ſacrificii, ac proinde certus locus deſtinatus pro celebratione erit motivum ſecundarium. Ex quo fit, quòd neceſſe ſit interveniat aliqua circumſtantia, ratione cujus poſſimus haud obſcurè conjecturare, quod non intendatur applicatio ſacrificii. 15

Illud autem, quod dictum eſt de onere aſſiſtendi divinis officiis non ſuffragatur. Quia in his materiis ſervandæ ſunt conditiones in fundatione appoſitæ, etiamſi Capellaniæ ſint amovibiles, ut ſervari mandavit S. Congr. Concilii in una *Romana* Capellaniarum die 4. Auguſti 1654. ad *ſeſſ. 25. de refor.* de qua nos in conſult. brevior.

Itaque Miſſa ſemper celebranda eſt, ac applicanda pro Capellaniæ fundatore, quando ille ſe non declaravit relin- 16

relinquere applicationem ſacrificii in libertate celebrantis. Atque ita tenendum cenſeo præſertim contra March. *de Sacram. ordin. tract. 3. part. 2. cap. 22. num. 5.* Tambur. *cit. lib. 3. de Sacrif. Miſſ. cap. 1. §. 3. numer. 22.* ac omnes, quos pro altera ſententia produxi. Atque ita declaravit S. Congr. Concilii in una Mediolanen. die 18. Aprilis 1654.

CONSULTATIO CXL.

An Nuncii Sedis Apoſtolicæ poſſint Superiores Regulares compellere ad recipiendum Religioſos expulſos ab eorum Religionibus?

1 REſolvendum cenſeo, Prælatos regulares nullo modo teneri ad recipiendum hujuſmodi expulſos, neque Nuncios Apoſtolicos poſſe illos ad id compellere, ſed caſu quo ſupereſſet via aliqua ad cogendos dictos Prælatos ad expulſorum receptionem, id nullatenus Nunciis competere, ſed Summo Pontifici, vel S. Regularium Congregationi, aut Ordinum Protectoribus, ad quæ tribunalia, vel eorum aliquod unum hujuſmodi cauſa remittenda, & advocanda erit.

2 Primò, quia prohibitus eſt Religioſis acceſſus contra ſuos Prælatos, niſi tantùm ad Sedem Apoſtolicam, ac Sac. Congregationem, vel ad Ordinum Protectores. Ita conceſſit Carmelitis Diſcalceatis Clemens VIII. *conſt. 110. §. 2.* Idemque conceſſit Urbanus pariter VIII. anno 1631. Italicæ ejuſdem Ordinis Congregationi, dum approbavit Conſtitutiones ejuſdem Congregationis, quarum una eſt *in 3. part. cap. 35. numer. 13.* tenoris hujuſmodi: *Si quis ad Superiorem quempiam externum a Congregationis correctione, præterquam ad præſcriptum decreti Clementis VIII. appellaverit, quod literis ſa. mem. Sixti V. Gregorii XIII. & ejuſdem Clementis VIII. interdictum eſt, ipſo facto, &c.* Id etiam obtinuerunt a Gregorio XIII. Patres Minores, ab Alexandro IV. Ciſtercienſes apud Hieron. Roderic. *reſol. 10. num. 2.* & ab aliis alii.

3 Secundò, quia hujuſmodi acceſſus, ſive recurſus ad alios, quàm ſupradictos Judices non ſolùm eſt prohibitus Religioſis manentibus adhuc ſub regulari, & monaſtica diſciplina, aut apoſtatis, & fugitivis, ſed etiam ejectis ab Ordine. Nam Sixtus V. dum S. Regularium Congregationem erexit, ut patet ex ipſius *Conſtit. 74.* apud Cherubinum *tom. 2. Bullarii §. 11.* ipſam Congregationem ſpecialiter deſignavit pro cauſis, & negotiis ejectorum, apoſtatarum, & aliorum quorumque Religioſorum, ut liquet ex illis verbis: *Apoſtatarum quoque ejectorum, & propterea extra monaſteria degentium, aut vagantium cauſam iidem Cardinales audiant, & cognoſcant.* Et inferiùs inhibet a cognitione hujuſmodi cauſarum alios quoſcunque Judices, ut docemur ex aliis verbis, ibi: *Sic, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam dictos Cardinales, ac cauſarum Auditores, ſublata eis aliter judicandi, &c.*

4 Tertiò, quia hoc idem obtinuit ipſa Hiſpaniarum Carmelitana Congregatio a Clemente VIII. in cauſa cujuſdam expulſi, & ejecti ab ipſo Ordine, qui dum conquereretur de ſua expulſione, & aliàs eſſet vir, qui poterat cauſam ſuam coram Nuncio Hiſpaniarum proponere ob potentiam parentum, qui in illa Curia tunc degebant, nihilominus non auſus fuit accedere ad Nuncium, ſed ad Sedem Apoſtolicam, & Protectorem Ordinis ſe recepit, ipſiuſque cauſa examinata, propoſita fuit Clementi VIII. ab ipſoque deciſa in favorem ipſius Religionis, & contra ipſum expulſum, ut patet ex literis Apoſtolicis datis apud S. Petrum ſub die 27. Januarii anno 1593. Pontificatus ſui primo.

5 Quartò, quia, ut cauſa benè cognoſcatur, conſtetque de ejus juſtificatione quantum ad dictam expulſionem ab Ordine non aliter fieri poteſt, quàm videndo, & examinando ejus acta, quæ cùm graviſſima ſint, non decet in alio tribunali, vel coram alio Judice, quàm ad præſcriptum decretorum, Conſtitutionum Apoſtolicarum tractari, ex ipſiſque actis apparebit, quàm ritè ac rectè fuerit expulſus.

6 Quintò, quia novum, & inſolens eſt hujuſmodi ejectorum cauſas inter alia quàm inter ſupradicta tribunalia verſari, ne facilis pateat aditus expulſis, & ejectis ab Ordine vexandi Prælatos, quos odio ferè ſemper proſequuntur.

7 Neque favet hujuſmodi apoſtatis, & ejectis Urbani VIII. Conſtitutio pro ipſis edita die 21. Septembris 1624. dum decernit, eos recipi debere in Religionibus etiamſi juſtè, & ſervato juris ordine definitivè expulſi fuerint. Quia hæc Conſtitutio ſemper intelligenda eſt ſalva Religionum recta, ac religioſa diſciplina, ac ſtante modificatione, ac declaratione Pontificis in illis verbis: *Dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis.* Debet igitur ante omnia conſtare de hujuſmodi evidenti ſpe, quod judicio Prælatorum Ordinum relinquendum eſt.

Sextò, quia etſi in hac Urbani VIII. Conſtitutione 8
revocata remaneant omnia privilegia ipſi contraria quantum ad formam ſervandam in expellendis Religioſis, & in recipiendis ejectis, non tamen manet revocatus ordo ſervandus juxta præſcriptum Summorum Pontificum in tractandis cauſis Religioſorum ejectorum. Cumque in nulla alicujus Summi Pontificis Conſtitutione concedatur Nunciis Apoſtolicis hæc facultas, quinimmò ipſis ſpecialiter tollatur in d. Sixti V. Conſtitutione, nullo modo ſe poſſunt intromittere in hujuſmodi cauſis.

Quod tandem patet perſpicue, quia nequeunt admit- 9
tere expulſos ad exercitium Ordinum Sacrorum, a quibus ſuſpenſi exiſtunt juxta Conſtitutionem Urbanam, inhibentem hujuſmodi diſpenſationes ad exercitium Ordinum faciendas cum expulſis. Quod manifeſtè convincit advocationem hujuſmodi cauſarum juxta præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, etiamſi Nuncii eſſent in hoc Judices competentes.

Atque ita ſæpè decrevit Sac. Congregatio Epiſcop. & 10
Regul. præſertim ſemel in una Florentina die 30. Martii 1594. & iterùm die 15. Maji ejuſdem anni in hæc verba: *Il Nunzio non ſi dee interporre nelle cauſe de' Regolari, dovendoſi eſſe conoſcere da' loro Superiori per grado, non oſtante qualunque facoltà.* Ac in una Veneta die 4. Junii 1602. & in una S. Dominici die 29. Januarii 1604. De hac autem Nunciorum authoritate in Regulares agit Lezana *tom. 5. Summ. in Mari magno Prædicat. numer. 44. & in Mari magno Minimorum num. 112.*

CONSULTATIO CXLI.

IN ſacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 12. de re-* 1
form. diſponitur, quod nullus ad dignitates quaſcunque curatas promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimumquintum annum attigerit, & in Clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur.

Et in *cap. 21. ſeſſ. 25. de Regular.* in eodem Concilio 2
habetur, ut in proviſionibus monaſteriorum qualitas ſingulorum nominatim exprimatur, aliterque facta proviſio ſubreptitia eſſe cenſeatur, nullaque ſubſequenti poſſeſſione etiam triennali adjuvetur.

Stante diſpoſitione prædicta, quæritur,

An commenda Monaſterii Regularis conventu carentis, ac 3
duas Eccleſias Parochiales, quibus per duos Presbyteros ad nutum Abbatis, ſeu Commendatarii dicti Monaſterii amovibiles deſervitur, quarumque omnes fructus Abbas, ſeu Commendatarius percipit, annexas habentis, Clerico 25. annorum non completorum ſub expreſſione, quod dictum Monaſterium cura carebat Apoſtolica authoritate facta, ex diſpoſitione dictorum Decretorum fuerit nulla? Et data illius nullitate. An eidem Clerico, qui vigore dictæ Commendæ dictum Monaſterium ultra 20. annis pacificè poſſedit, ſuffragetur Regula de Triennali, & decennali poſſeſſione?

REſolutio iſtorum dubiorum pendet ex eo, An ſci- 4
licet Monaſterium præſcriptum ſit Curatum necne. Quando enim beneficium aliquod etiam non curatum habet aliquam Eccleſiam Parochialem annexam, cui per Vicarios temporales, & amovibiles deſervitur, prout in hoc caſu, beneficium dicitur curatum, quicquid ſit quando Parochiæ annexæ regunt per Vicarios perpetuos. Text. expreſſ. *in Extrav. execrabilis, §. quantum de præb.* Quam diſtinctionem pluries amplexa eſt Sac. Congregatio Concilii, ut in reſolutionibus relatis a Garz. *de benef. part. 11. cap. 6. §. 2. num. 197.* Eandem firmant Gonzal. *ad reg. 8. gloſ. 6. numer. 40. 97. & 98.* Navar. *conſ. 21. num. 2. & 6. verſ. ad ſecundùm de Cleric. non reſid.* Et in ſimili reſolvit Rot. coram Seraph. *dec. 1304. per tot.* videturque etiam ſic voluiſſe Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 6. de reform.* dum ait, curam transferri in Vicarium perpetuum, & ſic non in temporalem. Rationem differentiæ reddit Gloſſ. in hoc ab omnibus communiter approbata *d. §. Quantum verb. Temporales.* Quia Vicarius perpetuus curam exercet nomine ſuo, non autem temporalis, qui exercet nomine deputantis.

Hoc firmato dicendum eſt, Commendam fuiſſe nul- 5

lam,

lam, & d. Clerico nullas Regulas suffragari. Cùm enim in Commenda non fuerit facta mentio qualitatis curæ, prout requiritur tàm de jure juxta text. *in c. Cum in illius de præb. in 6.* quàm ex dispositione dicti Concilii *eo cap. 21. de regul.* intrat sanè subreptio, *cap. super literis de rescript.* & possessio etiam triennali non suffragatur, ut in eodem Concilio *d. cap. 21.* expressè disponitur.

6 Non obstat, quod de cura, quæ venit per annexionem beneficii curati necessariò non sit facienda mentio. Quia procedit, quando annexa reguntur per Vicarios perpetuos, secùs si temporales juxta præscriptam distinctionem.

7 Nec etiam obstat, quod per Commendam inducatur tacita dispensatio. Nam procederet, si fuisset facta mentio curæ, super qua cadere potuisset dispensatio, aliàs intrat subreptio, cùm commenda curati requirat in commendatario, tempore, quo fit, ætatem, & ordinem Presbyteratus conjunctim. *cap. Nemo deinceps de elect. in 6.* ubi Glos. *verb. Sacerdotio*, & Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.*

8 Nec etiam obstat possessio decennalis. Quia ultra quod dispositiones Concilii habent decretum irritans, quod inficit titulum, & possessionem Rot. *diver. d. 61. part. 3.* & coram Cavalerio *dec. 126. num. 3.* ipsa possessio decennalis non tribuit majus jus, quàm triennalis, Cassad. *dec. 8. num. 1. super regul.* Ratio autem cur Concilium fecerit mentionem triennalis, & non ulterioris possessionis potuit esse vel consideratio usucapionis, quę triennio perficitur, ut ponderat Sarpen. *ad d. Regul. de triennal. q. 1.* Vel ut excluderet privilegium regulæ de triennali, quæ ad hoc, ut intret, non requirit titulum validum, sed contentatur titulo colorato. Unde quia in hoc est majoris efficaciæ, quàm possessio decennalis, quæ in beneficialibus requirit canonicam institutionem, & non habet in consideratione titulum coloratum ut *in cap. beneficium Ecclesiasticum de regul. jur. in 6.* & ibi Glossa, nec per possidentem contra decreta Concilii posset allegari illud jus speciale proveniens ex regula de triennali post exclusionem regulæ decennalis, ibi per verba *quacunque possessione, &c.* voluit etiam regulam triennalem specificè excludere, cum illa, aliàs tanquam jus speciale, & per consequens quoad hoc favorabilis jure communi, in quo fundatur possessio decennalis, sub derogatione generica non veniisset, & ex ipsa exclusione oritur. Quod etiam circumscripta dispositione dicti Concilii, quoad possessionem decennalem, sed retentis terminis juris communis tantùm, si contra possidentem ostendatur titulus invalidus, cessat præsumptio tituli, oriens ex regula decennali, præsertim cùm versemur in Monasterio exempto a visitatione Ordinarii, & nunquam hactenus visitato, ut est optima dec. Seraph. 1498. *a num. 13. & seqq.* & d. Clericus ex sola possessione decennali absque auxilio favoris regulæ triennalis, quæ possessioni decennali dat spiritum vitæ, non potest juvari præsumptione alterius tituli validi, ut in puncto firmat Sarnen. supra dicta regula de triennali *q. 26. n. 15.* & colligitur *ex c. ex insinuatione, de procur.* ubi Glos. *v. probare potuerit.*

9 Ulterius est considerandum, quod sicut subreptio, quam Concilium præsumit, inducit malam fidem, quæ tollit triennalem; ita eadem subreptio, & mala fides tollit omnem aliam possessionem, & præscriptionem, quæ non datur cum mala fide ad Reg. *possessor. de reg. jur. in 6.*

CONSULTATIO CXLII.

An pro solvendis impositionibus Cameralibus tàm antiquis, quàm modernis Religioni impositis, & per Monasteria pro rata solvendis, possit fieri nova taxatio, & æqua distributio impositionum præfatarum juxta modernos redditus, itaut tàm antiqua, quàm moderna onera sint solvenda pro rata redditus nunc existentium, vel potiùs antiquæ impositiones solvendæ secundùm antiquas taxationes? Et

An modernæ impositiones dici possint a quindecim annis citra, vel a quanto tempore?

1 QUod attinet ad primum non videtur dubitandum, quin solvendis Cameralibus impositionibus tàm modernis, quàm antiquis nova fieri possit taxatio, & distributio juxta modernos redditus, & statum præsentem bonorum Monasteriorum, itaut sterilium cum fertilibus, fertilium cum sterilibus æqua fieri debeat compensatio, & Monasteria, quæ plus habent redditum, plus etiam solvant, & quæ minus habent, exonerentur, ad textum *in l. Omne territorium, C. de cens. & censit. lib. 11.* ubi Glos. fin. & Jo: de Plat. Quod etiam innuit textus *in l. forma, §. 1. ff. de cens. & in l. Omnis 2. C. de oper. publ.* Ac explicatiùs habetur *ex l. 2. C. de ann. trib. lib. 10.* traditque Bart. *in l. uni. C. de mut. lib. 10. num. 20. & in lib. 4. §. Actor. num. 2. de re judic.* ac favet Bald. *in leg. etiam num. 17. Cod. de execut. rei jud.* Gall. *cons. 6. num. 6.* Bero. *cons. 150. lib. 3. num. 50. & seqq.* ac firmat, rejectis contrariis, Thomat. *de collect. §. Retenta num. 2. & 8.*

Impositiones enim hujusmodi, seu collectę sunt quę fructibus prędiorum inducuntur, atque adeò per æs, & libram imponi debent juxta facultatem patrimonii, & secundùm redditus ex ipsis bonis percipi solitos. Ita Bartol. & Doctores allegati Addo Ruin. *cons. 116. num. 6. & cons. 125. n. 2. l. 4.* Socin. jun. *cons. 51. num. 10. vol. 3.* Aym. *cons. 195. n. 1.* Silv. *cons. 99. n. 6. & 11.* 2

Qui planè redditus cum ex varietate temporum vel augeantur, vel minuantur, vel quia pretia rerum mutentur, vel quia fertilitas, & sterilitas locorum diversificetur, ut experientia docet, atque habetur ex *l. Pretia rerum, ff. ad l. Falcid.* æquum etiam & juri consonum est, ut augeatur, vel minuatur taxatio impositionum seu collectarum, juxta illorum augmentum, ac diminutionem, *arg. text. in d. Omne territorium*, ubi Joan. de Plat. & in terminis Bald. *cons. 387. lib. 3.* quem sequuntur Natt. *cons. 935. num. 4.* Menoch *cons. 1144. num. 89.* Cravet. *cons. 195. num. 2.* Dec. *cons. 335.* Fastol. *de æstim. p. 1. cap. 1. num. 20. & 21.* Cyriac. *contr. 156. num. 6.* & diluendo contrariorium objectiones firmat Silv. *d. cons. 99. per tot.* ac Thesaur. *decis. 239.* atque in Senatum sensisse testatur *n. 7. & seq.* 3

Quippè iniquum esset, quod in oneribus non servaretur æqualitas, & pauperum bona magis quàm divitum aggravarentur, ac plus æquo solverent contra publicam utilitatem. Id quod observat Cravet. *d. cons. 195. n. 9.* Silv. *loc. cit. n. 21.* & Thesaur. *ibid. n. 6.* unde Abb. *in c. Quanto de cens. n. 6.* notabiliter tradit, quod ubi onus imponitur habito respectu ad redditus, diminuitur, & augetur secundùm facultates ipsorum reddituum. In actibus enim successivis, & futura etiam tempora respicientibus debent onera regulari secundum qualitatem temporum, ut tradit Mandel. Alban. *cons. 34 num. 16.* Roland. *cons. 1. lib. 2. num. 158. & seqq. & num. 175. & cons. 13. n. 19. lib. 3* 4

Hinc est, quod etiam in solutione collectarum habetur ratio idoneitatis cujuscunque, & si quispiam efficiatur pauper, nec solveret, excusatur, ac tollitur ab æstimo, alii verò, qui possunt solvere, sunt idonei, pro illa onera rebus imposita, subeunt, ut per Bartol. *d. lib. 4. Actor. num. 8. de re jud. & in leg. Simul num. 2. Cod. de apoch. publ. lib. 10.* Gail. *d. cons. 6. num. 6. ac 7.* Surd. *cons. 278. num. 10. & seqq.* Qua de causa æstimum pluribus in locis fit de quinquennio in quinquennium ad tollenda gravamina, quæ possunt oriri ex augmento, & diminutione reddituum, Boss. *in prax. tit. de Princip. num. 103.* Gals. *cons. 27. num. 75.* Menoch. *d. cons. 1144. num. 9.* asserens ex Alciato, hoc idem fuisse observatum apud Romanos. 5

Itaque juxta modernum valorem reddituum cujusque Monasterii solvi debent onera, quæcunque illa sint, sive antiqua, sive moderna, cùm non attendatur tempus impositionis, sed solutionis successivæ ex allegatis, & Monasteria, quæ hodie reperiuntur gravata ultra debitum, possunt recurrere ad superiorem ex *l. Qui gravamen, C. de cens. lib. 11.* Bald. *cons. 205. lib. 3. numer. 3.* Nam onera sunt imposita Religioni universaliter, non autem cuilibet Monasterio, quo casu facienda est nova taxatio, ne dicatur, quod Monasterium pro Monasterio gravetur, ut ex Baldo, Alex. & aliis tradit Fast. *loc. cit. p. 4. c. 2. n. 68. & seq.* 6

Nec obstat, quod impositionum antiquarum distributio ab initio justè fuerit taxata, rectè habita consideratione fructuum, & reddituum, qui tum temporis ex bonis ipsis percipiebantur: & idcircò immutabilis esse debeat. Quia cùm inde ex varietate temporum, rerumque mutatione, injusta, & iniqua reddatur, habito recursu ad Principem, mutari ac variari quoque ipsa debet, Doctores *in l. Ex facto v. Iniquum incipit fieri, ff. de vulg. & pupill. & in cap. Suggestum extr. de decim.* Cravet. *d. cons. 95. num. 4.* Soccin. jun. *cons. 15. num. 5.* Ita etiam propter mutationem status, & supervenientem causam iniquitatis receditur a quacunque dispositione, vel statuti, vel privilegiorum, vel testatoris, ut latè explicant, probantque Anchar. *cons. 84. n. 3. & 4.* Dec. *cons. 335. num. 1. & seqq.* 7

Ad secundùm respondeo. Modernæ impositiones illæ dici possunt, quarum taxatio juxta existentes bonorum redditus facta, illis etiam hodierno tempore congrua, & pro- 8

& proportionabilis cognoscitur, quæque fuerint intra quinquennium inductæ, vel illarum reformata distributio juri consentanea censetur. Ita docet Menoch. *eo loc. num.* 90. cum Bossio *eod. tit. de Principe num.* 103. Lancell. Gall. *cons.* 27. *num.* 75.

CONSULTATIO CXLIII.

Utrùm Principes Catholici jure possint permittere in suis Regionibus negotiationem cum hæreticis?

1 DUplici ex capite, & duplici item jure Catholicis consuetudo, & conversatio cum hæreticis prohibetur. Primùm quidem ratione excommunicationis. Deinde præcisè ratione hæresi. Utroque enim nomine tum jure Ecclesiastico, tum jure divino naturali consuetudo cum hæreticis censetur interdicta.

2 Jam, quod spectat ad primum caput, Excommunicatio adversus hæreticos, quicquid aliter nonnulli senserint apud Castr. *lib.* 2. *de just. hæret. punit. cap.* 18. Simanch. *in Instit. cathol. cap.* 27. Bann. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *in fin.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *Instit. moral. cap.* 10. *quæst.* 2. ac Suar. *de fid. disp.* 21. *sect.* 1. solo jure Ecclesiastico contra hæreticos lata est. Et primum quidem ab Alexandro III. Concilio Lateranensi *can.* 27. & habetur *in cap. Sicut de hæret.* Deindè a Lucio III. *cap. Ad abolendam* Posteà ab Innocentio item III. in Concilio Generali *c. Excommunicamus* 1. & 2. *de hæret.* Quo fit, ut quæ de evitandis hæreticis in sacris literis, tum a Sanctis Patribus, & antiquis Conciliis dicuntur solius hæreticæ pravitatis respectu intelligenda sint. Quia tunc ante condemnationem nemo hæreticus erat excommunicatus.

3 Posita excommunicatione, de qua modo dixi, post editam Constitutionem *ad evitanda*, cùm antea omnes hæretici ab Alexandro III. & Lucio III. sive secretò, sive publicè propter excommunicationem vitandi essent, in quæstionem vocari cœpit, num omnes hæretici publici, ac notorii vitandi essent? Nam in Concilio Basilienfi ea Constitutio sic habet *sess.* 20. *Ut omnes excommunicati tum denunciati, tum notorii, ac manifesti vitandi sint*. Quam Constitutionem Lateranense Concilium sub Leone X. *sess.* 11. recepit. Quocirca multi existimarunt omnes excommunicatos notorios, & manifestos esse necessariò vitandos. Ita Abb. *in Clem.* 2. *de sent. excomm. nu.* 5. Felin. *in cap. Rodulphus, de rescrip. numer.* 39. Navarr. *in cap.* 1. §. *laboret de pœnit. d.* 6. *numer.* 10. & *in sum. cap.* 27. *numer.* 34. & 35. Covarr. *in cap. Alma mater part.* 1. §. 2. *num.* 7. Melin. *de pœnit. tr.* 2. *quæst.* 22.

4 Verùm, quoniam eadem Constitutio in Concilio Constantiensi solùm excipit notorium Clerici percussorem, & excommunicatos, qui denunciati sint, communior, & verior sententia asserit, solos publicos percussores Clericorum, & denunciatos ex vi illius Constitutionis vitandos esse, ut benè probat Suar. *de censur. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 5. & eam sententiam sequuntur Antonin. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 3. & *in tract. de censur. cap.* 83. & *in tract. de excomm. cap.* 79. *num.* 16. habeturque *tom.* 14. *tract.* Cajetan. *in sum. v. Absolutionis impedimenta*, & *v. Excommunicatio minor.* Adrian. *in* 4. *de Eucharist. quæst. penult. de confess. dub.* 9. & *de clavib. quæst.* 3. Major. *in* 4. *d.* 18. *quæst.* 3. Angel. *v. Excommunicatio* 8. *numer.* 3. Rosell. *Excommunicatio* 6. *num.* 44. Silvester *Excommunicatio* 5. *quæst.* 3. Victor. *in sum. de Excommunicatio nu.* 10. Sot. *in* 4. *d.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. Ledesm. *in* 4. *quæst.* 23. *art.* 1. Tabien. *v. Interdictum* 3. *quæst.* 9. Armill. *v. Excommunicatio numer.* 50. & Azor. *ubi supra cap.* 13. *quæst.* 7. ac Sanch. *tom.* 1. *in Decal. cap.* 9. *n.* 3. Quæ sententia usu communi recepta est, quaque admissa, dicendum est,

5 Hæreticos, quantumvis notorios, ac manifestos non esse ex hoc capite necessariò vitandos, ut insinuat Navar. *d. cap.* 27. *in man. num.* 35. & *cons.* 1. *de Constit. qu.* 2. *num.* 60. ubi excusat Gallos, & Germanos, qui cum manifestis Lutheranis, & Calvinistis liberè versantur. Eodemque modo loquitur Azor. loco allegato *cap.* 11. *q.* 1. §. *Secunda opinio*, additque licere cum iis inire commercia in Anglia, Gallia, Germania, & Polonia, quia licet sint publicè hæretici, ac proindè notoriè excommunicati, non sunt tamen expressè, & nominatim denunciati, neque notorii Clericorum percussores. In eadem sententia fortissimè insistit Sanch. *ibid. n.* 5. & 6. ac Suarez *de fide disp.* 27. *sect.* 2. *num.* 4. malè reclamantibus nonnullis apud ipsos, quibus etiam subscribit Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 32. Neque, ut arbitror, hac de re potest esse major dubitatio. Quæcunque enim ex sacris literis afferri possunt juxta eam Constitutionem, & Concilii Constantiensis definitionem explicanda sunt. Nec obest, ut loco citato monet Suarez, approbatio Concilii Lateranensis, quæ apertè sequitur Constitutionem Concilii Basilienfis. Quia illa approbatio fuit tantùm pro Regno Galliæ, cum quo ibi statuuntur concordata, quæ non pertinent ad universam Ecclesiam.

Quæ cùm ita sint, si solius excommunicationis habenda esset ratio, proposita quæstio ad exitum deducta esset. Nam citra ullam dubitationem affirmativè respondendum esset, licere Catholicis Principibus admittere hæreticos ad negotiationes. Verùm quoniam ipsa hæresis adeò detestabilis est, meritò utroque jure, hoc est Ecclesiastico, Divino & Naturali prohibentur catholici cum hæreticis consuetudinem habere. 6

Et, ut incipiam a jure Ecclesiastico, Alexander III. in Concilio Lateranensi *can.* 27. qui proximè Lucium antecessit, definit in hanc sententiam: *sub anathemate prohibemus, nequis eos*, idest hæreticos, *in domo, vel in terra sua tenere, vel fovere, aut negotiationem cum eis exercere præsumat*. Quod ad omnes hæreticos pertinere monet eo loco Panorm. *vers. Sed quæro*. Jure autem optimo id Pontifex prohibuit. Quia etiam jure naturali tribus de causis consuetudo cum hæreticis damnanda est. Primò, propter scandalum. Secundò, propter participationem erroris. Tertiò, ac postremò, propter periculum subversionis. Quanquam autem videri posset Alex. *in cap. Sicut ait* præceptum suum referre ad excommunicationem, quam ibidem contra hæreticos tulerat, multò tamen probabiliùs est solius hæresis habere rationem. Nam si propter excommunicationem tantùm jussisset hæreticos vitari, nihil erat opus præcipere sub anathemate. Quia ex jure constat, eum, qui cum excommunicato versatur, incidere in excommunicationem minorem. Olim enim, ut ex superioribus liquet, hoc est ante Concilium Constantiense hæretici omnes vitandi erant. Quo modo etiam loquitur Innocentius III. *in cap. Excommunicamus* 1. §. *Credentes*, & Alexander IV. qui etiam fuit ante Concilium Constantiense, *in cap. Quicunque de hæret. in* 6. qui excommunicant eos, qui hæreticos, credentes, receptatores, & defensores, vel fautores eorum Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderint. Accedit, quod in jure civili, nulla habita ratione excommunicationis Arcadius, Honorius, & Theodosius *leg. Manichæos, C. de hæret.* consuetudinem cum hæreticis prohibent. 7

Verùm in Germania, Polonia, Flandria, Gallia, cæterisque Provinciis infectis, in quibus hæresis palam grassatur, & hæretici impunè tolerantur non solùm excusantur fideles, qui passim cum hæreticis negotiantur, quia non coguntur eos ut excommunicatos vitare, cùm non sint denunciati, sed etiam quia hæreticorum multitudo, & rerum necessitas facit, ut ea lege, quæ habetur *in d. cap. Sicut*, & *in d. l. Manichæos*, censeantur soluti. Neque enim fieri posset, ut in illis Provinciis, & Regnis, in quibus tanta est hæreticorum multitudo absque ingenti perturbatione catholici omnes ab hæreticorum consuetudine abstinerent. Quod non facilè admittendum videtur in aliis Regionibus, in quibus hæretici non tolerantur. Atque idcircò non video quanam ratione excusari possint quidam Principes catholici, qui in suis Regnis, ac Provinciis passim permittunt negotiationes hæreticorum mercatorum. Quare Palud. *in* 4. *d.* 13. *quæst.* 3. *concl.* 7. *n.* 13. & Silv. *v. hæresis* 1. *qu.* 7. authoritate Archidiaconi hos ajunt esse recuperatores hæreticorum, atque adeò subjici censuræ jure latæ in Concilio Lateranensi decreto *de hæret. cap. Excommunicamus*, §. *Credentes de hæret. c. Noverit de sent. excom.* & in Bulla Cœnæ Dominicæ quotannis a Summo Ecclesiæ capite promulgatæ. Quod etiam non obscurè insinuat Corrad. Brun. *de hæret. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 34. Quamobrem ut ait Simanch. *Instit. cathol. tit.* 11. *n.* 11. non licet in contractibus communicare cum hæreticis, *l. Manichæos, C. de hæret.* & *l.* 8. 30. 39. 49. 50. *C. Theodos. de his, qui super Religione contendunt*. Idemque *tit.* 15. *n.* 5. ex sententia Archidiaconi *in cap. Quicunque de hæret. lib.* 6. Turrecrem. 2. *p. de Eccles. lib.* 4. *c.* 21. Alphons. a Castr. *lib.* 1. *de justit. hæret. pun. cap.* 17. Corrad. Brun. *loc. cit.* Zanchin. *de hæret. cap.* 3. colligit, hos contrahere suspicionem hæresis, quam sententiam sequitur Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 17. 8

Et sanè textus perspicui sunt extra omnem controversiam positi. Solùm aliqua disceptatio esse potest, utrum ut illa pœna quisquam feriatur, fautor aut defensor hæretici tanquam hæretici, esse debeat, an verò sufficiat ipsi personæ hæretici, civili licet nomine, sive societatis, sive amicitiæ, sive consanguinitatis, &c. favorem, defensionemve præstitisse. Ubi communis Doctorum sensus est, quicquid tandem aliud secùs dixerint, istud postremum ad subeundam canonum pœnam 9

non

non eſſe ſatis, ſed hæretico tanquam hæretico defenſionem, favoremve præſtitum eſſe oportere. Nec enim ullo modo veriſimile eſt ſolùm humanitatis, aut amicitiæ cultum tàm gravi pœna eſſe perſtrictum.

10 Verùmtamen obſervandum eſt, duplici adhuc modo hæreticis favorem, aut defenſionem impendi poſſe. Unus eſt, ut nihil aliud intentione ſpectet is, qui defendit, aut favet, quàm ut ipſi hæreticæ pravitati hæreticum amplectendo faveatur, error protegatur, ſecta propagetur. Quod ſanè difficulter fieri poteſt, niſi ab eo, qui animo jam infectus catholicam fidem nauſeat, & cui ipſa per ſe hæreſis placet. Alter eſt, ut aliqua temporali conſideratione defenſio hæretico, favorque conferatur, ſic tamen, ut hoc in apertum, & efficax hæreſeos ipſius redundet patrocinium. Modus iſte favendi, tuendique multò minus odii in fidem catholicam, & averſionis a veritate continet; ſed ſæpè multò efficacius in ipſius hæreſis adjutorium profectumque cedit. Quapropter, ut aliquis verè, propriè, & efficaciter fautor hæreſis, ac defenſor ſit, nullo pacto neceſſarium eſt, ut directe hæreſi fautum velit, ſufficit, ut ipſe rationibus, commodiſque humanis ductus, ipſos homines ita favendo tueatur, ut videat non caſu, non fortuna, ſed ex ipſo tuendi modo in illis circumſtantiis perniciem catholicæ fidei, & hæreſis incrementa, ſtabilitatemque ſequutura, hoc eſt, ſufficit, ut favor quoquomodo conferatur in cauſa, ſeu materia hæreſeos, etſi non propter hæreſim.

11 Ampliùs profectò poſtulare hominum videtur moralia principia non ſatis ponderantium, vel penetrantium. Inſpice peccata morum, videbis ubique quemadmodum duplex voluntarium, directum, & indirectum, ita duplicia inde peccata proficiſci. Quædam ipſam quodammodo malitiam ſpecificam intuentur, quam directa voluntate homines appetunt, ut qui in homicidio, & gula, cæteriſque criminibus, ipſam peccati ſpeciem intuendo prevaricantur. Alia ſpectant aliud, cujus amore malum adjunctum voluit prætermittere. Sic ille, qui ſclopo nihil aliud, niſi volucrem in conferta hominibus via petit, cædis eſt indirectè, & interpretativè, ut loquitur ſcola, reus. Quia interpretativa, indirectaque voluntate crimen dumtaxat voluit. Mores hominum in comedendo, loquendo, ludendo, nocendo, infinitis exemplis hujuſmodi culparum interpretatione, indirectèque volitarum pleni ſunt. Idem prorſus in præſenti caſu uſu venit. Directè defendit, ac favet qui ipſi hæreſi conſultum cupit, vel hæreticis propter hæreſim. Indirectè, atque interpretativè qui homines favendo, tuendoque ita ſublevat, ut efficaciter in hæreſis favorem atque defenſionem, aut propagationem, aut ſtabilitatem, aut catholicæ fidei noxam favor iſte convertatur. Quod non paucis quoque Scholaſticis Doctoribus Ugolino, Sayro, ratione ita poſcente, placet. Mihi verò unus magni viri locus, ſed palmaris, & in hanc rem planè illuſtris pro omnibus erit. Sic enim Toletus *lib. 1. Inſtruct. Sacerd. c. 19. num. 8.* inquit: *Uno modo*, intelligi poteſt doctrina Cajetani, & Navarri, *ut favor, receptatio, aut defenſio hæretici fiant propter hæreſim ſeu in favorem hæreſis. Altero modo, ut fiant in cauſa hæreſis, licet non fiant propter hæreſim. Primo modo non eſt intelligendus Caietanus. Eſt enim opinio falſa Non enim tantum, qui ſic receptant, favent, aut defendunt; excommunicati ſunt. Nam l. 2. ff. de recept. puniendus eſt ut receptator, conſanguineus, & affinis, qui receptat latronem occultando, & clarum eſt, quod illi non recipiunt, quia fur eſt, vel in furti favorem, ſed quia conſanguineus. Tamen quia illa receptatio eſt in furti occultationem cenſetur receptator. Sic etiam erit de receptatore hæretici, defenſore, vel fautore. Modo tamen ſecundo veriſſima eſt opinio, ut defenſio, favor, receptatio ſint in cauſa hæreſis, licet non propter hæreſim fiant, ſed quia amici, aut conſanguinei ſunt, aut ſimilibus aliis finibus, vel motivis.*

12 Idipſum eò magis liquidum evadit, ſi conſideremus jam pridem Bullam Cœnæ Domini omnes qui ad hæreticos, vel hoſtes fidei deferunt equos, arma, ferrum, &c. quibus catholicos oppugnant, qui eos de rebus ſtatum Reipublicæ concernentibus in damnum catholicæ Religionis certiores faciunt, qui illis ad id auxilium, & conſilium præſtant quomodolibet non directa tantum nocendi intentione, ſed vel in rem dumtaxat ſuam, lucrumque proprium, ſi modò Reſpublica capere poſſit detrimentum, excommunicare. Ad quem modum, & legibus Imperatoriis *l. 2. 4. 6. Cod. de commerciis*, vetitum fuit aurum, ſimileſve merces etiam pacis tempore ad Perſas mittere, quòminus ab earum rerum cupiditate ad noxia Imperio conſilia animarentur, tametſi privati mercatores non de Republica, ſed de lucro ſuo ſoliciti eſſent. Sed avertenda eſt occaſio rerum noxiarum ob quam nec arma quidem privato per eaſdem leges *novel. 85.* de armis, licuit habere, vendere, aut fabricare, ut & Philiſtini *1. Reg. c. 13.* cavent, ne Hebræi gladios, aut lanceas fabricent.

Atque hinc diluitur objectio illa, quæ vult ſi quid ex 13
hujuſmodi commercio adverſus Religionem committatur eſſe id extra ſuam intentionem, ac contingere per accidens. Nam quamvis mente, cogitationeve ſegregari poſſint ea, quæ principaliter aguntur ab iis, quæ cohærent, nihilominus actiones humanas judicandas eſſe, ut fiunt unà cum iis, quæ perpetuò comitantur, aut plerumque, aut rarò. Ex iis, quæ rarò contingunt actioni malitiam non imprimi, ſed per accidens ea advenire cenſeri, & caſui imputari. Quæ autem ſemper, aut plerumque connexa ſunt, actiones probas, aut improbas facere. Mens iſta unanimis Theologorum eſt, inter quos Theologiæ Solſtitium, nempè D. Thomas chorum ducit *quæſt. 1. de malo art. 3. ad 15.* & *1. 2. quæſt. 73.* hoc peracuratius *1. 2. quæſt. 20. art. 5.* Porrò quàm frequens ſit non ſolùm *art. 8.* & acculum, & quàm nocens hæc contagio teſtantur antiqui Judæi, qui olim plurimi a Gentibus perverſi ſunt, ſed etiam hujus temporis Chriſtiani, qui non pauci in Germania, aliiſque Provinciis ex conſuetudine cum hæreticis a catholica fide deſciverunt.

Neque obeſt, quod objicitur de Judæis, qui in Urbe 14
Roma, aliiſque Regnis, & Urbibus permittuntur. Primùm, quia Judæi non ita facilè in ſuum errorem pertrahunt fideles, cùm in hæreticis contra accidere quotidiano experimento compertum ſit. Deinde apparet jure Eccleſiaſtico Judæorum convictum cum fidelibus eſſe permiſſum, ut conſtat toto titulo de Judæis, & Saracenis, cùm contra negociationem hæreticis *d. c. Sicut ait. de hæretic.* & *d. l. Manichæos*, *C. de hæret.* apertè prohibeatur. Neque metuenda ſunt a Judæis ſcandala, cùm ipſi ſint fidelibus exoſi, & ab omnibus contemptui habeantur, quod non accidit in hæreticis, qui partim ſeſe blandè inſinuant in amicitias fidelium, a quibus non aliter ac fideles benignè excipiuntur, & tractantur, partim ſuis moribus ſeſe amabiles præbent. Quare D. Ambroſius *de fid. lib. 3. cap. 3.* diſertè *hæreticos*, ait, *eſſe deteſtabiliores* ipſis Judæis, qui *carnem Chriſti crucifixerunt*. Magnus autem Athanaſius eos nec Ethnicorum nomine qui certam, & conſtantem religionem habuere, dignatur, *tantum* inquit *in epiſt. ad ſolit. vit. agen. abeſt, ut eos Chriſtianos appellare velim*. Et veteres Chriſtiani Imperatores de Paganis, Judæis, & hæreticis eodem prorſus modo loquuntur, niſi quod hæreticos ſuis legibus magis quàm Judæos, & Paganos infames & deteſtabiles eſſe decernunt, & gravioribus ſuppliciis caſtigant. Hæreticos ſiquidem Judæis, & Paganis impuriores ſemper exiſtimarunt, idque magna, & evidenti ratione permoti, quàm eleganter perſtringit Tertullianus *de patient*: cùm hoc *inter Ethnicos*, & *hæreticos diſtare* tradit, *quod Ethnici non credendo credunt, at hæretici credendo non credunt*. Quibus verbis ſignificat Ethnicos etſi verè non credant, quia fide Chriſtiana ſunt deſtituti, aliquid tamen credere, quia ea credunt, quæ humana natura lumine rationis a Deo illuſtrata de Deo credenda eſſe colligit; hæreticos autem, qui ſe credentes, & fideles Chriſtianos ſimulant, cùm ea non credant, quæ Chriſtus, & Spiritus Sanctus credere præcipit, nihil omninò credere, ſed ita prorſus fide vacuos eſſe, ut ipſis Ethnicis aliquid credentibus evadant infideliores. Id, quod D. Chryſoſtomus, & D. Auguſtinus, ne plures commemorem, & manifeſtò aſſerunt, & ſolida ratione confirmant. E quibus ſic ille in *Matth. cap. 12. homil. 13.* Spiritus immundus ejicitur è Gentilibus *cum fiunt Chriſtiani*, *ſed redit cùm ex Chriſtianis fiunt hæretici*, & *tum noviſſima eorum pejora ſunt prioribus. Nam hæreticos Gentilibus eſſe pejores nemo dubitat. Gentiles enim per ignorantiam Deum blaſphemant, hæretici autem ſcientes laniant veritatem*. Alter autem, intolerabile, inquit *l. 21. cap. 35. de Civitate Dei*, & *Epiſtol. 162. eſt*, & *a ſana fide devium, hæreticorum, qui a Catholica Eccleſia exeunt, meliorem eſſe cauſam, quàm Paganorum, qui nunquam fuerunt catholici, cùm pejor utique ſit deſertor fidei*, & *ex deſertore oppugnator ejus effectus, quàm ille, qui non deſeruit, quod nunquam tenuit*. Quod alibi horum uterque tum etiam D. Cyprianus *de unitat. Eccleſ.* convincit ex proportione divinæ juſtitiæ longè attrociore pœna hæreticos, quàm ipſos nequiſſimos idolorum, & beſtiarum cultores plectentes, quorum ii gladio cæſi ſunt, illi hiante terra abſorpti vivi, præcipitati ſunt in inferos.

Quantò ergo nequior eſt, qui ex deſtinata malitia ve- 15
ritatem impugnat, quàm qui ex ignoratione. Quantò inteſtinus in Civitate proditor, & perduellis externo, & le-

& legitimo ejus hoste est pernicioſior. Quantò horribiliùs est hominem vivum anima, & corpore deturbari ad inferos, quàm gladio usitato fontium supplicio, tàm hæretici, quàm Pagani, ac Judæi nomen Christianis omnibus debet esse odioſius. Atque ex his excellentiſſimis Eccleſiæ Doctoribus mirum videtur ſiquis Chriſtianus aliam unquam opinionem concipiat. Id D. Auguſtinus ita verum esse ſtatuit, ut *intolerabile* putet, eumque non obſcurè hæreticum, & vix ſanæ mentis compotem dicat, qui non pejus de hæretico, quàm de Pagano, aut Judæo exiſtimet. Quod ſiquis utriuſque cauſas ſufficientes, & effectus ponderare voluerit, multa ſine dubio comperientur cur Judaiſmum, aut Paganiſmum hæreſi anteponat. Hæreſis enim plerumque ex turpioribus cauſis oritur, ex malitia, odio, cupiditate vindictæ, libidine, cùm Paganiſmus, aut Judaiſmus ex naturali quadam cæcitate, & injuſtitia innaſcatur. Et hæreſis multò magis, quàm Ethniciſmus, & Judaiſmus virtutes in hominibus morales extinguit, multò magis Reſpublicas deformat, multò magis ſeditiones concitat, multò magis fratres a fratribus, & amicos chariſſimos invicem a ſeſe capitali malevolentia diſtrahit, atque in mutuam perniciem armat: multò denique pertinaciùs Chriſtianam fidem invadit, ac diſſipat, & ubi ſemel inhæſerit, cancer eſt, Ethnicorum morbo incurabilior, ut valdè ſit in fide Chriſtianorum ſtabilis, & optimis rationibus fundata illa Theologorum concluſio infidelitatem hæreticorum, infidelitate Judæorum, & Gentilium peccato eſſe coram Deo gravius, & atrocioribus in inferno ſuppliciis vindicandam, ut videre eſt apud D. Thom. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 6.

16 Exempla porrò Catholicorum Principum quatenus agunt de Provinciis, & Regnis, in quibus hæretici permittuntur non video, ut modò dixi, quomodo excuſari queant, niſi fortè id fecerint, aut faciant Apoſtolica authoritate, aut permiſſione, & conniventia ſuffulti, non autem Doctorum opinione nixi, qui Canonem illum Concilii Lateranenſis, & Alexandri III. vel abiiſſe in deſuetudinem, vel ratione ſolius excommunicationis intelligendum eſſe nugantur. Atque hæc quidem perſiſtendo in jure Canonico dicenda videntur.

17 Quod ſi loquamur de jure divino naturali, certum eſt primò, nunquam licere ita cum hæreticis verſari, ut eorum errores, aut ſuperſtitiones approbentur, vel etiam exerceantur. Quod adeò certum eſt, ut nulla egeat probatione. Qui enim errores hæreticorum admittit, aut tuetur, & fovet, hæreticus cenſetur, & jiſdem pœnis obnoxius degit, *c. Quicunque de hæret. in 6. Bulla Cœnæ.* & alia jura.

18 Eademque ratione ſi conſuetudo cum hæreticis ſcandalum pariat, jus naturæ, & recta ratio docet, eam nullo pacto permittendam eſſe. Quia ut rectè docet D. Gregorius, in quantum ſine peccato poſſumus, vitare aliorum ſcandalum debemus. Et Chriſtus Dominus in Evangelio, & D. Paulus in ſuis Epiſtolis ſæpè docent omni ſtudio, conatuque vitanda eſſe ſcandala. Quicquid enim in illis ſpectes, ſive Chriſti contumeliam, ſive odium veritatis, ſive contentioſiſſimam animi pervicaciam adverſus Summum Pontificem, ſive Catholicorum periculum, & contagium, ſive denique impietatis magnitudinem juxta theologiæ principia, Patrum effata, Eccleſiæque cautionem, atque ſolicitudinem, & Scripturarum oracula in omnibus ſunt omninò evitandi. Unde fit, ut primitiva Eccleſia nec *Ave* quidem eis dictum voluerit. Et ut ſcribit S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. Joannes Apoſtolus cùm Epheſi ad balneum profectus eſſet, & intus deprehendiſſet eſſe Cerinthum hæreticum, illotus receſſit, ne cum veritatis hoſte lavaretur, & ipſum balneum corrueret. Quod etiam teſtantur Euſebius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 22. Theodoretus *lib.* 2. *de hæret. fabul.* Nicephorus *lib.* 4. *cap.* 22. Hieronymus *adverſ. Luciferian.* Epiphanius *hæret.* 30. niſi, quod pro Cerintho Ebionem hæreticum nominat. Polycarpus autem, ut ibidem ſcribit Irenæus, Marcioni occurrenti ſibi, quærentique, utrum ſe cognoſceret, reſpondiſſe fertur; *Cognoſco te primogenitum Satanæ*, & ſubdit Irenæus tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem: Beatus autem Antonius, ut ſcribit S. Athanaſius in ejus vita, Arianos, omneſque hæreticos maximè vitandos docebat. Quin etiam de illo affirmat nunquam illum amicabilia verba cum hæreticis protuliſſe. Aſſerebat enim talium amicitias, atque ſermones, perditionem eſſe animę. Sic etiam Arianos deteſtabatur, ut omnibus diceret, ne juxta eos quidem eſſe accedendum, & quoſdam fugavit de monte, cùm diceret eorum ſermones multò eſſe ſerpentibus deteriores. Item Gregorius ſcribit *lib.* 3. *dial. cap.* 3. Hermenegildum mori maluiſſe, quàm Euchariſtiam die Paſchatis ab Arianis accipere, Origenes autem, ut tradit Euſebius *lib.* 6. *hiſt. cap.* 3. nunquam adduci potuit, ut unà cum Paulo Dominæ ſuæ adoptivo filio hæretica labe infecto preces funderet. Quippe qui ab ineunte ætate, & Eccleſiæ canonem quàm accuratiſſimè obſervaſſet, & hæreticorum doctrinas ſemper deteſtatus eſſet, Euſebius verò Vercellenſis neceſſitate compulſus ne cibum quidem ab Arianis ſumere voluit, ut memorat Baron. *tom.* 3. qui *tom.* 6. & 7. alia perſimilia exempla profert. Illud autem non eſt prætereundum quod *lib.* 1. *memorab.* ſcribit Baptiſta Fulgoſ. *Martyres*, inquit, *Cajus, & Alexander cum capite damnati ad ſupplicium unà cum Marcioniſtis ducerentur, ingentis muneris loco a carnificibus petierunt, ut ſeparatim a Marcioniſtis occiderentur, ne ipſorum ſanguis cum eorum ſanguine miſceretur, qui minus rectè de fide catholica ſentirent.*

Siquidem non ſolùm ratione ſcandali, ſed etiam pro- 19
pter periculum ſubverſionis graviſſimis verbis Scriptura ſacra conſuetudinem cum hæreticis apertè videtur prohibere. Huc enim ſpectat, quod ait Paulus *ad Corinth. epiſt.* 1. *cap.* 15. & *epiſt.* 2. *ad Timoth. cap.* 1. & *ad Titum cap.* 3. *Hæreticum*, ait, *hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt.* Joannes verò *epiſt.* 2. *Si quis*, ait, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Lege epiſtolam Judæ *num.* 7. non jam verba, ſed ſpicula. Item *num.* 10. *ac* 11. 12. & 13. Rurſus *num.* 16. & 19. & 2. *Petri* 2. *num.* 1. & 2. *ac* 10. & *ſeqq.*

Eodem ſpectant plurima Sanctorum Patrum verba 20
quibus conſuetudinem cum hæreticis deteſtantur. De his enim loquitur Origenes *lib.* 7. *in Job.* Iſti ſunt verè januæ mortis, & viæ inferni. Iſti ſunt, qui a veritate plurimos avertunt, & a fide innumeros aberrare faciunt. Iſti ſunt miniſtri maligni diaboli, atque nuncii veritate carentes. Iſti ſunt cæci, duces cęcorum. Iſti ſunt nubes ſine aqua, & nebula a tempeſtate fugata, quibus caligo vel nebula interiorum tenebrarum dignè ſervatur, & cuſtoditur. Iſtos ergo fugiamus ò viri. Iſtos latè devitemus, ò amici. Iſtos odio habeamus, & infidelitatem atque errorem, qui in eis eſt, velut flammam ignis declinemus pro eo, ne cum illis flammæ inextinguibili in die furoris, atque revelationis juſti judicii Dei mancipemur. His conſentanea ſunt quæ ſcribit Chryſoſtomus *hom.* 2. *in Geneſ.* & *hom.* 24. *in Matth.* ac denique *homil.* 10. ex variis in Matth. locis. Baſilius autem *hom.* 5. *in exam.* hæreticos, ait, ſeſe fidelium cœtui immiſcere, ut erroris ſui noxam clanculum in ſimpliciores transfundant, & *epiſt* 85. Communionem cum hæreticis perniciosè initam hoc habere ait, ut pacis prætextus ſuſceptores hoſtiliter lædat. Gregorius Nazianzen. *orat.* 20. hæreticorum communionem tanquam virus ſerpentis fugiendam docet, quod illa non corpus, ſed intimos animi ſinus inficiat. Cypr. *ep.* 57. inquit, nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia miſceantur, ſimuſque ab illis tam ſeparati, quam ſunt illi ab Eccleſia profugi. Idem ferè habet Leo Pontifex *ſer.* 18. *de Paſſ. Dom.* Hęc atque his ſimilia non pauca apertè oſtendunt non ſolùm propter ſcandalum, ſed etiam propter periculum, converſationem cum hęreticis prohiberi. Ita enim loquitur Auguſtinus *ep.* 162. hęreticum quemlibet odioſa ſuperbia tumidum, & pervicacia malę contentionis inſanum, vitandum moneamus, ne parvulos, & infirmos fallat, cui concinit Ambroſius *lib.* 6. *in Luc. c.* 9.

Hunc ſpiritum aſperum in hæreticos hauſere Patres 21
ex Scripturis. Itaque nihilo in illos ſunt leniores, ut liquebit ex ſubjecto ſpecimine titulorum, quibus hæretici afficiuntur a variis Patribus. Vaniloqui, & mentis ſeductores, non Chriſtiani ſed Chriſtum mercantes, in fraudem circumferentes nomen Chriſti, & cauponantes verbum Evangelii, & erroris venenum blando alloquio implicantes, tanquam mulſo cicutam temperantes, S. Ignat. *ep. ad Trallianos*. Diaboli propagines *Ibid.* Manifeſtati velut a terra fungi, S. Iren. *lib.* 1. *cap.* 33. Organa Satanæ. Idem *lib.* 5. *cap.* 26. Blaſphemi, & impudentes ſophiſtæ, *Ibid. cap.* 20. Diaboli inſtrumenta, *Clem. Rom.* 6. *conſtit. cap.* 10. Progenies Satanæ, & ingratæ creaturæ, S. Baſil. *ep.* 141. Diaboli, Epiphan. *hæreſ.* 69. Inſtauratores Paganiſmi, & Idolatriæ, Niſſen. *orat. de S. Baſil.* Peſtes, & lues fidei, Cyprian. *de unit. Eccleſ.* Aug. *ep.* 56. Vincen. de Lirin. *in common.* Fures, & latrones, Nazianzen. *orat.* 28. Sancti momentanei, & Theologi unius diei. Idem *orat.* 33. Mendacii exercitus, fraudis propugnatores, dæmonum expeditio, immundorum

dorum spirituum legiones, furiarum exercitus, Idem *orat.* 48. Leprosi, S. Ephrem. *de virtute c.* 8. Prosper. *p.* 2. *de promiss. cap.* 6. Beda *in cap.* 13. *Levit.* Mali cauponeS, Hier. *lib.* 1. *in Isa.* Isidor Pelus. *lib.* 1. *epist.* 169. Athanas. *serm. contra omnes hæres.* Ligna infructuosa, & saltus absque utilitate pomporum, Hieron. *in c.* 10. *Eccles.* Clibani impietatis, Idem *Os.* 7. Filii pestilentiæ, tenebrarum fontes, gurgites omnium malorum, templa omnium dæmoniorum. Lucif. Calar. *lib.* 1. *pro S. Athan.* Hæc pauca de multis. At in hæreticis asperè tractandis insignes fuere S. Hieronymus, S. Epiphanius, Petrus Sebastenus, SS. Basilii, ac Nysseni germanus, S. Hilarius, & Lucifer Calaritanus, quem S. Hieronym. *in catal.* & S. Athanasius a constantia, & generositate Christiana valde celebrant. In horum libris omnes apices tela, & spicula sunt, procellæ maleditionum, diræ fulminum, ita sanè, ut cum Augustino *in Enchir. cap.* 74. dicere libeat; *Ad tam magna tonitrua, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.*

22 Hanc autem solicitam Ecclesiæ cautionem, ac detestationem infra magis, quàm supra verum fuisse horribiles illæ strages animarum, Ecclesiæque vastitates, quas nostro sæculo, præteritisque omnibus intulerunt omni argumentorum luce clarius probant, Compertum enim est experimento, hæreticorum consuetudinem plurimum obesse Catholicis. Quo nomine vix possunt excusari Principes, qui in Regiones catholicas, in quibus hæretici non permittuntur, ad exercenda mercimonia hæreticos admittunt cùm proculdubio certum ac præsens periculum videatur. In his autem Provinciis, & Regnis, ubi passim hæretici cum Catholicis versantur, ratione necessitatis, id faciliùs admitti potest, ut ait Simanchas *in Catal. instit. tit.* 11. *n.* 10. Necessitatis enim, ut dixit quidam, amarissimæ sunt leges, & truculenta imperia. Sic olim cum hæreticorum factiones studio Principum maximè vigerent, cum hæreticis vivere cogebantur catholici. Et quidem hac ratione Molan. *lib.* 1. *de hæret. servand. cap.* 20. & 21. Machabæorum cum Romanis fœdera defendit, & *c.* 23. ad casum necessitatis restringens, ac Becanus *in Analog. vet. & nov. testam. cap.* 17. *q.* 6. & Zipæus *in Jud. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 2. in eam sententiam iverunt, dummodò absit scandalum, & periculum Ecclesiæ, in eumque sensum interpretati sunt *Clem.* 1. §. *Porrò de jurejur.* atque excusantur Antuerpienses, aliique quod finitimarum Provinciarum hæreticos admittant. Nec aliam fuisse arbitror Arnaldi Ossati Cardinalis, res Gallicas apud Pontificem prudentissimè procurantis, sententiam. Scilicet non referre cujus sint Religionis fœderati, cùm pro Regni, sive Reipublicæ statu, non pro Religione convenerint. Quin potiùs stante Regno, sive Republica Religionis suæ quisque caulam incolumen præstet. Qui aliter sentiret, hujus judicium esse in politicis nullum, in Religione verò superstitiosum.

23 Non videò tamen eandem necessitatem admittendi Anglos, cæterosque, qui Oceano interjecto, ac longo terrarum spatio distinguuntur. Utrùm autem quæ speratur utilitas, & quæ vitanda creduntur incommoda tanti sint, ut præferenda videantur periculo, quod suaptè natura ex hæreticorum negotiatione imminet, statuere possunt ii, qui Catholicorum emporia norunt, eorumque inibi versantium constantiam, & in fide firmitatem perspectam habent, atque notam. Utrumque autem permittendum videtur bonorum virorum judicio, qui præsentes adsunt, & sincerè judicium ferre possunt. Illud pro certo affirmare non dubitem. scandalo, & subversionis periculo occurrendum esse, quòd utrùm commodè fieri possit, mihi certè non liquet. Illud autem ex superioribus apertè colligitur, nisi necessitas urgeat, vel magna utilitas speretur, non esse hæreticos admittendos ad negotiationem. Neque eandem videri rationem in Regionibus fœderatis, quæ ob vicinitatem, ac morum, linguæque consensionem vix excludi posse absque damno videtur, cùm res humanæ ita constitutæ sint, ut finitimæ regiones mutuo auxilio penè necessario indigeant, sive ad extrahenda quæ superSunt, sive ad importanda necessaria.

24 Ex quibus omnibus perspicuum fit, Principes, quibus modò salus, & honos est cordi omni cura, studioque debere Religionem catholicam sanctam, & tectam servare, quin etiam curare, ut subditi eam exactissimè servent, & amplectantur. Est enim certissimum augurium interitus, & subversionis Reipublicæ, cum paulatim ex ejusmodi commerciis sectæ introducantur. Quare hæc ipsa necessitudo, de qua agitur, Reipublicæ noxia, & periculosa est, non modò quoad salutem animarum, sed etiam quoad pacem, & tranquillitatem politicam, quæ sine unitate fidei conservari nequit. Ubi enim est publica animorum dissentio, quam introducunt hæretici; ibi pax publica esse non potest. Vix firma esse possunt pacis jura inter quos est fidei bellum, ait Ambros. 3. *offi.* Hoc testatur ipsa veritas, cui extant exempla apud Becanum *de fide c.* 15. *n.* 6. Legito Justum Lipsium *in lib. contra Dialogistam de una Relig.* & Joannem Salesterienlem, Episcopum Cartonensem *lib.* 6. *Policrat.* Interim cogita quomodo servabit secundam fidem in contractibus, qui primam Dei, ejusque Ecclesiæ Catholicæ irritam fecit? Itaque, ut verbo quæstioni respondeamus id præcisè Principibus non licet propter periculum subversionis, propter scandalum, propter ipsorum hæreticorum i mprobitatem.

CONSULTATIO CXLIV.

An inferior Episcopo habens jurisdictionem ordinariam procedere possit adversus eos, qui Ecclesiarum suæ ditionis immunitatem violare non verentur?

NEgativè respondendum videtur. Verba enim Con- 1
stitutionis Gregorii XIV. in §. Volumus, apertè determinant, quod in casibus, in quibus Curia sæcularis prætendit confugientem ad Ecclesiam non gaudere immunitate, non possit illum extrahere sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quod solos, & non alios Episcopos inferiores, etiamsi aliàs essent Ordinarii, vel nullius diœcesis, spectet facultas dandi ejusmodi licentiam. Hæc verba sunt perspicua, quod scilicet nullus inferior Episcopo, quamvis habeat jurisdictionem ordinariam, & distinctam nullius diœcesis habeat hanc jurisdictionem, ponderando illa verba *ad quos solos*, & *non alios*, quæ sunt præcisa, & taxativa, excludentia quoscunque inferiores.

Idque adeò verum est, ut Constitutio subdat, quod 2
occurrente casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum vicinorum cognitio devolvatur, & non ad alios. Igitur Constitutio reservat hunc casum solis Episcopis. & excludit etiam Prælatos inferiores, habentes jurisdictionem ordinariam cum proprio territorio, ut denotant illa verba, *In loco exempto*, & *nullius diœcesis*. Quæ segregant dictum locum, seu districtum inferioris Prælati a limitibus diœcesanis, & constituunt illi proprium territorium. Atque ita notavit Gambacurt. *de Immunit. lib.* 6. *c.* 11. & Peregrin. *de immun. c.* 3. *n.* 1. & sub *n.* 18. cum pluribus *seqq.* Et cùm sit casus legis, non est locus dubitationi juxta vulgarem Glos. doctrinam *in l. ancillæ*, *C. de furt.* Equidem illius Judicis est ad pœnas procedere, & super eis cognoscere, cujus majestas fuit læsa, Boer. *dec.* 9. *n.* 14. ubi etiamsi lædatur extra territorium in jurisdictione alterius, Lancel. *de atten. p.* 3. *c.* 27. *n.* 51. & 57. ubi etiamsi aliter Judex esset incompetens, Rot. coram Greg. *dec.* 486. *n.* 7. Sed læsa fuit majestas Episcopi, a quo petenda erat licentia extrahendi personas confugientes. &c. ergo ad ipsam spectat etiam cognoscere, & procedere ad censuras contra violatores. Secundò, quia in d. Const. loco citato datur facultas, & cognitio Episcopis privativè etiam in locis nullius diœcesis, & statim subjungitur clausula, qui capere, extrahere, aut in carcerare non possint, nisi in eo casu, quo ipse Episcopus requisitus culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi assistere, & intervenire recusaverit, &c. Ex quibus verbis patet Episcopo non esse concessam solam jurisdictionem, & cognitionem circa licentiam extrahendi, verùm etiam circa capturam, & carcerationem personæ, & circa assistentiam quando ab Ecclesia extrahitur, vel excarceratur. Unde cùm circa hoc fuerit contraventum, quia personæ dicitur vis inferri, quando res ab ea auferuntur, Carol. de Grass. *eff. cler.* 9. *n.* 95. Ergo ad Episcopum pertinet hæc cognitio privativè quoad alios. Et comprobatur ex recepta conclusione, quod privileginm tribuens alicui jurisdictionem, puta consulibus notariorum, vel mercatorum intelligitur habere locum non solùm in causis artis notariorum, vel mercatorum, sed etiam in omnibus dependentibus, & connexis, ut adnotarunt Bald. *in l. si quis 6. § rationem ad fin.* Jas. *n.* 7. *ff. de edend.* cum aliis adductis in Romana dotis 4. Januarii 1628. coram Durano.

Cùm igitur Episcopus habeat fundatam intentionem, 3
Ordinarius inferior abstinere debet ab hujusmodi causarum cognitione, cùm non constet, an habeat requisita, ne comprehendatur sub hac prohibitione, prout in simili sæpius resolvit Sacra Congregatio Concilii. Nam cùm *in cap.* 20. *sess.* 24. §. *ad hæc reform.* statuatur, quod causæ matrimoniales, & criminales non spectent ad jurisdictionem inferiorum, sed solius Episcopi, quam-

vis in illo textu non ſit ſublata immemorabilis quaſi poſſeſſio cognoſcendi de hujuſmodi cauſis, quam habet inferior, tamen donec hæc immemorabilis, fuerit canonizata per tres conformes, interim ſolus Epiſcopus exercet hujuſmodi juriſdictionem, tanquam reſervatam audientiæ Epiſcopali, ut in declarationibus S. Congregationis ſuper d. c. 20. impreſſas. Ex quo ſequitur vel quod nullo caſu inferior Epiſcopo poteſt habere hanc juriſdictionem, vel ſi aliquo caſu poteſt habere, donec inferior probet requiſita, interim ſolus Epiſcopus debet exercere juriſdictionem.

4 Neque verò cenſendum eſt, ſuppoſita poteſtate in Epiſcopo circa cognitionem cauſæ in articulo juſtitiæ confugientis, poſſe ab ea ſeparari cognitionem in puniendo violatores Immunitatis, ſive hic articulus concernat idem jus principaliter, ſive incidenter ab eo dependeat, ut per Felin. *in cap. ſuper literis num. 20. de reſcript.* Marſil. *ſingul. 251. ad med. & conſil. 84. n. 10.* Mandel. *conſ. 322. n. 24. & 25.* ut ideò fruſtra prætendatur appellatione Ordinarii, qua uſa fuit S. Congregatio, venire Ordinarium loci, id eſt Prælatum exemptum. Nam Conſtitutio in verbis adductis difficultatem hanc removet, exprimendo Epiſcopum, non autem Ordinarium. Tum quia verſamur in materia minus adaptabili inferiori Epiſcopo, & ſic intrat diſtinctio Gloſſæ *in cap. 3. de offic. Ordin. in 6.* Felin. *in c. 1 oſt ceſſionem n. 1. de probat.*

5 Verùm affirmativè reſpondendum eſt. Quoniam explorati juris eſt delinquentes puniendos eſſe ab Ordinario illius loci, in quo delictum commiſſum fuit, *cap. 1. in fin. 3. q. 6. l. ſi cui, §.* Idem Imperator, ubi Gloſſ. *v. deliquerunt*, & poſt eam Bart. *ff. de accuſat. l. fin.* ubi etiam Gloſs. *ff. de noxal. l. 1. & auth. Qua in Provincia, C. ubi de crim. agi opor.* Federic. de Sen. *conſil. 2. num. 6.* Rota Avenionen. *deciſ. 114. n. 2.* Franc. Marc. *dec. 290. n. 1. 24. & ſeq. p. 2.* Menoch. *conſ. 466. n. 17.*

6 Ordinarii autem appellatione comprehenditur non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam inferior habens juriſdictionem ordinariam, Gloſſ. *in c. Ordinarii, v. locorum de offic. Ordin. in 6. & in cap. Quanquam in princ. v. loci Ordinario de uſur. eod. lib. & in Clem. unic. v. loci de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct. & in Clem. 1. v. diœceſanis de jurepatr.* Abb. *in c Poſt ceſſionem in 1. notab.* & ibi Felin. & Decian. *n. 1. & ſeqq. de probat.* Idem Abb. *in cap. Cum olim n. 2. de præſcript.* Navar. *conſil. 2. n. 2. tit. de clandeſt. deſponſat. lib. 4.* Alter. *de cenſur. lib. 5. diſp. 22. c. 6. in fin.* Tamburin. *de jur. Abb. to. 1. diſp. 1. q. 4.* aliique paſſim.

7 Et in terminis quod non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam alii inferiores Ordinarii punire poſſint violatores Immunitatis Eccleſiarum eſt textus, ni fallor, ſatis illuſtris *in c. Ad Epiſcopos* 1714. cujus verba hæc ſunt: *Ad Epiſcopos, cæteroſque direximus juſſionem, ut eos, qui Eccleſias violaſſe perhibentur, acceſſu earum judicent eſſe indignos.* Ponderando illam dictionem *cæteroſque*, quæ nonniſi ad Ordinarios inferiores referri poſſe videtur, ut rectè conſiderat Farinac. *de immun. n. 367.*

8 Non obſtat Conſtitutio Gregorii XV. ſuper immunitate Eccleſiarum, cujus verba retulimus. Quia hic non quæritur, an inferior Epiſcopo dare poſſit facultatem Curiæ ſæculari, ejuſque Judicibus capiendi, extrahendi, aut in carceres conjiciendi in aliquo ex caſibus in d. Conſtitutione permiſſis laicum delinquentem, neque an idem inferior cognoſcere poſſit, utrum caſus, in quo petitur licentia ſit de permiſſis in d. Conſtitutione, ſed ſolùm, an inferior Epiſcopo habens juriſdictionem ordinariam procedere valeat adverſus eos, qui Eccleſiarum ſuæ ditionis immunitatem violarent. Qui caſus eſt longè diverſus ab eo, qui exprimitur in ea Conſtitutione: proindeque diſpoſitio juris communis per hujuſmodi Conſtitutionem immutata dici non poteſt, cùm correctio juris communis nunquam cenſeatur inducta, niſi expreſsè facta reperiatur, *l. Præcipimus in fin.* ubi Gloſſ. *v. Intelligant, C. de appel. c. Cum expediat de elect. in 6.* Alex. *conſ. 25. n. 13. lib. 5.* Roland. *conſ. 80. n. 49. lib. 1.* Cephal. *conſ. 268. n. 67. & ſeqq.* Adeò ut nec etiam per tacitos, & ſubauditos intellectus fieri poſſit, Gloſſ. *in c. Cupientes de elect. in 6.* Alex. *dict. conſil. 25. n. 13.* Grat. *conſ. 26. n. 72. lib. 1.* Cephal. *conſ. 535. n. 19.* Maximè quod Concilium Trident. *cap. 20. ſeſſ. 25. de reform.* dat facultatem animadvertendi in Eccleſiæ violatores etiam Principibus, & Judicibus laicis, atque adeò etiam licitum eſſe debet Judicibus Eccleſiaſticis, licet Epiſcopo inferioribus.

9 Quæ omnia eò faciliùs procedunt, quia propter diſpoſitionem juris communis habemus notiſſimum decretum S. Concil. Trid. cui dicta Conſtitutio Gregoriana non derogat. Nam ea, *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* cavetur, ut cauſæ ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes in prima inſtantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoſcantur per Ordinarium, ut in ſpecie obſervat Vincent. de Franch. *dec. 37. in fin.* Quotieſcunque enim agitur de delicto intelligendum eſt de Ordinario loci delicti, uti eo, qui prævalet omnibus aliis Ordinariis, ſicuti ipſi forus delicti prævalet omnibus aliis foris, in quibus de eo cognoſci poſſet Caſtr. *in d. l. 1. n. 2. C. ubi de crim. agi opor.* Vincen. de Franch. *dec. 37. n. 1.* Theſaur. *dec. 90. n. 4.*

Atque ita ad effectum procedendi contra expoliantes, & extrahentes arma cenſuit S. Congregatio Immunitatis in Melevitana 21. Maji 1631. ex diſpoſitione dictæ Conſtitutionis non impediri, quominus per inferiorem Ordinarium poſſit contra eoſdem procedi, cùm in dicta Conſtitutione reſervetur tantummodo Epiſcopis privativè ad inferiores extractio, & licentia extrahendi, non autem facultas procedendi, ut cum Farinacio, & aliis in puncto fuit aliàs reſolutum ab eadem S. Congregatione in nullius Terræ Orbitelli die 22. Aug. 1628. ponente Reverend. Merlino. Idem cenſuit in una Meliten. die 25. Maji 1638. per hæc verba. *Illuſtre, e molto Rev. come fratello. Potendo il Vicario della Badia del Collegio greco, che ſi ſuppone haver giuriſdizione temporale, e ſpirituale, procedere contro i Violatori della giuriſdizione, e Immunità Eccleſiaſtica per conſervazione di quella, non ſi doveva dal Vicario di V. S. procedere alla dichiarazione delle cenſure contro di eſſo Vicario di eſſa Badia, per lo che come invalida, la potrà rivocare, e dar l' ordine per l' avvenire di queſta conformità, con fare anche dimoſtrazione contro il medeſimo ſuo Vicario, che ricerca error tale, e del ſeguito ſe n' aſpetterà da V. S. avviſo.* Quod & decrevit die 21. Janu. 1659. hunc in modum: Sacr. Congregatio, &c. ſuppoſita juriſdictione Abbatiæ Sanctiſſimæ Trinitatis Meliten. cenſuit, Vicarium illius procedere poſſe pro defenſione violatæ Immunitatis Eccleſiaſticæ contra Miniſtros Curiæ ſæcularis, qui extraxerunt Hyacinthum Monterubeum ab Eccleſia ejuſdem Abbatiæ. Cognitionem verò ſuper extractione, & an extractus gaudeat, vel ne immunitate Eccleſiaſtica ſpectare ad ſolum Epiſcopum. Ac reſcripſit die 16. Decemb. 1653. Vicario præfactæ Abbatiæ. *R. Signore. Quando ſia ſeguito con effetto la total reintegrazione della violata giuriſdizione, e immunità Eccleſiaſtica, per la quale N. N. furono da Voi ſcommunicati, potrete aſſolverli nella forma della Chieſa conſueta con grave penitenza ſalutare, che con la preſente la Santità di N. S. vi communica in ciò la facoltà neceſſaria.* Ideòque cenſeo ſtandum eſſe in decretis, ut contra eoſdem procedatur per Ordinarium loci commiſſi delicti.

CONSULTATIO CXLV.

An cadavera Viatorum advenarum, ſeu perfunctoriè commorantium in Civitate, & ibi morientium, non electa ſepultura, ſepelienda ſint in Eccleſia Cathedrali, eique ſolvenda quarta funeralis, an verò in Eccleſia Parochiali, intra cujus fines, exiſtunt domus, in quibus moriuntur?

DIcendum eſt. Secluſa legitima conſuetudine, aut jure municipali, corpora viatorum hujuſmodi ſepelienda ſunt in Eccleſia Cathedrali. Ita Gloſſ. *in c. Innoſtra de ſepult.* Innoc. & Hoſt. *ibid.* Joan. Andr. *in c. 1. de ſepult.* Lavor. *var. lucubr. tit. 2. c. 11. n. 144.* ubi reſolutionem Sac. Congregationis Epiſcop. & Regul. adducit, quem ſequitur Barboſ. *lib. 2. de jur. Eccleſ. c. 10. n. 35.* Ratio eſt, quia iſti non ſunt veri parochiani Eccleſiæ parochialis, nec ibi tanquam parochiani veri morantur. Non enim omninò hoſpitans in parochia eſt parochianus, ſed qui domicilium ibi habet, ſeu cenſetur habere, *c. fin.* & ibi Abb. *de paroch.* Hoſt. *in ſumm. §. Qui intelligatur parochianus n. 7.* Petr. de Ubald. *tract. de can. port. cap. 7. n. 2. verſ. Ex iis ergo.* Et ideò in ipſa Eccleſia parochiali non ſunt ſepelienda eorum cadavera, ſed in Cathedrali, cujus fiunt quaſi parochiani. Quia Cathedralis eſt parochia univerſalis totius civitatis, & diœceſis, *c. 1. de rapt. & cap. licet in regul. 16. q. 1.* & notant Hoſt. *ſupra n. 3.* Lap. cum Calder. *alleg. 62. n. 4.* Petr. de Ubald. etiam ſupra *c. 1. n. 5. p. 1.* Guttier. *can. q. c. 27 num. 24.* Et proinde ad ipſam ſpectat miniſtrare hujuſmodi advenis Sacramenta, eique deberur quarta funeralis, non autem Eccleſiæ miniſtranti, juxta ea, quæ tradunt Abb. *in cap. Extirpanda, §. Qui verò num. 11. de præb.* Rebuff. *in concord. de collat. §. Statuimus, v. Parochialis*, Novar. *de nov. jur. Pontif. concl. 1. tit. de decim.* Ricc. *in prax. reſol. 291. num. 2. p. 4.* Quia jus ad quartam funeralem ſequitur jus miniſtrandi Sacramenta.

Nec obſtat doctrina Abbatis *in cap. 1. n. 4. de ſepul.* Butrii

trii *n. 9.* Archidiaconi *in cap. 1. de sepult. in 6.* Silvestri *v. sepultura num. 8.* Marescott. *lib. 2. var. cap. 95. num. 19.* Gratian. *discept. 94. num. 73.* Sperelli *decis. 87. num. 13.* Rotæ coram Seraphin. *decis. 1135.* qui omnes asserunt absolutè, quod sepelienda sunt in Parochia, in qua decedunt. Quia jus sepulturæ est consequutivum ad jus administrandi Sacramenta, quando non eligitur sepultura, aut alias non est de jure determinata, ut præter ipsos tradunt etiam Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 23. n. 74.* Rota coram Mantica *decis. 366. n. 2. & in Romana jur. funer. 4.* Julii 1653. coram Zarata. Constat autem, quod jus ministrandi Sacramenta in articulo mortis pertinet ad Parochum quoad omnes, qui sunt in ipsius parochia; itaut non possint ministrari a ministris Cathedralis. Unde etiam ad ipsum spectat jus sepulturæ. Quia licet Ecclesia Cathedralis sit parochia universalis totius Civitatis, & diœcesis, relinquit tamen unisalis cuique parochiæ propria jura ipsarum, quæ non sunt confundenda juxta *cap. 1. 6. quæst. 3. & cap. Nullus 9. quæst. 2.*

3 Nam respondetur, id procedere in forensibus, qui habent in Parochia proprias domos, non autem in viatoribus perfunctoriè transeuntibus. Ex eo enim quod forenses, qui habent domos proprias, sunt moribundi, & recipiunt Sacramenta a Parocho, in cujus parochia reperiuntur, tradunt seipsos in ejusdem manus in ordine ad curanda ea, quæ concernunt salutem æternam. Quare censetur etiam illi commendare corpora sua, succedente morte in ordine ad sepulturam, cùm sepultura quoque Ecclesiastica connumeretur inter spiritualia, quę concernunt salutem animæ, tanquam ordinata ad percipienda suffragia Ecclesiæ. Ergo censetur tacitè ipsos eligere sepulturam in Ecclesia ejusdem Parochi, juxta ea quæ tradunt Abb. *in d. cap. 1. n. 4. de sepult.* Butr. *ibid. n. 9.* Gemin. *cap. 1. de sepult. in 6.* Franch. *ibid.* Silvest. *v. Sepultura num. 8.* Petr. Ubald. *de can. Episc. cap. 6. n. 18.* Quæ non possunt considerari ac concurrere in iis, qui perfunctoriè commorantur, cùm nec domicilium, nec quasi habitationem quodammodo in Parochia acquirunt, ac proinde nullum jus in eos Parochus habere potest, quod per aliquale domicilium acquiritur. Atque ita declaravit Sacra Congregatio Concil. die 15. Junii 1651. in una *Pisaurien.* quartæ funeralis, quod scilicet cadavera viatorum perfunctoriè transeuntium sepelienda sint in Ecclesia Cathedrali, forensium verò, qui habent proprias domos sint sepellienda in Ecclesia parochiali, intra cujus fines existunt domus, in quibus moriuntur.

CONSULTATIO CXLVI.

An Religiosi post expressam professionem extra Monasteria ad receptionem Novitiotum designata perseverantes ultra annum in eadem Religione absque reclamatione, seu protestatione habitum professorum gestantes, & cætera omnia, prout alii Religiosi professi peragentes, sint eidem Religioni in specie, vel in genere adstricti, non obstantibus sanct. mem. Clementis VIII. Decretis cum clausula sublata, & Decreto irritante?

1 EX Decreto sanct. mem. Clementis VIII. quo prohibetur Regulares recipi, & admitti ad professionem extra Monasteria, sive Conventus, & domos per S. Sedem pro Novitiatu non designata, declarando receptiones, ac professiones extra illa factas, irritas, & nullas, tria proponuntur dubia discutienda. Quorum

2 Primum est, An in eo comprehendantur Regulares extra Italiam recepti, & admissi?

3 Secundum, An intra Italiam recepti extra loca designata, qui post professionem expressè emissam in Religione non perseverarunt per annum, & diem, vel si per annum completum in ea non voluntariè, sed cum reclamatione perseverarunt, possint a Religione exire, vel ejici?

4 Tertium, An recepti, & admissi, qui per annum completum post professionem extra loca designata contra Decretum invalidè, & nulliter emissam in Religione perseverarunt absque aliqua protestatione, seu reclamatione, assumendo, & gestando habitum professorum, ac exercendo alios actus ad inducendam tacitam professionem requisitos, censeri debeant Religioni adstricti, ita ut non possint ex illa exire, nec ejici?

5 Quantum attinet ad primum, indubitatum videtur, Regulares extra Italiæ, & Insularum adjacentium fines existentes in decreto non comprehendi. Quia cùm illud sit restrictum ad Regulares intra Italiam existentes, ad alios extra eam extendi minimè debet, ex quo deficientibus verbis Constitutionis, illius dispositio pariter cessare debet, *vulg. l. 4. §. toties*, ubi Paul. & alii *ff. de damn. infect.* & cùm Constitutio sit limitata ad Italiæ loca, non debet extra illa extendi, *l. illam, C. de collat.* Aym. *cons. 90. n. 2.* Franch. Becci, *cons. 35. n. 4.* Card. Seraph. *dec. 911. n. 2. & 3.*

Et in specie, quod stantibus illis verbis Decreti: *Intra Italiam, & Insularum adjacentium fines*, illud ad Provincias extra existentes non extendatur, probatur ex text. *in l. fin. ff. de offic. Præfect. Urb.* ubi jurisdictio Præfecti Urbis limitata ad illius terminos, cùm extra Urbem exierit, extra illius terminos, hoc est centesimum milliarum, non extenditur. 6

Prout etiam indubitatum est in Decreto comprehendi omnes Regulares intra Italiam, & Insularum adjacentium fines existentes, ut sunt verba clara ejusdem Decreti, & satis fuisset etiam si solùm Italiæ fines expressi forent, ex quo Italia non solum ad Provincias in ea existentes, sed etiam ad Insulas adjacentes extenditur, ut est text. *in l. notionem 94. ff. de verb. signif. & in l. 1.* juncta Glos. *verb. Italiam, ff. eod. tit. de offic. Præfect. Urb.* 7

Quantum ad secundum, negativè absque etiam controversia respondendum videtur. Quia Regulares extra loca designata, & contra Decretum recepti, & admissi, non sunt Religioni adstricti, ita ut non valeant ab ipsa exire, vel ejici, nec in vim professionis expressè, neque etiam tacitè, juxta propositum casum. 8

Nam in vim professionis expressæ non censentur in aliquo obnoxii, cum in ipso Decreto statuatur, ac declaretur *Professionem contra illius formam emissam, nullam, & irritam esse ad quemcunque effectum, ut in §. Receptiones verò, & Professiones, &c.* Decretum enim irritans operatur, ut quicquid contra Constitutionem, cui est adjunctum, actum fuerit, sit nullum, & pro nullo declarari debeat, ut indicant illa verba, & probatur ex textu *in c. si postquam, de elect. in 6.* & latè per Prob. *in c. Tibi, qui, n. 9. de rescript. eod. lib. 6.* Gabriel. *concl. 3. n. 56.* & fuit decisum *in Calaguritan. Beneficii* Sanctorum Jacobi, & Andreæ 26. Februarii 1603. coram Lita, & alias plures. Et quidem nullum est ipso jure, *cap. penult. de præbend. in 6.* Gabriel. *d. concl. 3. num. 57. de clausul.* 9

Et licet Decretum sit conditionale, videlicet, casu, quo professio emissa fuerit extra loca designata, idem nihilominus operatur. Quia suspenditur ejus effectus usque ad casum purificatæ conditionis, & tunc operatur nullitatis effectum, *Clem. 1.* & ibi Glos. *verb. per ordinariam*, & Doctores communiter, *de præben.* latè Gabr. *concl. 3. n. 46.* non obstante illa dictione, *Ex nunc, &c.* in Decreto appositа, quæ sanè intelligenda est pro ut ex tunc, sequuto actu contrario, Cassad. *dec. 3. n. 15. de præbend.* Gabr. *in alleg. concl. 3. num. 47.* 10

Unde professio resolvitur perindè ac si non fuisset emissa, cùm nullum prorsus operetur effectum, Prob. *in d. c. Tibi, qui, n. 18. de rescript. in 6.* & idem Gabr. *in eod. concl. 3. n. 56.* & fuit dictum *in Taurinen.* Beneficii 28. Maji 1584. coram Oratio. 11

Neque istos Regulares censeri potest fore Religioni obnoxios in vim tacitæ professionis, ex quo in ea non perseverarunt per annum completum cum habitu Monachali, seu per Religiosos gestari solito, & quidem in Monasterio, in quo habitus sunt indistincti. Nam ante annum completum non potest dici emissa professio tacita in Monasterio, in quo habitus sunt indistincti, juxta textum *in c. ex parte de Regular. & in c. 1. §. qui vero, eod. tit. in 6.* quamvis ubi habitus sunt distincti, Regularis assumens habitum professorum, ac exercens actus ab eis fieri solitos, & concurrentibus aliis signis, ex quibus manifestè constet voluisse vitam mutare, etiam ante annum censeri potest tacitè professus, ac inde non potest ampliùs è Religione exire, neque ejici; ut est textus *in c. statuimus, de regular. & in c. non solum*, & utrobique Doctores omnes tradunt *eod. tit. in 6.* estque bona Glos. *in d. cap. ex parte, verb. per annum, eod. tit.* Et licet dicatur, tacitam tribus modis emitti, nempè, primò, per exercitium actuum, qui ad solos professos pertinet; secundò, ex delatione habitus per triduum distincti ab habitu Novitiorum, tertiò, per delationem habitus indistincti per annum, & diem, ut per Sylvest. *in summa, verb. Religio 3. num. 19.* & Navar. *in comm. 4. de Regular. n. 73. & seq.* hæc tamen intelligenda videntur secundùm terminos præallegatos. 12

Quantum denique ad tertium, quamvis fundamenta quamplura pro affirmativa possint adduci, quæ valdè illam comprobare videntur, attamen non desunt alia, quæ pro negativa considerari possunt, in quam, nisi illis congruum detur responsum, potiùs inclinandum videtur. 13

Et quidem primò, videntur valdè pro negativa urgere verba 14

verba decreti irritantis in eadem Conſtitutione Clementis appoſita ſub illis verbis univerſalibus, nimirum: *receptiones verò, & profeſſiones quaslibet, &c. irritas, & nullas, &c. ex nunc decernit, & declarat.* Nam licet quando Pontifex ſpecificè in ſua Conſtitutione non irritat profeſſionem tacitam, illa non videatur ſublata, quia talis caſus, tanquam omiſſus, remanet in diſpoſitione juris, *cap. ſuſceptum de reſcript. in 6.* Caputaque *dec. 214. n. 5. p. 2.* & in individuo tradit Roder. *q. regular. q. 27. art. 1. in fin.* cùmque Conſtitutio iſta ſit contra jus, ſecundum quod receptio, & admiſſio in quolibet Monaſterio admitti poteſt, immò etiam in manibus Epiſcopi juxta tradita per Calderin. *conſ. 23. de Regular.* illa in dubio intelligenda eſt, ut minùs quàm fieri poſſit corrigat jus commune, *trita l. præcipuus, C. de appell. cap. cum dilectus*, & ibi Gloſ. *verb. nec jure communi*, & Abb. *n. 6. & ſeq. de conſt. cap. inter dilectos, de fide inſtrum.* Rota *diverſ. dec. 475. n. 5. p. 1.*

15 Id tamen non procedit, quando Papa voluit utramque profeſſionem irritare, ſicuti in decreto Clementis conſpicitur ex illis verbis univerſalibus: *quaslibet profeſſiones.* Ita *l. quacunque ratione, ff. de procurator, l. quacunque, ff. ſi quis in jus vocat. non jer. c. quamvis*, & ibi Gloſs. *verb. quaslibet, de elect. in 6.* cum ſimilibus. Quæ ſanè utramque profeſſionem includunt, cum verba univerſalia in caſu iſto reſtrictionem non recipiant, *cap. ſolitæ, verb. quodcunque ligaveris*, & ibi Abb. *ult. notabil. de majorit. & obed. cap. ſi tibi abſenti*, & ibi Archid. *verb. quicunque, de præbend. in 6. l. fin.* & ibi Gloſ. *verb. per quamcunque, C. qui legitim. perſon. ſtan. in judic. hab.* traditque Roman. *conſ. 31. num. 2.* ubi alios congerit Mandoſ. *in addit.* & latè Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. Gloſs. 7. n. 22. cum ſeq.* Dec. *conſ. 113. n. 4. & conſ. 529. n. 2. & conſ. 599. n. 4.* Oſaſch. *dec. Pedem. 102. num. 4.* ac Seraph. *dec. 980. n. 8.*

16 Verba enim hæc univerſalia includunt etiam ea, quæ aliàs non comprehenduntur, & per eundem Seraphin. *ibid.* & cenſuit Rota *diverſ. dec. 791. n. 10. p. 1.* ſubdens illa excludere interpretationem reſtrictivam.

17 Quod procedit etiam ſi materia foret odioſa, ac ſtrictè interpretanda, attenta ejuſdem dictionis, *Quaslibet*, univerſali efficacia, Calderin. *conſ. 1. de conſangu. & affinit.* Aym. *conſ. 118. n. 12.* Rota *diverſ. dec. 233. n 9. & 28. p. 1. & dec. 174. n. 13. p. 2. in rec.* Et fuit latè deductum, & jam deciſum *in Cæſarauguſtana Penſionis* 18. Junii 1610. coram Lancellotto.

18 Secundò, concurrit identitas rationis in utroque caſu; ut non recipiantur, nec admittantur Regulares in aliis Monaſteriis, quàm deſignatis ob commune bonum reformationis Religionis, ac reductionis ad primævum inſtitutum. Unde cùm eadem ratio militet in tacita, quę in expreſſa, non debet diverſum jus conſtitui, *l. Illud, ff. ad l. Aquil. l. a Titio, ff. de verb. obligat.* Conſtitutio enim includit caſus etiam non expreſſos, quando in illis eadem militat ratio, *c. inter corporalia*, & ibi omnes, *de tranſlat. Epiſcop.* & firmat Rota *dec. 21. ſub n. 2. de præbend. in nov.* Tunc enim non ſumus in terminis extenſionis, ſed comprehenſionis, ut latè per Ruin. *conſ. 4. num. 9. cum pluribus ſeqq. lib. 1.* Rota *diverſ. deciſ. 182. n. 2. p. 4.*

19 Et hoc procedit etiam in pœnalibus, præcipuè quando Conſtitutio continet pœnam favore Religionis, ſive Eccleſiarum. Quo caſu Conſtitutio, ſi opus foret, extendi quoque poſſet ad caſus, in quibus eadem militat ratio, Mantic. *dec. 261. n. 2.* & præcipuè ſtantibus verbis univerſalibus, quæ ſunt apta comprehendere utramque profeſſionem, Seraph. *d. dec. 980. n. 8.*

20 Tertiò, eadem ſententia videtur comprobari ex Conſtitutione Sixti V. declaratoria ejus Conſtitutionis contra illegitimos, & ſuper modo, ac forma recipiendi, & admittendi Religioſos, nempè in capitulo Generali, vel Provinciali cum ſtatuta informatione, qua in ſpecie, attento quod eadem ratio militabat in profeſſione tacita, quæ erat in expreſſa, utramque profeſſionem eorum, qui contra illius formam fuerint recepti, & admiſſi, irritavit. Quare & eadem ratione cenſendum erit, Clementem voluiſſe utramque profeſſionem irritare. Argumentum enim a veriſimili optimum eſt, *c. quàm veriſimile, de præſumpt. l. non eſt veriſimile, ff. quod ex met. cauſ.* ſicuti etiam argumentum a ſolitis multum confert ad declarandam Pontificis intentionem, Abb. *in c. 1. nu. 4. de Cler. non conjug.* Bald. *in cap. 1. in 2. lect. n. 7. de judic.*

21 Quartò, Decretum iſtud Clementis prohibens receptionem, & admiſſionem Regularium extra Monaſteria, & loca deſignata, certum eſt, quod inducit novam formam ſuper illorum receptione, & admiſſione. Tum quia quotieſcunque aliquid exquiritur, ultra quod a jure communi requiritur, illa inducta cenſetur, Felin. *in cap. cum dilecta num. 34. de reſcript.* Rebuff. *ſuper concordat. tit. form. mand. Apoſt. in princ.* Surd. *conſ. 124. n. 3. & dec. 268. n. 10.* Tum quia eſt conceptum per illa verba negativa, *Niſi, &c.* Soc. *conſ. 15. ſub num. 47. lib. 1.* Tum etiam quia in illo eſt appoſitum Decretum irritans, per quod pariter cenſetur inducta forma, Felin. *in d. c. cum dilecta, de reſcript.* Bald. *in l. 1. n. 3. ff. de libert. & poſth.* Rebuff. *loco prælegato*, Socin. Jun. *conſ. 71. nu. 23. lib. 1.* Greg. XV. *dec. 395. num. 6.* & in terminis nullitatis profeſſionis ob non ſervatam formam Conſtitutionis Sixti V. fuit deciſum *in Toletana profeſs. 29.* Februarii 1595. coram Pamphilio, quod ſecuta eſt Rota *diverſ. dec. 175. n. 4. p. 1. in rec.*

Quare ſi profeſſio expreſſa alibi, quàm in locis deſignatis emiſſa, irritatur, neceſſariò videtur & irritari tacita, quia cum conſenſus profitendorum formaliter requiratur in illis locis deſignatis, utique ratificatio, quæ oritur ex profeſſione tacita debet pariter eſſe formalis, nec ſufficit, quod fiat extra Monaſteria non deſignata. Nam & in ſimili in reſignatione, in qua conſenſus formalis requiritur in camera, vel Cancellaria, ratificatio debet quoque eſſe formalis, nec ſufficit, ſi fiat extra Cameram, vel Cancellariam, ut eſt deciſio Put. 111. *lib. 3.* Cott. *in miſcel. 400.* & ſequitur Mantic. *dec. 21. n. 12.* Greg. XV. *dec. 395. n. 14.* & fuit deciſum *in Hiſpalen. & Corduben. Præſimoniorum* 1. Julii 1592. coram Gipſio, & alibi ſæpè. 22

Quod ratione confirmatur. Nam eadem forma, quæ requiritur in actu expreſſo, ut valeat, requiri debet in illius ratificatione, *l. ſi ut proponis, C. de nupt. l. ſi nuptiæ, ff. de rit. nupt.* Rom. *conſ. 12. n. 6.* Tiraquell. *de conſanguin. §. 1. gloſs. 10. n. 87.* Menoch. *conſ. 2. n. 297. lib. 1.* Rota *diverſ. dec. 160. n. 4. p. 1. in rec.* 23

Et in terminis matrimonii contra formam Sac. Concilii contracti eſt deciſio Greg. XV. *395.* præſertim *nu. 11.* allegans ad id declarationem S. Congregationis Concilii, & firmans matrimonium metu contractu non poſſe, illo ceſſante, ratihabitione convalidari; ſed requiri novum utriuſque conjugis conſenſum, atque, ut denuò cum ſolemnitatibus a Concilio requiſitis contrahatur, ut plenè poſt Navarr. *conſ. 14. de ſponſal.* comprobat Surd. *conſ. 364. num. 45. lib. 3.* 24

Itaque dum conſenſus Regularium requiſitus in expreſſa profeſſione non admittitur extra loca deſignata, neque etiam admitti poteſt ratificatio per conſenſum præſtitum in tacita extra alia monaſteria non deſignata ex allegatis. In iis enim, quæ ſunt de forma, ſervandus eſt rigor, Ruin. *in rubr. ff. de nov. oper. nunciat. n. 9.* Rota *diverſ. dec. 165. num. 2. part. 1. in rec.* 25

Denique præmiſſa comprobantur ex eo, quod tacitè profeſſus ex geſtatione habitus profeſſorum cum aliis requiſitis præſumitur ex tunc Religionem aſſumptam veraciter eſſe profeſſum, ut eſt text. *in c. 1. §. qui vero, de Regular. in 6.* 26

Quod ſanè in caſu propoſito minimè evenire poteſt, quia cum receptio, & admiſsio nulla in decreto ab initio declaretur, non poteſt dari retrotractio ad tempus receptionis, & admiſsionis, & ſic initii, ſicut requiritur ad hoc, ut actus retrotrahatur, ut plenè probat Surd. *d. conſ. 364. num. 45.* 27

Et conſequenter ſicuti profeſsio expreſſa non potuit extra loca deſignata admitti; ita nec tacita. Quia ratihabitio profeſsionis expreſſæ ab initio nullæ, non poteſt valere, ut ex tunc, cùm ſolùm operetur validitatem, ut ex nunc, ex quo ratificatio actus nihil nil aliud eſt, quàm novus actus, ut ſic non valeat ut ex tunc, ſed ut ex nunc, Greg. XV. *d. dec. 395. n. 10.* Rota *diverſ. dec. 557. n. 3. p. 1. rec* Surd. *deciſ. 69. n. 12. cum ſeq. & n. 15.* 28

Neque ex his videntur refragari in contrarium deducta. Nam quoad primum, & principale fundamentum allegatum, quod profeſſio tacita non ſit ſublata, ex quo illa in Decreto Clementis ſpecificè non irritatur, & ſic caſus iſte remaneat in diſpoſitione juris communis, *d. c. ſuſceptum, de reſcript. in 6.* Roderic. *q. regul. q. 27. art. 1. in fin.* illud videtur omninò tolli, ex quo apertè patet, Papam voluiſſe illam irritare ex illis verbis univerſalibus appoſitis in Decreto irritante, videlicet: *Profeſſiones quaslibet, &c. nullas, & irritas eſſe ex nunc decernit, & declarat, &c.* quæ ex eorum vi, & efficacia utramque profeſſionem includunt, & nullam reſtrictionem patiuntur, *d. c. ſolitæ, verb. quodcunque ligaveris, de majorit. & obed* Rom. *in alleg. conſ. 31. n. 2.* Seraph. *dec. 980. n. 8.* cum aliis ad id ſuperiùs allegatis. Verba enim univerſalia operantur, ut non ſolùm ea includantur, quæ ex propria ſignificatione venire ſolent, ſed etiam quæ ſub ſimplici ſermone, & indefinitè probata non venirent, Dec. *conſ. 472. n 3.* Ruin. *conſ. 32. n. 5. lib. 2.* Greg. XV. *d. dec. 257. n. 3.* cum aliis etiam prælegatis. 29

Præ-

30 Præterea cum militet eadem ratio communis boni Reformationis Religionis, ac Reductionis ad primæva instituta; propter quam fuit prohibitum, ne recipiantur, nec admittantur Regulares ad professionem in locis non designatis in tacita professione, quæ militat in expressa; sicuti in Decreto fuit irrita declarata professio expressa, ita & pariter debet irrita censeri tacita, quamvis in eo non fuerit specificè expressum. Quare illud includit casus etiam non expressos, dummodo in eis militet eadem ratio, *d. cap. inter corporalia, de translat. Episc.* Rota *d. dec.* 21. *sub num.* 2. *de præbend. in nov.* Et in hac re non sumus in casu extensionis, sed comprehensionis, ut plenè probat Riminald. *d. cons.* 4. *nu.* 5. *cum aliis seqq. lib.* 1. & habet locum etiam in pœnalibus, maximè quando pœna inducta est favore Ecclesiarum, sive communis boni Religionis, ut hic, quod tradit Mantic. *d. dec.* 261. *numer.* 2. & diximus supra.

31 Neque ex his refragatur, quod in Decreto Sacri Concilii Trid. *c.* 15. *sess.* 25. irritatur professio ante annum decimum sextum completum, & probationis emissa, & tamen non censetur in eo sublata tacita professio, eo quo specificè in eo non fuit expressa, Navarr. *cons.* 35. *num.* 5. *de regul.* Mirand. *in manual. Prælat. quæst.* 24. *artic.* 12. & comprobat Honded. *consil.* 78. *numer.* 22. *lib.* 2. & sæpiùs Sac. Congregatio censuit, ac sequuta est Rota *diversi. dec.* 175. *num.* 3. *p.* 4. *rec.* & fuit etiam resolutum *in Ulysibonen.* professionis 10. Decembris 1621. coram Merlino.

32 Nam hoc non videtur benè posse applicari in proposito casu, ex quo in decreto Concilii *d. c.* 15. *sess.* 25. irritatur professio simpliciter; sed in Decreto Clementis irritatur professio per illa verba universalia: *Quaslibet professiones*; quæ latius patent, & ex vi sua, & efficacia comprehendunt utramque professionem, ut plenè superiùs firmatum est.

33 Præterea professio per minorem sexdecim annorum, & ante annum probationis emissa, non est omninò nulla, sed tunc demum, si ipse major effectus noluerit in Religione perseverare, & sic ipse voluerit illam nullam esse. Ex quo si voluerit perseverare, & ratam habere tacitè profitendo, potest per ipsum convalidari, ita ut ex postea non valeat amplius è Religione exire, nec ejici, ut est textus *in c. Vidua, & c.* 1. *ex parte de Regul. & c.* 1. *§. qui verò, eod. tit. lib.* 6. Bero. *in c. in præsentia, n.* 564. *de probat.* Honded. *d. cons.* 78. *n.* 21. *lib.* 2. & pluries Sacra Congregatio Concilii censuit, & fuit dictum in allegata *Ulysibonen. professionis* coram Merlino, & frequenter alibi.

34 At secus est quando nullitas professionis non pendet a voluntate Religiosorum profitendorum, ut est in proposito casu decreti Clementis, qui prohibuit receptionem, & admissionem in locis non designatis ob commune bonum Reformationis Religionis. Nam hoc casu cùm convalidatio nullitatis professionis non pendeat a voluntate profitendorum, sed requiratur insimul voluntas, & consensus Superiorum, cùm professio censeatur contractus ultrò, citròque obligatorius, *c. ad Apostolicam*, & ibi omnes *de Regul.* Ruin. *cons.* 128. *n.* 3. *lib.* 1. Tiber. Decian. *cons.* 18. *n.* 10. *lib* 3. Sylvest. *in summ. verb. Religio* 3. *q.* 5. *n.* 5. *& verb. Religio* 4. *vers. patet oratione*, &c. Utique nullatenus potest sufficere convalidatio professionis expressæ nulliter per eos emissæ, quæ inducitur per novum consensum profitentium, ex tacita eorum professione resultantem secundùm plenè allegata, Surd. *dec.* 69. *n.* 19. *& seq. & n.* 22. *& 24.*

35 Item quando nullitas professionis non est omninò nulla, sed pendet a voluntate profitentium benè potest ratificari per tacitam, non obstante Decreto Concilii *d. c.* 15. *sess.* 25. & ita procedunt declarationes Sacræ Congregationis, & alia contraria. Secus autem est, quando professio est omninò, ac ipso jure nulla ex defectu formæ in decreto Clementis inductæ secundùm superiùs allegata. Quoniam tunc nullo modo potest convalidari per tacitam professionem. Quia cùm illa censeatur nova professio, & ea propter requiratur novus consensus, utique illa non potest ratificari emittendo tacitam professionem extra Monasteria, & loca non designata, & retrotrahi, ut ex tunc, cùm in hoc casu sit requisita eadem solemnitas, quæ requisita est in professione expressa, ex quo censetur novus actus, non ut ex tunc, sed ut ex nunc, Surd. *d. dec.* 69. *n.* 12. 15. 21. *& 22. cum aliis seqq.* Rota *diversi. dec.* 557. *n.* 3. *p.* 1. *rec.* Greg. XV. *dec.* 395. *num.* 10. jam allegata.

36 Non obstat, quod decretum irritans appositum in Constitutione Clementis, uti accessorium intelligi debeat secundum ea, quæ sunt disposita, Gabriel. *concl.* 2. *num.* 82. *de clausul.* cum aliis, quæ ad id allegari possunt. Quia benè procederet quando in dispositiva fuisset solùm irritata professio simpliciter. Quod secus est, in casu isto, ex quo in eodem decreto irritatur utraque professio indispositiva per illa verba universalia, quæ clarè includunt quancunque professionem, sive expressam, sive tacitam, ut superiùs plenè probatum est. Nam cùm ex hujusmodi verbis universalibus, & aliis jam deductis manifestè appareat de voluntate Papæ irritandi utramque professionem, nihil est de ejus potestate dubitandum, Cott. *in miscel. decis.* 599. Præcipuè cùm indubitati juris sit, posse Papam in specie professionem Religionis, certa forma non servata, irritam reddere, ac etiam statuere, ne rata fiat, ut patet ex textu *in d. cap. ad nostram, cap. significavit, & cap. quia in Insulis, de Regular.*

37 Denique non obstat, quod ad inducendam tacitam professionem non sit requisita probatio scientiæ nullitatis professionis expressè antèa emissæ secundùm sententiam, quam Sacra Congregatio probavit in pluribus declarationibus. Nam de hoc non erit ad præsens agendum, quamvis contrariam opinionem amplexa fuerit Rota, ut habetur *in dec.* 705. *n.* 3. & 4. *part.* 2. *rec. & dec.* 179. *num.* 2. *p.* 2. *in rec.* Quia in Decreto Clementis ostensum est, irritam reddi utramque professionem, & sic non posse expressam convalidari per tacitam professionem emissam extra Monasteria, & loca designata, & proindè forma in eo tradita non servata, ex superiùs jam allegatis.

38 Nihilominus circa propositam difficultatem, quoad receptos, & professos intra Italiam distinguendum est inter illos, qui post professionem expressam ex dicto Decreto invalidè emissam voluntariè absque reclamatione per annum completum, & ultra in Religione perseverarunt cum habitu professorum exercendo actus fieri solitos a Professis, ac inter illos, qui post professionem expressam, vel non continuarunt in Religione per annum completum, vel si per annum, non voluntariè, sed cum reclamatione, & non concurrentibus aliis de jure communi requisitis ad professionem tacitam inducendam. Nam in istis, in quibus cessat professio tacita a jure inducta, succurrendum erit remedio per ipsummet Clementem VIII. observato, nec non ab Urbano VIII. in Brevi noviss imè edito, scilicet dispensatione cum his omnibus; qui contra formam dicti Decreti fuerunt professi, emissa per eosdem de novo professione, istorumque voluntas procuranda erit, liniendo illorum animos Christiana charitate, & prudenti dexteritate, ac rationibus, ut potissimùm evitentur inquietudines, scandala, jurgia, & similia.

39 Primi verò, qui per annum, & ultra in Religione, ut supra perseverarunt, censeri debent Religioni ex tacita professione adeò adstricti, ut prætextu nullitatis receptionis, & professionis ex dicto Decreto non possint ab ipsa Religione exire, vel ejici, *cap. Vidua, cap. ex parte de Regular.* & clariùs *cap.* 1. *cum ibi adnotatis eod. tit. in* 6. Vitalin. *in Clem. eos, num.* 24. 25. *& 28.* ubi Cardinalis *num.* 4. *in fin. eod. tit.* qui firmant nullam in contrarium admitti probationem.

40 Et hæc conclusio procedit, non obstante nullitate præcedentis expressè professionis vigore ejusdem decreti, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in sequentibus declarationibus, in quarum casibus professiones præcedentes expressæ erant irritæ ex Decreto ipsius Sacri Concilii *cap.* 15. *sess.* 25. *de reg.*

Die 28. Martii 1578. *Sacra Congregatio Concilii censuit, licet professio expressa fuerit nulla; ex quo tamen post expletum annum decimum sextum permansit in habitu per tres, vel quatuor annos, censeri feciſſe tacitam professionem.*

Die 6. Novembris 1621. In una Romana, *Sacra Congregatio Concilii, inhærendo declarationibus aliàs factis censuit, Joannem Petrum esse tacitè professum, & Religioni adstrictum, etiamsi non probetur, ipsum habuisse scientiam individuam nullitatis professionis expressæ ab eo prius emissæ.*

Die 13. Januarii 1583. *Dubitatum fuit, an si aliqua mulier ignara Decreti sacri Concilii cap.* 16. *sess.* 25. *de Regular. professionem emiserit ante decimum sextum annum, & postea illo expleto per duos annos permanserit in Religione, teneatur facere de novo professionem expressam, an verò sufficiat tacita, quæ a jure præsumitur? Sacra Congregatio respondit, sufficere tacitam.*

In una Hispalen. *Sacra Congregatio censuit, professionem Oratoris expressam, factam ante annum probationis, esse nullam, ideòque ipsum non esse districtum Religioni, nisi tantum tempus lapsum esset, ut concurrentibus his, quæ de jure communi requiruntur, tacitam in eo Monasterio professionem emisisset.*

41 Idem censuit in Romana 28. Augusti 1621. ac sæpè alibi.

42 Siquidem cum dictum Decretum Clementis VIII. explicitè non loquatur de professione tacita, neque illam specificè irritet, sicuti ratione non specificæ irritationis hujusmodi professio tacita non fuit sublata a Sacr. Concilio Tridentino *d. c.* 15. ex supra allegatis declarationibus, & firmat Roder. *qu. regul. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 1. *in fin.* Mirand. *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 24. *art.* 12. *post med.* & clariùs censuit eadem Sacra Congregatio in sequentibus declarationibus.

Sacra, &c. *censuit c.* 15. *sess.* 25. *de Regular. non sufficere tacitam professionem, quæ inducitur per annum, & diem computandum post decimum sextum annum perfectum ejus, qui Monasterium ingressus est.*

In una Comen. Sacra, &c. *censuit tacitam professionem a decreto c.* 15. *sess.* 25. *de regul. non esse exclusam concurrentibus ad tacitam professionem de jure requisitis.*

Idem in Cremonen. in Venetiarum, ac in plerisque aliis.

43 Ita pariter sublata non censetur a Decreto Clementis VIII. quod specificè de ea non loquitur, nec illam specificè irritat, sed uti casus omissus remanet in dispositione juris communis juxta *c. Susceptum, de rescript. in* 6. ut in simili firmat idem Roderic. *d. art.* 1. *in fin.* & *art.* 2. ejusdem quæstionis.

44 Ultra quod licet post Cajet. tenuerit Navarr. *in sua manual. c.* 12. *nu.* 71. & *in Commentar.* 4. *c. Statuimus, nu.* 76. *de Regul.* cum concordantibus, requiri scientiam nullitatis professionis præcedentis; nihilominus istorum opinionem Sacra Congregatione Concilii habuit pro non tuta, & semper negativam approbavit *in supradictis declarationibus*, cui in hac materia respiciente dispositionem sacri Concilii omninò deferendum est, præsertim cum eadem declarationes novissimè in una Romana nullitatis professionis Monachi S. Bernardi prima Februarii 1631. Urbanus VIII. jusserit observari.

45 Immò in fortioribus terminis procedunt supradictæ declarationes ea ratione, quod Sacrum Concilium, dum in sequenti capite præcipit, ut finito anno, ingressi vel ad professionem admittantur, vel ejiciantur, quodammodo videtur tollere tacitam professionem, & nihilominus non dicitur sublata, quia non fuit de illa mentio specificè facta.

46 Nec repugnat virtus annullativa Decreti irritantis appositi in eodem Decreto Clementis, cum idem legatur *in c.* 19. Sacri Concilii, ibi: *professio autem aliter facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c.* Felin. & alii allegati coram Greg. XV. *dec.* 384. *num.* 9. Quo Decreto irritante non obstante, ut supra dixi, professio tacita non censetur sublata; quia Decretum irritans uti accessorium ad præcedentem dispositionem, non operatur ultra expressa ex doctrina Geminiani *in c. præsenti in princ. de offic. legat. in* 6. Gabriel. *de claus. concluf.* 3. *num.* 35. Rota *decis.* 300 *in fin. lib.* 3. *part.* 3. *divers.* & *decis.* 652. *num.* 3. *part.* 3. *in recept.* & *in Corduben.* 24. Maji 1596. coram Corduba.

47 Adeò ut sufficiat sola dubietas, an dispositio intret, Rota *in Baren. seu Nullius Prioratus post med.* coram Sacrato, registrata a Marchesano *de commiss. p.* 1. ubi aliæ decisiones concordantes allegantur.

48 Et in simili censuit Sacra Congregatio Concilii in una Neapolitana anno 1607. scilicet, quod per Constitutionem Sixti V. in ordine 7. annullantem cum Decreto irritante receptionem, & professionem illegitimorum, &c. non censetur derogatum dispositioni Sacri Concilii *c.* 19. *sess.* 25. *de Regul.* & tamen in dicta Constitutione non fuit de illo facta specifica mentio. Eadem igitur ratione per Decretum Clementis non præsumitur derogatum dispositioni juris communis admittentis tacitam professionem, de qua in eodem Decreto nullam mentionem fecit explicitam.

49 Secundò, nec obstat, quod Sacrum Concilium *c.* 19. *sess.* 25. *de Regul.* admittat infra quinquennium commissionem causæ nullitatis professionis. Nam procedit quando datur probatio reclamationis reiteratæ, & sufficientis ante professionem tacitam inductam ex deductis per Roderic. *qu. regul. tom.* 3. *qu.* 17. *art.* 15.

50 Nec ex eo, quod quis admittitur ad discussionem causæ nullitatis professionis, sequitur, quod professio tacita declarari debeat nulla, quando ante reclamationem fuit sequuta ex actibus de jure communi ad illam requisitis, ut firmat idem Roderic. *d. art.* 15. & censuit Sacra Congregatio in sequenti declaratione, quæ habet concordantes. In una *Neapolitana* 3. Aprilis 1621. Sacra, &c. *respondit, Oratorem videri tacitè professum, ac propterea restitutionem petitam adversus professionem non esse illi concedendam.*

Ulterius nec obstat, si dicat ad hujusmodi professionem tacitam inducendam requiri probationem scientiæ nullitatis præcedentis professionis expressæ tàm in Superioribus Religionum, quàm in ipsis professis. Siquidem hujusmodi scientia ab anno 1624. redditur indubitata, dum in Decreto *de Apost.* & *eject.* jussu Urbani VIII. publicato sub pœnis gravissimis, demandatur, ut dictum Decretum Clementis semel, atque iterùm saltem singulis annis legatur in publica mensa singulorum Monasteriorum, seu Conventuum, vel Domorum Regularium, ex quibus probatur plusquam sufficiens notitia. 51

Et hæc opinio nititur authoritatibus, & rationibus, ni fallor, irrefragabilibus. Nam textus *in c.* 1. *de Regul.* in 6. non obstante nullitate professionis præcedentis expressæ, disponit, induci tacitam professionem absque eo, quod requirat aliquam scientiam dictæ nullitatis. 52

Prout eadem Sacra Congregatio Concilii in pluribus aliis declarationibus simpliciter censuit sufficere tacitam professionem supervenientem sine expressione scientiæ requisitæ ad nullitatem professionis expressè priùs emissæ. 53

Hoc idem confirmatur, dum in matrimonio carnali ignorantia impedimenti illud dirimentis non invalidat ipsum matrimonium, si sequatur actus illud ipsum inducens, ut post Anchar. *in c. ratificationem, col.* 4. *de regul. jur. in* 6. Sotum & alios firmat Sanch. *de matr. lib.* 2. *disp.* 36. *sub num.* 2. & 90. & in simili firmat etiam Alex. *conf.* 146. *n.* 6. & 12. *lib.* 5. A matrimonio autem carnali certum est, valere argumentum ad spirituale, Card. *in Clem. unica, verf. quin etiam,* 2. *qu. num.* 3. *de conceff. præb.* Jo: Andr. *in addit. ad cap. penult. de elect. in* 6. cum aliis multis. 54

Tertiò, confirmatur, quia tacita professio ex perseverantia in Religione cum habitu professorum, & exercitio actuum inducitur ex præsumptione juris, & de jure, quæ non potest elidi ex sola præsumptione præsumptæ ignorantiæ. Jo: Monach. *in d. c.* 1. *verbo præsumitur n.* 5. ubi Prob. *in addit. n.* 5. & *seq.* Archid. *col.* 2. *verb. videtur,* & ibi Gemin. *§. quod si, n.* 4. & Host. *n.* 6. ac Vitalin. post Card. *in Clem. Eos, n.* 38. *de Regul.* 55

Quartò, quia aliàs aperiretur via nimis lata eludendi professionem tacitam, cùm Religio vel non posset, vel nollet probare ignorantiam, eò quia probatio hujusmodi habet negativam annexam, quæ de jure reputatur improbabilis, *l. Actor, C. de probat.* Maschard. *de prob. concl.* 868. *nu.* 2. cum vulgaribus. 56

Quintò, quia de jure non admittitur ignorantia Decreti Pontificii, quod in legem generalem transivit, *arg. cap. Canonum statuta, de Constit.* & facit textus *in cap. Si verò aliquis,* 2. *de sentent. excommun.* ubi Abb. *in* 4. *notab.* & declaravit supradicta Sacra Congregatio die 13. Januarii 1653. 57

Sextò, quia actus tacitæ professionis ita demum ob errorem, seu ignorantiam excludit consensum, si is, qui actum facturus erat, non feciset, si sciviset nullitatem, ex theorica Rom. *conf.* 517. *num.* 23. At credens se professum, probabiliter perseveraset in Religione, cùm mutatio voluntatis, quam a principio ingressus habuit, de jure non præsumatur. Eo enim ipso, quod lex præsumit quem tacitè professum concurrentibus signis a jure communi requisitis, in necessariam consequentiam supponit illius consensum, sine quo non præsumeret tacitam professionem. 58

His omnibus accedit, quod in dubio facienda est ista interpretatio pro professione tacita, ut evitetur ansa exhauriendi Religiones, suscitandi motus Regularium, inquietudines, scandala, & damna, irritandi renunciationes, electiones Superiorum, aliaque acta ab eisdem gesta, & cætera hujusmodi. 59

Atque ita specialiter hac in re sancivit Decreto suo Urbanus VIII. die 5. Januarii 1636. ex sententia Sacræ Congregationis Concilii, tenoris sequentis. 60

Sanctiss.mus Dominus Noster Urbanus Divina Providentia Papa VIII. ad occurrendum motibus, qui possunt in Religionibus oriri occasione receptionis Novitiorum, & professionis per eos emissæ in Conventibus non designatis contra formam Decretorum sa. me. Clem. VIII. de Novitiis ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conventibus designatis, audita super hoc sententia sacræ Congregationis Concilii, declaravit, & decrevit hujusmodi receptos, & professos contra formam dictorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis, & professionis, non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennii a die professionis quoquo modo audiri. 61

Quod si aliqui contra formam prædictorum Decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectivè ejicere voluerint, eadem

San-

Sanctitas ſua decrevit, ut tàm ipſi Profeſſi, quàm Superiores reſpectivè teneantur jura, quæ ſibi favere viſa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione Concilii, quæ ex ſpeciali etiam Sanctitatis ſuæ facultate providebit, inhibendo prætereà Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus juriſdictionem exercentibus, ac quibuſcunque Judicibus ordinariis, & Delegatis, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sediſque Apoſtolicæ Nunciis, ne in poſterum in hoc quoquomodo ſe ingerant abſque ſpeciali ejuſdem Sanctitatis commiſſione ſub pœna ipſo facto incurrenda quoad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, quoad Abbates, & Prælatos inferiores, ac alios Judices prædictos, Excommunicationis latæ ſententiæ. Quo verò ad Nuncios, & ad S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos indignationis Sanctitatis ſuæ, & pœnarum arbitrio ejuſdem imponendarum. Si verò iidem ut ſupra recepti, & profeſſi juribus ſuis minimè deductis coram Sacra Congregatione Concilii, & ſine illius expreſſa licentia a Religione exire, vel ſuperiores Religionis eos ejicere auſi fuerint, ipſi recepti, & profeſſi tanquam Apoſtatæ puniantur, & pro talibus habeantur. Nec non contra eoſdem juxta formam Decreti de Regularibus Apoſtatis, & ejectis ejuſdem Sanctitatis ſuæ juſſu eadem Sacra Congregatione ſub die 21. Septembris 1624. editi, procedatur, Superiores, qui ejicerint, pœnam ſuſpenſionis a Divinis, nec non privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in poſterum obtinenda, vociſque activæ, ac paſſivæ ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Datum Romæ die 5. Januarii 1136.

CONSULTATIO CXLVII.

An Epiſcopus ad præbendam theologalem admittere poſſit Doctorem in jure Canonico?

1 AFfirmativam opinionem maturè approbavit S. Congregatio Concilii in infraſcriptis declarationibus, quibus interfuerunt Cardinales doctrina, experientia, & prudentia inſignes.

Die 14. Novembris 1626. propoſito juſſu Sanctiſſimi dubio, Sacra, &c. unanimi Illuſtriſſimorum Patrum conſenſu cenſuit, Oratorem in jure Canonico Doctorem poſſe ex Sacro Concilio Tridentino ad præbendam theologalem admitti. Idem approbavit in *Polignanen.* die 3. Decemb. 1639. in *Oſtunen.* die 20. Julii 1641. in *Aſten.* die 2. Februarii 1646. ubi fuit reſolutum, quod dentur ſupradictæ reſolutiones, ac ſæpè alibi.

2 Et quidem præter alias rationes, & authoritates, quæ adduci poſſent, moveor primò, quia S. Concilium *in cap. 1. ſeſſ. 5. de ref.* loquitur promiſcuè, & indifferenter de Theologia, & de ſacra Scriptura, ibi: *Ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem, & interpretationem.* Et in fine: *Doctores verò ipſam ſacram Scripturam.* Prout etiam loquitur Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III *in c. Quia nonnullis, de magiſtr.* ad quod Tridentinum reſpexit, ibi: In ſacra pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur.

3 Atque hanc eſſe veram mentem *d. cap. 1. ſeſſ. 5. &c. Quia nonnullis*, declaravit antiquis temporibus eadem S. Congregatio in ſequenti annotatione verbo *Sacræ Scripturæ. Videtur intelligi promiſcuè tàm de ſacra Scriptura, quàm de Theologia ex c. Quia nonnullis de magiſtr. ad quod Tridentinum reſpexit, itaut ſufficiat, ut lectio ſacræ Scripturæ habeatur. Siquidem ſacra Congregatio conſideraverit, quod propriè loquendo ſacra Scriptura dicitur, quod in ſacris literis continetur, Biblia, Evangelium, Epiſtolæ S. Pauli, &c. Theologia verò dicitur illa ſcholaſtica, quæ in libris Scriptorum legitur. Concilium autem in hoc Decreto, licet in principio videatur reſpicere ad ſacram Scripturam tantùm, poſteà tamen indifferenter in ſubſequentibus modò Theologiam, modò Sacram Scripturam nuncupat. Ac propterea cùm Concilium de utraque expreſſerit, de utraque intelligendum, itaut ſufficiat alteram legere vel ſacram Scripturam, vel Theologiam ſcholaſticam.*

4 Quod autem ſacra Scriptura ſit idem promiſcuè cum ſacris Canonibus expreſsè notat Garz. *de benef. p. 3. c. 2. n. 64.* & concordat Gloſs. *in c. Vendentes 1. q. 3. v. Debitam*, cum pleriſque aliis. Cùm verò interpretatio, & expoſitio Sac. Scripturæ æquè fieri poſſit a Doctore in Theologia morali, & ſacris Canonibus, ac a ſimplici Theologo, immò melius, ut inquiunt Hoſtien. & Jo: Andr. *in c. 1. de conſangu. & affinit.* aliique allegati per Graſſ. *de effect. Cler. in prælud. num. 96.* ſequitur, quod ad præbendam Theologalem admitti etiam poſſit Doctor in ſacris Canonibus, præcipuè in locis, in quibus non pullulant hæreſes ex doctrina Abbatis *in d. c. 1. n. 9. de conſangu. & affin.* qui habet concordantes, præſertim Felinum mox adducendum.

Secundò, ex theorica Felini *in cap. ſuper ſpecula, n. 2.* 5
de magiſtr. ubi pluribus firmat, diſpoſitionem loquentem de Theologia verificari in Theologia morali, & in ſacris Canonibus. Concinit Abb. *in d. c. Quia nonnullis, n. 1.* quem ſequitur Ric. *dec. 101. p. 4.* Sylveſt. *v. Doctor num. 5. in fin. verſ. de Doctoratu verò juris Canonici*, quod Theologiam practicam appellat.

Tertiò, quia ex opinione firmata per eandem S. Con- 6
gregationem pendet ab arbitrio Epiſcopi, ut proviſus de præbenda Theologali legat tantùm ſolos caſus conſcientiæ, ut in hac declaratione, *in Brixien. Quæritur, an Canonicus obtinens præbendam Theologalem, qui legit in Cathedrali, poſſit loco ſacræ Scripturæ legere caſus conſcientiæ, vel è contra loco caſuum conſcientiæ legere ſacram Scripturam, etiamſi non adſit conſenſus Epiſcopi? Die 4. Aprilis 1596. Sacra, &c. cenſuit reſpondendum, id eſſe relictum arbitrio Epiſcopi.*

Etenim hujuſmodi caſus conſcientiæ æquè faciliùs ex- 7
planari poſſunt a Canoniſtis, ac puris Theologis. Nam ſcientia juris Canonici tendit directè ad regimen animarum, & ad Eccleſiam Catholicam benè regendam, ut ex Hoſtienſi, atque aliis latiſſimè tradit idem Graſſ. *loco citato, num. 95. & ſeqq.* Unde in his propriis terminis admiſſionis ad præbendam Theologalem firmat Ricc. *d. dec. 101.* ubi teſtatur ita a Sacra Congregatione pronunciatum fuiſſe.

Et ſanè ſi a Theologis animarum cura non eſt alie- 8
na, ſed potius animas regere eorum quaſi peculiare munus eſt, proculdubio Canonici juris ſcientia eſt illis neceſſaria, ac proindè poterit Canoniſta munus Theologi adimplere. Nam, quemadmodum non eſſet in Abbatem eligendus, niſi qui anteà fuerit in Regula competenter inſtructus, ut *in cap. officii de elect.* tradit Innocentius; ita nec cura quidem Eccleſiam gubernandi eſt ei committenda, qui Eccleſiaſticas regulas neſcit. Theologus igitur, qui vel Epiſcopus, vel Parochus futurus eſt, niſi Canones anteà didicerit, quibus fideles debent in Chriſtiana Religione, & Eccleſiæ cœremoniis inſtitui, non habebit profectò ad rem hanc publicam gerendam Theologiæ officinam ſatis inſtructam. Atque hinc illa ſunt ex Cœleſtino, Leone, Auguſtino, ſeptima ſynodo, Concilio Carthaginenſi, Concilio Toletano 4. Concilio Aurelianenſi 4. quæ partim a Gratiano, partim a Burchardo referuntur. Quibus omnibus locis idem omninò præſcribitur, hoc eſt, Sacerdotes Canonum Eccleſiaſticorum oportere eſſe peritos. Epiſcopis item juris Canonici intelligentiam eſſe neceſſariam facilè oſtenditur *ex cap. Accedentibus de exceſſ. Prælat.* ubi definit Pontifex ad Epiſcopum pertinere de cauſis matrimonialibus cognoſcere, publicas pœnitentias, vel injungere, vel tollere, indulgentias concedere. At hæc omnia niſi ſciat quomodo, & quatenus per jus liceant, nulla ratione ritè agere poteſt. Qua de re, quoniam latè dixerunt Innocent. Hoſt. Butr. Cardinal. Abb. & cæteri Canoniſtæ *in d. cap. Cum in cunctis de elect. & in cap. Niſi cum pridem de renunc. & in cap. de conſangu. & affinit.* Gratian. quoque 21. *d.* Coſm. *in pragm. ſanct.* Gallic. *tit. de collat. §. Taliter.* Anan. *in d. c. Quia nonnullis de magiſt.* Auguſt. de Ancon. *lib. de poteſt. Eccl. qu. 108. art. 3.* Antonin. *3. par. tit. 5. c. 2.* nos hìc nihil ſuperaddemus.

Cum itaque Canoniſtæ propria functio ſit exhortari 9
fideles in doctrina ſana, Doctor verò Eccleſiæ non divinas modo leges, verùm etiam Eccleſiaſticas populum docere debeat, rationi conſonum ſanè videtur admittere ad præbendam Theologalem juris Canonici Doctorem. Nam licet in Scriptura ſacra præcepta vivendi majori ex parte tradantur, tamen, ut Cardinalis Turrecremata in proœmio Decreti docet, doctrinam morum in ſpecie ſecundùm gradus ſingulos, & ordines officiorum Eccleſiæ ſine juris Eccleſiaſtici cognitione non habetur. At ſermones morales abſoluti eſſe nequeunt, ſi generatim, & non ſpeciatim habeantur, ut Ariſtoteles in ethicis ſuis monet.

Prætereà, omnis doctrina divinitus inſpirata utilis eſt 10
ad docendum, arguendum, & corripiendum, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus 2. *Timoth. 3.* At Canones Eccleſiaſtici inſtinctu Spiritus ſancti ſunt editi, ut Damaſus 25. *qu. 1. c. Violatores.* Summorum enim Pontificum decreta a jure divino, hoc eſt a libris utriuſque Teſtamenti dimanaſſe creduntur.

tur. Quod habes *de transl. Episcop. c.* 1. *& de accus. cap. Qualiter, & quando* 2. Cùm ergo jus Canonicum ex eisdem fontibus, ex quibus Theologia suos rivulos ducat, rectè faceret Episcopus si ad præbendam Theologalem Canonistam admitteret, qui cum multarum consiliis exquisitis, tum Spiritu sancto suggerente ex divinis Oraculis dogmata, & leges, sive ad fidem, sive fidelium mores, & Ecclesiasticos ritus, ac cœremonias sapienter proferret.

11 Item Theologica facultas non est ejusmodi, ut tantummodò animo rem cernat, sed etiam aliquid molitur, & facit. Est enim partim speculativa, partim practica, quemadmodum D. Thom. 1. *part. qu.* 1. *art.* 4. demonstrat; adeò quidem, ut non dubitem pronunciare indignum Theologi nomine, quis jus Canonicum ignoret, sine quo est sicut Empiricus inter Medicos. At juris Canonici disciplina Theologia quædam practica est, ut Alvarus Pelagius docet *lib.* 2. *de planctu Eccles. art.* 20. Tum quia ejus facultatis finis est dirigere animas per Canonicas leges in salutem æternam. Tum etiam quia in solo volumine decretalium multi casus, & articuli continentur utiles, & necessarii tàm in consiliis animarum, & pœnitentiæ foro, quàm in regendis, ac disponendis Ecclesiis, ac rebus Ecclesiasticis.

12 Ac tandem addo, jus Canonicum subalternatum esse Theologiæ saltem, ut partem toti. Est enim jus Canonicum portio quædam Theologiæ. Quod patet; quia jus Canonicum est idem habitus cum Theologia. Jus Canonicum autem nihil est aliud quàm partialis quædam Theologia, quæ practica nuncupatur, nempè illa, quæ statuit de conservatione, & reparatione juris alieni, præscribens quid cuique reddendum sit, ut jus ejus sartum maneat in ordine ad finem supernaturalem. Hoc autem est etiam munus Theologiæ, ac proindè non aliter Theologiæ subjacet, quàm pars toti. Igitur fatendum est, jus Canonicum, & Theologiam esse eundem habitum, atque adeò inter se non distingui.

13 Ex quibus propterea repugnare non videntur verba *d. cap.* 1. *sess.* 5. cùm, ut dixi promiscuè loquatur de Theologia, & de sacra Scriptura, & appellatione Theologiæ veniant etiam Theologia practica, sive moralis, & sacri Canones. Et multò minus repugnat Concilium Lateranense *in d. c. Quia nonnullis*, cùm solùm exprimat sacram paginam. Nam ulterius addit: *quæ ad curam animarum spectare noscuntur*. Ita enim melius implentur a Canonistis, ut experientia docuit, quàm a puris Theologis. Unde eadem S. Congregatio in una Fundana die 15. Februarii 1593. censuit: *Quod vero ad audientes, si Theologus legat Theologiam moralem, sive casus conscientiæ, potest Episcopus cogere Clericos ad lectiones accedere. Si verò legat materias speculativas communi omnium captui non accomodatas, conniveri poterit, si non accedat qui eas non intelligit.*

14 Nec obstare videtur motivum, quod *in c.* 8. *sess.* 28. loquente de præbenda pœnitentiaria exprimatur Doctor in jure Canonico. Non enim urget, immò retorquetur. Nam si admittitur Doctor in jure Canonico ad præbendam pœnitentiariam, quæ concernit proprium regimen animarum, & instructionem ad salutem, multò magis admitti debet ad præbendam Theologalem, & ad expositionem sacræ Scripturæ.

15 Verùm aliqualem difficultatem facere videtur, quod S. Concilium Tridentinum *in d. cap.* 1. & Lateranense *in d. c. Quia nonnullis* utuntur verbo *Theologus*. Nec non annotatio Secretarii S. Congregationis tenoris sequentis. *An liceat, non reperto idoneo Theologo sæculari, conferre præbendam primò vacaturam Canonistæ?* Nil reperio decisum a S. Congregatione, sed duntaxat notavit Cardinalis Alciatus, *quod non videntur Episcopum hoc facere debere; quia Concilium præbendam primò vacaturam vult pro Theologo, nec potest Episcopus derogare*. Et in Cretensi in libro, cui titulus *sessio.* 5. *cap.* 1. 2. *&* 3. *& sess.* 13. *pag.* 5. sub principio ita habetur. *Sacra, &c. censuit, si Sanctissimus D. N. annuat, committi posse Archiepiscopo Cretensi, ut ubi compererit in Civitate, vel diœcesi nullum Sacerdotem sæcularem ad expositionem Sacræ Scripturæ idoneum reperiri, & Oratorem saltem esse aptum ad legendum casus conscientiæ conferat præbendam Theologalem vacantem Sedis Apostolicæ authoritate. Quod sua Sanctitas approbavit.*

16 At hujusmodi difficultas faciliùs eximitur ex superiùs adductis, quod scilicet sub appellatione Theologi venit etiam Theologus moralis, atque adeò Doctor in jure Canonico. Ea verò annotatio non est S. Congregationis, sed sensus solius Cardinalis Alciati, qui S. Concilio non interfuit, ut ex ejus catalogo liquet. Declaratio autem in Cretensi non videtur obstare. Quia facultas in dicto casu restringitur ad aliquem idoneum ad legendum, qui non supponitur Doctor in jure Canonico, & sic non loquitur de Doctore in jure Canonico, ac proindè non est casus noster.

Et ita denique censuit eadem S. Congregatio Concilii in una *Mazarien.* die 12. Aprilis 1651. Cùm enim Episcopus suis literis ad S. Congregationem directis exposuisset, magis expedire suæ diœcesi, ut provisus de præbenda Theologali legat Theologiam moralem, & Sacros Canones, ideò supplicavit sibi responderi, an ad dictam præbendam Theologalem admittere possit Doctorem in jure Canonico? S. Congregatio respondit *Affirmative*. 17

CONSULTATIO CXLVIII.

QUidam juvenes optimates, vix pubertatem excedentes matrimonium per verba de præsenti contraxerunt, insciis viri parentibus, quorum indignatio tanta fuit, ut inter illos, & parentes uxoris, ac deinde inter ipsos conjuges odium immane, & crudele exortum fuerit, ac propterea magnus timor accesserit scandalorum, & infelicis exitus matrimonii absque spe remedii. Item vir spatio quinque mensium quibus cum conjuge post celebratum matrimonium cohabitavit, detectus fuit nedum impotens, eo quia matrimonium, quamvis studiosè operam copulæ dederit, consummare non potuit, verùm etiam furiosus, & talia furoris habere intervalla, ut probabiliter dubitaretur, quod hujusmodi furore aliquando correptus, juncto odio penitus insito, eandem uxorem esset occisurus, quam ob causam se separarunt. Furor autem viri, & odium diuturnum tàm inter ipsos conjuges, quàm inter eorum parentes, & consanguineos nequit vel precibus mitigari, vel tempore, communique utilitate deponi, vel vetustate sedari: quinimmò in dies magis magisque discordia ira acerbior, intimo odio, & corde obstinato concepta exardescit. Quapropter consensu omnium exposcitur ejusmodi matrimonii dissolutio. Quæritur itaque, 1

An, & quomodo sit concedenda?

REspondeo. Dissolutio, licèt prætendi possit nedum per viam dispensationis, sed etiam ex capite impotentiæ: nihilominus cùm ratione impotentiæ sit necessaria cohabitatio cum assignatione modi, & loci, etiamsi prius per quinque menses insimul cohabitaverint, juxta textum *in cap. Laudabilem*, cum ibi communiter notatis *de frigid. & malef.* quem sequitur Rot. *dec.* 284. *n.* 2. *p.* 4. *div.* & Seraphin. *dec.* 687. *num.* 4. cum ibidem adductis. 2

Et licet etiam cohabitatio triennii possit in certis casibus abbreviari arbitrio Judicis, & præcipuè ubi ambo conjuges fatentur impotentiam, & constat matrimonium non fuisse consummatum, ut notat Præpositi. *in d. c. laudabilem, n.* 4. *&* 6. Henrich. Boich. *in cap.* 1. *sub n.* 2. *eod. tit. de frigid. & malef.* & in aliis ex traditis per Sanch. *de matr. lib.* 7. *disp.* 107. *&* 112. *num.* 12. Gutier. *eod. tr. c.* 120. *& c.* 121. *n.* 10. Rot. *d. dec.* 284. *in fin.* semper tamen est necessaria cohabitatio, quod rectè advertit Seraphin. *d. dec.* 687. *n.* 4. Quæ cohabitatio cùm in hoc casu sit admodum periculosa, & omninò incompatibilis cum odio capitali, furore viri, & periculo scandalorum seu necis; ideò hac via omissa, agendum est super dispensatione, cujus occasione discutiendum erit de potestate Pontificis dispensandi authoritate ordinaria in matrimonio rato, & non consummato, de causis dispensationis, & de forma illam concedendi. 3

Quod attinet ad potestatem Pontificis dispensandi non est dubitandum ex communi Canonistarum sententia, qui omnes, uno vel altero discrepante, docent, posse Summum Pontificem potestate quidem ordinaria matrimonium ratum ex causa dirimere. Quia Pontifex potest divina authoritate dispensare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè ex principiis juris naturæ, sed remotè, & quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ. Credibileque omnino est, Deum suo Vicario hanc potestatem contulisse, quæ regimini Ecclesiæ necessaria erat. Nam hac ratione, saltem in matrimoniis ratis, multa scandala cessant, pax in Republica stabilitur, sine qua matrimonium est pactio servitutis. Quandoquidem matrimonii Sacramentum, quoad significationem non est completum usque ad carnalem copulam inclusivè; ita quod matrimonium contractum sive ratum significet conjunctionem Dei ad animam per charitatem, consummatum verò conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Prima autem conjunctio est solubilis, non secunda; ideòque matrimonium ratum solvi potest, non verò consummatum. Unde Dominus, Matth. 19. non dixit: *Quos Deus* 4

con-

conjunxit homo non ſeparet, niſi poſt illa verba: *Et erunt duo in carne una*. Et Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. non dixit hoc Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia, niſi poſt illa verba: *Et erunt duo in carne una*. Et ideò Leo Pontifex, inquit, ut referunt Magiſter *in* 2. *d.* 1. & Gratian. 27. *q.* 1. *Societas nuptialis ita eſt a principio inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum non habeat Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum*. Textus eſt *in cap. Ex publico*, ubi Gloſs. *v. Conſummatum de converſ. conjug.* ibique Barb. *n.* 3. qui innumeros adducit. Nominatim verò id tuentur Covarruvias ſenior, & prudentior *in ult. impreſs. de matr. part.* 2. *cap.* 7. §. 4. *poſt num.* 14. & *in* 4. *decret. cap.* 7. §. 4. *n.* 13. Felin. *conſ.* 26. *n.* 16. *cum ſeq.* qui affirmat, hanc eſſe communem antiquorum, & recentiorum opinionem, de qua etiam teſtatur Nat. *conſ.* 290. *n.* 1. Abb. *in cap. fin. n.* 5. ubi etiam Cardinal. *in fin. de ſponſ. duor.* Ad quæ loca Canoniſtæ omnes ſuffragantur. Et præter Theologos, quos refert, & ſequitur Sanchez, qui hoc argumento exultat *lib.* 2. *diſp.* 14. *n.* 2. & *ſeqq.* & *diſp.* 15. *ac* 16. *n.* 3. 4. & 9. id diſſertiſſimè tenent Vaſquez 1. 2. *diſp.* 165. *cap.* 7. Rebell. *de ob/tg. juſt. p.* 2. *lib.* 2. *de matr. qu.* 15. *ſect.* 3. ubi adducit Bellarminum, Henriquez, & alios, Coninch. *de Sacram. diſp.* 26. *dub.* 3. Reginald. *in prax. for. pœnit. lib* 31. *cap.* 38. Bonac. *de matrim. qu.* 2. *punct.* 11. *prop* 2. Nec diſſentit Brancatus de Laurea, Theologis ſummis comparandus acumine, diligentia, judicio *tom.* 3. *de Sacram. diſp.* 16. *art.* 12. §. 2. *n.* 245. in quo pleraque, quæ nuſquam alibi, ac alii de Canoniſtarum præſertim, ac juriſperitorum cœtu, quos omnes perperam, nec niſi contradicendi libidine inficiatus eſt Pontius *de matrim. lib.* 9. *cap.* 3. Atque ita etiam lentè, ac maturè cenſuit Rota in Burgen. diſſolutionis matrimonii 17. Junii 1594. coram Juſto poſt 3. *vol. conſil.* Farinacii.

5 Et quamvis plures Theologi aliter ſenſerint, in hac tamen materia non eſt recedendum ab opinione Canoniſtarum, cùm in reſpicientibus jus divinum pertinens ad moralitatem ſemper ſit deferendum opinioni Canoniſtarum, ut ſcitè Covar. *in* 4. *decret. cap.* 7. §. 4. *n.* 13. cui præluxerat Alex. *conſ.* 1. *n.* 10. *lib.* 2. Ferret. *conſ.* 37. *n.* 24. & latius Ancharan. *in diſp.* quæ incipit, *Antiquis, & modernis temporibus*. Et hanc opinionem tenendam eſſe declaravit die 16. Julii 1599. Congregatio particularis a Clemente VIII. deputata, cui interfuerunt Cardinales Aſculanus, Burgheſius, Blanchettus, Mantica, Arigonius, Vicecomes, Oſatrus, & Bellarminus, nec non RR. PP. Seraphinus, Pamphilius, Pegna, & Mellinus tunc Rotæ Auditores, ac Patres Juſtinianus, & Coſta Societatis Jeſu, omnes multi nominis Theologi, & Canoniſtæ. Id quod etiam cenſuit ſæpiſſimè S. Congregatio Concilii, & præcipuè in una Carpentoraten. 25. Januarii 1608. in una Seguntina 17. Septembris 1609. in una Ferrarienſi die 20. Maji 1613. & in una Auguſtana die 16. Maji 1618.

6 Eamque ſemper fuiſſe receptam patet luculenter ex pluribus exemplis relatis a Doctoribus, ut de Martino V. & Eugenio IV. teſtatur D. Antonin. 3. *p. c.* 21. §. 3. de Julio III. Paulo III. ac Pio IV. Navarrus *in Man. c.* 22. & de Gregorio XIII. habetur atteſtatio Cardinalis Caraffæ in libris S. Congregatonis Concilii, in quibus etiam habentur alia plura poſteriorum Pontificum Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. Itaque Canoniſtarum omnium, plurimorumque Theologorum calculo, atque Summorum Pontificum exemplis ad noſtra uſque tempora id ita firmatum manet, ut temerarium eſſet contrarium aſſerere.

7 Cauſa verò ſemper requiritur, quando agitur de diſpenſatione authoritate ordinaria, ut tradit Hoſtien. *in d. cap. Ex publico*, ubi omnes, & firmant Præp. *in c.* 2. *n.* 7. *de Sponſ.* Soccin. *verſ.* 28. *lib.* 1. Felin. *conſ.* 26. *n.* 16. & *ſeq.* Gonzad. *conſ.* 2. Et in hac parte his Theologis adhæreo, qui docent Pontificem non poſſe diſpenſare in matrimonio rato non conſummato. Quo ſpectat Doctrina Boich. *in eod. c. fin. de ſponſ. duor.* Andr. *in eod. c. Ex publico*, cum ſequacibus, dum monent non expedire, ut Eccleſia in hac materia multùm laxet habenas.

8 Hæc autem cauſa debet eſſe maxima, & urgentiſſima. Ita poſt Innoc. Hoſt. & alios *in d. cap. Ex publico*, volunt communiter Abb. *n.* 14. Medin. *de ſacr. homin. cont. lib.* 5. *cap.* 9. Anchar. *in cap. Canonum ſtatuta, n.* 30. *de conſtit.* Molin. *de rit. nupt. lib.* 2. *diſſic.* 5. *n.* 6. Quicquid ſit dicendum quando Pontifex de poteſtate abſoluta diſpenſaret, Felin. *in dict. conſ.* 26. cum concordantibus.

9 Et licèt aliqui velint cauſam concernere debere bonum publicum, & publicam utilitatem, verior tamen, & magis communis opinio eſt, ut ſufficiat, illam concernere bonum privatum, ac privatam utilitatem, Cajet. *tom.* 1. *opuſc. tr.* 28. quod etiam repetit *in reſponſ. ad Pariſ. art.* 11. ubi firmat, diſcordiam ortam inter conjuges ſine ſpe remedii, accedente eorum conſenſu, eſſe cauſam ſufficientem pro reſtituenda inter eos pace, ſublato hoc vinculo, quod fuit cauſa diſcordiæ, & ad evitanda homicidia, quæ a deſperatis conjugibus facilè procurari poſſent. Qui etiam teſtatur *eod. art.* 11. hanc cauſam Apoſtolicis reſcriptis approbari pro rationabili a Sede Apoſtolica. Id quod proſequitur Sanchez *de matr. lib.* 2. *diſp.* 16. *n.* 4. & 9. dicitque juſtam cauſam eſſe mutuum conſenſum juncto odio, & diſcordia conjugum abſque ſpe remedii, & cum timore infelicis exitus. Et Burg. *de Irregul. part.* 6. *tit. de ſponſal. n.* 47. tradit ab Eugenio IV. fuiſſe conceſſam diſpenſationem ex ſolis inimicitiis capitalibus, & odiis inter conjuges. Et ita Sac. Congregatio Concilii in ſupradictis caſibus cenſuit quoque concedendam. At Felin. *d. conſ.* 26. *n.* 19. aſſerit ſufficere ſcandala, & odium. Idem vult Mandoſ. *in prax. ſign. titul. de diſpenſatione matrim.* Quod quidem Menoch. *de præſumption. lib.* 2. *præſumpt.* 10. *n.* 44. & *conſ.* 5. *num.* 7. Greg. Lopez *lib.* 5. *v. Ordin. tit.* 10. *part.* 4. Medin. *loc. cit. c.* 89. admittunt etiam in fortioribus terminis. Quia ex odio ultra pericula temporalia, & inſidias vitæ paratas, reſultat magnum fornicationis, & adulterii periculum, quod per ſe eſt cauſa diſpenſationis, Sanch. *diſp.* 16. *n.* 3. *lib.* 2. & *lib.* 8. *diſp.* 12. *n.* 4. & 6. & *diſp.* 20. *n.* 17. & *ſeq.* Et ſicut ex cauſa odii interdicitur cohabitatio, Gutier. *de matr. c.* 121. *n.* 10. Immò non datur reſtitutio uxoris, ſed fit perpetua ſeparatio etiam in matrimonio conſummato, ita, & in rato hæc eadem cauſa urgere debet ad diſpenſandum, cùm reddat inutiles omnes effectus matrimonii.

Igitur cùm in hoc caſu ſupponatur omnium conſenſus, 10
& odium tàm conjugum, quàm eorum parentum, ac conſanguineorum per tot annos abſque ſpe reconciliationis, utique videtur concurrere cauſa ſufficiens ex doctrina Cajet. *d. tr.* 8. Felin. *d. conſ.* 26. *n.* 19. cum aliis ſuperiùs allegatis. Maximè cùm matrimonium fuerit contractum contra voluntatem parentum, & in ætate, in qua facilè contrahentes non habent prudentiam pro conſiderandis qualitatibus neceſſariis, ex Dec. *conſ.* 112. *in fin.* Felin. *d. conſ.* 26. *n.* 21. Agaturque inter Primates, & vir fuerit detectus impotens, atque habere terribilia furoris intervalla. Quo caſu habetur cauſa naturalis odii, cui eò magis occurrendum eſt Pontificia diſpenſatione, ut evitentur ſcandala, neceſque, ac paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper conſuletur. Quippè ex hujuſmodi odio, & impotentia impeditur finis matrimonii, qui eſt ſocietas tranquilla, & proles, ac mulier cogitur invita ad caſtitatem contra juris diſpoſitionem *in c. Integritas* 32. *quæſt.* 1.

Hæc ſanè impotentia eſt ex ſe ſufficiens ad dirimen- 11
dum matrimonium, ſive proveniat ex maleficio *cap. fin. de frigid.* & *malef. cap. Si per ſortiarias* 33. *quæſt.* 1. & docent Albert. D. Thom. D. Bonav. Scot. Cajet. D. Anton. Bellarm. Tolet. aliique ex Theologis, atque ex Canoniſtis, Gloſs. *in c. Fraternitatis, v. divinum de frigid.* & *malef.* Specul. Goffred. Hoſt. eandem Gloſſam *ibid.* approbantes, Joan. Andr. Butr. Anchar. Abb. Præpoſ. & cæteri apud Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 96. *n.* 8. & *in cap. fin. eod. tit.* firmant Jo: Andr. *n.* 15. Anchar. *quæſt.* 1. Abb. *n.* 1. & 6. Zabarel. *n.* 2. & *ſeq.* Archid. *in d. cap. Si per ſortiarias* 33. *qu.* 1. ubi Turrecrem. *n.* 2. teſtatur hanc eſſe omnium Doctorum concluſionem.

Sive impotentia proveniat ex abominatione conjugum 12
inter ſe ratione odii implacabilis, ob quam non poſſunt ſimul cohabitare, & ad copulam induci, ſicque fruſtratur finis matrimonii, ut tradit D. Thom. & Albert. Turrecrem. & plures alii apud Sanch. *diſp.* 92. *n.* 13. Ex quacunque enim cauſa proveniat impedimentum, dummodo ſit perpetuum, ſemper diſſolvit matrimonium, Hoſt. *in cap. conſultationi, n.* 2. *de frigid.* & *malef.* ubi Jo: Andr. *n.* 2. & alii quamplures.

Et quamvis impotentiæ ſigna non ſint de eorum gene- 13
re, quæ evidenter, & neceſſariò concludunt, nec de iis, quæ veroſimiliter, ſed de iis, quæ præſumptivè, & dubiè, quo caſu ſacri Canones non ſtatim matrimonium diſſolvunt, ſed requirunt experientiam triennalem ex ſæpè citato *cap. Laudabilem, de frigid.* & *malef.* Sanchez *dict. lib.* 7. *diſp.* 107. *n.* 2. Gutier. *cap.* 120. *num.* 2. *de matrim.* Seraph. *deciſ.* 687. *part.* 4. *div.* Rot. *deciſ.* 695. *n.* 1. & *ſeqq. part.* 1. *rec.* Tamen ſicut aliquando ex cauſa non expectatur integra triennii experientia, ſed abbreviatur. Rota *dec.* 226. poſt Farinac. Ita etiam in hoc caſu impotentia iſta talis eſt, qualis ſufficere debet ad facilitandam diſpenſationem, & corroborandam cauſam odii, quæ etiam ex hoc capite magis augetur. Præſertim cùm thorus ex capite inimicitiæ, & furoris viri canonicè fuerit

ſepa-

ſeparatus; ideòque probatio impotentiæ per triennalem cohabitationem redditur omninò impoſſibilis, & propterea eo licentius admittenda ſunt alia genera probationum, etiam alioquin minus urgentium, ne impoſſibilis reddatur probatio ex traditis per Burſat. *conſ.* 346. *n.* 17. *lib.* 4. Bertaz. *conſ. crim.* 106. *n.* 19. *lib.* 1. Gabr. *de teſtib. concluſ.* 7. *n.* 3. Non enim debet uxor periculo vitæ ſe exponere ad virum redeundo, ut in ſimili docet Socin. *in cap. Cum pro cauſa, n.* 36. *de ſent. excom.* Felin. *in cap. Accedens* 2. *ut lit. non conteſt.* Oldrad. *conſ.* 43. *num.* 3. & confirmat Seraph. *dec.* 1239. *n.* 4.

14 Porrò in hoc caſu negari non poteſt, quin adſit impotentiæ probabilitas ex cohabitatione quinque menſium, juncta abominatione, & odio conjugum inter ſe continuata per tot annos, cùm qualitas cauſæ dependeat ab arbitrio Papæ, Felin. *d. conſ.* 26. *n.* 19. & 21. & ad effectum diſpenſationis poſſit non expectari cohabitatio triennalis, ut notant Doctores *in d. c. Laudabilem*, rationeque incertitudinis prolis, ac dubii validitatis matrimonii ob impotentiam Pontifex poſſit eſſe proclivior ad conceſſionem diſpenſationis, & remedii, Boich. *in d. cap. Fraternitatis n.* 6. Et faciunt huc etiam tradita per Decian. *conſ.* 112. *in fin.*

15 Atque ex his videtur concedenda petita diſpenſatio, dummodo conſtet de extremis ad hunc effectum neceſſariis, nempè de non conſummatione matrimonii ob impedimentum impotentiæ perpetuum viri, de furore ac odio capitali, & implacabili abſque ſpe remedii cum timore certo necis, ſeu infelicis exitus, adeòut ſtatui mulieri nullo alio modo provideri poſſit. Ita in puncto aliàs cenſuit S. Congregatio Concilii in una Vallis Oletana tenoris ſequentis.

16 *Epiſcopus ſignificavit ſuis literis, quod Joannes, & Leonora nobiles quinque ab hinc annis matrimonium per verbo de præſenti contraxerunt, & per totum quinquennium ſimul cohabitarunt, dictaque mulier deinde egit pro diſſolutione, ac nullitatis declaratione dicti matrimonii propter impotentiam d. Joannis, a quo nunquam ipſa carnaliter cognita fuerat, & adhuc virgo permanebat. Quod dictus Joannes verum eſſe aſſerebat. Id verò non ex impotentia ſua naturali, ſed quia illam, & parentes ejus odio proſequebatur, accidiſſe, & in ſimul convenerunt adire Sedem Apoſtolicam pro diſpenſatione, prout unanimi conſenſu fecerunt.*

17 Die 15. Februarii 1607. Sacra &c. *Propoſita facti ſpecie omnes uno ore cenſuerunt nullo pacto concedendam eſſe diſpenſationem, reſcribendumque Epiſcopo, ut ſi ſibi non conſteterit de impotentia perpetua ob frigiditatem, vel maleficium ad præſcriptum ſacrorum Canonum, compellat eos ad cohabitandum, utque alter alteri conjugalem exhibeat affectum.*

18 Idem perſpicuè expreſſit in una Carpentoraten. die 25. Januarii 1608. *Perlecto enim in Sacra Ccongregatione Concilii inſtrumento, in quo habebatur conſenſus, & mandatum Joannis Claux de Niens primi viri ad diſpenſationem a Sede Apoſtolica petendam ſuper matrimonio rato non conſummato cum Spereta Ramberta diœceſis Carpentoratenſis, quæ aliud matrimonium contraxerat ob ſententiam in Curia Legationis Avenionenſis in ejus favorem latam ſuper nullitate matrimonii ob impedimentum perpetuum, & ex eo prolem ſuſceperat. Et ſic cum appareret nullo alio remedio humano hujus mulieris ſtatui provideri poſſe, cenſuit, petitam diſpenſationem eſſe concedendam. Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus ad ſe relatam, approbavit, & literas diſpenſationis expediri juſſit.*

19 Concinit alia declaratio in una Seguntina, in qua narrabatur, *quod aliàs fuerat contractum, matrimonium inter Garziam de Vargas in ætate ſexdecim annorum, & Eliſabetham de Lezano annorum quatuordecim, & quod mulier reperta eſt arcta, itaut a matronis poſt inſpectionem relatum fuerit eam ad hujuſmodi matrimonium eſſe inhabilem. Unde Ordinarius non expectata triennali cohabitatione, matrimonium nullum declaravit, & viro licentiam dedit, ut aliam uxorem duceret, prout ſucceſſivè cum duabus aliis fecit, & prolem ſuſcepit, & de præſenti cum ſecunda uxore vivit. Quoniam vero dictam Eliſabeth annorum triginta, & grandior effecta nunc a viro cognoſci poteſt, ut matronæ, quæ illam inſpexere, referunt, cupiens eſſe mater ſupplicat pro diſpenſatione, ut matrimonium cum alio contrahere poſſet.*

20 Die 12. Septembris 1609. Sacra, &c. *cenſuit, hujuſmodi diſpenſationem eſſe concedendam. Id eſt committendum Epiſcopo, ut ſi ſibi conſteterit Eliſabetham hodie eſſe cognoſcibilem, veraque eſſe cætera in ſupplicatione narrata, atque etiam tam ipſam quàm Garziam, a quo poſt matrimonium per verba de præſenti contractum, tanquam arcta per ſententiam diffinitivam ſeparata fuit, concorditer ſupplicare, petitam diſpenſationem concedat.*

21 Denique quoad formam diſpenſationis, illa profectò concedenda non eſt in forma gratioſa, quando adhuc non eſt ſufficienter, nec legitimè probatum, quod matrimonium non fuerit conſummatum, & quod adſit allegata impotentia cum aliis cauſis ſupra deductis. Quæ omnia probanda ſunt probationis concludentibus, immò ſuperabundantibus *ex dict. cap.* 1. ubi Cardin. Jo: Andr. Præp. & alii *de frigid. & malef.* Ex maximè reſpectu non conſummationis, cùm in hoc caſu ſupponatur cohabitatio, & condormitio quinque menſium. Ex qua reſultat præſumptio juris, & de jure pro conſummatione, juxta Bald. *in l. Deo nobis, n.* 7. *de Epiſc. & Cler.* & advertunt Doctores, & communiter *in d. c. Laudabilem.*

Sed concedenda eſt in forma commiſſaria, conſtito, 22
quod matrimonium non fuerit conſummatum, & ſervatis ſervandis, ac verificatis aliis narratis, prout fuit ſervatum a S. Congregatione Concilii in una Tranſylvaniæ diſſolutionis matrimonii anno 1599. & in d. Avenionen. die 31. Januarii 1606. & in eadem Seguntina die 12. Septembris 1609. ac in aliis frequenter. Cauſæ enim matrimoniales committi ſolent Ordinario loci, Butr. *in c. Cauſam, n.* 7. *de offic. deleg. & in c. Ex literis n.* 7. *de divort.* & ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Platen. 28. Julii 1662.

CONSULTATIO CXLIX.

Quiſnam prius admittendus ſit ad profeſſionem regularem, ac præcedere debeat, illene, qui prius receptus eſt ad habitum, an qui prius habitum ſuſceperit?

VIdetur autem dicendum, quod prærogativa in pro- 1
fitendo, & præcedentia poſt emiſſam profeſſionem omninò ſit concedenda prius acceptato, non autem illi, qui prævenit in ſuſceptione habitus, præſertim ſi ad illum fuerit admiſſus ſine præjudicio antelationis, ipſi acceptato tunc reſervatæ, & poſteà conceſſæ per totum annum Novitiatus.

Primò, quia prius receptus fuit a Capitulo. Nam ut in 2
ſimili probat Bero. *conſ.* 7. *num.* 1. & *ſeq. vol.* 1. receptus primo loco a Capitulo præferendus eſt alteri, qui eum prævenit in adipiſcendo Canonicatu ad textum *in cap.* 1. cum ibi notatis *de major. & obed.* Ex admiſſione enim, & acceptatione anteriori intrat privilegium antianitatis, ratione cujus hujuſmodi præcedentia deferri ſolet, *l.* 1. *ff. de alb. ſcrib. l. ſemper, ff. de jur. immun. cum concord.* & quæ a die talis receptionis computatur, *lib.* 1. *C. de Conſult. lib.* 12. *d. cap.* 1. ibique omnes *de major. & obed.* Rota apud Seraph. *dec.* 326. *n.* 3. & in una *Melevitana* Antianitatis 18. Maji 1633. coram Epiſcopo Urgelenſi.

Secundò, quia prius etiam petiit a Vicario generali 3
licentiam ſuſcipiendi habitum, nec proindè per eum ſtetit quominus in hoc quoque prævenerit, ac proinde pro admiſſo ad omnem effectum reputari debet. Itaut ab illa ipſa die petitionis antianitatis illi innumerari debeat, ut in puncto eſt deciſio Gregorii 341. in princ. & fuit reſolutum in prælallegata *Melevit.* Antianitatis coram Durano.

Tertiò, quia ille, qui fuit admiſſus ad priorem habi- 4
tus ſuſceptionem, fuit admiſſus ſine præjudicio antelationis reſervatæ prius acceptato, qui fuerat in eodem Monaſterio per plures annos educatus, & ab ipſo Capitulo anteà receptus. Quæ præſeveratio ita reddidit actum conditionalem ex Rota *dec.* 34. *in princ.* apud Put. *lib.* 2. *in correct.* loquente de poſſeſſione tradita ſine præjudicio alterius in materia præcedentiæ, ut habeatur pro non facto in præjudicium antelationis ad textum *in l. ille, a quo, §. Si de teſtamento*, ubi Bart. *n.* 5. *ff. ad Trebel.* Barb. *de clauſ. part.* 1. *clauſ.* 157. *num.* 2. & latè Adden. ad Gregor. *dec.* 322. *verſ. Et in his terminis.*

Quartò, quia prius acceptato in ipſamet habitus ſu- 5
ſceptione fuit aſſignatus locus ante eum, qui prius habitum ſuſceperat, & propterea non poteſt hodie in prius acceptati præjudicium fieri prior, ac potior, ut in ſpecie ponderat Bero. *d. conſ.* 7. *n.* 6.

Quintò, quia per totum annum ſui Novitiatus fuit in 6
quali poſſeſſione dictæ antelationis, tàm in Choro, quàm in Refectorio, & cæteris locis, & actibus Monaſterii patiente, & non contradicente, qui prius habitum ſuſcepit, qui ſolum in fine cœpit prætendere, ut tanquam prius veſtitus prius etiam deberet admitti ad profeſſionem. Nam in materia præcedentiæ pronunciandum eſt pro profeſſore; itaut non poſſit ab dejici, nec in inquietari, Corn. *conſ.* 193. *n.* 24. *vol.* 2. Burſat. *conſ.* 343. *n.* 74. *in fin. vol.* 4. Port. Imol. *conſ.* 164. *n.* 48. & *infra*, & Menoch. *conſ.* 52. *n.* 49. *vol.* 1. & *conſ.* 125. *n.* 6.

Hinc Bald. *in l. Obſervare, §. antequam verò, n.* 3. *ff.* 7
de off. Procunſul. dicit: *Vadat ergo prius, qui prius ire conſueverat, & in c. Cum olim ſub n.* 3. *de conſuet.* quod conſuetudo

ſuetudo aſſignat loca ſedendi, & ſtandi, & non debet præpoſterari, & Rot. *dec.* 119. *n.* 1. & 2. apud Poſth. *de manut.* dicit in hac materia attendi poſſeſſionem, & conſuetudinem, etiamſi viderentur contrariæ diſpoſitioni juris communis.

8 Nec proinde obſtat decretum S. Congregationis relatum a Barboſ. *in Collect. Bull. v. Præcedentia*, quod nimirum præcedentia inter Regulares a die profeſſionis, non autem receptionis habitus regularis debet attendi. Non ſupponit profeſſionem emiſſam, nos verò loquimur de emittenda, adeò ut prius ad illam admittendus ſit prius acceptatus, ut dictam quaſi poſſeſſionem antelationis, in qua poſt ſuſceptionem habitus ſemper extiterit, conſervet, etiam poſt profeſſionem, ne ab illa invitè dejiciatur contra regulas juris proclamantis, ne poſſeſſor commodo ſuæ poſſeſſionis privetur ex congeſtis per Gratian. *diſcept.* 113. *n.* 30. & *diſcept.* 208. *n.* 14. ac Poſth. *eodem loco obſerv. n.* 16. cum maximum poſſeſſionis, ſeu quaſi commodum ſit, §. *Commodum inſtit. de interdict. c. ſæpe*, ibi: *Commodum poſſeſſionis de reſtit. ſpoliat.* Port. *d. conſ.* 164. *num.* 50.

9 Nec pariter obſtet, quod Roderic. *tom.* 1. *quæſt.* 37. *art.* 1. dicat præcedentiam inter Regulares concedendam eſſe habito reſpectu ad tempus ſuſceptionis habitus, non profeſſionis. Nam loquitur juxta ſtylum ſuæ Religionis Minorum Obſervantiæ S. Franciſci, non autem juxta communem conſuetudinem aliorum, ut rectè monet animadvertendum Campanil. *in diver. jur. can. rubr.* 12. *c.* 12. *n.* 9. Habitus enim nullum conſtituit gradum honorificentiæ ad effectum procedendi, quia habitus non facit monachum, ſed profeſſio, *cap. Porrectum*, & ibi omnes *de regular.*

10 Pariter non obſtat, quod qui prius habitum ſuſcepit, prius compleverit annum Novitiatus, & Concilium Tridentinum mandet *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* quod finito tempore Novitiatus Superiores Novitios, quos habiles invenerint ad profitendum, admittant. Quia ex hoc non rectè infertur, quod priùs etiam admittendus ſit ad profeſſionem, cùm adſit juſta cauſa differendi, ne antelationem ab eo reſervatam priùs acceptato in ſuſceptione habitus, & poſteà conceſſam per totum annum Novitiatus, poſſit in dubium revocare, ſi prius ad profeſſionem admitteretur, ideòque contenderet illum privare dicta quaſi poſſeſſione. Nec Concilium cogit Superiores, ut ad profeſſionem recipiant Novitios ſtatim completo anno novitiatus, ſed ſolùm diſponit, quod poſt illius finem novitios admittant ad profitendum, nullo eiſdem termino in hoc præſcripto, ut benè ad rem noſtram obſervat Navarr. *conſ.* 30. *n.* 1. inquiens, aliud eſſe cogere ad recipiendam profeſſionem novitii ſtatim finito anno, ut ſupponitur in objectione, aliud verò quod illum admittant poſt finem anni, nec a diverſis illationem validè fieri, *leg. Papinianus*, *ff. de minor. cap. Ad audientiam de decim.* Quod etiam obſervarunt Sayr. *deciſ.* 35. *lib.* 3. *de regul.* Roderic. *tom.* 3. *quæſt.* 15. *art.* 10. *in fin.* & *quæſt.* 17. *art.* 6. Leſs. *de juſt.* & *jur. lib.* 2. *quæſt.* 41. *dub.* 7. Sanch. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. & Hieron. Roderic. *in compend. qq. regul. reſol.* 101. *num.* 83. Quamvis Bartholom. a S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib.* 5. *quæſt.* 168. *n.* 3. obſervet dictum decretum Concilii loqui ſolùm de novitiis virorum non monialium. Quia in iſtis ſæpiſſimè profeſſio differtur quouſque ſolvat dotem competentem, de quo etiam Sanch. *d. cap.* 4. *num.* 21. & Hieronym. Roder. *d. reſolut.* 101. *n.* 53.

11 Demum nec refert, quod duo Religioſi negent prius habitum ſuſcipientem admiſſum fuiſſe ad illius ſuſceptionem cum dicta præſervatione antelationis acceptato prius a Capitulo. Nam, prætermiſſo, quòd illi ex ſpeciali affectione in priùs habitum ſuſcipientem ſunt in cauſa hujus controverſiæ; reſpondetur iis præferendam eſſe depoſitionem reliquorum uno ore affirmantium ſub lege prædicta, & non aliàs ſuſcepiſſe habitum tàm ratione numeri ad textum *in c. licet cauſam de probat.* Gloſs. *in l. ob carmen*, §. *ſi teſtes*, *v. in pari numero*, *ff. de teſtib.* cum ſimilibus congeſtis per Farinac. *eod. tract. q.* 65. *p.* 3. *n.* 107. Greg. XV. *dec.* 249. & 499. utrobique *n.* 4. & *dec.* 472. *n.* 2. Rot. *dec.* 245. *n.* 3. *ac dec.* 315. *n.* 8. *p.* 1. & *dec.* 189. *n.* 2. *p.* 2. *recent.* Quàm propter qualitatem depoſitionis, cùm teſtes deponentes ſuper negativa poſtponendi ſint aliis deponentibus ſuper affirmativa, quales ſunt cæteri Religioſi præter duos prædictos ſimpliciter negantes dictam præſervationem, Gloſs. *in l. Diem proferens*, §. *ſi plures*, *v. Conſenſerat. ff. de arbitr.* cum aliis cumulatis per Farinac. *quæſt.* 65. *p.* 3. *num.* 200. Gregorium XV. *d. dec.* 449. *n.* 3. Rot. *dec.* 259. *num.* 3. *poſt* 2. *vol. conſ.* Farinac. Qui teſtes licèt ſint regulares, nihilominùs illis eſt omninò in hoc caſu deferendum, Vinc. de Franch. *dec.* 384. & Gratian. *diſcept. for. cap.* 640. *n.* 6.

Verùm tenendum eſt, quod licèt receptus eadem die, & in eodem capitulo videatur in acceptatione ad habitum quodammodo prior, tamen ejuſmodi acceptatio in ordine ad præcedentiam nihil relevat, quia ipſa non facit novitios, ſed tantum tribuit potentiam, quæ, niſi reducatur ad actum, nil operatur, *l. Sed etſi plures*, §. *ſi ex aſſe*, ibi: *Nec ſufficit ad ſecundarum tabularum vim ſic factum eſſe teſtamentum, ut ex eo adiri hæreditas poſſit*, *ff. de vulg.* & *pupil. c. Religioſo*, §. *Quamvis de ſent. excom. in* 6. *l. Quamvis alius* 2. & ibi per Jaſ. *n.* 2. *C. de inoff.* 12

Ille autem, qui prius ſuſcepit habitum prius eſt factus Novitius, prius quoq; complevit annum novitiatus, qui incipit ab hora ſuſceptionis habitus, Anan. *conſ.* 93. *n.* 6. Bald. *in l. cum anterioribus*, *num.* 2. *C. de tempor. appell.* Franc. *in cap.* 1. *n.* 5. *de reſtit. ſpol.* Gratian. *diſcept. for. c.* 413. *n.* 21. Atque adeò prius eſt vel rejiciendus, vel ad profeſſionem admittendus ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 16. ubi mandat finito anno probationis novitios ad profeſſionem admitti vel rejici. Et cùm non ſteterit per eum, qui prius ad habitum admiſſus fuit, ne ſtatim completo anno emitteret profeſſionem, illa habetur pro emiſſa, *l. ſi ideo*, §. *Procuratori*, *ff. de evict.* Lancell. *de attent. p.* 2. *cap.* 4. *n.* 135. Seraph. *dec.* 154. *n.* 2. 13

Ubicunque enim petitur a Superiore, quod erat de jure concedendum, ſi denegatur, habetur pro conceſſo, ut pluribus exemplis comprobat Rot. *in rec. dec.* 359. *n.* 4. quam poſteà ſequuta eſt *in dec.* 528. *n.* 1. & 2. *part.* 2. Nam attendi debet tempus illud, quod eſt ipſi jus quæſitum, non ſolum ex diſpoſitione S. Concilii, ſed etiam ex propria præventione, *arg. cap. Capitulum* 30. *in fin. de reſcript. cap. Duobus* 14. *eod. tit. in* 6. Gonzal. *ad reg.* 8. §. 3. *proœm. n.* 18. & *ſeq. text. in l.* 1. *C. de conſul. lib.* 12. ubi quo in uno, eodemque genere dignitatis prior ille eſſe debet, qui prius meruit dignitatem. 14

Quare benè intrat ad ipſius favorem regula: Prior tempore, potior jure, *cap. Qui potior*, *de reg. jur. in* 6. cum vulgaribus, & latè Barboſ. *in topic. v. Prior.* Et in terminis præeminentiæ, ac prælationis eſt textus *in d. c.* 1. *de major.* & *obed.* & *in l.* 1. *ff. de alb. ſcrib.* ubi Bart. *ff. de obſeq.* Angel. *in* §. *Quædam*, *num.* 10. *in fin.* Peregrin. *conſ.* 3. *n.* 60. Pariſ. *conſ.* 38. *n.* 1. *vol.* 4. Antiquior enim de Collegio aliis præfertur, Caſſan. *in catal. glor. Mund. part.* 4. *conſid.* 76. & *part.* 11. *conſid.* 17. Rebuff. *in tract. nomin. quæſt.* 21. *num.* 4. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel.* §. 3. *proœm. num.* 23. Et de præcedentia inter Regulares Roderic. *qq. regul. tom.* 3. *q.* 37. *art.* 1. Et quod inter illos, qui ſunt ejuſdem ordinis, æquales gradu, ac dignitate is debeat præcedere, qui non ætate, ſed receptione in Eccleſia, ſeu Monaſterio eſt antiquior, aſſerit Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *qu.* 21. & *art.* 4. *concl.* 3. quem refert, & ſequitur Bartholom. de Vecch. *in prax. novit. diſp.* 6. *dub.* 2. *num.* 3. ubi firmat, quod antiquorum appellatione non intelliguntur qui annorum ætate ſunt tales, ſed qui ſunt in Religione ſeniores. 15

Hæc autem prioritas ſuſceptionis habitus ſuffragatur etiam Novitiis pro hac prælatione; quia cùm attendatur prioritas receptionis in Monaſterio, utique receptio iſta convenit etiam ſuſceptioni habitus novitiorum, cùm novitii in favorabilibus pro Religioſis habeantur. Latè Gratian. *dec. March. dec.* 35. *num.* 6. Ubi comprobat, novitios intra annum probationis habere pro profeſſis, Barthol. de Vecch. *loco præc. diſp.* 9. *dub.* 1. *n.* 2. & *dub.* 26. *n.* 2. & 6. Ubi quod etiam ſæculares admittendi ad habitum novitiorum habentur pro annexis Religioni, & optimè confert doctrina Angeli *d.* §. *Quædam ante*, *n.* 11. *Inſtit. de act.* dum per text. *in d. l.* 1. *C. de Conſult. lib.* 12. firmat, quod licentiatus poſteà doctoratus præcedit illum, qui medio tempore fuit doctoratus. Sequitur Alex. *in l.* 1. *in apoſtil. ff. de obſeq.* Felin. *in d. c.* 1. *n.* 3. *de major.* & *obed.* Boer. *de auctor. Magn. conſ.* 98. Staphil. *de lit. grat. p.* 1. *ſub tit. de vi*, & *effect. clauſ.* Petrus Lenaud. *de Doctor. p.* 3. *qu. ult.* 16

Nec relevat, quod ambo fuerint æqualiter admiſſi ad profeſſionem in eodem Capitulo. Quoniam iſta dilatio ad congregandum Capitulum, ut ambo in eo ad profeſſionem admitterentur, non poteſt præjudicare ei, qui prius compleverat annum probationis; quare prius etiam admittendus erat ad profeſſionem. Nam ex facto Capituli ſine ejus culpa, iniqua conditio differendi profeſſionem eidem præjudicium inferret contra vulgarem regulam *l. non debet* 75. *ff. de reg. jur.* 17

Et in omnem eventum admiſſio eadem die, & in eodem Capitulo ad profeſſionem intelligi debet, ut prius admittatur ad profeſſionem qui prius habitum ſuſcepit, & qui prius annum probationis peregit; cùm hujuſmodi admiſſio recipiat interpretationem paſſivam a S. Conc. Trident. & a diſpoſitione juris communis, ab eaque reguletur juxta *l. Quæro*, §. *Inter locatorem*, *ff. locati*, & 18

l. 2.

l. 2. ff. de pact. dotal. cum aliis congestis per Mantic. *de tacit. & ambig. lib. 3. tit. 8. num. 2. & 3.* secundum quam præcedentia regulatur a prioritate temporis, *cap. 1. &* ibi Glos. *v. fuerit de major. & obed. d. l. 1.* & ibi Bart. n. 4. & Addit. *v. Antiquior, de alb. scrib.* Aretin. *cons. 23. sub n. 10.* cum aliis adductis a Leonel. *de præced. homin. q. 3. art. 7. col. 5.*

19 Qua ratione etiam S. Congr. Concil. Trid. declaravit in professis eadem die præcedentiam deberi ei, qui prius habitum Novitiatus suscepit, Barbos. *de jur. Eccl. c. 46. n. 56.* Quæ declaratio est conformis resolutioni Rotæ apud Seraph. *dec. 326. n. 3.* ubi in specie resolutum fuit, præcedentiam deberi eodem tempore creatis, seu admissis ratione antiquioris ingressus in Religionem.

20 Nec obstat, quod Superiores differre possunt professionem etiam per aliquod tempus post finitum Novitiatum. Quoniam intelligitur dummodò dilatio non præjudicet Novitiis, & quatenus ex justa causa differatur, ut advertunt Sayr. *in flor. decis. super Consil. Navar. tit. de Regul. dec. 35.* Mirand. *in Manual. Prælat. tom. 1. qu. 25. artic. 10.*

21 Hinc pariter non obstat, quod prius acceptatus prius fuerit positus in scrutinio. Quia, ultra quod fuerint ambo acceptati in eodem Capitulo, ac proinde non detur prius, & posterius in acceptatione ad not. *in l. hæredes palam, §. uno contextu, & l. Cùm antiquitas, C. de test.* Jas. *in l. lecta, num. 14. ff. si cert. pet.* Roman. *cons. 445. n. 3.* Paris. *cons. 54. n. 66. l. 1.* Gabr. *concl. 13. n. 2. de præs.* respondetur, quod præcedentia regulatur a die admissionis ad habitum Religionis, Greg. *dec. 341. num. 1.* quod etiam voluit Rot. *dec. 7. de concess. præbend. in antiq.* Idque procedere etiam in possessione respectu cujuslibet dignitatis notant Doctores *in l. 1. C. de Comsul. lib. 12.* Panz. *cons. 162. n. 1.* Odd. *cons. 14. n. 7.* Gam. *dec. 1. n. 14.* Lanar. *cons. 28. n. 1.* Peregr. *cons. 84. n. 37. lib. 1.* ubi comprobat hanc conclusionem, quod inter plures is præcedit, qui prius dignitatem assecutus fuit, Galvan. *cons. 29. n. 12.* Seraph. *dec. 326. n. 3.* Caval. *dec. 109. n. 1.*

22 Quo fit, ut nulla habenda sit ratio prioris acceptationis. Quia in materia præcedentiæ non attenditur prioritas tituli, sed effectuationis captæ possessionis, *leg. 1.* ubi Bart. *per tot.* & Jo: de Plat. *in princ. C. de Consul. l. 12.* & latè ac egregiè tradit Gonzal. *d. §. 3. proœm. n. 23. & seq.* ubi ampliat etiamsi per priorem habentem titulum non steterit, quin prius caperet possessionem, vel propter litem, vel propter alium impedimentum. Quod etiam tenet Garz. *de benef. part. 4. cap. 5. n. 77.* quos refert, ac sequitur Rot. *in recent. part. 2. dec. 410. sub n. 4.* quæ distinguendo inter præcedentiam, quæ coheret rei, & præcedentiam cohærentem personæ, magistraliter cum pluribus authoritatibus firmavit in Vicen. præcedentiæ 27. Aprilis 1594. coram Gypsio, id procedere de omnium Ecclesiarum observantia. Quod confirmavit *dec. 372. n. 3. p. 1. rec.* & alibi.

23 Nec obstat protestatio seu conditio injuncta, quod scilicet præcedentia dari debeat prius acceptato. Quoniam tanquam actus gestus sine Capitulo non potuit præjudicare simplicibus atque absolutis admissionibus capitulariter factis ad habitum, & ad professionem absque hujusmodi protestatione, & conditione. In actibus enim, in quibus requiritur Capitulum, nihil relevant gesta etiam omnium, nisi ii sint capitulariter congregati, *cap. Novit, de his, quæ fiunt a Præl. sine cons. Cap. cap. in Genesi,* & ibi Glos. *v. communiter, & v. nec singularibus, de elect. & in cap. Cùm omnes, v. Constitutum in fin.* quam ibi sequuntur Abb. num. 5. Bald. num. 38. Butr. num. 23. traditque Navar. *cons. 76. n. 1. lib. 2. de regul. & cons. 37. n. 2. l. 3. eod. tit.* Pet. de Ubald. *de Canon Episc. cap. 4. q. 2. n. 3.* Galban. *d. consil. 29. n. 19.* Et multò minus relevare possunt aliquorum acta extra Capitulum, ut in fortioribus de Superiore Generali, quod nequeat circa præcedentiam Religiosi præjudicare extra Capitulum generale, advertit Campanil. *in diverf. Jur. Canon. rub. 12. cap. 12. n. 7.*

24 Nec consensus illius, qui prius habitum suscepit adhuc minoris, sive tacitus, sive expressus aliquod præjudicium sibi inferre potuit. Quia fuit præstitus sine Curatore, & absque solemnitate ex cumulatis per Simoncell. *in tract. de decr. lib. 1. tit. 3. inspect. 1. n. 1. & seqq.* ac præcipuè n. 9. Et cùm ipse sit minor, esset restituendus adversus læsionem, etiam futuram, ut notat Odd. *de restit. p. 1. q. 9. art. 11. n. 95.* Quæ quidem restitutio datur etiam ad effectum præcedentiæ, ad tradita per eundem *p. 2. q. 99. n. 87.*

25 Quinimmò etiamsi adesset conventio, & pactum expressum de danda præcedentia illi, qui posterior fuit in susceptione habitus, & in conficiendo annum Novitiatus; tamen ea, tanquam conventio contra bonos mores, & ambitiosa, præsertim in Religiosis, esset execranda nulloq; modo attendenda, *l. Jurisgentium §. Ait prætor,* & ibi Glos. *v. Adversus leges, ff. de pact. cap. Quia in tantam de præb. & dign. & Extravag. Execrabilis eod. tit.* Unde de jure non tenet *cap. miramur 61. d.* & docet D. Thom. *2. 2. q. 131. art. 1.* Ad ambitionem enim refertur inordinatus appetitus honoris, & præcedentiæ, *l. Ambitios. ff. de decret. ab Ordin. fact. l. un. C. ad l. Jul. de amb. l. si quenquam, C. de Episc. & Cler.* Et proinde tanquam secretum venenum, & pestis occulta debet a statu religioso removeri, ut latè probat Archid. *in cap. ult. de rescript. in 6. & in c. Avaritiæ de elect.* Sanch. *in Decal. lib. 6. c. 8. n. 16.*

Et in puncto de conventionibus, & pactis in ingressum Religionis est textus *in c. Quam pio,* ubi Glos. *v. Pactum 1. q. 1.* Docent Navarr. *cons. 25. in ord. de Regul.* Guidop. *q. 9. per tot.* Quod procedit etiamsi lex non diceret, quod hujusmodi pacta non valeant, sed simpliciter ea prohibeat, & etiamsi essent jurata, *Cap. si diligenti de for. comp.* Bart. *in l. Sejus, & Agerius, ff. ad l. falcid. & vulg. l. non dubium, C. de legib.* Quod etiam comprobat Decian. *cons. 21. n. 73. lib. 1.* ubi etiam ita argumentatur, ut non possit fieri per pactum, quod per consuetudinem induci non potest ad text. *in l. non impossibile, ff. de pact.* Bald. *in l. de quib. n. 5. ff. de legib.* Per consuetudinem autem induci non potest, quod minor præferatur majori, Præpos. *in cap. Consuetudo in princip. 12. qu.* Galvan. *d. cons. 29. sub num. 24.* Quia esset consuetudo irrationabilis. 26

In dubium autem revocari non potest, quin esset conventio ambitiosa, cùm ambierit velle, quod sibi de jure non debetur, *d. cap. Quia in tantam de præb. & dignit.* Et in specie, quod non valet pactum, neque renunciatio super præcedentia, cum concernat jus publicum, pacem, & concordiam humanæ societatis, fundatum nedum in jure Canonico, *d. cap. 1. de major. & obed.* sed etiam in jure Civili, *d. l. 1. ff. de alb. scrib. & lib. 1. §. hujus studii ff. de just. & jur.* immò, & in jure naturali, *cap. Est ordo 33. q. 5.* tradit Decian. *respons. 2. num. 70. & seqq. lib. 3. & cons. 19. num. 40. & 41. lib. 3.* Campanil. ubi supra *d. cap. 12. per tot.* & signantem *n. 4. ac seq.* 27

Unde licet regula sit, quod quilibet favori suo, ac pro se inducto possit renunciare, ea tamen limitatur, primò, quando favor iste concernit non solùm privatam, sed publicam quoque utilitatem inseparabiliter, ut latissimè illam exornat Felin. *in cap. si diligenti, n. 16. & seq. de for. comp.* Favor autem prælationis inter Religiosos juxta eorum antiquitatem respicit utilitatem publicam Religionis, ut status Religionis ordinatè procedat, & conservetur ex Roderic. supra *tom. 3. qu. 37. art. 2.* Atqui deputari opus laudabile, quod quis instet pro præcedentia sibi debita authoritate S. Leonis probat Card. Baron. *tom. 6. Annal. sub anno 448.* & tradunt Decian. *cons. 67. n. 1. lib. 2.* Navar. *in cap. Inter verba 11. q. 3. concl. 5. n. 47.* Et in viris religiosis idem tenuit Navar. dict. num. 47. & confirmat idem Roderic. *d. qu. 37. art. 2.* quem sequitur Campanil. *d. rubr. 12. cap. 13. n. 2.* Secundò, limitatur, quando renunciatio esset contra bonos mores, vel induceret ad peccatum, Felin. *in d. cap. si diligenti, n. 21. de form. compet. & n. 24.* ubi ideò infert ex simili quod juri reverentiali non potest renunciari. Quod autem ejusmodi renunciatio esset contra bonos mores, & induceret ad peccatum ex eo videtur deduci, quod tribuit occasionem non solum inferiori se per ambitum intrudendi, ac captandi locum Superioris, quod non debet permitti ad text. *leg. lex neminem, C. de offic. magister.* Felin. *in d. cap. 1. num. 8. de major, & obed.* Sed etiam aperit viam Superioribus Religionum admittendi conventiones, & conditiones in acceptationibus ad habitum regularem, & in admissione ad professionem; atque ita ingens profectò præberetur ambitionis materia in ipso ingressu Religionis, sicque actus legitimi, tanquam a lege introducti reciperent conditiones contra vulgarem regulam, quod actus legitimi illas non recipiant, *l. actus legit.* ibique Din. *ff. de reg. jur.* Quod quidem abhorret a communi sacrorum Canonum dispositione, & a consuetudinibus omnium Religionum, quæ ut observentur, Superiores Regulares omninò curare debent, *cap. Cum nobis olim de elect. cap. Cùm dilecti, de dol. & contum.* Roder. *tom. 1. qu. 68. art. 3.* Mirand. *in Man. Præl. qu. 9. art. 2. concl. 1. & 2.* Campanil. *d. rubr. 12. num. 7.* qui loquitur in puncto præcedentiæ.

Atque ita declaravit S. Congreg. Episcoporum, & regularium negotiis, &c. in una *Rhegien.* professionis die 11. Augusti 1638. 29

CON-

CONSULTATIO CL.

An intimatio disdictæ locationis domus, facta judicialiter Clerico coram Judice laico sit contra immunitatem Ecclesiasticam?

1 NEgativè videtur resolvendum. Quia intimatio hujusmodi judicialiter juxta pactum dicitur facta, dum per Cursorem, & coram Judice laico facta fuit, *l. voluit, de Judic. act.* Anan. *cons.* 85. *n.* 2.

2 Nec obstat, quod sit facta coram Judice laico contra Ecclesiasticum. Primò, quia cùm conductor esset reus, & intimaret disdictam pro sua liberatione a continuatione locationis, potuit profectò eam sic facere, ex Bald. *in l. Acceptam qu.* 13. *n.* 40. *C. de usur.* Alex. *cons.* 103. *num.* 4. *lib.* 5. Prout etiam videmus in disdicta census, & depósito, quæ fieri debet coram Judice rei, ex quo censuarius est reus, & agit solum, ut liberet se, & bona sua a nexu, & obligatione solvendi censum, nec contractum impugnat, Felin. *de censib. tom.* 2. *lib.* 4. *c. unic. n.* 3. *in fin.* & clariùs Cencius *de censib. p.* 3. *c.* 1. *q.* 3. *art.* 9. *n.* 6. Unde cùm conductor non impugnet locationem, sed tantùm disdicit continuationem, potest disdictam facere coram Judice suo, & præsertim cum ibi adsit instrumentum conductionis.

3 Secundò, quia intimatio ista sonat in declarationem voluntatis tantùm, nec respicit aliquem actum judicialem. Quo casu benè potest fieri coram Judice laico, ut per Bald. *in l. testamenta, n.* 6. *C. de testam.* Et cùm facta fuerit per acta Notarii laici, quem Clericus elegit, ac pro notitia inferenda, poterit etiam fieri coram Judice laico, Surd. *dec.* 26. *n.* 16. ad rem quidem opportunè.

4 Nec Clericus locator citatur ad comparendum, sed monetur solùm, quod conductor non intendit amplius continuare locationem. Quod si postea nollet ille comparere, & in contrarium aliquid docere, cum diceretur actor, & non reus, debet ibidem agere, ut per Castr. *d. l. testam. n.* 7. ubi ait sic se consuluisse, & menti esse tenendum, quia quotidie de facili contingere potest similis casus, de quo etiam Viv. *dec.* 3. *n.* 3. Idem tradit Felin. *in c. Ecclesiæ S. M. n.* 68. Aufrer. *de potest. sæcul. super Eccles. reg.* 2. *n.* 5 *fall.* 9. & alii allegati a Grass. *de effect. Cleric. effect.* 1. *n.* 959.

5 Quo fit, ut si de jure, vel ex consuetudine, vel ex statuto requiratur insinuatio, vel publicatio, vel quid simile alicujus Instrumenti, & veniat intimandus Clericus, tunc potest etiam coram laico intimari, ut per Aufr. ubi sup. *n.* 9. & 11. *fall.* 8. 9. & 11. Grass. *ibid. n.* 660. & *seq.* Viv. *d. dec.* 3. *num.* 2. & *seqq.* Quod plenè prosequitur Mandel. Alb. *cons.* 208. *n.* 8.

Siquidem agitur solùm de declaratione voluntatis, Alban. *d. cons.* 208. *n.* 9. Et intimatio valet, ut scientia. Facti enim scientia nulla juris constitutione potest prohiberi, licet cautius esset id facere coram Judice Ecclesiastico, ut per Bald. *in cap. fi Instrumenta, n.* 5. *de fid. instrum.* non tamen est necesse, nec ad id cogi potest. Quinimmò valdè differt monitio ista a citatione, cum monitio non arguat superioritatem moniti, ut ex Glos. *in c. Cùm causa de off. deleg.* notat Afflict. *dec.* 24. *n.* 8. Quod si aliter diceretur, nimirum disdictas importare principium, seu partem judicii, sequeretur, quod disdictæ, quæ fiunt, & Societatibus officiorum in Curia laicali contra Clericos, essent nullæ, & tamen Pontifex mandat, quod alibi factæ, quàm in officio Notarii rogati, sint nullæ.

6 Enim verò quoad jus fori est inspicienda natura causæ, ut ait Bald. *in auth. Clericus n.* 2. *C. de Episcop.* & *Cler.* Itaut si etiam Clericus citetur pro suo interesse in confectione Inventarii coram laico, & velit deducere aliquid ad actum impediendum, debet necessariò iliud deducere coram Judice competente illius causæ, Viv. *dict. dec.* 3. *num.* 6. Ac ubi citatio non fit ad effectum, ut Clericus compareat, vel aliquid faciat, sed solùm, ut habeat notitiam eorum, quæ fiunt, & possit contradicere, si velit, tunc dicitur satisfactum, si legitimè moneatur etiam coram laico, ut per Alban. *d. cons.* 208. *n.* 8.

7 Quæ sanè ratione ad instantiam hæredis laici, & Judicis quoque laici ita permittentis, possunt Clerici etiam Sacerdotes citari ad videndum confici Inventarium, & transumi instrumenta, &c. Quia talis citatio, sive denunciatio obtinet vim monitionis potius extrajudicialis, etiamsi fiat coram Judice laico, cùm non habeat vim præcepti, ut per Mont. *de Invent. q.* 230. *n.* 20. Id ipsum videmus in ipso Episcopo exequutore testamenti, qui pro Inventario tenetur adire Judicem laicum, Aufr. *ubi supr. fall.* 11. *n.* 12. Grass. *d. eff.* 1. *n.* 962. Maximè quia fuit dictum de disdicta judiciali ad differentiam extrajudicialis, quæ oretenus solet fieri, ne esset in potestate discentis postea recedere. Nec Judex desuper debet aliquid interloqui, seu pronunciare, negando, vel concedendo, neque Clericus potest contradicendo impedire, quominus conductor declaret suam voluntatem, ut per Gratian. *disc.* 720. *n.* 2. & *seqq.* dicens, similes denunciationes, & protestationes, non esse in forma judicii, nec actus judicii includere.

Quod verò ad reconductionem tacitam, deductam ex continuatione post disdictam, dicitur intelligi pro tempore, quo conductor inhabitat, & non ultra, Bald. *in l. leg. n.* 4. *Cod. locat.* & *l. Item quæritur, §. qui completo, ff. locat.* Ruin. *cons.* 61. *n.* 11. *lib.* 1. Mantic. *de tacit. l.* 5. *tit.* 5. *n.* 2. Et speciatim de domo, quod non censeatur facta reconductio pro eodem tempore, sed solùm pro tempore, quo quis inhabitat, notat Surd. *dec.* 33. *n.* 11. & *seq.* Jas. *cons.* 49. *n.* 11. *lib.* 3. Mantic. *d. l.* 5. *tit.* 15. *n.* 2. 8

Et quamvis tacita reconductio censeatur facta cum eisdem pactis, & conditionibus, hoc tamen non intelligitur quoad obligationem Cameralem, Bald. *d. l. legem, num.* 2. Jas. *d. cons.* 49. *n.* 12. *lib.* 3. Afflict. *dec.* 365. *n.* 15. Gallesius *de oblig. Camer. q.* 31. Nec quando agitur de pactis non existentibus de natura locationis, Bero *cons.* 153. *lib.* 1. *num.* 43. & *seq.* Ut est pactum denunciandi, Alex. *cons.* 76. *lib.* 5. *num.* 8. Minus verò stante disdicta clara, ex qua tollitur animus præsumptus continuandi juxta primam locationem, ut post Alex. *cons.* 28. *lib.* 4. *n.* 4. tradit Cephal. *cons.* 475. *n.* 5. Mantic. *d. lib.* 5. *tit.* 15. *n.* 19. aliique. Quia tacita locatio in tantùm habet locum, in quantum non constat de contraria expressa protestatione, Magon. *dec. Flor.* 140. *sub n.* 1. & 2. 9

Nihilominus tenendum est, intimationem hujusmodi factam Clerico repugnare Immunitati Ecclesiasticæ, cùm Judex, coram quo facta est, sit merus laicus, ut in terminis respondit insignis Jurisperitus, & quidem laicus, scribens coram laicis Judicibus Riminald. jun. *cons.* 386. *in princ.* & *per tot.* ubi concludit, licentiam recedendi a laboratura, quam notificare fecit Colonus laicus Clerico locatori coram Judice laico, esse ipso jure nullam. Qui Clerici subire nequeunt judicium laicorum, & pluribus optimisque rationibus deducit tunc non suffragari neque uti judicialem, neque uti extrajudicialem. 10

Quod faciliùs admittendum videtur in hoc casu, in quo Clericus per pactum expressum sibi consuluit intimationem fieri debere judicialiter, ut in Instrumento locationis, ibi: *Teneatur intimari facere judicialiter alteri parti, &c.* Unde hoc verbum *judicialiter* non debet in contractu remanere sine effectu operandi, Bald. *in rubr. C. de contrab. empt. n.* 16. cum aliis per Surd. *dec.* 262. *n.* 36. relatis. Immò debet propriè ac strictè interpretationem accipere, non autem largo modo, Alex. *cons.* 204. *n.* 7. & *seqq. lib.* 2. Bero *cons.* 95. *n.* 18. *lib.* 2. ac benè Surd. *dec.* 288. *n.* 27. Et sic de intimatione facta coram Judice, habente jurisdictionem, cum illa sit basis ac fundamentum Judicii, ut inquit Vantius *de nullit. ex defect. jurisd.* & Judex in causis, in quibus sine jurisdictione procedit, reputatur tanquam metus privatus, Alex. *cons.* 77. *n.* 9. *lib.* 2. Mandel. Alban. *cons.* 70. *in fin.* Quare, ut citatio valida sit, inter alia quoque requiritur, ut fiat a Judice competente, *l. ult. ff. de jurisd. l. contumacia* 53. *§. ult. de re judic.* Gall. *lib.* 1. *observ.* 48. *n.* 7. & *seqq.* 11

Cùm igitur ex pacto hæc intimatio foret judicialiter intimanda, & sic judicialitas sit requisita pro forma tanquam non respiciens certum effectum, sed modum, & ordinem conficiendi actum, Bart. *in l. Cùm hi, §. præter, ff. de transact.* cum plenè deductis per Rot. in Placentina Decimar. 3. Decembris 1629. coram Durano: Et verba contractus excludant acta extrajudicialia, sintque clara, atque emanuerint in contractu per modum pacti, debent cum effectu, & in proprio significatu intelligi, & in forma specifica adimpleri, ac proinde coram Judice jurisdictionem habente, ex quo actu facto coram Judice carente jurisdictione, habentur pro actibus extrajudicialibus, ut fuit dictum in Granaten. computorum 27. Novembr. 1623. & 29. Aprilis 1624. coram Decano: utique hujusmodi intimatio dici non potest simplex declaratoria voluntatis, sed incitatoria, arctans ad comparendum, ut scitè per Bald. *in l.* 1. *n.* 6. *C. de peric.* & *comm. rei vind.* Jo: de Amic. *cons.* 145. *n.* 4. & 5. Quod sequitur Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 5. *in fin.* 12

Idque comprobatur. Quia cùm intimatio disdictæ tunc dicatur declaratoria, quando fit extrajudicialiter, ut per Boccac. *de Societ. offic. cap.* 154. cum Tiraquell. & Afflicto per eum allegatis; ideòque nisi pactum intelligeretur de judicialitate, quæ ultra declarationem voluntatis arctaret citatum ad comparendum videtur superfluum contra notata per Bald. *in d. rubr. C. de contrab.* cum similibus. 13

Et in hac specie, quod intimatio judicialis non possit 14

dici,

dici, nisi quæ fit coram Judice in figura judicii latè, ac benè comprobat Tiraq. *de retr. lign. §. 36. gl. 3. n.* 55. quo ex Surd. *cons.* 326. *n.* 24. dixit, confessionem coram Judice incompetente factam, non posse dici judicialem.

15 Itaque ejusmodi intimatio adversatur Immunitati Ecclesiasticæ. Quia Clericus non potest conveniri coram Judice laico, *cap.* 1. *& cap. si diligenti de for. comp. c.* 2. ubi Glos. *eod. tit.* Traditque Surd. *cons.* 396. *n.* 14. Quod adeò verum est, ut incitans Clericum coram Judice sæculari debeat causam amittere, ac prætereà, si est Clericus, privetur communione sacramentorum, fiatque irregularis, sive causa sit criminalis, sive civilis ex cumulatis per Gras. *d. effect.* 1. *n.* 113.

16 Et sanè quod actus non dicatur judicialis, nisi fiat in judicio de mandato Judicis ad text. *in cap. Forus de v. signif.* censuit Rot. *in rec. dec.* 522. *n.* 3. *p.* 2. Et ideò citatio non habetur pro judiciali, nisi fiat de commissione Judicis, sicut latis adductis consuluit Alex. *cons.* 78. *n.* 10. *lib.* 5. Simon. de Præt. *cons.* 161. *num.* 77. Rot. apud Cenc. *de cens. dec.* 161. *n.* 3. *& sub num.* 6. *cum seqq.* Unde eo ipso quòd Cursor retulit, citasse de mandato Judicis, illi creditur secundum Baldum, qui ita de consuetudine servari in causis civilibus fatetur *in l. fin. sub n.* 3. *C. de exhib. & transm.* quem sequitur Vant. *de nullit. ex defect. cit. n.* 41. Caputaq. *dec.* 245. *n.* 2. *p.* 2. Grat. *disc.* 136. *sub n.* 37. *lib.* 4. Idque esse notissimum dixit Rota apud Cencium *d. dec.* 161. *n.* 8.

17 Hincque patet, non subsistere explicationem datam, quod judicialiter intelligi debeat apud acta judicii. Quia nunquam dici potest judicialiter fieri aliquid, si Judex sit absens, sed Judicis præsentia requiritur, ut latissimè per Tiraquell. *d. gl.* 2. *num.* 54. *& seq.* Præter quod hucusque nulla ratio, nullusque Doctor in hanc rem adducitur, qui hujusmodi violentiam verborum fieri posse probet, vel indicet, & tamen certum est, verba contractus propriè intelligenda esse ex superius deductis,

18 Decisio autem Surdi 26. *sub n.* 15. *in fin.* non applicatur. Loquitur enim in casu, in quo non requirebatur scientia judicialis, ut in hoc requiritur ex verbis pacti, sed sola scientia simplex. Ita etiam loquitur Bald. per Surd. allegatus. Et ulterius eorum dictum etiam in illo casu est contra receptam opinionem, quod actus gestus coram Judice sæculari non præjudicet Clerico, neque uti extrajudicialis, cùm sacri Canones in totum illi resistant, ne detur occasio libertatem Ecclesiasticam violandi, ut nominatim post Marth. & alios latè probat Ric. *dec.* 81. *n.* 7. *& seqq. p.* 4. Riminald. *d. cons.* 386. *n.* 4. *& seq.*

19 Motivum deductum ex eo, quod Clericus instrumentum locationis fecerit in officio Notarii laici, arguendo ex hoc ipsum censeri consensisse in Judicem laicum, est contra textum expressum *in cap. Si diligenti de for. comp.* ibi: *manifestè patet, quod non solùm inviti, sed etiam voluntarii paciscì non possint, ut sæcularia judicia subeant*, & infra declaratur nullum etiam juramentum desuper interpositum, quem textum benè ponderat Riminald. *d. cons.* 586. *n.* 1. *& seqq.* aliisque etiam laicorum Doctorum authoritatibus exornat Valenzuela, Regens Consilii Neap. *cons.* 42. *n.* 2. *& seqq.* ac præcipuè n. 5. ubi etiam si consensisset Episcopus, & sive principaliter, sive incidenter agatur de causa Clerici, Surd. *d. dec.* 26. *n.* 4. *&* 5. Rot. cor. Card. Seraph. *dec.* 957. *n.* 4. *cum seq. & n.* 8. subjungit, quod si tunc Clericus sit contumax, non habetur pro consentiente.

20 Quare non obstat, quod Clericus non comparuerit ad declinandam jurisdictionem. Quia ipso jure intimatio, & omnia inde sequuta sunt nulla, ut per Felin. *in cap. Cùm ordinem, num.* 15. *de rescript. & cap. si duobus de appell.* ac censuit Rot. *dec.* 81. *n.* 2. *&* 3. ibique Add. *post* 1. *lib. cons. Farinac.* Ubi quod nec etiam volens potest conveniri coram Judice laico, tanquam incapaci hujus jurisdictionis. Quod & fusè defendunt Roland. *cons.* 4. *num.* 8. *& seqq. lib.* 1. Surd. *ubi supra n.* 15. & Gras. *de effect.* 1. *n.* 42. pluribusque seqq. Quia id privilegium non est concessum personæ, sed ordini Clericali. Ac proinde non potest nocere Clerico, quatenus fori declinatoriam ipse non allegaverit. Prætereà sicut non potest expressè prorogare laici jurisdictionem, ita multò minus tacitè, quemadmodum arguit Surd. *dec.* 26. *sub n.* 12. *& seqq.* Quod ita certum est, ut nec laicus dicatur Judex competens, quamvis Clericus coram ipso apertè ad causam veniat, & fori privilegio renunciet, ut docet Specul. *tit. de prim. decr. §. Restat videre, n.* 24. cujus opinionem Rota canonizavit apud Pacificum de Salv. *interd. dec.* 238. *n.* 23.

21 Minus obstat, quod dicatur, id non procedere in actibus voluntariæ jurisdictionis, in quibus volens comparere efficitur actor. Tum quia conclusio procedit ubi quis citatur pro suo tantùm interesse, non autem quando citatur simpliciter tanquam habens principalem causam defensionis, ut per Rot. *d. dec.* 81. *n.* 4. ubi declaratur ita procedere dictum Baldi, ejusque sequacium, qui pro dicta conclusione solent allegari *in testamenta C. de testam.* Tum præterea quia ex supradictis satis constat, nos non esse in actu voluntariæ jurisdictionis, sed in judicialitate intimationis pro forma requisita. Tandem id habet locum in illis casibus, in quibus Judex laicus est competens Clerici, secus autem, in quibus non est competens, ut rectè distinguit Surd. *d. dec.* 26. *sub n.* 20. *& seq.*

Atque ideò non videtur alicujus momenti, quod Instrumentum locationis rogatum fuerit a Notario laico. 22
Quia non ex hoc inferri valet, quod judicialis intimatio, in eo conventa, fieri debeat coram Judice laico, coram quo conveniri non potest, sumendo voluntatem a potestate. Stipulatio enim a tali Notario fieri poterit, uti creato authoritate Apostolica, non autem tanquam Actuario Judicis laici, vel creato a Principe sæculari. Quo casu esset prohibitum, se rogari de re Ecclesiæ, & pro persona Ecclesiastica, Gabriel alios allegans *de fid. Instrum. concl.* 1. *num.* 7. & resolvit Rot. *in Ulisbonen. Prioratus* 14. Martii 1611. coram Sacrato. Præterquod id non excluderet, quin esset coram suo Judice Ecclesiastico conveniendus. Sicuti videmus, dum Clericus coram laico fidejubet, judicatum solvit, ut latè per Surd. *cons.* 396. *n.* 23. *lib.* 3. & per Grat. *discept.* 8. *n.* 29. *& seqq. lib.* 1.

Nec reformatio Tribunalium Urbis de disdicta Societatis Officii allegari meretur ad hunc effectum. Cùm 23
eo casu inducta sit ad evitandas fraudes, nec loquatur quando intimatio disdictæ est judicialiter facienda, & sit speciale, quod trahi non debet ad casum præsentem, in quo nec ratio, nec verba reformationis adaptantur. Et tamen certum est, non licere arguere ad extensionem jurium lædentium libertatem Ecclesiasticam, sed illa potius restringenda sunt quantum fieri potest, ut latissimè comprobat Gras. *d. effect.* 1. *n.* 1080. *cum seqq.*

Similiter non obstat, quod forma ista judicialiter dis- 24
dicendi sit inducta ad certum effectum scientiæ. Unde poterit impleri per æquipollens. Si enim hæc argumentatio admitteretur, omninò sequeretur destructio pacti expressè requirentis judicialem intimationem. Nam si conductor coram testibus protestaretur extra judicium, vel epistolam Clerico transmitteret, vel intimationem coram quolibet privato faceret, induceretur scientia, & tamen ex verbis pacti convincitur, quod non sufficeret. Ubicunque enim datur certus modus faciendi, etiamsi detur ad certum effectum, attamen aliter impleri non potest, ut declarat Marescot. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 68. *n.* 3. & firmavit Rot. *in d. Placentina Decimarum* coram Durano. Ea enim verba *Teneatur intimari facere alteri parti*, important formam præcisam, & necessitatem, ut tradunt Anton. Monach. *decis. Lucen.* 53. *sub n.* 33. *cum seqq.* Barbos. *v. Teneatur dict.* 350. *n.* 1.

Hinc non subsistit, quod intimatio reproducta in actis 25
coram Notario, & testibus dicatur judicialis, estque mera fallacia. Nam Boccac. *de soc. offic. n.* 154. *sub princ.* Rota apud ipsum coram Achil. sub n. 190. & Castrac. pro contraria sententia deducti expressè exemplificant in disdicta Societatis officii, affirmantque hujusmodi intimationem ita emanatam, pro actu extrajudiciali judicandam esse.

Idipsum clarius confirmatur ex eo, quod omnia, quæ 26
apud acta gerunt, Notario præsente, sed Judice absente, quinnimmò, & ipso Judice præsente, sed non in forma judicii, dicuntur extrajudicialia, non autem judicialia juxta notata per Glos. *in l. Jubemus, v. Aliud judicium, C. de liber. caus.* & copiosè deducta per Tiraquell. ubi supra *§. 36. glos.* 2. *sub n.* 54. *&* 55. ubi resolvit, notificationem non esse actum judicialem, dum fit in Actis coram Notario, ac etiam Judice præsente, si ipse in forma judicii non reperitur. Quæ adeò efficaciora redduntur, ut ea, quæ coram Judice sunt terminanda, expediri coram Notario non valeant, Glos. *unic. in l.* 2. *ad fin. C. de jur. fisc. l.* 10. & alibi, ut per Angel. *cons.* 196. *n.* 2.

Sed negari etiam potest ex hujusmodi intimatione se- 27
qui eundem effectum certiorationis ex pacto requisitæ. Tum quia ubi intervenit color judicii, & præsentia Judicis major adest deliberatio, & ponderatio negotii secundum Jas. *in l. pacta novissima, n.* 4. *C. de pact.* ubi plurimis exemplis comprobat; quæ tamen non adest, quando Judex non est competens, ut in terminis dixit Rota in Romana fideicommissi 16. Novembris 1524. coram Remboldo. Tum quia poterit ita conveniri, ut fieret coram Judice competente, ut cognoscere posset,

an in-

an intimatio esset ritè ac rectè facta, vel haberet aliquos defectus, cùm regulariter Judex competens dicatur ille, ad quem pertinere potest cognitio, Aretin. *consil. 36. n. 7. ad fin.* Tum etiam quia cùm Clericus sit tutus in regula libertatis Ecclesiasticæ, putat, quod dum Conductor facit actum notoriè nullum, videatur potius nugari, quàm aliquid aliud inducere, Surd. *dec. 7. n. 28.* Lancell. Gall. *ad consuet.* Alex. *v. legare, q. 7. n. 61. & seq.* Card. Mantic. *de conject. lib. 4. tit. 1. n. 27.*

28 Nec deferendum est Cencio *de censib. p. 3. c. 1. qu. 3. ar. 9. n. 6.* dicenti, disdictam census fieri debere coram Judice debitoris. Quia contrarium tenuerunt in specie Gratian. *discept. 795. n. 15.* & Gaspar. Roderic. *de ann. reddit. lib. 1. qu. 18. n. 54.* Præsertim cum Baldus, & alii allegati per Cencium loquantur in diversis terminis, quando nimirùm debitor vult se liberare a Creditore per depositum sortis principalis, non autem quando vult distrahere contractum, cùm in distractu adiri debeat judex creditoris, non autem debitoris. Nam agens ad distractum tenetur sequi forum illius, qui convenitur, ut expressè cavetur *in lib. 2.* ubi Bald. *in sum.* Castr. *n. 1. C. ubi, & apud quem* cum aliis congestis a Tiraquell. *de retr. lignag. §. 8. glos. 5. n. 2.* Quod autem in hoc casu agatur de distractu tenuit post plures decisiones relatas idem Cencius *part. 3. cap. 1. quæst. 3. artic. 1. num. 14. & seqq.* & in puncto disdictæ locationis, quod sit distractus locationis Marth. *vot. 35. n. 4.* Quod quidem confirmatur ex motu proprio Pauli III. super facultatibus Eminentissimi Cardinalis Vicarii Urbis, in quo statuitur, causas omnes Clericorum, ac bonorum Ecclesiasticorum, etiam ubi agitur de locatione, sivè activè, sive passivè, & sit sive sint actores, sive rei, spectare ad ipsum Vicarium Urbis privativè quoad omnes cum clausula sublata, & decreto irritante.

29 Immò etiam in puris terminis juris communis, regula illa, quod actor sequatur forum rei non procedit quando controversia est circa bona Ecclesiastica. Tunc enim nedum si reus sit laicus, verùm etiamsi agatur de solo utili dominio, vel de sola possessione inter meros laicos, attamen solus Judex Ecclesiasticus est Judex competens, prout firmavit Rota *in Romana* de Scapucciis post *lib. 2. Farinac. dec. 305. per tot.* quæ fuit prudentissimè confirmata in Ravennaten. emphyt. 28. Maji 1631. cor. Merlino.

30 Simile de Inventario, & aliis hujusmodi. Tum quia similes citationes sunt voluntariæ respectu Clericorum, qui citantur, quatenus sua putaverint interesse, ex quibus non arctatur Clericus ad comparendum, & consequenter citationes non afficiunt, nisi ipso volente, qui casus est diversus a nostro, in quo Clericus ex conventione expressa dicitur legitimus contradictor, contra quem Judex laicus procedere non valet: non applicatur. Quia est actus merè extrajudicialis, ut benè declarat Mantic. *de Invent. c. 8. n. 20.* Prætereà de jure verior opinio videtur, quod si Clericus sit creditor certus, in confectione Inventarii non possit citari coram laico, prout tenuerunt Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 11. n. 50.* Dian. *part. 1. tract. 2. resol. 20.* ubi alios concordantes adducit, & defendit Bald. *in auth. Clericus n. 2. de Episc. & Cleric.* Quinimmò etiam in extrajudicialibus adsunt plura similia pro hac parte magis congruentia, & præsertim de decreto in contractibus minorum. Si enim minor sit Clericus, vel etiam in novitiatu alicujus Religionis approbatæ, requiritur Judex Ecclesiasticus, ut dixit Cened. *qu. 6. n. 14.* & tenuit Rot. in d. Romana fideicommissi 15. Novembris 1624. coram Remboldo.

31 Et generaliter, licet quoties actus est extrajudicialis soleat permitti juxta aliquos Doctores, quod possit Clericus ex mandato Judicis laici, vel coram illo citari, & conveniri, secus tamen est, quoties actus est judicialis. Quo casu Judex laicus est incompetens, & incapax quoad Ecclesiasticum, ut appositè explicat Dec. *consil. 700. sub n. 9.* Surd. & *d. dec. 26. sub n. 14.* Attamen sat est ut seriò animadverto, quod jura tàm civilia, quàm canonica, & divina universim, & indistinctè loquantur ad effectum, quod nequaquam laicus sive in judicialibus, sive in extrajudicialibus quoad bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticas personas se intromittat. Adeò quod sive agatur actione reali, sive personali, sive summariè, sive ordinariè semper resistet illius incapacitas, prout etiam notant Doctores *in auth. Statuimus, C. de Episcop. & Cler.* quæ est canonizata *in cap. statuimus 11. qu. 1.* nominatim verò Panorm. *in cap. si diligenti sub num. 2. de for. comp.* Roland. *consil. 12. n. 37. lib. 2.* Honded. *consil. 3. num. 21. lib. 1.* & favet Menoch. *de arb. lib. 1. qu. 43. n. 15. & lib. 2. cas. 246. num. 5.* & latè Gratian. *discept. 16. sub num. 24. lib. 1.* Ideòque nullum fieri potest fundamentum in eo, an Clericus sit reus vel actor. Tum quia nec in judicio diffamationis, in quo diffamans judicatur reus, non habetur Judex laicus pro competente, ut post modò relatos defendit Franch. *dec. 657. n. 4.* quem sequitur Capiblanch. *de jur. & offic. Bar. par. 3. pragm. 8. num. 83.* Tum pariter ex quo ad judicandum, an causa, & judicium sit Ecclesiasticum, inspicitur etiam, utrum Clericus sit actor, ut plenè tradit Honded. *cons. 20. n. 13. l. 2.* Rot. apud Pacific. *decis. 234. n. 2.* Add. ad Greg. XV. *decis. 235. num. 25.* Hic autem est reus, quia per dictam intimationem proceditur ad dissolutionem contractus contra ipsum, ideòque actor ejus forum sequi debet, *d. auth. Sancimus, C. de Episc. & Cler. & cap. non minus de immun. Eccles.* cum concordantibus.

Denique omnia similia, præter quod habent multos 32
contradictores, quos omitto, etiamsi vera essent in suis terminis, non applicantur, quando nedum agitur cum persona Ecclesiastica, verum etiam de re Ecclesiæ, in qua Clerici nullam habent jurisdictionem, etiam in extrajudicialibus, & actibus merè voluntariis, prout quando agitur de faciendo Inventario rerum Ecclesiæ, & Clericorum, quicquid sit quando res sunt laicorum, & Clericus habet interesse propter credita, vel legata, tenuerunt Senatus Delphinatus penes Franc. Marc. *dec. 105. per tot. p. 1.* & Gratianopolitan. apud Guidopap. *dec. 261. num. 2.* Rebuff. *ad Constit. Reg. tom. 1. tit. de sent. provis. tract. 3 glos. 3. n. 11.* Lopez *in rubr. de denot. inter vir. & uxor. n. 12.* Duard. *ad Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 11. n. 52.* pluresque alii.

Nec quævis consuetudo contraria attenditur. Quo- 33
niam nuncupatur potiùs abusiva possessio, omni jure prohibita; sicuti amplè fuit rejecta contraria consuetudo Anglicana per Rotam *dec. 10. per tot. de consuet. in antiq.* Ac ita de stylo Romano servandum esse, quicquid alibi servaretur post Aufrerium, & alios concludit Gratianop. *d. c. 16. n. 24. lib. 1.* Et ideò hujusmodi incapacitatem Judicis laici non purgari etiam ex immemorabili consuetudine, nisi Summi Pontificis auctoritas concurrat, firmat Mugnoz plures adducens *de ratiocin. administr. cap. 7. n. 20.* cum quo sentit Gratian. *c. 226. n. 6. cum seqq. lib. 2.* passimque alii.

Atque ita censuit S. Congregatio Immunitatis in una 34
Romana die 7. Aprilis 1641. nimirum intimationem disdictæ hujusmodi non fuisse factam coram Judice competente.

CONSULTATIO CLI.

METropolita Russiæ Ruthenus cum S. R. E. unitus 1
in Synodo suorum Episcoporum Constitutionem edidit contra Matrimonia clandestina, eandem prohibitionem continentem, quam continet Conc. Trid. *de reform. matr. sess. 24. cap. 1.*

Hanc Constitutionem edens, habuit intentionem ad 2
præfatum Concilium, eamque publicare fecit in omnibus Parochiis suæ Provinciæ; sed tàm in ea edenda, quàm in publicanda nomen Concilii Tridentini suppressit ob duas rationes. Altera fuit, ne unionem cum sancta Romana Ecclesia perturbaret, quod facilè evenisset, quia in magno semper timore sunt Græci, ne sui ritus mutentur, & persuasum habent, quod Latina Ecclesia intendit eos facere Latinos. Altera, ne Rutheni schismatici ob eandem rationem, & timorem ab unione magis averterentur.

Publicata prædicta Constitutione in Parochiis plura 3
matrimonia clandestina contracta fuerunt inter Ruthenos unitos, & etiam inter personas Principes, quæ Metropolita vigore dict. Constitutionis continentis prohibitionem Concilii irritavit, & contrahentes alia inie- 4
runt postmodum matrimonia. Quæritur nunc primò,

An irritationes, ut supra a Metropolita factæ sustineri possint in foro externo? Secundò, an saltem in foro conscientiæ? Tertiò, an possint saltem tolerari per Pontificem?

PRo declaratione harum quæstionum, supponendum 5
est, quod potest dari casus, in quo matrimonium in foro externo validum judicetur, & in foro conscientiæ sit invalidum, ut habetur *in c. tua nos*, ubi Glos. & Doctores *de sponsalib.* cum aliis, qui allegantur a Friburgio *in summa lib. 4. tit. 3. q. 14. & 15.*

Hoc suppositio videtur, respondeti posse irritationes 6
prædictas in foro externo esse validas. Nam licèt Metropolita per constitutionem suam non potuerit irritare clandestina matrimonia, potuit tamen id facere ex lege jam lata ab habente talem potestatem. Siquidem inferiores possunt, immò debent præcipuam habere curam,

ram, ut Superiorum leges populis innoteſcant, ab illiſque obſerventur, ut patet ex principio *diſt.* 18. ubi dicitur Concilia Epiſcoporum, etſi non habeant vim conſtituendi, habent tamen auctoritatem imponendi, & judicandi quod aliàs ſtatutum eſt, quod generaliter, vel ſpecialiter obſervari præceptum eſt, & in Concilio Toletano, de quo *in cap. penult. eod. diſt.* habetur: *ſinguli verò Epiſcoporum ſuis Eccleſiis notificare ſtudeant quæ in Conciliis ſtatuantur.* Ac denique idem Concilium Tridentinum expreſsè mandat Epiſcopis, ut Decretum ſuum publicent.

7 Et quanquam Metropolita prædictus non potuerit primum Decretum in Synodo Diœceſana, neque ſecundum in Provinciali edere, ſi matrimonium conſideretur, ut eſt Sacramentum Eccleſiæ, quia neque Eccleſia ipſa, neque Pontifex Sacramenta quoad eorum materiam, & formam immutare poſſunt, ut colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 21. *c.* 2. potuit tamen decreta illa conficere, ſi matrimonium conſideretur ut contractus civilis. Nam circa matrimonium ut talis contractus eſt, nedum Prælati Eccleſiarum, & Synodi, ſed etiam Principes laici per leges ſuas decernere aliquid poſſunt, quo etiam irritentur matrimonia, prout habet communis Theologorum ſententia. Quod tam certum eſt, ſicut certum eſt eſſe poteſtatem in Republica condendi leges. Conſtituere enim impedimenta matrimonii nihil aliud eſt, quàm legem aliquam ferre circa matrimonii contractum. Atque ita docent D. Thom. *in* 4. *d.* 39. *qu. un. art.* 1. *ad* 4. Palud. *d.* 26. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 4. Sot. *d.* 19. *ad* 3. Victor. 2. *p. relect. de matr.* Tapper. *artic.* 19. *contra Luter.* Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 21. & *ſeq.* Pontius *de matrim. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 2. & alii cum Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 3. *n.* 5. & Gloſs. *in cap. ſi quis ancillam*, *v. legibus* 29. *q.* 2. & Concilio Tribunienſi *cap.* 39. & Innocent. III. *in cap. Gaudemus de divort.* Quæ ſententia non abhorret ab aliis ſacris Canonibus. Nam illa probari poteſt per tres textus expreſſos, arguendo a conſuetudine ad legem, quod argumentum validum eſt. Quorum duo ſunt *c.* 1. & 3. *cognat. ſpirit.* & poſtremus eſt *c. ſuper eo*, *de cognag. & affinit.*

8 Nec obſtat, quod Metropolita matrimonia clandeſtina irritaverit ſimpliciter, nulla facta diſtinctione. Quia cùm notiſſimum ſit neminem poſſe irritare matrimonium ut Sacramentum eſt, non erat neceſſe, ut ipſe exprimeret, quod illa irritabat, ut matrimoniorum civilis contractus exiſtat. Nam ſatis ab omnibus intelligebatur, quod ejus irritatio cadebat ſuper matrimonio ut talis contractus erat, & non ut Sacramentum.

9 Similiter nec obſtat, quod in publicatione non fuerit facta mentio Concilii Tridentini, ſed tantum Synodi Ruthenæ, atque adeò non poterit dici publicatum Concilium, quia nomen illius in publicatione fuit ſuppreſſum, & tamen id requiri videtur, ut populi ſciant cujus poteſtate obligantur a lege, quæ promulgatur. Nam reſpondetur primò, quod revera, & in effectu Metropolita promulgaverit Concilium Tridentinum in omnibus Parochiis, ut idem Concilium præcipit. Nam habuit intentionem illud publicandi, illudque in ſubſtantia publicavit. Quare Metropolita mandatum Concilii implevit. Hæc enim duo publicare decretum de matrimonio, & publicare illud, ut eſt decretum Concilii Tridentini, longè diverſa ſunt. Primum quidem præcipitur Epiſcopis a Concilio, & hoc fecit Metropolita. Secundum verò nedum non præcipitur, ſed nec etiam verbum de illo fit in textu Concilii, & propterea non apparet, quod ſit de eſſentia, ut in publicatione exprimatur nomen Concilii, ac proinde ſufficit, quod in promulgatione Synodi facta fuerit in genere mentio Concilii, dum mandat Epiſcopis, ut antiquam conſtitutionem in Parochiis publicent.

10 Deinde reſpondetur, non eſſe verum, quod populi ſcire debeant cujus poteſtate obligantur a lege, quæ promulgatur. Quia Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordo eſt, quod inferiores illuminentur per Superiores, ut Patriarchæ per Papam, Archiepiſcopi per Patriarchas, Epiſcopi per Archiepiſcopos, Parochi per Epiſcopos, & Parochiani per Parochos.

11 Poſtremò certum eſt, quod decretum Synodi Provincialis mentionem Concilii ſaltem relativam fecit, quod ſatis eſt ad publicationem. Nam in eo præcipitur, ut in Parochiis antiqua conſtitutio, & laudabilis mos publicetur, quibus irrita, & invalida eſſe declarantur matrimonia. Antiqua autem conſtitutio non poteſt verificari de decreto Diœceſano, quia ante ſex annos tantum erat editum, nec de alia conſtitutione juris communis, quia nulla extat præter illam Concilii Trident. quæ irritet matrimonia. Igitur ex neceſſitate intelligi d t decretum ejuſdem Concilii Triden. quia, & irritat talia matrimonia, & ut actum intra centum annos, poteſt dici antiquum.

Ad ſecundam quæſtionem videtur reſpondendum irri- 12
tationes prædictas in foro conſcientiæ validas eſſe. Nam in materia matrimoniali attenditur veritas, ut attenditur *in cap. tua nos*, *de ſponſal.* ubi dicitur matrimonium, quod judicio Eccleſiæ erat validum, non eſſe in foro conſcientiæ matrimonium verum, ſi quis deceptoriis verbis contraxerit ſponſalia, & deſponſatam fornicario, non maritali affectu cognoverit. Et hoc quia inter prædictos, attenta veritate, deficit ſubſtantia conjugalis contractus. Quod etiam demonſtratur ex matrimonio ſpirituali, etſi a ſenſu contrario. Qui enim ob vim, metumve, ſive ob aliquod ſimile profeſſionem emiſit, tranſacto quinquennio, non eſt verus profeſſus, & religioſus, ſi illam profeſſionem non ratificaverit, & ſolùm in foro externo præſumitur eſſe religioſus, ut rectè docet Navarr. *conſ.* 23. *de regular. n.* 5. & *conſ.* 89. *n.* 6. & 7. ubi ait, hunc eſſe tutum in conſcientia, & poſſe redire ad ſæculum, & ducere uxorem, quia revera non eſt profeſſus, profeſſio enim invalida nullum inducit effectum, ut habetur ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. Sic etiam ſentit Emmanuel Sà *v. religio*, *n.* 71. & hanc ſententiam ſequitur Sanch. *l.* 7. *de matrim. diſp.* 37. *n.* 9. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 6. & *c.* 8. *n.* 9. ac probat *c.* 2. *de regular.* ibique Gloſs. Innocent. & Cardinalis, & *c. vidua*, *eod. tit.* In noſtro autem caſu, ſi veritas attendatur, conſtat, quod Metropolita verè publicaverit Concilium Trident. Tum quia ejus ſubſtantiam poſuit in ſua conſtitutione. Tum quia per eam conſtitutionem habuit animum publicandi Concilium licèt juſtis de cauſis nomen ejus ſuppreſſerit. Et tandem, quia eandem conſtitutionem publicari fecit in Parochiis, ut idem Concilium præcipit. Quare Sotus *in* 4. *d.* 28. *qu.* 1. rectè inſinuare videtur matrimonium clandeſtinum validum eſſe in foro conſcientiæ, & generatim contractus omnes jure nullos habere vim in foro conſcientiæ, modò conſtet, eam veram fuiſſe contrahentium voluntatem, docent Panormit. *in c. quia plerique de immun Eccl. n.* 42. *Et in c.* 1. *de integr. reſtit. n. ult.* Adrian. *quodlib.* 6. *concl.* 2. Sylv. *v. hæreditas* 3. *q.* 7. & *v. teſtamentum* 1. *q.* 5. & *v. alienatio*, §. 13. Medina *C. de reſt. q.* 27. & alii multi Juris Interpretes, inter quos videtur eſſe communis *in c. cum eſſes de teſtam.* Quia ceſſante fine legis, propter quem lex ipſa ſtatuta eſt, deficit quoque lex ipſa; *Cap. cum ceſſante de appel.* & *cap. ſi Chriſtus de jurejur.* Finis autem iſtarum legum eſt evitatio fraudum. Ubi igitur conſtiterit hujuſmodi fraudem non adfuiſſe, contractus eſt validus in conſcientia. Atque ita etiam tenent Angelus, Tabiena, Lopez, S. Antoninus, Abbas, Jaſon, qui dicit eſſe communem, Baldus, Imola, Alexander, Comitolus, Filiuccius, Caniſius, Molfeſius, Homobonus, Mantica, Reginaldus, Molina apud Delbene *tract.* 3. *mor. ſect.* 4. *n.* 3. & ſi ipſe probabile duntaxat id cenſeat.

Nec refragatur declaratio Sacr. Congregationis Con- 13
cilii, quæ videtur velle, quod Concilium non publicatum juxta ejus præſcriptum non obliget. Quia id concedi poſſet ex rigore Canonum, & in foro externo, non ex æquitate fundata in juſtiſſimis cauſis ſupprimendi nomen Concilii, nec in foro conſcientiæ. Nam ſecundum hoc clarum eſt, quod reipſa publicatum fuit Concilium in ſingulis Parochiis, ſive inſpiciamus intentionem mandantis illud publicari, ſive ſubſtantiam prohibitionis, ſive denique modum publicandi prædictam conſtitutionem, continentem dictam prohibitionem in ſingulis Parochiis.

Ad tertiam Quæſtionem dicendum videtur, quod poſ- 14
ſunt tolerari prædicta matrimonia, ne ſequantur magna ſcandala. In hujuſmodi enim materiis matrimoniorum ſecundò contractorum Pontifices, & Canones plerumque fuerunt varii, immò, & contrarii. Nam *in cap. diſcretionem tuam*, *de eo*, *qui cognovit conſanguin. ux. ſuæ.* Innocentius III. refert quendam ſuum Prædeceſſorem tenuiſſe, quod affinitas ſuperveniens non diſſolvat matrimonium ratum, ſi inceſtus, vel adulterium fuerit occultum, ſecùs ſi manifeſtum. Item alios exiſtimaſſe, quod per affinitatem ſupervenientem diſſolvatur matrimonium ratum, ſi in gradu remoto ſit commiſſus inceſtus, ſecus ſi in proximo, & tamen Innocentius ipſe ibi tenet, matrimonium prædictum per quamcunque affinitatem ſupervenientem nunquam diſſolvi. Similiter idem Innocentius *in c. Fraternitatis*, *de frigid. & malef.* dubitat, an mulier actu ſeparata a primo marito judicio Eccleſiæ, & cum ſecundo marito copulata, & deniq; per frequentem uſum ſecundi viri apta ad coitum reddita, reſtitui debeat primo viro. Et licèt Gloſſa ibi teneat, quod debeat remanere cum ſecundo viro, tam certum eſt, quod primum matrimonium tenebat, quia revera mulier erat

natu-

naturaliter apta, ut constitit ex post facto, & refert Friburg. *in summ. lib. 4. tit. 16. quæst. 6.* Pariter *Can. requisiti 33. quæst. 1.* est contrarius Canoni *si per sortiarias eod. caus. & quæst.* Nam in hoc dicitur, quo maleficiati judicio Ecclesiæ separati, & cum aliis copulati non separentur ab invicem, etiam reddita facultate coeundi. In illo verò dicitur, quod separentur, & revertantur ad prima matrimonia. Tandem *cap. super eo de cognat. spirit.* hujus difficultatis amaritudinem omnem tollit. In eo enim hæc verba habentur: *Verum si de consuetudine habeatur, ut talia conjugia* (scilicet filiorum compatrum) *permittantur in Ecclesia tua, dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tum videaris præstare assensum. Quia sicut grave est, antiquam consuetudinem circumadjacentium Ecclesiarum super his contemnere, si quoque gravis videtur, si propter eam hujusmodi conjugiis tuum indulges assensum, cum posset sic in exemplum assumi.* In his autem verbis continetur expressa Papæ tolerantia matrimoniorum invalidorum sine dispensatione. Expresè namque ibi præcepit Alexander III. Vigilensi Episcopo, ut dissimulet matrimonia invalida, & prohibet, ne illis contradicat, neque eisdem suum præstet assensum.

15 Nec obstat, quod adulteria, ut peccata, non possint tolerari a Pontifice, quia hujusmodi adulteria non sunt adulteria, nisi materialiter, nam formaliter esse non possunt, cum contrahentes sint in bona fide, judicio videlicet Ecclesiæ separati, & conjuncti secundis matrimoniis.

16 Ex quibus inferri potest, quod in hujusmodi dubiis quæstionibus Pontifex potest accomodare sententiam suam ad illam opinionem, quæ favet matrimoniis, & potissimum ad evitanda magna scandala, ut in hoc casu.

17 Verùm his non obstantibus omninò dicendum est: *Decreta Synodi Diœcesanæ, & Provincialis super matrimoniis clandestinis non celebrandis per Metropolitam publicata, non habere vim irritandi matrimonia contra illorum dispositionem contrahenda, sed etiam post hujusmodi Decretorum publicationem alter contracta, si nullum aliud obstabat legitimum impedimentum, valida, ac firma fuisse, ac proinde secunda matrimonia esse nulla, nulloque modo toleranda.* Fundamentum est unicum. Quia inferiores Papa non habent Jus irritandi matrimonia inter fideles, nec formam illis præscribendi. Quod explicatiùs etiam, nec obiter tantùm ex responsionibus ad objectiones demonstratur.

18 Et quidem prima objectio destruitur ex distinctione receptissima de matrimonio inter Fideles, & de matrimonio inter Infideles, inter quos certum est dari posse, *cap. Quanto*, ubi Abbas num. 3. post alios *de divort. cap. ex parte de transact. cum concord.* Nam cùm inter istos non possit esse Sacramentum, sed simplex contractus, ut post Sanch. Cened. Sayr. Covar. Guttier. & alios firmat Barbos. *in cap. ex parte num. 5. de postul. & in d. cap. Quanto, num. etiam 5. de divort. & in cap. Gaudemus n. 4. eod. tit.* & latiùs Molin. *de ritu nuptiarum & pact. lib. 1. compar. 19. num. 118. & lib. 2. differ. 13. & seq.* Pontius *de matrim. lib. 1. cap. 6. num. 4. & 6. & cap. 11. num. 18.* in quibus locis respondet *ad d. cap. Gaudemus, de divort. & lib. 6. cap. 1.* Utique possunt Superiores etiam laici suis legibus matrimonium inter illos irritare, cùm contractus iste perinde ac reliqui, in commune bonum ordinetur. Quare sicut statuit apud infideles potestas laica, ne valeat propriorum bonorum alienatio, nisi sub certa forma, & a personis habilibus facta, ita etiam potest lege statuere, ut valeret traditio sui. Non verò ita possunt irritare matrimonium inter fideles, inter quos consideratur ut sacramentum inseparabile a contractu, nec ideò irritabile, nisi authoritate S. Concilii, & Ecclesiæ, ut post allegatos per Barbos. *in cap. ad abolendam num. 2. de hæret.* firmant Molin. *ubi supra d. differ. 13. num. 7. & seq. & differ. 7. eod. lib. 2. nu. 5. & 6.* Pontius *ubi supra lib. 6. cap. 1. n. 8. & 9. & cap. seq. num. 2. & 3.* Idque non solùm ob reservationem Pontificis, sed etiam ob defectum potestatis sæcularis. Ex eo enim quod contractus matrimonii elevatus est ad rationem Sacramenti, est extra civilem Jurisdictionem. Et hac ratione inter Infideles matrimonium de consensu conjugum est dissolubile, secùs verò inter Fideles ratione Sacramenti juxta illud Christi: *Quos Deus conjunxit, homo non separet, cap. Quanto de divort.* & tradit Molin. *ubi supr. differ. 14. n. 8. & seq.*

19 Quod autem nullus inferior, sed tantum Papa, & Concilium generale possint matrimonia irritare, eorumque impedimenta inducere firmant Doctores communiter *in cap. penult. de sponsal. impuber.* & docent Victoria, Ledesma, Paludanus, & alii apud Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 1. num. 9.* ac ex generali Ecclesiæ consuetudine, sapientumque omnium calculo ad nostra usque tempora firmatum est. Concilia enim sive sint rationalia, sive sit irrationalia, sive Provincialia, sive synodalia, prout etiam Episcopi, & Archiepiscopi, aliique Pontifices inferiores non possunt condere leges circa majores, & graviores causas, ut communiter docent Doctores, & desumitur ex *cap. Præceptis d. 12. & cap. multis, & c. nec licuit, d. 17. & cap. 1. de transl. Episc. & cap. 1. & 2. de reliqu. & vener. sancti.* Causæ autem majores sunt illæ, quæ ex natura sua concernunt statum Universalis Ecclesiæ, sicuti est causa matrimonialis, aut sunt specialiter Pontifici reservatæ, *cap. majores de bapt. & cap. cum dilectus de consuetud.* Hujusmodi autem Concilia, & Ordinarii non habent Jurisdictionem in Ecclesia Universali, sed subordinatam Pontifici; ac proindè non possunt aliquid statuere circa ea, quæ pertinent ad Universalem Ecclesiam, nec circa reservata Pontifici, sed ex natura sua spectant ad dispositionem Capitis, cui ut membra Ecclesiæ subduntur: membra autem quatenus alia debent regulari a Capite. Et in terminis irritationis matrimoniorum clandestinorum sæpiùs censuit S. Congreg. & judicavit Rota apud Pontium *supra l. 5. cap. 7. n. 12. & seqq.* firmat Suarez, reprobans opinionem Sanch. *in tract. de legib. lib. 4. cap. 4. n. 18.* qui id ex multis comprobat, & conferunt deducta a Sylvest. *v. matrimonium, c. 7. n. 1.* Cujus etiam ratio est, quia Episcopis non legitur hæc facultas in specie concessa, nec censetur in generali concessione tributa, cum attenta gravitate causæ verisimiliter concessa non fuisset, *cap. quod translationem de off. leg.* Immò ante determinationem Concilii Tridentini etiam controvertebatur, an esset permissa summo Pontifici, & universali Ecclesiæ, ut advertunt idem Sanchez *lib. 4. disp. 3.* & in hac opinione fuerunt etiam plures Episcopi, qui ad dictum Concilium confluxerunt, de qua etiam re dubitat Sot. *in 4. d. 28. qu. 1. art. 1. ad 1.* Videndus Abb. *in cap. ad dissolvendum n. 10. de desponsat. impuber.*

Secundò verò, objectio evertitur. Quia ex præcisa forma S. Concilii requiritur publicatio ipsius Decreti Conliaris prout Conciliaris est, cùm disponat per verba importantia necessitatem, ibi, *Ordinariis omnibus præcipit*, Paris. *cons. 95. num. 17. & seqq. lib. 1.* & dispositio continet plura, quàm Jus commune, Felin. *in cap. cum dilecta sub num. 6. de rescript.* Anchar. *cons. 36. num. 1.* Paris. *cons. 61. num. 23. lib. 3.* Et quia tanquam Decretum conciliare potuit dare formam matrimoniis inter fideles, etiam differentem a Jure communi, ut fuit statutum in ipsomet Concilio. Quod est de fide, Pontius *lib. 5. cap. 5. num. 2.* Sanchez *lib. 3. disp. 4. a num. 3.* Et quia continet dictionem, *Hoc*, quæ refertur ad id, quod oculis legitur, *l. 1. cum ibi not. ff. de his, qui in testam.* cum aliis allegatis per Barbos. *dict. 76.* Et quia Concilium disponit, suum decretum non habere robur, nisi sequuta ipsius publicatione, ex traditis per Felin. *in d. cap. cum dilecta*. Ita ut propterea hujusmodi forma suppleri non possit per æquipollens, sed specificè adimplenda sit, Caputaq. *dec 150. num. 3. part. 1.* Molin. *de rit. nupt. d. lib. 2. differ. 11. num. 47. & seq.* ubi refert decisionem Rotæ Romanæ. 20

Et suadetur ratione. Quia, ut dictum est, tanquam decretum Concilii potuit dare formam matrimonio, etiam difformem a jure communi, quod non est permissum aliis. Quod autem requiratur publicatio ipsius Decreti, & non suppleatur per æquipollens, firmavit eadem S. Congr. Concilii in sequentibus declarationibus. 21

In una Moguntina. *Secundò exponitur, quod in Civitatibus Imperialibus Magistratus edicta municipalia publicarunt, per quæ irritantur clandestina matrimonia, quæ quidem licet conveniant cum Tridentino Concilio, tamen alia quædam adjiciunt, ut de parentum, & curatorum requisito consensu, sacris Canonibus adversantia. An talia edicta in puncto clandestini matrimonii contrahentes ligent, & loco publicati Concilii haberi debeant?* 22

S. Congregatio ad secundum respondit, Edicta talia minimè loco publicati Concilii haberi debent.

In una Colonien. *Respondendum videtur, hoc edictum, seu præceptum non æquivalere publicationi, quam Concilium mandat fieri in singulis Parochiis. Ideòque non obstante edicto, si Decretum de refor. matr. cap. 1. non fuerit in Parochiis publicatum juxta requisitum ejusdem Concilii, matrimonia irrita non esse, quamvis forma præscripta a Concilio servata non fuerit.*

Et idem comprobatur ex aliis declarationibus ejusdem Congregationis infra registrandis, ex quibus colligitur, fieri debere publicationem ipsius Decreti Conciliaris. 23

Sacra, &c. *Declaravit, Decretum hoc irritari matrimonia clandestina contracta sine Parocho, vel absque illius licentia incipere robur habere post 30. dies a die publicationis ipsius decreti in Parochia factæ.*

24 Die 26. Junii 1598. In una Biſuntina, *Sacra, &c. cenſuit, ſi non erit publicatum in Parochia Decretum Concilii cap. 1. ſeſſ. 24. de refor. matr. cùm illud non obliget niſi poſt 30. dies a die publicationis, matrimonia eſſe valida.*

Hoc decretum de refor. matr. ad hoc, ut robur ſuum recipiat, neceſſe eſt in Parochiis publicari, nec ejus publicatio in Diœceſana ſynodo facta æquipollet.

Ad hoc, ut præſens Decretum matrimoniorum locum habeat, neceſſe eſt, ut in propria Parochia fuerit publicatum.

S. Congreg. &c. perpenſis etiam conſultationibus Epiſcopi Tricaricen. in una Holandiæ 19. Dec. 1602. & alias in ea declaratis, cenſuit prima ubi Decretum ejuſdem Concilij cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matr. non eſt publicatum in Parochia, valere matrimonia contracta abſque obſervatione formæ a Concilio præſcriptæ.

25 Cùm iſtis etiam aliæ declarationes concordant.

Quæ opinio nititur ea potiſſimum ratione, quod lex ad ſui eſſentiam requirit, quod habeat vim coactivam, quæ non datur, niſi lex procedat ab habente poteſtatem obligandi, Suarez *lib. 1. de leg. cap. 20. & lib. 2. c. 5. & 8.* Theologi communiter cum D. Thoma *1. 2. q. 90. art. 3.* & Ariſt. *10. Eth. cap. ult.* & deſumitur *ex c. cùm acceſſiſſent, & cap. cùm in Eccleſia de conſtit.* Ad condendas enim leges requiritur ſuprema poteſtas. Quia autem effectus requirit cauſam proportionatam, ideò effectus ſupremus requirit cauſam ſupremam in ſuo ordine, quæ alia eſſe non poteſt, niſi Summus Pontifex. Secundò, quod fiat promulgatio ipſius legis tanquam authoritate publica ſancitæ ſive ſit de ipſius eſſentia, ſive ſit conditio extrinſeca neceſſaria, ut actu obliget, ſicut applicatio, & conditio ignis, ut comburat. Deſumitur ex D. Thom. *d. q. 9. art. 4.* & Scoto *in 4. d. 3. qu. 4. art. 1.* & docent utriuſque ſequaces. Hæc autem publicatio fieri debet in ſpecie ex mandato etiam S. Concilii in ſingulis Parochiis, adeòut noluerit decretum habere robur, niſi poſt triginta dies a die publicationis. Quo fit, ut requireretur illius præciſa publicatio, nec ſubditi poterunt ex dictis decretis intelligere injunctam ſibi legem eſſe ab habente poteſtatem obligandi, & ſic a Concilio,

26 Quando enim Pontifex, ſive Concilium explicat, quod lex non obliget quamdiu fuerit promulgata in ſingulis Provinciis, aut Diœceſibus, vel Parochiis, tunc, ut obliget, requiritur talis promulgatio, quia cùm modus talis promulgationis non ſit determinatus ex natura rei, cumque dependeat a voluntate Principis, lex non ſortitur ſuum effectum, niſi promulgatio fiat eo modo, quo Princeps decernit. Quare non ſufficere quod lex ſit ſolemniter edita, ſed inſuper requiri promulgationem docent communiter Theologi *d. qu. 90. art. 4.* cum D. Th. contra Caſtr. in *l. 1. ff. de auct. empt.* Angel. ibid. & nonnullos alios; & colligitur *in cap. in iſtis d. 4. & ex l. leges ſacratiſſimæ, C. de legib.* Quia cùm ſit regula pro tota Republica Chriſtiana, debet ipſi promulgari, cum non poſſit cauſa producere ſuum effectum, niſi applicetur ſubjecto. Requirebatur itaque, quod populus ſciret cujus ſit decretum. Unde cùm Metropolita nomine ſuæ Synodi, vel proprio publicaverit conſtitutionem Concilii, ejus nomine ſuppreſſo, populus non poterat divinare, quod eſſet Decretum Concilii. Immò ſine dubio credidit eſſe conſtitutionem ſynodalem, ac proindè non habuit vim publicationis Concilii. Nec ſuffragatur, quod Metropolita habuerit intentionem publicandi Concilium. Quia id ſubintelligitur ex diſpoſitione Juris, ut ſcilicet, lex publicetur ſub nomine illius, qui legem condidit, aliàs ſi non publicet, vel ulteriùs nomen non apponatur, debet fieri interpretatio, quod lex ſit facta ab illo, qui legem publicat. Denique non aſſicit, quod in dicta conſtitutione Synodali mandatur Epiſcopis, ut antiquam conſtitutionem in Parochiis publicent, & pro antiqua conſtitutione intelligunt Concilium Tridentinum. Quia hoc verbum *Antiqua Conſtitutio*, eſt genericum, & incertum, nec populus poterat hariolari quæ eſſet iſta antiqua conſtitutio. Tum quia Concilium Tridentinum non poterat dici antiqua conſtitutio; cùm reſpectu populi Rutheni non haberet vim conſtitutionis, cum non eſſet publicatum de tempore Synodi Ruthenæ.

27 Conſideratio autem illa, quòd ſaltem in foro conſcientiæ ſuſtineatur hujuſmodi irritatio ex intentione Metropolitæ publicandi Concilium ceſſat ex defectu poteſtatis ſupra deducto, & quia non attenditur intentio, ſed factum ipſum, cùm indubitatum ſit, non fuiſſe publicatum decretum Concilii Trid. Quod eò vel maximè dicendum eſt, quia aſſertæ cauſæ non ſubſiſtunt cùm Eccleſia Græca vigore unionis obligetur recipere leges Apoſtolicas, etiam in his, quæ ſpectant ad Jus humanum. Immò in profeſſione fidei Græcorum juſſu Gregorii XIII. edita, quàm ipſimet Rutheni ad unionem venientes tempore Clementis VIII. juramento, & ſubſcriptione firmarunt, ut teſtatur frater Thomas a Jeſu *in tract. de procur. ſal. omn. gent. lib. 6. pag. mihi 319.* leguntur hæc verba.

Inſuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis ſacræ œcumenicæ generalis ſynodi Tridentinæ ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, etiam ultra contenta in ſupradicto fidei ſymbolo profitenda, ac recipienda propoſuit, atque præſcripſit, ut ſequitur: Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector, &c. 28

Deinde abſque dubio tenentur decretis Conciliorum generalium, ex quibus ſeptem antiquiora etiam in Schiſmate ſemper amplexi ſunt. In his autem multa fuerunt conſtituta, quæ ſunt Juris humani, & inſuper decretum, & obſervatum, quod cauſæ majores etiam Juris humani ad Judicium Sedis Apoſtolicæ deferantur. Quod etiam extra Concilia ſæpè fecerunt Græci per plura ſcandala ante ſchiſma, ut teſtantur Hiſtoriæ. 29

Sed quod attinet ad impedimenta matrimonium dirimentia, Innocent. IV. in Diplomate, quod ex ejus regeſto exiſtente in Bibliotheca Vaticana tranſcribit idem frater Thomas *d. lib. 6. part. 2. cap. 6.* conſtituit in hæc verba. 30

Et quoniam apud Græcos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe juxta eorum computationem octavo gradu, qui ſecundum computationem, & diſtinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præſumatur deinceps, firmiter prohibemus, diſtrictè præcipientes, ut cum ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant, ſtatutum in hoc generalis Concilii obſervantes, &c. 31

Et in terminis hujus Decreti Concilii Tridentini facit, quod idem refert *in cap. 7. ejuſdem par. 2.* ex Diplomate Clementis VIII. de communicatione Latinorum cum Græcis verbis ſequentibus. 32

Curent Ordinarii locorum, ut Decretum S. Concilii Tridentini de reform. matr. vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochiis Græcorum, & Albanenſium evulgetur, & publicetur. 33

Et eò maximè dicendum eſt in hoc caſu, cùm Decreta Synodi publicata contineant irritationem etiam ob defectum aliorum a Concilio non expreſſorum pro forma, & præſertim ob defectum Benedictionis, qui ex diſpoſitione Concilii minimè irritat matrimonium, ſed tantùm per modum exhortationis diſponit, ibi: *Præterea ſancta ſynodus hortatur, &c.* Et ita etiam advertit Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 19.* Unde nullo modò admittendum eſt, ne contra mentem Sac. Concilii aperiatur via Epiſcopis arctandi Sacramentum matrimonii ad eorum arbitrium, ut poſt Tolet. *in ſua ſumm. cap. 18. n. 1. lib. 7.* firmat Barboſ. qui alios allegat *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 43. &* 154. & ſæpius declaravit S. Congregatio. 34

Præterea non aſſentior ſententiæ illi, quæ tenet contractus, jure nullos, habere vim in foro conſcientiæ, ſed alteræ extremæ ſententiæ, quæ docet contractus iſtos, jure nullos, nullam parere obligationem in conſcientia. Eam ſequuntur Innoc. *in cap. quia plerique de Immun. Eccleſ.* Covar. *in cap. cum eſſes, de teſtam. & in regula Peccatum, par. 2. §. 2.* Bald. *in leg. 1. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. num. 55.* Alex. & Imol. *in l. nemo poteſt. ff. de leg. 1.* paſſimque alii utriuſque juris interpretes, & ex Theolog. Molin. *tom. 1. de juſtit. tract. 2. diſp. 8.* Salon. *tom. 1. de juſt. quæſt. 5. art. 4.* Eamque refert, ac meritò collaudat Pontius ſæpè adductus *lib. 5. cap. 5. n. 4.* & juri conformiorem, ac veriorem cenſet Leſſius *de juſt. lib. 2. cap. 19. dub. 3. num. 36.* Certum enim eſt, poſſe legislatores non ſolùm obligare ſua lege in conſcientia, & ad pœnam, ſed etiam ad irritationem contractus, aliàs legitimi, qualis eſt lex iſta Concilii Tridentini de matrimoniis clandeſtinis. Non quidem decernendo aliquid circa id, quod deducitur immediatè ex principiis naturalibus, ſed circa ea, quæ deducuntur tantùm frequentiùs, & univerſim, aut quæ ſe habent ut determinationes juris naturalis. Hujuſmodi autem leges fundantur in præſumptione fraudis, quæ non præſumitur in unoquoque peculiari caſu, ſed in plurimum. 35

Ideò etiamſi præſumptio legis deſit in uno caſu, non idcircò lex vim amittit, nec deſinit obligare in eodem caſu. Cùm itaque lex non deficiat, non ceſſante cauſa legis, & cauſa iſtarum legum non ſit fraus in iſto peculiari caſu, ſed in univerſum, quæ cauſa non ceſſat ex eo, quod in iſto caſu 36

defi-

deficiat, utique dicendum est, quod lex adhuc vigeat; legi autem vigenti nativa inest obligatio, atque adeò etiam obligabit in eo casu. Hanc sententiam præter adductos docent etiam Vasquez, Gomez, Padilla, Salas, Aragonia, Becanus, Vega, Beda, Velerus, Bonacina, Naldus, & alii, quos refert Delbene *tr. 3. mor. sect. 4. num. 1.*

36 Quod quidem in contractu matrimonii longè faciliùs procedit; nimirùm esse nullum etiam in foro conscientiæ, si celebretur sine Parocho, & testibus, quamvis nulla interveniat fraus. Tum quia neque ea ratio in universum cessat. Tum etiam quia Tridentinum expressè reddit contrahentes omninò inhabiles ad sic contrahendum. Non enim essent omninò inhabiles, si matrimonium valeret in foro conscientiæ. Ex quo fit neque esse idoneos ministros, neque materiam legitimam hujus contractus, ac proinde satis significat, se omninò irritum reddere in foro conscientiæ, nec prout est matrimonium, sed etiam prout sponsalia. Ita docent Navar. *l. 4. cons. 3.* Lessius *d. l. 2. c. 19. dub. 2. n. 32.* Delbene loco adducto *sect. 6. nu. 1.* Sanch. *l. 1. de matrim. disp. 20. n. 4. & seq.* ubi latè, ac doctè id confirmat, & adversarios refellit. Quod etiam tuetur, ac explicat Pontius *d. c. 5. n. 8.* ubi asseverat, nullum hactenus dubitasse Tridentinum non obligare, etiam si aliquis in aliquo casu contraheret sine fraude, & damno, ut proinde n. 15. pronunciet hanc sententiam de communi Doctorum sensu, nemine dissentiente, receptam esse.

37 Tertia denique objectio diluitur. Non enim potest admitti tolerantia ratione scandali in matrimoniis ratis, & consummatis. Quia in istis non potest concedi dispensatio a Papa, cùm fiant duo in carne una, & matrimonium sit redditum indissolubile, ut per Pont. *l. 1. c. 14. per totum*, & præcipuè n. 6. sed tantummodo in ratis, ut rectè distinguendo declarat Cardin. *in c. fin. de sponsa. duorum, n. 2.* Abb. *n. 5.* Anchar. *n. 3. & 4.* Hostiens. *n. 7. in fin.* Henr. Boich. n. 5. & 6. Marian. Soccin. n. 17. & latissimè Præpos. *col. fin. sub. n. 9.* ubi argumentum hoc tractat cum rationibus hinc indè, traditque Butr. *in c. licet n. 4. eod. tit.* Card. Zabar. *in cap. ex publico num. 9. & 10. de conver. conjug.* Turrecrem. *in c. sunt qui dicunt, n. 27. q. 2.* Idem prosequitur Bald. *in l. Deo nobis, num. 7. C. de cros. Eccles.* Archid. *in c. quia propter, circa finem 27. q. 2.* Sanchez. *de matrim. l. 2. disp. 13. n. 11. & per totum*, & ex veriori opinione Canonistarum usu recepta, & approbata a Sede Apostolica fuit resolutum a Sac. Congregatione Concilii die 6. Julii 1599. de qua nos alibi.

38 Quæ opinio comprobatur ex doctrina receptissima D. Thomæ 2. 2. *qu. 43. art. 2.* ubi Theologi omnes, nempè quod scandalum activum, prout esset si Papa in peccato fornicationis istos perseverare permitteret, nunquam admittitur. Quia propter scandalum non est recedendum a veritate Juris Divini, & relinquenda veritas vitæ, ut etiam firmat Augustin. Triumph. *de potest. Eccles. quæst. 33. art. 3.* & conferunt deducta per eundem *qu. 53. art. 2. & 3.* Idem in puncto firmat Abb. *in cap. super eo, in fine, de cognat. spirit.* & ibid. Jo: And. *numer. 5. in fin.* Anchar. *num. 5. post. princ.* Præpos. *col. 3. in fine.*

39 Sed hoc casu Papa debet omninò providere, *c. Præterea a 2. de sponsal.* Alex. de Nevo *cons. 63. num. 4.* Et maximè, quia in hoc casu non potest dari tolerantia, quæ consistit in tacendo, sed Papa cooperaretur in actu peccati, cùm impossibile sit, in futurum adesse posse bonam fidem. Ultra quod non sumus in actuali proposito majoris scandali evitandi, sed in genere, quod scandala evitari possunt, quod non sufficit, cùm possit hoc non esse, ut ponderat Pontius *lib. 5. de consensu clandest. cap. 18. §. 4. num. 17.* Et ita videtur firmatum a S. Congregatione in declaratione impressa per Barbos. *ad cap. 1. sess. 24. de reform. matrim.* Quæ incipit, *Quæritur primò, §. Ad 3.* Et licèt utatur verbo, *Spreto*, hoc tamen verbum importat idem, quod *relicto*, vel *dimisso*, & ideò non est facienda vis super eo ad præsumendam malam fidem, præsertim juncta alia declaratione sequenti, in qua ratione scandali noluit S. Congregatio recedere a dispositione juris communis, cùm in dubio sequendus sit rigor Juris *c. fin. de transact.* Sic illa loquitur in terminis matrimonii.

40 *Sæpè contingit in Diœcesi Elborens. plures contraxisse matrimonia clandestina per verba de præsenti, fortè copula subsequenti consummata ante publicationem S. Concilii Tridentini. Postea verò contraxisse cum aliis in facie Ecclesiæ cum subsequuta filiorum procreatione. Quo casu dubium est confessoribus. Nam si compellantur ad primas redire uxores juxta forum conscientiæ, multæ rixæ, & neces orientur propter secundas, maximè quia de primis manifestum est solis confessoribus. Si verò finantur in secundis nuptiis permanere, conscientia Archiepiscopi simulatur propter primas. Ideò quid super hoc agendum petitur?*

Sacra Congregatio censuit consulendum Sanctissimum D. 41
N. hac de re, & sua sanctitas respondit. In his, quæ ad forum fori pertinent satis esse provisum Jure Canonico. Quæ verò ad forum poli spectant ipsius Dei providentiæ relinquenda.

Nec est cur adversus hujusmodi doctrinam quis objiciat *cap. licet de sponsal. duorum.* Quia illud loquitur in matrimoniis ratis, & non consummatis, & sic dispensabilibus, ut ibi declarat Abb. Anchar. Præpos. & alii supracitati. 42

Minus obstat *textus in c. 2. de clandest. desp.* Quia procedit in matrimoniis occultis, de quibus Ecclesia non judicat, ut notat eo loci Glossa *vers. compelli*, Abb. post alios num. 3. Et ideò hoc casu proles etiam reputatur legitima, ut observat ibidem Abb. num. 4. Host. circa finem, Jo: And. n. 3. & in puncto etiam aliàs censuit S. Congreg Concilii in dicta Eliboren. superiùs. 43

Et hac ratione non obstat assertus stylus Pœnitentiariæ. Nam cùm in illa non agatur nisi de occultis, & servetur secretum, non potest allegari ad casum nostrum, in quo supponitur notorietas, & publicitas. 44

Prout nec obstat *c. fraternitatis de frigid. & malef.* Nam primum matrimonium non erat consummatum, & aderat legitimum impedimentum, atque adeò dispensabile, & tolerabile per Pontificem. 45

Præterea nec urget *c. super eo, de cognat. spirit.* Quia id etiam procedit in materia dispensabili, & ideò permittitur dissimulatio ratione scandali, ut declarat ibidem Anchar. *in fine*, Jo: Andr. *n. 5.* Abb. *n. 4.* Præpos. *col. 2.* ibi *dissimulatione dispensativa*, & sub *n. 8. circa medium*, Host. *sub n. 3.* Henric. Boich. n. 6. circa fin. Secus verò si materia non esset dispensabilis, ut firmat ibidem Anchar. sub n. 5. non obstante ratione scandali, traditque Abb. *in fin.* Præpos. *col. 3.* pariter *in fine*, & alii Canonistæ. 46

Ulteriùs *ibidem* permittitur tolerantia ex consuetudine, quæ non erat contraria juri, ex quo aderant Canones pro utraque parte. Ideò non mirum si ex d. consuetudine per Papam approbata dissimulatio permittebatur, ut ibi notat Card. *sub princ. nu. 1.* Anchar. *n. 5.* Butr. *n. 7.* Præpos. *sub n. 6.* secùs verò dicendum de tolerantia in repugnantibus juri Divino, ut in matrimoniis ratis, & consummatis. Quo casu materia non est dispensabilis ex notatis *ibid.* per Card. *in fin.* & per Butr. *col. fin.* Præsertim quia in casu dicti *cap.* non agebatur de forma, & substantia Sacramenti, ut in casu nostro, contra quam non admittitur consuetudo, nec dissimulatio, ut advertit ibid. Card. n. 1. & 5. & Butr. n. 6. 47

Nec est habenda ratio, quod ex irritatione hujusmodi matrimoniorum fiat injuria Metropolitæ. Nam in pari casu Pontifex non fuit veritus reprobare gesta suorum Prædecessorum, ut videre libet *in c. licet sponsa. duor.* 48

Minùs habenda est ratio prætensæ æquitatis, respectu publicationis dictorum Decretorum, cùm, ut dixi, concurrat defectus potestatis, & requiratur publicatio, prout Decreti conciliaris est, & in hoc casu attendatur factum, & non intentio ex supra allegatis. 49

Item nec facit ad rem *c. Tua nos, de sponsa.* Quia illud loquitur in materia dispensabili, ultra alias responsiones, quæ colliguntur ex traditis *ibid.* per Doctores. 50

Similiter nec obstat, quod in *dist. 18.* injungatur Episcopis facultas publicandi Concilia. Nam hujusmodi facultas publicandi non negatur; sed in hoc casu defuit Concilium ipsum, scilicet publicatio Decreti Concilii ex supra allegatis. 51

Postremò nec obstat, dùm aliàs dicebatur de tolerantia meretricum. Nam hujusmodi tolerantia restringitur respectu pœnæ, non peccati; cùm istæ aliàs rejiciantur ab Ecclesia tanquam infames, & rebelles, Bart. *in l. verum n. 2. de furt. & in l. si Uxor, §. sed & in ea, ff. de adul.* Marsil. *sing. 105.* Olasch. *dec. 77. n. 33.* 52

Videndum supereſt, quid sit agendum. Et crederem cum illis, qui contraxerunt primum matrimonium, & non consummarunt posse dispensari, ut permaneant in secundo, quod bona fide contraxerunt, cap. *fraternitatis, de frigid. & malef.* vel tolerari. 53

Quod attinet ad forum internum, licet dictum sit non esse tolerandos a Papa, quia in hujusmodi casu non potest dispensare, nec potest permittere, quod illi perseverent in peccato fornicationis sub prætextu scandali activi. Ex adverso tamen respondetur contrahentes fuisse, & esse in bona fide, nec peccatum adulterii, vel fornicationis committere, nisi materialiter, non tamen formaliter. 54

Pro tolerantia, ponderanda est bona fides contrahentium. 55

Status fidei Catholicæ in illis partibus.

Quod fortè matrimonia clandestina negabuntur, & probari non poterunt.

Contradictio mulierum, & earum consanguineorum.

Et si res ad praxim reducenda est pro non tolerantia. Id aut fieret judicialiter, aut extrajudicialiter.

56 Si extrajudicialiter, hoc est, si moneantur conjuges ad dissolvendum matrimonium, negotium relinquetur in ipsorum conscientia. Ad illos enim spectabit parere, vel non parere.

57 Si judicialiter, videatur quomodo tot Provinciales possint conveniri sine aliqua renovatione schismatis cum Ecclesia Romana, & detrimento authoritatis eorum Episcoporum, qui Synodum publicarunt.

58 Referam tamen quid fuerit actum in simili sub Gregorio XIII. Multis hominibus Provinciæ Zaren in bello cum Turcis in servitutem redactis eorum conjuges tàm masculi, quàm fœminæ nulla de illis notitiam habentes, secundas nuptias contraxerunt, non servata forma Concilii, Quamobrem anceps Episcopus quid agere deberet cum hominibus facilè ad contermina loca Turcarum profecturis, spreta Religione, si dirimi hæc matrimonia viderent, Congregatio censuit ex sententia Gregorii XIII. similiter Episcopo respondendum, ut moneat istos, quod nullum est matrimonium, non servata forma Concilii. Quo si ita moniti velint iterum contrahere servata forma Concilii, & Parochus eorum proprius velit eos conjungere absque alia licentia ipsius Episcopi, nihil ipse dicat, sed sinat eos sic contrahere, & perseverare. Quod si ipsi, vel eorum proprius Parochus petant ab Ordinario licentiam, perseverandi in secundis nuptiis sic nulliter contractis, non det illam Episcopus, & dicat eis, quod Ecclesia nunquam dat licentiam contrahendi, nisi certo nuntio mortis prioris conjugis accepto.

59 Nihilominus in casu proposito die 18. Novembris, & 2. Decembris 1628. maturè discusso. Eminentissimi Patres S. Concilii Tridentini Interpretes unanimiter censuerunt, Decretum Synodi Diœcesanæ Chioven, & Synodi Provincialis Ruthenæ super matrimoniis clandestinis non celebrandis per Archiepiscopum Chioven publicata, non habere vim irritandi matrimonia contra illorum dispositionem contrahenda, sed matrimonia, etiam post hujusmodi Decretorum publicationem aliter contracta, si nullum aliud obstabat legitimum impedimentum valida, ac firma fuisse. Ideòque conjuges, qui aliàs inter se valdè matrimonia contraxerunt, illisque posteà per Archiepiscopum, tanquam contra formam sui Decreti nullis declaratis, separati fuerunt, ac simul cohabitare desierunt, omninò cogendos, ut in dictis matrimoniis contractis permaneant, atque una simul tanquam veri conjuges cohabitent. Eos verò, qui primis matrimoniis aliàs validè, & publicè contractis, ac consummatis ab Archiepiscopo vigore dictorum decretorum nullis declaratis secundò contraxerunt, similiter ad priora redire, ac in illis permanere cogendos esse. Hujusmodi autem secunda matrimonia post publicationem, & consummationem priorum contracta, nullo modo, etiam prætextu cujusvis gravis, & imminentis scandali tolerari posse, aut debere. In futurum verò providendum esse per Breve S. D. N. in quo sint registrata sola verba substantialia S. Concil. Tridentini *c.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.* in singulis Parochiis ad præscriptum ejusdem S. Concilii publicanda.

60 Die 5. Decembris 1628. facta relatione Sanctiss. D. N. Sanctitas sua sententiam S. Congregationis approbavit, jussitque, &c.

Atque ex his confirmata manet nostra sententia suis fundamentis firmiter innixa, quam nunc ratam habemus, eique fortissimè insistimus.

CONSULTATIO CLII.

An regularis, qui ab aliquot annis relicto claustro, spretaque obedientia vagatur, incedendo tamen in habitu Regulari, ac in privata domo vivendo non sine scandalo, inciderit in pœnas etiam apostasiæ, itaut tanquam Apostata sit puniendus?

1 REspondendum videtur, intrare dispositionem decreti Urbani VIII. *de Apostat. & de ejecl. vers. Rursus statuit*, ut scilicet ab Ordinario conjici debeat in carceres, & Superioribus Regularibus consignari puniendum, eò quod loquitur nedum de propriis Apostatis, sed etiam de fugitivis, ibi: *ubi fugitivi*, qui dicuntur omnes Regulares degentes extra claustra absque licentia sui Superioris, etiamsi in habitu Regularium animo non recedendi a Religione, incedant. Ita post alios firmant Sanchez *in Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 2. Lezan. *in summ. tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 7. Bordon. *in resol. & cons. regular. resol.* 41. *num.* 12. qui alios adducunt.

Et maximè cum tanto tempore fuerit vagus, & fugitivus extra obedientiam Superioris. Ex hac enim diuturna vagatione, & claustri destitutione sufficienter colligitur animus Religionem deserendi ex regula textus *in l. Quicquid* 49. *de reg. jur. §. Pavonum* cum ibidem notatis *institut. de rer. divis.* cum similibus. 2

Confirmatur nedum ex dispositione S. Concilii Tridentini *cap.* 4. Nec liceat *sess.* 25. *de Regular.* verùm etiam ex dispositione *c.* 3. *sess.* 6. ex qua Regulares in domo privata degentes possunt, non obstantibus privilegiis, ab Episcopo diœcesano puniri. Et ita sæpiùs censuit S. Congregatio Concilii, præsertim in una *Tricastrensi* die 14. Decembris 1647. & in terminis hujus casus in una *Cracovien si* die 17. Maji 1654. declavit, Superiorum Regularem uti posse jure suo juxta Constitutionem Urbani VIII. de Apostatis, & ejectis. 3

CONSULTATIO CLIII.

An puer nondum in aliqua parte sui corporis natus in extrema necessitate baptizari possit in utero matris?

DUbitatio excitata fuit ab Obstetricibus jussu Eminentissimi Domini mei Cardinalis Vicarii examinatis ab ejus Congregationis Præfectis, inter quos & ego minimus fum. Earum enim aliquæ, etiam quod infans nullam sui corporis partem extra uterum matris emiserit, volunt facilè aqua in manum, vel spongiam, seu gossipion infusa, se posse ipsum uterum penetrare, aquam super fœtum exprimere, ac verba proferre, & baptizare. Idemque asserunt fieri posse per fistulam, vel per cochleare immissum cum aqua in uterum, sicque eas ab experientia perdoctas fuisse. 1

Et quidem opinio negativa creditur communis, & probata *in c. Qui in maternis d.* 4. *de consecr.* Ubi disponitur quod si mater prægnans baptizetur, fœtus non sit baptizatus; quia qui natus secundùm Adam non est, secundùm Christum regenerari non potest; nec in eum potest regeneratio, quem generatio non præcessit. Unde regula: *Qui natus non est, non potest renasci.* 2

Ratio autem secundùm Glossam ibidem est, quia talis notus est Deo, non hominibus, nec est subjicibilis operationi ministrorum Dei, prout etiam de jure civili non perfectè natus, non dicitur homo, *l. quod certatum, C. de posth. hær. instit.* 3

Tunc igitur infans erit capax baptismi, quando ita sit in lucem editus, ut dici possit viam degere cum aliis hominibus, a quibus juvari possit, seu saltem aliqua sui pars ita ex utero prodierit, aut apparuerit, ut dici possit quodammodo natus, & sic Sacramento renasci, nec aliàs dicatur renatus antequam natus. Ipsa enim Ecclesia Sacramentorum dispensatrix illa præbet tantummodò iis, qui hanc communem vitam ingrediuntur, in ejusque foro, & notitia versantur, qualis non est puer materni uteris tenebris circumfusus, qui etiam aperto ostio ipsius uteri quando mater est paritura, licet puer manibus ab Obstetrice tangi possit, adhuc tamen oculis ab ea cerni non potest, immò nec matri patienti, neque eidem Obstetrici, quamvis peritissimæ, innotescit, an proles vivat. 4

Quare non immeritò hujusmodi baptismum intra uterum administratus aliquibus magnis viris displicuit, præcipuè Mayroni *in* 4. *d.* 4. *qu.* 1. §. *sed occurit*, Richardo etiam *in* 4. *d.* 9. *art.* 1. *qu.* 1. Astesano 1. *par. summ. lib.* 4. *tit.* 6. *art.* 2. *qu.* 5. Henriquez *lib. de baptism. cap.* 21. *nu.* 2. *lit. M.* Angles *in* 4. *qu.* 2. *de baptism. art.* 3. *concl.* 1. Graffio *par.* 2. *dec. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 31. S. Augustino, S. Thomæ, S. Antonino, S. Bonaventuræ, & aliis relatis a Comitulo *in respons. moral. lib.* 1. *qu* 13. Quinimò Raynaudus *de sect. Cæsar. cap.* 6. *n.* 13. quomodo possit perfici pueri utero abditi ablutio saltem plerumque, & quomodo aqua, utero non fisso, possit ad fœtum tot involucris, ac septis circumdatam pertingere, non putat ostendi posse. Nam & ipse uterus est admodum abditus, ac exquisitè occlusus a momento conceptionis usque ad tempus partus, & intra ipsius uteri latebras fœtus tot undique secundinis circumsepitur, ut nesciatur qua ratione dici possit, aquam ita esse applicabilem, ut ad fœtum immediatè possit pertingere. Atque etiam ob eandem secundinarum circumpositionem non existimat idem author, puerum, etiam recluso jam utero sub tempus partus, posse intra uterum baptizari, quia quousque fœtus expeditus sit involucris secundinarum, quod non fit nisi in exclusione ab utero, aqua, quæ immitti posset nonnisi secundinas perfundet, quod non potest ad verum fœtus baptismum sufficere. 5

Nihilominus pronunciandum esse censeo: Desperato 6

partu

partu naturali, fore, ut poſſet verus, ac licitus baptiſmus peragi, fœtus intra matris uterum conſtituto, nec aperto utero, ſi aqua ad eum poſſet pertingere.

Probatur. Quia infans, ſic conſtitutus, eſt ſubjectum capax baptiſmi; nam eſt homo non baptizatus, & poteſt tingi, ſive aſpergi ab aqua, omniaque hic interveniunt, quæ ad Sacramentum baptiſmi requiruntur, nimirum materia, & forma, & intentio debita, ac ſubjectum baptiſmi capax.

Confirmatur hæc ratio ex doctrina D. Thomæ *3. par. qu. 68. art. 11. & in 4. diſt. 6.* & Scoti *diſt. 4. qu. 3.* aliorumque Doctorum utriuſque Scholæ, ubi inquirentes rationem quare in maternis viſceribus pueri baptizari non poſſint, reprobant, & rejiciunt aliquorum rationem dicentium, non poſſe baptizari, quamdiu in utero matris ſunt, tamdiu adhærent cauſæ peccati Originalis, & ſic ab eo mundari non poſſunt, niſi a peccati cauſa ſint ſeparati per nativitatem ex utero, & rationem unicam, & adæquatam afferunt, quia, ut inquit D. Thomas: *Dum puer adhuc eſt in utero matris, non poteſt ſubjici operationi miniſtri Eccleſiæ, per quem baptiſmus applicatur, & diſt. 24. a. 2. qu. 1. ad 2.* Baptiſmus non eſt, niſi illorum intrantium, qui *ablutioni ſubjici poſſunt*, & Scotus loco citato: *Non quia conjunctus eſt cauſæ corruptionis, ſed quia baptiſmus eſt lotio, vel ablutio in aqua, ſed parvulus ſic in utero non poteſt lavari, quia nec ſic immediatè tangi aqua.* Ergo quandocunque propter fœtus maturitatem, aut ſimilem aliam cauſam patefacta ſit via, ut poſſit infans aqua pertingi, etiam poterit baptizari. Ideò namque regulariter negatur baptizari poſſe in utero matris, quia ibi difficile redditur, quod aqua fœtum attingat. Si ergo detur, quod attingat, validus erit baptiſmus.

7 Probatur ſecundò, authoritate celeberrimorum Doctorum, qui in terminis hanc doctrinam tradunt, ſcilicet Victoria *in ſumm. quæſt. 32.* Suar. Valentia, Zambranus, Ledeſma, Vivaldus, Gabriel, Coninch. & alii, quos citat, & ſequitur Diana *part. 2. tr. 15. reſol. 43.* Nec non Gammacheus, & Præpoſ. *in 3. part.* ille *qu. 65.* hic *qu. 66. art. 8. dub. 3.* Hancque ſententiam jampridem antiquatam eſſe, poſſeque verè infantem intra matris uterum baptizari, dummodo ad eum, ſaltem interjecta tantùm ſecundina, pertingat ablutio, communiſſimam eſſe teſtatur idem Raynundus loco citato, piamque appellant Doctores, quos Diana ſequitur ibidem, & *tr. 3. de caſib. occurr. temp. mort. reſ. 12.*

8 Confirmatur hæc probatio. Quia tempore D. Antonini, ut ipſe docet *3. part. tit. 14. capit. 15. §. 1. Communiter ab Authoribus non reputabatur baptizatus infans, qui aqua baptiſmali fuiſſet ablutus in manu, vel in pede, quos ex utero protulerat.* Quia tamen nonnulli aſſerebant, probabile eſſe talem baptiſmum poſſe ſubſiſtere; ideò Eccleſia præcepit, ac præſertim Rituale Romanum, *Ut ſi aliud membrum* (preter caput) *emiſerit, quod vitalem indicet motum, baptizetur, & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus, &c.* Multò magis ergo moveri poterunt Eccleſiæ Prælati a tot celeberrimorum Doctorum authoritate, ad ſubveniendum parvulis, qui jam, hiante utero, ſeſe emittere incipiunt, & ablutioni ſubjiciunt.

9 Probatur tertiò. Quia niſi ſaltem per hujuſmodi baptiſmum reipſa ſuſceptum, poſſet proſpici ſaluti æternæ infantium in matrum uteris abditorum, incuſaretur Deus improvidentia, tanquam qui defeciſſet in neceſſariis, nec hujuſmodi infantium ſaluti verè conſuluiſſet, cùm tamen Scriptura conceptis verbis teſtetur, velle Deum omnes homines ſalvos fieri. Quæ verba D. Auguſtinus *lib. 4. contra Julianum* ad parvulos quoque maternis uteris abditos pertinere docet, atque adeò vult etiam ſalvos fieri hos paucorum dierum homines, ut feſtivè dixit S. Proſper *lib. 2. de vocat. gent. cap. 23.* Nulla enim eſt ratio, cur puer, qui in utero matris abſque ejus culpa labem Adæ contraxit, etiam ſine illius culpa non poſſit ſaltem hoc pacto in utero regenerari, & renaſci. Deus enim in nullo ſtatu negat talem ſpiritualem regenerationem, ac boni omnes probant conſilium, laudant conatum in re tanti momenti, tot ac tàm illuſtrium Doctorum, ut mox videmus, quos certè vel impudentiæ, vel imprudentiæ inſimulare, quaſi rem aggreſſi ſint Deo non gratam, vel planè deſperatam, ſcelus eſt. *Meliùs enim eſt*, inquit Salvianus, *nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare.*

10 Probatur quartò. Quia in puncto dubii propoſiti non habemus aliquod argumentum, quod convincere debeat Eccleſiæ Prælatos ad excludendum pueros ſic conſtitutos a gratia baptiſmali, neceſſaria neceſſitate medii, ut ſalventur.

11 Quamvis enim Comitolus *lib. 1. reſponſ. moral. qu. 15.* contrariam ſententiam ſolam defendi poſſe contendat, & in hunc finem alleget ſacrorum Canonum, S. Auguſtini, S. Iſidori, S. Thomæ, aliorumque Doctorum authoritatem, ejus tamen pace, nullus eorum, quos videre potui, noſtri dubii caſum attingit, immò plures noſtræ ſententiæ veritatem confirmare videntur. Etenim, *can. qui in maternis, de conſecr. diſt. 3.* quem Gratianus ex S. Iſidoro *lib. 1. ſentent. cap. 22.* deprompſit, ſic habet: *Qui in maternis uteris ſunt, cum matre baptizari non poſſunt, quia qui natus ſecundum Adam non eſt, renaſci ſecundum Chriſtum non poteſt*: ubi Gloſſa: *Quærebatur ab Iſidoro, quare partus non baptizatur cum matre prægnante?* Vides quam multum diſtet a caſu noſtro dubium a S. Iſidoro propoſitum, & quod ejus, ac Canonis ex eo excerpti reſolutio non attingat punctum noſtræ difficultatis.

Sed objicies rationem a S. Doctore ſubjunctam, *quia qui natus ſecundùm Adam non eſt, &c.* 12

Reſpondeo primò, rationes Canonibus, ac decretis adjunctas non conſtituere Jus: Secundò, antequam penitus elidam hanc objectionem, quæ certè conſiderabilis eſt in hac materia, debeo illius vim magis explicare, & augere. 13

Augetur ergo vis objectionis ex verbis Chriſti Jo: *3. oportet vos naſci denuò.* Et: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et, ne evadere conemur, dicendo quod per Baptiſmum regenerari poſſumus a nativitate in utero, & non neceſſariò ab ea, quæ ex utero, opponit Comitolus authoritatem S. Aug. *epiſt. 55. ad Dardanum*, ubi expreſſis verbis hanc evaſionem præcludere videtur. Addit Comitolus, dicta verba Chriſti, Sanctos, Patres, & Theologos doctrina, gloria, antiquitate inſignes, ita interpretatos, ut nemo nativitatem ſpiritualem queat adipiſci, qui è materno alvo non prodierit ſeu omninò, ſeu ex parte. 14

Quibus, ut ordinatè reſpondeam, dico, quod omnes Catholici ſuſtinere debemus, quod nativitas, a qua renaſcimur per Baptiſmum, propriè eſt illa, qua naſcentes in utero contrahimus peccatum Originale. Ita nos docet Concil. Trid. *ſeſſ. 5. in decreto de peccato Originali: Parvuli ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mandetur, quod generatione contraxerunt; niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 15

Certum eſt autem ſecundum fidem, quod peccatum Originale contrahitur generatione in utero antequam infans naſcatur ex utero, ergo regeneratio Baptiſmi eſt ab ea, qua naſcimur in utero. 16

Cùm ergo Concilium doctrinam ſuam ſtabiliat ex verbis Chriſti *Joann. 3.* manifeſtè conſequitur, quod ex mente Concilii hæc verba Chriſti intelligenda ſint de renaſci a nativitate in utero, itaut qualitercunque ſive per uteri ſectionem, ſive per ejuſdem dilatationem pateat via ad ablutionem infantis, quamvis non eximatur utero, immò eidem firmiter adhæreat per umbilicum, membranas, & fibras, capax ſit regenerationis per baptiſmum, ſicuti S. Joannes Baptiſta ante ſuam ex utero nativitatem capax fuit regenerationis in Chriſto, & de facto fuit regeneratus in Chriſto ſine baptiſmo ante ſuam ex utero nativitatem. 17

Uſitatum quippè eſt in S. Scriptura voce *Natum* accipi pro *genito*. Ita Matt. *cap. 1. De qua natus eſt Jeſus*, græcè autem habetur *genitus*, & cap. 26. *Bonum fuiſſet ei ſi natus non fuiſſet homo ille*, hoc eſt genitus, prout græcè etiam dicitur, ut intelligant, ſe errare, qui ad probandum, melius eſſe homini malè eſſe, quàm non eſſe, hunc locum contra ipſos facientem ita conantur eludere, quod non dixit Dominus, ſi nunquam genitus fuiſſet homo ille, ſed ſi nunquam natus. Ac eodem *cap. 1.* explicatiùs: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, græcè *genitum*. Non enim tunc erat Jeſus, ſed conceptus, ſive ut græcum verbum ſignificat, *genitus*. Unde Baptiſmus regeneratio a Tridentino appellatur. Denique verba Chriſti intelliguntur de regeneratione ſive nova nativitate ſpirituali, ut ex contextu liquet, quæ ſanè etiam in utero verificari poteſt. 18

Hinc D. Thomas locis citatis rationem hanc, quod nondum natum eſt, non poteſt renaſci, intelligendo de nativitate ex utero rejicit, & confutat, & ad D. Auguſtini verba in Epiſtola ad Dardanum reſpondet *in 3. diſt. 2. qu. 1. ad 1. verbum S. Auguſtini ad Dardanum ita intelligendum eſſe*, quia qui *in uteris maternis ſunt, operationi miniſtrorum Eccleſiæ ſubjacere non poſſunt*, ut ſupra diximus, & latiùs declaravimus. 19

Nunc ad Doctores ſcholaſticos, quos Comitolus pro ſe citat, deveniamus. Et in primis ait, S. Thomam hoc modo concludere, & *ita relinquitur, quod nullo modo infantes in uteris exiſtentes baptizari poſſunt*. Fateor ita loqui S. Thomam, ſed ex præcedentibus liquet, ly *nullo modo*, idem eſſe, ac ſi diceret, neque baptizando matrem, 20

quia est distinctum suppositum, neque baptizando parvulum, quia ad eum ablutio pervenire non potest, quemadmodum etiam superiùs demonstravimus.

21 Eadem ferè, & non ampliùs docent Magister Sent. Alensis, S. Bonaventura, Richardus, & alii ab eodem citati, quæ casum nostrum non feriunt, sed potiùs adjuvant conclusionem nostram.

22 Denique video, objici posse Rituale Romanum, ubi ait: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet: at si infans caput emiserit, &c.* item: *Si aliud membrum emiserit, baptizetur, &c.* Sed existimo, si benè considerentur hæc verba, pro nobis facere: nam in casu nostro infans non est in toto rigore clausus in utero matris, sicut non debet dici clausus in carcere, qui stat ad ostium carceris apertum, ut egrediatur, quamvis nullam corporis partem foras extulerit: præsupponitur enim infans jam aperuisse ostium uteri: saltem quantum necessarium est, ut aqua ad ipsum pergat, immò quod manibus Obstetricis tangi possit ipsum corpus infantis, ut ipse Comitolus fatetur juxta sibi tradita a perantiqua, & expertissima Obstetrice. Addo ergo, & exemplum ex sacra Scriptura. Gen. 38. *Instante partu, apparuerunt gemini in utero Tamar, atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum.* Ecce quomodo dicuntur apparuisse in utero, *antequam*, ut inquit Tostatus, *ullus eorum egrederetur vel in toto, vel in parte. Et hoc sensit Obstetrix interius applicando manum.* Nam maturus infans naturali impetu contendit erumpere carcerem ventris, secundinas scindit, suo pondere aperit uterum, quod si vires infanti non sufficiunt, obstetrix adjuvat unctionibus, & strictionibus, secundinas vellicat, ac disrumpit, & sic ad extimum materni corporis ostium sese infans emittit. Cùm autem motus emissionis hujusmodi abesse clausum in utero, usque ad totaliter, & perfectè egressum esse ex toto corpore matris sit motus successivus, sequitur, quod statim inchoata emissione, jam aliqua emissio facta sit, & aliqua restet magis, minusque perficienda. Tunc ergo dici debet, quod se magis, vel minus perfectè emiserit infans, quamvis adhuc nullam sui corporis partem foras, & extra totum, matris corpus extulerit. Tunc autem sæpè contingit, perfectum egressum è materno corpore compleri non posse sine gravissimo mortis periculo. Sic sese jam aliquo modo emisit purpurea rosa, quando carcerem viridium foliorum, quibus claudebatur protuberans, apperuit, & Cœli rorem non jam in viridi tegmine, sed in sua substantiali purpura suscipit. Sic Bombyx, quo nullum aptius est exemplum fœtus humani, postquam exuit vermis formam, candentibus alis præditus secundinam, ac secundam suis sibi filiis contextam aperit, & aere fruitur, ac rore cœli, priusquam foras egressus evolet.

23 Ad reliquas objectiones facilè respondetur. Nam primò, quod ab Obstetrice sibi relatum Comitolus affert, nimirum neque matri, neque obstetrici innotescere, an proles vivat, contra experientiam est, & contra rationem. Nam quomodo obstetrix manu tangere potest corpus pueri manu intra uterum emissa, absque eo quod sentiat ejus vitalem motum, quem percipere etiam potest manu supra uterum ab extra adhibita? Et ad quid deservient signa, quæ congerunt medici, ex quibus cognoscatur, mortuam esse in utero prolem ad hoc, ut Obstetrix de extrahenda provideat? Immò etiam assignant modum cognoscendi, & providendi, quando ex duobus gemellis unus est vivus, alter mortuus.

24 Secundò, quod in dispositione quarundam legum Civilium, nondum perfectè natus, habeatur quasi non esset, nec juribus natorum potiatur, tradunt Paulus Castrensis *ad l. quod certatum, C. de Posthum. hæred. instit.* Ubi etim Jason, & Jacobus de S. Georgio. Subscribit Purpuratus *lib. 1. cons. 156. num. 4.* & Curtius jun. *lib. 3. cons. 326. num. 6. & 7.* aliique nonnulli, eo maximè nixi fundamento, quod ut habet Paulus Jurisconsultus *l. Anniculus, ff. de verb. signif. falsum est, eam peperisse, cujus filius exectus est.* Quod dictum valdè celebrans Angel. Alexand. & alii ad *l. Quod dicitur, ff. de liber. & posth.* Idemque multi adducti a Tiraquell. *ad l. si unquam, C. de revoc. donat. v. susceperit liberos num. 140.*

25 Verùm hæc, & similia non urgent. Quia cùm connisus prolis inadæquatè integret concursum necessarium ad ejus nativitatem, aliquatenus quoque fundat *nati* denominationem, unde fœtus, matre præmortua, prosiliens vi sua, & nisi ex utero, minus absurdè dici potest natus ex matre, cujus efficientia circa emissionem est desiderata. Quare contraria sententia, quæ affirmat Cæsones, aut nondum perfectè natos iisdem potiri Juribus, quibus potirentur si naturali modo, ac perfectè editi fuissent, est longè communissima, & verissima. Tradit eam Guilielmus Benedict. *ad cap. Raynutius de testam. num.* 64. Guttier. *quæst.* 101. Tiraquel. *loc. cit. n.* 141. *& seqq.* Alphons. Garranza *de par. c. 6.* qui alios permultos adducunt. Et proferri sanè possunt omnes illi, qui docent, Cæsones esse verè filios matrum, è quibus eximuntur, & ut filios earum habendos, atque tractandos, etiamsi non sint per partum suscepti, quem esse communem sensum Jurisperitorum habetur ex Alciato, *l. etiam* 141. *ff. de verb. signif.* Ubi disertè id tradidit Ulpian. *& l. 1. §. Si qua prægnans ff. unde cognati, & l. Quod dicitur, ff. de liber. & posth.* Ac præcipuè *l. 1. ff. ad S. C. Tertull.* Ubi statuitur, execto matris ventre editum ad legitimam matris hæreditatem esse admittendum, & institutum secundum tabulas esse censendum. Nam tametsi Cæso, vel qui nondum perfectè natus est, propriè, & in rigore loquendo nec pariatur a tali fœmina, nec ex ea nascatur, tamen cùm ex ejus sanguine sit formatus, meritò habetur tanquam ex ea muliere natus. Jus enim commune ad aliquem pro nato habendum, spectari duntaxat voluit formationem ex tali fœmina, & fœtus vitalitatem, quantum est ex vi formationis. Præterea hæc legis fictio est in particulari materia, quæ ultra suum casum non extenditur. Unde filius Regis in utero existens, succedit in Regno, Bald. *in l. fin. C. de testam. militari.* In utero existens potest legitimari. Unde generatim, is, qui in utero est, pro nato habetur, quoties de ipsius commodo agitur, *l. qui in utero, de stat. homin.* Idque prærogativa quadam non fit, non fictione, sicuti communiter putant Interpretes, refutati ab Arumæo *disp. 1. ad Pandec. thes. 13. & exercit. Justin. 13. thes. 5.*

Quo item modo declinatur, quod aliqui Jurisperiti do- 26
cent, nimirum infantem nondum natum non esse hominem, quare admitti in illum homicidium negare videtur Tiraquell. *ad l. si unquam, C. de revoc. donat. §. suscepit liberos, num.* 148. Ex Bald. & aliis, quos refert, nixos ea Domini apud Joannem sententia: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, &c. cùm autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hinc enim intulerunt DD. prædicti, infantem priusquam utero funderetur, & natus dici posset, non esse hominem de Christi sententia. At homicidium non potest esse nisi hominis. Igitur, si non est homo, non est capax Baptismi.

Sed quicquid sit de genere supplicii, legibus decreto 27
huic nequitiæ, quod diversum est a pœna homicidio proditorio constituta, revera tamen cerni in hoc scelere malitiam homicidii proditorii rectè affirmat Molin. *tr. 3. de Justit. disp. 27. num. 2.* Nec contrarium potest, nisi ridiculè fundari in verbis Christi, cùm Christus verbis allegatis non in partu, & nativitate fieri hominem, qui homo non fuerat, sed nasci hominem utique jam factum, & præexistentem dixerit. Constat enim, abortione animati jam fœtus procurata occidi vivum quid, non utique plantaninum, vel pecuinum, igitur humanum, de quo occiso ante Christi tribunal reddendam esse ultro occidenti rationem graviter contestatur D. August. *serm. 244. de temp.* Hac de re optimè ita Clemens Alex. *2. pædag. c. 10.*

Tertiò, in nostro casu, infans nondum aliqua sui par- 28
te ex utero foras egressus, non soli Deo natus est, sed etiam Ecclesiæ, quatenus minister necessitatis Sacramenti Baptismi a Christo, & ab Ecclesia deputatus, ipsa nimirum Obstetrix experimentalem notitiam per tactum habet vitæ infantis, cujus corpus dum aqua baptismali abluit, animam sanctificat, & Ecclesiæ Christi aggregat, quamvis illud non videat: non enim ad valorem baptismi requiritur visio, quandoquidem, & cæci baptizare validè possunt. Quare assero.

Probabile etiam esse, quod, quando aqua capillos so- 29
lummodo, aut umbilicum, aut excrementa fœtui conjuncta tangit, & non immediatè aliquam aliam corporis partem, quod conficiatur validum baptisma. De capillis docent Henriq. Toletus, Vasquez, Valentia, & aliis plures, quos sequitur Diana *par. 5. tract. 3. de casib. occur. res. 4. & 5.* quibus suffragatur Card. de Lugo *in resp. mor. dub. 1. num. 3.* & reclamantibus Bonacina, Roderico, Sylvio, & aliis ab eodem de Lugo adductis n. 11. De Umbilico, Diana docet, cum probabilitate sustineri posse.

Et horum omnium ratio est, quia, probabilius est, 30
quod informentur anima totius viventis, & ab ea recipiant omnes gradus essendi, quod signum est physicæ continuationis; ut rectè adnotavit Valesius *lib. 2. controvers. med. cap. 5.* Quare cùm omnia ista pertineant ad suppositum infantis tanquam unum cum illo, & sint aliquid ejus, per consequens, iis ablutis, dici debet, infantem fuisse ablutum in aliquo sui. Immò, & infantis partes dici debent interim dum in tali statu reperitur. Sic si super folia arboris pluvia decidat, aspergitur arbor, quam-

quamvis nec ramos, nec truncum attingat. Similiter si solùm contingat pluvia exteriorem arboris corticem, & ut de Lugo, inquit num. 6. habent se capilli respectu capitis, sicut pellis in ove, vel sicut pennæ in ave. Nemo autem dicet, non esse propriè, & in omni rigore madefactam ovem, vel avem, quarum pellis, & lana, vel pennæ, madefactæ sunt.

31 De baptismo autem in secundina majus dubium est, Aureolus *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 1. *artic. un.* arbitratur, ad baptismum infantis sufficere ablutionem secundinarum, dummodò puer sit extra uterum; nam puerum prorsus utero abditum censet baptismi incapacem. Idem habet Sylv. & Angel. *v. Baptismus*. Nonnulli item recentiores verum pueri baptismum intra secundinam, sola secundina ablutionem excipiente, agnoverunt, ut Vasquez *3. part. disput.* 155. *cap.* 4. & Præpositus *3. part. quæst.* 66. *numer.* 91. Hoc tamen non existimo verisimile, ut Valentiæ quoque visum *3. part. disput.* 4. *qu.* 1. *punct.* 2. *corolar.* 5. ac Raynaudo *de sect. Cæsar. dist. cap.* 6. *num* 14.

32 Nemo sanè jure censuerit puerum sacco coriaceo indutum verè baptizatum iri, si aqua soli corio affunderetur, nec ablutio ad puerum immediatè pertingeret, sicut facilè eveniret, si corii immissio intra aquas esset subdita, & perbrevis, corium autem validum, nec facilè permeabile ab aqua, meritòque Richard. *in* 4. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. & Gabr. *ibid. d.* 5. *quæst.* 3. *dub.* 2. negant, eam corii puero circumfusi intinctionem fore verum pueri baptismum.

33 Atqui licet ex dictis remanere possit aliquod dubium non omninò evacuatum. Immò in facti contingentia, baptismus sic collatus, regulariter dubius censeri debeat, ideòque dicendum sit, quod si supervixerit infans, sub conditione sit denuò baptizandus: quia, ut prudentissimè advertit de Lugo sup. num. 11. quicquid sit de aliis sacramentis, an in eorum collatione, & susceptione licet amplecti opinionem probabilem; in baptismo tamen, sacerdotio, & Episcopatu propter eorum necessitatem, & damnum irreparabile, quod ex eorum invaliditate consequeretur, debemus, quoties fieri potest, certam, & securam viam amplecti, quàm doctrinam cùm aliis alibi sequuti sumus.

34 Non est autem omninò certus valor baptismi in casibus adductis, negatur enim ejus valor a multis Doctoribus, quos supra recensui. Nihilominus tamen instruenda videtur obstetrix, quod in casibus positis urgente articulo necessitatis, omnium meliori modo, quo potest, satagere debeat, ut infantem probè aqua abluat, pronunciata baptismali forma cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

35 Habemus enim magistralem regulam ab Angelico Doctore traditam in simili dubio de Baptismo per ablutionem pedis, vel manus, qui tunc temporis communiter a Doctoribus censebatur invalidus. *Non nocet*, inquit, *etiamsi tunc aspergantur illæ partes baptismali aqua, quia divina misericordia non est arctanda. Ita in* 4. *dist.* 6. *artic.* 1. *quæst.* 6. *ad* 3. quam regulam Ecclesia approbare visa est in Rituali Romano, & Theologi concorditer amplexi sunt, eamque explicat, & probat Montesin. *in* 1. 2. *disput.* 26. *quæst.* 5. *num.* 45. & Joannes Sanctus *in select. disp.* 44. *num.* 35. Quia in casu necessitatis sacramentum quasi juri suo cedit, & periculo irritationis exponi non ægrè fert, eò quòd salus proximi magis tuta relinquitur suscepto sacramento, & in casu nostro planè desperata est, si illud non ministretur, & ubi violatio charitatis imminet, aut religionis, charitas est præferenda ex Card. de Lugo *disp.* 8. *sect.* 9. *num.* 140. Summa enim indigentia proximi, cui aliter subvenire non possumus, præponderat reverentiæ, quæ debetur Sacramentis, & reddit licitam talem operationem propter necessitatem.

36 Atque hactenus satis firmis, ut opinor, rationibus nostram sententiam probavimus, quam primus, absit verò verbo invidia, propugnavi, quamque alii quidam magni viri sequuti sunt, nominatim Franciscus Paarettus, Parochus S. Mariæ in Cosmedin. vir exquisitæ eruditionis, nec mihi absque candoris, & virtutum, doctrinæque elogio nominandus.

CONSULTATIO CLIV.

An subditus Domini temporalis Judicem Ecclesiasticum adire possit, ut a juramento in contractu præstito absolvatur, & absolutione obtenta, petat contractum rescindi in jurisdictionis sui Domini præjudicium, qua est investitus? Ubi de potestate Principis sæcularis irritante contractum juratum.

QUod non possit ratio potissimùm est, quia in præ- 1
judicium tertii non debet induci prorogatio jurisdictionis ex notatis per Jo: Monach. & Bald. *in c. Accusatus de hæret. in* 6. & *in l.* 2 *sub fin. C. de oper. lib.* dicentem, quod prorogatio simplicis jurisdictionis non potest fieri in præjudicium Superiorum. Eum sequitur Laud. *in tract. de Confed. pac. & convent. Princ. n.* 8. Afflict. *in §. Præterea ult. tit. de prohib. feud. alien. per Frider. n.* 23. & *seq.* post Archid. & alios ubi ex eorum dictis limit. *l. ubi captum, ff. de judic.* ut nempè non habeat locum, quando fit præjudicium jurisdictioni alterius utilis, vel directi Domini. Idem planè prosequitur Frec. *de subfeud. auct.* 10. *n.* 1. & 2. dicens, quod vasallus laicus sine consensu Baronis non valet jurisdictionem Judicis Ecclesiastici in præjudicium Domini sui prorogare. Quod luculenter confirmant Tondut. *de prævent. p.* 1. *c.* 11. *num.* 3. & 21. Olasch. *dec.* 78. *num.* 13. & 17. ac Th. Delbene *de immun. Eccles. c.* 10. *dub.* 6. *sect.* 2. *num.* 13. & *seqq.* Quæ corroborat Bart. & Saysel. *in l.* 1. *§. Et post operis*, ille n. 8. hic *col. fin. de nov. oper. nunc.* ubi defendendo Paulum de Castro concludit, prorogationem non posse fieri, quando fieret in præjudicium Judicis. Consentit Bellam. *cons.* 11. *n.* 3. cujus verba placet apponere. *Quia*, inquit, *licet lex civilis statuerit jurisdictionem cujuslibet judicis ordinarii, prorogari posse, tamen hoc non habet locum in casu, in quo jurisdictiones quoad utilitates, & proprietates, ad invicem essent discretæ, & ad diversa dominia jure patrimonii pertinentes.* Eandem rationem repetit *cons.* 33. *n.* 43. cui præluxerat Bald. *in l. Decernimus* 15. *n.* 40. ubi quod quicunque sub juramento fidelitatis est alicujus jurisdictionis, non potest prorogare jurisdictionem in alterum Judicem, Dominum, vel populum, nisi Domino suo consentiente, *C. de sacrof. Eccles.* Facitque textus *in c. Ex tenore* 12. *de for. comp.* ubi Innoc. III. mandat, ne auferatur his alteri quæsitum in exercitio jurisdictionis. Hinc Fab. de Anna *cons.* 107. *n.* 9. *lib.* 2. asserit, quod laicus non potest jurisdictionem alienam sine consensu sui Domini prorogare. Idipsum explicat Bellug. *in speculo Princip. rubr.* 15. *n.* 6. Ursill. ad Afflict. *dec.* 155. *n.* 3. Capiblanch. *super pragm.* 8. *par.* 1. *n.* 107. *tom.* 1. Petr. *de jur. quæs. non toll. c.* 11. *num.* 19. ac 21. & infrà *lib.* 2. Gail. *lib.* 1. *observ.* 40. *n.* 60. Giurb. *cons.* 48. *n.* 11. aliique quamplures, videturque textus expressus *in d. c. Ex tenore* per quem notat Butr. *in cap. Ex transmissa in* 5. & 6. *notab. de præscript.* post Innocent. *in c. Cæterum de Judic.* quod habens aliquem subjectum non ratione nudi exercitii jurisdictionis, sed alia ratione, ut puta fidelitatis, uti sunt subditi vasallorum, potest dictis subditis inhibere, ne litigent coram alio Judice. Idem tenet Host. *in sum. de for. comp.* Roman. *in d. §. Et post operis in fin.* Socin. *in cap. significasti col.* 20. *de for. comp.* Barbat. *in d. l. Decernimus post* Bald. *in apostil.* & Jo: Andr. *ad Merc. in reg. scienti col.* 3. & 4. *de reg. jur.* & Afflict. *d. dec.* 155. *in fin.* & *in d. §. Præterea a num.* 23. *ad* 29. Eòque pertinet quod dicitur, in juramento semper censeri reservatum jus, & authoritas Superioris, *cap. Venientes*, & ibi Glos. *de jurejur. l. Qui jurato, ff. Qui satisd. cog.*

Sicque intelligendæ sunt in hanc rem circumforaneæ 2
declarationes S. Congregationis Immunitatis. Quia similia rescripta tanquam prudentum responsa, ut inquit Fagnan. *in in c. Quoniam contra n.* 68. *de constitut.* semper reducenda sunt ad concordiam juris, quod annotavit Delbene *de Immunit. cap.* 14. *dub.* 5. *sect.* 2. *n.* 22. & *seq.* ad similitudinem rescripti Principis, quod pariter, prout juris est, semper interpretamur. Scitè Fagnan. *in c. Causam, quæ num.* 4. *de rescript.* Rot. *dec.* 483. *num.* 5. *par.* 9. *rec.*

Idque sanè absque ulla difficultate procedit, quando 3
Baro habet jurisdictionem cum clausula privativa, & abdicativa. Nam tunc omnes admittunt, quod vassalli prorogare nequeant jurisdictionem alicujus Judicis cum detrimento jurisdictionis Baronis absque illius consensu, Giurb. *cons.* 66. *num.* 19. & *cons.* 95. *sub n.* 14. Capiblan. *loc. cit. num.* 119. & 123. Capyc. *decis.* 122. *num.* 6. de Franch. *decis.* 417. *num.* 8. Attentis præcipuè amplissimis verbis in investitura expressis cum mero, & mixto imperio, & omnimoda jurisdictione, de cujus virtute ac potestate Mastrill. *de magistrat. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 15. Faust. *in cons. pro Ærar. clauf.* 6. *cons.* 3. *ord.* 545. & *cons.* 6. *ord.* 548. Etiamsi dignitas Baronalis erecta non

fuerit in perſonam. Quia cùm inhæreat Caſtro, videtur eſſe realis, ut obſervat Ripol. *de Regal. c. 5. n. 27.* & tranſire ad quemcunque ſucceſſorem, & ſic juriſdictio privativa, Schader. *de feud. tom. 2. par. 10. ſect. 3. num. 159. & 160. cum ſeq.*

4 Et quamvis dignitas ſine conceſſione Caſtri in feudum multoties concedatur in titulum, attamen ex hac dignitatis titulatæ conceſſione oritur obligatio. Titulati erga Principem concedentem, ut teneatur illi aſſiſtere, illumque bono conſilio adjuvare ex ratione *l. Quoties 3. C. ubi Senatores, vel Clariſſimi, l. Quiſquis 5. C. ad l. Jul. Majeſt.* Frec. *ubi ſupra lib. 2. §. Quis dicatur Comes nu. 50.* Lanar. *contr. 72. n. 8.* Bobadil. *in polit. lib. 6. cap. 16. nu. 7.* ibique Add. *lit. F.* cum aliis per Maſtrill. *citat. lib. 4. cap. 13. n. 13.* ubi ait quod dicuntur Conſiliarii collaterales, quia tenentur etiam conſilio Regem adjuvare. Unde, & ratione iſtius obligationis, ac ſervitii debiti, videtur permiſſa juriſdictio privativa.

5 Hinc Schader. *d. tom. 2. part. 11. ſect. 1. numer. 33.* ex communi ſententia firmat, quod ſicut Duces, Marchiones, & Comites reſpectu ſubditorum ſuorum, & majeſtatem habere dicuntur, ac omnibus omninò privilegiis Romano Imperio indultis fruuntur, ita quoque, & Barones reſpectu ſubditorum ſuorum majeſtatem habere tradit, & omnibus privilegiis Imper. Romano indultis gaudet. Et num. 35. & 44. tradit, quod ſicut crimen læſæ majeſtatis non tantùm contra Romanum Imperium, ſed etiam a quolibet ſubdito contra Principem ſuum ſæcularem, licet ipſe Superiorem recognoſcat, committitur; ita quoque crimen læſæ majeſtatis a ſubditis contra Barones committi.

6 Quare ſi ejuſmodi juriſdictio fuerit prorogata, poſſe Principem petere, quod cauſæ ſubditorum ſibi remittantur docuere Giurb. *d. conſ. 95. num. 14.* Tondut. *de prævent. part. 1. cap. 11. num. 4.* Adeò quidem ut Judici ſic prorogato nihil queat opitulari præventio, cùm hæc tantùm locum habere poſſit inter æquales, non autem ubi privativa concurrit. Quia hæc ex diametro opponitur, ex allegatis per Giurb. *conſ. 48. num. item 48.* qui alios refert atque concordat.

7 Juriſdictio verò hæc privativa in Vaſſallos non ſolùm reſultat ex tenore Inveſtituræ, ſed etiam quia cùm ſit annexa feudo, & per inveſtituram feudalem transferentem in Baronem merum, & mixtum Imperium cum ſanguinis poteſtate, intelligitur conceſſa privativè, cùm cumulativè, ut benè ac latè Cravet. *conſ. 411. ex n. 36. ac ſeqq. vol. 3.* Decian. *conſ. 35. a n. 60. vol. 2.* Roland. *conſ. 21. n. 12. vol. 4.* Roſental. *de feud. cap. 5. concl. 5. n. 2. & 3.* Horman. Piſtor. *q. jur. lib. 2. qu. 45. n. 15.* Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 18. a n. 5.* Tondut. *d. cap. 11. n. 11. & ſeqq.* Theſaur. *dec. 177. n. 11.* Grammat. *deciſ. 30. num. 9.* cum aliis per ipſos allegatis.

8 Itaque cùm hæc ita ſint, ut jam probatum quaſi per ſaturam, poteſt Baro habens hanc prærogativam legitimè interdicere vaſallis ſuis, ne alienam juriſdictionem prorogent, ut luculenter docet Delbene *d. cap. 10. dub. 6. ſect. 2. nu. 2. cum ſeqq.* & Oſaſch. *d. deciſ. 78. num. 13. ex d. cap. Ex tenore de for. comp. ac leg. 2. §. Judex, ff. de Jud.* per quæ jura ita determinat Socin. *in d. cap. Significaſti de for. comp. col. 2.* Covarruv. *lib. 1. var. cap. 4. num. 8.* ex textu *in cap. Cum ad verum d. 96.* cujus rationes reddunt Gemin. *in princip.* Turrecrem. num. 7. cum pleriſque aliis apud Fermos *ad cap. Tuam 3 de ord. cogn. q. 12. num. 8.* Idque ex cautela Spadæ *conſil. 1. num. 29.* & a Ponte *d. conſ. 37. num. 21.* Quod nullam admittit difficultatem, quando Dominus eſt Judex non ſolùm perſonæ, verum etiam rei. Nam res temporalis eſt, perſonæ ſunt laicæ, omnia ſunt in Baronia, ideòque non poteſt dari prorogatio. Etenim rectè infertur a territorio ſpirituali ad territorium temporale, ex Rota relata a Spada *conſ. 306. n. 9. lib. 2.*

9 Quinimmò, ut malitiis, ac fraudibus ſubditorum occurratur, ne indirectè præjudicium, aut injuria fiat ſuæ juriſdictioni, dum cauſæ laicorum ratione juramenti, vel obligationis Cameralis ad forum Eccleſiaſticum avocantur, poteſt Princeps iis prohibere, ne juramento valeant ſe ſubjicere. Quod *lib. 4. nov. collect. tit. 1. l. 11. & 22.* ſancitum eſt in Regno Caſtellæ, ut ſcilicet in obligationibus, & contractibus non apponatur juramentum, idque ſub gravibus pœnis tàm ex parte ejus, qui ſe juramento adſtringit, quàm creditoris, atque etiam tabellionis, quia ea de re confecerit inſtrumentum. Ac inſuper ſtatuitur, ut talis contractus, & obligatio juramento firmata nulla ſit in pœnam, atque ut ſubveniatur juriſdictioni Reipublicæ ſæcularis.

10 Nec tenet juramentum, quando eſt cauſa peccati, *c. Non eſt obligatorium, de reg. jur. in 6.* Tale autem juramentum eſt cauſa peccati, quia inducit ad faciendum actum prohibitum ac irritum a lege, quæ cùm ſit juſta obligat etiam in foro conſcientiæ. Atque ita tenent Bart. *in l. ſi quis pro eo ff. de fidejuſſ.* Gemin. *conſ. 51.* & alii.

Et licet dictæ leges irritantes actum concernant privatum favorem, non tamen quiſpiam poteſt facere aliquid, quod inducat deordinationem aliquam in politico regimine. Quia cum quilibet ſit pars communitatis, & membrum ipſius, ſubintrat lex naturalis, ipſum obligans, ut in civili corpore ordinato modo ſe habeat. Dum autem non ſervat has leges, quæ inducunt debitum ordinem, facit aliquid deordinatum, atque adeò ſaltem venialiter peccat, & proinde juramentum inducit ad hoc veniale peccatum, atque adeò non valet. 11

Nec videtur id condemnandum, quicquid nonnulli dixerint, quos Alvar. Valaſch. *conſul. 99.* refert. Fas enim eſt Principibus ſæcularibus ſuam ac Reipublicæ ſibi commiſſæ tueri ſæcularem juriſdictionem, ſuis ſubditis prohibendo, ne quidquam efficiant, ex quo illa impediatur, aut minuatur. Idem omninò cavetur in Regno Luſitaniæ *lib. 4. ord. tit. 3.* Eſtque in praxi receptum in Burgundia. Juſtitiam verò harum legum in hac parte laudat, probatque Buſs. *l. 1. num. 17. de tranſact.* Atque id poſſe Principem ſæcularem efficere docent Covar. *in c. Quamvis pactum, de pact. par. 1. §. 3. num. 8. & par. 2. §. 1. num. 1. itidem 8.* Azev. *in præcit. l. 11. a num. 2.* Guttier. *in auth. Sacramenta puberum a nu. 46.* Valboa *tom. 1. c. 3. de judic. num. 136.* Anguian. *lib. 3. contr. 22. per tot.* Seſſe *de inhib. cap. 9. §. 3.* Pereir. *de man. reg. p. 2. c. 35. n. 2.* Cabed. *tom. 2. dec. 32. n. 2.* Carleval. *de judic. lib. 1. tit. 15. n. 112.* Gama *dec. 247. nu. 2.* Guliel. Bened. *in cap. Raynutius nu. 53.* Pinel. *l. 2. C. de reſcind. vend. p. 3. c. 1. n. 11.* Padil. *ibid. n. 35.* Nec aliter ſentiunt Maſtrill. *de magiſtrat. lib. 4. c. 16. n. 61.* Marth. *de juriſd. p. 4. cent. 2. caſ. 152. n. 7.* Didac. de Mar. *in addit. ad Grammat. dec. 30. num. 5.* & ex Theologis defendunt Rebell. *p. 2. lib. 16. qu. 2. n. 9.* Molina *de juſt. tr. 2. diſp. 147.* Ledeſma *tom. 2. ſum. tr. 1. c. 4. dub. 2.* Sanch. *l. 3. ſum. c. 22. a n. 6.* & Pontius *de matr. lib. 12. c. 8. §. 5. a n. 38.* ubi probat eas non adverſari libertati Eccleſiaſticæ. Quod tanquam ſatis probabile tuetur, ac proſequitur Delbene *d. ſect. 2. n. 2.* & concinit Oſuvald. aliis citatis *lib. 21. cap. 13. in not. lit. A.* & Additionator Seraphini *privil. 76. n. 19.* ubi plures alios adducit. 12

Hæc pro poteſtate laica. At in hac controverſia, quæ invidioſa nimis eſt, ac exemplaris, illud uti certum tenendum eſt, quod ſcilicet laicus obligatus juramento, & obligatione Camerali poſſit conveniri a Judice Eccleſiaco, quando agitur in Curia cor. Aud. Cam. Apoſtolicæ, cui exequutio dictæ obligationis privativè quoad alios auctoritate Papæ fuit demandata cum ampliſſima derogatione privilegiorum, & indultorum conceſſorum etiam Domicellis, & Baronibus, & feudatariis, qui non poſſunt impedire, ne ſui ſubditi adeant Curiam ſupremi Principis juxta notata per Spadam *d. conſ. 1. n. 28.* Quod etiam admittunt Doctores contrariæ ſententiæ. 13

Difficultas itaque ſolùm eſt, quando judicium introducitur coram Ordinariis. Et quidem pars ſanior tenet, ipſum laicum jurantem, non autem ejus hæredes, conveniri poſſe coram Ordinario, ejus Judice Eccleſiaſtico. Quod ego verum cenſeo, ac probo. 14

Principio certum eſt, quod cauſa juramenti, an videlicet juramentum ſit licitum, vel illicitum, ſervandum, vel non ſervandum, & multò magis abſolutio a juramento ad Judicem Eccleſiaſticum, tanquam articulus ſpiritualis pertinet Text. *in c. Venerabilem in fin. de elect. & in c. Novit. de jud. & in c. Cum contingat. de jurejur. & in c. fin. de for. comp. in 6.* Doctores *ad cap. Tuam de ord. cogn.* Gloſſ. *in d. cap. Ex tenore de for. comp. verb. Eccleſiaſticum*, quæ enumerat cauſas ſpirituales, Felin. *in c. Cum ſit n. 7. cum ſeq.* & ibidem communiter *eo tit. & in c. 1. de jurejur. n. 21. & in c. Præterea a n. 28. de ſponſal.* ubi Doctores generatim tractant, ad quem ſpectet relaxatio juramenti, Panorm. *in d. cap. 1. num. 3. de jurejur.* Caſtr. *conſ. 196. vol. 2. n. 1.* Franch. *in d. cap. quamvis n. 3. de pact. in 6.* aliique innumeri. 15

Atqui Judex cauſæ præparantis debet eſſe Judex cauſæ præparatæ ex *l. Ordinarii*, ubi Gloſſ. *v. exhibitis, Cod. de rei vendic.* Ex qua regula Bald. hoc loco *in 2. notab.* rectè arguit ad quæſtionem noſtram, concludens, quod Judex abſolutionis è juramento debet eſſe Judex cauſæ principalis, quem ſequitur Paul. de Caſtr. *in l. 2. num. 3. C. ubi & apud quem in integr. reſtit.* Alex. *conſ. 58. in fin. vol. 1. & in l. Quoties*, & ibi Jaſ. *col. 1. C. de Judic. in l. Nam, & poſtea, §. Si minor num. 15. ff. de jurejur.* Petr. Gerar. *ſing. 88.* Felin. *in d. cap. Cùm ſit num. 4. de for comp. & in c. 1. n. 27. de jurejur.* Hippolyt. *ſing. 654.* Marant. *de ord. jud. p. 4. diſt. 11. n. 14.* Dec. *in rub. de Judic. col. 1.* ubi fusè examinat dictum Baldi, & firmat communem opinionem eſſe cum eo, & *col. ſeq.* aſſerit, quod in praxi non facilè 16

ab ea

ab ea recederet, quem refert, ac ſectatur Curt. jun. *conſ.* 152. *n.* 9. Et eam etiam dicit communem Viv. *in ſuis concluſ. ver. Judex ſi aditus fuerit*, ac promiſcuè docent utriuſque juris Interpretes.

17 Neque effugere poteſt hic Paulus de Caſtro *in d. l. Ordinarii n.* 4. quem aliqui ſequuntur, dicens, dictum Baldi non videri omninò verum. Quia *in l. Ordinarii* Judex non acquiſivit juriſdictionem ex eo ſolo, quod cognovit ſuper præparatorio, ſed etiam ex quod illam habebat ſuper principali. At in hoc caſu Judex Eccleſiaſticus non habet juriſdictionem ſuper principali, tanquam ſuper temerè profana inter laicos, ac proinde non poteſt dici, quod eam acquirat ex eo ſolo, quod illam habeat ſuper præparatorio, cùm unus poſſit eſſe Judex cauſæ præparantis, & non præparatæ *l.* 1. *C. ad exhib.* quam accuratè Salycetus, & alii ponderant.

18 Nam fruſtra quidem dubitaretur, an Judex Eccleſiaſticus poſſit cognoſcere ſuper cauſa præparata, ſi illa non eſſet profana, ſed ſpiritualis, & Eccleſiaſtica. Item reſpondemus, quod hic non prorogatur juriſdictio Judicis Eccleſiaſtici ex ſolo conſenſu litigantium, qui laici ſunt, ſed ex juramento in contractu præſtito, cujus materia cùm ſit ſpiritualis, poteſt Judex Eccleſiaſticus ad illud obſervandum compellere etiam laicos per *cap.* 1. *de jurejur.* ibi: *Mandamus quatenus creditores ad juramenta ſuper uſuris ſibi ſolvendis præſtata relaxanda Eccleſiaſtica diſtrictione cogatis*. Et ita docent ibi Abb. nu. 3. Alex. de Nev. n. 8. & Covar. qui tandem 1. *var. cap.* 4. *n.* 5. hanc veritatem etiam agnovit. Quare effugium non habet locum, quando Judex Eccleſiaſticus cognoſcit ſuper articulo ſpirituali, vel annexo ſpiritualitati principaliter, vel incidenter, prout eſt juramentum non obſervatum, quod eſt quid ſpirituale, *cap. Et ſi Chriſtus, de jurejur.* Alciat. *in d. c. Cùm contingat n.* 50. *eod. tit.* Roland. *conſ.* 19. *n.* 33. *vol.* 2. Cavalcan. *dec.* 9. *num.* 39. *p.* 1. ubi quod in materia juramenti attenditur jus canonicum, & non civile, *cap.* 2. *de jurejur. in* 6. Affl. *dec.* 322. *n.* 5. *& dec.* 263. *n.* 2. idem Roland. *conſ.* 19. *n.* 33. *vol.* 1. Quia Judex Eccleſiaſticus debet obviare peccato, & ſæcularis etiam Judex defendere juramenti obſervantiam. Jacob. Leoniſs. *conſ.* 47. *n.* 16. *vol.* 1. Rot. Peruſ. *p.* 1. *dec.* 18 *n.* 51. *& ſeq.* Roman. *conſ.* 512. *n.* 12. Hugo Celſ. *conſ.* 94. *n.* 3. Rimin. jun. *conſ.* 188. *n.* 12. *&* 13. *vol.* 2. & Roland. *conſ.* 34. *n.* 10. *vol.* 1. Et non aperire viam perjuriis, Jaſ. *in l. Ambiguitatis n.* 5. *C. de indict. viduit. tol.*

19 Probatur deinde hæc ſententia etiam ex eo, quod quando diſputatur non de viribus juramenti, utrum licitum ſit, vel illicitum, ſed tantùm de ejus obſervantia, an ſervandum ſit, nec ne, exequutio juramenti ad utrumque Judicem indifferenter tàm Eccleſiaſticum, quàm ſæcularem ſpectat. Textus eſt notabilis *in cap. licet mulieres de jurejur. in* 6. *& in c. fin. de for. comp. etiam in* 6. ubi expreſsè decernitur, laicum effici de foro Judicis Eccleſiaſtici ratione juramenti in contractu appoſiti, quod addit forum foro, ibique Doctores, & *in cap.* 1. *de jurejur.* Ubi quod Judex Eccleſiaſticus eſt Judex competens etiam ubi agitur de inobſervantia contractus jurati. Traduntque Caſtr. *conſ.* 196. *n.* 1. Panormit. *in cap. literas n.* 8. *de juram. cal.* Felin. *in cap. Præterea num.* 28. *de ſponſal.* Imol. *in d. c. Cùm contingat, eod. tit. de jurejur.* Et ſic in tali caſu juramenti obſervatio eſt mixti fori. Vide omninò Felin. *in d. c.* 1. *n.* 21. *cum ſeq. de jurejur.* & latius *in d. c. Cùm ſit per tot.* ubi refert vaſſallum ratione juramenti ſortiri forum Eccleſiaſticum, alioſque in hanc rem adducit. Diſertè docet Jul. Clar. *in practi. crim. §. fin. q.* 47. *per tot.* & Franch. *in cap. Quamvis num. 3. de pact. in* 6. Ubi dicit, quod in omnibus contractibus juratis, laicus coram Judice Eccleſiaſtico conveniri poſſit. Quod etiam contra Jo: Monach. & Archidiac. tenet Jo: Andr. Jaſ. & alii, quos ſequitur Guttier. *in d. auth. Sacram. puber. n.* 16. *C. ſi adverſ. vendit. & de juram. p.* 3. *c.* 12. *n.* 7. affirmantque Doctores, quos amplectitur Suarez de Paz. *in prax. to.* 2. *prælud.* 2. *n.* 36. Jo: de Hevia *in Cur. Philip. p.* 1. *§.* 5. *n.* 16. & ante ipſum Ant. Gom. *to.* 2. *var. c.* 12. *n.* 22. & Zach. *ad Galleſ. de oblig. Camer. q.* 7. *n.* 5. *&* 7. Ac ita quidem, ut lite mota coram Judice ſæculari de contractu jurato, poſſit Eccleſiaſticus adiri, ut cogat partem, & Judicem ſæcularem ad juramenti obſervantiam nec poſſit ipſi objici litis pendentia, cum Jo: Andr. Marant. & aliis ſuſtinet *eo c.* 12. *n.* 5. *&* 9. & ſequitur Sanch. *in Decal. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 14.

20 Præſertim quia præſupponitur, ſubditum ſe ſubdidiſſe quibuſcunque Curiis etiam Eccleſiaſticis, & ſic prorogaſſe juriſdictionem Eccleſiaſtaſticam, quod facere potuit, *l. ſi ex conſenſu, C. de Epiſcop. audien.* & ibi Doctores poſt Bart. *in l.* 1. *&* 2. *de judic. & in d. l. §. Et poſt oper. ff. de nov. oper. nunc.* ibique Jaſ. *nu.* 11. Etenim *in d. l. ſi ex conjenju*, Arcadius, & Honorius Imperatores decreverunt, poſſe laicos juriſdictionem Epiſcopalem prorogare, præcipuè quando partes non coactè, ſed ſpontè, ac voluntariè id faciunt. Quod tenet ibi Butrig. n. 3. Cyn. n. 9. dicens, quod requiritur conſenſus, & perſeverantia, cui Bartol. aſſentitur, ubi etiam Bald. *in princ.* inquiens, prorogantes juriſdictionem Epiſcopi teneri ejus judicio ſtare, dum eum ſpontè elegerint. Fulgoſ. n. 1. & 4. ubi ait, quod Imperator concedit Epiſcopo juriſdictionem limitatam, ſcilicet ſi partes ſemper conſentiant, traditque Perez *ad tit. n.* 4. dicens, quod de civilibus laicorum cauſis Eccleſiaſticus Judex non cognoſcit, niſi conſentiant, ſeque ejus juriſdictioni ſubmittant litigatores, ac eum Judicem eligant. Hic autem conſenſus plenè deſumitur ex formula obligationis Cameralis, qua utitur Romana Curia typis excuſa, in qua inter cætera legitur: *Nec non Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, ejuſque Camerarii, Vicecamerarii, Auditoris, Viceauditoris, Regentis, Locumtenentis, & Commiſſarii, ac omnium & ſingularum aliarum Curiarum Eccleſiaſticarum, & ſæcularium ubilibet conſtitutarum juriſdictionibus &c.*

Hoc ipſum perſpicuè habetur *in d. c. ſignificaſti de for.* 21
comp. ubi ſtatuitur, quod laici poſſint prorogare juriſdictionem non ſui Judicis, Clerici verò non poſſint, niſi Epiſcopi diœceſani conſenſus accedat, & Judex, cujus juriſdictionem prorogare volunt, ſit Eccleſiaſticus. Ubi adverto per hunc textum requiri ad fori prorogationem conſenſum dumtaxat Epiſcopi, ut diœceſani Clerici prorogantis, non autem conſenſum Superioris laici, ut ejus ſubditus juriſdictionem non ſui Judicis prorogare poſſit. Ratio autem cur laici id facere poſſint, Clerici non poſſit, multiplex eſt. Præcipuæ verò duæ ſunt. Altera exprimitur ab Innoc. III. *in cap. ſi diligenti eod. tit.* nempè, quod juri publico pactis privatorum derogari non poſſit. Licet hanc rationem Cujacius *in recit. d. c. ſi diligenti*, fucum, & colorem potiùs appellet. At iniquè. Eſt enim vetus regula juris civilis *in l. Jus publicum, ff. de pact.* cum ſimilibus. Cùm autem jus hoc in Milevitano, & Chartaginenſi Conciliis ſit ſpecialiter promulgatum, manifeſtè patet, quod non ſolùm inviti, ſed etiam voluntarii paciſci non poſſunt, ut ſæcularia judicia ſubeant, cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat, ſed potiùs toti Collegio Eccleſiaſtico ſit pubicè indultum, cui privatorum pacto derogari non poteſt, Gail. *lib.* 1. *obſ.* 40. *n.* 7. Nec juramentum licitè ſervari poteſt, quod contra Canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur. Altera autem ratio eſt, quia Eccleſiaſtici ſunt capaces juriſdictionis laicæ, laici verò ſunt incapaces juriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Et hanc ſententiam amplexa eſt S. Congr. Immunita- 22
tis in una Tarracinen. die 7. Aprilis 1641. in qua cùm quæreretur utrùm tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæculares poſſint conveniri in foro Eccleſiaſtico pro exequutione obligationis Cameralis, attento juramento, quod in ea continetur, reſpondit affirmativè quoad jurantem, non verò quoad hæredes. Et in una Lauretana 26. Martii 1658. Cùm enim ad evitandas diſſenſiones inter Tribunale Eccleſiaſticum, & ſæculare Epiſcopus quæreret a S. Congreg. an Curia Eccleſiaſtica poſſit procedere ad exequutionem obligationis Cameralis appoſitæ etiam in apochis privatis inter meros laicos, cum ipſe id poſſe prætendat, tum quia in formula obligationis Cameralis conſentitur cuicunque Judici; tum quia d. formula continet duplex juramentum; tum quia obſervatur non ſolùm in dicta ſua Curia, ſed etiam in tota Provincia, eadem S. Congreg. reſpondit, *poſſe etiam inter laicos quoad obligatos, & jurantes.*

E quibus jam manifeſtum evadit quid reſpondendum 23
ſit rationi contrariæ ab Auctoribus paſſim ac fuſiùs explicatæ. Nam, quidquid ſit in aliis materiis extra juramentum, ſcientia, & conſenſus Principis, tameſi requiratur reſpectu ſubditorum, qui adverſus ſuos Superiores prorogare non poſſunt, non tamen requiritur reſpectu Eccleſiaſticorum, qui poſſunt acquirere juriſdictionem in laicos vigore juramenti, non quidem mutando forum, ſed addendo forum foro. Itidem allegata ab Adverſariis intelliguntur quando vaſallus litigaret de re feudali. Ita Jaſ. *in d. l.* 1. *§. Et poſt op. num.* 13. & Sayſel. *col. fin.* Felin. *in d. c. Significaſti de for. comp.* & videtur deciſum ab Alber. *in l.* 1. *col.* 3. *ff. de judic.* & ab Alex. *in d. §. Et poſt oper. col. fin.* ubi concludunt, quod Judex non poteſt prohibere ſubditos ſuos, quos intellexit litigare coram alio Judice, ne coram eo litigent. Quod præſertim procedit, quando partes vellent coram Judice Eccleſiaſtico litigare, ut rectè obſervat Barbat. *in Apoſtil. ad Abb. in d. c. Ex tenore in* 2. *notab. de for. comp.* cujus textus ſecundum horum ſententiam non pugnat. Quia ibi

reus

reus conquerebatur, & mandatum fuit dumtaxat viduæ actrici, vel, ut respondet Alex. *in d. §. Et post oper. col. fin.* & Felin. *in d. c. significasti n.* 2. quod ibi non procedebatur virtute prorogationis partis, sed delegationis Apostolicæ.

24 Hæc igitur cùm plana sint ex ipso jure civili, & Canonico desumpta, ubi utriusque interpretes id clare docent, non est, ut quis obtendat leges sæculares, quibus contractus jurati annullantur, ne præjudicium jurisdictioni sæculari inferant. Etenim contra sunt alii benè multi, qui has leges planè rejiciunt, inter quos non postremus fuit Marcerat. *var. lib.* 1. *ref.* 48. *n.* 24. Marth. *de jurisd. p.* 4. *cen.* 1. *caſ.* 72. Maresc. *lib.* 1. *c.* 60. *vu.* 10. *& seqq.* Seraph. *de juram. privil.* 76. *num.* 18. Quos deinde alii sequuti sunt, & inter eos Bellet. *in disquis. Cler. tit. de fav. Cler. perſ. §.* 2. *n.* 26. Ricc. *p.* 2. *dec.* 211. *n.* 5. Genuen. *in prax. c.* 12. *n.* 2. Sahagun. *in c. Decernimus de judic. n.* 127. Carol. de Graſ. *de effect. Cler. eff.* 2. *nu.* 81. aliique, quos citat, & sequitur Diana *p.* 1. *tr.* 2. *ref.* 72. Qua etiam de re legendus Suarez *de relig. to.* 2. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 15. Fagund. *de præcept. Eccleſ. præcept.* 1. *lib.* 3. *c.* 7. *n.* 17. Valasch. *d. to.* 1. *conſ.* 99. *nu.* 3. Bonac. *in Bull. Cœn. diſp.* 1. *q.* 26. *ſect.* 2. *pun.* 2. *num.* 26. ac Duard. *in quand. Bull. lib.* 2. *can.* 15. *q.* 19. *n.* 66.

25 Unde, quod, si lex annullet actum, & etiam juramentum interpositum, valeat nihilominus juramentum, tenent ex antiquioribus Feder. de Sen. *conſ.* 164. *aliàs* 273 Anchar. *in rept. c. Canonum de conſtit.* Abb. alios referens *in d. c. Cùm contingat de jurejur. & q.* 2. *n.* 2. *caſ.* 8. Aretin. cum Imol. *§. Illud quoque n.* 5. *Inſtit. de mandat.* Hostiens. *in c. Quemadmodum de jurejur.* Butr. *in d. c. Cùm contingat eod. tit.* Corn. *de abſol. for. juram. p.* 4. *caſ.* 2. *num.* 6. aliique.

26 Et hæc sententia planè veritatem assequuta est, absolutèque tenenda. Ratio autem est, quia validitas juramenti prædicti non excluditur nec ex natura rei, seu ex objecto, ex eo scilicet, quod sit de materia prohibita a lege; nec ex eo, quod lex ipsum irritet. Non ratione objecti, quia videlicet interponitur super actu annullato a lege. Nam sequeretur, quòd semper esset irritum, quoties actus irritatur a lege, idque concludendum esset, si locum haberet fundamentum oppositæ sententiæ, quod tamen est falsum. Quia etiamsi juramentum sit de actu annullato a lege, dummodo actus de se sit licitus, tenet juramentum, ut docent communiter Doctores, speciatim Imol. *in l. Si quis inquilinus, §. fin. ff. de legib.* 1. Jo: Andr. *in cap. Tuæ de decim.* Aret. *§. Æquè n.* 8. *inſtit. de excep.* Abb. *in dict. cap. Cùm contingat. nu.* 8. *de jurejur.* Et proinde in jure canonico præcipitur observari *in d. c. Cùm contingat, & c. licet eod. tit. in* 6. *& in c.* 2. *de pact. etiam in* 6.

27 Quòd profectò non posset fieri, si observantia contineret peccatum. Nam jus canonicum, quod regit conscientiam, præciperet peccatum. Contineret autem peccatum, si esset nullum. In tantùm enim esset nullum, in quantum esset de actu prohibito a lege, & proinde de eo, quod non liceret.

28 Nec corruit ejus validitas, quia annulletur a lege. Nam lex civilis non potest se extendere ad disponendum de juramento. Siquidem juramentum est quid spirituale, ut jam probatum, atque adeò extra sphæram jurisdictionis laicæ. Unde omnis dispositio circa ipsum defectu jurisdictionis est nulla, & pertinet tantùm ad jurisdictionem Ecclesiasticam, *c. Venerabilem de judic. & c. Tua de ord. cognit. & c. Fateor in fin. qui fil. ſint legit.* Ergo statutum seu lex reprobans juramentum, illudque annullans, nihil operatur contra ipsius validitatem, tanquam nulla defectu potestatis, & consequenter remanebit validum, & servandum, *c. ſi verò, & c. Et ſi Chriſtus de jurejur.*

29 Ac dato, quod lex naturalis obliget ad ordinem servandum in Communitate, qui juxta regulas boni regiminis exigitur, non propterea juramentum, quod apponitur contractui a lege prohibito, redditur nullum. Quia ex una parte juramentum exigit servari, quod promissum est, & ex alia bonum regimen exigit non mandari exequutioni actum annullatum a lege. In hoc autem concurrit debet cedere ordo politici regiminis juramento, tanquam inferius superiori, *d. c. cum Contingat de jurejur. & c.* 2. *de pact.* Quia bonum spirituale animæ est præferendum bono temporali, & ideò cum cedat, cessat etiam deordinatio regiminis politici. Atque ideò leges quoque civiles volunt, quod licèt actus annulletur, servetur tamen juramentum, si fuerit interpositum, *l. Non dubium, C. de legib. & l. fin. §. fin. ff. de liber. c. & l. Cùm pater, §. filius matrem, ff. de leg.* 2. *& auth. Sacram. pub. C. ſi adverſ. vendit.* & notat Abb. *conſ.* 108. *n.* 1. *lib.* 2. Nec princeps potest prohibere suis subditis, ne apponant in contractibus juramentum. Quia Princeps non potest prohibere actum Religionis, & si prohiberet, esset plane, saltem indirectè, contra libertatem Ecclesiasticam.

Ut proinde nonnisi offuciæ sint distinctiones, quas 30
Delbenè cum plerisque *de Immun. c.* 8. *dub.* 27. *ſect.* 5. *n.* 3. comminiscitur, quo in loco postquam *ſect.* 1. *n.* 1. rectè dixerat, ejusmodi leges immunitati, & libertati Ecclesiasticæ adversari, asserit, posse Principem prohibere non solum, quod juramentum contractui non accedat, sed etiam, quod si accesserit, nulla exinde obligatio oriatur, idque non prohibitione directa, sed indirecta. Quod etiam non semel inculcat. Nam ita certo certius est, quod Principes sæculares nullam habeant in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, illisque annexis jurisdictionem nec directè, nec indirectè, omnesque leges civiles disponentes de personis, & rebus Ecclesiasticis atque Religionis esse cassas, ac nullas, & in totum abrogatas, ut pudeat, pigeatque authoritate probare, idque defectu jurisdictionis. Quæ ratio tanti mihi est, ut fundamentum totius Ecclesiasticæ Monarchiæ planè existimem, quo convulso, Ecclesiastica quoque immunitas atque libertas labefactetur necesse est. Nec audiendus Pontius, qui aliter senserit *d. l.* 12. *c.* 8. *ferè per tot.* ubi quidem post multum æstum hæsit in hoc vado.

Dixi ipsum laicum jurantem, non autem ejus hæ- 31
redes, qui ratione juramenti præstiti per defunctum non possunt conveniri in foro Ecclesiastico, Doctores *in d. fin de for. comp. in* 6. Bart. *in l. Cùm quis, §. Codicillis n.* 10 *ff. de leg.* 3. Bald. *in l.* 2. *n.* 2. *C. de fruct. & lit. expenſ.*

Ratio, quia juramentum est personale, & solvitur morte jurantis, tex. *in c. Veritatis de jurejur.* & ibi communiter Canonistæ, Hippol. *in l. de unoquoque n.* 200. *ff. de re jud.* Felin. *in d. c. Cùm ſit n.* 9. *de for. comp.* licèt ex parte recipientis sit reale, & ad ejus hæredes transeat, text *in d. c. Veritatis*, ubi Canonistæ communiter, *& in c. fin. de for. comp. l.* 6. Guid. *dec.* 375. *in fin.* per ibi allegata.

Hactenus quod Episcopus possit, nunc addo, an id 32
expediat? Prudentia isthic Episcopis opus est, memores facti Christi Domini, quo declaravit, se solvisse tributum non quòd jure debuerat, sed tantùm ad amovendum exactorum scandalum, non ex malitia oriturum, sed ignorantia. Memores quoque dictorum Apostoli *ad Corinth.* 1. *cap.* 1. *verſ.* 22. *&* 23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Hinc D. Bernardus *lib.* 3. *de conſid. ad Eugen. Sum. Pontif.* ait: *Spiritualis homo omne opus ſuum trina conſideratione præveniet. Primò, an liceat, deinde, an deceat, poſtremò, an expediat. Nam etſi conſtat in Chriſtiana utique philoſophia non decere, niſi quæ licent, non expedire, niſi quæ decent, & licent, non continuò tamen omne, quod licet, decere, aut expedire conſequens erit.* Unde cùm iterùm, atque tertiò in S. Congregatione Immunitatis eadem Terracinen. proponeretur, tandem die 8. Februarii 1667. certatum sententiis, resolutumque ut *videatur de communi obſervantia.* Quibus ex verbis mentem S. Congregationis elicio, pro clausula appono, atque ita statuo, nempè, si Episcopus laicum juramento obligatum convenerit, magis concesso jure, quàm exemplo illum convenerit.

CONSULTATIO CLV.

An odor, & ſuffitus carnium, aliarumve rerum frangat jejunium tàm naturale, quàm Eccleſiaſticum?

QUod solvat tenet Anton. de Leon. *in q. moral. de* 1
Cochol. p. 2. *§.* 4. *n.* 10. *& ſeqq.* Idque suadetur ex his, quæ adducit Pasqualigus *in prax. jejun. deciſ.* 424. Scilicet, quia in jejunio prohibentur carnes ob macerationem corporis. Hujusmodi autem odor, & suffitus valdè restaurat corpus, ut patet etiam in aliis odoribus. Quare medici ad restaurandam naturam, & ad etundendam vim morbi solent suffitus, & odores congruos adhibere. Præterea odor, & præsertim suffitus secum defert tenuissimas, & spiritales partes substantiæ, quæ nostro corpori sese incorporant, & ipsum restaurant. Unde videtur præstare eundem effectum, quem præstat cibus. Quia in tantùm nutrimur ex cibo, in quantum aliquæ partes ipsius nostro corpori sese commiscent, & in ejusdem substantiam transeunt.

His addo Pythagoricos, qui etiam dixerunt odores 2
nutrire. Et Manardus *in epiſt.* partem eorum tuetur, eamque confirmat historia, qua fertur, Democritum fini vitæ proximum, vitam prorogasse per triduum solo odore panis recentis, ut alii dicunt, mellis.

At tenendum est cum eodem. Pasqualigo, odorem, 3
sive

sive suffitum carnium; sive alterius rei nullo modo frangere jejunium; etiamsi in hunc finem adhibeatur, ut restauretur natura contra macerationem, quæ provenit a jejunio. Pro hac sententia refert D. Thomam *in 4. d. 15 qu. 3. ar. 4. qu. 1. ad 4.* Abulensem *quæst. 167. in cap. 6. Matth.* Reginaldum *lib. 4. prax. cap. 14. num. 172.* Angles *in florib. qu. 9. de jejun. art. 2. diff. 2. appen. 2.* Vegam *p. 1. sum. cap. 14. cas. 32.* Molfesium *p. 1. sum. tr. 10. c. 5. num. 11.* Fagundez *præcept. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 14.* Leandrum *in præcept. Eccl. tr. 5. disp. 5. q. 38.* Bossium *to. 3. moral. tit. 22. num. 17.* & Granadum *3. p. controv. 6. de Sacram. tr. 10. disp. 3. n. 4.*

4 Ratio, quam adducunt ea est, quia in jejunio per se primò, prohibetur cibus carnium. Restauratio autem corporis ex carnibus non est per se primò, prohibita, sed tantùm, ut consequens ex cibo carnium. Ille autem suffitus, sive odor, quamvis restauret corpus, & ex parte compensèt macerationem ex jejunio, non est tamen cibus, & ideò in virtute jejunii non est prohibitus. Item alii odores, & suffitus non sunt cibus, aut potus, & ideò non solvunt jejunium etiam naturale.

5 Verùm hæc ratio non est firma. Potest namque labefactari ex fine legis, qui attendendus est. Quando enim ratio, præsertim expressa legis, militat in aliquo casu, ibi est eadem lex, non solùm extensivè, sed etiam comprehensivè *leg. His solis, §. Satis etiam cautè, C. de rev. don. & l. Illud, C. de sacros. Eccles. & l. Item veniunt. Ait Senatus, ff. de peten. hæred.* Et notant communiter Doctores. Unde cùm ratio finalis jejunii sit, non quidem solùm prohibitio cibi carnium, quatenus respicit exercitium temperantiæ circa ipsum, & proinde quod sola restauratio ex carnibus, prout habent rationem cibi sit prohibita; sed etiam, primariò macerratio corporis, & ideò lex prohibens carnes, quatenus restaurant corpus, censendum est prohibere omnem restaurationem ex carnibus quoque modo fiat. Si enim in hoc ratio finalis locum habet, locum etiam habebit dispositio. Et cum in legibus ratio spectanda sit, *l. Cùm pater, §. Dulcissimis, ff. de legat. 2.* sit, quod prohibitio accommodari debeat rationi, & ampliari secundum ipsam ex *l. unum ex familia, §. fin. de ff. leg. 2.* & notant Glos. *in Clem. 1. de elect.* Imol. *ib.* ac cæteri Doctores. Quia intentio legislatoris est conformis rationi, proinde uniformis, & eadem quotiescunque habet idem motivum ex ratione. Et quemadmodum lex habet locum ubi locum habet ratio legis, Glos. *in cap. Cupientes, §. Denique, de elect. in 6.* Bald. *in leg. fin. C. de hær. instit.* Gemin. *cons. 39.* Crav. *cons. 227. num. 6. vol. 2.* ita etiam habet locum eadem interpretatio legis quando militat eadem ratio interpretationis. Hinc solùm desinit obligare lex, quando cessat ejus finis adæquatè. Quod si aliquis remaneat, non cessat obligatio, ut desumitur, *§. ex Affinitatis, & §. Sacrum, inst. de nupt.* Glos. *in l. Si ventri, §. in bonis, ff. de privil. cred.* ubi etiam Bartolus, & Angelus. Et ex *l. Tam is, §. 1. ff. de donat. ca. mor.* ubi etiam Imola, & ex *§. minima, instit. de c. dimin.* ubi etiam Aretinus. Si enim aliquo pacto permanet finis, permanet etiam intentio legis, atque adeò obligatio proveniens ex tali intentione.

6 Considero igitur conditiones alimenti esse varias. Præcipuæ tamen hæ sunt. Prima, ut sit modo aliquo contrarium rei, quæ alenda est. Quia debet in eam permutari. Motus autem est ex oppositio in oppositum. Oppositio autem requisita duplex est. Una interna secundum formam, & privationem. Altera externa per qualitates, & temperamenta invicem agentia. Secunda, conditio est, ut alimentum per calorem viventis sit aptum coqui, & permutari. Tertia, ut sit mole præditum, & aptum augere, quamvis non semper augeat. Quarta, ut ad id, quod alitur perinde se habeat ac materia ad formam. Nam humidum nutriens se habet tanquam materia ad calorem coquentem, & permutantem. Has conditiones debere alimento competere manifestavit Aristoteles *in 2. de anim.* loquens de anima nutriente.

E relatis autem conditionibus varia elicio. Primò, id quod protulit Aristoteles *in 1. part. problem.* metalla non nutrire. Ratio est, quoniam a calore humido non liquescunt, ut patet ex *4. meteor* sed a sicco. Calor autem vitalis humidus est. Valent quidem metalla per ebullitionem in humoribus modo aliquo conjuncta cum eis alterari, at non valent liquida reddi. Insuper valent per ebullitionem partes quædam tenues eorum resolvi, at non liquefieri. Mihi retulit vir fide dignus, quod cùm deglutisset nonnullos aureos, ac ejecisset, invenit redditos fuisse singulos eorum leviores duobus granis. Dubitatio est de Struthiocamelo, de quo dicitur, quod nutriatur ferro. At id verum non puto. Solùm dicendum est, hoc animal delectari ferro, & libenter deglutire capita clavorum, at ea deinde ejicit unà cum excrementis. Dicitur etiam de pisce Carpione, quod alatur auro. Sed commentum est. Id enim ei vulgò tribuitur ob externas quasdam ejus maculas, colorem auri præseferentes. In variis quippè fluminibus, & lacunis reperiuntur carpiones cum hujusmodi maculis, in quorum tamen aquis nil auri unquam repertum est, nec in aqua gigni potest aurum. Nec obstat, quod hæc non comestibilia patiantur in stomacho aliquam alterationem. Quia hæc alteratio non sufficit, ut habeant rationem cibi. Neque enim cibus constituitur in ratione cibi per id, quod alteretur a stomacho, sed per id, quod sit aptum nutrire.

Atque ex eisdem conditionibus elicio secundò, ratio- 8
nem cur odores, sive suffitus non frangant jejunium Ecclesiasticum, eamque esse ajo, quia non nutriunt, *ut in fine 3. de anima, & in lib. de sens. & sensil.* docuit Aristoteles. Non enim valent in sanguinem verti, & augere. Nec frangunt naturale. Quia jejunio naturali opponitur tantùm cibus & potus tanquam id, per quod solvitur. Unde quidquid transglutiatur, & descendat ad stomachum, quod ex natura sua nòn sit cibus, aut potus non contrariatur jejunio, nec illud solvit. Pro quo tamen animadvertendum est, odorem duo denotare. Qualitatem, & vaporem, in quo fit odor. De qualitate non est dubitatio. Cùm enim ea sit accidens, haud dubiè non valet reficere substantiam. Solùm est dubitatio de vapore odorifero per nares inspirato. Rursùs animadvertendum est, putasse Galenum, aerem inspiratum duas præbere utilitates. Una est refrigeratio cordis, & præcordiorum. Altera est productio aliquorum spirituum animalis in præcordiis. Aristoteles solùm approbavit primam utilitatem. Spiritus enim solùm gigni existimavit ex tenui parte sanguinis. Quia unius unus debet esse modus generationis per naturam.

His itaque assumptis assero primò. Odores non pro- 9
priè nutrire. Non enim tendunt ad ventriculum, & verturtur per coctionem in chilum, & sanguinem, ut est perspicuum; sed tendunt ad pulmonem per inspirationem.

Assero secundò, ex sententia Galeni, odores nutrire, 10
sumpta nutritione pro generatione quadam spirituum, non autem propriè.

Tertiò assero, ex sententia Aristotelis, odores nec 11
nutrire propriè, nec constituere spiritus, sed dumtaxat modo aliquo antecedentes spiritus alterare, excitare, & validiores reddere, ac ita prodesse.

Id quod fertur de Democrito leviissimum est. Tum, 12
quia non constat veritas per historias certas. Tum etiam, quia dicerem per ejusmodi odores, spiritus Democriti fuisse excitatos, paratos, & alteratos, adeout incococtum alimentum quo maximè abundant senes, valuerint melius conquoquere, & ex eo refici.

Et per hæc evertitur fundamentum oppositæ senten- 13
tiæ, nostræ verò stabilitur.

CONSULTATIO CLVI.

An Episcopus possit ad rebenedictionem Ecclesiæ pollutæ delegare Vicarium generalem?

REspondeo. Quando Ecclesia est consecrata, non 1
potest. Quando verò est benedicta, potest. Ita resolvit S. Congregatio Concilii in una Placentina die 3. Februarii 1652. *ad cap. 6. sess. 24. de reform.*

Et sanè, quòd spectat ad primam partem est sen- 2
tentia communis omnium Doctorum, quos viderim, ac præ cæteris eam tenent Suares *disp. 81. de Euchar. sect. 4. in fin.* & Cardinal. de Lugo *disp. 20.* item *de Euchar. sect. 2. numer. 61.* Ut proinde malè censuerint Victoria *in sum. tit. de Euchar. num. 99.* Sà *v. Ecclesia num. 20.* & Sylvius *3. part. qu. 83. art. 3.* asserentes, Episcopum committere posse simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ. Id autem expresè statuitur in *c. Aqua de consecrat. Eccles.* ubi dicitur, quod licèt Ecclesia per alium Episcopum reconciliari possit, non tamen per simplicem Sacerdotem. Ea enim, quæ sunt Ordinis non possunt delegari non habenti Ordinem. Quod etiam habetur in *c. Quamvis d. 68.* Quippè in delegato requiritur capacitas delegationis, atque adeò habilitas ad exercendum actum delegatum. Qui autem non habet Ordines, non habet habilitatem ad exercendos actus Ordinum, ac proinde non est capax delegationis quoad ipsos.

Hinc si Episcopus committeret simplici Sacerdoti re- 3
conciliationem Ecclesiæ pollutæ consecratæ, non teneret

ret delegatio. Nam actus fundatur in potentia, & voluntate operantis, & ubi deficit potentia, voluntas vana est, nihilque operari potest, *leg. multum interest, Cod. si quis alteri, vel sibi*, & notant communiter Soccin. *reg.* 30. Menoch. *præsumpt.* 80. *num.* 11. *lib.* 1. Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 6. *n.* 9. Episcopus autem non habet potestatem delegandi actus Ordinis non habenti Ordinem. Et ideò si deleget, nulla est delegatio, & quæcunque inde sequuntur.

4 Non obstat, quod Pontifex in *d. cap. Aqua* tolerat reconciliationes Ecclesiarum factas per simplices Sacerdotes ex delegatione Episcoporum, ac proinde licèt delegatio non sit licita, erit tamen valida. Nam Pontifex tollerat illas, quia fuerunt sufficientes ad tollendam pollutionem secundùm existimationem, licèt non secundùm realitatem.

5 Ecclesia igitur consecrata, si polluatur, non potest reconciliari, nisi ab Episcopo. Ita communiter Theologi, & Canonistæ apud Quartum, & alio in *rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 20. *num.* 2. *dub.* 10. Quià cùm consecratio Ecclesiæ fuerit instituta tanquam actus Ordinis Episcopalis, reconciliatio quoque sequitur naturam consecrationis, tanquam in eodem Ordine constituta, & ideò ipsa quoque est actus Ordinis Episcopalis, ita quidem privatè quoad alios, ut neque consuetudo in contrarium valeat, eò quòd talis consuetudo induci non possit, ut expressè decernitur *in d. cap. Aqua*, ibi: *Non obstante consuetudine Provinciæ Bracharensi, quæ dicenda est potiùs corruptela*. Ideòque cùm lex damnet consuetudinem, nunquam poterit habere locum. Quia semper retinebit rationem corruptelæ. Nam consuetudo cùm sit lex non scripta, debet habere conditiones legis, ac proinde esse debet necessaria, sicut debet esse lex, *cap. Erit autem d.* 4. Ubi autem est Episcopus, non potest esse necessarium, quod reconciliatio Ecclesiæ fiat per Sacerdotem.

6 An autem ubi non sunt Episcopi, aut saltem longè distantes consuetudine induci possit, quod per Sacerdotem consecretur Ecclesia? Affirmativè videtur respondendum. Quia Pontifex id committere potest ex privilegio simplici Sacerdoti ex communi sententia Doctorum, nominatim Glossæ *in d. cap. Aqua v. Jurisdictionis*, Tambur. *tom.* 1. *de jur. Abb disp.* 25. *quæst.* 10. *num.* 2. Fagundez *præcept* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 14. *num.* 60. ac Ritualis Romani *tit. reconcil. Eccles.* Quia licèt Summus Pontifex non possit committere inferiori ea, quæ solùm de jure positivo sunt talis Ordinis superioris, potest tamen committere ea, quæ solùm de jure positivo sunt talis Ordinis, ut docent Gloss. *in cap. Pervenit d.* 95. & Theologi cum D. Thoma *in* 4. *d.* 25. *quæst* 1. *art.* 1. *ad* 3. Reconciliatio autem Ecclesiæ consecratæ est actus Ordinis Episcopalis tantùm de jure Ecclesiastico, cùm habeat originem a sola institutione Ecclesiæ; Pontifex autem est supra totum jus Ecclesiasticum. Atqui ea, quæ acquiri possunt privilegio, acquiri possunt etiam consuetudine, ut tradunt communiter, Gloss. *in c. Conquestus, v. Consuetudo 9. quæst. 3. & in cap. Novit. eod. verb. de judic.* ac fusè Mandos. *de privil. ad instar glos.* 15. *n.* 59. Unde acquiritur jurisdictio, *c. Duo simul de offic. ordin.* & Jus exigendi tributa *cap. Super quibusdam de verb. signif.*

8 At oppositum verum est. Quia non possunt præscribi, aut consuetudine acquiri quorum non adest capacitas. Non habens autem Ordinem, non est capax actus Ordinis. Quando autem committitur a Pontifice simplici Sacerdoti, denudatur talis functio qualitate actus Ordinis, quæ ei convenit de jure positivo, & ideò ille committi potest, cùm accommodatur capacitati ipsius.

Quod verò attinet ad secundam partem resolutionis eam communiter etiam docent Doctores cum Glos. *in cap. fin. v. lavetur de consecrat Eccles.* ac prosequuntur Sayrus *lib.* 5. *de censur. cap.* 16. *numer.* 22. & Pax Jordan. *tom.* 1. *lucubrat. lib.* 5. *tit.* 12. *numer.* 160. Idem dico de cœmeterio, quod non sit solemniter ab Episcopo benedictum. Deducitur ex *d. cap. fin.* ubi Gregorius IX. agens de Ecclesia non consecrata, & polluta dicit, quod aqua exorcizata protinus lavetur. Unde cùm nihil dicat de Episcopo, sicut dixerat *in cap. præcedenti*, signum est, quod intelligit de quocunque Sacerdote. Hoc tamen argumentum non esset firmum, nisi accederet observantia subsequuta, quæ ita declarat jus. Et ita etiam respondit S. Rituum Congregatio in una Hydruntina 15. Decembris 1632. Ratio verò est, quia non plus requiritur ad reconciliandum, quàm ab benedicendum Ecclesiam. Quare, si simplex Sacerdos potest eam benedicere, poterit etiam, & reconciliare.

CONSULTATIO CLVII.

An causæ laicorum, qui sunt adscripti in Confraternitatibus, etiam Ecclesiasticis agitari debeant in foro Ecclesiastico?

IN hanc rem hæc accipe. Circumscripto judicio red- 1
ditionis rationis, ad quod Episcopus potest Administratores compellere coram se, etiam si loca sint merè profana, dummodo tractetur de exequutione piorum operum ex Bellet. *disp. Cler. part.* 1. *§.* 5. *numer.* 85. *& seq.* Gratian. *discept.* 395. *per tot.* & ex sententia Rotæ in Mediolanen. bonorum die 10. Februarii 1651. coram Meltio; Et excepta visitatione, quam etiam de quocunque loco pio non Ecclesiastico Episcopus potest facere, non quidem potestate ordinaria, sed tantùm uti Sedis Apostolicæ Delegatus in exequutionem S. Concilii Tridentini, ut Rota distinxit *dec.* 30. *num.* 8. *part.* 2. *rec. & in d.* Mediolanen. atque adeò non privativè, sed cumulativè cum Magistratu laicali, adeò non privativè, sed cumulativè cum Magistratu laicali, adeòut inter eos præventioni locus sit ad text. *in auth. de Eccles. tit. §. si quis ædificationem*, quem refert, & sequitur Barbos. *de Episcop. alleg.* 75. *num.* 15. ubi alios adducit.

In cæteris verò causis distinguendum est inter eas, quæ spectant ad corpus ipsum Confraternitatum, & causas privatorum. In primo casu, quoties Confraternitates erectæ non fuerint authoritate Ordinarii non dicuntur Ecclesiasticæ, nec Ecclesiæ gaudent privilegiis, licèt in illis opera pia exerceantur, & unitæ sint alicui loco sacro, ut ostendit Barbos. loco allegato *nu.* 25. *cum seqq.* Bellet. *eo §.* 5. *num.* 86. & firmavit sæpiùs Rota, speciatim *dec.* 574. *num.* 6. *part.* 1. *div.* & latè in d. Mediolanen. confirmata 10. Maji 1652. Ideòque sive actrices agant, sive reæ conveniantur, fori privilegio non gaudeant, nec Judicis laici possunt evitare judicium, Lotter. *de re bene. lib.* 2. *qu.* 10. *nu.* 50. *& seqq.* Quod certum dicit Delbene *de Immun. cap.* 6. *dub.* 20. *n.* 4. & definivit Rota *in Mediolanen. bonorum* die 18. Martii 1648. cor. Bichio, confirmavitque die 31. Maji 1649. coram Card. Corrado, ac sunt *dec.* 163. *n.* 17. *& dec.* 313. *n.* 9. *part.* 1. *rec.* quibus innumeri adstipulantur. Ratio est, quia Confraternitates laicales absque Episcopi authoritate erectę non sunt loca religiosa, vel sacra, nec perpetuo cultui divino dicata, sed merè profana, atque adeò in illis non habet locum reverentia debita locis sacris, aut religiosis, propter quam in eis immunitas introducta est, ut alibi diservimus. Quamquam si in dictis Confraternitatibus opera charitatis, ac pietatis exerceantur, licèt non fuerint authoritate Episcopi erectæ, verè loca pia dici possint, non quidem ratione loci, sed ratione causæ, itaut ratione causæ Episcopo, non autem Judici sæculari subjectæ sint, doceant satis probabiliter Riccius, Peregrinus, Novarius, & Barbosa, quos refert, ac sequi videtur Delbene ubi supra *num.* 8.

In secundo, verò casu quando agendum est cum pri- 2
vatis Confratribus, cùm ii nullum habeant Ecclesiasticitatis characterem, non deserunt statum laicalem per exercitium piorum operum; ideòque Judex Ecclesiasticus nullam habet in illos jurisdictionem.

CONSULTATIO CLVIII.

Ex his verbis Codicillaribus pii testatoris: *Corpus suum tradi voluit sepulturæ in Ecclesia Sancti Hermetis, cujus Canonicis reliquit agros Mermilianos, quorum proventus dividi voluit inter ipsos, ita tamen quod proventus primi anni in reparationem, & fulcimentum dictæ Ecclesiæ, ac paramentorum, aliorumque utensilium emptionem, non tamen ornamentorum exponantur.* Quæritur, *an hujusmodi verba intelligantur pro unica vice, vel in perpetuum, sive discretivè de primo anno singulorum Canonicorum pro tempore? ubi, an sit simonia exigere a provisis aliquam summam ad usus pios?*

DIcendum est, hoc onus esse perpetuum. Ita Alva- 1
radus *de conject. defunct. l.* 2. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 24. Perez de Lara *de Anniversar. l.* 1. *c.* 3. *n.* 9. Alphons. de Leon. *de offic. Capel. q.* 5. *sect.* 1. *n.* 2. Garzia *in summ. tract. 3. diff.* 11. *dub.* 2. *n.* 1. Desumitur ex *l. Annua, §. Actia, ff. de ann. legat.* ubi cùm hæres juberetur dare die nundinarum decem denarios ministris Templi, statuitur quotannis die nundinarum esse præstandos decem denarios in perpetuum. Et ex *l. Cùm quidam, ff. eod.* Ubi divisiones jussu testatoris præstandas Decurionibus die natalis sui statuitur esse

esse perpetuas pro tali die natalis, & ex *l. defuncta, ff. de usufructu, & quemadmodum quis utat*. Ubi legata sexta parte fructuum oleris talis agri non pro unico anno, sed singulis annis censetur legata. Ratio verò est, quia eo ipso quod testator significat aliquam reiterationem, satis exprimit voluntatem suam etiam circa legatum, quod velit esse iterabile. Eo ipso autem quod disponit de onere annexo legato, quod ex natura sua sit iterabile, ut est suppellex Ecclesiastica, aut quid simile, significat, se intendere reiterationem, quia contemplatur rem natura sua iterabilem, ac proinde significat eam velle secundùm suam qualitatem iterabilitatis, atque adeò disponere etiam de onere ut iterabili, ut sit proportionatum legato. Quare etiamsi pro legato relinquat aliquid natura sua iterabile, ut sunt fructus, legatum erit annuum ob eandem rationem.

2 Huic tamen assertioni videtur obstare, *l. Boves, §. hoc sermon. ff. de verb. signif.* ex qua communiter Doctores desumunt hanc regulam, quod *sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice*. Quæ etiam habetur ex *l. Dotis promissio, ff. de jur. dot.* Respondetur tamen, regulam esse intelligendam, quando per sermonem non exprimitur aliqua iterabilitas, secus autem si exprimatur. Nam ideò intelligitur de unica vice, quia ex natura sua non habet amplius significare, & proinde plures vices essent contra ejus significationem. Contrarium autem contingit, quando sermo continet, seu exprimit aliquam iterabilitatem, unde ex textibus rectè allatis formari potest alia regula, scilicet; *quod sermo simpliciter prolatus circa iterabilia*, non intelligatur de prima vice, sed de continua successione juxta doctrinam Cumani *in l. cum qui Kalendis, ff. de verb. signif.* & communem opinionem, quam citatis Doctoribus refert, ac sequitur Antonius Gabriel *com. conclus. lib. 6. tit. de leg. cond. 2. limit. 12. num* 42. quæ docet, quod unus actus non consumit dispositionem, quando materia ex consuetudine recipit iterationem.

3 Hinc præfata regula plures patitur limitationes deductas per Doctores *in d. l. Annua, & l. cum quidam, ff. de annuis legatis*, & quos plenè post Menoch. *lib. 4. præsumpt. 132.* & Barbos. *in l. divortio, §. quod in anno, ff. soluto matrim.* reassumunt Lara *de Anniversariis lib. 1. cap. 3.* Castill. 8. *tom. contr. cap. 4. numer. 16. cum seqq. ad finem*, inter quas duæ sunt ad nostrum casum applicabiles.

4 Prima est. Ubi reiteratio concernit causam piam ad favorem animæ testatoris, seu divini cultus, ut ex Bartolo, & cæteris notat Menoch. *d. præsumpt. 132. num. 3. cum seqq.* legatum est perpetuum. Et licèt Bartolus, exemplificando in Legato piæ causæ facto Religiosis, dicat, quod intelligatur de una vice, nisi Religiosorum paupertas aliter exposcat. Nihilominus contraria sententia, præsertim per Canonistas, sequentes opinionem dicti Cumani, est magis communis, ac vera, ut latè Decian. *cons.* 115. *num. 3. cum seq. vol. 3.* Genuen. *in practicabilibus Eccles. quæst.* 225. Castill. *d. cap. 42. num. 22.* Neque dubitandum, causam pietatis, & Ecclesiæ cultum huic parti assistere, cùm Ecclesia agat de reparatione, fulcimento, paramentis, aliisque utensilibus, Canonici verò agant de eorum privato commodo, atque adeò de causa profana.

5 Est altera limitatio magis communiter recepta resultans ex subjecta materia. Nam si hæc patitur reiterationem, & perpetuitatem, ut dicebamus, omninò interpretandum est, legatum reiterabile, ac perpetuum esse, ut latè Barbosa *in d. l. divortio, §. quod in anno n. 9. cum seqq.* Lara *supra d. lib. 1. cap. 3. n. 9.* Castill. *d. cap. 42. num. 30.* Atque hæc limitatio fortius procedit quando annuus redditus est congruus, & talis, qui hanc interpretationem admittat, ut probè Cyriacus *contr. 340* ubi relatis utriusque opinionis Authoribus, & fundamentis ex *n. 41.* cum hac distinctione procedit.

6 Subjecta verò materia sine dubio sortitur hanc intelligentiam ex parte Ecclesiæ. Quoniam reparatio, & fulcimentum non est opus, quod pro unica tantùm vice perficiatur, sed habet tractum successivum, qualem etiam habet provisio paramentorum, & utensilium, quę usu consumuntur, ac in dies renovanda sunt, ideòque prudens testator ita providit, ne tractu temporis Ecclesia rueret, ac sine sacra suppellectili, remaneret, dum aliunde provisum non fuerit, & fundator in alio suam hæreditatem noluerit gravare.

7 Nec obstat, si dicatur hoc esse simoniacum, atque prohibitum ab Alexandro II. *in c. ex multis 1. quæst. 3. §. Constituimus*, ibi: *Ut nullus cujuscunque gradus Clericus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum, quia teste Scriptura, qui aliquid malè accipit, ut quasi benè dispenset potiùs gravatur, quàm juvatur*. Et proinde ex hoc textu Rota coram Puteo *decis. 369. n. 2. lib. 3.* tenet, collationem esse nullam cum onere, ut aliquid detur pro fabrica, donarii, &c.

Nam respondetur, ex hoc textu excludi dumtaxat 8
veram simoniam, quatenus prohibet, quod non detur aliquid pro obtinendo beneficio, atque adeò in eum finem, ut beneficium obtineatur. Dictio enim *Pro* importat causam finalem juxta ea, quæ tradunt Ruin. *cons. 29. n. 19. lib. 2.* Gabriel. *cons. 178. n. 15. lib. 1.* Gozadin. *cons. 8. num. 11.* Alexander *cons. 79. n. 3. lib. 2.* Menoch. *cons. 352. n. 52.* Honded. *cons. 53. n. 7. vol. 2.* Surd. *de alim. tit. 2. qu. 5. num. 9.* Quare procedit in casu, in quo temporale ordinatur ad obtinendum spirituale, quod etiam indicant subsequentia verba: *Qui aliquid male accipit*; quæ significant, quod beneficium malè accipiatur, quia pro eo obtinendo aliquid temporale exhibetur, in quo committitur simonia.

At quando in alium finem aliquid exigitur de fru- 9
ctibus beneficii a collatore, aut exhibetur a Collationariis, ut esset ad sublevandam sacrarii paupertatem, ad fabricam Ecclesiæ, aut aliud simile opus pium, nequaquam intervenit simonia. Quod ex eo deducitur, quod Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 14. de reform.* prohibens dari aliquid, aut recipi dum conferuntur beneficia, aut provisi admittuntur ad possessionem, &c. & mandans Episcopis, ut consuetudines contrarias extirpent, excipit consuetudines laudabiles, & ea, quæ solent exhiberi in usus pios, ibi: *Mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in usus pios non converturtur, &c. fieri non permittant*. Quam etiam exceptionem ponit Pius V. in *sua Constit.* 104. *§. 4. tom. 2. Bullar.* quæ incipit: *Durum nimis*, ibi: *Et nihilominus statuimus, ut ubicunque hujusmodi fructus, & distributiones, fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars sacristiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò beneficiati integre percipiant*.

Cùm igitur tàm Concilium, quàm Pius V. admittant, 10
quòd pars aliqua fructuum exhibeatur a proviso pro fabrica, sacristia, aut alio opere pio, atque adeò exigatur a Capitulo, aut alio provisore, oportet, quod sit actus licitus, aliàs extirpandus foret, sicut pravus abusus, & non reponeretur inter laudabiles consuetudines, quas Concilium excipit. Illud autem, quod ex laudabili consuetudine servatur, etiam pro una vice ex pacto servari potest, nec poterit argui de simonia. Quia ex actu licito non potest induci simonia, ut notant Riminald. sen. *cons. 91. n. 21.* Cravet. *cons. 145. numer. 4* Dec. *cons. 436. num. 12.* Imol. *in cap. Ad audientiam n. 5. de rescript.* Mohedan. *dec. 224.* Puteus *dec. 17. lib. 2.* Millin. *dec. 104. num. 2.*

Et ideò valere consuetudinem, ac esse rationabilem 11
exigendi aliquid ab obtinentibus beneficia convertendum in utilitatem Ecclesiæ, & pios usus, tradunt Felyn. *in cap. Cùm M. de constit.* Abb. *in cap. Jacobus num. 4. de simon.* Rip. *resp. 1. nu. 11. de arb.* Monetta *de distrib. p. 2. qu. 18. n. 55.* Paris. *de consid. qu. 38. num. 27.* Graff. *p. 1. dec. lib. 2. c. 96. n. 49.* Garzia *de benef. p. 8. c. 1. nu. 85.* Barbos. *de Canon. & dignit. c. 15. n. 29.* aliique.

Quamobrem etiam Sac. Concilii Tridentini Congrega- 12
tio, seu potiùs summus Pontifex ex sententia sacræ Congregationis declaravit, valere statutum, quod certa portio ratione novæ possessionis Canonicatuum solvatur, convertenda in fabricam, & ornatum Ecclesiæ, ut refert Barbosa *in Collect. in eund. locum Tridentini sess. 24. de refor. cap. 14.* & Garzia *de benef. p. 3. cap. 2. num. 198. declarat. 9.* in una Segobien. 11. Julii 1590. cujus tenor hic est: *An Constitutio quædam ab Episcopo, & Capitulo post Concilium Tridentinum de solvendo tertiam pecuniæ quantitatem ratione novæ possessionis Episcopatus, & Canonicatuum, ac dignitatum, distribuendam in fabricam, & salaria Notarii, Cursorum, Campanarii, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, quibus jam alia constituta sunt certa salaria, sit valida, necne? Sanctissimus D. N. ex sententia Congregationis respondit, hujusmodi Constitutionem servandam, nihil tamen ex ea pecunia, Notariis, Cursoribus, & Campanario aliisque Ecclesiæ ministris tribuendum, sed integram summam in usus fabricæ convertendam, atque ita libenter solvendam tàm a Capitularibus, quàm ab Episcopo, cùm sperari possit officium, Ecclesiæque dignitatem, quæ ob hujusmodi largitatem in ædificium, ornatumve Ecclesiæ factam sumit exordium, ad mysticam quoque Ecclesiæ ædificationem feliciter in Domino processurum*.

Ratio desumitur ex eo, quod licèt fructus beneficio- 13
rum non sint obligati Ecclesiæ, vel sacristiæ, æquitas tamen exigit, quod Ecclesia participet aliquam portionem,

nem, dum inservit beneficiatis, & subministrat commoditatem peragendi functiones, ad quas tenentur ratione beneficii. Præsertim si proventus ipsius sint tenues, itaut non possint commodè sufficere pro manutentione.

14 Cùm ergo id in casu ex fundatione pii testatoris decernatur, ac veluti deducatur in pactum, sanè stabilitur id, quod est secundùm æquitatem, statimque appareret titulus, quod id justificetur, & quo etiam suspicio simoniæ excludatur, quæ etiam in dubio semper excludenda est, ut observant Mohedan. *ea decis.* 224. Puteus *cit. decis.* 381. *lib.* 1. Mellin. *d. dec.* 104. *n.* 7.

15 Minus etiam obstat observantia contraria, Siquidem ratione subjectæ materiæ voluntas fundatoris videtur clarissima, ideòque non intrat observantia interpretativa, quæ non datur in claris, sed standum est dispositioni, *l.* 3. *C. de liber. præter.* Rot. *dec.* 623. *nu.* 4. *p.* 3. *recent.* & *in Toletana decimar. de Laxedo.* 23. Maji 1595. coram Arigonio. Accedente potissimum ratione, ob quam anteactis temporibus de hujusmodi Ecclesiæ reparatione, & supellectili non multum curatum fuit, quia illa tempore proximo fundationi nulla reparatione indigebat, cùm fuerit provisa omnibus necessariis ab ipso fundatore, qui cùm considerasset ea omnia usu consumptum iri, prudentissimè hoc modo Ecclesiæ suæ futuris necessitatibus consulere censuit.

CONSULTATIO. CLIX.

An, & quomodo pro Missis manualibus celebrandis in Ecclesiis insignioribus capsulæ retineri possint? & quando sint reducibiles?

1 HUic rei in decretis super celebratione Missarum a Sacra Congregatione Concilii jussu san. mem. Urbani VIII. editis fuit provisum decreto sequentis tenoris.

2 *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa; Eleemosyna pro missis, vel alia simili sub iisdem pœnis, ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.*

3 Et quia desuper nonnullæ difficultates subortæ fuerunt, Eminentissimi Patres fecerunt declarationes sequentes.

Decimo super V. ejusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus anteà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

XI. Quæritur, an hoc decretum prohibeat absolutè, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerint, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid si afferens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cùm primùm poterit?

XIII. An pœna Interdicti, & aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

XIV. An in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, ut vulgò dicuntur, casse de' morti?

XV. An Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?

Sacra, &c. ad XI. respondit, non prohibere absolutè, ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infrà modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XII. Quamvis onera susceptа infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad XIII. Has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non esse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

Verùm quia in Ecclesiis insignioribus, ut puta Lau- 4
retana, Sanctæ Mariæ Angelorum, Sanctæ Mariæ Montis Serrati, & similium, in quibus adest maximus concursus eleemosynarum pro celebrandis Missis, hujusmodi eleemosynæ erant necessariæ pro manutentione ipsarum Ecclesiarum, ministrorum, & aliarum expensarum, ideò reiteratis vicibus fuit supplicatum eidem Urbano pro opportuno remedio, super quo Sacra Congregatio consulta, censuit, ut in sequenti decreto, posse permitti.

Sacra, &c. censuit Sacræ Domus Lauretanæ administratoribus non esse de cetero suscipienda nova onera Missarum, quæ infra modicum tempus impleri nequeant, nisi Sacrista, vel alius minister Missarum numero describendo, atque eleemosynis suscipiendis pro tempore præficiendus admonuerit singulos, qui eleemosynas offerunt tàm magnum Missarum celebrandarum numerum illic impositum esse, ut illorum intentioni satisfieri non possit ipsa Missarum celebratione, ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore orationum, quæ in sacra Domo assidue pro benefactoribus fiunt. Id verò, ut commodiùs præstari valeat, saltem pro his, qui literas norunt, probavit Sacra Congregatio, ut quo loco ponuntur eleemosynæ, palam affigatur tabella, in qua eademmet declaratio distincte, & clarè describta sit, adeò ut Sacrista, vel minister, ut supra, priusquam acciptat eleemosynas, alterutrum perficiat, ideſt vel subscriptam præmittat declarationem, vel tabellam indicet offerentibus. 5

Quibus cautionibus adhibitis tutò accipi posset qua- 6
scunque eleemosynas Sacra Congregatio Concilii censuit.

Quod verò ad reductionem vix potest adesse justa 7
causa eas reducendi, nisi præcesserit culpa eorum, qui onera susceperunt, saltem suscipiendo majora onera quàm adimplere possint, ut notat etiam Garz. *in summ. tract. 3. diffic.* 10. *dub.* 4. *punct.* 2. *n.* 7. Quia tamen contingit aliquando, quod nimia onera Missarum recipiantur, & consummetur eleemosyna præsertim ob egestatem, fiantque impotentes ad satisfaciendum, & onus deferatur ad successores, qui non fuerunt in culpa, ideò stante eorum impotentia ad satisfaciendum concurrit justa causa pro reductione, quæ non debet esse facilis, ne spes illius sit occasio sumendi onera ultra vires. Eam ob dictam causam concessit Sacra Congregatio Concilii in una Praten. Missarum die 18. Martii 1628. ubi censuit magno numero Missarum manualium satisfaciendum esse cum duobus Anniversariis in perpetuum singulo mense.

CONSULTATIO CLX.

IN Constitutionibus Ordinis N. ita cavetur: *Vacante* 1
quovis modo magistratu Ordinis, ejus socius, &c. denunciet Priori N. confirmato, quem Vicarium Generalem præsenti Constitutione esse decernimus, & vocamus, viceſque & potestatem Magistri Generalis in omnibus, prout in his Constitutionibus sancitur, habeat. Cùm autem Magi- 2
ster Generalis dictæ Religionis fuerit per Regem Catholicum nominatus ad Episcopatum, sed adhuc non sit in Consistorio præconizatus, nec confirmatus a Papa, dubitatur,

An per hujusmodi Regiam nominationem vacet officium Generalatus, itaut illius potestas sit devoluta ad dictum Priorem?

NEgativè. Videtur enim in jure expeditum, quod 2
beneficia, & officia electi in Episcopum vacent solùm per confirmationem, & adeptionem possessionis, atque consecrationem sequutam, vel post tempus præfixum ad petendam consecrationem, ut est text. *in cap. Cùm in cunctis. §. cum verò de elect.* Ubi Doctores notant quatuor requisita ad hoc, ut beneficia, & officia electi in Episcopum vacent. Primò, quod fuerit electus. Secundò, quod confirmationem electionis fuerit consequutus. Tertiò, quod sit adeptus possessionem. Quartò, quod sit consecratus, vel quod sit in mora petendi consecrationem, & dicitur esse in mora, si non petierit infra tempus præfixum a Canonibus, scilicet infra tres menses a tempore confirmationis habitæ *cap.* 2. *distinct.* 75. plenè Abb. *d. cap. Cùm in cunctis, §. cum verò numer.* 1. *de elect.* Idem Abb. *cons.* 107. *numer.* 3. *lib.* 2. Rom. *cons.* 325. *num.* 1. & *seqq.* & alii, quos

quos ſequutus eſt Mandoſ. *ſuper regul.* 1. *Cancell. quæſt.* 15. *num.* 2.

3 Unde manifeſtè patet, quod ad inducendam vacationem officii Generalis, itaut generalis adminiſtratio ſit devoluta ad Priorem, non ſufficit ſimplex nominatio regia, facta de Generali ad Epiſcopatum, ſed requiritur, quod præconizetur, & proponatur in Conſiſtorio Papali, & ab ipſo Papa confirmetur, & creetur Epiſcopus, conſecretur, & poſſeſſionem Epiſcopatus adipiſcatur, cùm non debeat quis amittere primum beneficium, ſeu officium, niſi plenè ſit ſecundum aſſequutus, ut in *cap. Si quis jam translatus* 21. *quæſt.* 2. & *in cap. ſi qui Epiſcopi* 92. *diſt.* & *in cap. licet Epiſcopus, de præb. in* 6.

4 Quod faciliùs procedit in hoc caſu, quia ſumus in Religioſo profeſſo, qui non poteſt conſequi Epiſcopatum, & adminiſtrationem Eccleſiæ Cathedralis, niſi a Papa fuerit diſpenſatus, & a jugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſolutus juxta *c. Statutum* 18. *quæſt.* 1. Interim quemadmodum remanet ſub jugo Religionis in omnibus, & per omnia, ita retinet officia, & alias dignitates in Religione aſſequutas, præſertim quando Religioſus non conſentit nominationi, nec petit a Sanctiſſimo confirmationem, & poteſt eſſe, quod ex aliquo accidenti non poſſit eſſe Epiſcopus, ideòque juſtum non eſt, illum invitum interim privare ſuis officiis, ac dignitatibus, & nominatio facta ad ejus favorem, in illius odium retorqueatur, ut in ſpecie tradunt Jo: Monach. *in cap. Generali, de elect. n.* 6. & Jo: And. *in regul. quod ob gratiam, de regul. jur.* eodem libro, & faciunt tradita per Rotam *in Placentina Canonicatus,* & *præbendæ* 26. Maji 1610. coram Lancellotto.

5 Non obſtant verba ſupradictæ Conſtitutionis, ibi: *Vacante quovis modo Magiſtratu Ordinis*, quaſi quod verba, *quovis modo*, inducant vacationem etiam per ſimplicem nominationem Regiam. Quia hujuſmodi verba *quovis modo*, non data vocatione, nihil operantur, cùm loquantur de vacatione, ut ibi: *Vacante quovis modo*. Et ideò, cùm ex ſuperius relatis conſtet, officium Generalatus non vacare per ſolam Regiam nominationem, non poteſt in dictis verbis *quovis modo* fieri aliquod fundamentum, cùm illa intelligantur de vera vacatione, quæ inducitur per promotionem ad Epiſcopatum modo ſupra relato, ſcilicet per privationem, per renunciationem, per obitum, & per alios ſimiles caſus inducentes veram, & perfectam vacationem.

6 Neque obſtat ordinatio Capituli generalis. Quia, ultra quod loquitur de promotione ad Epiſcopatum, & ſic intelligitur de vera, & legitima promotione modo ſupradicto facta, & non fuerit a Sede Apoſtolica confirmata, reſpondetur, illam fuiſſe una cum aliis ordinationibus ſubſequentis Capituli generalis derogatam, & revocatam per breve peculiare ab Urbano VIII. ſub datum 4. Nov. 1628.

7 Et ita reſolvit Sacra Congregatio Epiſcop. & Regul. in una Barchinonen. anno 1632. nimirum non vacaſſe Generalatum, & Priorem non potuiſſe ſe ingerere in gubernio ante præconizationem dicti Generalis in ſacro Conſiſtorio.

CONSULTATIO CLXI.

Utrùm collatio Canonicatus ſpectet ad Cardinalem Titularem, an verò ad Cardinalem, cujus defunctus Canonicus erat familiaris?

1 CEnſeo, collationem hujuſmodi ſpectare ad titularem, ipſe enim videtur habere intentionem fundatam in eo, quod eſt titularis, atque adeò de jure collator beneficii ſub ejus titulo exiſtentis, ut firmatur *in cap. his de majorit.* & *obed.* ubi latè Felin. *num.* 1. quibus concinit *reg.* 33. Cancellariæ, & optimè comprobat Rebuff. *in prax. in addit. ejuſdem reg.* aliique non pauci.

2 Nec facienda eſt aliqua vis in Conſtitutione Gregorii XIII. & Pauli V. moderatoris Indultorum reſpectu regulæ prædictæ. Tum quia Cardinalis Titularis non magis ſe fundat in Indulto, de quo loquuntur dictæ Conſtitutiones, quàm in diſpoſitione Juris communis, de qua nulla fit mentio in dictis Conſtitutionibus. Tum etiam quia in Conſtitutione Gregorii ſpeciatim ordinatur, quod collatio ad Cardinales ratione eorum titulorum ſpectare debeat. Idque potiſſimùm procedit in caſu vacationis per obitum veri, & indubitati Curialis, ex quo defunctus erat continuus familiaris, commenſaliſque Cardinalis viventis, quo caſu verſatur in propria vacatione per obitum familiaris, atque adeò in propriis terminis *regulæ* 33. in qua explicitè diſponitur in vacatione per obitum familiarium, beneficia hujuſmodi ad collationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Cardinalis Ordinarii collatoris liberè ſpectare debere, & ſi apud Sedem vacaverint, de ejus conſenſu proviſio fiat.

Nec in hoc caſu applicatur votum Lancellotti, & 3
Coccini. Primò, quia in illo caſu agebatur de vacatione familiaris alterius Cardinalis jam prædefuncti, quo caſu per *regulam* 32. illius diſpoſitio ſolum datur Papæ, qui caſus eſt longè diverſus a caſu iſto, ex quo verſamur in vacatione per obitum familiaris Cardinalis viventis, cujus diſpoſitio per *regul.* 33. ſubſequentis datur Cardinali Titulari, ut dixi.

Secundò, quia revera votum hujuſmodi *in verſ. non ob-* 4
ſtat dictum Sarnenſis, potiùs facit pro caſu vacationis familiaris Cardinalis, qui eſt caſus noſter, dum diſtinguit inter caſum, de quo in voto, & caſum Sarnenſis, firmatque dictum Sarnenſis procedere ſecundùm opinionem Æneæ de Falcon. *qu.* 4. *principali effect.* 17. *verſ.* 6. aſſerentis in vacatione per obitum familiaris Cardinalis viventis præferri Cardinalem Titularem, qui planè eſt caſus noſter.

Tertiò, id clarius colligitur ex eodem voto *verſ. nec* 5
tertio loco ſuffragatur, dum explicitè firmat regulam 32. quæ hodie eſt regula 33. non habere locum in illo caſu, in quo Patronus familiaris erat defunctus, ſed illam procedere quando Patronus vivit, & concurrit Titularis, & ſic explicitè videtur concludere regulam eſſe veram, & excludit Cardinalem Patronum viventem, atque adeò collationem ſpectare ad Titularem.

Et quamvis in eodem voto multa deducantur pro 6
excluſione Cardinalis Titularis, & incluſione Papæ, nihilominus ea quoad caſum, de quo agitur, & pro incluſione Cardinalis Patroni nil faciunt, cùm per eo omnia ſemper Patronus remaneat excluſus, ut patet ad ſenſum.

Ultra quod credo allegata in dicto voto, aut non 7
ſubſiſtere de jure, aut non militare in caſu Titularis. Nam quoad ſubſiſtentiam de jure principale fundamentum voti conſiſtit in eo, quod agatur de beneficio reſervato vigore *Regulæ* 3. quæ hodie eſt 4. & de reſervatis Ordinario Collatori non poſſe diſponere ſine Indultis. Sanè aſſumptum eſt verum in ordinariis collatoribus, non autem in Cardinali Titulari ordinario Collatore alicujus Eccleſiæ in Urbe exiſtente, ex quo tales Titulares ſunt admiſſi vigore earumdem Regularum nempè *dictæ regulæ* 33. ut ſupra oſtendi.

Nec videtur bona conſideratio facta in eodem voto, 8
nempè, quod illa verba *in Reg.* 33. poſita ultimò, *ſed beneficia hujuſmodi ad diſpoſitionem Cardinalis Collatoris libere ſpectare cenſeantur*, non comprehenduntur in Regula præcedenti ſub prætextu, quod talia verba, uti immediatè ſequantur poſt alia verba, beneficia, quæ ad alterius Cardinalis collatoris pertinere deberent in dicta præcedenti conſtitutione non comprehendantur quoad hoc, ut in proviſionibus talium beneficiorum ſuper expeditione literarum illius Cardinalis, cujus Cardinalis defunctus extitit conſenſus requiri debeat, propterea verba prædicta *ad Collatorem liberè ſpectare cenſeantur*, ſint intelligenda in caſu prædicto, ſcilicet quando concurrit Patronus. Tum quia quando hoc aſſumptum eſſet verum, benè applicaretur caſui noſtro, in quo datur concurſus Patroni, & Titularis. Tum etiam quia cùm verba prædicta ſtent declarativè, & cumulativè regulæ præcedentis, ut firmatur in eodem voto *verſ. nec tertio loco*, quæ generaliter loquitur, idcircò generaliter etiam intelligi deberet, qua de re videatur Simonet. *de reſervat. quæſt.* 84.

Secundum fundamentum, factum in Conſtitutione 9
Gregorii, & Pauli moderatoris Indultorum, ſimiliter non videtur relevare. Primò, quia Titularis non prætendit collationem vigore indulti, ſed vigore facultatis ordinariæ ſibi per regulas conceſſæ, quæ nullo modo per Conſtitutiones prædictas ſublata extitit, quinimmò ſpecialiter reſervata dicitur, ut liquet ex verbis expreſſis in Conſtitutione Gregorii, ibi: *non tamen eorum, quibus in titulum, ſive Dominationem ſui Cardinalatus præ-ſunt*. circa quæ aliquid de novo diſponere non intendit. Secundò, quia talis interpretatio eò magis procedere debet, quod regulariter indultum conceſſum Cardinalibus nil denuò dat, ſed tantùm removet obſtacula, id quod ſæpiſſimè firmavit Rota, & latè comprobant Addentes ad Gregorium XV. *deciſ.* 291.

CON-

CONSULTATIO CLXII.

An Ordinarius potuerit ſuſpendere Regularem, ex eo quod cùm ſit Superior, ac etiam Parochus, impediverit, ne a Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ duceretur proceſſio ad ſuam Eccleſiam, & an concedenda ſit eidem Capitulo manutentio? Ubi de poteſtate Ordinarii in exemptos, ac de eorum privilegiis non pauca.

1 ET ſanè relaxanda videtur ſuſpenſio contra Parochum Regularem, & concedenda manutentio Capitulo. Quia quod attinet ad ſuſpenſionem ea imponi poteſt ab Ordinario contra Parochum ob grave ſcandalum, quod populo præbuit, dum divina officia eſt auſus perturbare, ideòque videtur poſſe imponi in pœnam delicti, & propterea tanquam minus habilis ad proficiendum in populo ſibi commiſſo, juſtè poteſt a ſuæ curæ exercitio removeri juxta notata per Doctores *in c. Jampridem, §. Pro gravi ſcandalo, de renunc.* Abb. *in c. 1. n. 8. de elect.* Felin. *in c. Nihil n. 2. de præſer.* Seraph. *dec. 516. p. 4.* cum ſimilibus.

2 Idque non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & exemptionibus Apoſtolicis, quæ ratione ſui Ordinis illi competere poſſint, cùm ſatis conſtet hujuſmodi privilegia Regulari Curato minimè ſuffragari, quominus juſto Ordinarii judicio a cura ſuſpendi ac removeri poſſit, ad quam ex ſuperveniente delicto minus idoneus, quoad mores repertus fuerit, *cap. 1. in fin.* ubi Doctores, *de capel. Monach.* & congruit diſpoſitio S. Concilii Trident. *ſeſſ. 25. cap. 11.* & Conſtitutio 18. Gregorii XV. quæ incipit, *Inſcrutabili*, & ſæpius fuit per S. Congregationem reſolutum.

3 Nan obſtat, quod dictus Parochus hæc commiſerit non tanquam Parochus, ſed tanquam Superior Regularis ſui Monaſterii pro defenſione jurium ſui Ordinis. Quoniam quæcunque perſona per ipſum in illo actu fuerit repræſentata, ſufficit, quod per ſupradictum exceſſum populo talem ſe præbuerit, qualem non expedit Paſtori animarum; & quatenus ejus Religio habuiſſet jus impediendi actum, quem ibi Capitulum exercere intendebat, poterat illud per legitimos tramites adducere, non autem ſcandaloſo ſtrepitu. Quia dum ſe Eccleſiaſtici ordinis defenſorem præbuit, Deum, Eccleſiam, Capitulum, ac totius populi pietatem graviter offendit.

4 Minus obſtat, quod huic ſuſpenſioni nulla præceſſerit monitio. Quia cùm non imponatur in contumaciam, ſed in pœnam delicti, & quidem publici, ac notorii nulla eſt opus monitione, Innoc. *in cap. 1. de exceſſib. Prælat.* Abb. *in cap. Reprehenſibilis, num. 4.* & ibi Præſop. *num. 2.* Franch. *v. 3.* Dec. *nu. 6.* & alii communiter *de appell.*

5 Quod verò attinet ad manutentionem, cùm pro parte Capituli probetur quaſi poſſeſſio ab antiquiſſimo tempore celebrandi divina in die feſto Inventionis. S. Crucis in hac Eccleſia, quæ hodie detinetur per Regulares, a quibus iſti actus nulla ratione controverti poſſunt, ſequitur, eos non poſſe in ea prætendere omnimodam libertatem reſpectu iſtius oneris, quod ſapit potius ſervitutem debitam Capitulo, quàm ſubjectionem reſpectu Ordinarii. Et ideò cùm Capitulum fuerit in quaſi poſſeſſione illius juris, etiam antequam dicti Regulares Eccleſiam prædictam, tunc etiam actu curatam exiſtentem, obtinniſſent, propterea per illius conceſſionem iiſdem Regularibus factam, non fuit ullatenus præjudicatum, *c. Paſtoralis in fin.* ubi Abb. *num. 8.* & alii communiter *de privil.* Nec privilegia, quæ eorum loca, & Eccleſias eximunt a ſuperioritate Ordinarii ſunt extendenda ad Eccleſias præſertim parochiales, quæ quando illis conceſſa fuerunt jam reperiebantur in ſtatu talis ſubjectionis, ſeu ſervitutis debitæ majori Eccleſiæ, ſed ſunt intelligenda de Eccleſiis, quas noviter illi fundaverint, aut pleno jure acquiſiverint, ut *in d. c. Paſtoralis*, & notatur *in c. 1. de privil. in 6.*

6 Tantò magis, quia agitur de ſervitute debita Eccleſiæ Cathedrali, quæ fundatam habet intentionem pro ſuperioritate reſpectu omnium Eccleſiarum inferiorum ſuæ diœceſis, *cap. Dilectus*, cum ibi notatis *de capel. Monach.* Abb. *in capit. Ad audientiam numer. 8. de Eccleſ. ædific. cap. Omnes Baſilicæ 16. qu. 7.*

7 Et dum ulterius ſpecificè pro parte Capituli probatur quaſi poſſeſſio juris ducendi proceſſionem ad cujus poſſeſſionis acquiſitionem ſufficit unicus actus, ut per Doctores *in cap. Eccleſia Sutrina, de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Gregor. *dec. 313. numer. 1.* debet abſque ulla hæſitatione eidem Capitulo concedi in hac quaſi poſſeſſione petita manutentio retinendæ; *Inſtit. de interd. cum vulgar.*

8 Non obſtant privilegia exemptionis, etiam quoad loca, & Eccleſias iiſdem Regularibus competentia. Nam præterquamquod ex ſupradictis illa ad hujuſmodi Eccleſias non ſunt extendenda, conſtat etiam, quod pro impedienda manutentione contra poſſeſſionem illius, qui pro ſe habet juris aſſiſtentiam, non ſufficit allegare, aut exhibere privilegium, ſed requiritur etiam poſſeſſio in exemptione vigore privilegii, ut per textum *in cap. Cùm perſonæ de privil. in 6.* latè comprobat. Rot. *d. dec. 491. n. 5. & ſeqq.* Mareſcot. *var. reſol. lib. 1. c. 11. n. 5.* & alii apud Add. ad Gregor. *uoi ſupra*. Pro parte autem Regularium non ſolùm non probatur poſſeſſio exemptionis, ſed potiùs pro parte Capituli quoad hoc jus probatur abſoluta dictæ Eccleſiæ ſubjectio.

9 Quæ ſæpius inculcantur de decreto irritante in dictis privilegiis appoſito, quod ſcilicet aptum eſt inficere omnem poſſeſſionem, procedunt in decreto juſtificato, & quando conſtat, intrare privilegium, in quo reperitur appoſitum. Ubi autem non juſtificatur, quod intret privilegium, interim decretum non poteſt impedire manutentionem debitam poſſeſſori, Gemin. *in c. Præſenti ſub prior.* & ibi Franch. *in 3. notab. de offic. Leg. in 6.* latè Graz. *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 431. & ſeq.* Ubi plures refert Rotæ deciſiones, Greg. XV. *deciſ. 238. n. 8.* ibique Addentes.

10 Similiter non obſtat, quod non conſtet de ſcientia, & patientia Superiorum Ordinis reſpectu ſupradictorum actuum. Nam neque hæc requiritur ad effectum ſimplicis manutentionis, in qua ſpectatur nudum factum poſſeſſionis, Rot. *dec. 17. n. 7. p. 2. div. & dec. 683. num. 4. p. 1. rec.* Et ulterius ſufficienter probatur ex diuturnitate temporis, & multiplicitate actuum, Abb. *in d. cap. Cùm Eccleſia n. 25. de cauſ. poſ. & propr.* Rot. *dec. 179. n. 2. p. 7. div. & rec. d. dec. 683. n. 4. p. 1.*

11 Exceptio verò, quæ opponitur contra teſtes in proceſſu examinatos, quod ſunt de Clero, non eſt attendenda. Neque enim Clerus habet intereſſe in hac cauſa, ſed ſolùm Capitulum Cathedralis, cui Eccleſia S. Crucis ſubjecta reperitur, & cùm hoc intereſſe tangat ſolummodo univerſitatem, non autem ſingulos de Capitulo, qui uti ſinguli ex hoc nullam percipiunt utilitatem, ideò, & Canonici ipſi ſunt tanquam idonei teſtes admittendi, ut per Farinac. *de teſtib. q. 60. nu. 1. & ſeqq.* Gregor. *deciſ. 340. n. 5.* ubi Addentes aliàs referunt Rotæ deciſiones.

12 Verùm, his non obſtantibus, tenendum eſt, ſuſpenſionem non potuiſſe imponi, & manutentionem eſſe denegandam. Nam quod attinet ad ſuſpenſionem. Primò, ea nulla eſt defectu juriſdictionis, ſine qua cenſuræ ſuſtineri non poſſunt, Gloſſ. *in c. Cùm ad quorundam, v. Non tenere in princip. de exceſſ. Præl.* Suar. *de cenſur. ex diſp. 4. ſect. 7. n. 1.* aliique communiter.

13 Nullitas verò ex defectu juriſdictionis eſt manifeſta. Quia privilegiis ſel. record. Greg. XIII. Sixti V. & Clementis VIII. omnes, ac ſinguli hujus Religionis Superiores, Officiales, Presbyteri, Clerici, cæteræque perſonæ profeſſæ, & non profeſſæ, nec non familiares, & miniſtri cum omnibus, & ſingulis Eccleſiis, bonis, mobilibus, & immobilibus, præſentibus, & futuris, ac juribus, juriſdictionibus quibuſcunque, ac rebus tàm ſacris, & religioſis, quàm profanis ad ipſam Religionem ſpectantibus ab omni juriſdictione, poteſtate, ſuperioritate, & correctione quorumcunque locorum Ordinariorum quacunque dignitate, præeminentia, & authoritate fungentium, & aliorum Judicum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium in perpetuum exempti, ac liberati, ſubque Sedis Apoſtolicæ, ac D. Petri protectione immediatè recepti fuerunt cum clauſula ſublata, & decreto irritante. Cenſuræ autem in exemptos latæ ipſo jure defectu juriſdictionis, nullæ ſunt, *cap. Grave*, ubi Gloſſ. *v. Relaxationes*, ac poſt eam Abb. *numer. 3. de offic. ordin.* Idem Abb. *in cap. Cùm dilectus numer. 3. de Relig. domib.* Calder. *conſ. 9. de ſent. excommun.* Gig. *de penſ. quæſt. 60. numer. 1.* Cochier. *de juriſd. Ordin. in exempt. part. 2. quæſt. 7. numer. 11. & quæſt. 40. num. 2.*

14 Secundò, lata fuit ab excommunicato, ac conſequenter nulla eſt etiam ex hoc capite, Suar. *d. diſp. 4. ſect. 7. num. 1.* & Doctores communiter. Quod autem Vicarius, qui eam intulit ſit excommunicatus, patet, quoniam in Bulla Cenæ Domini *excomm. 2.* anathemati ſubjiciuntur illi omnes, qui jura ad Romanam Eccleſiam mediatè, vel immediatè pertinentia, nec non ſupremam juriſdictionem Papæ, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare præſumunt. Nec videtur dubitandum, quin illi, qui ſibi juriſdictionem uſurpant

in

in exemptos, & immediatè Sedi Apostolicæ subjectos jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, & jurisdictionem Papæ, ac Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare censeantur, ut post Sayrum advertit Cochier. *ubi supra part. 4. quæst. 75. num. 1.*

15 Neque obstat, quòd ex decreto S. Concilii Trid. *sess. 25. c. 11. de Regular.* & ex Constitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, exempti omnes, etiam Regulares in his, quæ animarum curam, & Sacramentorum administrationem concernunt omnimodæ Ordinariorum jurisdictioni subjecti sunt. Nam contendere non tanquam Parochum, sed tanquam Superiorem, ut processio ab Ecclesia regulari, etiam parochiali ad Cathedralem non ducatur, idque pro tuenda ipsius regularis Ecclesiæ exemptione non est res, ut per se liquet, curam animarum, seu administrationem Sacramentorum concernens. Hujusmodi enim censentur ea solùm circa, quæ ratione actualis administrationis Sacramentorum, & proprium Parochi officium delinqui potest, cujusmodi non est contentio supradicta, ut benè explicat Roderic. *qu. regul. 36. art. 4. in princ. to. 1.* cui adstipulatur textus *in c. Cùm capella de privil.*

16 Tertiò, eadem suspensio lata fuit sine ulla monitione, ideòque licèt esset juxta aliquos valida, nihilominus esset revocanda, *cap. Sacro, de sent. excomm. cap. statutum eod. tit. in 6. & cap. Reprehensibilis, de appellat.*

17 Nec obstat, quòd quando suspensio fertur in pœnam delicti, præsertim notorii, monitio non sit necessaria. Quia hic non solùm non constat de delicto notorio, sed nec de ullo omninò delicto, cùm suam exemptionem tueri, ac Summi Romani Pontificis jurisdictionem defendere delicto minimè adscribi possit, *l. Injuriarum 1. §. Is, de injur.* Surd. *cons. 10. n. 45.*

18 Hinc, ut apparet ex textu *in cap. Nisi cum pridem, §. sed inter*, ubi Glos. *v. simile de renunc.* & ex Theologis egregiè docet D. Thom. *2. 2. qu. 43. art. 1. ad 4. & art. 2.* quando aliquis scandalizatur de his, quæ alter benè facit, nulla potest adscribi culpa facienti. Atque, ut idem tradit ibidem *art. 8.* licèt interdum bona, ac jura temporalia sint ob scandalum evitandum dimittenda, id tamen est intelligendum de illis, quæ ita nostra sunt, ut nos de eis liberè disponere valeamus, secus de iis, quæ nobis tantùm ad ea conservandum commissa fuerunt, cujusmodi sunt bona, & jura Ecclesiarum. Hæc enim nunquam sunt, etiamsi inde alii scandalizentur, dimittenda, sed omni jure defendenda, ut exemplo B. Thomæ Cantuariensis, qui a repetendis rebus Ecclesiæ non destitit, non obstante scandalo Regis, docet idem D. Thomas ubi supra. Immò nec etiam illa, quæ propriè nostra sunt dimitti debent ob scandalum aliorum, quoties scandalum concitatur ab eis, ut usurpent aliena. Quoniam, ut benè advertit idem S. Doctor. hoc, & noceret bono communi, quia daretur malis rapiendi occasio, & noceret rapientibus, qui, retinendo aliena, in peccato manerent.

19 Quapropter, cum quidquid egerit Superior præfatus, totum egit pro conservatione privilegiorum sui Ordinis, ac pro tuenda Pontificia superioritate, nullius prorsus considerationis est scandalum, quod ab eo datum prætenditur. Nam hoc est scandalum merè passivum, acceptum de his, quæ rectè geruntur, & quæ propter scandalum aliorum minimè ferri debent, ideòque nullum potest ei delictum imputari, cùm nemini injuriam facere censeatur, qui suo jure utitur, *d. l. Injuriarum 1. §. Is, qui, ff. de injur.* Surd. *d. cons. 10. num. 45.* Præmium enim meretur, non pœnam, qui Ecclesiarum jura, Pontificiamque auctoritatem violari non permittit, *cap. Omni timore 23. quæst. 8.*

20 Quod verò ad manutentionem, cùm illa sine possessione non detur, vulg. *§. Hodie, Instit. de interd.* Bart. *in l. 1. §. ult. n. 14. ff. uti possid.* sequitur, eam Capitulo, quod de quasi possessione non docet, minimè esse concedendam.

21 Nec obstant testes examinati. Nam illi nihil probant. Tum quia fuerunt simpliciter examinati pro informatione Curiæ, & non fuerunt postea, parte citata, repetiti, Clar. *in §. fin. quæst. 11. n. 3. in princip.* Tum etiam quia omnes sunt de Clero, qui prætendit esse in hac possessione ducendi processionem, atque ita sunt pars formalis, & deponunt in causa, in qua habent interesse, *l. Nullus, ff. de testib. l. omnibus, C. eod.* Cart. *in l. deferre, n. 2. ff. de jur. fisci*, Paris. *cons. 24. n. 36. lib. 3.* Mantic. *de conject. ultim. vol. lib. 6. tit. 3. n. 6.*

22 Et sanè tollitur omnis difficultas ex eo, quòd cùm in privilegiis supradictis appositum fuerit decretum irritans, nulla prorsus acquiri potuit, non solùm possessio, sed nec etiam detentio, *c. si eo tempore, de elect. in 6.* Rot. *decis. 3. n. 1. de restit. spol. in nov. & dec. 1. n. 6. eod. tit. in antiq.* Gig. *cons. 8. n. 6.* Mandos. *in reg. 1. Cancel. qu. 3. n. 4.*

Maximè quia non probatur, prætensos actus possessorios factos fuisse scientibus, ac patientibus Generali, ac aliis majoribus Officialibus Religionis. Quod tamen debet necessariò probari, cùm agatur de acquisitione possessionis juris incorporalis adversus privilegia concessa toti Religioni, Bart. *in l. 1. n. 5. in fin. cum seq. Cod. de servit. & aqua*, Bald. *ibid. n. 16.* Castr. *n. 26.* Alex. *cons. 136. num. 20. lib. 2.* Immò nec sufficeret si probaretur scientia, ac patientia Generalis, & aliorum majorum officialium. Quia ubi agitur de exemptione, & immediata subjectione Sedi Apostolicæ, non potest illi etiam per scientiam, ac patientiam mediatorum Superiorum exemptorum præjudicari, nisi simul accedat scientia, ac patientia Papæ, in cujus superioritatis præjudicium præcipuè tendunt actus contra exemptos, *c. Cùm tempore, §. fin.* & ibi Abb. *num. 2. & 7. de arbitr. & in cap. 1. num. 19. de sent. & re jud. & in cap. si de terra num. 1. de privil.* Castr. *cons. 431. num. 3. lib. 1.* Gaill. *lib. 1. observat. 40. numer. 2. 4. & 5.* cum aliis deductis a Cochier. *eod. tract. 2. part. 2. quæst. 7. num. 2. & 3.* 23

Et hæc ratio probat, non solùm non esse dandam Capitulo manutentionem in quasi possessione ducendi processionem, sed nec etiam accedendi ad Vesperas, & ad Missam in Ecclesia regulari decantandas, cum hæc etiam subjaceant decretis irritantibus, appositis in prædictis privilegiis, & fieri non valeant absque incursu dictæ excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ Domini. 24

Nec ad rem facit allegatum solitum, seu consuetudo. Quia adversus privilegia cum decreto irritante concessa non potest induci solitum, nec consuetudo, Felin. *in cap. Cùm accessissent num. 3. de constit.* Ruin. *cons. 15. num. 13. lib. 2. & cons. 102. num. 12. lib. 3.* Gabr. *conclus. 3. num. 39.* Præsertim in præjudicium superioritatis Papæ competentis ex deductis. 25

Minusque refragatur quod dicitur, privilegia huic Religioni concessa intelligenda esse de Ecclesiis ab ipsis fundatis, non de illis, quæ antequam ad illam pervenirent subjectæ erant ordinariis. Quia huic interpretationi repugnant verba privilegiorum, ibi: *cum omnibus, & singulis Ecclesiis, &c.* Nam qui omne dicit, nihil excludit, *cap. Solitæ de major. & obed. l. Julianus in princ. de leg. 3.* Alex. *cons. 30. n. 14. & 15. lib. 5.* Et verba *omnibus, & singulis* nullam omninò patiuntur restrictionem, Glos. *in cap. Ut circa v. Omnia & singula de elect. in 6.* Oldrad. *cons. 300. num. 8. & 9.* Cephal. *cons. 16. n. 55.* Decian. *cons. n. 58. lib. 1.* 26

Prætereà repugnat ratio finalis concessionis, quæ ut ex procœmio colligitur, fuit, ut Regulares hujusmodi, quibuslibet perturbationibus remotis, faciliùs valerent Altissimo suum exhibere famulatum. Quæ ratio æquè militat in Ecclesiis ab aliis constructis, atque in fundatis ab ipsis, proindeque militare debet eadem exemptionis dispositio, *cap. Translato*, ubi Glos. *v. Quod de uno, de constitut. c. Inter corporalia, §. Sicut enim*, ubi pariter Glos. *v. Idem juris, de translat. Episc.* Rot. *dec. 5. num. 2. de offic. Vicar. in nov.* 27

Nec oppositum probat textus *in cap. Pastoralis*, ibique Abb. *num 8. de privil.* Quia loquitur in casu, quo per privilegium non fuerat juri Episcopali expressè derogatum, prout derogatum fuit in casu isto. Sicuti nec etiam quidquam faciunt text. *in cap. Dilectus, de cap. monach. & in cap. Omnes Basilicæ 15. quæst. 7.* cum aliis adductis ad probandum Ecclesiam Cathedralem, illiusque Capitulum super subjectione istius Ecclesiæ fundatam habere intentionem de jure communi. Nam text. *in d. cap. Dilectus* excipit casum, quo, ut hic, Ecclesia privilegium habet exemptionis, ibi: *Quia nec privilegium exemptionis habet.* Et Glos. *in cap. Omnes Basilicæ* illum pariter textum procedere declarat, nisi aliæ Ecclesiæ ab Episcopi jurisdictione speciali privilegio exemptæ fuerint. Et ita quoque loquitur Abb. *in d. c. Ad audientiam 1. num. 8. de Eccles. ædific.* 28

Similiter non adversatur, quod in actibus Superioritatis manutentio detur ex sola assistentia juris communis, *c. Cùm personæ in fin. de privil. in 6.* Caputaq. *dec. 306. part. 1.* cum aliis cumulatis. Quia textus *in d. cap. Cùm personæ*, in quo hæc conclusio fundatur a Doctoribus, recipit & ipse limitationem, nimirum nisi ostendatur privilegium in contrarium. 29

Nec nocet, quod ultra exhibitionem privilegii, necessarium quoque sit docere de quasi possessione exemptionis. Nam de hujusmodi quasi possessione Regularium notoriè liquet ex eo, quod in eorum Ecclesiis Capitula Cathedralium aliarum Civitatum post concessionem supradictorum privilegiorum nullum omninò actum superioritatis exercuerunt, neque exercent, hæcque eorum quasi possessio in una civitate suffragatur illis etiam, 30

quoad alias, Seraph. *dec.* 951. *n.* 2. Rot. *dec.* 240. *n.* 6. *p.* 4. *div.* exemplo quasi possessionis præsentandi, quæ per actum factum ab uno ex compatronis, cæteris quoque acquiri intelligitur, Abb. *conf.* 54. *n.* 3. *lib.* 1. Roch. *de jurep. v. Competens*, *num.* 42. per text. *in l. communis servus*, *ff. de acq. poss.* ubi res communis possessa ab uno ex sociis, ab omnibus censetur possideri.

CONSULTATIO CLXIII.

1 AD removendos abusus in Monasteriis Monialium Regularibus subjectarum, eo quòd Superiores regulares extra casus necessitatis ministrandi Sacramenta ingrediuntur soli ad suum libitum septa Monasteriorum, prout Confessores ab eisdem Superioribus deputati, ac insuper toties quoties contingit, concedi licentiam ingrediendi fabris ferrariis, lignariis, Olitoribus, cœmentariis, & hujusmodi, cum illis iidem Superiores unà cum socio ingrediuntur, totoque tempore, quo præfati Operarii intra eadem septa degunt, ipsi quoque commorantur sub prætextu quod ita fuerit antiquitus observatum ante Sacri Concilii Tridentini publicationem. Quæritur,

An in casibus supradictis debeat Episcopus contra hujusmodi Regulares, ut supra ingredientes, proceaere ad pœnas etiam censurarum, an potius eos tolerare prætextu dictæ consuetudinis?

2 SEcundum ea, quæ proponuntur duæ insurgunt inspectiones. Prima est, an Superiores Regulares possint supradictis concedere licentiam ingrediendi Monasteria Monialium sibi subjectarum absque expressa Ordinarii authoritate? Quod autem ad hanc pertinet, licet Franciscus Leo *in thes. for. Eccles. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. Quaranta, & alii non pauci, immò & S. Congregatio Concilii antiquitùs tenuerint ad Superiores Regulares spectare licentiam concedere ingrediendi Monasteria Monialium ipsis Regularibus subjectarum; nihilominus eodem dubio maturiùs ab eadem S. Congregat. perpenso, decrevit, hunc in modum, a quo decreto non videtur recedendum, præsertim attenta posteriori Constitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis: *Tametsi aliàs S. Congregatio Concilii declaraverit, licentias ingrediendi septa Monasteriorum Monialium exemptarum, & Regularibus subjectarum ex vera tantum necessitate, quæ Moniales respiciat concedendas, accedendi ad Monasteria, & alloquendi cum Monialibus pertinere ad ipsos Superiores Regulares: nihilominus sub die* 13. *Novemb.* 1610. *quo magis clausuræ observationi consuleretur, facultate sibi a S. D. N. tributa statuit, & decrevit, ut deinceps intra hujusmodi septa nemini ingredi, nec alloqui liceat, nisi licentiæ concedendæ in casibus necessariis, quæ moniales respiciant nedum a Superioribus Regularibus dictorum Monasteriorum, sed etiam a locorum Ordinariis obtentæ fuerint, non obstantibus quibuscunque contrariis legibus, statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

3 Tandem ad removendam omnem dubitationem, quæ ex hujusmodi decreto forsan oriri posset, negotio iterùm in S. Congregatione proposito, & Constitutione san. mem. Gregorii XV. perpensa, atque felic. record. Urbano VIII. relato die 21. Maji 1630. declaravit idem Urbanus hujusmodi licentias a Superioribus Regularibus non esse petendas in illis locis, in quibus adest consuetudo, ut istæ ab Episcopis tantum concedantur. Hoc enim casu statuit, & decrevit talem consuetudinem esse observandam, & ipsorum Episcoporum tantummodo licentias sufficere, etiam privativè, quoad ipsos Regulares.

4 Idem fuit resolutum in *Perusina* die 10. Januar. 1627. & novissimè in *Auximana* die 15. Julii, & in eadem Perusina die 12. Augusti 1645.

5 Et in hoc etiam advertendum est in subscriptione hujusmodi licentiarum debere Episcopum habere primum locum, ut censuit eadem S. Congregatio in *Bellunen.* die 4. Februarii 1634. & in aliis.

6 Secunda inspectio est. Quibus pœnis Episcopus coercere possit hujusmodi ingredientes?

7 Et respondendum est, Episcopum posse contra hujusmodi ingredientes procedere ad pœnas etiam censurarum, ut expressè disponitur in eadem Constitutione Gregorii XV. censuit eadem S. Congregatio in Nicoteren. die 5. Aprilis 1636. & in supradictis *Auximana*, & *Perusina*, passimque alibi.

8 Ut autem pastorali charitate, & prudentia in hoc procedatur, consuetum fuit præmittere edictum prohibitivum generale etiam comprehendens Regulares sub pœnis etiam censurarum ipsi Ordinario reservatarum. Et ita in specie fuit observatum in *Viterbien.* die 26. Junii 1627. & in supradictis *Auximana*, & *Perusina*, quod est etiam de mente Gemin. *in cap.* 1. *§. Et quoniam*, *num.* 8. *de stat. Regul.*

Et ita in una *Neapolitana* die 18. Novembris 1645. 9
Sacra Congregatio Concilii censuit observanda esse decreta a se aliàs edita tenoris supradicti, & contra Regulares contravenientes posse per Archiepiscopum procedi ad pœnas etiam censurarum.

Quoniam verò præter adducta hac in re Constitu- 10
tionem etiam edidit sanct. mem. Alexander VII. in quo supra omnes alias virtutes, zeli ac pacis in domo Dei constituendæ præcipuum studium fuit, ideò eam haud pigebit referre.

Alexander Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

FElici, &c. *præsentibus perpetuò valituris sancimus, ut imposterum* infra fines Italiæ, & Insularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuscunque aliis Superioribus Regularibus alioqui cura, & regimen Monasteriorum Sanctimonialium quoviscmodo incumbit, intra septa eorundem Monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa Visitationis localis, & hoc semel tantùm in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitatione hujusmodi se omninò abstineat. Quòd si ob clausuram, quæ a Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monasteriis exemptis curæ, & vigilantiæ Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cùm præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ sæcularis boni exempli, ac maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatæ. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per se ipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitimè impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, & visitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque ejus Socii ullam sumant in Monasterio refectionem. Porrò si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis; si alius a Generali, unum tantùm, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares; & maturæ ætatis, & in actu Visitationis a Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, & ab ipso aspici semper possint. Ac præterea Visitatori assistant quatuor Moniales ex Senioribus Monasterii, quæ similiter Visitatione durante nunquam separentur a Visitatore, & Sociis. Reliquæ verò Moniales, & quæcunque aliæ mulieres, & puellæ sæculares in Monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in choro antequam Visitator ingrediatur interiorem clausuram, & in eo permaneant durante Visitatione, & quousque idem Visitator cum Sociis è Monasterio exierit. Ideòque curet Visitator, ut tempestivè admoneatur Abbatissa, seu Monasterii Præfecta de præstituta die, & hora Visitationis. Visitatio verò personalis fiat ad crates, & omninò extra clausuram Monasterii, & per ipsummet Superiorem duntaxat, ut supra dictum est de Visitatione interioris clausuræ. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tàm ordinarius, quàm extraordinarius minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit. Insuper districtè præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium a publicatione præsentis Constitutionis computandorum revocent ad Claustra Confessores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoscunque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assiduè, vel ad tempus quocunque titulo pernoctare solitos, neve permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu propè septa Monasteriorum hujusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eundem terminum quascunque Cellas, Mansiones, seu Cubicula propè Monasteria prædicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si Clausuræ Monasteriorum earundem Monialium contigua sint, eidem clausuræ includi, vel dirui omninò faciant; si verò sint

extra

extra sepia, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti, nec in posterum alia similia aptari, ædificari, aut emi permittant. Quòd si infra dictum terminum Superiores Regulares permissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus illa adimplere, & omninò exequi etiam invocato, si opus fuerit, Brachii sæcularis auxilio. Verumtamen si Monasterium Sanctimonialium sit extra Mœnia Urbis, vel Oppidi, & Monasterium Regularium Virorum, quibus Moniales sunt subjectæ, sit intra dicta Mœnia, vel è converso habeantur, vel conducantur, si commodè fieri possit, mansiones ad usum Confessoris, quæ non sint conjunctæ, seu contiguæ ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitùs disjunctæ non solùm per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra Mœnia, & unum ab altero Episcopi judicio multum distans, tunc habeantur, vel conducantur hujusmodi mansiones, ut supra distinctæ, & separatæ a Monasterio Monialium distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, & approbanda; ita tamen, ut in mansionibus Confessoris, sive intra, sive extra mœnia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minimè pernoctent. Si quis verò prædictorum Regularium aliquid contra præsentium tenorem facere, vel moliri præsumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ad perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, & passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato quoties, & quando opus fuerit corrigi, & puniri valeat. Decernentes, &c. *Datum Romæ in Arce Gandulphi Diœcesf. Albanen. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimoquarto, tertio decimo Kalend. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Decimo.*

CONSULTATIO CLXIV.

Ad quas pœnas, & quomodo procedi possit contra Clericos beneficiatos non residentes? Præsertim si ad titulum suorum beneficiorum sint ordinati?

1 EX dispositione quidem S. Concilii Trident. *sess. 24. c. 12. v. Absens*, contra Clericos sæculares obtinentes beneficia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis non inservientes Ecclesiis, durante eorum post duos annos contumacia procedi potest ad privationem beneficiorum. Et ita censuit ejus S. Congregatio in sequenti declaratione, quæ habet plures alias concordantes.

2 *Sacra, &c. censuit, scribendum Episcopo Asculano, ut contra Archidiaconum non residentem adhibeat remedia Sacrorum Canonum ultra amissionem distributionum quotidianarum, primoque anno absentiæ privandum esse dimidia parte fructuum suæ præbendæ; secundo anno privandum esse omnibus fructibus; tertio verò anno, durante contumacia, & præcedente priùs monitione privari posse Archidiaconatu.*

3 Monitio autem debet esse trina cum spatio sex mensium post ultimam contra absentes, & unica si fiat personaliter juxta textum *in cap. Ex tuæ*, ubi Abb. *n.* 10. & 13. *de Cler. non resid.* Glos. *in c. Quoniam frequentes, §. Porrò, v. Canonicus*, ut lite non contestata, Sylva *de benef. p. 1. qu.* 5. cum pluribus aliis, & ita declaravit eadem S. Congregatio in una *Mediolanen.* atque alibi, firmatque Rota *dec.* 12. coram Mantica.

4 An autem conclusio locum habeat contra Clericos sæculares non inservientes Ecclesiis, qui ad titulum eorumdem beneficiorum fuerunt ordinati, & aliunde non habent unde se commodè alere possint, attenta dispositione dicti S. Concilii *cap. 1. sess. 21. de refor.* non reperitur per S. Congregationem declaratum.

5 In hac autem conclusione negativam tenent Doctores, qui post editum S. Concilium scripserunt, & speciatim Ricc. *par. 1. dec.* 185. qui hoc pluribus tuetur, Squillant. *de privil. Cler. p. 4. dub.* 15. *num.* 213. Tondut. *par. 1. tract. canon. in fin. tit. de benef.* Donat. Anton. de Marin. *lib. 1. resol. cap. 37. num. 9.* qui omnes ea potissimum ratione nituntur, ne Clerici sæculares in dedecus Ordinis Clericalis mendicare cogantur.

6 Pro qua opinione ponderanda est declaratio ejusdem S. Congregationis, quæ loquitur in necessaria alienatione, estque tenoris sequentis: *Sacra, &c. censuit neque in patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum sæcularem alendum necessariis exequutioni locum esse posse, sed licere tantum creditori capere in causam judicati eam fructuum portionem, quæ quotannis supereset ultra eam, quæ ad ordinati sustentationem non lautè, sed tenuiter vivendo Judicis Ecclesiastici arbitrio fuerit necessaria. Posse etiam ipsum Creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius Clerici ordinati ad creditorem, uti res hæreditaria, pertinebit.*

Item ponderandum est, quod in similibus casibus eadem Sacra Congregatio satius duxit respondere, posse Episcopos contra non inservientes contumaces, ultra amissionem fructuum, & distributionum procedere ad alias pœnas graves, ut in una *Reatina*, in una *Consentina*, & in aliis. Eo præcipuè quod est in electione, & arbitrio Episcoporum contra hujusmodi contumaces procedere ad excommunicationem, vel ad alias pœnas graves, omissa pœna privationis beneficiorum, ut firmatur *in dec.* coram Mantica *67. num. 6.* & in plerisque aliis. 7

Et aliquando etiam satius duxit capere informationem, an Clerici non inservientes, ac contumaces haberent, unde se alerent, & hoc pacto evitare declarationem circa pœnam privationis. 8

Rursus consideranda est sequens declaratio circa portionem Clericis sæcularibus assignandam vigore *c. Odoardus, de solut. Sacra, &c. post maturam discussionem respondit, congruam pro alimentis necessariis Clerico juxta dispositionem S. Concilii reservatam ex c. Odoardus, esse constituendam in portione suorum bonorum stabilium, illius vita durante, ne mendicare cogatur.* 9

Pro affirmativa verò urgere videtur sequens adnotatio S. Congregationis ad dictum *cap. 2. sess. 21. de ref. Prohibentur resignationes voluntariæ, non autem privationes.* 10

Insuper ponderandum est, quod supradicta prima declaratio, ut contra Clericos sæculares non inservientes procedi possit ad privationem beneficiorum videtur indefinitè concepta, licet non exprimatur, prout nec in dicta adnotatione, an Clerici sint ordinati ad titulum dictorum beneficiorum, & aliunde non habeant, unde se alant, & allegata declaratio per Garziam probabiliter est eadem declaratio absque dicta expressione. 11

Similiter examinandum, an magis urgeat, ut Clerici non inservientes Ecclesiis, & contumaces puniantur privatione beneficiorum, quam quod ipsi remaneant sine assignatione alimentorum in dedecus Ordinis Clericalis. 12

Ac etiam ponderandum, idem servari in incorrigibilibus, in apostatis, & in ejectis a Religionibus. 13

Verùm de istis non loquitur S. Concilium dicto *c. 2.* sed tantùm de Clericis sæcularibus, ut in principio, ibi: *Sæculares Clerici*, & circa medium, ibi: *Sæculares Clerici*. Nam in dictis Regularibus videtur militare diversa ratio ex ponderatis per Turrecrematam, & alios.

Quia tamen Episcopi, præsertim Ultramontani conquesti fuerunt, & conqueruntur de ejusmodi Regularibus, asserentes oriri multa scandala, & inconvenientia in dedecus Sacrorum Ordinum, ideò maturè discutiendum est, an expediat, ut in Clericos sæculares idem exequatur? Omninò sanè valdè ambigua res est, quam, mi homo, tibi definiendam relinquo. Ego autem non tibi nunc dissolvam debitum, sed bona fide intereà pignori tibi relinquam ingenui, candidique animi verbum hoc, *Nescio*. 14

CONSULTATIO CLXV.

Ut prospiciatur non tàm Episcopis, quàm dignitati Episcopali, ac Hierarchiæ, atque regimini Ecclesiæ, quæritur primò, An possint eligi in Conservatores privilegiorum Regularium ipsi Regulares cujuscunque sint Ordinis, aut Societatis? Secundò, An Conservatores privilegiorum Regularium non legitimè electi possint in Episcopos ferre excommunicationis sententiam, eosque carceribus mancipare, sede Episcopali privare, aut inde amovere, seu in exilium ejicere, aut ab omnibus relegare?

AD primum videtur negativè respondendum. Quia quilibet eorum efficeretur Judex in propria causa propter communionem privilegiorum, qua utuntur omnes. Itaque facultas Judicis Conservatoris restricta videtur ad Clericos sæculares juxta dispositionem Conc. Trident. *sess. 24. cap. 5. de reform.* quam quoad hoc declarare videtur Constitutio Gregorii XV. de Conservatoribus. 1

Verùm quidem est, quod *in c. Statuimus: de offic. Deleg. in 6.* tribuitur jurisdictio Conservatoria tàm Episcopis, quàm Abbatibus. Sed advertendum est, quod illa sanctio emanavit antequam Ordines Monastici coirent 2

in Congregationes. Quia tunc Abbates perpetui habebant jurisdictionem Episcopalem in locis suis, ut notat ibi Glos. *v. Abbates*. Quæ qualitas transferri non potest ad Mendicantes. Nam si deducatur facultas hæc ex persona Abbatum non potest applicari Regularibus Mendicantibus, quamvis ii Prælaturam inter suos exerceant. Quia non dicuntur propriè in Ecclesiastica dignitate constituti, de quibus est sermo in Concil. Tridentino, & Constitutione Gregorii supra allegatis. Unde in puncto Rodericus, quamvis regularis *tom. 1. q. regul. 65. ar. 3.* firmat Guardianos, & Priores Mendicantium Conservatoris officium exercere non posse. Quicquid sit, an propriè possint dici in dignitate constituti. Idem asserit Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 106, num. 15.* & decrevit S. Congregatio negotiis Regularium præposita in una *Vicentina* die 10. Jan. 1605. & iterùm die 6. Octobr. 1617. apud Fagnanum *ad c. Sanè 12. de offic. deleg.* Quærenti enim Archiepiscopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monasterii, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium, licet dignitate regulari fulgentem in suum Conservatorem eligere, vel deputare possint, Sac. Congregatio respondit, *non posse*. Id quod etiam censuit Sacr. Congregatio Concilii die 9. Octobr. 1618. decernens non solùm, quod Regulares esse non possint Conservatores, sed etiam esse debere Clericos sæculares idoneos.

3 Nec est cur adversus hujusmodi doctrinam quis objiciat, quod si propter communionem privilegiorum Regulares essent Judices in propria causa, hoc idem profectò eveniret in Clericis sæcularibus, si illi perneceſſe ad munus Conservatoris eligendi forent. Essent enim pariter Judices in propria causa. Nam inter istos differentia est non parva. Quia sæculares, præsertim Dignitates, non habent eandem causam cum Episcopis, nec communicant in privilegiis, & Capitula, ut plurimum non subjacent Ordinariis, sed sunt exempta.

4 Alteri objectioni, quod scilicet in plerisque locis necessariò deputandi sint Regulares ad Conservatorias, quia ibi non reperiuntur Judices in Synodo deputati aptè responderi posse videtur, distare inter se terminos *cap. Statuimus de offic. deleg. in 6. & cap. Statutum, de constit.* Nam hoc procedit in causis judicialibus per Commissionem Sanctissimi commissis. Officium verò Conservatoris non est hujusmodi, sed procedit absque tela judiciaria. Unde non requiritur, quod sit Judex Synodalis, sed sufficit, quod sit Canonicus in Cathedrali, sive etiam in Collegiata, ut probatur ex stylo provisionum Apostolicarum, in quibus ad eandem exequutionem deputantur insimul cum Auditore Cameræ Canonici Cathedralium.

5 Demùm ratio præcipua cur Regulares Mendicantes, necnon Monachi Congregationum unitarum non debeant esse Conservatores suorum privilegiorum ea est, quod si delinquant in officio, non subjiciunt correctioni. Quia parrato delicto, vel discedunt ad alias Provincias, vel latent irreparabiles. Quod non contingit Clericis sæcularibus in beneficiis suis necessariam residentiam habentibus. Nec competit Abbati perpetuò, de quo *in d. cap. Statuimus*.

6 Ad secundum respondendum esse videtur ex Concilio Trident. *sess. 13. cap. 6. & sess. 24. cap. 5. de refor.* non posse ob præstantiam Episcopalis dignitatis.

7 Neque huic responsioni obstat *cap. 2. de offic. delegat.* ubi quod Conservatores possunt procedere ad suspensionem, & censuras Ecclesiasticas contra Episcopos protervos, & culpabiles. Nam primò respondetur, textum illum procedere quando Conservatores sunt in pari dignitate Episcopali, ut ex litera ipsius textus liquidò constat. Deindè respondetur, textum procedere in Conservatores a Sede Apostolica immediatè electos, ut ibi notat Glossa. Postremò respondetur, textum, quatenus illi locus esset, declarari per Concilium Tridentinum, videlicet illum non procedere in causis controversiæ jurisdictionis inter Ordinarium, & ipsos Conservatores. Nam tunc omnis competentia debet a Summo Pontifice declarari, solo Judice competente in Episcopis.

CONSULTATIO CLXVI.

An edicto potestatis laicæ obligentur Clerici, eorumve bona, atque Coloni?

1 EA fuit semper apud Christianos, pioſque populos Ecclesiæ libertas, illius bonorum immunitas, ut non æquissimè solùm, sed & religiosissimè faciant ii, qui tàm veterem, tàmque sanctam authoritatem, quantum in ipsis est defendentes nullam ejus partem convelli, labefactari, aut imminui patiantur.

Non est itaque quod quisque miretur, si hoc tempore inhibetur Magistratibus laicis, ne vigore edicti sæcularis procedant contra Colonos, vel conductores bonorum Ecclesiæ ab eorum jurisdictione penitus exemptos. 2
Quod etiamsi multis ab hinc annis maturè discussum fuerit, opportunum tamen censuimus, id nunc tueri ab iis, quæ in partem contrariam scripta circumferunt, ut omnes intelligant quibus rationibus, aliàs in hanc deventum fuerit sententiam, conabimurque propter luscios, ac cæcutientes, quæ splendorem istum obscurare apud aliquos videntur, dispellere, & ipsi, si fas est, luci lucem addere.

In eo igitur, quod priori loco contenditur, vel ipsos 3
Clericos, & Ecclesias hujusmodi edicto adstringi frustra labor suscipitur. Nam contra Bart. *in l. Cunctos populos, quæst. 5. C. de sum. Trinit. & fid. cath.* Doctores in eam abjerunt sententiam, edicta Principum sæcularium condita ex honesta causa, & Ecclesiæ privilegia non lædentia, eam tamen & Clericos non ligare, ut post Jo: de Lign. tradit Abb. *in 1. not.* Anchar. *in 3.* Imol. *sub num.* 11. Butr. *sub num.* 20. Felin. perperam in contrarium citatus *n.* 81. Dec. *n. 233.* & Mant. *sub n. 1. in c. Ecclesia S. Mariæ de const.* qui alios referunt de communi attestantes Jo: Bapt. de S. Sever. *in d. l. cunctos populos, n. 185.* ibidemque Alban. *num. 98.* & latissimè Surd. *cons. 2. n. 32. & seq.* ac insigniter Lap. *alleg. 92. per tot.*

Nec juvat, quod Bartoli traditio saltem procedat, si 4
edictum emanaverit ob bonum publicum juxta Covarruviam, & Mexiam ab Adversariis adductos. Quia ejus invaliditas provenit ex defectu potestatis ad text. *in d. cap. Ecclesia S. Mariæ*. Causa verò non est illa, quæ tribuit authoritatem, ut respondet Bald. *in d. l. Cunctos populos sub n. 55.* benè, ac latè Butr. *in d. c. Ecclesia sub num. 2.* inquiens, nullitatem Edicti quoad Ecclesias non provenire a qualitate causæ, sed a potestatis defectu, qui semper & indistinctè nullitatem producit. Consentit Dec. *sub num. 233.* Crot. *in l. filiusfamilias, §. Divi, n. 80. in fin. ff. de leg. 1.* Surd. *d. cons. 2. n. 33.*

Hinc fortiùs infertur, quod edictum evidenter Eccle- 5
siæ favens, si tamen præceptivè, aut prohibitivè conceptum est, defectu potestatis non comprehendit Ecclesias, earumve bona, ut probat textus *in d. c. Ecclesia*, ubi Dec. *in 1. concl.* Abb. *num. 88. cum seq.* Barbat. *n. 2.* & Mant. *in 1. not.* Et in edicto condito a Duce asserit Socin. Sen. *cons. 56. n. 1. lib. 1.* Navar. *cons. 4. num. 5. lib. 1. de constit.* Neapod. *in consuet. Neap. in proœmio, n. 309. cum seq.* Nec in his terminis dissentit Covarruvias malè pro contraria sententia adductus *in cap. Possessor, p. 2. §. 4. n. 9.* qui loquitur de statuto nihil directè præcipiente in re Ecclesiæ, sed illius molendinis in consequentiam damnum afferente. Quo casu ratione subjecti tenet statutum de re sæculari immediatè disponens, sed interdum nullum redditur, si deprehendatur factum in fraudem Ecclesiæ, ut illi indistinctè damnum inferat. Nimirum, si tunc causa edicti ponderetur, & constet conditum fuisse ob bonum publicum, cessat fraudis suspicio, & valet statutum, ut observat Gabriel. *cons. 37. sub n. 5. lib. 2.* At ubi subjectum immediatum exemptum est a jurisdictione statuentis, impossibile est edictum valere ratione causæ concernentis bonum publicum, cùm causa authoritatem non tribuat, ut superius diximus, & firmat Felin. *in dict. cap. Ecclesiæ, num. 96.* & Dec. *num. 186. & seq.*

Neque satis apertè ad contrariam conclusionem fir- 6
mandam allegantur text. *in c. Non minus, §. Quo circa de immun. Eccles.* ibique Anchar. Abb. Iser. & forsan alii *in c. 1. §. Illicitus, n. 36.* & ibi Afflict. *n. 23. de pact.* Par. de Put. *de re integr. feud. c. 14. n. 26.* Luc. de Pen. *in l. fin. n. 8. C. de exact. trib. l. 10.* Barbat. *cons. 1. l. 3.* Rip. *de remed. ad conserv. uber. nu. 324.* Guidop. *dec. 7. & 78.* Gulielm. Benedict. *in c. Raynutius, n. 468. & 470. de testam.* His enim in locis illud agitur, an Clerici teneantur contribuere ad expensas necessarias pro bono publico, & licet citati Authores concludant teneri, de quo nos alibi, non ex eo id deducunt, quod lex Principis sæcularis liget Ecclesias, & Clericos, sed ab ipsius rationis naturalis vinculo, & efficacia, ut apud Anchar. *in d. cap. Non minus, num. 8.* & agnoscit Luc. de Pen. *in l. 2. n. 2. & 8. C. de quib. mon. & præst. nemini lic. lib. 10.* Qua de re plura excellenter Delbene *cap. 8. de Immun. dub. 2.* Immò clarè hanc obligationem a lege sæculari provenientem in his, quæ publicum respiciunt bonum excludit textus *in d. cap. Non minus*, ubi Abb. *sub num. 2.* inquit, si necessitas, vel utilitas directè, & principaliter utilitatem Ecclesiæ, & laicorum concernit, tunc Ecclesiam debere contribuere, non tamen ad solam deliberationem laicorum, sed oportere Clerum, & populum principaliter convenire & deliberare. Nec idcircò totius

popu-

populi deliberatio Clerum obligabit, aut è contra. Cùm enim agatur de utilitate utriuſque oportet profectò conſenſum utriuſque intervenire. Quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, *c. 1. de cenſ.* Quod ſi Clerus nollet conſentire ſine cauſa legitima, populus poſſet implorare officium Superioris Eccleſiaſtici, ut Clerum ad conſentiendum, & contribuendum compelleret. Idem tradit Iſernia in contrarium adductus *eod. §. Illicitus, num. 36.* & præter alios clarè docet Jo: Anton. de Nigr. *in repet. extr. de vit. & honeſt. Cler. num. 283. & ſeq.* ubi alii quamplures.

7 Nos verò hic non quærimus, an teneantur Clerici aſſentiri huic remedio reſpicienti bonum publicum, contendimus quidem ob edictum Principis ſæcularis Clericos non ligari, cùm cauſa commodi publici, & communis non tribuat illi poteſtatem in Eccleſiam, & Eccleſiaſticos, eorumque bona. Neceſſe eſt igitur, ut concurrat deliberatio Cleri, hoc eſt Epiſcoporum, cujus juriſdictioni ſubjectæ ſunt Eccleſiæ, & earum bona, in quo præcitatæ authoritates non repugnant.

8 Demum non ſubſiſtit illa ratio, facultatem condendi decreta pro bono regimine ſtatus civilis ſpectare ad ſolùm Principem ſæcularem, & ideò Clericos peccare, qui non obſervant ſimilia edicta, ut ſcribunt Victor. *de poteſt. Eccl. relect. 1. ſect. 7. n. 4.* Molin. *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 31. §. ſext. concluſio*, Sot. *eod. argum. lib. 1. qu. 6. art. 6. & in 4. d. 25. art. 2.* quem ſequitur Franc. *dec. 9. n. 3.* Navar. *in Man. cap. 25. num. 88.* Si enim in eum ſenſum hoc accipiatur, ut edictum vi legis adſtringat Clericos, & Eccleſias, nullo jure defendi poteſt. Jura enim divina, & humana Eccleſias, & earum bona a poteſtate Principis ſæcularis eximentia indiſtinctè loquuntur, nec hujuſmodi patiuntur reſtrictionem. Sed amplius repugnat concluſionibus communi calculo firmatis. Cui enim dubium quin leges imperiales contentæ in univerſo juris civilis corpore, vel omnes, vel pleræque reſpiciant bonum hoc regimen ſtatus civilis? Quæ tamen in ſpecie de Clericis, aut Eccleſiarum bonis diſponunt poteſtatis defectu nullæ pronunciantur, ut diſertiſſimè ſtabiliunt omnes *in d. c. Eccleſ. S. Mariæ* poſt Abb. *num. 15.* Dec. *num. 88.* Generaliter verò loquentes ſervantur in Clericis, non tanquam ab Imperatoribus conditæ, ſed uti per ſummos approbatæ Pontifices, Butr. *in d. c. Eccleſiæ, n. 17.* & ante eum Hoſt. *in cap. fin. n. 11.* & Jo: Andr. *n. 4. de ſolut.* Archidiac. *in c. lege Imperatorum, d. 10. n. 8.* quos ita intelligentes ſequuntur Anchar. *in cap. Canonum ſtatuta, n. 45. de Conſtit.* Imol. *in d. c. Eccleſiæ, n. 9.* Neapod. *in d. conſuet. Neapol. in proœm. n. 311.* Dec. *n. 107.* inquiens ſervari virtute talis approbationis, non virtute legis civilis. Quod comprobat Mant. *poſt med. n. 23.* ibi: *Sic dicta lex civilis in foro canonico ſervatur, non quia lex quicquam ſtatuerit, ſed quia Canon approbat diſpoſita a lege civili.* Idem expreſſit Anaſt. Germon. *animadv. lib. 1. cap. 12.* Atque ob id licet Ripa *in d. tit. de remed. ad conſerv. ubert. num. 235.* ſentiat, Clericos teneri ad ea, quæ neceſſaria ſunt faſubritati aeris, vel aeris conſervationem, & bonum civitatis ſtatum reſpiciunt, tamen *num. 112.* habet pro conſtanti, eos non ligari edicto Principis ſæcularis. Quod plenè confirmat Grammat. *dec. 100. n. 15.* Sic & Vaſquez ex adverſo citatus *de ſucceſſ. §. 10. ſub num. 648. verſ. Et Hiſpaniæ uſuvenit cupiens ſubjicere Clericos hujuſmodi edictis Regiis*, inquit tamen, *id in eis non ſat expeditum eſſe, licet ſit æquum*: & tamen innititur approbationi Pontificiæ. Gabriel verò *conſ. 37. n. 1. lib. 2.* conſulens pro juriſdictione ſæculari non audet revocare in dubium invaliditatem edicti, quoad Clericos. Legendus in hanc ſententiam Delbene cùm *de Immunit. loco alleg.* in quo argumento palmam omnibus præripuit, tum opere luculento, & eo ingenio, ac nobilitate digno, quod *de Parlamentis* inſcripſit *dub. 4. ſect. 17. & ſub ſect. 10.* ac alibi.

9 Et quidem Victoria, Sotus, & Molina, licèt in facultate theologica excelluerint, in hoc tamen argumento ad Canoniſtas, & Juriſperitos verè ſpectante, nullum adducunt ſolidum fundamentum hujus aſſertionis, ſi ea, prout ſupra, intelligatur. Eſto enim pertineat ad Principem regimen civitatis, & conſequenter cura condendi edicta ad bonum ſtatus regimen pertinentia negamus hinc neceſſariò inferri poſſe, eum per modum ſuperioritatis, & juriſdictionis ligare Eccleſias, & Clericos proprio edicto, ſummum verò Pontificem, vel Epiſcopum non poſſe decreta condere circa ea, quæ per Clericos, & in bonis Eccleſiarum fieri, & omitti expediat. Non enim idcircò dicetur ipſe civitati legem imponere, nec ideò minus ſæcularis Princeps politico regimini regulam præſcribet. Quamobrem Abb. *in d. c. Non minus num. 21.* quem alii relati ſequuntur luculenter concludit in concernentibus regimen, & conſervationem civitatis Clerum non ligari ſola ſæcularis poteſtatis deliberatione.

Sano itaque modo accipienda ſunt tradita a viris doctrina, & pietate inſignibus. Cùm enim longè major ſit laicorum numerus, cui dubium, quin in his, quæ corporis, & rei familiaris ſalutem, commodumve reſpiciunt magis, ac frequentius ſæculari Principi invigilandum eſt, quam Præſuli Eccleſiaſtico? Ea propter mirum non eſt, ſi condito per eum generali edicto circa victualium qualitatem, pretium vel alio ſimili concludant præcitati Doctores, peccare Clericos illud tranſgredientes; non quidem quia vi legis adſtringantur ex his, quæ ſuperius adduximus, ſed vel ratione naturali, vel ob præſumptam juſtitiam ejus, quod ab ipſo Principe definitum eſt. Cùm enim Prælatus tacendo videatur agnoſcere illud juſtum eſſe, hinc Clerici adſtringuntur. Hoc modo intelligitur Navarrus contra nos adductus *in man. cap. 23. nu. 88.* inquiens Clericos una cum bonis Eccleſiarum exemptos eſſe a juriſdictione edicentis; teneri tamen non vendere res ſuas ultra juſtum pretium, & illius juſtitiam ſatis probari ex determinatione Principis ſæcularis, hortaturque Principes Eccleſiæ, ut propriis edictis taxas factas per ſæculares juvarent. Concivit Ludov. Lopez, & Jacob. de Graff. *lib. 2. deciſ. cap. 57. num. 14.* & latius Ignatius, Lopez *ad Diaz. cap. 51.* ac reſolvit Bannez *de juſtit. & jur. quæſt. 67. art. 1. ad 2.* 10

Quamvis autem, qui hanc doctrinam impugnant etiam Clericorum reſpectu ſcrupulum injiciant, tamen omnis conatus dirigitur in Colonos, & conductores bonorum Eccleſiæ, qua in re extat receptiſſima concluſio, edicta Principum ſæcularium circa bona Eccleſiæ nihil ſtatuere poſſe. Ita *c. Quæ in Eccleſiarum de conſtit.* ubi notat Abb. *in 3. not. num. 2.* Butr. *num. 3.* Zabarel. *num. 2.* Imol. *num. 6.* Dec. *num. 16. & ſeq.* ubi ampliat etiamſi edictum ſit ex cauſa juſta. Idem approbant Ber. *num. 5.* Mant. *num. 6. & 7.* & Rimin. jun. *num. 61. & 62.* Grammat. *d. dec. 100. num. 10. in fin. & num. 71.* Nam facultas condendi edictum pendet a juriſdictione, ut ſcitè Bart. *in l. Omnes populi, num. 1. qu. princ. ff. de juſt. & jur.* ubi alii. Atqui Princeps ſæcularis nullam habet juriſdictionem in bonis Eccleſiarum ex Doctoribus jam citatis, & præter eos. Dec. *in 1. c. Eccleſiæ, num. 90.* ac Neapod. *loco alleg. num. 312.* 11

Satis verò perſpicuum eſt ex Superioribus, edictum immediatè diſponens de re exempta, puta de perſona Clericali, vel bonis Eccleſiarum, nullum eſſe, defectu poteſtatis, qui ſanari non poteſt ob qualitatem cauſæ. Hoc autem edictum vetando exempli cauſa, ne oriza ſeratur in bonis Eccleſiæ, de eis diſponere dicitur. Quia etſi priori loco præceptum in perſonam dirigatur, terminatio mox terminatur in bona, & effectus edicti habet pro verò, & ultimo ſubjecto ipſa bona, ut obſervat Cyn. *in d. l. Cunctos populos, num. 11. C. de ſumm. Trinit. & fid. cath.* Qua ratione communiter rejicitur opinio Bart. *in d. l. Cunctos populos, num. 42.* qui circa ſucceſſionem putavit, ſtatutum in perſonam conceptum non intelligi diſponere de rebus ipſis, inferens, locum ideò non habere in bonis jacentibus in territorio ſtatuentium, quibus forenſis ſuccedere vellet. 12

Hoc tamen Bartoli placitum ruinoſum eſt. Quia hujuſmodi ſtatutum dicitur diſponere de rebus ipſis, cùm omnis ejus effectus in illa terminetur. Quod rectè expedit Anchar. *in d. repet. c. Canonum ſtatuta numer. 214.* Alex. *conſ. 16. num. 7. lib. 2.* cum aliis relatis per Alban. *in d. l. Cunctos populos, nu. 22.* Rot. *dec. 295. n. 8. & 9. part. 1. rec.* ac Brun. *de ſtat. quod extant maſc. fœmin. non ſucc. art. 6. n. 16. & ſeqq.* quo loco egregiè probat, ubi præceptum directum in perſonam non poteſt adimpleri, quin attingantur bona in effectu directo, de bonis diſpoſitum dici. Et ideò ſi fœmina prohibetur ſuccedere in bonis patris, extantibus maſculis, cenſetur ſtatutum diſponere de bonis. Eandem ſententiam amplectuntur Soc. jun. *conſ. 25. n. 12. lib. 3.* Pariſ. *conſ. 84. n. 44. & ſeq. lib. 1.* Cravet. *conſ. 467. n. 2. & ſeqq.* recentiores ad Alex. *conſ. 44. l. 6. in 1. addit.* Peruſin. *conſ. 59. n. 26.* qui profitetur hanc eſſe magis communem, ac in praxi receptam ſententiam. Edictum enim prohibens unicuique perſonæ, ne ſerat orizam in bonis in ipſo deſcriptis neceſſariò habet pro ſubjecto immediato ipſamet prædia, perſona verò in edicto comprehenditur ratione bonorum, & facti in eis explicandi. Ubi autem duo propter unum, ibi unum *l. Qui libertate, §. ſervus*, ubi Bald. *ff. de evict.* Et ex duobus in ſtatuto comprehenſis, illud pro ſubjecto habetur, in quo tanquam principali terminatur ejus effectus, Alber. *de ſtat. l. 3. q. 59. n. 3.* Atque ideò coloni, ſeu conductores bonorum Eccleſiæ, licèt conſiderata tantùm eorum perſona, ſubjecti ſint juriſdictioni 13

sæculari, si tamen ratione bonorum Ecclesiæ aliquid præcipiendum est, ab ea omninò exempti, & foro Ecclesiæ suppositi dicuntur. Ita declararunt plerique non rectè in contrarium relati, nempè Specul. *de comp. jud. Addit.* §. 1. *n.* 27. Abb. *in cap.* 2. *post med. num.* 6. Butr. *num.* 6. *de for. comp* Marian. Soc. *in cap.* 1. *num.* 8. *eod. tit.* Nec dissentiunt Natt. *cons.* 536. *n.* 3. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 9. *in fin. num.* 88. Jo: Anton. Nig. *in d. repet. extr. un. de vit. & honest. Cler. in fin. num.* 91. Addit. ad Felin. *in d. cap.* 2. *num.* 2. *de for. compet.* ut universum quoties laicus convenitur actione concernente rem Ecclesiæ, spectat semper causa ad Judicem Ecclesiasticum, Innoc. *in cap. si Clericus, de for. compet.* quem ibi declarat, & sequitur Zabarel. & Anchar. *num.* 1. & 2. ac fusius Marian. Socin. *post princ. num.* 15. Ideòque Bart. *cons.* 187. *part.* 1. loquens de statuto, quod quilibet conductor possit recedere a bonis conductis, concludit non valere quoad conductores Ecclesiæ. Quod admittit Felin. *in d. cap. Ecclesiæ, num.* 104. ac Dec. *num.* 181. Qui inquit Bart. *sub n.* 1. non possunt laici quicquam statuere circa res, & bona Ecclesiastica. Supponit enim pro constanti hujusmodi statutum, licet in personam conceptum, verè tamen disponere de bonis, cùm ejus effectus illa respiciat. Perspicuè idem asserit Joan. Bapt. de S. Severino *in repet. d. l. Cunctos populos, n.* 190. Non est ergo dubitandum, quin edictum disponat directè de bonis, dum eorum cultui formam præscribit. Id quod evidentiùs apparebit ex illius inspectione.

14 Neque est, quod moveamur vulgaribus exemplis, quæ proferri solent ad probandum Colonos Ecclesiarum esse sub jurisdictione sæculari, ut præter Gabr. *cons.* 37. *num.* 4. & ab eo citatos probarunt nonnulli alii modò deducti. Hincque fieri, ut inquilinus bonorum Ecclesiæ ligetur statuto, formam certam ædificii præscribente, adeòut contraveniens per sæcularem puniri possit. Quod voluit Salic. *in auth. Cassa, & irrita, numer.* 12. Et famulus Ecclesiæ damnum inferens cum suis animalibus subjaceat statuto de damnis datis, & punitur juxta ejus dispositionem, Grammat. *cons.* 104. *numer.* 14. *& seq.* Demum, quòd a Colono Ecclesiæ collecta exigitur, Thesaur. *decis.* 116.

15 Ea enim confutantur. Primò, quia ut jam diximus, colonos, quantum ad suam personam, cùm laici sint, sæculari jurisdictioni subditos esse, quod probant jura, & authoritates in contrarium citatæ. Non itidem si ratione bonorum Ecclesiæ conveniantur, vel aliquid eis præcipiatur. Tunc quippè subjacent foro Ecclesiastico, sicut & ipsa bona; nec repugnant illationes. Nam Salicetus permittit statutum ligare Clericos, & res Ecclesiæ. Quòd si ita est, necessariò inquilinus adstringitur. Sed primum falsum est, quia statutum non ligat Clericos, vel bona Ecclesiarum juxta conclusionem initio comprobatam. Fundamentum autem Saliceti *in l. Administrationem, C. de sacros. Eccles.* corruit, cùm tritum sit, leges disponentes in specie de re Ecclesiæ haberi pro invalidis, nisi reperiantur canonizatæ. Ita passim Doctores, præsertim Abb. *in rep. d. c. Ecclesiæ, num.* 15. Felin. *num.* 40. Dec. *num.* 88. *cum seqq.* ac Mant. *num.* 18.

16 Quod verò ad Grammaticum, neminem ille citat in terminis præter Butrium *in cap. Gravem de sent. excomm.* ubi relato Vincentio, & Abbate antiquo, ipse *num.* 18. ita perplexè loquitur, ut vix percipiatur resolutio. Quod advertunt Felin. *in d. cap. Ecclesiæ, num.* 104. Parpal. *in l. Placet in fin. num.* 88. *C. de sacros. Eccles.* Item statutum quatenus afficiat animalia Clericorum non valere sentit post Afflictum Chassan. *in consuet. Burgund. rubr.* 1. §. 6. *numer.* 15. Rursus statutum prohibens damnum cum animalibus inferri, non tàm dicitur disponere de re Ecclesiæ, quàm consulere, ne aliquis utatur rebus alienis, invito Domino, ut per Luc. de Pen. *in l.* 2. *ante fin. num.* 2. *C. de navib. non excus. lib.* 11. Quod planè diversum est a casu nostro. Prohibetur enim ne seratur oriza in bonis Ecclesiæ, quòd manifestè concernit fructum, & possessionem bonorum, eam non parum lædendo, quod efficit, ut de bonis edictum disponat; idcircò non satis aptè exemptum illud adducitur.

17 Postremò non refragatur conclusio subjiciens collectis colonos Ecclesiæ. Quia si vera est (de qua nunc non expedit differere) restringitur a Doctoribus, ad partem colonicam, quæ penitùs separata est ab ipsis bonis, ut declarat Thes. *d. dec.* 116. *num.* 12. Quare si pars colonica spectaret ad Ecclesiam colentem propria bona famulis conductis, nunc nihil exigitur. Hoc itaque exemplo, si utendum est, non valet edictum controversum prohibens seri orizam in parte dominicali, Burs. *cons.* 42. *num.* 7. & Thesaur. *d. dec.* 116. *in fin.*

18 Multò minus obstat, jurisdictionem territorio cohærentem in Bonis Ecclesiæ spectare ad solum Principem, & ideò laicum in eis contravenientem illius edicto, ab illo puniri debere. Quia omissa inutili disputatione circa veritatem hujus conclusionis, ea concessa, non inde deducitur allegata consequentia. Non enim in controversia positum est, quis puniat laicum delinquentem in bonis Ecclesiæ; sed quis statuere possit modum colendi bona ipsa. Prius verò de prohibitione quærendum est, quàm de contraventione agatur. Sanè non obstante jurisdictione, quæ territorio cohæret, certum est, Principem, nec in spiritualibus, nec in temporalibus quicquam de bonis Ecclesiæ statuere posse, ut inquit Gloss. *in d. cap. Quæ in Ecclesiarum*, ubi omnes. Quo posito, ruunt spontè sua omnia ab Adversariis proposita. Quia dici non poterit laicum ferentem orizam in bonis Ecclesiæ contravenire edicto Principis, quotiescunque ab eo non ligatur.

Atque ex his intelligimus, an rectè senserit Gabr. 19
cons. 37. *lib.* 2. dum suppariisitando Magistratibus sæcularibus, qui eum consulerant, fatetur edicto non adstringi Clericos, hoc est Ecclesiarum bona; nihilominus affirmat colonos eodem edicto ligari, dissimulans subjectum edicti non terminari in personam Coloni, sed in ipsa bona, & proinde cùm ratione bonorum invalidum sit, Colonos in eo non comprehendi, cùm id fieri nequeat, quin & bona attingantur, in quibus terminis cùm ratione subjecti exempti edictum sit nullum, frustrà causa ponderatur, ut sæpius probavimus. Sicuti autem non pertinet ad Principem sæcularem statuere, quid in bonis Ecclesiæ fieri, vel quo pacto coli debeant, ita dubitandum non est, quin hoc spectet ad summum Pontificem, & locorum Ordinarios, Tum quia exclusio unius est necessaria inclusio alterius. Tum quia passim traditum est, statuta de rebus Ecclesiæ pendere ab ejusdem potestate, *d. cap. Ecclesiæ S. Mariæ, c. Benè quidem* 96. *d.* cum aliis citatis a Dec. *in d. cap. Ecclesia, cap.* 89. & 90. Henr. Boic. *de synod. Episcop. par.* 3. *art.* 1. *num.* 171. Ita videmus in Conciliis Provincialibus plura decreta fieri circa bona Ecclesiæ, eorum possessionem, & conductores, ac sicuti temerè in dubium revocandum non est Episcoporum auctoritas, ita inanis est ea disceptatio, utrum Episcopus possit condere statuta pœnalia contra laicos, illud puniendo tanquam delictum, quod aliàs licitum erat? Nihil enim revera pertinent hæc ad præsentem inspectionem cum agatur de edicto bona Ecclesiæ concernente, in quibus certum est non licere cuique quicquam facere circa possessionem, & dominium, quod Ecclesiasticis personis repugnet. His ergo & quibusdam aliis consultò aliter non respondetur.

Neque obstat, quod laicus a potestate sæculari non 20
eximatur, etiamsi delinquat in bonis Ecclesiæ, cùm jurisdictio territorio in eis bonis cohærens spectet ad Principem. Nam si laicus delinquit in bonis Ecclesiæ, ut in territorio, puta in eis existens homicidium committit, cessat exemptio, & laicus punitur a Principe, domino territorii. Si verò delinquat in bonis Ecclesiæ tanquam in subjecto delicti, tunc ratio territorii, & jurisdictionis illis cohærentis non intrat, sed videndum est, an per illud factum incidat in legem Principis sæcularis, vel contraveniat statutis Ecclesiæ. Hoc enim posteriori casu foro, & jurisdictioni necessariò subjicitur Ecclesiasticæ, cujus ligatur, & contravenit edictis, Gloss. & Doctores *in cap. si Clericis de for. comp.* Alex. *cons.* 210. *num.* 7. ubi Add. *lib.* 2. Dec. *in d. cap. Ecclesiæ, numer.* 15. & alibi sæpè. Rectè igitur ita res hæc deducitur: Præscribere quid possit, vel non possit fieri in bonis Ecclesiæ, tàm a Clericis, quàm a laicis spectat tantum ad potestatem Ecclesiasticam. Propterèa laicus ferens in dictis bonis, licèt diceretur delinquere in territorio Principis, quod aliter hic non discutitur, tamen quoad eum non delinquit, sed tantum quoad Ecclesiam, & ideò ab ejus tantum Judice puniri debet.

Atque ita cùm sæpissimè resolutum est a Sacra Con- 21
gregatione Immunitatis, tum præsertim ann. 1576. quo tempore hujusmodi controversia, negotio maturè discusso, ita sopita fuit ad favorem Ecclesiæ, ut eodem anno tria hujusmodi edicta, & successivis temporibus, ita multa edita fuerint, ut mirum sit rem decisam in dubium amplius revocari. Quod tandem ab eadem Sacra Congregatione sub anno 1626. discussum pro Ecclesia censuit.

CON-

CONSULTATIO CLXVII.

An satellites Curiæ sæcularis possint armis spoliare confugientes ad Ecclesias, & loca immunia?

1 DE hac re Theologi, & Canonistæ dissentiunt. Utrorumque rationes collegit Delben. *de Immun. cap. 16. disp. 30. n. 7.* quas omnes hoc loco prolixè adducere instituti nostri non est, potestque is loco allegato videri.

2 Pro sententia affirmativa stant quamplurimi. Verùm contra sunt alii, qui hanc sententiam planè rejiciunt, inter quos non postremus fuit Ciarlinus, qui peculiari disputatione illam impugnavit. Deinde etiam alii id impugnarunt, & inter eos Sperellus, licet, ut ingenuè loquar, suo modo rem non satis explicarunt.

3 Pro negativa igitur stat clara dispositio Theodosii, & Valentiniani Imperatorum *in l. Pateant, §. hos verò, C. de iis, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Hos verò, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant prænonemus. Dein si telis cincti quovis Ecclesiæ loco, vel ad Templi septa, vel circa, vel extra sint, statim eos, ut arma deponant authoritate Episcopi a solis Clericis severius conveniri præcipimus, data eis fiducia, quod Religionis nomine melius, quàm armorum præsidio muniantur. Sed si Ecclesiæ voce moniti post tot, tantorumque denunciationes noluerint arma relinquere, jam clementiæ nostræ apud Deum, & Episcopum causa purgata, armatis, si ita res exegerit, intromissis, trahendos se, abstrahendosque esse cognoscant, & omnibus casibus esse subdendos. Sed neque Episcopo inconsulto, nec sine nostra, sive Judicum in hac alma Urbe, vel ubicunque jussione armatum quempiam ab Ecclesiis abstrahi oportebit, ne si multis hoc passim liceat, confusio generetur.*

4 Quod quidem post Constitutionem Gregorii XIV. est omninò indubitatum, adeò quod casus iste sit in ea comprehensus ad effectum incurrendi censuras in eadem inflictas, cùm expoliare armis ad Ecclesias confugientes, illa extrahendo sit accessorium extractioni personæ confugientis, illiusque naturam sequatur. Immò sit pars ipsiusmet extractionis personæ, cùm ex privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ persona conservari debeat in eo statu, in quo erat tempore confugii *ex capit. Definivit 17. qu. 4.* cum concordantibus. Et in puncto ex dispositione ejusdem Constitutionis firmavit Peregr. *de Immun. cap. 13. n. 5. & 6.* quem refert & sequitur Dian. *tract. 1. resol. 8. par. 1.* aliique quamplures.

5 Et licet Riccius *dec. 124. par. 4.* ac plerique alii contrarium voluerint, nihilominus semper Sacra Congregatio Immunitatis approbavit opinionem contrariam, & præsertim de voto Cardinalis Bandini, qui dictam Constitutionem compilavit, id declaravit in una *Cajetana* sub die 21. Martii 1628. sequens declarationem præcedentem in una *Neritonen.* die 16. Januarii ejusdem anni, & posteà in *Sorana*, & *S. Severinæ* sub die 4. Decembris ejusdem quoque anni, ac in una *Motulensi* sub die 11. Aug. 1631. & in una *Castren.* die 13. April. 1632. & in aliis sæpè.

6 Atque hac ratione inolevit stylus ejusdem S. Congregationis, ut bona, quæ secum confugientes attulerunt ex dispositione ejusdem Constitutionis extrahi non possint, nisi præcedat specialis facultas ipsius S. Congregationis pro illorum extractione. Ita in una *Derthonen.* sub die 11. Martii 1625. & in una *Januen.* sub die 3. Junii ejusdem, & in una *Mediolanen.* sub die 16. Julii 1626. & in una *Neritonen.* die 17. Jan. 1628. & in una *Placentina* die 21. Maji ejusdem anni, & in una nullius *Castri Durantis* sub die 19. Augusti 1630. Adeòut in regestis ejusdem S. Congregationis extet formula ordinaria hujusmodi facultatis concedendæ.

7 Idem etiam censuit S. Congreg. Concilii, præsertim sub die 30. Septemb. 1616. apud Aldan. *in comp. can. resol. lib. 3. tit. 8. n. 16.* & Barbos. *ad Concil. sess. 15. de ref. c. 20. n. 28.* ac sub die 17. Jan. 1628. & die 18. Maji 1631. apud Sperellum *dec. 127. n. 26. lib. 2.* & sub die 24. Julii 1634. apud Delben. *de Immun. cap. 9. dub. 6. sect. 3. n. 9.* & ad literam apud Ciarlinum *contr. jur. cap. 15. n. 87. lib. 1.* Adde tradita per Sperellum *d. dec. 127. n. 12. compluribus seqq.* per Ciarlinum *d. can. 15. per tot.* & per Pasqualigum *dec. moral. 570. num. 1.*

8 Hæc omnia, etsi plana sint ex ipso jure Canonico, & civili desumpta, ubi id eorum Interpretes clarè docent; tamen ne victas manus porrigere cogantur Covarruvias, ejusque sequaces, inter quos etiam Sanchez *cons. moral. lib. 4. c. 1. dub. 14.* in quo opere minus rectè de Immunitate Ecclesiastica sæpiùs sentit, defendunt, quod actus expoliationis armorum non sit actus jurisdictionis, sed protectionis cuilibet permissæ, eòque magis Curiæ Principis, ad scandala evitanda, & quietem in Civitate servandam. Ita Covarr. *var. res. lib. 2. cap. 20. num. 28.* Cutell. *de Immun. lib. 1. qu. 8. n. 7.* Delben. *c. 16. de Immun. dub. 30. num. 7.* Arias de Mesa *var. resol. lib. 3. cap. 25. num. 16. in fin.* & alii quamplures. Hic murus æneus ille, sed qui intorta jacula retorquet.

Unde frustra in hoc argumento solvendo nonnulli laborant. Nam procedit juxta terminos suppositos in *d. l. Pateant, vers. sed neque*, quod scilicet id fieri nequeat inconsulto Episcopo. Prætereà rectè animadvertit Alder. Mascard. *de general. stat. interpr. concl. 1. num. 142. propè fin.* id solùm posse admitti stante scandalo præsenti, cui aliter opportunè nequeat provideri; tuncque etiam, si fieri potest, Episcopus requirendus est, teste Martha *de jurisd. p. 4. conf. 7. num. 180.* 9

Hinc liquet benè ac rectè sensisse Sperellum *d. dec. 127.* Ciarlinum *d. cap. 15.* & alius concludentes pro negativa, quod sit actus jurisdictionis omninò prohibitus, ac proinde falsa esse, quæ Cutellius, cæterique afferunt, & ab antiquo jure cum civili, tùm canonico aberrare, quantuncumque sub venerandæ antiquitatis schemate ea venditare conentur. Ita quidam, ut quocunque se vertant quid id negant, idipsum tamen, seu inviti, seu inscii concedere cogantur. 10

CONSULTATIO CLXVIII.

An decretum S. Congregationis controversiis jurisdictionalibus præpositæ super cognitione causarum damnorum datorum etiam in statu Ecclesiastico sit omnino servandum? Tenor autem decreti est hujusmodi.

DIE 6. Novembris 1627. *in una Terracinen. Sac. Congregatio Cardinalium controversiis jurisdictionalibus, præpositorum censuit causas damnorum datorum per Clericos, & Ecclesiasticos, seu per eorum animalia, nec non per familiares, ministros, & colonos Episcoporum & mensæ Episcopalis etiam laicos, seu eorum animalia in bonis quibuscunque, tàm Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, quàm etiam laicorum spectare ad Curiam Episcopalem privativè. Si verò laici, eorumve ministri, & animalia damnificent bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum Curiam Episcopalem procedere posse tanquam in causis mixti fori. At quando coloni, & ministri Ecclesiarum, Clericorum, & Ecclesiasticorum cum animalibus propriis bona laicorum damnificant, cognitionem, tàm quoad bona, quàm quoad personas laicorum, & eorum animalia spectare ad Judicem laicum privativè. Sed si cum animalibus Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum, quoad personas, spectare ad laicum, quo verò ad animalia spectare ad Curiam Ecclesiasticam, nisi ex consuetudine Ecclesiasticis competat.* 1

Respondeo affirmativè. Quia post maturam discussionem emanavit a supremo Tribunali prævio ordine Sanctissimi, & cum summa vigilantia Cardinalium Bandini, & Magalotti respectu Communitatum, & Cardinalis Biscia, ac Cæsii Cameralium respectu etiam interesse Cameræ Apostolicæ in exequutionem jussionis ejusdem Sanctissimi, qui dictum decretum etiam approbavit die 6. Decembris 1627. prævia revisione, ac notificatione Commissario ejusdem Cameræ Apostolicæ absque eo, quod aliquid opposuerit. 2

Secundò, quia est justissimum, cùm jurisdictio super hujusmodi damnis datis, & causarum cognitione illorum occasione spectet secundùm terminos dicti decreti ad Episcopos, tàm de jure communi, quàm ex dispositione Sacr. Concilii Tridentini *cap. 11. vers. Non licet sess. 25. de refor.* ibi: *Jurisdictiones Ecclesiasticas*, quarum appellatione venit jurisdictio super hujusmodi damnis datis, ut in sequentibus declarationibus Sacr. Congregationis ad interpretandum dictum Concilium constitutæ: Sacr. Congregatio Concilii censuit sub illis verbis Jurisdictiones Ecclesiasticas, *cap. 11. sess. 25. de reform.* comprehendi jurisdictionem damnorum datorum. Idem censuit in Feretrana die 1. Decembris 1618. & in aliis frequenter. 3

Confirmatur ex aliis sequentibus declarationibus ejusdem Sacr. Congregationis longè ante dictum decretum speciatim editis, nempè S. Congregatio Concilii jussit dari literas Episcopis, ut jurisdictionem, & immunitatem Ecclesiasticam tueantur, neve permittant Custodes animalium Clericorum ab Officialibus laicis ob causam damnorum datorum divexari. Ac iterùm: S. Congregatio Concilii censuit, statuta prohibentia moram vel ingressum simpliciter, vel ad tempus quibuscunque animalibus, pœnasque huic prohibitioni adjacentes, tàm amissionis alicujus ex animalibus deprehensis, quàm etiam carceris, seu solutionis certæ pecuniæ in dominos vel 4

famulos, eorumve cuſtodes, nequaquam animalia Clericorum, ipſorumque perſonas, aut famulos, ſive cuſtodes comprehendere. Proindeque debere Epiſcopos pro juribus tueri ab hujuſmodi exactionibus. Quæ declarationes habent alias concordantes.

5 Idem confirmatur ex pluribus reſolutionibus S. Congregationis ſuper controverſiis Juriſdictionalibus etiam ante dictum decretum emanatis in cauſis Civitatum Status Eccleſiaſtici, & ſignanter in una Camerinen. die 16. Decembris 1626. in una *Ariminen.* ſub die 12. Martii 1627. & in una S. Severini die 19. Aprilis ejuſdem anni. Ex quibus reſolutionibus eadem S. Congregat. pariter ſæpiùs decrevit, ut per Auditorem Cardinalis Camerarii revocarentur inhibitiones relaxatæ in hujuſmodi cauſis damnorum datorum, ad Epiſcopos eorumve Curias ſpectantibus, prout fuerunt cum effectu revocatæ, ut latiùs in actis apparet.

6 Hoc idem firmavit Rota Romana in *Tudertina* damnorum datorum ſub die 14. Maji 1602. coram Cardinali Lancelloto, in qua reſpondetur motivis in contrarium deductis, quæ deciſio fuit noviſſimè approbata ſub die 9. Junii 1640. coram Ghislerio. A qua quidem opinione nedum non diſſentiunt Canoniſtæ, verum etiam nec Scriptores Regnicolæ, & Hiſpani. Ei enim ſubſcribunt Rendel. *in tract. de paſcuis p. 2. cap. 9. prag.* 100. Diana *de Immun. Eccl. tract. 2. reſol.* 80. *p.* 1. Maxill. *in conſuetud. Barii, ſi animalia, & c. n.* 19. Martha *de Juriſd. p. 4. cent.* 1. *caſ.* 8. *n.* 11. Petr. *in addit. ad dec. Capyc.* 45. Aviles *ad cap.* 17. *Prætor. gloſ.* 1. *cap.* 13. *n.* 7. Squillant. *de privil. Cleric. c.* 7. *n.* 94. Lopez *in prax. ad Diaz. cap.* 58. *n.* 7. cum aliis benè multis.

7 Immò hanc eandem opinionem amplexa fuit Congregatio boni Regiminis, prout in diverſis Congregationibus in præſentia plurium ex Cardinalibus adhuc viventibus reiteratè aſſeruit Cardinalis Bandinus, qui eidem Congregationi boni Regiminis per 35. annos interfuit, ac præſertim reſolvit anno 1617. inter Epiſcopum, & Civitatem Narnienſem.

8 His omnibus adſtipulatur quaſi poſſeſſio Epiſcoporum, ad quorum inſtantiam fuit a Sanctiſſimo demandata diſcuſſio iſtius articuli, & editio dicti decreti, ut conſtat ex Secretaria ejuſdem S. Congregationis ſuper controverſiis juriſdictionalibus.

9 Quibus ſic firmatis non poteſt Communitatibus ſuffragari Motus proprius ſan. mem. Sixti V. Nam etiamſi exhiberetur in forma probante, prout requiritur, in eo non auferetur ab Epiſcopis, ſeu ab illorum Tribunalibus juriſdictio cognitionis cauſarum ſuper damnis datis ſpectans ad eoſdem Epiſcopos. Immò de ipſis, ſeu de illorum juriſdictione, ſeu cauſarum cognitione nulla mentio habetur, quæ tamen individua requirebatur, *c. Quàm periculoſum*, ubi Gloſ. *de ſent. excom. in 6. & in cap. 2. v. Dignitatem, de præb.* etiam *in 6.* & notant communiter Doctores *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſt.* ac tradit Bellett. *diſquiſ. Cler. tit. de diſcipl. Cleric. par. 2. numer.* 26. Et ulterius ſpecialis derogatio juris, eiſdem Epiſcopis, Curiiſve Epiſcopalibus competentis, attento præjudicio juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Gambar. *de poteſt. Legat. in legib. & ſtat. cond. num.* 42. cum ibi fuſè deductis. Nec non ſpecialiſſima derogatio regulæ de jure quæſito non tollendo ratione abdicationis hujuſmodi juris, ſeu juriſdictionis, Seraph. *dec.* 108. *num.* 7. *& dec.* 1310. *num.* 2. Cæſar. de Graſſ. *dec. 3. num. 3. de reſcript.* Put. *in nov. deciſ.* 284. *lib. 3.* Caputaq. *dec.* 30. *par. 3.* Quæ derogatio ſpecialiſſima requirebatur, non obſtante præſumpta, ſeu implicita ſcientia Papæ *ad dec.* Cæſar. de Graſſ. 3. *de reſcript.* & Seraph. modò allegatam *num.* 6. *& ſeqq.*

10 Idemque procedit etiamſi dicta juriſdictio Epiſcopis competeret tantùm de jure communi, circumſcripta conſuetudine, vel alio titulo, Sarnen. *ſuper regul. de jur. quæſ. non toll. quæſt.* 6. Peregr. *dec.* 224. *lib.* 2. Rot. *in Oſcen. Indulti* die 10. Decembris 1603. coram Cardinali Pamphilio cum aliis ibi relatis.

11 Verùm quod intentio Pontificis in dicto Motu proprio fuerit non præjudicare juriſdictioni Epiſcoporum in cauſis ad eorum Curiam ſpectantibus evidenter colligitur ex procemio ipſius, a quo diſpoſitio regulatur, *l. fin.* ubi Doctores, *ff. de hæred. inſt.* Si quidem loquitur de damnis datis, ac uſurpatis a ſubditis temerario modo, de impunitate delictorum, & de ſcandalis, ac damnis, quæ in dies graviora oriri videbantur, nec non de damnis datis in rebus ad Communitates pertinentibus ex conceſſionibus, & privilegiis, prout latiùs in eo continetur. Unde cum hujuſmodi rationes procemii non poſſint applicari juriſdictioni Epiſcoporum, nec cognitioni cauſarum ſuper damnis datis ad illorum Curias Eccleſiaſticas pertinentibus, ad quas ſpectat de jure communi, & ex diſpoſitione S. Concilii ex ſupradictis, conſequenter debet ceſſare ejuſdem Motus proprii diſpoſitio *ad l. Adigere, §. Quamvis de jurepatr.* Qua de re latè Tiraquell. *ceſſ. cauſ. p. 1. n.* 125.

Et maximè cum ipſa quoque diſpoſitiva loquatur de jure competenti ex privilegio, ſeu conceſſione, non autem de competenti ex jure communi; ita ut propterea juri Epiſcoporum in dicto Motu proprio derogatum minimè cenſeatur, Dec. *conſ.* 165. *circa fin.* & facit deciſio Rotæ *in Romana* fideicommiſſi de Vecchis die 23. Junii 1604. coram Litta. 12

Hæc eadem intentio Pontificis colligitur ex modicitate annui affictus in Motu proprio expreſſi, cùm non præſumatur, Pontificem in eo comprehendere etiam voluiſſe jus quoad damna data, & cognitionem cauſarum ſuper illis ad juriſdictionem Epiſcopalem, ſeu Curias Epiſcopales ſpectantium. Quod eſt rei ferè inæſtimabilis. 13

Prætereà eſt prorſus inveriſimile, quod Pontifex voluerit vendere, & pretio in Communitates transferre juriſdictionem Eccleſiaſticam, attenta præſertim illarum incapacitate. Ad quod videatur textus *in cap. Pervenit* 11. *qu.* 1. ibi: *Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi, ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri ille Ordo debuit, confundatur?* Et fusè Graſſ. *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 1. 2. & 10. cum ſequentibus. 14

Ad hæc nimis indecens eſſet Ordini Eccleſiaſtico, & dignitati Epiſcopali, ut pro cauſis paſſivis, & pro damnis datis in bonis Eccleſiaſticis cogerentur Epiſcopi, & Eccleſiaſtici adire Tribunalia ſæcularium contra *c. Si Imperator*, ubi Gloſſa & Doctores *d. 96. cap. Pervenit* cum ibi notatis, *cap. Cùm inferior, de major. & obed.* cum ſimilibus, quæ Sac. Concilium Tridentinum innovavit. 15

Hæc tandem veritas convincitur ex eo, quod poſt dictum Motum proprium fuerunt factæ reſolutiones allegatæ ab omnibus ſupradictis Congregationibus, & ſemel atque iterùm a Rota Romana deciſum fuit. 16

Quapropter non obſtat, quod *cap.* 4. in eodem Motu proprio regeſtum, quo innititur Adverſariorum præcipuum fundamentum, loquatur etiam de Eccleſiaſticis. Cùm enim, ut ſuperiùs dixi, nulla in Motu proprio habeatur mentio de Epiſcopis, ſeu de illorum juriſdictione, dictum Capitulum intelligendum eſt juxta præmiſſa, & expreſſa in procemio, ac diſpoſitivam ejuſdem, videlicet in ſpectantibus ad juriſdictionem temporalem, & in caſibus in eodem decreto expreſſis verſ. *Si verò laici*, & verſ. *At quando coloni*. In his enim caſibus licèt ſecundùm aliquos non adſit repugnantia ſacrorum Canonum, ut Judici laico poſſit competere cognitio cauſarum, negativam tamen tenent multi, quorum opinionem annis elapſis approbavit ipſummet Conſilium Regium Neapolitanum in controverſiis Curiæ Epiſcopalis Caputaquenſis ex rationibus tunc latiùs deductis. 17

Undè cùm in iſtis caſibus diſpoſitio dicti Motus proprii, quæ eſt tertio præjudicialis, poſſit aptè verificari, non debet ad alios caſus extendi in præjudicium juriſdictionis Epiſcoporum, Rot. *deciſ.* 475. *n.* 6. *p.* 1. *div.* & in *Oriolen.* decimarum ſub die 21. Maji 1586. circa fin. coram Orano. Ac præcipuè quia reſpectu aliorum caſuum ceſſant, ut dixi, rationes procemialis diſpoſitionis, & conſequenter ipſa diſpoſitio, Rot. *dec.* 233. *n.* 11. *p.* 1. *div.* & benè facit deciſio videnda in Calaguritana Motus proprii die 15. Junii 1592. coram Pamphilio. 18

Quod autem Pontifex noluerit comprehendere in *dict. cap.* 4. jus competens de jure communi Epiſcopis, eorumve Curiis evidenter etiam ſuadent verba ſubſequentia, quæ reſtringuntur ad habentes jus ex privilegio, ibi: *Non oſtante qualſivoglia privilegio ſotto qualſivoglia titolo conceſſogli dall' iſteſſa R. Camera, o da' Sommi Pontefici, quali s' intendono rivocati.* 19

Addo, quòd cùm dictus Motus proprius dirigatur in perſonam Officialis Burgii ad tempus, & qui adminiſtrabat nomine Cameræ Apoſtolicæ, nunquam extendi poterit ad Communitates in illo non expreſſas, & adminiſtrantes in perpetuum nomine proprio, præſertim cum dictis Communitatibus fuerit per Clementem VIII. retroceſſum. Id quod ab eiſdem fuerat prius avocatum in dicto Motu proprio Sixti V. ut in *col.* 4. *in fin.* & ſequentibus, in quo certum eſt, quod non comprehendebatur, ut dixi, juriſdictio Eccleſiaſtica, ſpectans ad Epiſcopos. 20

Nec propterea obſtat ponderatio, quod Communitates fuerint ſubrogatæ in locum Cameræ Apoſtolicæ. Quia ſubrogatio intelligitur reſpectu juriſdictionis temporalis, qua ipſæ ſunt capaces, & quam ipſæ Communitates priùs habebant ex notatis per Graſſ. *de effect. Cleric. eff.* 1. 21

num.

num. 125. Non autem respectu jurisdictionis Ecclesiasticæ, qua fuerunt & sunt omnino incapaces; & maximè cum in Motu proprio de ista non habeatur mentio, nec illam antea Communitates possederint, dum ab Adversariis prætenditur istam eis competere posse ex dicto Motu proprio Sixti Quinti, qui excludit illam prius possedisse.

22 Neque repugnant literæ Cardinalis Camerarii sub anno 1584. & decretum Sacr. Congregationis Episcoporum. Quinimò comprobant intentionem Episcoporum, cùm loquantur in casibus mixti fori, in quibus a decreto Sacr. Congregationis præservatur cognitio præventiva Judicibus laicis.

23 Itaque decretum hujusmodi non facilè immutandum est, nisi manifestò appareat, novam legem fore præsenti temporum statui commodiorem, nec nova incommoda ex illa mutatione oritura constet. Quia novitas semper suspicionem, ex suspicione querelas, inde commotionem populi, aut Optimatum efficit. Quare in Congregatione habita coram sanctæ memoriæ Alexandro VII. eodem annuente sub die 12. Februarii 1656. fuit decretum, ut sequitur. *Pœnas damnorum datorum exigere valeant Communitates Status Ecclesiastici, eorumque Conductores ad præscriptam Bullæ sa. mem. Sixti V. quamvis damna sint studiosa, reservata facultate Judicibus Ordinariis procedendi contra damnum dantes alias pœnas, quando illis locus sit juxta qualitatem delicti, juris ordine servato. Clerici tamen, & persona, ac loca Ecclesiastica, eorumque coloni & Custodes animalium cum eorundem Ecclesiasticorum animalibus damnum dantes nullo casu possint ea ratione conveniri coram alio Judice, quàm Ordinario Ecclesiastico quoad damni emendationem, & congruas pœnas solvere cogantur præfatis Communitatibus, vel eorum Conductoribus applicandas.*

CONSULTATIO CLXIX.

An Episcopus dum videt contra reum urgere indicia sufficientia ad torturam super casu excepto in Constitutione Gregoriana de Immunitate Ecclesiastica, debeat quoque ad investigationem veritatis quæstionem adhibere, ac tormentis uti, ad eam per dolorem corporis eliciendam ab ipso reo, legitimè interrogando?

1 AFfirmativa quidem suadetur ex præfata Constitutione, quæ dum injungit Episcopo, ut agnoscat, an reus verè commiserit crimen exceptum, ac in hujusmodi veritate excutienda exigit plenam & concludentem probationem, non contenta sola conjecturali & præsumptiva, non censetur a cognitoris solertia adimere facultatem adhibendi quæstionem contra reum, adeò legitimis indiciis gravatum, ut quasi certus sit de delinquente, ac sola illius Confessio deesse videatur, ad text. *in l. 1. ff. de quæstionibus, l. Cùm cognitionaliter* 3. ibi: *Si præstita fuerint ex tanto scelere argumenta, ut videantur accedere ad verisimilia causæ crimina, ipsa quoque mulier torquebitur*, & *l. Miles* 8. *C. eod.* his verbis: *Oportet autem Judices nec in his criminibus, quæ publicorum judiciorum sunt, ad investigationem veritatis a tormentis initium sumere, sed argumentis primùm verisimilibus, probabilibusque uti, & si his veluti certis indiciis ducti investigandæ veritatis gratia ad tormenta putaverint esse deveniendum, tunc id demum facere debebunt, si personarum conditio patiatur.* Ac præsertim, ne dicatur Summum Pontificem voluisse cognitori nominatim electo ad indagandam veritatem, scilicet, an reus verè commiserit crimen exceptum, quod illi impingitur, tollere cognitionem subsidiariam per tormenta reo infligenda, dum veritas aliter haberi non potest, contra regulam *l. Edictum*, quæ est hujusmodi: *Et cum capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari, & investigari possint, quàm per servorum quæstiones, efficacissimas eas esse ad requirendam veritatem existimo, & habendas censeo*, ac *l. Divus Pius* 9. *ff. de quæstionib.* ibi: *Sed si aliter veritas inveniri non possit, nisi per tormenta, licet habere quæstionem*. Quam generaliter procedere tàm in servis, quàm in liberis, ac omni persona tradunt congesti per Farinac. *q.* 38. *sub n.* 4.

2 Eòque vel maximè, quod S. Congregatio Immunitatis non admittit opinionem Gamæ *decis.* 179. & 281. quod scilicet reus tradendus sit quoties super crimine excepto contra eum adsunt indicia sufficientia ad torturam, sed contrariam, quod nequeat ad illius traditionem devenire, nisi cognitio per plenas & concludentes probationes, quod tale crimen verè commiserit. Quam ad partes discussam latissimè comprobat, & potenter a contrariis vindicat Sperell. *dec.* 101. *p.* 2. Nam in hoc dubio melior est conditio possidentis; cùmque delinquens sit in possessione Immunitatis Ecclesiasticæ, ea in dubio spoliari non debet. Et huic sententiæ ipsemet Gama assentiri videtur, dum in fine dictæ *dec.* 281. ait, priorem sententiam esse dubiam. Quia in alio simili, nempè in fœdere de remissione delinquentium, qui certa delicta fecerint, inter Reges Castellæ, & Portugalliæ sæpè vidit judicatum, non faciendam esse, nisi constet de delicto per veras probationes. Quod tenet in terminis Avendagno *lib. 1. de exeq. mand. Reg. cap. 22. num. 9.* & numeris precedentibus affert multa similia ad hoc comprobandum, ac *n.* 4. adducit Glos. fin. *in c. Inter, de purg. can.* & Aret. *in cap. Cum non ab homine, de Judic. n.* 63. Sed ii nihil ad rem dicunt. Solùm enim docent, requiri plenam delicti probationem, ut Clericus degradetur, tradaturque Curiæ sæculari.

Nec prohibitio Concilii Toletani 12. *c.* 10. relati *in c.* 3
Definivit 35. *cauf.* 17. *qu.* 4. decernentis, ut nullus audeat confugientibus ad Ecclesiam quodcunque nocibilitatis inferre videtur convenire torturæ. Quia hæc ad probationem veritatis infertur, non autem ad pœnam reatus ex notatis per Bartolum, & scribentes *in d. l. Edictum*, ac per Marsil. *in d. l. Divus Pius n.* 3. & Cabal. *resol. crim. cas.* 29. *n.* 5.

At contrarium tenendum est. Ita in terminis respon- 4
dit Mar. Ital. *de Immun. Eccles. cap.* 1. *num.* 81. & 82. ubi expressè negat, licere Judici Ecclesiastico torquere reum ad Ecclesiam confugientem, qui indiciatus est ad torturam pro crimine excepto. Quia si Fiscus sufficienter non probet crimen qualificatum, nullæ sunt partes Judicis Ecclesiastici, nisi in remittendo reos ad Ecclesiam. Ejus verba repetit Ciarlin. *controv. for. lib. 2. cap.* 10. *num.* 106. & *seqq.* subdens prudenter, ita in praxi se nunquam vidisse torqueri hujusmodi reos, sed vel dimittuntur, vel Curiæ sæculari relaxantur. Tortura enim est remedium subsidiarium, quo non licet uti, ubi actori incumbit rem plenè probare, alioquin de domo rei sumerentur probationes.

Idemque supponunt Gamas iis *decis.* 179. & 281. ac il- 5
lius asseclæ, quos referunt Giurb. *cons.* 70. *num.* 23. & *cons.* 100. *num.* 28. ac Sperell. *d. decis.* 101. *num.* 16. dum inquiunt, reum, contra quem super crimine excepto urgent indicia sufficientia ad torturam tradendum esse Curiæ sæculari, non autem torquendum ab Episcopo. Quare Merlin. Pignatel. *controv. for. lib. 1. cap.* 64. *sub nu.* 9. sapientissimè ait, impossibile esse cognoscenti de Immunitate Ecclesiastica præcapere certam, & evidentem cognitionem delicti, seu qualitatem ipsius. Quandoquidem hæc non nisi in fine causæ post longum tempus, post tormenta, defensiones a reo factas, & compilato processu assequi potest. Giurba verò *num.* 52. ponderat, quod in Curia laica, ubi ad condemnationem agitur, dantur defensiones, repetuntur testes, constituitur reus, proceditur ad confrontationes testium inter se, cumque ipso reo, atque ad rigorosum examen. Et Sperell. *num.* 35. asserit, quod ista plena probatio coram Episcopo fit dumtaxat per testes deponentes in processu informativo ab eo exarato, illis non repetitis, & parte non citata.

Hæc autem sententia, quæ mihi placet, quia planè 6
vera est, probatur primò, ex *l. Præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Nec in ipsis Ecclesiis reverendis ita quenquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium, aut vestis negetur, aut requies.* Item ex legibus Longobardorum, & capitularibus Caroli Magni *tit. de iis, quæ ad leg. de Cleric. occis. stat.* relatis a Petro Gregorio *syntagm. jur. tom. 2. lib. 33. cap. 20. n.* 7. quæ in hunc modum extant: *Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in ipso atrio Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse Ecclesiam ingredi, & nullus inde per vim eum extrahere præsumat, sed liceat ibi confiteri, quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.* Ponderanda quippè sunt in primis verba illa: *Requies non denegetur: Pacem habeat*: Nam *requies* propriè corporis est, dicta quasi qui tibi es, & nullo alio negotio detineris. Quare si confugientem ad Ecclesiam, quæ locus quietis, & tranquillitatis plenissimus esse dignoscitur, posset Episcopus tormentis divexare, in ea maximè molestiarum moles, & turbulentissimæ tempestates extarent. *Pax* enim dicitur tranquilla libertas a Tullio *Philip.* 2. relata per Gail. *de pac. publ. lib. 1. n.* 5. & ab Archid. *in c. Noli n.* 2. 23. *q.* 1. cujus meminit Corset. *de privil. pac. n.* 1. libertas autem non esset tranquilla, sed tormentis, ac doloribus obnoxia, si confugiens ad Ecclesiam posset ab Episcopo torqueri pro veritate eruenda ex ore illius. Rursus statuitur: *Sed liceat ibi*, scilicet in ipso atrio Ecclesiæ *confiteri quod fecit*, hoc enim inspecta veritate loci verificari potest dumtaxat in confessione spontè emissa, non autem vi tormentorum elicita.

Post-

7 Posteà probatur ex illa universalitate verborum dicti Concilii Toletani, scilicet: *Quodcunque nocibilitatis inferre*: Nam dictio *quodcunque* est indefinita, atque adeò nihil excipit, sed comprehendit omnem significationem verbi, cui adjicitur etiam impropriam ex latè congestis a Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. glos. 7. ex num. 20.* & Grat. *disc. 206. num. 1.* Nomen autem verbale *Nocibilitatis* directum in confugientes ad Ecclesias non pertinet ad damna in rem, sed ad nocumentum personæ ex notatis *in l. 1. §. hæc autem verba, ff. de his, qui effuder. vel dejecer.* ubi ita habetur: *Hæc autem verba, si vides, nocitumque ei esse dicitur, non pertinet ad damna, quæ in rem hominis liberi facta sunt, sed ad ea, quæ in corpus ejus admittuntur.* Traditque Rebuff. *in l. morbus sontrius num. 3. ff. de verb. signif.* Unde liquet fuisse intellectum de nocumento affligentem corpus per torturam, quamvis non infligendam nomine pœnæ, sed probationis, cùm Igneus *in l. 1. n. 4. ff. ad Sillan.* & Sperell. *dec. 148. n. 66. p. 2.* dixerint, satis esse, quod voluntas rei, qui ad Ecclesiam confugit, cogatur minis, & terroribus, ut verificetur illatio cujuscunque nocibilitatis prohibitæ *in dict. c. Definivit 17. quæst. 4.* ubi indefinitè præcipitur, ne reo aliqua vis, nocibilitas, vel damnum inferatur. Quibus supponitur, quod tormentis nullo pacto vexari possit, ut rectè sentiunt Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 2. numer. 2.* Fagund. *lib. 4. cap. 4. num. 55.* Dian. *par. 6. tract. 1. resol. 29.* & Bonac. *disp. 3. qu. 7. de Immun. punct. 5.*

8 Inde probatur ex eo, quod plus liceret Episcopo in personam confugientis ad Ecclesiam, dum crimen inquireret, quàm dum illud puniret. Nam Glossa communiter recepta *in cap. Inter alia 6. verbo Puniendus, de immun.* interpretando verba Innocentii III. *vers. Super hoc tamen*, quod reus confugiens ad Ecclesiam puniendus sit ab Episcopo super eo, quod iniquè fecit, ait: *pecuniariter tantum, vel alia satisfactione præter pœnam corporalem*, ad textum *in cap. Demum 9. in fin. 17. qu. 4.* dicentem, quod legitimè componat, quod iniquè fecit. Sicque admitterentur tria absurda, ad quæ evitanda communis Doctorum schola negat, locum esse torturæ, ubi venit imponenda pœna pecuniaria. Primum scilicet, quod reus gravius puniretur eo modo procedendi, quàm eo modo condemnandi. Alterum, quod prohibitum una via directè, permitteretur alia indirectè. Tertium, quod medium, per quod pervenitur ad finem excederet ipsum finem, ut legitur apud Farinac. *qu. 42. n. 9.* & 15. *cum seqq.*

9 Deinde probatur ex vi rationis ponderatæ a Ciarlino. Dum enim Fiscus sæcularis opponit reo, qui confugit ad Ecclesiam, non suffragari illius immunitatem ob crimen exceptum, dicitur actor in eo probando, cui obstat indubiè regula, *l. 1.* & *l. qui accusare 4. C. edend.* & *l. Nimis grave 6. C. de testib.* quod non debet ad suam intentionem fundandam sumere probationes è domo rei. Atqui sumere, si obtineret ab Episcopo, reum torturæ subjici, ut ex illius ore confessio extorqueretur per cruciatum corporis, *l. De minore 10. §. tormenta, ff. de quæst.* Ergo non videtur id ei permittendum.

10 Confirmatur. Quia Episcopus reum torquendo ad perficiendam probationem, quam Fiscus non compleverat contra eum super crimine excepto, an gaudeat immunitate Ecclesiæ, ad quam confugit, inobservaret certissimum juris axioma, quod nimirum actore suam intentionem plenè non probante, reus, qui convenitur, debet absolvi, tametsi nihil jure præstet, *d. l. Qui accusare in fin.* ubi Doctores communiter. Quod multo fortius urget in hoc casu, dum omnes admittunt, quod Episcopus in dubio pronunciare debeat pro immunitate tanquam favorabili non solùm Ecclesiæ, sed etiam reo, qui ad Ecclesiam confugit, ac sub ejus tutela se posuit, non autem ad illius exclusionem ex Hostiensi, Henrico, Boich, & aliis, cumulatis, per Villagut. *de extens. leg. cap. fin. sub num. 52.* ac Sperell. *dec. 41. num. 14.* & *dec. 60. n. 13. p. 1.*

11 Tum quia, ut plurimum coram Episcopo non constet de corpore delicti, nisi ex processu informativo Curiæ sæcularis, cui ipse non debet stare juxta veriorem, ac receptiorem sententiam, de qua nos aliàs copiosè. At indubitati juris est, non posse ad torturam deveniri etiamsi reus sufficienter indicatus sit, quando coram eodem Judice non constat de corpore delicti, *l. 1. §. Illud, ff. ad Sillan.* cum aliis plena manu relatis a Farinac. *qu. 38. num. 1.*

12 Præterea, quod omnes fatentur, in extraordinaria cognitione, quam Episcopus facit super indaganda veritate criminis excepti, nec exhibitionem libelli, nec litis contestationem fieri, ut inquiunt illi tres Consulentes apud Farinac. *cons. 168. num. 93. vol. 2.* qui idem repetit *de Immun. cap. 22. sub num. 376.* & diserte sequitur Castropal. *tract. 11. disp. un. punct. 13. num. 14. to. 2.* Tortura autem non infertur, nisi prius cum reo præcesserit litis contestatio, & processus fuerit legitimatus, ut statuunt Boss. *tit. de Indic.* & *considerat. ante tortur. num. 126.* Locatell. *in suo Breviar. de quæst. Indic. inspect. 5. num. 21. cum seqq.* Antonel. *de regim. Eccles. Episcop. lib. 6. cap. 44. §. 1. num. 7.* aliique passim.

Postremò probatur. Quia duplex tortura inferretur 13
reo confugienti ad Ecclesiam. Altera coram Episcopo in extraordinaria cognitione criminis excepti pro legitima illius traditione facienda Curiæ sæculari. Altera in judicio principali super ipso crimine, mox contra eum peragendo coram Judice laico, cùm minimè possit se fundare in confessione rei facta coram Episcopo. Quia non debet, neque potest hic suum processum tradere Judici sæculari, ne se ponat in discrimine irregularitatis, ut rectè notat, ac testatur Sperell. *d. dec. 101. n. 52. p. 2.* & nos alibi. Sicque propter confugium ad Ecclesiam fieret deterioris conditionis reo non confugiente, qui semel tantùm tortura subibit coram Judice laico, & favor Ecclesiæ retorquebitur in odium, & majorem illius pœnalitatem contra regulam *l. Quod favore, C. de legib.*

Nec ideò facit, quod Episcopus uti cognitor possit 14
veritatem indagare per omne genus probationis. Quia intelligendum est de omni probatione exhibenda per Fiscum actorem, non autem de elicienda ab ipso reo per quæstionem, ac tormenta, cui obstant omnia superius deducta.

Veritatem hujus sententiæ amplexa est Sacr. Congre- 15
gatio Immunitatis in una *Reatina* sub die 17. Novemb. 1657. ac proindè plurima, quæ suppeterent, omitto.

CONSULTATIO CLXX.

De censurarum declaratoria in materia Immunitatis Ecclesiasticæ. Ubi plura de literis hortatoriis, minatoriisque laicæ potestatis, annotationibus verè digna, præsertim pro Episcopis, aliisque Judicibus Ecclesiasticis?

DEclaratoria incursus Principis, seu Magistratus in 1
censuras per Episcopum lata præsumitur de jure valida, & justa ex cumulatis per Gabr. *de sent. concl. 5.* & *6. in princ.* talisque præcipuè probatur, dum apparet lata vim vi repellendo pro necessaria defensione suæ jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ, juxta terminos *cap. Dilecto, de sentent. excomm. in 6.* ubi post alios notat Gemin. *num. 7.* & Innoc. *in cap. Venerabilis sub num. 4. de cens.* cum aliis mox allegandis.

Hujusmodi namque jurisdictionem Princeps, sive Ma- 2
gistratus usurpat, dum literis, sive hortatoriis, sive minatoriis mandat Episcopo, vel ejus Vicario, ut censuras ab eis latas pro defensione jurium Episcopalium contra ministros Curiæ sæcularis, aliosve revocent. Quod repugnat dispositioni Sacri Concilii Tridentini *cap. 3. vers. Nefas, sess. 25. de refor.* ac Bullæ Cœnæ Domini, ut animadvertunt Doctores, præcipuè Alter. *disp. 7. cap. 1.*

Item dum aliis literis eundem Vicarium trahere pro- 3
curat ad tribunal laicale contra expressam dispositionem sacrorum Canonum, & ejusdem Bullæ §. 15. præsertim attento contrario mandato Sanctæ Sedis Apostolicæ eidem Principi, aut Magistratui notificato.

Rursus dum impedimentum præstat ipsi jurisdictioni 4
Episcopali ex molestiis illatis eidem Vicario, vel Episcopo, & ex timore incusso ministris ejusdem Curiæ a Commissariis laicis cum equitum, ac armatorum turmis transmissis. Quæ omnia sunt contra dispositionem ejusdem Bullæ.

Item dum ratificat actus a Commissario laico noto- 5
riè gestos in contemptum jurisdictionis Episcopalis. Cùm ratificatio etiam in delictis mandato æquiparetur, ut post Abb. & Salicet. *in l. Non ideo, C. de accus.* tradit Giurb. *cons. 91. n. 14.*

Ratificatio autem necessariò resultat ex circumstan- 6
tiis facti per se notis, necnon ex probabilissima præsumptione, quod Commissarius non fecisset dictos actus, & excessisset contra præceptum sui Principis, sive Magistratus deputantis, Menoch. *lib. 5. præsumpt. 27. n. 22.* cum ibi deductis.

Præsertim, cùm ad effectum, ut declaratoria de ju- 7
re sustineatur, sufficiat, unam tantùm ex causis expressis justificari, ne utile per inutile vitietur, ut post Doctores *in cap. 1. de Immun. Eccles.* Innoc. & Abb. firmavit Rot. *dec. 33. num. 10.* & *seq. p. 2. div.* & Ferret. *cons. 304. n. 3.*

Neque obstat, quod Episcopus ad declarationem pro- 8
cedere non possit contra Principem, sive Magistratum,

uti

uti non subditum. Nam cessat in declaratoria censurarum a lege, quæ, certum est, omnes comprehendere. Et quia eo ipso, quod Princeps violat jurisdictionem Episcopalem, remanet ex dicta causa ipsi Episcopo subjectus, isque potest procedere ad dictam declarationem pro defensione ejusdem jurisdictionis, *cap. 1. de pœn. in 6. cap. fin. in princ. de for. comp.* ac tradit Dec. *cons.* 694. *in fin.* & in puncto firmat Ricciul. *de Jure person. lib.* 4. *cap.* 61. *num.* 32. 40. & 44. ubi attestatur ita aliàs fuisse resolutum a Sac. Congregatione Episcoporum. Et hac ratione offendens jurisdictionem, vel Officiales Curiæ Episcopalis subjicitur punitioni ejusdem Curiæ, *l. Nullum, C. de testib.* Genuens. *in prax. cap.* 10. cum adductis per Farinac. *de hæres. quæst.* 118. *num.* 4. Ita etiam Episcopus offendens jurisdictionem alterius Episcopi in illius diœcesi, efficitur subjectus, adeò ut ad censuras contra illum procedi possit, ut post Alter. *de cens. lib. 3. disp* 10. *cap.* 5. & notata *in cap. Placuit. 6. q.* 3. censuit Sac. Congregratio Concilii in una *Baren.* die 27. Februarii 1627.

9 Minus obstat defectus citationis, seu monitorii. Nam, omissa discussione, an requiratur in declaratoria censurarum a lege ex latè congestis per Suarez *de cens. disp. 3. sect.* 8. *num.* 14. certum est, illam non requiri, quando per Episcopum proceditur extrajudicialiter, uti pars, vim vi repellendo pro defensione suæ jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ. Aliàs enim Episcopi essent pejoris conditionis, quàm laici, si facto usurpantibus resistere non possent armis censurarum, quæ sunt propria Ecclesiæ. Dum enim citatio fieret, jurisdictio, & jura Ecclesiæ usurpata remanerent absque defensione, textus est *in d. c. Dilecto de sentent. excommun. in 6.* ubi Gemin. *num.* 7. Joan. Andr. *in princ.* Franch. *n. item* 7. Innocent. *in d. c. Venerabili num.* 4. *de censib.* & ibid. Butr. *n.* 10. Felin. *in c. Sacro num.* 6. *de sent. excomm.* Socin. *num.* 366. Dec. *in c. Reprehensibilis num.* 3. *de appell.* & Ricciul. *ubi supra num.* 18. & 20.

10 Quod sanè eò maximè dicendum est, quando versatur in casu notoriæ violationis ex literis, seu provisionibus ipsius Principis, sivè Magistratus publicè insinuatis, & mediante Commissario armata manu, & subscriptionibus, ac sigillis Principis munitis *ad cap. Pervenit.* 1. *de appel.* & prosequitur Genuen. *ibid. cap.* 23. *num.* 16. *ex cap. De manifesta* 2. *qu.* 1. *cap. Cuidam de accus.* Quod luculenter confirmat Suarez *loc. alleg. n.* 18. *in fin.* Et sic in actibus coram ipso Episcopo consummatis. Felin. *in d. cap. Sacro n.* 7. Abb. *in præcit. cap. Venerabili num.* 3. Ac præsertim quia Episcopus potest probabiliter dubitare de majori violentia contra personam propriam.

11 Pariter nec obest, quod non procedatur extrajudicialiter, quando facta est instantia a Procuratore fiscali. Siquidem hujusmodi instantia non inducit pendentiam judicii, sed reputatur actus extrajudicialis, prout reputaretur monitio, si fuisset hoc casu ex abundanti facta, Dec. *ubi supra num.* 10. Doctores autem, qui in contrarium possunt allegari non dissentiunt, cùm loquantur quando Episcopus procedit ad declaratoriam via judiciaria, non per viam resistentiæ, uti pars, vim vi repellendo, & forma judicii non adhibita, ut benè declarant superiùs allegati.

12 Nec dicatur, quod potest Episcopus aliter se tueri. Quia præterquamquod notorium est potentiæ laicali transmittenti Commissarios cum equitatu per Episcopum resisti non posse, potiùs uti debet gladio spirituali, ut notant Gemin. *d. cap. Dilecto n.* 5. & 12. Franch. *num.* 2. Anchar. *num. etiam* 2. post Hostiensem *ibidem num.* 3. quem iidem sequuntur, ac Innoc. *in eodem cap. Venerabili sub num.* 3. *de censib.*

13 Non facit ad rem, quod *d. cap. Dilecto*, non loquatur contra mandantem. Nam id destruitur ex regula, *Qui per alium facit*, & ex majoritate rationis, cùm magis delinquat mandans, quia ex commissione provenit delictum exequentis, cujus delicti ratione idem mandans dicitur offendere personam ipsius Episcopi in sua Diœcesi, & per necessariam consequentiam efficitur de illius foro, *cap. fin. de for. comp.* ibique Doctores, & in puncto Ricciul. *loco alleg. num.* 47. Quod si aliter diceremus nunquam Principes, seu Magistratus possent declarari in censuras incursi, nec gladio censurarum eorum usurpationibus resisti posset, cùm semper mediantibus ministris exequantur. Et ideò jure meritoque Bulla Cœnæ Domini nedum exequentes, sed æquè mandantes ligat.

14 Sicuti nec obstat, quod ad effectum censurarum requiritur actus, seu factum ipsiusmet Principis, sive Magistratus, & non sufficere verba. Quia sola verba sufficiunt ex Innocent. *in dict. cap. Venerabili num.* 5. *vers. Se opponit*, ubi oppositio fuit verbalis, & in terminis Bullæ Cœnæ, Alter. *de censur. fol. mihi* 713. ubi solæ importunæ preces sufficiunt. Ratio est manifesta. Quia ex hujusmodi literis resultant actus offensivi jurisdictionis Episcopalis. Ultra quod factum exequentis reputatur factum mandantis.

Quæ quidem multò magis procedunt respectu literarum *Ad audiendum verbum Principis*. Nam inducunt tractionem ad forum laicale, & propterea obstat eis directè Bulla Cœnæ, quæ quotannis solemniter publicatur. Verbum enim, *trahere*, expressum in Bulla intelligendum est moraliter, ac virtualiter per provisiones, ut declarat Filiuc. *tom. 1. qu. moral. super Bulla tab.* 15. *num.* 206. & expressè cavetur *in cap. Si quis Episcopus, cap. Si vobis* 23. *qu.* 8. ac firmat Turrecrem. *in cap. quo ausu ead. caus.* & *q.* Atque præcipuè quando vocatio concepta est verbis præceptivis, nimirum: *Dovete subito porvi in viaggio, e comparire ne' nostri Tribunali, altrimente vi si procederà contro come perturbatore della pace.* 15

Quod procedit etiam respectu Episcoporum feudatariorum, saltem quando concurrit contrarium jussui Sedis Apostolicæ, præsertim notificata, & exhibita juxa Glossam communiter approbatam *in c. Cum parati, de appell.* ubi Innoc. *n.* 1. & 2. Hostien. *n.* 3. Turrecrem. *in d. cap. Si quis Episcopus* 23. *q.* 8. Præcipuè verò respectu Episcoporum Regni Neapolitani, in quo Sedes Apostolica habet dominium directum, & supremum. 16

Nec potest suffragari aliqua consuetudo. Quia Bulla Cœnæ Dominicæ annuatim publicatur, & ex quacunque consuetudine non potest acquiri per laicos aliqua jurisdictio in Ecclesiasticos ratione incapacitatis, ut ita in terminis incursus dictæ Bullæ docet Alter. *de cens. disp.* 16. *cap.* 2. Estque textus *in cap. Clerici, de Judic. cap. Sacerdotibus* 11 *qu.* 1. ac resolvit Rota *decis.* 10. *de consuet. in antiq.* & sæpè alibi. 17

Ita nec juvat, quod Bulla in Cœna Domini plerisque in locis non publicetur. Nam ubique afficit, etiam in locis, in quibus non publicatur, ut post alios idem Alter. *super d. Bulla fol. mihi* 486. *col.* 2. *post med.* Nam sufficit publicatio in Curia Romana, Monach. *in c. Generaliter, de reg. jur. in 6.* Bald. *cons.* 10. Sylvest. *v. lex q.* 6. Salas *disp.* 12. *de legib. sect* 2. Lorc. 1. 2. *disp.* 18. *ejusd. tract.* Mald. *q.* 10. *ar.* 4. *dub.* 3. Martinon. *dub.* 2. *concl.* 2. 18

Quod desumitur ex Bulla confirmatoria Concilii Tridentini, ubi Pontifex confirmans Concilium, cum talis confirmatio fuisset Romæ promulgata, supponit talem promulgationem sufficere. Et de facto leges Pontificiæ latæ pro toto Orbe Christiano solùm Romæ promulgantur, & hoc solo modo plures Decretales, Clementinæ, & aliæ Constitutiones, quæ continentur in Bullario, & in ipsa Bulla Cœnæ Domini promulgatæ sunt. Unde adest consuetudo habens vim legis, quod talis promulgatio sufficiat. Nam Pontifex vult, tales leges obligare omnes. Sufficit enim talis promulgatio ex natura rei, ac proindè quando sola adhibetur, parit effectum, quem potest parere ex sui natura, quia Pontifex illam assumit, ut sit efficax. Quod præcipuè procedit, quando Pontifex explicat se velle, quod promulgatio in Curia sufficiat. Tunc enim non est necessaria alia promulgatio, ut lex obliget. Quia talis promulgatio sufficit ex natura rei, cùm per ipsam lex intimetur toti Ecclesiæ, quæ repræsentatur in civitate primaria, atque adeò quando Pontifex vult illa uti, lex sortitur suum effectum. 19

Similiter nec dicatur hujusmodi literas, & provisiones Principis, sive Magistratus exequi posse contra Episcopos. Primò, quia hujusmodi abusus a Sede Apostolica fuit semper improbatus, ac nunquam toleratus in Ecclesia Dei ex latissimè deductis per Suar. *in defens. fid. Cathol. tit. de Immun. cap.* 34. *§. Defensio justa*, cùm repugnet Sacris Conciliis, Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus. Quam ob causam Episcopi, & nominatim Episcopus Neocastrensis anno 1585. propter solam præsentationem literarum hortatorialium declaravit Ministros Regios, immò ipsum Ducem Ossunæ tunc temporis Prorege excommunicatos. Prout etiam hac de re publicatæ fuerunt censuræ contra Collaterale Neapolitanum tempore Cardinalis Granuelæ, & Ducis Medinæ ab Episcopo S. Agathæ Gothorum. Item contra Senatum Mediolanensem tempore S. Caroli, contra Parlamentum Burdigalense, & Senatum Granatensem, ac alios passim. Adeò quod paucis ab hinc annis in causa Alexandrina, in qua Senator Vignatus scripserat pro Regis, se retractaverit. Quare hunc abusum Sedes Apostolica invictè oppugnavit, expugnavitque. 20

Itidem nec obstat, quod in hujusmodi causis non possit uti remediis censurarum, sed agendum coram domino directo feudi. Nam præterquamquod justificari debet feudum esse Principis, regula, quod causæ feudales, etiam 21

respe-

reſpectu perſonæ Eccleſiaſticæ agitentur in Curia Domini directi, quamvis laici, non procedit in poſſeſſorio, quando Clericus non utitur jure feudi, ſed ſola poſſeſſione, vel alio ſimili, ut bene declarat Alex. *conſ.* 79. *num.* 1. & poſt Gloſſam, Butrium, & Innocentium *in cap. Cæterum de judic.* ac de magis communi atteſtatur Graſſ. *de effect. Cler. effect.* 1. *num.* 732. & *ſeq.* Quam in rem latè Delbene *de Immunit. tom.* 1. *cap.* 7. *dub.* 7. *ſect.* 1. ubi hoc diſcutit, & effugia contraria præcludit.

Deinde quia, etiam attento prædicto abuſu, hujuſmodi literæ numquam relaxantur, niſi quando Epiſcopi de facto & cùm violentia manifeſta procedunt, ut inquita Ponte in ſuo tractatu aliàs ſuſpenſo *col.* 6. *verſ. Queſta dunque*.

23 Quare non eſt facienda vis, quod dictæ literæ contineant verbum, *Hortamur*. Quia tenor illarum aliud ſuadet; nam ſonat potiùs in juſſionem. Itaut cùm ex iſtis impediatur juriſdictio Epiſcopalis, evitari non poteſt incurſus in cenſuras, Duard. *ad Bullam Cœnæ cap.* 66. *q.* 4. Sunt enim inſtar prohibitionum, ut idem notat eodem loco *quæſt.* 1.

24 Et licet Covarruvias *pract. quæſt.* aliter voluerit, ejus tamen opinio eſt exploſa, ut latiùs Suar. *in defenſ. fid. Cath. tit. de Immun. cap.* 24. *d.* §. *Defenſio juſta*. Immò abrogata a Sac. Concilio Tridentino *d. c.* 2. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Nam illius opuſculum fuit impreſſum anno 1558. ut ex ipſa præfatione liquet, & Sac. Concilium fuit publicatum menſe Decembris 1563. cui Concilio idem Covarruvias interfuit, ut ex Catalogo Epiſcoporum Paulo IV. impreſſo in fine ejuſdem Concilii conſtat, & ipſe probabiliter deduxit rationes ſuæ opinionis, dum illa damnabatur. Et ex hoc motivo ceſſat quorundam ponderatio, quod ſcilicet hæc quæſtio indigeret deciſione conciliari, cùm jam determinata ſit a S. Concilio Tridentino, ut perſpicuè patet ex votis Patrum S. Concilii exiſtentium in Caſtro S. Angeli Urbis.

25 Prout etiam eliditur alia ponderatio facta a Ponte, quod in libello abuſuum dato a Cardinali Alexandrino Regi Catholico in ſua legatione ſub anno 1568. & 1569. non exprimebatur iſte abuſus. Ex quo enim erat a Sacro Concilio paulò ante publicato ſublatus, ſuperfluum erat in dubium vocare, quod jam a Sac. Concilio damnatum fuerat.

26 Atque hac ratione ceſſat etiam doctrina Mart. Navarii *in c. Cùm contingat de for. comp.* Nam ejus opera impreſſa fuerant ante Concilium, poſtque illud porrecta. Et propterea non reperitur in correctis loco allegato, ſed in Manuali, in quo potius improbat, ac deteſtatur hujuſmodi praxim, ut conſtat *ex c.* 27. *n.* 67.

27 Rebuffus *in tit. de literis Reg.* Boerius, & alii allegati a Ponte ajunt dumtaxat poſſe rogari. At illorum opinio improbata eſt. Ultra quod dum a Ponte tempore Pauli V. ſcripſit ſuper cenſura Veneta, quia perſiſtebat in defenſione hujuſmodi abuſus, fuerunt ejus ſcripta prohibita.

28 Nec admittendi ſunt dicti abuſus ex eo quod Epiſcopus eſt feudatarius. Nam Vicarius non eſt feudatarius, ſed tantùm miniſter Eccleſiaſticam juriſdictionem in Epiſcopatu exercens. Deinde Dominus directus contra Epiſcopos feudatarios non poteſt uti remediis improbatis, quale eſt remedium ſupradictarum proviſionum, ac literarum; ſed procedere debet remediis permiſſis, & ſervatis ſervandis. Itaut propterea Epiſcopus ſuam juriſdictionem conſervare poſſit vim vi repellendo mediante gladio cenſurarum, ut benè per Geminianum in ſimili contra Judicem Ordinarium *in d. c. Dilecta num.* 6. Et eo ipſo, quod textus loquitur indefinitè, non excluduntur bona feudalia, præſertim rectè ponderatis verbis ipſius textus, ibi: *ſuis bonis mundanis*. Quæ intelliguntur de omnibus bonis quomodolibet, & ex quacunque cauſa poſſeſſis, §. *Sed & lex Cornelia, Inſtit. de Injur.*

29 Immò pendente judicio coram ſuo Judice competente, non ideò impeditur, quin Epiſcopus extrajudicialiter, uti pars, poſſit vim vi repellendo cenſuris ſuam juriſdictionem defendere, ut probè advertit Butr. *d. cap. Venerabilis de cenſ. col.* 2. *in fin.* Innoc. *ſub num.* 2. & clarè Ricciul. *ubi ſup. d. cap.* 61. *num.* 61. & *ſeqq.* etiam contra proprium Judicem, Gemin. *d. cap. Dilecta num.* 6. *de ſent. excomm. in* 6.

30 Minuſque obſtaret, ſi probatio reſpectu Principis, ſive Magiſtratus eſſet imperfecta. Non enim literæ originales per Commiſſarium præſentantur in proceſſu, ſed tantùm copia collationata a Notario Curiæ Epiſcopalis. Primò, quia adſunt plures aliæ literæ originales ejuſdem Principis, ſive Magiſtratus. Secundò, quia dicta copia collationata ſufficit ad effectum cenſurarum, ad quem admittitur etiam probatio informis. Cùm regulariter non poſſint in his materiis haberi ſcripturæ originales, ut notavit Seraph. *dec.* 194. ac Rot. *in Civitaten. Scholaſtriæ* cor. Card. Pamphil. & in Aſtoricen. Prioratus cor. Litta. Præſertim verò in caſu, in quo copia eſt collationata publicè a Notario coram ipſo Commiſſario, & in eiſdem literis præcipitur originale debere apud præſentantem remanere.

His accedit ex abundanti, quod quatenus dicta declaratoria eſſet ex aliquo capite invalida. Ex quo tamen denuò eſſet facienda, non debet revocari, ſed annullari, cùm poſſit fieri probatio ex poſt; ita quidem, ut pendeat nullitas a futuro eventu, ut obſervat Abb. *in ſæpè cit. cap. Venerabili n.* 4. ubi Innoc. *n. etiam* 4. ac cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum die 19. Julii 1619. ſcilicet, *S. Congregatio reſpondit, nullitatem cenſurarum non attendi, quando quod factum eſt, ſi factum non eſſet, denuò fieri deberet*. Quia ratione circuitus evitandi remanet ſententia, Butr. *in cap. Cum olim num.* 14. Abb. *nu.* 26. & 27. *de re judic.* Et hinc eſt quod Clemens VIII. ad tollendum oppoſitiones ex abundanti confirmavit cenſuras verbo latas contra Gubernatorem Mediolani a Vicario Generali Archiepiſcopatus cum Brevi ſub 22. Maji 1599. 31

Ex quibus ſequitur ejuſmodi Principem, ſive Magiſtratum non eſſe audiendum, niſi paruerit, & de nullitate dixerit appellando, cùm aliàs contumax non audiatur, *cap. Per tuas* 40. *de ſent. excom. cap. Venerabili*, §. *Porrò*, *cap.* 1. *eodem tit. in* 6. cum concordantibus. Quod intrepidè obſervatum fuit in præcitata cauſa S. Agathæ Gothorum, ſive Neapolitana cenſurarum contra Collaterale, ſedente Urbano VIII. Immunitatis Eccleſiaſticæ Aſſertore, ac Vindice. 32

CONSULTATIO CLXXI.

An delinquens in ſcalis, oſtio, atrio, vel porticu Eccleſiæ dicatur delinquere in ipſa Eccleſia, ita ſanè, ut ex diſpoſitione Conſtitutionis Gregorii XIV. privandus ſit Immunitate?

REſpondendum eſt negativè. Quia cùm verſemur in odioſis, & in pœnalibus, ſcilicet in privatione Immunitatis, utque puniatur delinquens pœna ſanguinis, appellatione delinquentium in Eccleſia non venit delinquens in porticu, ſed is tantùm, qui delinquit intra Eccleſiam ad textum *in l.* 1. §. *in flumine, ff. de flumin.* ubi non dicitur fieri in flumine, niſi quod fit intus aquam, non quod in ripa. Idem firmat Bart. *in l. cætera*, §. *hoc ſenatus nu.* 3. *ff. de legat.* 1. & *in l.* 1. §. *hoc interdictum, ff. de cloac.* Franc. qui alios adducit *dec.* 402. *n.* 8. & *per tot.* Maſtrill. *dec.* 22. *n.* 6. *cum ſeq. p.* 1. & *dec.* 297. *num.* 90. Alex. *conſ.* 137. *num.* 14. *vol.* Ricc. *in prax. reſ.* 129. Mar. Anton. *reſol.* 11. *num.* 18. *lib.* 3. Nald. *in ſum. v. Delictum n.* 5. & alii. 1

Et in his propriis terminis firmat idem Franch. *d. dec.* 402. *ſub n.* 9. *in fin.* Maſtrill. *ibid. nu.* 8. Marius Ital. *de Immun. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *nu.* 20. & *cap.* 5. *eod. lib.* §. 3. *num.* 4. Peregr. *eod. tr. cap.* 6. *num.* 32. Ricc. *dec.* 250. *num.* 3. & 291. *n.* 1. & 3. *p.* 3. Jo. Franch. a Caſtill. *deciſ. Reg. Sicil.* 156. *num.* 24. 29. 30. & 41. Bero. *conſ.* 177. *a num.* 15. *lib.* 3. & præcipuè *num.* 25. & 33. Et ideò Sacra Congregatio Immunitatis in una *Meliten.* die 11. Decembris 1628. pro majori parte in hanc ſententiam inclinavit. 2

Horum autem opinio confirmatur primò, ex diverſitate rationis. Nam ex homicidio commiſſo intra Eccleſiam committitur pollutio Eccleſiæ, & indiget nova conſecratione. Secus autem ex homicidio commiſſo in porticu, ad Gloſ. *in cap. un. de conſecr. Eccleſ. in* 6. ubi Anchar. *num.* 3. & Barboſ. *num.* 3. & 4. Sylveſt. *v. Cœmeterium num.* 2. Tolet. *in inſtr. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 11. Henriq. *lib.* 9. *ſum. cap.* 27. §. 5. Avil. *de cenſur. p.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 2. *concl.* 2. & firmat Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 256. qui propterea dictionem, *in*, declarat, ideſt, *intra*. Concinunt Suar. *de Relig. tom.* 1. *tr.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. Et in his terminis ponderat Mar. Ital. *eod. tr. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 20. Caſtill. *d. dec.* 156. *num.* 16. Atque in hoc conſtituitur differentia inter loca ſacra, & immunia, ut in primis delinquens non gaudeat immunitate; ſi ex induſtria delinquat; in ſecundis verò gaudeat, ut probat Maſtrillus, & Italia ubi ſupra.

Secundò confirmatur ex natura dictionis, *in*, quæ denotat intrinſicitatem, & tantùm comprehendit locum interiorem, ut ponderat Maſtrill. *d. dec.* 22. *num.* 9. Navar. *ubi ſup.* Caſtil. *ibid. num.* 31. quamplures adducens, Berous, qui alios refert. *d. conſ.* 177. *num.* 24. & Ricc. *loc. cit. num.* 5. & advertit Sperell. *dec.* 60. *num.* 9. & generaliter Grat. *diſp.* 460. *num.* 61. *dec.* 683. *num.* 5. *p.* 1. & *dec.* 316. *n.* 10. *p.* 9. *rec.* 3

Ter-

5 Tertiò, confirmatur. Quia in odiosis, & in pœnalibus verba propriè intelligenda sunt. Textus *in cap. Odia, & c. in pœnis de re jud. in 6.* cum similibus. Ecclesia autem propriè accipitur pro illo loco, qui est circumdatus ambitu murorum, largè verò cum accessoriis, nimirum porticu, & aliis hujusmodi, ut ex mente Jo. de Anan. firmat. Ber. *d. cons.* 177. *num.* 17. & 33. Mastrill. *d. dec.* 22. *num.* 6. *cum seq.* Mar. Ital. *d. §.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Peregr. *de Immun. d. cap.* 6. *num.* 33. Quare non debent extendi ad alia loca, quàm expressa in dicta Constitutione, scilicet Ecclesiam, sive Cœmeterium, ut communiter in hac re asseritur a Doctoribus, præsertim Villag. *de extens. leg. cap. fin. num.* 15. Decian. *tract. crimin. lib.* 1. *c.* 28. *num.* 5. & 10. Guttier. *var. quæst. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 12. & 17. Germon. *de Sacr. Immun. lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 56. ubi testatur hanc esse communem Canonistarum sententiam. Optimè Suarez *d. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. Franc. Leo *in thes. for. Eccles. cap.* 13. *num.* 27. Ambros. *de immun. c.* 1. *n.* 14. & *seqq.* Mar. Ital. *ubi supra*, & *cap.* 4. *§.* 7. *num.* 22. Farinac. *cod. tract. cap.* 6. *num.* 94. & exactius *cap.* 22. *nu.* 353. & 355.

6 Confirmatur quartò, ex dictione illa *ipsius*, quæ est personalissima ipsius Ecclesiæ principalis, & non accessorium ex allegatis per Grat. *dict.* 103. Quæ quidem dictio eandem vim habet quàm *intra*, Bart. *in l. Gallius*, *§. Ille casus*, *ff. de lib.* & *posth.* Bald. *in rubr. ff. fol. matrim.* Oldrad. *consil.* 49. *num.* 9. Corn. *cons.* 336. *num.* 3. *vol.* 1. Alex. *cons.* 22. *num.* 2. *volum.* 4. Ber. *d. cons.* 177. *num.* 24. ac ipsam rem ad oculum demonstrat, ideòque non verificatur æquipollentibus, Barbos. *dict.* 117. *num.* 4. & 5. Giurb. *ad consuet. Mess. cap.* 2. *glos.* 9. *p.* 1. *n.* 1. Em. Othob. *dec.* 1. *num.* 39. Rot. *dec.* 395. *num.* 36. *p.* 5. & *dec.* 201. *num.* 5. & *dec.* 291. *nu.* 6. *p.* 8. *rec.* & in Tyburtina Castri S. Angeli 26. Januarii 1652. coram Meltio. Denotantque intrinsicitatem in loco, ut scilicet requiratur commissum homicidium in ipsis Ecclesiis, vel Cœmeteriis ipsis ad effectum excludendi confugientem ab immunitate, ut benè differit Mastrill. *d. dec.* 22. *num.* 9. ubi plures allegat, & Martin. Ital. *d. §.* 7. *n.* 20. & *seq.* Ac in fortioribus facit ad hanc rem declaratio S. Congregationis Concilii, dum vult, quod appellatione corporis Ecclesiæ non veniant claustra. Ea est hujusmodi. *In una Salamantina, in qua vigore cap.* 6. *sess.* 25. *de ref. fuerat decretum, quod Episcopus teneretur procedere cum adjunctis in loco consueto, dummodo extra corpus Ecclesiæ, fuit dubitatum, an claustrum intelligeretur extra corpus Ecclesiæ S. Congreg. Concilii censuit, ita intelligi, ut sit extra corpus Ecclesiæ.*

7 Quintò, quia in dubio facienda est interpretatio, quæ faveat Immunitati Ecclesiasticæ, ut ponderat idem Peregrin. *d. cap.* 6. *num.* 33. *in fin.* Giurb. *cons.* 10. *n.* 25. & alii passim.

Postremò, quia Constitutio Gregoriana expressit cœmeteria, quamvis sint loca sacra, & accessoria ipsis Ecclesiis. Unde eadem ratione expressisset porticum, si Pontifex illam comprehendere voluisset juxta notata *in c. Ad audientiam de decim.* & tradita per Socin. sen. *cons.* 4. *n.* 8. *l.* 4. cum vulgaribus.

8 Quibus non obstat, quod Constitutio utatur eisdem verbis, quibus utitur *cap. fin. de Immun. Eccles.* cujus verba ex quorundam interpretatione extenditur etiam ad ostium, ad porticum, & similia. Siquidem cum dicta Constitutio contineat clausulam, *sublata cum decreto irritante*, quæ non legitur *d. cap. fin.* excluditur quæcunque minima interpretatio, seu extensio, ut in his terminis respondet Castill. *d. dec.* 156. *n.* 29. & *seqq.* qui contraria discutit, ac refellit. Idem firmat Peregrin. *d. c.* 6. *num.* 31. & 33. & in expositione dictæ Constitutionis *n.* 44. qui alios refert. Præsertim cùm in terminis *dict. c. fin.* contrarium tenuerint Hostiens. ibidem *n.* 3. ac plerique alii.

9 Minus obstant Addentes ad Specul. *de immun.* Quia satis ad rem iis respondent Ber. *d. cons.* 177. *n.* 26. & Castil. *d. dec.* 156. *n.* 24.

Motivum ex *cap. Sicut antiquitùs*, *cap. si quis in atrio*, *c. si quis contra* 17. *qu.* 4. tollitur ex responsione ejusdem Berol. loco alleg. *n.* 31. *in fin. cum seqq.* & Castill. *ibid. num.* 24. scilicet, quod per dicta jura parificantur Ecclesia, porticus, & atrium quoad sacrilegium, non tamen firmatur, quod factum in porticu, & in accessoriis dicatur factum in Ecclesia. Nec ex dicta parificatione infertur ad parificationem respectu pœnæ privationis Immunitatis Ecclesiasticæ, & aliarum, præsertim attenta Constitutione Gregoriana, quæ non admittit extensionem, ut rectè observat idem Castill. eo loco *n.* 29. & 30.

10 Ulterius nec obstat, quod secundùm aliquos appellatione Ecclesiæ comprehendantur porticus, atrium, & id genus alia, quæ gaudent immunitate, ut probat textus *in d. cauf. Siquis in atrio*, *cap. frater*, & *cap. Siquis contumax d. c.* 17. & *q.* 4. ubi Gloss. & Archid. Suffraganturque leges civiles, ut *l. Pateant*, *C. qui ad Eccles. confug.* & latè post alios probat Farinac. *de carc. q.* 28. *num.* 12. & *seq.* & uberius *de immun. cap.* 17. *num.* 268. Quia procedit in favorabilibus, & in privilegio Immunitatis, non in pœnalibus pro ejusdem Immunitatis exclusione, ut declarat Peregr. *d. cap.* 6. *num.* 33. Mastrill. *dict. dec.* 22. *sub num.* 9. *circa med.* Ber. *dict. cons.* 177. *num.* 17. *cum seqq.* & 27. Graff. *in dec. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 9. & *seqq.* Franch. *dec.* 402. *num.* 3. *p.* 3. Mar. Ital. *d. l.* 1. *cap.* 4. *§.* 7. *num.* 11. post alios ab iis relatos nominatim Sperell. *decis.* 60. & 61. de Marin. *resol.* 170. *num.* 12. & 13. *vol.* 1. Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 7. Et in hoc advertendum est, quod porticus, & similia dicuntur de Ecclesia, & domo uti accessoria, non tamen in porticu facta, dicuntur facta in domo, ut tradit Bart. *in d. l.* 1. *§. hoc interdictum*, *ff. de cloac.* Ber. *d. cons. n.* 20. 33. & 34. Constitutio autem Gregoriana utitur verbis, *in ipsis Ecclesiis*, & sic intra Ecclesias ex supra deductis.

Tandem nec obstat, quod ratio *d. cap. fin.* sit spes confugii, quæ militat nedum in delinquente in Ecclesia, sed etiam in porticu. Nam hujusmodi ratio non est finalis, sed impulsiva. Nec ideò *dict. cap.* in ea principaliter fundatur, ut scitè ponderat in his terminis Peregrin. *dict. cap.* 6. *num.* 43. traditque Butr. *in dict. cap. fin. numer.* 4. Abb. *n.* 8. Hostien. *n.* 2. Joan. Andr. *nu. item* 2. Anchar. *n.* 3. Anan. *n.* 7. & clariùs Decian. *in tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 5. Aliæ verò rationes, quibus idem *cap. fin.* innititur non applicantur huic casui, cùm delinquens in porticu non delinquat in Ecclesia, nec ipsam Ecclesiam offendat. 11

Verùm, quicquid sit dicendum in terminis juris communis vigore *dict. cap. fin.* cessat omnis difficultas in terminis Constitutionis Gregorianæ, quæ est revocatoria juris communis, nullamque causam exprimit, cujus ratione possit fieri illatio, & extensio, solumque respexit ad solam qualitatem delictorum, & injuria in Ecclesia factæ. 12

Nec ideò facienda est vis super declaratione Clem. VIII. in illa Panormitana, cum Breve desuper emanatum non contineat declarationem generalem, sed sit restrictum ad casum particularem ob circumstantias facti, ut prudenter notavit Peregr. *d. c.* 6. *n.* 33. Marius Ital. *d. §.* 6. *n.* 23. *in fin.* & *§.* 3. *n.* 4. Farinac. *de immun. n.* 346. *circa med.* & nos alibi. Quorum opinionem aliàs S. Congregatio Immunitatis approbavit. 13

Quæ sanè eò magis procedunt, quando probatur non fuisse in porticu sepulta cadavera mortuorum, sicque non fuisse reputatum cœmeterium, sed locum profanum, in quo negotia profana peracta sint, quæ profectò non fuissent permissa, si fuisset cœmeterium, & locus sacer, ut inquit textus in *cap.* 2. *extr. de immun. in* 6. & *in cap. Cum Ecclesia*, *eod. tit.* ubi notant omnes Canonistæ, probantque Germon. *de immun. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 37. & Suar. *d. tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *c.* 8. *n.* 5 & *seq.* 14

Ita quod ubi constaret dictum locum esse cœmeterium, ex quo tamen in eo profana ab immemorabili fuerunt tractata, non excluderet delinquentes ab Immunitate Ecclesiæ, cùm non possit amplius dici locus Sacer, vel sanctitudinis, saltem ad effectum prædictum, ut docet Suar. *ib. n.* 8. Sebast. Medic. *de sepult. p.* 2. *q.* 10. *nu.* 4. Borrel. *in sum. dec. tit.* 3. *nu.* 43. *p.* 1. & Mar. Ital. *d. cap.* 4. *§.* 2. & *§.* 6. *n.* 5. & 6. & *§.* 9. *n.* 8. & *seqq.*

Atque ita censuit Sac. Congregatio Immunitatis iterum ac sæpiùs, præsertim in una *Spoletana* die 7. Februarii 1630. & in una *Camerinen.* die 3. Aprilis 1635. & in Asculana 20. Decembris 1637. ac in Dortonen. 9. Septembris 1670. nimirum porticum, de qua disseruimus, gaudere. Et constat etiam ex sequentibus declarationibus ejusdem Sac. Congregationis. In Perusina die 21. Novembr. 1635. *S. Congreg. &c. censuit*, *Oratorem gaudere debere immunitate Ecclesiastica*, *cùm archibusum ex cujus ictu sequuta est mors Laurentii non sit explosum in Ecclesia*, *vel cœmeterio*, *sed tantùm in loco immuni*. In Hieracen. die 26. Decembris 1642. *Sacra*, *&c. censuit*, *oratorem*, *qui Joannem Baptistam Zarzanam occidit in limine portæ Ecclesiæ gaudere debere immunitate Ecclesiæ.*

CON-

CONSULTATIO CLXXII.

Reſtitutio extracti ab Eccleſia quomodo eidem fieri debeat? Ubi in hanc rem plura non ſpernenda pro Legatis, Nunciis, Epiſcopis, Vicariis, aliiſque.

1 EXtractio confugientis ab Eccleſia probatur per teſtes, ideòque dubitari non poteſt de juſtitia fulminationis cenſurarum contra extrahentes ex diſpoſitione Conſtit. Greg. XIV. atq; ex traditis per Farin. *de immun. c. 20. n. 307.* cum ibi allegatis. Ad quarum cenſurarum fulminationem procedi debet non ſolùm contra miniſtros, ſed etiam contra Judices laicos, qui extractum poſt requiſitionem nedum reſtituere recuſant, verùm etiam in carceribus retinent. Idem Farinac. *loco cit. num. 324.* Genuen. *in prax. c. 12. de immun. in fin.* ubi etiam firmat extractum nulla alia de cauſa, ſeu delicto retineri poſſe. Concordat Peregr. *de immun. cap. 25. num. 25.* & in puncto cenſuit Sac. Congreg. Immunitatis in una *Neapolitana* die 26. Martii 1629. contra Judicem Califanum.

2 Nec dicti Judices excuſari poſſunt ob prætenſam ignorantiam hujuſmodi extractionis ab Eccleſia, dum de illorum ſcientia conſtet ex proteſtatione, & inſtantia eiſdem facta per ipſum extractum carceratum, necnon ex negotiatione miniſtri Eccleſiaſtici. Item conſtare poterit ex intimatione cum affixione ſignificatoriæ Curiæ Eccleſiaſticæ de extractione facta, quæ licet poſterior ſententia lata, præcedit tamen illius exequutionem, a qua propterea deſiſtendum erit.

3 Qui teſtes, licet non ſint examinati prævia citatione partis, ſeu Curiæ laicalis, nihilominus in cauſa violatæ Immunitatis ſufficiunt, ut de ſtylo particulari Curiæ Neapolitanæ atteſtatur Genuen. *ib. cap. 23. n. 19.* Aliàs numquam, vel rarò poſſent a Curia Eccleſiaſtica haberi probationes. Quod in terminis fuit dictum in ſupracitata Neapolitana contra Judicem Califanum.

4 Nec pro reſtitutione, ſeu reintegratione Eccleſiæ ſuffragari poteſt fuga extracti a carceribus cum ſubſequuto confugio ad alteram Eccleſiam, ita quando res pervenit ad manus creditoris, debitor remanet liber a reſtitutione, ut rectè Bonac. *de imm. Eccleſ. diſp. 3. q. 7. §. 5. nu. 3.* Siquidem hujuſmodi novum confugium probari debet ex proceſſu Judicis Eccleſiaſtici, qui ſolus ad hunc effectum attendendus eſt. Nec propterea dici poteſt ſatisfactum violationi Eccleſiaſticæ, pro qua requiritur repoſitio extracti in eodem loco immuni ad text. *in cap. Reintegranda 3. quæſt. 1.* Gloſ. *in cap. Si quis in atrio 17. qu. 4.* traditque Archid. *in cap. Miror. circa med. 17. quæſt. 4.* ubi Turrecrem. *ſub princ. & in fin.* Gambacur. *de immun. l. 4. c. 22. n. 17.* cum aliis ibi relatis. Et ex decreto Sanctiſſimi ſervatum fuit contra Gubernatorem Urbis in extracto ab Eccleſia S. Mariæ de Pace die 27. Auguſti 1629. in qua extractus repoſitus fuit ab eiſdem birruariis publicè poſt meridiem. Idemque fuit decretum ab eodem Sanctiſſimo in extracto ab Eccleſia S. Mariæ de Populo, & aliàs cenſuit S. Congregatio Immunitatis, præſertim in Salernitana die 7. Maji 1630. Quod etiam conſtat obſervatum in Civitate Ferrarienſi ſub anno 1624. ex declaratione Cardinalis Lenii cum exequutione Cardin. S. Marcelli.

5 Quæ opinio nititur pluribus rationibus. Primò, quia hujuſmodi Eccleſia dicitur propriè offenſa. Secundò, quia populus dicti loci, qui habuit ſcandalum, debet habere notitiam emendationis. Tertiò, quia daretur multiplicatio ſcandalorum, & traheretur in exemplum. Idque maximè procedit, quando extractus aſſerit ſe non eſſe tutum in Eccleſia, in qua repoſitus eſt, cùm ibi non habeat eandem libertatem, quam habebat in Eccleſia, a qua fuerat extractus.

6 Et licet in proceſſu laico conſtaret de confeſſione extracti, quod ſcilicet a carceribus, a quibus aufugit, fuerit aſportatus ad aliam Eccleſiam. Nihilominus huic confeſſioni extortæ non eſt adhibenda fides, ſi fuit facta poſt ſententiam latam, & in tormentis abſque alia ratificatione, ut firmat ex multis Farin. *de reo, & confeſ. q. 83. c. 3. n. 67. cum ſeq.* Eò vel maximè ſi fuerit extorta poſt novam inſtantiam extracti pro repoſitione in Eccleſia, ſeu de gaudenda Immunitate, & ſic ad effectum cognoſcendi, & declarandi articulum, an gaudere deberet Immunitate, ſuper quo cùm Judices laici ſint omninò incompetentes, ex quo hujuſmodi cognitio, & declaratio ſemper ſpectat ad Eccleſiaſticum privativè quoad Judices laicos, Farinac. *de Immun. n. 367.* & paſſim cenſuit eadem S. Congregatio, intrat ſanè alia concluſio vulgata, quod confeſſio facta coram Judice incompetente etiam ratione materiæ non relevat. Idem Farinac. *d. loco de reo, & confeſ. q. 81. n. 203.* junctò *n. 188.* Præſertim ſi ex relatione Ordinarii in ſpecie de hoc requiſiti contrarium expreſsè aſſeratur.

Verùm quatenus etiam probaretur dictum novum con- 7
fugium, ſeu tranſportatio ad aliam Eccleſiam, non idcircò diceretur ſatisfactum Eccleſiæ, nec ſequuta reſtitutio, ſeu reintegratio requiſita, cùm fugiens a carceribus non poſſit dici reſtitutus per Judices laicos, illum in carceribus detinentes, vel de illorum juſſione, & voluntate, prout neceſſariò requiritur ad hunc effectum. Textus eſt *in d. cap. Miror. 17. q. 4.* ibi; *Revoca quem rapuiſti*, ubi Turrecrem. *& in cap. Sicut antiquitùs*, ibi: *Emendat, reddat, & in cap. Frater*, ibi: *Dimiſerunt, eadem q. 3.* Hoc idem probat textus *in cap. Accedens de procur.* ubi Abb. *n. 2.* Dum enim diſponit relaxationem fieri debere per retinentem, & per eum conduci relaxatum ad locum tutum, in neceſſariam conſequentiam venit, quod reſtitutio fieri debeat ab ipſo retinente, vel ſaltem de illius mandato, & voluntate. Quia cùm ex violatione facta Eccleſiæ inferatur publica injuria, requiritur actus contrarius correſpondens publicæ pœnitentiæ, qui actus conſiſtit in reſtitutione ſolemni ipſi Eccleſiæ per violantem Eccleſiaſticam Immunitatem, & in ſolutione damnorum, & intereſſe ipſi extracto, ſeu retento in carceribus ex deductis a Peregr. *de imm. cap. 15. numer. 25.* Quæ ſupponunt perneceſſe factum, & voluntatem ipſius extrahentis, vel retinentis.

Quare non poteſt dici ſatisfactum Eccleſiæ ex fuga 8
extracti a carceribus laicis. Quia extrahentes ſaltem tenentur extractum tranſmittere ad carceres Judicis Eccleſiaſtici, donec, & quouſque Eccleſiaſticus decernat eum debere, vel non debere gaudere immunitate, juxta communem concluſionem etiam in Tribunalibus laicis receptam, ut per Giurb. *conſ. 20. num. 23.* atque adeò ſola fuga a carceribus laicis non ſatisfacit Eccleſiæ læſæ, ſed ad ſummum præſtat excuſationem, donec Judex habeat facultatem illum reſtituendi. Addo quod extractus neque volens poteſt ſe tradere in manus Curiæ ſæcularis antequam ſit Eccleſiæ ſatisfactum. Quia privilegium Immunitatis Eccleſiaſticæ, vel eſt inductum favore Eccleſiæ tantùm, vel ſaltem mixtim ratione Eccleſiæ, & perſonæ, itaut illi non poſſit per extractum renunciari, ut fuit non ſemel ab iiſdem laicis judicatum, & ſignanter apud Maſtrill. *dec. 169. lib. 2.* Ideòque neque poteſt hoc facere per fugam, dum non eſt in carceribus Eccleſiaſticis. Quia retentio in carceribus ſæcularibus oſtendit voluntatem Judicis repugnantem in ſatisfaciendo Eccleſiæ, & fuga carcerati non eſt actus Judicis Eccleſiæ ſatisfactorius. Cui quidem privilegio confugiens non poteſt renunciare neque tacitè, neque expreſſè, nec ante extractionem, itaut capiatur in eadem Eccleſia, nec poſt extractionem, itaut illi non reſtituatur, ut communiter tenent Doctores, & nominatim Dec. *d. lib. 6. cap. 26. n. 12.* Farin. *de immun. cap. 19. num. 304.* Guazzin. *defenſ. 1. cap. 36.* Maſtrill. *d. dec. 169. num. 8.* Vermigl. *conſ. 101. num. 5.* Bonacin. *de cenſur. in part. diſp. 2. q. 3. punct. 16. §. 3. num. 12.* Dian. *d. p. 4. reſol. 32.* D. Fagnan. *in cap. Inter alia num. 61. & 87. cum ſeqq. de Immun. Eccleſ.* & declaravit etiam Sacra Congregatio immunitatis in una Cajacen. die 20. Novembris 1640. *Sacra, &c. Reſpondit, reſcribendum eſſe Vicario, ut faciat reſtituere Oratorem eidem Eccleſiæ, a qua fuit extractus, cùm non potuerit pro renunciatione ipſius præjudicare Eccleſiæ. Secuta autem reſtitutione erit in ſui arbitrium ſe conſtituere in carceribus.*

Minus ſufficit reſtitutio facta Epiſcopo, vel repoſitio in 9
carceribus Eccleſiaſticis juxta Farinac. *conſ. 166. nu. 49. in fin.* Immò etiam in ſententia eorum, qui putant ſufficere reſtitutionem factam Epiſcopo, certum eſt, quod illa debet eſſe talis, ut Epiſcopus deinde extractum liberè in Eccleſia reponat, non ut in carcere detineat, ut declarat Delbene *d. cap. 16. dub. 33. num. 2.* Epiſcopus enim cùm ſit Procurator, & Oeconomus, non autem dominus Eccleſiæ, ſine Capitulo non poteſt remittere injuriam illi factam per extractionem & retentionem confugientis per Gloſ. *in cap. Si is, qui 23. quæſt. 4. v. Poſſumus*, Abb. *in cap. Contingit 36. num. 11.* Innoc. *in princ.* Hoſtien. *num. 2. & ſeqq. de ſent. excomm.* & alios, quos refert Biſeld. *de injur. & damn. dat. cap. 7. in 4. & ult. concluſ.*

Nec etiam ſatis eſt ſimplex excarceratio niſi etiam ſe- 10
quatur repoſitio extracti in Eccleſia, ut reſpondit Sac. Congregatio in una *Mediolanen.* die 23. Febr. 1638. his verbis: *Scribatur Em. Archiepiſcopo, ut Oratorem faciat reſtituere eidem Eccleſiæ, a qua fuit extractus, nec ſufficere illius excarcerationem pro reintegratione violatæ Immunitatis Eccleſiæ ob extractionem ejuſdem Oratoris.* Sicq; reſtitutio ſemper facienda eſt eidem Eccleſiæ, a qua fuit facta extractio, & non alteri, ut paſſim reſcribere ſolet

eadem

eadem S. Congregatio. Quinimmò, ut restitutio fieri possit alteri Ecclesiæ, est necessaria dispensatio Summi Pontificis, & consensus extracti, ut declaravit eadem Sac. Congregatio in *Neapolitana* die 21. Aprilis 1634. & in una *Mediolanen.* die 28. Novembris 1634. in hunc modum. *D. Secretarius juxta mentem, scilicet, ut mediante authoritate Sanctissimi faciat convalidare restitutionem factam alteri Ecclesiæ, cum non dependeat a consensu partium, sed ab authoritate Sanctissimi.* Sacra &c. *Censuit, restitutionem Oratoris extracti de jure faciendam esse eidem Ecclesiæ Civitatis Lauden. a qua fuit extractus, etiamsi hodie moram trahat in Civitate Romana distante a loco factæ extractionis. Posse tamen hoc casu Sanctissimum D. N. dispensare, ut restitutio fiat Ecclesiæ Lateranensi, attento consensu Oratoris, qui restitui debet.* Ex quibus elicitur validum argumentum dominii, quod retinet Ecclesia super persona extracta, donec, & quousque sibi restituatur.

11 Idque in terminis firmat Gambacur. *de Immun. lib. 4. cap. 22. num. 17.* ibi: *Atque ipsi sive partes sint, sive Magistratus teneantur in conscientia restituere.* Idem voluit Genuen. *loco alleg. cap. 17. sub num. 7.* Peregr. *d. cap. 15. numer. 21.* & faciunt deducta per Farinac. *in prax. de carc. qu. 29. numer. 11.* & *de immunit. cap. 2. num. 52.* Decian. *lib. 6. de var. quæst. circa extrahen. cap. 29. num. 7.* & per d. Gambacur. *ubi supra num. 18. cum seqq.* quos sequuti sunt Donat. Anton. de Marin. *lib. 1. resol. quotid. cap. 180. a num. 3.* Dian. *part. 4. tract. 1. resol. 34. in fin.* Delbene *de immun. cap. 16. num. 35. sect. 1. numer. 3.* & *seq.* & declaravit novissimè S. Congregatio Immunitatis sub die 20. Julii, & 14. Decembris 1655. in una *Angolonen.* Aliàs enim resultaret perniciosissimum exemplum, & aperiretur via fraudibus, ac deludendi restitutionem Ecclesiæ, ac debitam reintegrationem violatæ Immunitatis.

12 Nec obstat Bonacina *de Immun. q. 7. disp. 3. §. 5. num. 3.* Nam, præter quod communis, ac vera sententia est in contrarium, dicit dumtaxat in hunc modum: *Ego verò arbitror primò sufficere, ut extractus restituatur eidem, vel alteri Ecclesiæ, in qua æquè tutus, & libere esse possit.* Ex quibus colligitur tantùm restitutionem non esse faciendam necessariò secundùm illum eidem Ecclesiæ, sed non dicit, non esse faciendam per eos, vel de voluntate extrahentium, vel retinentium, imò contrarium supponit, dum utitur verbo *restituatur*, quod importat actum retinentis, vel extrahentis. Solumque Doctores ii, qui contra communem admittunt, sufficere repositionem fieri in alia Ecclesia, loquuntur quando repositus in alia esset æquè liber, ac in illa, a qua fuit extractus.

13 Atque ideò in una Neapolitana violationis immunitatis Ecclesiasticæ die 4. Octobris 1630. Sacra Congregatio Immunitatis facto verbo cum Sanctissimo censuit demandandum esse Nuncio, ut in servatis servandis, procedat ad fulminationem censurarum contra quoscunque Ministros, ac Judices Vicariæ, ac alios complices ex causa violatæ Immunitatis ob non restitutionem, & retentionem in carceribus Baronis Palagianelli, & mortem ei illatam. Sed pro nunc contra Ministros Inferiores, & contra Judicem referentem, cùm præservativa procedendi contra alios. Et ita, facto denuò verbo cum Sanctissimo, fuit de ejus mandato directa commissio Nuncio, quia ipse fecit processum, ipseque egit, quæ fuit exequutioni demandata per publicationem censurarum, & affixionem cedulonum; sed ratione suspicionis pestis fuit data facultas eidem Nuncio illos absolvendi in Civitate Neapolitana absque eò quòd accederent ad Urbem, idque ex gratia speciali Sanctissimi.

14 Ulterius pro reintegratione requiritur etiam restitutio omnium rerum, præsertim armorum, quæ fuerunt ablata in extractione, cùm extractus sit restituendus quoad omnia in pristinum, *dict. cap. sicut antiquitùs 17. quæst. 2.* Et in puncto de reintegratione armorum censuit Sac. Congr. quod ante absolutionem facienda sit restitutio in integrum armorum in una Lunen. Salzanen. die 4. Augusti 1624. & die 24. etiam Augusti ejusdem anni in una *Brunduſina*, & in una *Mediolanen.* die 28. Maji 1626.

15 Quæ omnia procedunt etiam contra ministros, & officiales Curiæ Cardinalium Legatorum, ac Nunciorum, violantes Immunitatem Ecclesiasticam, a cujus censuris iidem Legati, ac Nuncii absolvere eos non possunt, cùm nullus eos absolvere possit nisi Pontifex, cui soli id reservatum est *in extr. Etsi Dominici, de pœnit. & remiss.* & in Bulla Cœnæ post §. 20. Et ita jussu Pauli V. declaravit Sac. Congregatio Concilii die 18. Novembris 1617. & in specie quoad Legatum Bononiensem declaravit Sacra Congregatio immunitatis in una *Mutinen.* die 11. Augusti 1626. & respectu Nuncii Colonienſis in una Colonienſi die 17. Martii 1625.

Nec suffragatur, quod tanquam ministri, & officiales 16
Cardinalis Legati, sive Nuncii non sint subjecti tribunali Episcoporum. Nam versamur in censuris a lege, & a Pontifice inflictis, quæ omnes comprehendunt. Episcopi verò sunt tantùm exequutores.

Atque ita eadem S. Congregatio Immunitatis censuit in 17
una Ferrarien. die 17. Septembris 1632. Unde ratione exempli, ac præjudicii Immunitatis Ecclesiasticæ, præsertim cum agebatur de casu notorio, mandavit Ministris Cardinalis Legati satisfactionem præstandam Ecclesiæ, & deinde absolutionem in forma. Extantque in hanc rem literæ Eminentissimi D. Cardinalis Barberini, datæ Eminentissimo Cardinali Malagotto, Episcopo Ferrariensi quæ sunt hujusmodi: *Le controversie nate trà la Corte di V. Em. e quella del Signor Cardinal Legato, sono parse degne d' esser considerate dalla S. Congregazione sopra le controversie giurisdizionali Ecclesiastiche, onde avendole sua Beatitudine rimesse ad essa, quelli Eminentiss. miei Signori hanno terminato alcuni punti, de' quali io dò parte all' Em. V. e al Signor Cardinal Legato. Primieramente considerando la S. Congregazione molti casi decisi altre volte in conformità de' Sacri Canoni, e parere de' Dottori, ha giudicato esser necessaria la restituzione di Francesco Contessi reo estratto alla medema Chiesa, di dove fu levato, ed anco dell' armi, che sono state tolte dalla detta Chiesa. Hanno inoltre giudicato, che essendo riservata l' assoluzione dell' Immunità Ecclesiastica, non poteva nè anche il Legato, senza special facoltà di N. Sig. dar l' assoluzione alli rei incorsi nelle censure per questa causa, e che eglino non potevano esercitar l' officio loro, senza ricever prima l' assoluzione da chi aveva facoltà da questa S. Sede di darla. Che inoltre i ministri del Sign. Cardinal Legato non potevano rimuovere i cedoloni affissi, nè fare altri atti contro i ministri di V. Em. che gli sbirri estraenti debbano essere assolti pubblicamente in forma Ecclesiastica consueta nella medema Chiesa, dove hanno commesso l' eccesso, con che prima pongono pubblicamente l' estratto, se si ritrova, o almeno le sue armi nella stessa Chiesa. Che gli altri officiali maggiori incorsi nella medema censura siino assolti privatamente, precedente però la rivocazione de' suddetti atti fatti contro i ministri d. V. Em. quali atti originali dovranno consignarsi alla sua Corte. Si procederà appresso a chi dovrassi dar facoltà di assolvere i censurati, e se in questo particolare dell' Immunità siino sottoposti i ministri della legazione alla giurisdizione del Vescovo, del che io a suo tempo darò parte a V. Em. alla quale, è parso anche a S. Santità, che io come tanto suo servitore, e osservantissimo di amendue loro, partecipi di questa risoluzione della S. Congregazione. Confido, ch' ella con la sua pietà, e zelo concorrerà nel medemo sentimento, e quella prudenza, che riluce nelle sue azioni, cooperarà alla quiete, che si desidera in questo affare, come io ne la priego con tutto l' animo, e le bacio per fine umilmente le mani. Di Roma a' 29. Maggio del 1632.* Item aliæ ejusdem ad eundem in hunc tenorem. *A' 2. del presente si fece di nuovo la Congregazione per definire i punti, che restavano indecisi sopra le differenze trà la corte di V. Em. e quella della Legazione, nella quale è stato risolto, che V. Em. ha potuto validamente denunciare scommunicati, mediante l' affissione de' Cedoloni, coloro, ch' estrassero il Contessi dalla Chiesa Parochiale di Fossanova, e quanto alla facoltà d' assolvere i suddetti, e quelli, che amossero i cedoloni, e vi cooperarono nella loro amozione, ed anche gli officiali maggiori, che hanno prestato complicità nelle cose suddette, ed altre fatte con occasione di questa causa, la maggior parte ha giudicato, che questa autorità si debba delegare a V. Em. Ma nostro Sig. per agevolar maggiormente la funzione, e per sollevar lei da questo incomodo, ha voluto addossar questa fatica al Sig. Cesare Balduini, Vicario del S. Cardin. Arcivescovo di Ravena, che risiede in cotesta Città, che doverà quanto prima assolvere i censurati nel modo e forma, e con le condizioni, come appresso, eccettuato però il Luogotenente Buttini, e 'l fratello del Barigello, sopra i quali si dirà appresso il senso della S. Congr. Quelli, che estrassero il Contessi dalla Chiesa Parochiale di S. Marco dovranno essere assolti nella medema Chiesa con le consuete solennità prescritte dal Ceremoniale, alla quale ha voluto la S. Congregazione, che vi preceda la restituzione del reo, e dell' armi nella medema Chiesa, e avrebbe anche desiderato, che ciò si facesse nel giorno di festa, e trà le solennità della Messa, acciocchè maggiormente si levasse lo scandalo, e l' esempio. Quanto a coloro, che hanno amosso i Cedoloni, e cooperato all' amozione, hanno giudicato questi Em. Signori, che debbano essere assolti con la medema ceremonia nella Chiesa Cattedrale, e per tor via l' esempio dell' amozione, hanno ordinato, che avanti di ricevere l' assoluzione, debbano essi medesimi riattacare i cedoloni, i quali si lascino stare così affissi almeno per un giorno. Altri officiali maggiori*

dovran-

dovranno essere assolti privatamente, alla quale assoluzione ha voluto la S. Congregazione, che preceda prima la cassazione dell' obligazione giuratoria fatta dal Brunetti Notaro della Curia Episcopale. Secondo l' annullazione di tutti gli atti fatti in questa causa da' ministri della legazione, i quali atti tutti si dovranno antecedentemente restituire alla Curia Vescovale, se saranno in quinterno, ma se saranno ne' libri, dove sieno mescolate altre cose, si cassino i medesimi atti, e si annullino con decreto in margine di ciascuno. E tutto questo ha giudicato la S. Congregazione non ostante la sentenza del Luogotenente civile proferita in questa causa. Ho voluto dare così minuto avviso a V. Em. di tutto quello, che ha risoluto la S. Congregazione perchè trattandosi della salute dell' anime di tanti censurati, non mi è parso di tacere cos' alcuna, che non espressa potesse render dubbia l' assoluzione, &c. Di Roma a' 5. di Giugno 1632. Ac demum literæ ejusdem Em. Barberini ad præfatum Cæsarem Balduinum tenoris sequentis. *Avendo la Sacra Congregazione sopra l' Immunità Ecclesiastica dichiarato esser incorsi nelle censure riservate a N. Sign. il Barigello, e li Sbirri, che hanno estratto dalla Chiesa di S. Marco di Fossanova diocese di Ferrara Francesco Contessi rifugito in essa, e gli Sbirri, e gli altri ministri, che hanno rimosso i cedoloni fatti attaccare dalla Curia Episcopale contro i suddetti estrattori, e quelli ancora, che hanno operato in quest' amozione, ed anche gli officiali maggiori, che nelle cose sopraddette, ed altre con occasione di questa causa hanno prestato la loro complicità, S. Beatitudine col parere della medema Congregazione communica la facoltà necessaria a V. S. di dare l' assoluzione a' suddetti censurati, se la dimanderanno, eccettuato il Luogotenente civile Buttini, e 'l fratello del Barigello di Ferrara nella forma, e con le condizioni infrascritte, cioè quelli, ch' estrassero il Contessi dovranno ricevere l' assoluzione nell' istessa Chiesa Parochiale di S. Marco con la consueta solennità prescritta dal Ceremoniale, con questo però, che vi preceda la restituzione del medemo Contessi alla detta Chiesa, e delle sue armi, che gli furono levate. Il che si doverà fare nel giorno festivo, & inter missarum solemnia. Quelli, che hanno amosso i cedoloni, e nell' amozione di essi hanno cooperato, dovranno essere assolti con la medema forma nella Cattedrale di codesta Città con questo, che antecedentemente essi medesimi riattacchino nel medesimo luogo i cedoloni, e che gli lascino stare almeno per un giorno. A gli altri officiali maggiori, eccettuatone il Buttini, darà l' assoluzione privatamente, alla quale dovrà procedere prima la cassazione dell' obligazione giuratoria fatta dal Brunetti Notaro della Curia Episcopale. Secondo, l' annullazione del precetto fatto al Dottore di S. Marco di comparire nella Curia della legazione. Terzo, l' annullazione di tutti gli atti fatti in questa causa da' ministri della Legazione non ostante la sentenza del Luogotenente Buttini, quali atti tutti si dovranno antecedentemente restituire alla Curia Episcopale se saranno in quinterno separato, ma se saranno co' libri, dove sieno mescolate altre cose, dovranno cassarsi, e annullarsi col decreto in margine di ciascuno. Tutto questo V. S. dovrà eseguire procedendo con ogni destrezza, e prudenza, e servendosi del suo proprio Notaro, e Ministri, e dopo data l' assoluzione, ella trasmetta alla Sacra Congregazione la fede autentica del tutto, con che io saluto V. S. di cuore. Di Roma a' cinque di Giugno del 1632.*

CONSULTATIO CLXXIII.

An Commendatores Ordinum militarium possint retinere, & carcerare Sacerdotes sæculares ad curam animarum a se deputatos cum approbatione Ordinarii in Ecclesiis Parochialibus suorum Ordinum ob causas ad ipsam Curam animarum concernentes?

Et an eis Episcopus possit demandare monitionem, ut tanquam excommunicati abstineant?

Item a quonam delicta ob dictas causas cognosci debeant?

1 AD primum respondeo, non posse, idque facientes incurrere in censuras. Nam hujusmodi Capellani deputati ad animarum curam sunt Sacerdotes sæculares. Ex retentione autem, vel carceratione Clerici, etiam facta in loco privato, & sine læsione incurritur excommunicatio per textum *in cap. Nuper de sentent. excommun.* ubi post antiquiores notat Barbos. *numer.* 2. Farinac. *in prax. quæst.* 27. *num.* 20. & in puncto de ostio cubiculi clauso, itaut ingredi non possit, Innoc. *in c. Nuper sub princ.* Navar. *in man. cap.* 27. *numer.* 77. Bonac. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 6. *sect.* 1. *§.* 1. *sub numer.* 3. Genuen. *in prax. capit.* 35. *numero* 2.

Neque potest suffragari prætextus jurisdictionis Commendatoris. Quia nullam potest habere jurisdictionem in Sacerdotem sæcularem deputatum cum approbatione Episcopi ad curam animarum, nec pro prætenso delicto commisso in prædicatione, vel alio munere parochiali, sed jurisdictio spectat ad Episcopum diœcesanum ex *c. Inter cætera, de offic. ordin.* ex Clem. *Dudum, §. Verum de sepult.* ex Sac. Congregatione Concilii Tridentini *in cap.* 2. *sess.* 5. *de reform.* & clarius ex Constitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis. 2

Ratio autem est, quia, ut Sacerdos sæcularis, præsertim ad curam animarum deputatus, retineri, ac puniri possit, requiritur nedum quod sit subditus, verum etiam quod criminis commissi correctio spectet ad detinere, seu punire volentem juxta theoicam Hostiensis *in cap. Ut famæ, num.* 4. *ante fin.* ubi Abb. *num.* 5. *de sent. excomm.* Idem firmat post alios Soc. *in cap. Pervenit, num.* 257. *de appell.* & Graff. *de effect. Cleric. effect.* 7. Et ideò jurisdictio Commendatoris conrra eos, qui intra septa Commendæ residenr, locum habet, vel in professis in eodem Ordine militari, vel in deserviente ipsi Militiæ, & sub obedientia existente, Ricc. *in prax. par.* 2. *tom.* 1. *resol.* 41. *num.* 3. & magistraliter censuit Sacr. Congregatio Concilii in illa celebri declaratione Venusina die 22. Augusti 1609. in terminis Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, quam sæpiùs eadem Sacra Congregatio approbavit. Isti autem Sacerdotes inserviunt Ecclesiis in cura animarum administranda, cujus ratione subjiciuntur Ordinario approbanti, & illius obedientiæ, ac jurisdictioni ex supra allegatis. Quod perspicuè etiam habetur ex Tridenti *cap.* 11. *sess.* 24. *de reform.* & ex Probo, atque aliis notat Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 33. *num.* 19. ac censuit eadem Sacr. Congregatio Concilii in sequentibus declarationibus, & aliis sæpè. 3

In Tranen. Sacra, &c. censuit, Archiepiscopum posse tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum ex decreto cap. 11. *sess.* 24. *& ex Constitutione Gregorii XIII. procedere in criminalibus, & circa morum correctionem contra inservientes in Ecclesia S. Sepulchri militiæ S. Joannis Hierosolymitani.* 4

Die 8. *Junii* 1624. *supra, &c. ad* 2. *respondit, Sacerdotes, tàm sæculares, quàm dicti Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Regulares curam animarum personarum sæcularium exercentes in iis, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, subesse in omnibus jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, neque posse etiam quemcunque ad nutum amovibilem ad eandem curam a prædicto Commendatore deputari, nisi de ipsius Episcopi consensu, ac prævio examine per eum, vel ejus Vicarium faciendum, quemadmodum statuitur ejusdem Sacri Concilii decreto, non obstantibus privilegiis quibuscunque.* 5

Quod verò ad secundum attinet, respondeo, quod Episcopus potest demandare monitionem, ut ejusmodi Commendatarii tanquam excommunicati abstineant, quinimmò, & potest eos denunciare facere. Probatur ex textu in *Clem.* 1. *de privil.* ibi: *Quos etiam locorum Ordinarii excommunicatos denunciare faciant*, & post Cardin. Zabarel. & alios de communi testatur Laurent. de Franch. *de controv. inter Episcop. & Regul. qu.* 7. Idemque firmat Jo: Andr. *in cap.* 1. *in fin. de privil. in* 6. & ibidem Gemin. *§. Nunquid num.* 5. *& in cap. Episcoporum, de privil. etiam in* 6. Felin. *in c. Non potest numer.* 3. *de re judic.* qui dicit textum *in d. Clem.* 1. esse clarum, traditque Campanilis, qui etiam de communi profitetur *in divers. jur. can. rubr.* 12. *cap.* 16. *numer.* 24. firmans, opinionem contrariam esse communiter reprobatam, prout censuit eadem Sacra Congregatio in discussione supradictarum declarationum, ac prosequitur Fusch *de visit. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 24. *in fine*. Et ita etiam censuit eadem Sacra Congregatio in sequentibus declarationibus. 6

Die 24. *Maji* 1621. *S. Congregatio Concilii censuit, Regulares quoquomodo exemptos, qui ob delictum in excommunicationem inciderunt, posse ab Episcopo denunciari excommunicatos, ut ab aliis evitentur.* 7

In Limana die 29. *Januarii* 1633. *Sacra, &c. respondit Regulares quoquomodo exemptos, qui ob delictum in excommunicationem inciderunt, posse ab Ordinario denunciari excommunicatos ad hoc, ut ab aliis evitentur.* 8

Hæc autem opinio ea potissimum ratione innititur, 9

quod

quod denunciatio, & multò magis monitio, uti inducta favore animarum, reputatur actus, qui potest exerceri etiam a non habente aliquam jurisdictionem, ut præter alios notat Jo: Andr. *in d. cap. 1. de privil. in 6.* Felin. post Abb. *in cap. Nam potest sub num. 3. de re judic.* Zabarell. *in Clem. fin. quæst. 4. de pœnit. & remiss.* Et ad hujusmodi denunciationem censetur facultas a jure permissa, & ad illam faciendam sufficeret etiam extrajudicialis informatio, ut firmat idem Lauretus *d. q. 7. circa fin.* Et maximè in offensione commissa in Clericum publicè *d. c. Pervenit de appell.* Genuens. *in prax. c. 13. sub num. 16.*

10 Nec subsistit, quod pro hujusmodi denunciatione, & multò magis pro sola monitione requiratur aliqua citatio. Nam expressè contrarium disponitur *in cap. Pastoralis, §. Verùm in fin. de appell. cap. Si inimicus 92. d. c. Pia de except. lib. 6.* ac tenet Felin. *in cap. 3. n. 3. de re judic.* & latè cum rationibus firmat Roman. *cons.* 482. *n.* 5. censuit eadem S. Congregatio in supradicta Limana anno 1633. Quod absque ulla difficultate videtur procedere in delicto publicè perpetrato.

11 Et quod ad tertium pariter dicendum est, cognitionem hujusmodi causarum spectare ad Episcopos. Cùm enim delictum sit ratione curæ animarum, nempè in administratione Sacramentorum, vel in prædicatione commissum, utique illius cognitio privativè quoad alios spectat ad Episcopum *ex d. c. Inter cætera, de offic. ord.* Quod etiam decernit *dict. Clem. Dudum, §. verum de sepult.* & S. Conc. Trident. *cap. 4. sess. 24. de reform.* In his enim excessibus, concernentibus curam animarum, & signanter in prædicatione, ut clarè habetur *in d. Clem. Dudum d. §. Verum*, ibi: *Prædicare*, & in S. Conc. Trid. *c. 2. vers. si verò, sess. 5. de ref.* Episcopus habet specialem jurisdictionem a jure, & d. Concilio delegatam, textus est *in cap. Per exemptionem, de privil. in 6.* & statuit S. Concil. *d. c. 2.* & novissimè Constitutio Greg. XV. *de exemptor. privil.* cum similibus.

12 Atque ita eadem Sac. Congregatio Concilii censuit in una *Eysteten.* die 28. Augusti 1649. *Sacra &c. Utraque parte informante, & facto prius coram Secretario inter partes concordato, ac juribus per manus Eminentissimorum Patrum transmissis, censuit standum esse in decretis sub die 14. Mart. 1648. scilicet Commendatorem oppidi Mingani Ordinis Theutonici una cum complicibus incidisse ipso jure in censuras ob retentionem, & carcerationem Martini, Sacerdotis sæcularis ad curam animarum deputati cum approbatione Episcopi Eysletensis in Ecclesia Parochiali ejusdem Oppidi Mingani, illosque potuisse ab Episcopo, nedum moneri, verùm etiam denunciari excommunicatos, ut ab aliis evitarentur. Ulteriùs cognitionem causæ delicti, ut prætenditur a dict. Sacerdote commissi, privativè ad ipsum Episcopum spectare. Eidem autem Episcopo concedendam esse facultatem, supradictos excommunicatos absolvendi cum pœnitentiis salutaribus, facto verbo cum Sanctissimo.*

CONSULTATIO CLXXIV.

1 CUm S. Congregatio Immunitatis frequenter ac præsertim sub die 30. Junii 1632. in una Vercellen. censuerit, Judices, & ministros laicos non posse prohibere exequutoribus Curiæ laicalis quominus exequantur monitoria mandata, & similia Curiæ Ecclesiasticæ, etiam nulla ab eisdem Judicibus, & Ministris laicis petita licentia, sive sensu; ideò quæritur,

An Judex laicus prohibere possit birruariis, aliisque Exequutoribus Curiæ sæcularis, quominus mandata Curiæ Ecclesiasticæ exequantur, eamque adjuvent sine sua licentia singulis vicibus per ministros Ecclesiasticos ab ipsomet imploranda, etiam cum significatione causæ, vel capturæ faciendæ, vel potiùs hujusmodi præceptum revocare teneatur juxta resolutionem ejusdem S. Congregationis in una Assisien. die 21. Martii 1646. tenoris sequentis: Ad 3. eundem Prætorem non potuisse præcipere balivis suæ Curiæ laicalis, ne inservirent, & non obedirent Curiæ Episcopali, & abrevocandum esse dictum ordinem per actum publicum, & dicti actus transmittatur copia authentica ad Sac. Congregationem, qua revocatione facta, absolvatur?

2 ET quidem videtur respondendum hujusmodi præceptum fieri non posse, sique fiat revocandum esse ex resolutionibus prædictis, quas tuentur authoritas Sac. Congregationis, & S. Canones. Quod, ut clariùs appareat, distinguendum videtur inter brachium sæculare, & brachium militare, seu familiam armatam Judicis sæcularis.

3 Brachium quippè sæculare non imploratur ab Episcopo tanquam quid materiale, seu meri facti, sed tanquam quid formale, seu facti, & juris. Quia imploratur authoritas Judicis ad effectum, ut suam sententiam exequatur. De quo brachio tractant Doctores *in cap. 1. de offic. ord.* disputantes, an Judex laicus teneatur exequi, non gustatis meritis causæ? Et an Episcopus possit hoc brachium implorare contra Clericum ante illius degradationem, cum Episcopus non possit eum subjicere potestati sæculari? Et de hoc nunc non agitur.

Brachium verò militare, seu familia armata, super 4
qua cadit dubium, imploratur tanquam quid materiale, & ideò differt ab imploratione brachii sæcularis, ut post Alciatum, & alios notant Prax. Genuen. *c. 36. num. 2.* & Molin. *de brach. sæcul. c. 10. n. 32.*

Id autem imploratur vel mediatè, vel immediatè. 5
Mediatè imploratur ubi pro eo requiritur Judex laicus: Quo casu ante Concilium Tridentinum videbatur implorandum singulis vicibus. Quia poterat dari casus, quod illud posset denegari, nempè si peteretur ab Ecclesiastico ante experta remedia spiritualia, cùm ante Concilium esset incipiendum ab excommunicatione. Sed post Concilium cum excommunicatio sit effecta remedium extraordinarium, quia est incohoandum ab exequutione reali, & personali, etiam per invocationem brachii sæcularis ex D. Fagnano *in cap. Pervenit num. 31. de adult.* dicendum videtur, satis esse, si semel Judex sæcularis requiratur ab Ecclesiastico ad hoc, ut toties quoties opus fuerit eidem inserviat familia sua, cum hodiè non possit dari casus licitæ denegationis, ut antea. Qua de re egregiè contra Covarruviam, & alios differit Salzedo ad Diaz. *in prax. crim. cap. 153. num. 4. & 5.*

Immediatè verò, & tutiùs imploratur, quando Judex 6
Ecclesiasticus directè præcipit birruariis, & exequutoribus laicis, ut sua mandata exequantur, non tanquam ministri Judicis laici, sed tanquam personæ privatæ. Quo casu nedum Judex Ecclesiasticus potest ei imperare, & ipsi vicissim tenentur obedire, non petita licentia a laico, sed etiam iste non potest hoc eis prohibere per rationem *in cap. fin. de Immun. in 6.* ubi subjiciuntur excommunicationi Domini temporales, qui suis subditis præcipiunt, ne artium, quas profitentur, obsequia præstent Ecclesiasticis.

Duæ namque in istis birruariis sunt considerandæ per- 7
sonæ, nempè privata, qua habitu, non actu sunt birruarii, & publica, qua sunt actu birruarii Curiæ sæcularis. Unde si Episcopus eorum brachium non petat a potestate sæculari, sed immediatè ipsos requirat, non dicitur eis imperare tanquam personis publicis, seu addictis servitio fori sæcularis, sed tanquam personis privatis, & birruariis habitu, qui in exequutione sibi demandanda nullo pacto repræsentare debent potestatem sæcularem, sed Ecclesiasticam, quicquid sit, ubi mediatè implorantur tanquam birruarii Curiæ sæcularis. Et propterea non possunt a laico prohiberi prætextu, quod sint personæ publicæ, sibique addictæ ratione muneris, quod suo nomine exercent; cùm ab Ecclesiastico requirantur, ut dixi, tanquam personæ privatæ, sibique subditi ac diœcesani citra publicam qualitatem laicalem, cùm authoritatem publicam, sine qua nequeunt esse actu birruarii, recipiant ab Ecclesiastico eo instanti, quo eis committat exequutionem, suo nomine faciendam. Unde si laicus eos prohiberet, incideret in excommunicationem *d. c. fin.* Quia remoto publico respectu, prohibitio sonaret in præceptum non adjuvandi Episcopum, seu illi non præstandi obsequium artis, cui se dederunt.

Neque obstat posse dari eventum, quod sæcularis eo- 8
dem tempore eorum ministerio indigeat. Nam quicquid sit, an potiùs Ecclesiastico Judici, quàm sæculari parere debeant cùm possit aliquando contingere, ut potiùs Ecclesiastico debeant obedire, sicuti videmus, vassallum aliquando potiùs Domino mediato, quàm immediato servire debere, Matt. *cons.* 487. *ex n.* 18. utique intra Civitatem casus iste vix est contigibilis, ita ut si opus fuerit, non possit statim haberi. Et quando ageretur de exequutione facienda in diœcesi posset adhiberi temperamentum circa numerum, ut nonnisi tot, & non plures sine laici Judicis scientia eodem tempore adhiberi valeant. Sed hoc prætextu non debet Episcopus privari jure suo, 9
quod sanè inutile redderetur, si cogeretur toties quoties requirere Judicem laicum, qui aliquando nollet, & aliquando non posset sui copiam facere, & interim occasio amitteretur. Et Episcopus contra nolentem, & recusantem non posset uti remedio excommunicationis, cùm ut plurimum, præsertim in Terris Ecclesiæ, superiores laici non possint excommunicari propter *Extrav. cùm Matthæus, de hæret.*

10 Atque adeò quod id ſit in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ, & eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere, decernitur *in d. cap. fin. de Immun. Eccleſ. in 6.* docentque Archid. Gemin. Jo: Andr. Anchar. Monach. & Franch. ibid. ubi etiam cæteri Doctores, quibus adſtipulantur Navarr. *in man. cap.* 27. *n.* 130. Layor. *de Jubil. p.* 2. *cap.* 23. *n.* 16. Vivian. *lib.* 4. *ration. jur. tit.* 49. *cap.* 5. Suar. *diſp.* 21. *de cenſur. ſect.* 2. *num.* 83. Reginald. *lib.* 9. *prax. for. pœnit. cap.* 24. *n.* 358. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 16. *cap.* 10. *n.* 271. Coriolan. *in Bullam Cœn. excom.* 15. Gambarup. *de caſ. reſer. cap.* 10. *n.* 10. & alii communiter.

11 Nam licet prohibitio fiat laico, redundat tamen in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis, quia ipſi indirectè prohibetur, ne poſſit uti jure ſuo, quoad exequutionem ſuæ juſtitiæ; unde fit fraus legi, quæ prohibet, perſonas Eccleſiaſticas ſubjici Judici laico. Is enim committit in legem, qui verba legis complectens, nititur contra legis voluntatem, *cap. fin. de reg. jur.* & facit etiam *c. Noverit, de ſent. excom.* Unde non eſt dubium, quin habeant locum pœnæ impoſitæ violantibus immunitatem, ac libertatem Eccleſiaſticam.

12 An autem habeat locum excommunicatio Canonis 15. Bullæ Cœnæ affirmo cum Ugolino *de cenſur. in explicat. d. can.* Filliuc. *d. tract.* 16. *cap.* 20. *qu.* 7. *n.* 267. Alterio *de cenſur. circa d. can. diſp.* 16. *cap.* 3. Duar. *in d. Bull. lib.* 2. *can.* 15. *qu.* 20. & *qu.* 22. *in fin.* ubi Addit. *v. Mendicantes*, qui aliàs citat.

CONSULTATIO CLXXV.

An qui veneno proximum ſuum enecat, committat homicidium proditorium, atque adeò privetur Immunitate Eccleſiaſtica? Ubi de Religioſo, qui veneno ſuperiorem ſuum ſuſtulit, quod regularem obſervantiam jam collapſam reſtaurare conabatur.

AFfirmativè reſpondent Bald. *in l. Nemo, Cod. de Summ. Trin. n.* 12. ibi: *Nota ſecundùm hoc, quod ille, qui venenat aliquem, dicitur, eum proditorie occidere, & in l. eum fratrem 9. n.* 1. *C. de his, quibus ut indign.* Felin. *in cap.* 1. *de homic. n.* 1. Anan. *ibid.* Dec. *in cap. Quæ in Eccleſiarum n.* 70. *de conſt.* Covar. *reſol. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 7. Decian. *tract. crim. tom.* 2. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 19. & alii copiosè relati per Farinacium, quos ipſe ſequitur *de homic. qu.* 122. *p.* 2. *n.* 4. *ac de Immun. c.* 9. *n.* 142. *& qu.* 28. *n.* 25. *in fin.* Quibus accedit Cabal. *de omn. gen. homic. n.* 551. Sylveſter, Molina, Gigas, Gomez, Martha, Suar. Megalius, Peregrinus, Marius Italia, Graſſius, Homobonus, Joannes de la Cruz, Villadiego, Bobadilla, Maſtrillus, Gavantus, Sarpus, Bucerus, Palaus, Villalobos, Caſtillo, Boerius, Correa, Sanchez, Riccius, Germonius, Carrerius, Scortia, Layman, Barboſa, Jo: de Hevia, Guazzinus, Cutellius, Lezana, Diana, quos refert, ac ſequitur Delbene *de Immun. c.* 16. *dub.* 20. *ſect.* 2. *num.* 1. Azeved. *in leg. Hiſpan. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 10. Ambroſin. *eod. tr. de Immun. cap.* 2. *n.* 6. ac etiam declaratio S. Congregationis Concilii, quæ idipſum in terminis die 3. Decembris 1632. decrevit. Eamque adducit Delbene ſupra n. 2. Diana *p.* 6. *tr.* 2. *reſ.* 12. & Barb. *in collect. Bullar. v. Homicidium* per doctrinam Alexandri *conſ.* 45. *n.* 6. *lib.* 7. & Boerii *dec.* 109. *n.* 5. eſtque textus *in l.* 1. *C. de malef. & mathem.* cujus verba ſunt: *Plus eſt hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*, & ibi Gloſs. & communiter Doctores.

2 Id tamen moneo intelligendum eſſe, eo caſu, quo nulla præceſſerat inimicitia cum occiſo propinatione veneni. Quia tale homicidium verè poteſt dici proditorium, cum occiſus nullam cauſam haberet ſibi præcavendi, ſecùs autem ſi quis veneno occidat inimicum. Nam cùm occiſus, ſtante inimicitia, haberet cauſam ſibi præcavendi, illius homicidium non poteſt verè ac propriè dici proditorium, & conſequenter occidens debet gaudere immunitate ſicut articulo ad partes diſcuſſo reſponderunt Sperellus ſtrenuiſſimus Eccleſiaſticæ Immunitatis propugnator *dev.* 23. *n.* 3. & Dian. *d. reſ.* 12. animadvertitque etiam Novar. *in ſumm. Bullar. tom.* 1. *tit. de Immun. n.* 76. Idque juxta terminos definitionis homicidii proditorii, quod illud dicitur, quando nulla interveniente inimicitia ſecurè ita quis occidatur, ut non potuerit is præcavere. Quod etiam cum aliis docet Delbene *ſup. n.* 5.

3 Quicquid autem dici poſſet in terminis juris communis ex conſtitutione quidem Gregorii XIV. illud homicidium duntaxat dicitur proditorium, quod ſub velamine amicitiæ committitur, ſecus autem ſi fiat ab inimico ſub quibuſcunque inſidiis, ſicut per literas in forma Brevis regiſtratas a Genuenſi *in prax. cap.* 94. & a Peregr. *de immun. cap.* 7. *num.* 20. teſtantur reſpondiſſe Clementem VIII. Archiepiſcopo Panormitano Farinac. *in addit. d. conſ.* 168. *lit. A. vol.* 2. Sperellus *d. dec.* 23. *n.* 14. & Diana *d. reſol.* 12. ac docent Bajard. *ad Clar. §. homicidium. n.* 21. *& ſeqq.* Guttier. *pract. qu. l.* 3. *qu.* 2. *n.* 3. aliique relati a Gratiano *diſcep.* 380. *n.* 40. *& ſeqq.* a Girba *conſ.* 20. *n.* 13. *& conſ.* 60. *n.* 4. a Caſtillo *dec.* 156. *n.* 38. *cum ſeqq.* a Sperello, Diana, & Delbene, ubi ſupra.

Hinc Sac. Congregatio Epiſcoporum reſpondit in una *Melevitana* die 2. Auguſti 1619. quod occidens inimicum a tergo cum ſclopo gaudet immunitate, teſte Diana *d. reſ.* 12. Idem quoque in occidente inimicum ſuum a tergo diffusè probat Girba *d. conſ.* 20. *n.* 13. ex eoque repetit Novar. *d. tit. de Immun. ſub num.* 79. Et in occidente ex feneſtra cum archibugio adnotarunt Genuen. *d. cap.* 94. Ricc. *collect.* 1792. & Novar. d. n. 79. Ac univerſim poſt Conſtitutionem Gregorii, quod illud duntaxat dicatur homicidium proditorium, quod ſub colore amicitiæ committitur, ſecus ſi ab inimico etiam cum quibuſcunque inſidiis, firmat Dian. *dict. reſol.* 12. *§. ſed ego.* 4

Verùm quia hic modus enecandi homines veneno reliquis inſidioſior eſt, & vix poteſt oculatiſſimus ab eo ſibi præcavere, ut advertit Farinac. *de Immun. d. c.* 9. *num.* 142. *in fin.* & Dian. *p.* 1. *reſol.* 36. ideò tutius eſſe cenſeo ſuper hoc conſulere Summum Pontificem, & juxta illius reſponſum ſe gerere. Prout ſæpiùs S. Congregatio Immunitatis reſcripſit, præſertim ſub die 24. Novembris 1651. & in una Lycien, quam propoſuit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Joſeph Cajetanus ex Ducibus Laurenzani, qui magnæ origini paremanimum attulit, cujus ingenium excelſum, ſubtile, dulce, facile, eruditum, ac in agendis cauſis exercitatum, quas ſumma fide, pari conſtantia, nec verecundia minori proponit. 5

Quod eò fortius videtur dicendum in eventu, in quo Religioſus Superiorem inſiſtentem diſciplinæ regulari veneno in ferculum occideret. Duo enim urgent. Alterum ex parte occiſi, quod non poteſt hoc præcavere. Alterum ex parte occidentis, quod ſola reſtauratio diſciplinæ regularis non poteſt præbere cauſam tali inimicitiæ, quæ valeat illum excuſare a proditione. Et ita declaravit S. Congregatio Immunitatis d. die 24. Novembr. 1651. contra Religioſum converſum. 6

CONSULTATIO CLXXVI.

An, Advocatus Conſiſtorialis, & pauperum, charactere clericali inſignitus, debeat gaudere privilegio fori, & exemptionis ab oneribus laicorum, quamvis alicujus Eccleſiæ particularis ſervitio non ſit adſcriptus?

QUoad privilegium fori videtur affirmativè reſpondendum. Primò, quia ex literis Eminentiſſimi Camerarii exhibitis vivæ vocis oraculo Sanctiſſimi idem Clericus nominatur Officialis Sedis Apoſtolicæ, & uti tali conceſſa leguntur omnia privilegia, exemptiones, ac prærogativæ, quibus alii Camerales reipſa, & actu inſervientes potiuntur, inter quæ expreſſum habetur, quod ſint verè familiares, & continui Commenſales Papæ, ut in Bulla Sixti IV. quæ in ordine eſt 4. *§.* 3. *tom.* 1. *Bullar.* & in Bulla Sixti V. in ordine 48. *§.* 8. *tom.* 2. Idque evidenter probatur, cùm dictus Clericus recipiat quotidie duplicem portionem panis, & vini, & aliorum eſculentorum. Qua de re videatur Conſtitutio Pauli III. in ordine 3. *§.* 1. *tom.* 1. ejuſdem Bullarii cum declaratione ſubſequentis *§.* 2. 1

Eo autem ipſo quod eſt officialis, aut familiaris Papæ, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum *c.* 1. *§. ordo* 21. *d.* indubitatum eſt, gaudere debere privilegio fori, prout gaudet quilibet Officialis, ſeu familiaris cujuſcunque Epiſcopi, *c. fin. de offic. Archidiac.* ubi Abb. & alii cumulati per Marth. *de juriſdict. caſ.* 181. ac latiùs Giurb. *conſ.* 88. ac ſæpiſſimè cenſuit S. Congregatio Immunitatis, præſertim in una *Aliphana* die 16. Decembris 1626. ibi, *S. Congregatio ſuper controverſiis juriſdictionalibus cenſuit, cauſas tam civiles, quàm criminales notarii, & aliorum officialium Epiſcoporum ſpectare ad cognitionem Epiſcopi.* Et ita ſervatum eſſe a miniſtris laicæ poteſtatis, qui Epiſcopo Aliphano reſtituerunt illius notarium carceratum, ut ex literis Nuncii Neapolitani. Quod etiam cenſuit S. Congregatio Epiſcoporum, & Regul. in una *Taiſon.* die 11. Decembris 1615. ac diximus aliàs diffusè. 2

Secundò, quia licet S. Conc. Trid. *c.* 6. *ſeſſ.* 23. *de ref.* ultra tonſuram, & clericalem habitum videatur requirere 3

rere servitium alicujus Ecclesiæ; nihilominus dicta qualitas abundè verificatur in servitio, quod præstatur Papæ, & Sedi Apostolicæ per assistentiam in Capellis Pontificiis, & in Consistoriis publicis in Camera, & in aliis, ut in fortioribus de Prothonotariis tantum honorariis, eò quia sunt familiares Papæ, & parati inservire personæ Summi Pontificis, seu universali Ecclesiæ, vel Sedi Apostolicæ sæpiùs censuit S. Congregatio Concilii in sequentibus declarationibus.

4 *Fuit dubitatum, an Prothonotarii Apostolici honorarii gaudeant privilegio fori, etiamsi alicui Ecclesiæ non inserviant juxta decretum cap. 6. sess. 23. de ref. Die* 11. *Julii* 1626. *Congr. Concilii censuit gaudere privilegio fori, & Clericali.* Idem in una Romana *fuit resolutum die* 22. *Junii* 1629.

5 Neque facienda est vis in eo, quòd requiritur descriptio seu mandatum Episcopi pro servitio faciendo Ecclesiæ. Nam ex opinione S. Congregationis Concilii ista qualitas, tanquam levis non est necessaria, satisque est concurrere, quæ potiora sunt, nempè tonsuram, & delationem ipsius cum habitu Clericali, & servitium Ecclesiæ. Ita enim cessante Episcopi mandato, vel licentia satisfit menti Concilii, dum exercet servitium Ecclesiæ, ut in his declarationibus.

Die 2. Decemb. 1623. *in una Canarien. Congr. Concilii inhærens declarationibus aliàs factis, respondit Clericum, qui habitum, & tonsuram defert clericalem, & alicui Ecclesiæ inservit, licet non præcesserit mandatum Episcopi, debere tamen gaudere fori Ecclesiastici privilegio.*

An, clericus clericalem habitum, & tonsuram deferens, qui altari Ecclesiæ, quam ei, cui ex mandato Episcopi adscriptus fuit, inservit, gaudere debeat privilegio fori Congregatio Concilii censuit gaudere debere.

Die 6. Septembris 1607. *in una* Baren. *Congregat. Concilii censuit, si Orator ante delictum Ecclesiæ inservire consueverat, licet interruptè, & absque mandato Episcopi, debere gaudere fori privilegio.*

S. Congregatio Concilii aliàs censuit, privilegio fori gaudere clericum minorum Ordinum in habitu, & tonsura incedentem, inservientemque Ecclesiæ; tametsi absque ullo Episcopi mandato.

Sacra, &c. aliàs censuit, talem clericum inservientem alteri Ecclesiæ, quàm ei, qui mandaverat Episcopus, ut inserviret, nihilominus gaudere privilegio.

6 Quod verò ad privilegium exemptionis multò magis dicendum est, gaudere debere, cùm istud competat ex solo charactere clericali, *cap. Quamquam in 6. c. Non minus, concord. de immun.* absque eo, quod concurrant aliæ qualitates servitii, alteriusve similis, cùm dispositio S. Concilii *d. c. 6.* restringatur ad solum privilegium fori, ut in supradicta declaratione die 11. Julii 1626. & clarius in sequenti.

7 *Die 3. Decembris* 1622. *S. Congr. Concilii censuit, decretum S. Concilii Trid. c. 6. sess. 23. de reform. non ademisse clericis non habentibus qualitates, quæ ibidem exprimuntur, nisi privilegium fori. Cætera verò remanere sub dispositione juris communis.*

8 Et magis in terminis ipsius exemptionis eadem Sacr. Congregatio Concilii censuit die 16. Decemb. 1604. & aliàs sæpè. Quod etiam tradunt Roland. *cons.* 4. *n.* 26. *lib.* 1. Garz. *de benef. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. *in fin.* ubi alii. Bellet. *disquis. cleric. part.* 1. *tit.* 3. §. 1. *n.* 59. Et hanc eandem opinionem sequuta est S. Congregat. Immunitatis in una *Assisien.* die 28. Junii 1629. & in una *Firmana* die 10. Septembris ejusdem anni, & latiùs S. Congregatio Concilii die 26. Januarii 1630. in una Nullius pensionis.

9 Atque ex his S. Congregatio Immunitatis die 5. Februarii 1630. censuit supradictum clericum gaudere, tanquam familiarem.

CONSULTATIO CLXXVII.

An taxa pro salario medici dicatur onus personale, itaut Clerici sylvatici ab oneribus personalibus in decreto S. Congregationis exempti, ad illam persolvendam minimè teneantur?

1 REspondendum est, hujusmodi onus connumerari quidem inter onera personalia a Boss. *in tr. de Princip. n.* 100. *in fin.* Nicol. Bell. *cons.* 12. *n.* 80. Thesaur. *dec.* 149. *sub n.* 5. *& in fin.* cum quibusdam aliis.

2 Sed illud intelligunt personale respectu quod vinculum solvendum, & commodum respicit personas, non autem quod istud onus sit inter onera per personas corporali labore explenda, quæ propriè dicuntur onera personalia, ad text. *in l. fin. in prin. ff. de mun. & hon.* Abb. *in c. Non minus, n.* 12. *de Immun. Eccl.* Parpal. post alios *in l. Placet, n.* 7. *& seq. C. de sacrosc. Eccl.* Sylvest. *v. Immunitas, n.* 16. De quibus oneribus intelligendum est dictum Decretum S. Congregationis, non autem de oneribus, in quibus vinculum solvendum, & commodum respicit personas, quæ potiùs dicuntur onera realia, cùm expleantur mediante re, & sumptu, Parpal. ubi supra n. 25. cum aliis ibi relatis.

Et in puncto, quod ad hujusmodi taxam pro solvendo 3
salario Medici quando illius opera uti volunt, teneantur Clerici supradicti, eò quia commodum etiam privatum percipiunt ex curatione propriæ personæ firmat Castr. *cons.* 42. *sub n.* 20. *part.* 2. post Bellam. Natt. & alios relatos per Carol. de Grass. *de effect. Cler. eff.* 3. *n.* 251. & in simili eodem *eff.* 3. *n.* 271.

Quod tamen procedit circumscripta consuetudine, cu- 4
jus vigore in eodem decreto alia majora privilegia, seu exemptiones leguntur eisdem præservata.

Et ita censuit S. Congr. Immunitatis in una *Neriton.* die 15. Septembris 1630. 5

CONSULTATIO CLXXVIII.

An Clericus raptor cum defloratione Virginis extractus a domo cohærente Ecclesiæ cum aditu interiori, & ædificata pro habitatione Rectoris, quam uti illius Capellanus habitabat cum parentibus, ac fratribus, retinebatque in locationem, quia solita est locari, sit restituendus, tanquam extractus a loco immuni?

AFfirmativam tuentur illi, qui dicunt, quod domus 1
Ecclesiæ illi adhærens gaudeat immunitate, quamvis inhabitetur a laicis, quia datur locis, non personis, nempè Decian. *tr. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *d. c.* 25. *n.* 16. Villagut. *de extens. leg. tit. de extens. Immun. Eccl. cap. fin. n.* 86. Ambrosin. *de Immun. c.* 10. *n.* 8. Farinac. *eod. tract. cap.* 18. *n.* 289. Sanch. *cons. moral. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 7. *n.* 2. Bonac. *tom.* 3. *de excomm. partic. extra Bull. Cœn. disp.* 2. *qu.* 3. *punct.* 16. §. 4. *n.* 7. Dian. *part.* 2. *tr.* 1. *resol.* 71. *& part.* 6. *tr.* 1. *res.* 2. Jul. Chart. *dec.* 46. *n.* 21. inquiens ita Mediolani judicatum, & exequutum fuisse anno 1595.

Negativam verò, quod domus Ecclesiæ illi adhærens 2
non gaudeat immunitate, si habitetur a laicis non inservientibus Ecclesiæ, eòque magis si fuerit eis locata, tenent Mar. Italia *de Immun. l.* 1. *c.* 4. §. 6. *n.* 6. cujus etiam meminit Farinac. *d. n.* 289. *in fin.* Peregr. *eod. tract. c.* 4. *n.* 272. Nald. *in sum. v. Ecclesia, n.* 7. Villalob. *tom.* 2. *summ. tr.* 39. *differ.* 5. *n.* 3. In quam etiam videtur inclinare Thom. Delbene *de Immun. p.* 2. *c.* 16. *dub.* 9. *sect.* 8. *n.* 2. Quibus addi potest Giurba *cons.* 10. *n.* 11. quatenus, animadverso Decian. d. n. 16. affirmativam admittit solùm, quando habitatur ab inservientibus ipsi Ecclesiæ.

Quare Jo: Franc. a Ponte *dec.* 33. refert, Concilium 3
Neapolitanum censuisse, quod reus captus in apotheca Hospitalis solita locari, quæ portam principalem habebat in via publica, aditumque interiorem in atrium ipsius Hospitalis non gaudebat Immunitate. Quod etiam probarunt Ricc. *dec.* 71. *n.* 8. *& seq. p.* 1. *& collect.* 669. Thor. *in comp. dec. Neapol. p.* 1. *v. Immunitas,* & Novar. *in summ. Bull. tom.* 1. *tit. de Immun. n.* 2. Subdens ideò respondisse Episcopo Sulmonæ illa non gaudere reum extractum a viridario Monasterii illi annexo cum aditu interiori, quia alium habebat in via publica, per quem etiam mulieres introibant ad colligendos racemos uvarum.

Verùm quia dictus clericus inserviebat pro Capellano 4
eidem Ecclesiæ, cui domus præfata adhæret cum aditu interiori crederem hoc casu videndum, num probetur, quod illa consueverit locari laicis, & ab ipso clerico fuerit conducta; tunc enim possunt discuti fundamenta negativæ sententiæ, librarique, an prævaleant deductis per sequaces contrariæ. At si tale suppositum rueret in facto, tunc subscriberem affirmativæ.

Non enim S. Congregatio Immunitatis admittit di- 5
ctum Abb. *in cap. Inter alia, n.* 13. *de Immun. Eccles.* & Thom. Delbene *d. c.* 16. *dub.* 10. *sect.* 12. *&* 13. quod scilicet Immunitas Ecclesiæ non deroget potestati Ecclesiasticæ, sicut laicali, quia videtur statuta solùm correspectivè ad Judices sæculares, dum Canones solum mentionem faciunt de laicis, ideòque possint Ordinarii locorum Clericos eis subditos a sacris locis, eorumque domibus, ubi morantur, extrahere: sed contrarium, quod clerici æquè ac laici gaudeant eorum immunitate juxta resolutiones adductas a Barbos. *in summ. dec. Apostol. v. Immunitas,* & opinionem, quam validioribus rationibus sustinent Clar. *in §. fin. qu.* 30. Dec. *tr. crim. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 26. *n.* 1. *Bobadil. polit. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 57. *lit. B.* Ambrosin. *de Immun. c.* 12. *n.* 3. Mar. Ital. *l.* 1. *c.* 3. §. 1. Farinac. *de carcerib. qu.* 28. *n.* 7. *&*

in fin. append. de Immun. c. 2. n. 34. Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 13. n. 113.* Barb. *in collect. ad dict. cap. Inter alia 6. num. 14. & de univers. jur. Eccles. tom. 2. cap. 3. n. 135. cum seqq.* Diana *part. 1. tr. 1. resol. 24. & part. 3. tract. 1. resol. 35.* Lezan. *in summ. v. Immunitas, num. 6.* Sperell. *dec. 39. num. 35. part. 1.* Adi Cened. *in can. qu. 42. n. 11.* ubi argumenta Fagundez diluit, & Decian. ubi supra, qui respondit argumentis Abbatis, & Gambacurt. *de Immun. l. 4. c. 11. n. 8.* ubi probat in Constitutione Gregorii XIV. de Immunitate adesse mentionem de Clericis, & Ecclesiasticis. Quæ sententia certa est in Sacr. Congregatione Immunitatis, quæ sæpè ita censuit præsertim in una Maceraten. Immunitatis die 25. Maji 1655. & in Ruben. 22. Junii 1683. hunc in modum. *Al Vescovo di Ruvo. Illustre, e molto Rev. Monsign. come fratello. Da questa S. Congregazione dell' Immunità Ecclesiastica, si è male inteso, che il presente Vicario generale di V. S. abbia fatto estrarre da luogo immune Giuseppe Verenti, Diacono di cotesta Città, e che dopo ritenutolo 42. giorni carcerato, l' abbia rilasciato con sicurtà di rappresentarsi, mentre i delitti, ch' il medesimo Vicario ha asserito di aver commesso il detto Diacono, non sono degli eccettuati, e l' opinione del medesimo Vicario, che i Preti non godano dell' Immunità Ecclesiastica, è erronea, e detestabile nel principal ministro Vescovale, di modo che l' Eminenze loro hanno risoluto, che si abolisca la suddetta sicurtà, che il detto Vicario debba provedere alla sua Conscienza, e che V. S. si proveda d' altro Vicario. Tanto si attenderà, che V. S. avvisi sia stato eseguito, E Dio la prosperi. Di Roma à 22. di Giugno del 1683.*

6 Neque raptus cùm defloratione virginis, quibus arguitur dictus Clericus, illum excludit a fruitione Immunitatis, ut colligitur *ex c. de raptoribus 36. num. 1.* ac in terminis docent Chartar. *dec. 46. n. 84.* Sperell. *dec. 59. n. 32.* aliique relati per Thom. Delben. *d. cap. 16. dub. 24. sect. 6. n. 1.*

CONSULTATIO CLXXIX.

An, & quatenus novi Conventus, sive Monasteria, vel domus Regularium erigi possint, ac debeant?

1 COncilia, Canones, Constitutiones Pontificiæ, Decreta S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, ac S. Visitationis Apostolicæ, Oracula a Pontificibus viva voce emissa, ac denique jus Cæsareum interdicunt Regularibus ædificare nova Monasteria. Conventus, Ecclesias, ac domos, nisi auditis Superioribus, vel Procuratoribus aliorum Conventuum, qui sunt in illo loco, ac in vicinis ad quatuor milliaria, ac nisi auditis, & consentientibus incolis, & habitatoribus ejusdem loci, aliisque interesse habentibus, constiterit ibi in numero duodecim commodè manuteneri posse.

2 Equidem ad Concilia, & Canones, quod attinet id prohibetur a Concilio Vvormacienſi *can. Quicunque 16. quæst. 1.* ab Agathensi *can 27.* regiſtrato *in can. Monachis 12. q. 2.* a Chalcedonenſi *act. 11. can. 4.* relato *in can. Vere 16. ead. qu. 1. & can. Quidam 18. quæst. 2.* a Lateranenſi *in cap. 2. de Eccles. ædif.* a Lugdunenſi *in Clem. Cupientes de pœn. in 6.* ubi Gloſs. *v. Constitutionis* declarat confirmari ſanctionem Bonif. VIII. *in cap. unic. de excess. Prælat. in 6.* & denique a Tridentino *c. 3. sess. 25. de Regular.* traditque Rot. *in Civitaten. Constitutionis Capellæ 1588.*

3 Quod ad Conſtitutiones Pontificias extat Conſtitutio 7. Clementis IV. §. 5. Conſtitutio 2. Julii II. §. 4. Conſtitutio 99. Clementis VIII. §. 1. Conſtitutio 31. Greg. XV. §. 2. Conſtit. 25. Urbani VIII. *per totam*, & Conſtitutio Innocentii X. quæ incipit *Instauranda*, data Idibus Octobris 1652. per quas iidem Pontifices prohibendo erectionem præfatam ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, & Ordinarii idipſum ampliant, confirmant, ſtabiliunt.

4 Quod verò ad decreta, ea emanarunt, & quidem multa cùm a S. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, tum a Viſitatione Apoſtolica. De primis teſtatur Clemens VIII. in citata ſua Conſtitutione, ac Tambur. *de jur. Abb. disp. 33. qu. 1. post n. 3.* ubi Eminentiſſimi Cardinales fatentur ſe primum decretum tempore Clementis VIII. condidiſſe, iterumque præcipiunt, quod de cætero Monaſteria, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas quocunque nomine nuncupentur, non erigantur, niſi in Civitatibus, & auditis Prioribus, vel Procuratoribus aliorum conventuum, ibi exiſtentium, conſtitoque de non præjudicio illorum. Quorum meminit Lezan. *qu. regul. v. Monasteria, n. 9.* & Peyrin. *in formul. lit. Z. c. 3.* & de ſecundis ſub Urbano VIII. die 28. Junii 1625. teſtatur idem Lezan. *loc. alleg. n. 17.*

5 Oracula verò Pontificia referuntur ab eodem Lezana eo n. 17. & a Tamburino poſt d. n. 3. præſertim Gregorii XV. ſub die 25. Auguſti 1621. & Urbani VIII. die 28. Auguſti 1624.

Ac demum quod ad jus Cæſareum Juſtin. Imperator 6
idipſum juſſit *in auth. Ut nullus fabricet Oratoriis domos præter voluntatem Epiſcopi*, ibique Cyriacus, & Julian. Patritii, *Conſt. 67. cap. 1.*

Cauſæ multæ, præcipuum præjudicium. 7

Hujuſmodi autem prohibitionum cenſura non eluditur diſtinguendo, quod loquantur de ſolis monaſteriis, & non de Eccleſiis. Quia, inquiunt, Eccleſia in odioſis non venit ſub nomine Monaſterii, ut in terminis Pellizar. *in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 63.* & Bordon. *contr. 39. de erect. nov. Convent. num. 31.* Stante præſertim peculiari ratione, quæ urget pro Monaſteriis, & ceſſat in Eccleſiis, videlicet, quod Clemens VIII. cujus diſpoſitioni tantummodò inhæret Conſtitutio Urbani, abſque ulla prorſus ampliatione proſpicere duntaxat voluit, ne per multiplicationem Religioſorum abſque ſufficientibus redditibus inferretur præjudicium aliis, qui in loco præexiſterent, ut clarè patet ex procemio Conſtitutionis, ex quo patens, & manifeſta redditur mens Conſtituentis, & ratio motiva Conſtitutionis, *l. Titia, §. Idem reſponſum, ff. de verb. oblig.* & Reſolvit Rot. *in Albenen. hæreditatis 5. Martii 1643.* coram Reverendiſs. Cerro Decano, paſſimque alibi. 8

Idemque comprobatur ex diſpoſitione ejuſdem Con- 9
ſtitutionis, §. 1. cujus verba adeò clara ſunt, ac ita evidenter reſtringunt diſpoſitionem ad præjudicium proveniens ex augmento religioſorum, ut nullam prorſus admittant quæſtionem, *l. Ille, aut ille, §. Cùm in verbis nulla eſt ambiguitas, ff. de leg. 3.* Eſtque opinio communiter recepta, quod unica ratio motiva Conſtitutionis ſit præjudicium contingens aliis Regularibus propter augmentum, & ſuſtentationem Religioſorum, ut præ aliis tradit Bordon. *d. controv. 36. n. 14.* Ex diverſitatis autem ratione certum eſt, ceſſare extenſionem de re ad rem, & verba Conſtitutionis eſſe ſumenda in ſua ſtricta, ac rigida ſignificatione, *l. Papin. ff. de minor. l. 3. §. ibi, ff. de injuſt. teſt. l. Adigere, §. Quamvis, ff. de jurep.* traditque Cravet. *conſ. 942. num. 11. & 12.* dicens id procedere quantumvis verba diſpoſitionis ſint univerſalia.

At hæc non ſubſiſtunt. Etenim textum *in can. Qui-* 10
cunque 16. qu. 1. & lap. 2. de Eccleſ. ædif. expreſsè loquitur de Eccleſiis, prout etiam de Eccleſiis expreſsè loquitur Conſtitutio 7. Clementis IV. & Conſtitutio 2. Julii II. Et quamvis d. Conſtitutiones videantur odioſæ, atque adeò reſtringendæ; nihilominus revera ſunt favorabiles, tanquam proſpicientes ſuſtentationem Religioſorum in communi, ſuntque conformes juri communi, per quod prohibetur erectio Eccleſiæ. Quod tradunt Tambur. *diſp. 5. l. 3.* Federic. de Sen. *conſ. 101. n. 1.* & dixit Rota coram Seraphino, *dec. n. 1.*

Cùm enim ſit contra bonum commune Religionum 11
quod multiplicentur Eccleſiæ, & ita vicinæ ſint, ut, diſpertitis elemoſynis piorum fidelium, non poſſint Religioſi congruè ſuſtentari, & Eccleſiæ cum debito cultu manuteneri, ut deſumitur ex dictis Conſtitutionibus, ideò cùm eædem Conſtitutiones provideant communi bono Religioſorum, adhibeantque remedium huic incommodo, non ſunt cenſendæ præjudiciales tertio. Nam quod dirigitur in bonum commune non cenſetur alicui præjudicare, etiamſi aliquid juris ipſi detrahat. Quia communis utilitas privatæ utilitati præferenda eſt, *l. fin. C. Communia, de leg. & l. Utilitas, C. de privil. lib. 12. & l. Actione, §. Labeo, ff. pro ſocio, & can. Scias 17. qu. 2.* ibi: *Plurimorum utilitas unius utilitati, vel voluntati præferenda eſt.* Et proindè cùm ſolùm inferatur præjudicium, quia fit aliquid contra jus tertii, & tertius non habeat jus contra id, quod exigitur a bono communi, quia jus ſupremum exigit bonum commune præferri privato, non eſt præjudiciale alteri, quod fit juxta exigentiam publicæ utilitatis.

Atque tunc lex cenſenda eſt favorabilis, etiamſi con- 12
tineat odium alicujus, quando per ipſam primario intenditur favor alicujus, ut communiter docent Gloſ. *in c. Si propter, v. Primi anni de reſcript. in 6.* ubi Gemin. num. 9. Franch. *num. 6.* item Gloſs. *in c. Sciant cuncti, v. Alios, de elect. in 6.* Jo: Andr. & Gemin. *ibid.* Felin. *in c. 1. de ſponſal. n. 14. & in c. Non dubium, n. 2. de ſent. excomm.* Bart. *in l. Qui exceptionem, num. 2. ff. de condit. indeb.* & ibi Alber. & Salyc. traditque Caſtr. *in l. Si quis nec cauſam, n. 4. ff. ſi cert. pet.* Covarr. *lib. 1. var. c. 11. n. 5.* alios citans. In hoc autem caſu Pontifices in hiſce Conſtitutionibus principaliter intendunt favorem Regularium exiſtentium in aliquo loco. Quia intendunt

dunt providere, ne novæ Ecclesiæ detrimento sint præexistentibus in aliquo loco.

13 Præterea tunc solùm Constitutio dicitur præjudicialis tertio, quando tendit contra jus præexistens, itaut privet tertium jure aliquo quæsito juxta doctrinam, quam sequuntur Bald. *in l. 2. n. 8. ff. de const. princ.* Panormit. *in cap. Quia de privil. & in c. olim de v. signif.* Merol. *tom. 3. theol. mor. disp. 6. c. 2. n. 48.* non autem quando impedit, ne quis acquirat jus de novo. Quia cùm Constitutio sit privilegiata, conferatque jus, *c. 1. de præb. in 6.* impedit, ne contrà hoc jus consurgat jus alterius, non secus ac impedit lex. Quare cùm nemo habeat jus erigendi Ecclesias, aut recipiendi de novo sine facultate Superiorum, Constitutiones, quod non possint erigi, aut recipi de novo, non auferunt aliquod jus quæsitum; sed solum impediunt acquirendum: & ideò non sunt odiosæ, atque in præjudicium tertii, nullaque dicitur fieri extensio. Nomine enim Monasterii venit Ecclesia, omneque illud, quod Monasterio est annexum, Federic. de Sen. *d. cons. 201. n. 3.* Rota cor. Durano *dec. 74. n. 4.*

14 Et pro inclusione Ecclesiæ sub dictis prohibitionibus sufficit ponderare, quod tàm in Constitutione Gregorii, quàm Urbani, & Innocentii adsunt verba adeò generalia, ibi: *Monasteria, Conventus, Domus, Congregatio, Societas, & alia loca Regularia, quocunque nomine nuncupentur*, ut apta sint compehendere Ecclesias, tametsi illas non exprimant. Stante præsertim, quod ratio finalis Constitutionum verificatur tàm de Monasteriis, quàm de Ecclesiis. Unde intrat juris regula, quod ubi militat eadem ratio legis, militat quoque eadem legis dispositio, non extensivè, sed comprehensivè. Quia nimirum lex disponit de materia, ut stat sub illa ratione. Quod habere locum etiam in lege pœnali, immò, & correctoria, & pœnali simul aliàs tradidi. Cùm autem prohibitiones emanaverint ad evitanda præjudicia, quæ Regulares introducendi afferre possent Regularibus jam introductis circa eleemosynas, utique magis præjudicialis est constructio Ecclesiæ, cui offeruntur, quàm Monasterii.

15 Minus quoque evitatur prohibitio harum Constitutionum, distinguendo, quod illæ respiciant novam introductionem Religiosorum, vel novam constructionem Ecclesiæ, non autem comprehendant ampliationem, translationem, reædificationem, perfectionem. Nam, ajunt, cessat prorsus ratio præjudicii, ut in terminis de ampliatione, sive additamento fabricæ Monasterii, quòd non sit nova erectio, seu fundatio latè probat Oldr. *cons. 190.* dum prohibitio loquitur strictè, & est intelligenda de acquisitione habitationis de novo in loco, in quo nunquam fuit, non de ampliatione, seu additamento. Atque ita tenent Gemin. *in cap. cùm ex eo, num. 12. de excess. Præl. in 6.* & Rodriq. *tom. 2. quæst. 49. art. 9.* quod sequitur alter Roderic. *resol. 56. num. 10.* Suar. *de censur. disput. 23. sect. 5. num. 33. cum seqq.* Dian. *part. 4. tract. 2. de dub. regul. resol. 136.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. disput. 5. quæst. 1. num. 9.*

16 Et in fortioribus, quod ubi agitur de mutatione, & translatione in totum monasterii ad commodiorem locum intra eandem Civitatem non intret dispositio Constitutionum, firmat uterque Roderic. loc. cit. Cesped. *de exempt. Regular. quoad monast. ædif. cap. 1. num. 9.* reprobans Lezanam, contrarium tenentem, plenè Bordon. *ea contr. 36. n. 14. & 24.* Delbene *de Immun. cap. 14. dub. 8. num. 1.* Mirand. *in man. Præl. tom. 1. quæst. 33. art. 1.* Portell. *in add. v. Monasterium, n. 3.* Hier. Rodriq. *in comp. q. reg. resol. 55. num. 4.* & Peregr. *in comp. privil. v. Ecclesia*, & ita pluries declaravit S. Congreg. præsertim die 13. Septembris 1641. & 31. Januarii 1643. & 4. Junii ejusdem anni.

17 Neque obstat, quod Urbanus VIII. prohibuerit non solum erectionem novorum Monasteriorum, sed etiam cœptorum perfectionem. Quia id non est trahendum ad casum reædificationis, & ampliationis, sed intelligi debet de perfectione fundationis, & erectionis, quæ tempore Constitutionis esset cœpta, sed suum plenarium effectum adhuc non habuisset, puta, si fuisset cœptum ædificium absque introductione Religiosorum, vel si Hospitium in Monasterium esset conversum, vel quid simile. Quibus casibus rectè judicavit Summus Pontifex esse prospiciendum, ne sub prætextu cœpti operis cum licentia priùs obtenta, & per ipsum revocata prætenderetur exemptio ab observatione Constitutionis. Aliàs enim si hujusmodi prohibitio finiendi Monasterium incœptum interpretanda esset de qualibet perfectione materiali, firma esset conclusio, quod ampliationes, & additamenta, immò mutationes, & translationes in totum Monasterii de loco ad locum non sint prohibitæ per Constitutiones, quod non est dicendum, cùm sit contra declarationes S. Congregationis, quibus summa veneratio exhibenda est, ut pluries dixit Rota, præsertim in *Fanen. præcedentiæ 1.* Julii 1648. & coram Arguelles, & in *Marianen. seu Adiacen.* Beneficii 23. Junii 1651. cor. Cardin. Corrado.

Itidem sequeretur manifesta repugnantia, dum in una 18
parte Constitutionis præservantur fundationes effectum fortitæ. Idque satis verificatur in acquisitione locorum, & Religiosorum introductione, quantumvis ædificium tàm conventus, quàm Ecclesiæ non sit adhuc perfectum, sed nec inchoatum, ut de Collegio, quod ad sui perfectionem aliud non exposcat, nisi domum, seu locum etiam titulo conductionis habitum, & introductionem Collegialium juxta textum *in l. Neratius, ff. de verb. signif.* tenuit Glos. *in cap. 1. v. Dico de elect.* & censuit Rota *dec. 835. num. 4. part. 4. div.* & de Seminario, quod satis censeatur erectum, & capax unionis ad formam Sac. Concilii Tridentini quoties sunt introducti pueri etiam in domo conducta ex mente S. Congregationis Concilii dixit Rota *in dec. 361. n. 3. & 5. p. 2. rec. & in d. Adiacen. Beneficii* cor. Coccino, & *in Verulana Beneficii* 19. Junii 1626. coram Pirovano. Vitandus enim est intellectus, qui repugnantiam, & contrarietatem inducit etiam cum impropriatione verborum, quatenus esset opus, *l. Vel ad ea, ff. de condit. & demonstrat.* Doctores *in c. Cùm dilectus, §. Cæterum de fid. instrum.* Rot. *dec. 293. n. 15. p. 6. rec. & in Bononien. Legati* 4. Julii 1645. coram Reverendissimo Cerro. Præsertim in Constitutionibus Apostolicis, in quibus moraliter loquendo impossibile est, aliquam esse repugnantiam per textum *in cap. Apostolica 33. q. 9.* ubi glos. *v. Decoquitur*, traditque Imol. *cons. 133. num. 5.* & Moneta *de Conservat. cap. 6. num. 59.* Animadvertendo etiam, quod verbum *finire, & absolvere*, quo utitur Constitutio, quamvis intelligeretur de opere materiali, non esset accipiendum de totali, & omnimoda perfectione, cùm satis verificaretur si ædificium ita esset consummatum, ut jam in usu esse possit ad textum insignem *in l. ædificia 139. §. Perficisse, ff. de verb. signif.* ubi Alciat. n. 6.

At potissimùm quia interpretationi, quod Constitu- 19
tio prohibeat perfectionem cujusvis partis materialis repugnat nimis evidenter illius ratio motiva, quæ non minùs attenditur, quàm ipsamet dispositio, *l. 1. C. Quæ sit longa consuet.* Glos. *in cap. ubi periculum lit. B. de elect. in 6.* cum similibus. Ratio enim hujus Constitutionis, ut dixi, solummodo versatur circa præjudicium, quod provenit aliis Religiosis præexistentibus in loco ex multiplicatione Conventuum absque sufficientia redditiuum, quibus se commodè possint sustentari, quod certè nullo modo est contingibile in reædificatione Ecclesiæ, sive in alio quovis augmento fabricæ materialis, cùm adhuc unicum remaneat Monasterium, sicut antea, nec indè multiplicentur personæ Religiosorum, ut rectè ratiocinatur Bordon. *cit. contr. 36. n. 14.* advertens, quod aliàs posset dari casu, quod veteres Conventus volentes aliquam ampliationem facere, tenerentur petere consensum ab iis, qui postmodum fuerunt introducti, quod non est rationabile.

Et adeò verum est, Constitutiones requirere consen- 20
sum aliorum Regularium in ordine duntaxat ad præfatum præjudicium, quod si Ordinariis constiterit novos Conventus erigendos commodè, & sine aliorum detrimento posse sustentari, impertiri valeat licentiam, quantumvis aliis dissentiant, ut expressè habetur in Bulla Gregori XV. §. 2. ibi: *Non erigantur, nisi saltem duodecim fratres inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, & Priores, seu Procuratores aliarum Religionum ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterii sic erigendi sine aliorum præjudicio commodè posse ali.* Illa enim *aliàs* denotat casum diversum a primo, ut textus *in l. qui testamento, §. mulier, ff. de test.* Quod pariter importat dictio *vel* ex traditis per Gonz. *ad reg. 8. glos. 48. num 17.* inducitque alternativam, itaut sufficiat vel consensus aliorum Regularium, vel quod Episcopo constet de sufficienti, & commoda sustentatione, *l. Si quis ita 129. ff. de verb. oblig. l. Si hæredi plures, ff. de cond. inst. cap. In alternativis de reg. jur. in 6.* Rot. *dec. 387. num. 24. part. 5. rec.* Ex quo manifestè sequitur, quod constito de sufficientia redituum, sit in verbis permissa nova Monasteriorum erectio de sola licentia Ordinariorum, cùm dictæ duæ negativæ *non erigantur, nisi constiterit*, resolvantur in affirmativam, perindè ac si fuisset dictum *erigantur, constito de commoda sustentatione*, ut in terminis de dictione *nisi*, quod ubi subsequitur negationem, affirmare faciat ea, quæ ponit, probat diffusè Barbos. *dict. 184. n. 3.* & in puncto d. Const. Gregorianæ tenent Lezana, & alii, quos refer ac sequitur

Ceſped. *de exempt. regul. c.* 1. *dub.* 4. *n.* 2. dicens, quod Urbanus confirmando Conſtitutionem Gregorii, quæ dat arbitrium, & facultatem ſoli Ordinario, cenſetur etiam ipſe confirmare dictam facultatem, ne aliàs contineat repugnantiam.

21 Nec valet, quod dicitur, Conſtitutionem Urbani eſſe ampliorem præcedentium. Quia principaliter tendit ad abrogationem licentiarum contra formam Conſtitutionum Clementis, & Gregorii, de cætero autem nihil diſponit, niſi earundem ac S. Concilii *ſeſſ.* 25. *c.* 3. *de Regul.* omnimodam obſervantiam.

22 Hæc quidem fateor multi ponderiſeſſe, viderique vera, præſertim ſi in prima fundatione obtenta fuerit utraque licentia. Nihilominus credo reſtrictionem iſtarum prohibitionum ad novam tantùm erectionem, & introductionem non ſubſiſtere. Nam Conſtitutiones ſemper, & indiſtinctè procedunt quotieſcunque novum infertur præjudicium Religioſis vicinis ex ſupra allegatis, docetque Federic. de Sen. *conſ.* 20. *n.* 1. & 2. Ceſped. *c.* 1. *dub.* 3. *n.* 1. ubi teſtatur ita fuiſſe aliàs declaratum a S. Congregatione, idemque repetit *dub.* 6. *n.* 4. Quotieſcum enim translatio Eccleſiæ de uno loco ad alium eſt præjudicialis, cenſetur prohibita, ut, ponderata hac ratione novi præjudicii, tradunt Roder. *q. regul.* 23. *art.* 7. *in fin.* & *tom.* 3. *qu.* 50. *art.* 4. *n.* 1. Lara *dec. Granat.* 97. *per tot. p.* 2. Lezan. *d. v. Monaſteria n.* 35. Laur. de Franch. *qu.* 1. Tambur. *de jur. Abbatiſ. diſp.* 5. *qu.* 1. *n.* 15. *lib.* 3. & *qu.* 4. *n.* 5. & 7. ubi plures referuntur Authores, Lap. *in d. c. un. de exceſſ. Præl. in* 6. *n.* 13. ibique Jo: Andr. *n.* 2. ac Tuſch. *concl.* 195. *v. Mendicantes n.* 13. Aliàs enim Conſtitutiones eluderentur, ut alibi adverti. Quare hodie ex dictis conſtitutionibus non licet Regularibus ſine licentia Epiſcopi, & ſolemnitatibus prædictis mutare locum etiam in eadem Civitate, quia eadem eſt ratio præjudicii vicinorum, & propter argumentum de toto ad partem, *l. quæ de tota, ff. de rei vendic.* Gemin. *in c.* 1. *de exceſs. Præd. in* 6. Cherubin. ſuper Bull. cit. Clementis VIII. *Schol.* 1. Portel. ſibi contrarius *de dub. regul. v. Monaſteria, n.* 5. Rodriq. ſenior *qu.* 23 *regul. art.* 7. *tom.* 1. quamvis Diana *reſ.* 136. *tr.* 2. *p.* 2. cum aliis dicat per privilegia conceſſa Religionibus poſſe fieri talem mutationem ſine licentia Epiſcopi, neque Tridentinum derogaſſe privilegiis quoad mutationem, ſed quoad novam erectionem tantùm. At non videtur recedendum a noſtra ſententia; quia verè in tali mutatione reperitur erectio, ſeu fundatio in aliquo novo loco, quod eſt prohibitum in dicta Bulla Clementis VIII. & decreto Gregorii XV. & Concilii Trid. niſi cum licentia Epiſcopi. Immò in dicta Bulla Urbani VIII. prohibetur loca etiam cœpta finiri. Atque ita cenſuit S. Congregatio die 6. Februarii 1643. his verbis. *Sacra, &c. Auditis partibus, & negotio ad relationem Eminentiſſimi Cæſarini diligenter examinato, & maturè diſcuſſo, cenſuit, non eſſe permittendum præfatam translationem Congregationis S. Caroli in caſu, & ad effectum, de quo agitur præmiſſis, cæteriſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus*, Et iterùm die 14. Decembris 1635. Eminentiſs. Bentivolo referente, partibus auditis, ac re maturè diſcuſſa, *cenſuit, injungendum eſſe fratribus Carmelitis Diſcalceatis, prout præſentis decreti virtute injunxit, ut omninò recedant a præfato loco, ubi novum ſui Ordinis Conventum fundare cœperant, neque in alio loco ejuſdem Civitatis illum erigere valeant, niſi ſervata forma, & adimpletis omnibus conditionibus contentis in Conſtitutionibus, & Decretis Apoſtolicis, ac præſertim in decreto Sanctiſs. D. N. ſuper erectione novorum Conventuum, nuper edicto.*

23 Reædificationem verò quod attinet, diſtingui debet duplex ſpecies. Altera quando non tota antiqua deſtruitur Eccleſia. Altera quando toto ædificio veteri diruto reædificatur. Tunc enim in ædificatione Eccleſiæ modernæ tanquam diviſæ ab antiqua requiritur licentia, Tamburin. *dict. diſp.* 5. *num.* 2. & 3. *lib.* 1. Lap. *alleg.* 68. *num.* 1. & 2. Rebuff. *in prax. benef. tit. de translat. Epiſc. n.* 3. & 11. Lezan. *d. v. Monaſteria, n.* 46. Ceſped. *c.* 1. *dub.* 13. *n.* 4. Bordon. *d. controv.* 36. *num.* 1. Boer. *dec.* 4. *n.* 4. & 5. Maximè quando nova Eccleſia conſtruitur in alio loco ex diverſa materia, & diverſa forma, unde per talem mutationem dicitur novum ædificium, *l.* 1. *§. Si quis ædif.* ubi Bart. Alex. Ruin. *ff. de nov. oper. nunc.* Gloſs. *in c. Monachi, n.* 12. *q.* 2. *de ſtat. monach.* quæ movetur authoritate textus *in d. l.* 1. *§. Quis novum, ff. de eod.* Boer. *dec.* 320. *n.* 56. Alex. *conſ.* 43. Caſtr. *conſ.* 3. *n.* 20. *lib.* 2. taliſque permutatio expreſsè prohibetur *d. c. unic. de exceſs. Præl. & in Clem. Cupiente, de pœn. in* 6. in Conſtitutione 7. Clementis IV. & in Conſtitutione Urbani VIII.

24 Et quod ad ampliationem, quando illa contingit præ-

via deſtructione veteris ædificii, & conſtructione moderni in ampliori forma, videtur, comprehenſa ſub eiſdem prohibitionibus, Bordon. *d. contr.* 36. *n.* 21. & 22. Lezan. *loco ſup. cit.* & Barboſ. ad eundem locum Concilii *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regul. n.* 34. Quare tunc ſolum licet loca jam cum licentia legitima Epiſcopi poſſeſſa, augere ſeu extendere, quando talis extenſio veteres limites non egrediatur conſideratos in priori licentia juxta decretum Gregor. XV. quia ſic fieret novum præjudicium aliis Religioſorum locis.

Ac tandem quoad perfectionem Eccleſiæ jam incœptæ 25
obſtat Conſtitutio Urbani, quæ prohibet etiam perfectionem, adſtringitque Regulares ante illius publicationem; quia revocat licentias anteà conceſſas, & effectum non ſortitas. Immò ſi juſtificetur, quod Regulares præexiſtentes pro complendo, & perficiendo ſuo Monaſterio, vel Eccleſia indigerent eodemet ſitu, ubi novi Religioſi intendunt ædificare ſuam Eccleſiam, certi juris eſt, quod, tanquam antiquiores in loco, poſſunt non ſolùm impedire ipſis novis Religioſis conſtructionem novæ Eccleſiæ, ſed illos cogere ad vendendum ſibi dictum ſitum, & ſerviturem altiùs non tollendi per Gomez *ad l. tauri* 46. *n.* 6. & 9. Cabed. *dec.* 152. *num.* 1. & 22. Mut. *dec.* 8. *n.* 6. & 7. Grammat. *dec.* 86. *n.* 1. Ricc. *dec.* 129. *n.* 2. Quinimmò ſi ædificata fuerit poſt nunciatum novum opus, demolienda eſt, cùm Eccleſia non ſit conſtruenda in præjudicium alterius. Ita probat literam text. *in cap.* 1. *de nov. oper. nunc.* ibique Gloſs. & Doctores, ſignanter Abbas num. 1.

Doctores verò in contrarium adducti, aliique intelli- 26
gendi ſunt quando ex ampliatione, translatione, & reædificatione non oritur præjudicium, vel in caſu neceſſario pro publica utilitate. Quo caſu ceſſare diſpoſitionem Conſtitutionum admittunt Bordon. *d. contr.* 36. *n.* 14. *§.* 1. Ceſped. *cap.* 1. *dub.* 7. *n.* 2. 3. & 5. Ita etiam decreta S. Congregationis, quæ veneror, emanaſſe credo ſine præjudicio aliorum, & juxta formam ſacrorum Canonum, atque Conſtitutionum.

Id, quod habet etiam locum in fundatione novi Mo- 27
naſterii ejuſdem Religionis, & Inſtituti. Nam damnum ab ademptione, & quaſi diminutione patrimonii dicitur *l.* 3. *ff. de damn. infect.* Damnumque dare dicitur ille, qui patrimonium vel admit, vel diminuit. Quapropter quoties multiplicantur Conventus, novi Regulares ejuſdem Inſtituti, ſive clam, ſive palam eleemoſynas præexiſtentibus ſurripiunt, damnumque dare dicuntur; diminuunt enim eorum patrimonium, quod præcipuè fundatum eſt in fidelium eleemoſynis.

Unde non obſtat, Conſtitutiones requirere tantum- 28
modo, ut vocentur, & audiantur Priores, ſeu Procuratores Monaſteriorum, Conventuum, ſeu domorum aliarum Religionum, non autem ejuſdem, dictio enim *aliarum* excludit identitatem, ac ſi dixiſſet, & non ejuſdem, ut inquit Bart. *in lib. Si quis ſervum, §. fin. in fin. ff. de leg.* 2. Dec. *conſ.* 624. *num.* 4. *in fin.* eſtque evidens. At licet ſit nota ſimilitudinis, & implicet caſus ſimiles, ut interpretatur Gloſs. *in lib.* 2. *Si fugitivi, verb. Alia, Cod. de ſer. fug.* & ſeqq. Abb. *in cap. Sedes de reſcript. num.* 12. attamen hoc in caſu denotat diverſitatem in ſpecie, conſiderando præjudicium, quod generari poterit aliis Regularibus ſpecie differentibus, ac proindè limitat totam diſpoſitionem, & reponit caſum in diverſa ſpecie, & quod in aliis limitat, in hoc affirmat ex regula communiter recepta *in lib. Quæſitum*, ubi Bart. *ff. de fund.* aliiſque pluribus.

Quod eò magis videtur procedere in terminis dicta- 29
rum Conſtitutionum. Quia cum ſint correctoriæ juris communis, utique ſtrictè atque in terminis naturalibus, prout loquuntur, intelligendæ ſunt, ut nimirum tantum corrigant, quantum diſponunt, & non ultra, *l. ſi verò* 65. *§. De viro, ff. ſol. matr.* Caſſad. *dec.* 16. *ſuper reg.* Mareſc. *var. reſ. lib.* 1. *cap.* 51. *n.* 2. & 3. & in ſtatuto etiam favorabili ſæpè dixit Rot. *in rec. dec.* 110. *n.* 15. & *dec.* 175. *n.* 28. *p.* 7. & in aliis paſſim.

Hoc inquam non obſtat. Primò, quia illa verba non 30
leguntur in Conſtitutione Clementis, quæ eſt fundamentalis, quamque aliæ confirmant. Secundò, quia majus eſſet præjudicium, ſi fundaretur Conventus ejuſdem Inſtituti reſpectu illorum, qui præexiſtunt, quàm ſi introduceretur Religio diverſa. Nam identitas ſigni, atque habitus ſecum affert præjudicium, ut de Confraternitatibus laicorum ſæpè reſolutum fuit a S. Rituum Congreg. & de artificibus probant Doctores, præſertim Bart. *de inſign. & arm. n.* 5. Bald. *in l.* 1. *C. Quæ res vendi non pot.* Cùmque non agatur de inducenda nova, vel diverſa Religione, ſed de fundando alio Monaſterio Religionis jam introductæ, utique habentes propenſionem

ad

ad eandem Religionem desisterent a frequentatione ejus antiquæ Ecclesiæ, & novæ adhærerent; itaut in hoc casu non intraret regula, quod in facultativis non dicatur inferri præjudicium, sed prorsus contrarium.

31 Quare posteriores Constitutiones Gregorii, & Urbani promulgatæ ad majorem efficaciam non debent inducere diminutionem quoad contenta in Constit. Clementis, sed sunt intelligendæ in loco, ubi non extarent Conventus ejusdem Instituti, & quatenus extent, debent comprehendi sub qualitate aliorum verborum, præsertim sub illis, *seu Institutorum hujusmodi*, quæ possunt comprehendere etiam Regulares ejusdem Instituti, cujus sunt procurantes fundationem Monasterii, de quibus erat facta mentio in eadem Constitutione ex notatis per Felin. *in c. Apostolico, n. 3. in fin. de except.* Dictio autem *Aliarum*, tametsi ad diversa referatur, non tamen excludit similia, Surd. *dec.* 274. *n.* 4. *& dec.* 319. *n.* 9. potestque Religio dici diversa respectu Monasteriorum ac ratione subjectæ materiæ.

32 Neque verum est, Constitutiones esse correctorias juris communis, ideòque esse strictè intelligendas. Nam ita illæ continent favorem, ut simul etiam sint declaratoriæ juris communis. De jure enim communi non potest una Ecclesia fundari in loco, ubi cæteris prius fundatis præjudicet, *c. Quicumque, & c. Ecclesiæ* 17. *q.* 1. *& c. Cùm dicant, de Eccl. ædif.* notantque Card. *cons.* 8. *num.* 13. Cùm autem declaratio sequatur naturam juris declarati, & ipsi insit, *l. Asse toto, de hæred. instit. & l. Unum ex familia, §. si de falcidia, ff. de leg.* 2. *& l. Hæredes palam, §. si quid post, ff. de leg. testam. & l. Adeò, §. Cùm quis, ff. de acquir. rer. dom. & Clem.* 1. *de jurepatr.* & observant plures in Glos. *cap. Cùm te de usur. & in cap. Per suas, v. De novo, de donat.* sequitur, quod d. Constitutiones, tanquam quædam declaratio, habeant locum in omnibus, in quibus locum habet jus commune, & proindè favent omnibus Regularibus, etiam ejusdem Instituti, sicut favet lex ipsa declarata. Unde hujusmodi Constitutiones debent potius dici jus commune, cùm contineant jus commune, illud declarando, & determinando secundùm doctrinam Baldi *in l. 1. v. Unde quæritur, C. de jurt.* & Menochii *cons.* 36. *n.* 28. Atque ita censuit S. Congr. Episcop. & Regul. in una Neapolitana fundationis Conventus die 20. Januar. 1646. nempè, Constitutiones comprehendere etiam Conventus ejusdem Instituti.

33 Quin etiam præfatas Constitutiones habere locum in Hospitiis certum censeo, probaturque ex *d. cap. un. de excess. Præl. in* 6. loquente de domo, & quacunque habitatione, & ex Constitutione Urbani, disponente etiam de domibus, & quibusvis aliis locis Regularium, atque ex Constitutione Innocentii, ibi: *Ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere*, & propterea sub hujusmodi prohibitione venire etiam domos conductionum firmavit Rot. *dec.* 88. *num.* 5. *part.* 4. *rec.* quam refert, & sequitur *dec.* 337. *part.* 10. *rec.* ac tradit Pellizar. *in man. c.* 7. *sect.* 2. *n.* 101. *tom.* 2.

34 Nec applicatur doctrina, quam docent Tapp. *in auth. Ingressi, v. Monasteria, cap.* 40. *C. de sacrosc. Eccl.* Ricc. *dec.* 240. *num.* 2. *cum seqq. p.* 2. *& collect.* 1896. referens ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, & *collect.* 2269. ac latè Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 1. *n.* 10. Lauret. de Franch. *in contr. inter Episcop. & Regul. de Convent. nov. fund. quæst.* 3. *n.* 414. & ibidem Pasqualig. *n. seq.* ubi allegat Suarez, Navarrum, Thesaurum, Novarium, Ventrigliam, Antonellum, & alios idem sentientes. Quod etiam sequitur Peyrin. *tom.* 3. *in addit. ad Constit. Urbani constitut.* 3. *alias* 13. *n.* 3. Lezan. *in sum. d. v. Monasteria, n.* 6. Bordon. *d. contr.* 36. *n.* 20. *& ref.* 41. *n.* 6. *& ref.* 97. *n.* 18. Cesped. *de exempt. regul. quoad Monasteria ædif. c.* 1. *dub.* 6. *per tot.* & Donat. *in prax. tom.* 1. *tract.* 1. *de Monast. ædific. qu.* 20. *n.* 1. *cum seqq.*

35 Primò, quia id intelligendum est de Hospitio, in quo recipiuntur solùm viatores, nec degunt aliqui permanentes, nec elevant Crucem, nec habent publicum Oratorium, ut in puncto declarat Bordon. *cit. contr.* 36. *num.* 20. Secundò, quia loquuntur duntaxat juxta mentem Constitutionis Clementis VIII. quæ tantum loquitur de monasteriis, & conventibus, ac proindè non comprehendit Hospitia. Tertiò, quia hodiè stante Constitutione Gregorii, Urbani, & Innocentii prohibitum est Regularibus recipere non solum novos Conventus, & Ecclesias, verum etiam domos, & quascunque alias habitationes sine licentia Sedis Apostolicæ, & Ordinarii, ac consensu aliorum interesse habentium. Atque hinc post editionem dictarum Constitutionum S. Congregario pluries decrevit, Hospitia in futurum intelligi omnia suppressa, & extincta, & fratres in eis degentes incidere in pœnis degentium extra claustra, non obstante qualibet exemptione. Ita die 14. Septemb. 1629. die 12. Aprilis 1647. die 10. Dec. 1649. die 16. Junii 1650. die 15. Julii 1651. & die 7. Augusti 1644. Declaravitque die 10. Decembr. 1652. quod in Hospitiis, & Granciis non permittatur habitatio Religiosorum, & Sanctissimus sæpè hujusmodi Hospitiorum fundationem denegavit, præsertim in una Cæsaraugustana 1664.

Et licet nonnulli crediderint, quod post Sacr. Concilium Tridentinum sufficiat sola licentia Ordinarii, præsertim in non Mendicantibus, cùm dispositio Sacrorum Canonum, nempè *in dict. cap. un. §. Confirmatos, de relig. domib. in* 6. *& in dict. cap. nn. de excess. Prælat. eod. lib. & in Clem. Cupientes, de pœn.* apertissimè restringatur ad Mendicantes, dum Constitutio *dict. cap. un. de relig. domib.* edita a Greg. X. in Concilio Lugdunensi agitur primo loco de cunctis Religionibus, & Ordinibus Mendicantibus post generale Concilium adinventis, qui nullam Sedis Apostolicæ confirmationem habuerunt, iique revocantur. Postmodum autem subsequitur dispositio de confirmatis per eandem Sedem, non tamen generalis, sed restricta ad eos, quibus ad congruam sustentationem, redditus, aut possessiones habere professio, seu Regula quælibet interdicit, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas. Et horum respectu tantùm prohibetur acquisitio loci de novo sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, ratione reddita, quod nempè similes eleemosynæ converti possent in Terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, aliosve pios usus. 36

Nec minus apertè restricta est ad Mendicantes dispositio *d. c. un. de excess. Præl. in* 6. ut ex proœmio ibi: *Ex eo quod Prædicatores, Minores, & Religiosi alii Mendicantes in Civitatibus, &c.* Et ex dispositiva, ibi: *Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de præfatis, &c. in aliqua Civitate, &c. ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, &c. præsumat sine Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Itaque Bonifacii VIII. Constitutio fuit tantummodo quoad hoc innovata *in d. Clem. Cupientes, de pœn.* Quod benè notatur in ejus summa, & repetit Glos. *lit. A. & S.* Comprobaturque ex 2. *p. d. Clem.* ac rectè observat Glos. *lit. T.* Idemque hos textus explicando firmant Doctores, & præ aliis Sylvest. *v. Excommunicatio* 9. *n.* 86. *cum seqq. qui n.* 88. scitè ponderat discretivum loquendi modum *d. Clem.* Navar. *in man. c.* 27. *n.* 144. Roderic. *qu. regul.* 46. *art.* 3. *& 9. tom.* 2. Azor. *Instit. moral. part.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *§.* 17. Ex quibus constat, quod omnes textus prohibentes fundari Monasteria sine licentia Apostolica restrictivè procedunt quoad solos Mendicantes, & ad ipsos tantùm dirigunt prohibitionem. Unde cùm in interpretandis legibus non sit recedendum a verborum significatione, *l.* 1. *§. Si is, qui navem, ff. de exer. act.* & tradunt communiter Doctores, præsertim Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 1. *n.* 7. & Salas *eod. tr. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 4. non potest dicta dispositio extendi ultra Mendicantes, & consequenter nec ad Monachos, neque ad Moniales, quæ contradistinguuntur a Mendicantibus, nec veniunt appellatione Mendicantium. Præcipuè quia jus distinguit inter Mendicantes, & non Mendicantes, ut in *Clement.* 1. *de Regul.* ubi disponitur quod Mendicantes transeuntes etiam de licentia Sedis Apostolicæ ad non Mendicantes non possint habere vocem in Capitulo. Et proinde Monachos, præsertim in odiosis, non venire appellatione Mendicantium observant Suar. *disp.* 23. *de cens. sect.* 5. *n.* 19. Donat. *in pr. rer. regul. part.* 2. *tit. de ædif. monast. qu.* 13. *n.* 7. cum Navar. *in man. c.* 27. *n.* 145. Quando igitur jus disponit de Religiosis qualitate restrictiva ad Mendicantes, non comprehendit cæteros, qui ab ipsis a jure contradistinguuntur. Si enim voluisset omnes comprehendere, frustra addidisset qualitatem restrictivam Mendicantium.

Itaut non urgeat, quod ratione identitatis rationis dispositio Canonum extendatur ad Religiosos non Mendicantes. Quia ratio finalis hujus dispositionis non habet locum quoad alios Religiosos. Est enim expressa in lege, nempè *in cap. un. de excess. Præl. in* 6. estque obviare scandalis, & inconvenientibus, quæ insurgebant ex erectione, & mutatione Monasteriorum Mendicantium, itaut coarctet textus hanc causam ad Mendicantes. Ex quibus manifestum fit, quod Pontifex suam Constitutionem edidit ob causam finalem, quam in solis Mendicantibus contemplatus est, & ideò dispositio quoque tanquam affixa rationi finali, non egredietur extra Mendicantes nec locum habet in cæteris, *l. adigere, §. Quamvis, ff. de jurepatr. & l. si maritus, §. præscriptione, ff. ad l. Jul. de adult. c. Et si Christus, de jurejur.* & latè Everard. *in topic. jur. loc.* 85. Neque aliud hac in re

re disponunt Constitutiones Clem. VIII. & Gregorii XV. & Urbani VIII.

Quamobrem ex hac particulari prohibitione facta Mendicantibus, non est dicendum, quod generatim Sacri Canones idipsum prohibeant quibuslibet aliis Religiosis, dum præsertim respectu monachorum extant dispositiones aliorum Canonum, qui non reperiuntur correcti, vel immutati, in quibus satis expresse permittitur locorum acquisitio cum sola Ordinariorum licentia, ut habetur *in cap. Si quis vult monasterium 16. quæst. 7.* & sancitum legitur in quatuor Conciliis, nempè Chalcedonensi, Carthaginensi 4. Agathensi, & Aurelianensi, relatis *in cap. Quædam Monachorum cum seqq. 18. quæst. 2.* adestque etiam Constitutio Alex. IV. *in cap. Authoritate, de privil. in 6.*

38 Ideòque dum S. Concilium Tridentin. determinavit, Conventus, & Monasteria non erigi sine licentia Episcopi, in cujus diœcesi sita sunt respectu monachorum, & respectu aliorum non mendicantium, qui non habent aliam obligationem requirendi beneplacitum Apostolicum, dicendum est, quod solùm innovaverit dispositionem aliorum Canonum, & Conciliorum antiquorum, & quoad eos benè procedit opinio Doctorum, firmantium, aliud ad validam erectionem non requiri præter licentiam Ordinarii. Respectu verò mendicantium, pro quibus promulgatæ fuerunt peculiares Constitutiones, requirentes ulterius beneplacitum Apostolicum rectè procedere potest sententia S. Rotæ Roman. quod per hanc dispositionem Concilii non censeatur derogatum decretis Sacrorum Canonum, sed utraque licentia, & Ordinarii, & Papæ adhibenda sit. Aliàs enim hæc ratio, quod Sac. Concilium non censeatur derogasse Sacris Canonibus non adaptaretur generaliter, cùm ex prædictis iidem Canones diversimodè disponant, aliudque statuant in monachis, aliud in Mendicantibus. Nec quicquam aliud Constitutio Urbani determinat, nisi quod in suis fundationibus servetur in omnibus, & per omnia tàm Sacrorum Canonum, quàm S. Concilii Trid. forma, quæ solùm exigit in mendicantibus beneplacitum Apostolicum, in aliis verò sola Ordinariorum licentia.

39 Hæc tamen opinio est communiter reprobata. Nam quamvis S. Concilium Tridentinum requirat licentiam Ordinarii, non tamen innovat dispositionem Sacrorum Canonum exigentium beneplacitum Sedis Apostolicæ. Unde cum dispositio juris communis sit compatibilis cum S. Concilio Trid. exigitur utraque licentia, nec una sufficit sine alia, juxta claram dispositionem Bonifacii VIII. *d. cap. unic. de excess. Prælat.* & Constitut. Clementis, Gregorii, atque Urbani, tenentque communiter Doctores ac nominatim Roderic. *quæst. reg. 35. art. 7. tom. 1.* Ricc. *dec. 168. part. 4.* Campan. *div. jur. Can. rubr. 12. cap. 13. n. 80.* qui reprobant Sorbum, & alios contrarium asserentes, ac prosequitur Lezan. *in summ. part. pr. cap. 9. sub n. 1.* Tambur. *de jur. Abbat. disp. 33. quæst. 1. n. 6.* & *de jur. Abbat. tom. 3. disp. 5. quæst. 1. n. 3.* Novar. *in singul. nov. jur. Pontif. concl. 3. alias 10.* & *seq.* Peliz. *in man. regul. tom. 2. tract. 8. c. 7. sect. 2. n. 92.* Atque ita sæpiùs declaravit Sac. Congregatio Concilii, & Episcoporum, ac firmum, ratumque habet Rota Romana, præsertim *in Cracovien. fundationis Monasterii 19.* Aprilis 1649. & 20. Junii 1950. coram Eminentissimo Cardinali Celso, & *in Toletana manutentionis 7.* Februarii 1656. coram Meltio, & *in Cæsaraugustana fundationis Conventus 18.* Maji 1657. coram Bevilaqua, & 12. Novembris ejusdem anni coram eodem Meltio, & 4. Februari 1658. coram Reverendissimo Cero, & *in Romana hæreditatis 28.* Aprilis 1659. coram Meltio, rejecta decisione 745. *p. 2. rec.* quæ ab adversariis allegari solet, firmans sufficere licentiam Ordinarii. Ea enim decisio hodie non servatur, & Rota ipsa ab illa recessit ob authoritatem S. Congregationis, quæ contrarium iterum ac sæpius decrevit, ut proindè fuerit revocata in specie in utraque *Cracovienſi* coram Eminentissimo Celso, & in d. Cæsarauguſtana coram Decano.

40 Fundamentum revocationis est ratio, quam adduxi, scilicet, quod per Sacros Canones præcisè requiritur in fundationibus novorum Conventuum Sedis Apostolicæ beneplacitum, & propterea licet per S. Concilium *sess. 25. cap. 3. de regul.* determinetur, ut similes Conventus, & monasteria non erigantur sine licentia Episcopi, in cujus diœcesi sita sunt, fuit judicatum, quod cum utraque dispositio tàm Canonum, quàm Concilii sit inter se compatibilis, utraque adimpleri debeat, maxime attenta Constitutione Urbani VIII. expresse prohibente recipi, & fundari nova Monasteria, non servata in omnibus tàm sacrorum Canonum, quàm S. Concilii Tridentini forma.

41 Quare non subsistit, quod fundatio novi Monasterii sit prohibita solum quando agitur de Mendicantibus, qui quæstuando eleemosynas possunt aliis præjudicare, ut resolvit eadem decisio 745. *p. 2. rec.* Quia nec etiam illa in hoc servatur, cùm postea supervenerint novæ Constitutiones Gregorii XV. Urbani VIII. & Innocentii X. ex quibus tollitur istiusmodi difficultas, ut advertit Pasqualig. *ad Laur. de Franch. p. 1. n. 482. cum seqq.* & Lezan. *in summ. v. Monasteria n. 4.* Præcipuè Constit. Innoc. *§. 1. Ne deinceps aliquis Regularium Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius Instituti etiam Societatis Jesu in aliqua Civitate, Castro, &c. ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, Collegia recipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam, & expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregat. negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, &c.* Ex quibus verbis constat, necessariam esse facultatem Apostolicam, ut hodie possit de novo fundari Monasteria quorumcunque Regularium, quicquid dicendum sit de illorum fundatione ante Constitutionem Innocentii.

Immò circumscriptis etiam novis Constitutionibus Apo- 42
stolicis, ita de jure disponitur. Quia præjudicium aliorum Regularium, & Parochorum non resultat ex sola quæstuatione Eleemosynarum, sed etiam ex diminutione concursus, & emolumentorum, quæ retrahi solent ex celebratione Missarum, tumulatione cadaverum, aliisque pluribus, in quibus Parochi, aliique Regulares præjudicantur ex fundatione novi Monasterii, ratione quorum requiritur eorum consensus, etiamsi fundare volentes non sint Mendicantes, & ex suis bonis vivere, ac sustentari possint, ut diffusè probat Pasqualig. ad Laur. de Franch. *d. p. 1. a n. 480.* & signatè *n. 512.* Ventrigl. *in prax. annot. 18. n. 8.* & *9.* Ricc. *dec. 222. n. 4.* & *seq. part. 4.* resolvitque Rota *in Januen. privilegiorum 24.* Junii *1647.* coram Rojas, & in eadem 24. Januarii 1648. coram eodem, *§. Quamobrem cum seqq.* & 23. Junii 1649. coram Cardinali Corrado, & *in Toletana manutentionis* coram Meltio, *§. Neque dicere valet cum seq.*

Ad hoc enim ut Constitutiones vindicent sibi locum 43
non est inspicienda qualitas Regularium introducendorum, sed introductorum præjudicium, quod qualecunque sit, sufficit etiamsi ex mendicitate, seu quæstuatione non esultet, sed ex diminutione concursus, aliisque ponderatis in decisionibus *Januen. privilegiorum* modò relatis, quæ intuper addunt quod Constitutio Clementis V. adducta per Rodericum *in collect. privil. tom. 1. n. 79.* non emanavit dumtaxat ad evitandum præjudicium eleemosynarum, sed rixas, & scandala propter æmulationem inter Ecclesias vicinas, facile orituras. Ac proindè quod requiratur copulativè licentia Sedis Apostolicæ, & Ordinarii tàm si agatur de Regularibus Mendicantibus, quàm si de aliis non Mendicantibus tenent Peliz. *in man. d. tom. 2. tr. 8. c. 7. sect. 2. n. 102.* Ventrigl. *in prax. rer. notab. for. Eccles. annot. 18. §. unic. n. 7.* & *8. cum seq.* ac resolvit expresse Rota coram Royas *in d. Januen. privilegiorum* 24. Junii 1647. *§. Satis autem,* & *in Toletana manutentionis* 7. Februarii 1656. coram Meltio.

Id que ex aliis rationibus. Et primò, quia Urbanus 44
VIII. in sua Constitutione prohibuit erectionem novorum Monasteriorum omnibus Ordinibus etiam Mendicantibus, ut in ea legitur *§. 2.* Quæ verba ostendunt Pontificem sub ista prohibitione intellexisse comprehendere omnes Ordines Regularium, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, stante illa dictione *etiam*, quæ est ampliativa. Sicque ultra Ordines Mendicantes includit etiam non Mendicantes, ut ponderat Pelliz. *ubi sup. n. 7. sub num. 102.* Attentis maximè illis aliis verbis, & *aliorum Institutorum Regularium*, quæ cùm non possint intelligi de Ordinibus Mendicantibus, qui expresse fuerant nominati, necesse est, ut intelligantur de aliis Ordinibus non Mendicantibus cùm provisio generalis nunquam referatur ad ea, de quibus facta fuit specialis mentio, ut *ibid.* advertit Pellizarius. Secundò, quia licet S. Concilium Tridentinum *d. c. 3. sess. 25. de Regular.* sub medio loquatur tantùm de Mendicantibus, tamen in principio loquitur de omnibus Religiosis, & proindè comprehendit tàm Mendicantes, quàm non Mendicantes, cum omnes veniant, & contineantur sub nomine Religiosorum, ut ait Glos. *in Clem. Cupientes, v. Religiosos de pœn.* & ibid. Abb. *n. 2.* Quorum authoritate hanc conclusionem in puncto firmat Ventrigl. *ubi supra d. annot. 18. n. 8.* & *9.* Idemque sentit Barbos. *ad d. locum Concilii n. 34.* dum ait, ejus dispositionem loqui de facultate Regularium quorumcunque. Ac eò præsertim, quod Constitutiones sunt favorabiles, non odiosæ, ut jam ostensum est, ac proindè comprehendunt etiam non Mendicantes.

Quòd si ejusmodi consensum Ordinarius injustè præsta- 45
re

re recusaverit, poterit appellari ab ejus decreto, etiam quoad effectum suspensivum, ad S. Congregationem Episcoporum, & Regularium, quæ consensum potest, ac debet supplere juxta Constitutionem Gregorii, §. 4. Quod fusè aliàs monui. Quandoquidem Constitutionum causa finalis, & præsertim Bonifacii VIII. *in c. un. de excess. Prælat.* prohibentis novas fundationes sine beneplacito Apostolico, nec non etiam ejusdem Gregorii, requirentis consensum Ordinarii, non fuit alia, quam obviare præjudiciis Ecclesiarum jam fundatarum, ut nimirum fieret diligens inquisitio super congrua Regularium sustentatione, qui reperiuntur in loco, & aliorum, qui in eo fundationem petunt absque alieno præjudicio. Adeòut, si dicta congrua adsit, dispositio earundem Constitutionum cesset, ut firmant Donat. *in prax. rer. Regul. to.* 5. *p.* 2. *tract.* 1. *q.* 27. *n.* 2. Pasqual. *ad Lauret. tit. de Convent. nov. ædif. n.* 480. Novar. *in prax. nov. jur. Pontif. concl.* 12. aliàs 11. *n.* 4. aliique. Sic enim intrat satis trita regula, ut quælibet dispositio restringatur ad limites suæ rationis, etiamsi verba videantur latiùs diffusa, *l. adigere, §. Quamvis de jurep. c. Cum dilecta, de confirm. util. vel inutil. c. ult. de reg. jur. in* 6. cùm similibus adductis per Abb. *in c. Quia in insulis sub num.* 3. *de regular.* Ubique enim magis prævalet ratio, quæ se habet ad verba tanquam anima ad corpus Bald. *in l. Si quis senio* 20. *n.* 10. *C. de furt. & ser. corrupt.* & ex multis exemplificat Tiraquel. *ad l. Si unquam, v. libertis n.* 72. *C. de rev. donat.*

46 Sufficere verò licentiam Vicarii Capitularis, sede vacante, censuit S. Congregatio Episcoporum & Regularium, quæ aliàs etiam respondit, quod Monasterium fratrum S. Dominici cœptum ædificari de licentia Vicarii Capitularis, ad finem perducendum esset, ut refert D. Fagnanus *in cap. Non amplius, numer.* 70. *de instit.*

47 Nec suffragantur quorumcunque Regularium asserta privilegia construendi nova Monasteria cum sola licentia Ordinarii. Quia Urbanus VIII. & Innocentius X. in suis Constitutionibus revocaverunt omnia, & quæcunque privilegia, indulta, & beneplacita quibusvis Regularibus concessa, innovando in omnibus sacros Canones requirentes licentiam Sedis Apostolicæ, ut advertunt Lezan. *d. v. Monasteria, n.* 4. Donat. *d. to.* 1. *p.* 2. *q.* 15. *n.* 17. Ventrigl. *in prax. annot.* 18. *§. un. n.* 18. Pelliz. *in man. to.* 2. *tract.* 6. *cap.* 7. *sect.* 2. *n.* 89. & 92. Pasqualig. *ad Lauret. d. p.* 1. *n.* 502. *in fine*, & sæpiùs resolvit Rota, præcipuè *in d. Cracovien. fundationis Monasterii* 20. Junii 1650. coram Eminentiss. Cesio, *§. Neque ad effectum*, & in *d. Cæsaraugustana fundationis Conventus* coram Meltio sub *§. Neque ex eo.*

48 Sicuti nec suffragantur Constitutiones, seu statuta particularia Religionum. Quia non possunt derogare Constitutionibus Apostolicis per viam legis generalis emanatis, quales sunt istæ circa novorum Conventuum erectionem. Et propterea hujusmodi pecularia statuta intelliguntur sine præjudicio dictarum Constitutionum, ut in puncto Statuti Ordinis Capuccinorum circa novorum Conventuum erectionem, quod intelligatur concurrentibus aliis requisitis Constitutionum Apostolicarum firmavit Rota *in d. Cæsaraugustana* 18. Maji 1657. *§. His positis* cor. Bevilaq. & in eadem 1. Novembris ejusdem anni, *§. neque defectus* cor. Meltio, & 6. Junii 1659. *§. Hinc urgere* coram Verosp.

An autem pro fundando novo Monasterio sufficiat tacita licentia Ordinarii, affirmant Silv. *de benef. p.* 1. *q.* 6. *n.* 21. Azor. *p.* 2. *lib.* 9. *c.* 3. *q.* 2 Ricc. *dec.* 168. *n.* 2. *p.* 4. Merol. *tom.* 3. *theol. moral. disp.* 7. *n.* 146. Novar. *in Nov. jur. Pontif. concl.* 1. aliàs 10. *n.* 2. *tit. de ædific. Monast.* Donat. *in pr. rer. regul p.* 2. *tit.* 1. *de Monast. ædific. quæst.* 11. *num.* 2. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 26. *n.* 2. Rot. in Barchinonen. fundationis 20. Novembris 1627. coram Panzirolo. Quia taciturnitas illius, qui posset & deberet contradicere operatur sufficientem consensum. At requiri expressam omninò tenendum est. Authoresque, qui aliter post Constitutionem Urbani VIII. censent, fallunt & falluntur. Id enim statuitur ab Urbano *§.* 2. ibi: *Nisi de expressa Ordinariorum licentia.* Si ergo Pontifex requirit expressam licentiam, non sufficit tacita. Sumus enim in casu, de quo lex disponit, & ideò cessat omne dubium ad tradita per Glos. *in l. Ancillas, C. de furt.* Cravet. *cons.* 373. *nu.* 7. Corn. *cons.* 136. *num.* 3. Bec. *cons.* 112. *in fin. vol.* 1. Zas. *cons.* 10. *numer.* 97. *lib.* 1. & Surd. *cons.* 58. *numer.* 3.

Quod etiam declarat dictio *Nisi*, quæ cùm sequatur prohibitionem, concedit in casu sequenti expresso, & excepto a prohibitione, *l. si feritatis, ff. de fer.* & notant Bart. *in l. actiones, C. de transact.* Jas. Castr. Dec. Alex. & alii *ibid.* ac Menoch. *cons.* 501. *n.* 57. Unde a dicta prohibitione remanet tantùm exceptus casus expressæ licentiæ Ordinarii, non autem casus tacitæ licentiæ. Præsertim quia hæc dictio *Nisi* est taxativa, ut *l. Consulta, C. de testam.* & notant Covar. *cap.* 4. *de sponsal. p.* 2. *§.* 1. *n.* 8. Et ideò taxat solum casum expressæ licentiæ Ordinarii.

Ac denique cùm non possit Ordinarius concedere licentiam erigendi novos Conventus, nisi certa forma servata, quæ præscribitur in relatis Constitutionibus Clem. VIII. Gregorii XV. Et Urbani VIII. non poterit sufficere licentia tacita. Quia pro servanda forma in iisdem Constitutionibus præscripta requiritur cognitio causæ, itaut convocari debent cæteri Regulares, & sumi informatio, an Conventus erigendus poterit congruè manuteneri, & ejusdem Religiosi commodè sustentari absque detrimento præexistentium in loco. Et proindè necessarium est, quod Ordinarius cognita causa pronunciet, quid ex ipsa resultet, eo quod Religiosi volentes fundare, expectent judicium Episcopi, & ejusdem approbationem. Unde nullo modo poterunt fundare innixi soli ejusdem taciturnitati. Idipsum, quod scilicet requiratur licentia expressa Sedis Apostolicæ manifestè liquet ex relatis verbis Constitut. Innoc. X.

Præter autem licentiam Sedis Apostolicæ, atque Or- 49
dinarii requiritur etiam pro fundatione novi Conventus citatio, & consensus aliorum Regularium, quos vocari, audiri, & consentire præcipiunt eædem Constitutiones Apostolicæ, aliàs oriri inevitabilem nullitatem fundationis firmant Lezan. *d. v. Monasteria, n.* 5. Donat. *d. p.* 2. *tract.* 1. *q.* 15. *sub num.* 3. Pelliz. *ubi supra n.* 90. Ventrigl. *d. annot.* 18. *n.* 14. Pasqualig. *ibid. n.* 525. ubi ait nedum sufficere, quod major pars consentiat, sed omnium consensum requiri. Qui sanè consensus non est captiosis interpretibus inducendus, præsertim in præjudicialibus, sed debet esse certus, & explicitus, ut per Anchar. *cons.* 176. *num.* 3. Angel. *cons.* 15. *num.* 45. Et multò minùs adesse debet ignorantia, Federic. de Sen. *cons.* 125. *num.* 4. Præsertim cùm detur forma a prædictis Constitutionibus, per quàm jus partis semper præservatur.

Verum quidem est, quod si Religiosi vocati renue- 50
rint consentire, & aliàs opulentia loci est satis ad omnium sustentationem, eorum dissensus non attenditur, sed sufficit licentia Ordinarii, ut notant Lezan. *d. v. Monasteria, n.* 7. Novar. *d. concl.* 2. aliàs 11. *n.* 4. ac pleniissimè Donat. *d. p.* 2. *tr.* 1. *q.* 17. *per tot.* Immò nec etiam videtur esse necessaria citatio, attenta Constitutione Gregorii, ubi post relatam dispositionem Constitutionis Clem. VIII. quod vocari, & audiri debeant alii Regulares, leguntur hæc verba: *Vel aliàs Ordinarius locorum constiterit Religiosos Monasterii, Conventus, seu domus regularis sic erigendæ absque detrimento aliorum in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse.* Ut in puncto, quod per hujusmodi alternativam fuit Ordinariis tributum arbitrium, nedum concedendi licentias pro novis fundationibus absque aliorum Regularium consensu, sed etiam omittendi illorum vocationem, dummodò aliundè constet de sufficientia redituum, sentit Cesped. *de exempt. regul, c.* 1. *dub.* 4. Donat. *d. part.* 2. *tit.* 2. *qu.* 27. *n.* 2. Lezan. *d. v. Monasteria, num.* 7. & Pasqualig. *ad Lauret. num.* 410. Neque hujusmodi arbitrium Ordinariorum fuit sublatum per Constitutionem Urbani, ut malè putavit Peyrin. *in addit. ad ejus Constit.* dum æquè confirmat Constitutionem Clementis, ac Gregorii, & sic approbat idem arbitrium, quemadmodum etiam observarunt Cesped. *loc. cit. dub.* 4. Lezan. *d. numer.* 7. & Pasqualig. *ubi supra numer.* 420.

Verùm stando in Constitutione Clementis VIII. Ordinarius pro concedenda licentia erigendi nova Monasteria debet semper audire cæteros Religiosos, etiamsi aliàs sciret, posse novos sustentari absque aliorum detrimento. Quia non debet Ordinario quomodocunque constare; quod novi Religiosi possint quomodocunque sustentari absque aliorum detrimento, sed causa cognita. Quod licèt non explicetur in dicta Constitutione Gregorii XV. explicatur tamen in Constitutione Clementis VIII. *§.* 1. ibi: Nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita constiterit in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Ex quibus constat, quod vult causa cognita, & auditis Religiosis constare debere, neque enim causa cognita constare posset, nisi cæteri Religiosi audirentur.

Unde

Unde cùm lex nova accipienda ſit ſecundùm legem antiquam, *l. non eſt novum, & l. Sed & poſteriores, ff. de legib. & l. Sciendum eſt, ff. qui ſatisdare cog.* & obſervant Gloſſ. & Bart. *ibid.* Menoch. *conſ.* 150. *n.* 44. Vinc. de Franch. *dec.* 435. *n.* 24. Hartman. Piſt. *q.* 38. *n.* 29. diſpoſitio Gregorii XV. debet accipere declarationem a diſpoſitione Clement. VIII. ut ſcilicet conſtare debeat Ordinario, quod novi Religioſi poſſint ſuſtentari abſque detrimento aliorum, cauſa cognita, & auditis cæteris Religioſis. Rurſus cùm conſtet, quod Conſtitutio Gregorii XV. non deroget expreſsè Conſtitutioni Clementis VIII. quoad modum præſcriptum pro acquirenda notitia, an poſſint novi Religioſi commodè ſuſtentari abſque aliorum detrimento, nec etiam tacitè, cùm nihil ponat, quod ſit incompoſſibile cum modo præſcripto in Conſtitutione Clementis, erit ſervandus modus præſcriptus a Conſtitutione Clementis. *l. præcipimus, in fin. C. de appell. & l. penult. C. per quas perſonas nob. acq.* & notant Bal. *ibid. in fin.* ac Rota in Januen. privilegii 24. Januarii 1648. coram Rojas, & in Cracovien. Monaſterii 19. Aprilis 1649. & 20. Iunii 1650. coram Celſo.

Præſertim quia Urbanus VIII. in d. Conſtitutione confirmat tàm Conſtitutionem Gregor. XV. quàm Clementis VIII. de erectione Conventuum, & ideò circa modum cognoſcendi, an novi Religioſi ſine aliorum detrimento poſſint commodè ſuſtentari, ſervanda eſt diſpoſitio Clementis VIII. itaut diſpoſitio Greg. XV. ab ipſa recipiat interpretationem, juxta ea, quæ notat Gloſ. *in l. Sciendum init. ff. qui ſatisdare cog. ibique* Jaſ. *num.* 4. ac cæteri.

Ex quibus deducitur, quod disjunctiva, quam adhibet Gregorius XV. in ſua Conſtitutione non cadit inter convocationem, atque auditionem aliorum Regularium ex una parte, ex alia inter notitiam, quam habet Ordinarius, quod novi Religioſi poſſint ſine aliorum detrimento ſubſtentari, ſed inter hunc notitiam, & conſenſum aliorum Religioſorum itaut, aut ſit neceſſarius hujuſmodi conſenſus, aut ſi negetur, conſtet Ordinario, quod novi Religioſi poſſint ſine aliorum incommodo ſubſtentari, & proindè irrationabiliter denegetur. Dictio enim disjunctiva *Vel* ponitur quidem inter diverſa, ſed quæ tamen aliquo modo idem importent ut obſervant Grat. *conſ.* 43. *num.* 17. *vol.* 1. & Rot. *dec.* 229. *n.* 25. *part.* 7. *rec.* quod ſolùm convenit conſenſui aliorum Regularium, & notitiæ, quod introducendi poſſint commodè ſuſtentari. Quæ licet ſint diverſa, tendunt tamen ad eundem finem, & cauſant eundem effectum, & ideò ſunt aliquo modo idem.

Quod confirmatur ex eadem Conſtitutione Greg. XV. in qua ſtatuit, quod ubi non ſunt Religioſi alii, antequam Ordinarius concedat licentiam fundandi Monaſterium, diligenter inquirat, & audiat loci incolas, & illorum conſenſum exquirat, an valeant eos ſubſtentare. Ex quo conſtat, quod vult ſemper adhiberi cauſæ cognitionem, ut poſſit legitimè conſtare, an ſubſtentari poſſint. Unde quando ei conceditur facultas dandi licentiam pro fundando Monaſterio, intelligitur, ſi aliàs ei conſtiterit præmiſſa cauſæ cognitione, ac cæteris Regularibus auditis, poſſit commodè ſubſtentari.

Non poteſt propterea Ordinarius concedere licentiam erigendi Conventus, in quibus duodecim Religioſi ſubſtentari non poſſunt. Et proindè quando arbitrabitur, ac de novo introducendi ſubſtentari poſſint abſque aliorum detrimento, arbitrari debebit, habita ratione prædicti numeri. Quia lex prohibens fundari Monaſteria, in quibus duodecim Religioſi non poſſint ſubſtentari, eſt clara in prædicta Conſtitutione Gregorii XV. neque ipſi per ſubſequentes Conſtitutiones derogatur, immò confirmatur, ut mox dicemus. Unde cum habeamus legem prohibitivam, eſt omninò ſervanda, *l. de quibus, ff. de legib. & cap. 1. de conſt.* ubi Abb. *num.* 4.

Secundum igitur Conſtitutionem Greg. XV. fundatio erit nulla, quia habet clauſulam decreti irritantis, quæ annullat omnia in contrarium facta, & facit irritas quaſcunque fundationes, in quibus duodecim Religioſi ſubſtentari non poſſint, *c. Si eo tempore de elect. in 6. & c. 1. de conceſ. præb. in 6.* Caſſad. *deciſ.* 1. *n.* 2. *de reſt. ſpol.* ac notant communiter Doctores. Et ideò præſervatur ejuſdem vigor, & eſt ſemper ſervanda, nec fundationes contra illius formam ſunt attendendæ. Accedit etiam, quod hujuſmodi decretum irritans impedit contrarium uſum, & contra ipſum præſervat vigorem legis, ut obſervat Rot. coram Coccino *dec.* 51. *nu.* 2. & coram Merlino *dec.* 653. *n.* 3. *& dec.* 142. *nu.* 4. *p.* 2. *rec.* Unde quamvis in decretis Urbani VIII. de celebratione Miſſarum editis ſub die 21. Junii 1625. §. 14. videatur permitti contrarium, ſicut etiam in Conſtitutione Innoc. X. Ut in parvis edita ſub die ... Februarii 1654. Ex vi tamen dicti decreti irritantis manutenetur nullitas fundationis, & vigor legis, itaut fundationes contra dictam formam non poſſint allegari contra prohibitionem.

Unde non obſtant decreta Urbani VIII. quia in ipſis innovatur Conſtitutio Gregor. XV. quod non poſſint erigi Monaſteria, in quibus non poſſint ſubſtentari duodecim Religioſi. Quod verò ſubdit, quod Monaſteria in poſterum erigenda, in quibus non poſſint ſubſtentari duodecim Religioſi, aut non inhabitaverint, ſubſint omnimodæ juriſdictioni Ordinarii, non concedit Epiſcopis, quod poſſint dare talem licentiam erigendi, ſed corrigit Conſtitutionem Gregorii XV. quoad neceſſitatem erectionis, dum permittit remanere Conventus jam erectus ſub illa forma ſubjectionis Ordinariæ.

Conſtitutio verò Innocentii X. nihil diſponit de fundatione Monaſteriorum, ſed ſolum de Monaſteriis jam fundatis, ſive non ſuppreſſis, ſive ſuppreſſis, ſed poſtea reſtitutis, & hæc concedit conſervari, dummodo ſex Religioſi ad minùs ipſis inhabitent. Quod ſi deficiat iſte numerus, vult eſſe ſubjecta omnimodæ juriſdictioni Ordinariorum, tanquam delegatorum Sedis Apoſtolicæ. Immò declarat, quod non intendit præjudicium afferre decretis Urbani VIII. circa hanc materiam. Et perindè Monaſteria poſt hujuſmodi decreta ſubeſſe Ordinariorum juriſdictioni, ſi in ipſis non manuteneantur duodecim Religioſi. Ex quibus patet, quod ex dicta Conſtitutione nulla omninò permiſſio colligi poteſt fundandi Monaſteria, in quibus duodecim Religioſi ſubſtentari non poſſint.

Ex his deducitur, quod ſi concedatur licentia erigendi Monaſterium in loco, in quo revera duodecim Religioſi nequeant ſubſtentari, cùm hujuſmodi licentia ſit nulla, tanquam contra formam præſcriptam conceſſa, & ob decretum irritans Conſtitutionis Gregorii XV. hęc exceptio poterit opponi quandocunque libuerit, etiam poſt longum tempus. Quia exceptiones natura ſua ſunt perpetuæ, *l. pure, §. fin. ff. de dol. mal. except. & l. ſi pactum, C. de except. & l. licet, eod. tit.* ubi Gloſ. & Doctores, *c. Si autem, de reſcriptis*, & notant ibi Abb. ac Felin. & tradit Balb. *de præſcript. part.* 4. *princip. q.* 27. & alii cum Gloſſ. *in lib.* 3. *ver. perſecutione de præſcr.* 30. *ann.*

Conſenſus autem hujuſmodi præſtari debet a Regularibus capitulariter congregatis, nec ſufficit, ſi oſtendatur ſubſcriptio Religioſorum particularium ex vulgata regula quod aliud eſt Conventus, aliud ſinguli Religioſi de Conventu, latè Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſ.* 37. *n.* 39. & Burrat. *dec.* 351. *n.* 10. ubi quod in omni materia conſenſus eſt capitulariter præſtandus. 51

Inſuper exigitur perneceſſe conſenſus Parochi ſive Capituli penes quod reſidet cura animarum, infra cujus Parochiæ limites Conventus ædificandus eſt, ſine quo ædificari non poteſt. Nam cum in nova Eccleſia ſepeliri debeant fidelium corpora, miniſtrari Sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus poteſt generari præjudicium Parocho, illius conſenſus ita eſt neceſſarius, ut abſque eo fundatio novi Monaſterii non ſuſtineatur, ut latè firmant citatæ deciſiones *in Cæſarauguſtana fundationis* coram Bevilaqua, Meltio, Cerro, *& in d. Toletana manutentionis* coram Meltio. 52

Nec obſtat, quod diſſenſus, & contradictio Cleri, immò etiam & Parochi non habeatur in conſideratione, quia Conſtutiones Pontificiæ, loquentes de fundatione novorum Conventuum reſpiciunt præjudicibus, quod fit aliis Mendicantibus, ut copiosè dictum *in Pace Collegii* coram Taraconenſi, & in puncto reſpondendo objectioni diſſenſus Cleri, & Parochi probat Bordon. *d. contr.* 56. *n.* 9. & melius Rota *rec. p.* 2. *dec.* 745. *n.* 3. & 4. ac optimè *in Barchinonen. fundationis Conventus* cor. Cardinali Panzirolo his verbis: *Denique non obſtant contradictiones Parochi, & aliorum. Tum quia cum non habeant juſtam cauſam, illius contradictio non attenditur. Comparel. d. rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 11. *Nec timor, quod in hac nova Eccleſia fideles eligant ſepulturam, ac Miſſas celebrari faciant videtur conſiderabilis, cùm prædita ſint facultativa, ut firmavit Rota d. deciſ.* 745. *ſub num.* 3. & 4. *part.* 2. *rec.* Quod etiam dixerat Cardinalis *conſ.* 8. *num.* 2. & Seraph. *dec.* 847. *n.* 3. Parochus enim non habet jus cogendi laicos ad habitandum domos in ſua Parochia ſitas, atque adeò non poteſt allegare jus quæſitum circa emulenta inde evenientia juxta textum *in cap. Significavit, de Paroch.* & ibidem Abb. *num.* 5. & *in cap. ad Apoſtolicæ, n.* 2. *de decim.* 53

Hoc idem videtur dicendum quoad diminutionem concurſus, in quo dicitur verſari honor ac decor Eccleſiæ Parochialis, ſive Collegiatę, aut Cathedralis. 54

Hoc

Hoc enim motivum nullius videtur esse considerationis, cùm longè præponderet augmentum divini cultus, ut scitè docet Butr. *in c. cum olim 6. n. 15. de consuet.* ubi loquitur præcisè de nova Ecclesia erigenda intra limites Ecclesiæ Parochialis, subdens, quod ita de facto respondit cuidam Abbati in Thuscia, & hoc esse verius, æquius, ac justius, cum per hoc non subtrahuntur Parochiani, quin debeant visitare Ecclesias suis diebus. Quod item respondit Rot. coram Seraph. *cit. dec.* 847. *n.* 3. & aliis relatis comprobat Maranta *resp.* 28. *n.* 34. & 35. *p.* 2. & egregiè fuit firmatum *in dec.* 288. *n.* 23. *p.* 7. *rec.* ac nuperrimè approbatum *in Messanen. erectionis Collegiatæ* coram Cerro.

55 Minus etiam quoad diminutionem eleemosynarum, quia sunt valdè incertæ, & idcircò præjudicium est accidentale, quod non attenditur, ut dicunt Tamburin. *de jur. Abb. d. tom. 3. disp. 5. q. 1. n. 14.* Cesped. *d. c. 1. dub. 7. n. 9.* & Bordon. ea *contr. 36. n. 14.* Quare alii rationem hanc, ne scilicet propter eleemosynas erogandas in novam Ecclesiam detrimentum alii patiantur, inquiunt, non considerari in Constitutionibus Apostolicis, nisi respectu Mendicantium duntaxat, & successat omninò respectu aliarum Ecclesiarum, præsertim sæcularium, ut in terminis fuit dictum *in d. decis.* 745. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* Immò ex eisdem Constitutionibus Appostolicis Clementis, Gregorii, Urbani, & Innocentii apparet audiendos non esse alios, quàm Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu locorum Regularium. Unde benè comprobatur, quod Parochi, aliique Clerici sæculares non sunt legitimi contradictores. Et quidem imaginaria diminutio eleemosynarum, utcunque possibilis, non est tanti, ut ejus debeat ratio aliqua haberi in impediendo opus publicum, tendensque in publicam utilitatem, Alex. *cons.* 194. *n.* 11. *lib.* 2. Sat enim est providere sustentationi utriusque partis, ut quod alteri aliqualiter deperit, non reputetur in damnum, Bart. *in l. Quominus, n.* 12. *ff. de flumin.* Aym. *de antiq. temp. p.* 4. *n.* 24.

56 At enim verò hæc omnia non obstant. Nam certum est, ut iidem Regulares fatentur, quod Ecclesiis Parochialibus adimeretur populi concursus, a quo non solùm pendet earum extimatio, & dignitas, sicque etiam favor divini cultus, sed etiam eleemosynarum præjudicium, itaut non applicetur doctrina Butr. *in d. c. Cùm olim*, qui nec sibi est constans, sed potiùs decisio Sac. Rotæ *in Januen. privilegiorum* 24. Junii 1647. coram Rojas, ubi fuit in terminis resolutum, quod si Presbyteri Oratorii residerent in Ecclesia S. Pancratii, vicina Ecclesiæ S. Syri, in qua habitant Patres Theatini, diminueretur concursus populi in prædicta Ecclesia S. Syri, & consequenter eleemosynæ. Unde in hac re S. Rota consideravit principaliter diminutionem concursus, quamvis causatam ex illa vicinitate, prout in altera decisione confirmatoria sub die 24. Januarii 1648. *§. Etenim*, stabilitur. Ideò ubicunque adest periculum diminutionis concursus, ac proindè præjudicii, Parochi sunt legitimi contradictores. Immò Constitutio Gregorii considerat præjudicium, quod resultare potest aliis Ecclesiis non solùm in locis, in quibus eriguntur, sed etiam in aliis per quatuor millia passus circumvicinis.

57 Decisio verò Seraphini 847. loquitur in casu valdè diverso; quia Papa in eo concesserat exequutoribus testamentariis Cardinalis Pacecchi facultatem ædificandi Capellam, non requisita licentia Ordinarii, neque Parochi, intra cujus fines ædificabatur, sine tamen præjudicio jurium Parochialium, aut cujusvis alterius. Et cùm se opponeret Capitulum Cathedralis, Rota dixit, quod præjudicium Parochialis erat præservatum ex dicta clausula appositа a Papa, & diminutio concursus ad Cathedralem non erat considerabilis ex fundatione unius Capellæ, cùm ex alia parte præponderaret favor augmenti cultus divini. Ideòque non applicatur casui nostro, quia ibi solum agebatur de ædificanda simplici Capella, seu Collegio, in quo nullus non religiosus sepelitur, nec ibi eleemosynæ pro Missis, & aliis officiis admittuntur, nec alia fiunt præjudicialia cæteris Ecclesiis, ut advertit Pasqualig. *ubi supra n.* 487. & Rot. *in d. Januen. privileg.* coram Royas, quodque Collegium manutenendum erat ex redditibus a dicto Cardinali assignatis, non autem ex eleemosynis. Præterea diminutio simplicis concursus aliàs non notabilis Cathedrali, non fuit visa causa digna ad impediendam illam fabricam. At in hoc casu agitur de ædificando Monasterio cum Ecclesia, in qua multi Religiosi, eleemosynis viventes habitare, & Sacramenta administrare possint, quique post ædificationem suis gaudebunt privilegiis, & immunitatibus, nempè juribus recipiendi mortuos ad sepulturam, percipiendi obventiones funeralium, & legata a Parochianis, ex quibus majora adverti possunt incommoda in celebrandis divinis Officiis, & Missis, ac Matutinis diebus Dominicis, & festis antequam celebretur in Cathedrali, vel Parochiali. Quo fit, ut populus rudis omittat audire publicationes vigiliarum, festorum, aliorumque hujusmodi ad animarum curam pertinentium, quæ fieri nequeunt absque ingenti, immò forsan totali diminutione concursus, atque adeò eleemosynarum, ut proindè dici non possit, quod hoc fiat absque præjudicio aliarum Ecclesiarum, tàm sæcularium, quam Regularium, dum eis adimitur non solum concursus populi, sed etiam oblationum, ut ponderavit Rota in dict. *Januen. privilegiorum*, quæ tanquam posterior, & in terminis casus nostri est attendenda, satisque est, quod decisio Seraphini hodie non servetur, cùm sæpiùs contra illam fuerit resolutum, & judicatum a S. Rota, præsertim *in d. Cæsaraugustana* cor. Bevilaqua *§. Concurrit*, & 18. Maji coram eodem, *§. Rursus*, & in eadem 6. Junii 1659. *§. Pro validitate* coram Verospio, & 12. Novembris 1657. *§. Fuit etiam* coram Meltio, & 4. Februarii 1658. *§. Quinimmo* coram Decano, & *in Terasonen. fundationis Conventus* 4. Julii 1659. coram eodem Bevilaqua, *§. Ulterius*, & *in Toletana manutentionis*, 7. Februarii 1656. coram Meltio, *§. Et in specie*, ubi sic inquit: *Et in specie quod Parochi sint legitimi contradictores ad opponendum contra fundationem novi Monasterii, ac super tali prætensione audiri debeant, tenet* Lap. *de hospit. n.* 35. Guidop. *q.* 369. *per tot.* Modern. Lusitan. *de potest. Episc. alleg.* 26. *n.* 5. *ubi in specie firmat, quod Ordinarius uti delegatus in dictis literis Apostolicis debeat diligenter animadvertere; an erectio novi Conventus possit quovis modo Ecclesiæ Parochiali præjudicare, & si compererit præjudicium afferre, debet assensum omninò denegare.* Addo Riccium *in prax. p.* 4. *resol.* 298. *n.* 2. *cum seq.* & adverto, quod in decisione illa Guidopapæ *n.* 1. agebatur duntaxat de simplici Capella erigenda in limitibus Parochiæ. Id quod etiam censuit Lap. *alleg.* 62. *n.* 4. de quibusdam domibus Parochialis occupatis pro ædificio alterius Ecclesiæ, ubi concludit, Ecclesiam Parochialem percipere debere Canonicam portionem, sicut percipiebat ex antiquis Parochianis per decretalem, *Quanto de usur.* & per ejus rationem, quam Hostiensis *ibi* intellexit planè prout verbum sonat, scilicet, quod habeatur æstimatio proventuum, qui provenire solebant Ecclesiæ Parochiali de decimis personalibus, & oblationibus, cùm Christiani domos habitabant, aliàs posset tota Parochia occupari, quod sentiendum non est, sed Ecclesiæ subveniendum, cùm ex hac causa subtrahatur privilegium Religionis de decimis, nullusque debeat locupletari cum aliena jactura, nec sit spoliandum unum altare, ut alterum vestiatur ad *not. in cap. Tuæ, de præb.* Quod, & docent Jo: Andr. Anchar. Cardin. & Abb. *in cap. Quantò*, ac sequitur Glos. *in c. Tuæ 2. de decim.* dictumque textum *in c. Quantò* in hac materia allegat etiam Oldrad. *cons.* 91. quem intelligi debere simpliciter, prout jacet, iidem Doctores annotarunt.

Nec obstat decisio Rotæ 24. *part.* 1. *rec.* nec quædam 58
declaratio S. Congregationis Concilii a D. Fagnano relata ad *c. Nuper n.* 23. *de decim.* in qua videtur limitari hæc doctrina. Etenim utraque loquitur de decimis, sive oblationibus, quæ debentur sollummodò ratione administrationis Sacramentorum, ea ratione, quia cessat causa, propter quam impositæ sunt, nempè cura animarum. At si decimæ sunt impositæ rei, quia a principio concessæ Clericis, vel solutæ cum hac conditione, & onere, quod ipsis solvantur, tunc ait dicta declaratio, ad quoscunque vadant, etiam Mendicantes, & tenebuntur omnes eas solvere. Quare declaratio stat pro nostra sententia.

Certum namque est, quod quando prædia, sive do- 59
mus unius Parochiæ efficiuntur alterius, tunc Ecclesia, cujus dictæ domus efficiuntur, tenetur solvere decimas, sive oblationes priori Parochiæ. Nam ex dicta declaratione sequitur teneri saltem ex debito reali, quia res transit cum suo onere. Domus enim, quæ anteà existebant intra alteram Parochiam habent onus reale decimarum, ideòque, licet perveniant ad dominium alterius Ecclesiæ, ad illam tamen transeunt cum onere suo.

Confirmatur. Quia aliàs Ecclesia emens domos, vel 60
prædia in alicujus Parochiæ terminis existentia non teneretur ex illis solvere decimas tali Parochiæ ex vi juris communis, quia jam efficerentur prædia Ecclesiæ. Id quod est contra multa decreta Pontificia, præsertim *c. Commissum, d. c. Nuper*, cum aliis *de decim. &* 16. *quæst.* 1.

Et hanc sententiam uti communem tenent Abb. *in* 61
d. cap.

d. cap. Commiſſum, n. 6. & in d. c. Nuper, Rebuff. *q. 5. de decim. n. 20.* Guttier. *cap. 21. num. 54.* & eſſe communius receptam affirmat Covar. *cap 17. nu. 8. §. 2.* Et a fortiori tenet eandem ſententiam Gloſſ. *in d' c. 1. de cenſib. verſ. Ullo onere*, ampliando illam etiam ad manſum, ſeu proprium fundum Eccleſiæ. Nam licet de illo manſo in eo textu dicatur debere eſſe liberum ab omni onere, nihilominus Gloſſa illa dicit, quod ſi prius ex illo ſolvebantur decimæ ſive oblationes alteri Eccleſiæ, etiam poſteà ſolvendæ ſunt. Habet hæc ſententia magnum fundamentum *in c. Eccleſiæ, & cap. Quicunque 6. q. 1.* quibus ſtatuitur antiquiores Eccleſias non eſſe privandas decimis prædiorum propter novas Eccleſias in eis ædificatas. Quia alias poſſet una Eccleſia grave detrimentum pati, ſi aliæ poſſeſſiones, intra illius terminos ſitas acquirerent, qua ratione utuntur ſæpè jura cùm de Religioſis loquuntur.

62 Quod autem hoc ſit onus reale, certum quidem eſt. Nam poſt Parochiarum diviſionem domus unicuique Eccleſiæ aſſignatæ habent annexum tanquam onus reale debitum decimarum, ſive oblationum reſpectu talis, vel talis Eccleſiæ. Unde tales decimas dandas eſſe Eccleſiæ talium domorum apertè additur *in c. Cùm contingat, de decim.* & diſponit non ſolum affirmativè, quod Eccleſiæ prædiali dentur decimæ, ſed etiam privativè, quia expreſsè prohibet, ne tales poſſeſſiones ita poſſint alteri Eccleſiæ applicari, ut altera privetur decimis ſuis, ut patet ex *c. Si quis laicus 16. q. 1.* & expreſſius *ex c. ſeq.* his verbis *Eccleſiæ antiquitùs conſtitutæ, nec decimis, nec ulla poſſeſſione priventur, itaut novis tribuantur.* Quod planè intelligitur de Capellis etiam intra eandem Parochiam erectis; ergo a fortiori tribui prohibet extraneis Eccleſiis. Et idem habet *cap. Quicunque ibid. c. 1. 13. q. 1.* in quo ita dividuntur jura parochialium Eccleſiarum per domus, *ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat.* Tandem *in c. ult. de reſt. ſpol. in 6.* dicitur, præſumi eas decimas injuſtè occupare, qui eas exigunt ex prædiis in aliena Parochia conſtitutis. Quia eſt contra jus commune, unde ſubjungit: *Sitque manifeſtum, eas de jure communi ad eandem Eccleſiam pertinere.*

63 Conſiderandum itaque eſt, jus introductum ab Eccleſia poſt diviſionem Parochiarum eſſe etiam reale, & non ſolummodo perſonale, ratione curæ juxta primævum jus, quo ſolvebantur propriis miniſtris Sacramentorum, propter quos illæ primum inſtitutæ ac præſcriptæ ſunt. Quod adeò verum eſt, ut ſi Pontifex quocunque titulo acquireret poſſeſſiones illas, acquireret cum ſuo onere, cum quo tranſirent. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 20. num. 10.*

64 Et hac ratione *in d. cap. Quanto de uſur.* dicitur cogi poſſe Judæos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis, quas de domibus recipere conſueverant. Quod tenet Gloſſ. *in cap. Tua nobis, de decim.* Panorm. *in cap. de terris, n. 6. eod. tit.* Sylveſt. *v. decimæ, quæſt. 7. cap. 1.* citans Hoſtienſem, idque maximè per jura allegata. Quare ut rectè advertit Gloſſ. *in d. cap. de terris*, licet Judæi, aliique infideles non obligentur ad ſolvendas decimas, ut ſic, etiam prædiales, obligentur tamen ad ſolvenda onera realia talium prædiorum. Nunquam enim privata fuit Eccleſia jure acquiſito in illa prædia ut a fortiori ſumitur ex Concilio Hiſpal. 2. *cap. 1.* & habetur *in c. Prima 16. quæſt. 3. & c. Cum per Bellicam 34. q. 1.* neque contra hoc jus ab infidelibus præſcribi poterit, ideòque ſemper videntur obligari ad ſatisfactionem reddendam Eccleſiæ pro illo intereſſe. Ratio autem eſt, quia prædia ipſa habent annexam decimam Eccleſiæ ſolvendam tanquam onus ipſiuſmet rei, ideoque neceſſe eſt, ut ad quemcunque tranſeant ſive ſit Judæus, ſive Gentilis, ſive Chriſtianus, ſive Eccleſia ipſa, tranſeant cum illo onere, ut Eccleſia ſervetur illæſa. Et hoc modo quiſque poteſt obligari ad decimas prædiales per modum ſatisfactionis intereſſe. Quod ſatis in jure ipſo declaratur. Nam *in d cap. De terris* dicitur: *Ne forte illa occaſione Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari.* Itaque ſupponit, Eccleſiæ jus eſſe acquiſitum in tali fundo quoad talem penſionem, & quoſcunque cogi non ad decimam ut ſic, ſed ad non lædendam Eccleſiam. Immò *in dict. cap. Quanto* dicitur pœna etiam impoſita cogendos eſſe Judæos, *ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis, & oblationibus debitis, quas de domibus, & poſſeſſionibus aliis accipere conſueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo deveniſſent.* Ubi Gloſſa notat rationem, *quia res*, inquit, *tranſit cum ſuo onere.* Supponitur ergo jus illud acquiſitum in rem ipſam. Quod quidem exactè obſervatur in Judæis Romæ degentibus, qui ſolvunt Parochiis, quarum domos inhabitant decimas, atque oblationes, Prætaticum vulgò dictas.

Minus obſtat textus *in c. Nimis prava, de exceſſ. Prælat.* Nam Canoniſtæ, qui in hunc locum ſcripſere, præſertim illi, quos refert Add. Abbat. *lit. A.* & Hoſtienſ. *ibid.* ad evincendum dictum *c. Nimis*, non intelligi de domibus, ubi jam antea erat jus Parocho quæſitum, ſed de domibus per regulares primitùs, & abſque Parochi præjudicio quæſitis, firmant his verbis: *Caveant ne furentur, id eſt, ne jus parochiale, ſeu aliàs alienum publicè, vel latenter uſurpent.* Ultra quod privilegium illud, etiamſi admitteremus, fuit conceſſum Regularibus Mendicantibus ibi expreſſis, viventibus in altiſſima paupertate. Unde quod ſit illis ſpeciale, & non aliis Religioſis indultum, teſtatur ibidem Innocentius. Uni autem conceſſum non eſt in alterius præjudicium extendendum, præſertim jurium Parochialium. Rot. cor. Juſto 19. April. 1607. poſt Tambur. *tom. 3. de jur. Abb. dec 83.* & in Burgen. funeralium 15. Junii 1662. coram Cerro, & 25. Junii 1664. coram Albergato, & 1. Julii 1665. & 18. Junii 1666. coram Carpineo. 65

Qua etiam de re extat celebris deciſio Manticæ 131. 66 in Tolletana Capellaniarum, ubi inter cætera fuit requiſitus conſenſus Rectoris intra cujus Parochiæ fines Eccleſia fuit conſtructa, omniaque jura parochialia fuerunt illi reſervata, & oblationes conceſſæ abſque ullo parochiæ præjudicio.

Atque hinc diluitur prætextus ille augumenti cultus 67 divini. Quod maximè procedit, ubi agitur de præjudicio aliarum Eccleſiarum antiquarum, *c. Quicunque*, & ibi Gloſſ. *v. Ad antiquiores 16. q. 1. c. 1. de nov. oper. nunc.* Ricc. *in collect. 2390.* Ob idque ſummi Pontifices prohibuerunt conſtructionem novarum Eccleſiarum, & conventuum propè antiquas propter diminutionem concurſus, & oblationum, necnon propter æmulationem, aliaque præjudicia, quibus poſtponitur cultus divinus, de quo non poteſt dubitari hodierno tempore, quò populus deficit, luxus augetur, & pietas in dies refrigeſcit, ut benè ponderavit Rota in *Romana dotis de Lancellottis* 14. Jun. 1655. *§. Tertio ex conſuetudine in fine* coram Zarate, *& in Romana alimentorum.* 10. Maji 1656. *§. Præterea* coram Meltio, *& in Aſſiſien. oblationum* 9. Decembris, *§. Quæ habent locum* coram Albergato.

Quod autem a Conſtitutionibus non exigatur conſen- 68 ſus Parochi ſive Capituli falſum eſt. Nam in Conſtitutione Clementis, quæ fuit prima de hac re ita habetur: *Motu proprio, & ex certa ſcientia harum ſerie declaramus, locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad novos Conventus quibuſvis etiam Mendicantibus Ordinibus in Civitate, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos impertiri niſi vocatis, & auditis in eiſdem Civitate, & locis exiſtentibus Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa, ſervatis ſervandis, cognita, conſtiterit, in eiſdem Civitate, & locis novos ejuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe.* Certum quippè eſt, verbis illis: *Et aliis intereſſe habentibus*, Parochum, ſive Capitulum Collegiatæ, vel Cathedralis intelligendum eſſe. Quod decretum fuit deindè a Gregorio XV. & Urbano VIII. innovatum, ſicque a S. Rota intellectum, ut deciſionibus relatis.

Hic verò conſenſus præſtandus eſt capitulariter a ca- 69 pitulo ad id ſpecialiter vocato, & congregato ad tradita per Innoc. *in c. Eam te, num. 9. de reſcript.* & Feder. de Sen. *conſ. 61. n. 5.*

Prætereà requiritur conſenſus Civitatis, & loci, re- 70 quiſitus ex forma Conſtitutionis Gregorii XV. & Urbani VIII. Quare ubi deerit expreſſus populi conſenſus, fundatio novi Monaſterii non eſt permiſſa, ut firmavit Ventrigl. *cit. annot. 18. n. 23.* & Rot. *in d. Cæſarauguſtana* cor. Bevilaqua, *d. §. Rurſus*, confirmata eodem anno coram Meltio *§. Fuit etiam* & anno ſequenti coram Cerro *ſub §. 1.* Qui ſanè conſenſus præſtari debet ab omnibus incolis in generali conſilio coadunatis prout *in d. Cæſarauguſtana* coram Bevilaqua confirmata coram Meltio 17. Novemb. 1657. & coram Decano 4. Februar. 1658. *§. Deficit.*

Poſtremò requiritur, ut in novo Conventu duodecim 71 Fratres ali, ac ſuſtentari poſſint, aliàs erectio non debet admitti ab Ordinario, ſique admittatur, eſt nulla, juxta noviſſimas Conſtitutiones Clementis, Gregorii, Urbani, & Innocentii, munitas clauſula ſublata, & decreto irritanti, quod operatur nullitatem, & deſtruit omnia in contrarium facta, ut in his terminis firmat Pelliz. *eo cap. 7. ſect. 2. num. 90.* Donat. *d. tom. 1. p. 2. tract. 1. q. 16.* Ventrigl. *d. annot. 18. num. 20.* & articulo plenè diſcuſſo, reſolvit Rota *in Romana hæreditatis* 28. Aprilis 1659. coram Meltio, in qua adducuntur reſolutiones S. Congregationis ex declarationibus factis a Summo Pontifice.

Hæc

72 Hæc omnia pro forma fundationis novi Conventus, sive Monasterii, vel domus Regularis cum causæ cognitione servari debent, sine quibus licentia, & fundatio sunt ipso jure nullæ, Ricc. *dec.* 75. *n.* 2. & 3. *part.* 2. Grat. *discept.* 517. *n.* 18. & 19. Novar. *in summ. Bullar. p.* 2. *tit. de ædific. Monast. n.* 2. & 8. Donat. *d. tr.* 1. *p.* 2. *quæst.* 16. Pelliz. *in man. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 7. *n.* 89. & 90. Pasqualig. ad Lauret. Franch. *part.* 1. *n.* 511. & respondit Rota *in cit. Cæsaraugustana fundationis Monasterii* 1649. coram Em. Celso, & *in d. Cæsaraugustana* coram Bevilaqua, & in eadem coram Meltio passimque alibi habetur expresse in Constitutione Innocentii, ibi: *Hoc perpetuò prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius instituti, etiam Societatis Jesu in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo accipere, seu Monasteria, Conventus, vel collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam & expressam faciente de indulto hujusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis, & Consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ.* Quæ verba in hac materia ponunt gladium in radicem, ut inquit D. Fagnanus *in d. c. Non amplius, n.* 71. *in fin. de instit. & in cap. Relatum, num.* 58. *ne Cler. vel Monach.*

73 Requiritur ergo pro fundatione novi Conventus, ut citatis Procuratoribus ac legitimis personis totum Conventum, seu Collegium, vel Capitulum repræsentantibus coram Ordinario loci, omnibusque aliis interesse habentibus, fiat processus judicialis, & utrique parti detur facultas probandi per testes sua incumbentia. Quodque factis hinc inde probationibus judicialibus, servatis servandis, causaque cognita, Ordinarius suam proferat sententiam definitivam, seu decretum vim definitivæ habens fundationem hujusmodi non esse aliis Regularibus, cæterisque interesse habentibus præjudicialem, nec detrimentum, vel incommodum illorum sustentationi afferre. A qua etiam sententia datur appellatio ad utrumque effectum, ut patet ex verbis Constitutionis Greg. §. 4. quam Urbanus voluit observari pro forma, ac denique, ut licentia a Sede Apostolica obtineatur ad præscriptum Constitutionis Innocentii modò relatæ. An etiam hæc procedant in fundatione Monasteriorum Monialium, dissentiunt Doctores. Et sufficere, quod erigantur ex sola licentia Ordinarii, licet tutius sit quod confirmentur ejusmodi fundationes etiam a Sede Apostolica, tradunt Rebuff. *in prax. tit. de erect. in Colleg. numer.* 1. Fusch. *de visit. lib.* 7. *cap.* 1. *numer.* 6. *in fin.* Gambar. *de offic. & potest. Leg. de later. lib.* 5. *cap.* 3. *numer.* 30. Remig. Gon. *de immunit. Eccles. ampl.* 3. *prim. reg. num.* 7. *tract. tom.* 13. *fol.* 89. Garz. *de benef. part.* 12. *cap.* 5. *nu.* 4. ac desumitur ex *can. Quidam, & cap. Qui religiosis feminis*, qui loquitur in Monialibus cum binis *seqq.* 18. *quæst.* 2. & disponere videtur Sac. Concilium Tridentinum *d. sess.* 25. *cap.* 3. *in fin. de Regul.* ac in terminis novi Monasterii Monialium declaravit ejus Sac. Congregatio ex congestis per D. Fagnan. *in c. Non amplius, n.* 70. & 87. *de instit.* Ratio esse potest, quia cessat in Monialibus præjudicium, quod ex erectione aliorum Monasteriorum in Constitutionibus Apostolicis consideratur. Moniales enim non veniunt nomine Mendicantium. Quia jure Mendicantes non sunt, cùm possint habere possessiones, etsi privilegia quædam Ordinum Mendicantium habeant, ut firmant Gulielm. de Monte Laudun. *in Clem.* 1. *de Regul.* ibique Cardin. *in pr. num.* 15. *quæst.* 7. Palud. *in* 4. *d.* 38. *q.* 2. *num.* 17. D. Anton. *part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 3. *sub init.* Silvest. *v. Religio* 3. *qu.* 3. *dict.* 3. Angel. *v. Novitius, n.* 6. quam sententiam veriorem reputat Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 116. quia, ut ipse cum Silvestro & Angelo ait, Moniales non habent ex privilegio, sed ex regula, quod possint habere redditus in communi. Quod sequitur Barbos. *lib.* 1. *jur. Eccles. c.* 41. *num.* 217. & Pellizar. *de monial. cap.* 9. *n.* 49. Ex alia quidem ratione, quod scilicet Moniales si essent Mendicantes non adeò sollicitè curarent admitti ad participationem privilegiorum Mendicantium, sicut curarunt Moniales S. Claræ, teste Rodriquez *tom.* 1. *q.* 55. *art.* 1. & 13.

Neque veniunt in odiosis nomine Regularium, ut notat Bonac. *tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 7. *num.* 10. quem sequitur Tambur. *de jur. Abbatis. disp.* 10. *q.* 2. *n.* 6. quia in materia pœnali stricta interpretatio verborum est facienda, ita ut in ea non valeat argumentum a minori ad majus, vel e contra, sed propriæ significationi verborum standum sit. Ut propterea Summi Pontifices, quando voluerunt nomine Regularium comprehendere in suis Constitutionibus etiam Moniales expresserint Regulares utriusque sexus, sicuti fecerunt Clemens VIII. in sua Constitut. de largitione munerum, ac Urbanus item VIII. in confirmatione ejusdem Constitut. aliique Pontifices passim, necnon Concilium Tridentinum tota ferè *sess.* 25. *de Regularibus, & Monialibus*, præcipuè *cap.* 1. ibi: *Regulares tàm viri, quàm mulieres, cap.* 2. *Regularium tàm virorum, quàm mulierum, c.* 5. *omnibus monasteriis, & domibus tàm virorum, quàm mulierum, cap.* 11. *In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, cap.* 15. *In quacunque Religione tàm virorum, quàm mulierum*, ac eadem *cap.* 22. in quo præcipitur observari omnia decreta in omnibus Monasteriis quorumcunque Monachorum, ac Regularium, necnon quarumcunque Sanctimonialium.

Accedit, quod dispositio, quæ versatur circa aliquam materiam qualificatam non habet locum, nisi inveniat in materia qualitatem expressam a disponente, ut observat Rot. *dec.* 100. *n.* 1. *p.* 1. *div.* & *dec.* 234. *n.* 13. *p.* 1. *rec.* & coram Coccino *dec.* 117. *n.* 1. ac alibi. Cum ergo dispositio tàm Sacrorum Canonum, quàm Constitutionum versetur circa præjudicium, non habebit locum circa Moniales, in quibus non reperit eandem qualitatem, atque adeò nec possunt comprehendi in dicta Constitutione Innocent. X. Etenim lex, aut præceptum non obligat, nisi eos, ad quos dirigitur, cùm non excedat in obligando intentionem præcipientis: lex autem latè, aut præceptum positum in universali adversus Regulares, non dirigitur ad moniales. Tum quia intentio non fertur extra eos, pro quibus intenditur finis, & in tali casu cum finis fundationis Monasteriorum sit succurrere necessitatibus Regularium, non fertur intentio extra eos, qui non subjiciuntur ejusmodi necessitatibus, quales sunt Moniales, quæ habent suas dotes, & propterea, cùm non militet eadem ratio in viris Regularibus, ac Monialibus, non potest in ipsis adesse idem motivum ad imponendam legem, & præceptum. Tum quia cùm Moniales sint distincta Communitas, quod cæteris conducit, potest ipsis non conducere, & ideò in speciali considerandum est quæ lex, seu præceptum debeat ipsis imponi, atque adeo etiam explicari, quod etiam ipsis specialiter imponitur. Tum quia lex debet imponi secundum exigentiam boni communis. In diversis autem Communitatibus, quæ habent diversa instituta, est etiam diversa exigentia, & quod conducit uni non conducit alteri. Et ideò debet lex dirigi specialiter ad hanc & illam Communitatem, habita ratione exigentiæ boni ipsius, & quando dirigitur ad unam, non censetur dirigi ad aliam, nisi specialiter nominetur.

Nec obstat, S. Congregationem apud Barbosam *de jur. Eccles. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 6. ex quo Tamburinus, Gavantus, Pellizarius, & alii, declarasse Constitutionem Clementis VIII. habere locum etiam circa Monasteria Monialium construenda, ideòque in iis instituendis debere servari eædem solemnitates, quæ servandæ sunt in ædificandis Monasteriis aliorum Regularium. Nam in citata Constitutione Clementis solùm requiritur licentia Ordinarii, & quod vocentur qui debent vocari. Unde sufficit sola licentia ordinarii, & quoad vocationem aliorum Regularium non esse id in usu in fundatione Monasteriorum Monialium probat Pellizar. *de monial. cap.* 10. *sect.* 1. *num.* 31. *propè finem.*

Solùm urget declaratio S. Congregationis Episcoporum edita 12. April. 1615. apud Gavantum *in manual. v. Monialium Monasteria, n.* 3. in qua habetur, quod sine speciali Sedis Apostolicæ indulto Monasteria Monialium non erigantur, ac declaratio S. Congreg. Concilii apud Barbos. *in collect. Bullar. Monialium translatio* per hæc verba: *Moniales transferri non possunt in Monasteria noviter erecta nisi eadem Monasteria authoritate Apostolica extructa fuisse prius constiterit, ipsaque prævia visitatione earundem Monialium capacia, eisque accomodata, atque ita absoluta reperta fuerint, ut cæmentariis, aliisve fabris nulla ædificationis causa in ipsa posteà ingrediendi necessitas relinquatur* 15. *Julii* 1615. in Ulissyponensi. Verùm his declarationibus opponimus declarationem aliam a D. Fagnano loco citato relatam, qui copiosè de hac re tractat, ac ita demum concludit, ut standum sit stylo Romanæ Curiæ, quæ hodie in fundationibus Monasteriorum Monialium expeditur etiam Breve Apostolicum, & sic copulativè requiritur licentia Sedis Apostolicæ, & Ordinarii.

CON-

CONSULTATIO CLXXX.

An Episcopus in Synodo diœcesana habeat potestatem legislativam, possitque condere statuta, vel decreta sine consensu, vel Consilio Capituli, aliorumque vocatorum, ita sanè, ut absque ejusmodi consensu vel consilio statuta sint valida?

1 AFfirmativè videtur respondendum. Habet enim regimen monarchichum, nec in ferendis legibus dependet a Capitulo, cùm ab eo potestatem non habeat, sed a Summo Pontifice, a quo in suo gradu constitutus est Princeps. Cùmque hujus potestatis limitatio, ac dependentia Prælati a subditis in legibus ferendis nullibi in jure reperiatur, non poterint redargui invaliditatis Synodus, ejusque statuta, ut optimè probat Suar. *lib.* 4. *de legib. cap.* 5. *dub.* 2. ac firmavit Rot. apud Farin. *tom.* 1. *p.* 1. *dec.* 62. & apud Achil. *dec.* 57. *de offic. Ordin.* resolvitque Put. *dec.* 95. *num.* 3. *lib.* 3. & desumitur communiter *ex cap. Quod super his, de major. & obed. cap. fin. de offic. præsbyt. & Clem. Ne Romani de elect.* & ex illo Act. 20. *Posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sunt enim pastores suarum Ecclesiarum, ergo possunt pro ipsis condere leges in iis, de quibus non disponit jus commune. Eo ipso enim quod sunt pastores debent ducere oves ad salutem, & sic ostendere vias per leges necessarias. Et præsertim quod possit Episcopus Synodum Diœcesanam indicere ac publicare, & in illa constitutiones, acta & decreta facere sine consilio vel consensu Capituli extat declaratio S. Congregationis Concilii in *Oriolen.* 27. Mart. 1632. ad 14. & 15. & apud Barbos. *in collect. v. Synodus, & de Can. & dignit. c.* 42. *n.* 30. & in una *Fulginaten.* 26. Februarii 1639. apud Nicol. *Instit. Can. lib.* 5. *tit.* 6. *numer.* 6.

2 Nec obstat, quod Pontificale Romanus tradens formam celebrandi Synodum diœcesanam expressè habeat, ut Constitutiones in Synodo publicandæ a Patribus per verbum *Placet* confirmentur. Quia id necessitate non requiritur, ut rescripsit eadem S. Congregatio Patriarchæ Venetiarum apud Quarantam *in Summ. Bullar. v. Synodus.*

3 Minus obstat text. *in cap. Novit, & in cap. Quanto, de his, quæ fiunt a Prælat. sine consil. cap.* Nam ii non loquuntur de statutis, quæ concernunt morum reformationem, sed de institutionibus, & destitutionibus beneficiorum, cùm collatio pertineat ad Episcopum simul & Capitulum, de alienationibus bonorum Ecclesiæ ac de legibus, quæ disponunt de rebus, quæ possunt cedere in præjudicium Capituli, ut si sint contra illius privilegia, vel præscriptam consuetudinem. Id quod tradit, Felin. *in cap. Cum omnes num.* 11. *de constit.* & advertit Suar. *loco sup. cit.*

4 Nec item refragatur, quod licet Capituli consensus necessarius non sit, nec Episcopus illius consilium teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, debeat tamen illud requirere, ut in præfatis literis S. Congregationis ad Patriarcham Venetiarum. Nam non ex eo sequitur quod defectus requisitionis hujusmodi reddat Synodum nullam, & invalidam, cum nullo jure id caveatur, & in dubio respondendum sit pro validitate actus, *cap. Nisi, de præb. l. Gallus, §. Quidem rectè, ff. de libert. & post. l. Cum testamento, §. hæc verba*, ubi Bald. *ff. de hæred. instit.*

5 Nihilominus asserendum est, Episcopo non licere condere leges Synodales non requisito saltem consilio Capituli. Ita luculenter elicitur *d. cap. Quanto de his, quæ fiunt a Præl.* docet D. Fagnanus Canonistarum hoc sæculo Princeps *in cap. Et si membra num.* 41. *in fin. eod. tit.* censuitque Rot. apud Veral. *dec.* 222. & 305. *p.* 1. & tenent Barbos. *ad Concil. sess.* 24. *de ref. c.* 2. *numer.* 31. *ac de offic. & potest. Episcop. alleg.* 93. *num.* 25. Antonel. *de temp. legal. lib.* 2. *de ann. cap.* 57. *num.* 19. Tondut. *resol. benef. cap.* 12. *num.* 4. *tom.* 1. Idque declaratum fuisse a Sac. Congregatione Concilii referunt Piasec. *in prax. p.* 2. *n.* 8. Quarant. *in Summ. Bullar. v. Synodus*, Pax. Jordan. *in op. mor. to.* 2. *lib.* 8. *tit.* 1. *de constit. num.* 18. aliique his verbis scribens ad Patriarcham Venetiarum. *Amplitudinem tuam in Synodo diœcesana posse facere Constitutiones absque consensu, & approbatione Cleri, debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, non obstante, quod ex forma Pontificalis Romani habeatur, quod Constitutiones in Synodo publicandæ a Patribus per verbum Placet confirmentur.*

6 Ratio autem est, quia Synodus convocatur, ut, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, renoventur, ac omnibus interessentibus auditis prudens Episcopus quid expediat ad Christianæ Religionis, & divini cultus augumentum propriæque Ecclesiæ regimen decernat. Ut sapienter Ugolin. *de offic. & potest. Episcop. cap.* 48. *n.* 5. Barbosa *tit. alleg.* 93. *num.* 2. Pax. Jordan. *ubi proximè tit. de Synod. diœces. n.* 9. & benè firmat Henric. Boic. *de Synod. Episc. p.* 1. *num.* 69. inter *tract. div. tom.* 13. *par.* 2. Quo etiam conferunt tradita per Marantam *resp.* 43. *num.* 53. *tom.* 4.

Ideò cùm hoc deficiat, sequitur, quod actus, ut defi- 7
ciens in forma, non sustineatur. Quia obligatus ad petendum consilium, si illud omittat; nulliter agit, *cap. cum in veteri de elect.* Dec. *in c. Ex parte, n.* 15. *de constit.* Oldrad. *cons.* 209. *num.* 11. Carp. *de exequut. & commiss. testam. lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 57. & in terminis hujus casus concludit Boic. *ubi sup. p.* 3. *n.* 137. ac resolvit Rot. *d. decis.* 222. & 305. coram Verallo *p.* 1. & *in Barbastren. Jurisdictionis* 7. Junii 1585. coram Pamphilio, quæ cùm in hac materia sit magistralis libuit a me hìc adduci, juxta cujus distinctionem intelligenda est declaratio relata a Quaranta, & in Oriolen. superiùs citata, ac si quæ sunt ejusmodi, simulque respondetur contrariis.

Non obstat, quod Episcopus non teneatur sequi con- 8
silium capituli, ac proindè illo inconsulto poterit quicquid sibi placuerit statuere. Quia quando consilium alicujus requiritur ad certum actum peragendum tanquam forma, debet semper servari, dato quidem competente termino ad respondendum, ut possit Capitulum causas allegare, ex quibus Episcopus moveri possit, & meliores rationes eligere pro resolutione capienda. Ita Rot. *in alleg. decis.* apud Verallum, ubi dicitur id semel atque iterum fuisse decisum, quod etiam tradit Oldrad. *ubi sup. num.* 11.

Ex his autem eliditur contraria sententia. Potest qui- 9
dem Episcopus instituere leges, at non sine consilio Capituli. Ideòque debet illud requirere, licet non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, ut desumitur ex *d. cap. Quanto, & cap. novit, de his, quæ fiunt a Præl.* Ubi generaliter decernitur, quod circa negotia Ecclesiæ debeant Episcopi requirere consilium Capituli. Atque ita censuit S. Congregatio Concilii in una *S. Marci Synodus* 10. Maji 1666.

Etenim qui clavum Imperii moderatur, cæterisque in- 10
terest, & dominatur, quin maxima curarum molem sustineat, nequaquam dubitari potest. Multa, inquit Salustius, cura summo Imperio inest, & multi ingentes labores: Ideò rectè senserunt, qui summæ huic potestati alios in curarum partem adjungendos existimarunt. Tum quod faciliùs munia Reipublicæ sociatis laboribus exequetur. Tum quod melior æstimabitur, quod solus omnia non potuerit, immò & prudentior, quia ut Alexander ait: *Sapiens eris sapientibus sæpè assidens.* Quòd 11
cùm ita sit, quæ res Episcopos circumvenire, aut debilitare poterit, rebus omnibus ad prudentes viros relatis, deque ipsorum sententia trutinatis? Clarè asserit Historicus ille Romanus, *omnia Regna, Civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt.* Ac rectè Sirachides monet Ecclesiast. 32. *Filii, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*, & magnus ille Salomon Proverb. 3. & 13. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Concutimus enim circa nobis placita, & in suo quisque negotio hebetior est, quàm in alieno. Turbida enim sunt consilia eorum, qui sibi suadent.

Præterquamquod confirmantur consilia Episcoporum 12
cum sentiunt multis prudentibus, fideliterque suadentibus idem videri. Ut sanè non sint audiendi siniștri quidam suasores, qui Episcopis suggerunt, ejusmodi consilia nequaquam ex usu Episcoporum esse. Verùm qui sic loquuntur, immane scelus faciunt, gravissimeque dubio procul & Deum, & Rempublicam Christianam offendunt. Nam ejusmodi voces solùm spectant ad privatam utilitatem eorum qui nullo suo merito, vel virtute authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honestam idonei, clandestinis susurrationibus Episcoporum aures demulcent, ut gratiam eblandiantur, qui consilia idcircò metuunt, ne ipsorum detegatur improbitas. Nam quod dicunt ea re imminui Episcoporum potestatem, aut fœdissimè mentiuntur, aut turpissimè falluntur. Sic est, ex consilio Episcopis accedit majestas, reverentia, & authoritas, timor denique ac metus in subditis augetur, immò & populi favor, & dilectio, omnesque boni affectus erga Episcopos amplificantur, & confirmantur. Quare non est hic Severi Imperatoris matris vox audienda, sed filii responsum ponderandum est. *Filii, debiliorem*, ait illa, *tibi, & contemptibiliorem potestatem facis, dum*

Consi-

Consiliarios tuos in magnis rebus gerendis adhibes. Respondit ille, *sed securiorem, & durabiliorem*.

13 Potest enim Episcopus exceptis paucis casibus, leges, & statuta condere, uno verbo velle, aut jubere, etiam citra Synodi consensum, aut consilium. Nam & edicta quæ inibi conduntur non Capituli, sed Episcopi auspiciis publicantur. Est enim Episcopus, qui jubet, qui statuit. At, ut inquit Theodosius, *humanum est edita fieri consensu Senatorum*. Qua voce *humanum* ostendit non tàm necessitatis esse, quàm humanitatis Capituli consilium interponi.

Quamobrem non tàm meis, quàm tot eruditorum calculis Consiliarium Capitulum Episcopus in Synodo habeat. Sapientissimè quippè Sapiens: *Salus populi ubi multa consilia*. Auscultent autem isti sibi fidentes, sibique placentes D. Chrysostomum sic scribentem: *Licet*, inquit, *mirum in modum sapiens sis, & prospicias ea, quæ oportet, attamen homo es, & consiliario tibi opus est, & nonnunquam evenit, ut sapiens non videat, quod oportet, & minor & hebetior clarè, & caute ea prospiciat. Sapiens ille Moyses, qui tanta miracula operatus est, non animadvertit rem, quam mortalium plerique considerant, Socer autem ejus, homo barbarus, & obscurus statim animadvertit. Itaque Consiliariis omnes opus habent etiamsi Moysi conferri possint*. Hactenus Chrysostomus, & nos.

Barbastren. Jurisdictionis
coram Cardinali Pamphilio Ven. 7. Junii 1585.

14 Capitulum Ecclesiæ Barbastren. inter alias prætensiones, quas habet contra Episcopum super exercitio Jurisdictionis, prætendit Episcopum solum non posse condere statuta concernentia regimen, & statum Ecclesiæ etiam extra visitationem sine consilio, & consensu Capituli. Et licèt pro parte Episcopi diceretur, quòd cum ipse adhuc nulla statuta condiderit, de hoc ita in abstracto, & in genere agendum non sit propter diversitatem casuum, quos Doctores considerant in hac materia, tamen proposui causam de ordine Dominorum, qui firmarunt regulam pro Episcopo cum nonnullis declarationibus, scilicet Episcopum in sua Diœcesi posse condere statuta, *cap. licet de offic. Ordin. cap. nullus 3. q. 4.* Doct. *in summ. dist.* 18. Et ratio est, quia cum Episcopus in tota sua diœcesi habeat jurisdictionem, & merum Imperium, Bald. *in rub. de const. n.* 7. Felin. *in c. Irrefragabili, §. Cæterum sub num.* 7. *de offic. ord.* Purpur. *in l. Imperium num* 134. *ff. de jurisd. omn. jud.* consequens est, ut possit etiam statuta condere, quod est de lege jurisdictionis, Glos. *in l.* 1. *ff. de jurisd. omn. jud.* Bart. *in l. omnes populi col.* 2. *ff. de just. & jur.* Alex. *cons.* 123. *num.* 5. *& seqq. lib.* 4. benè Henric. Boic. *in tr. de Synod. Episc. p.* 3. *n.* 103. *& seqq. & n.* 111. ubi quod procedit nedum in Synodo, sed etiam extra Synodum, quia actus statuendi est voluntariæ jurisdictionis, Glos. *in c. Ex parte* 3. *de verb. signif.* & ideò potest ubique exerceri, Doct. in *cap. novit*, ubi Abb. *n.* 3. *de offic. Deleg.*

15 Hanc tamen regulam intelligendam esse etiam absque consensu Capituli, prout etiam non requiritur in exercenda jurisdictione, & in corrigendis excessibus subditorum, Abb. *in c. Cum consuetudini, n.* 5. *de consuet.* dummodò tamen Episcopus adhibeat consilium Capituli, quia aliàs statuta non valerent, Host. *in c. Quanto de his, quæ fiunt a Prælat* Archid. Gemin. Præpos. & alii *in summ. dist.* 5. Abb. *in d. c. Consuetudinis n.* 5. Dec. *in cap. Cum omnes in* 2. *lect. col.* 3. *de const.* latè Henric. Boic. *d. tr. & part. n.* 138. qui testatur de communi, nisi in quibusdam casibus, *ut puta, si agatur de re communiter spectante ad Episcopum, & Capitulum* simul, quia hoc casu non sufficit consilium, sed requiritur etiam consensus, Abb. *in cap. Cum nos n.* 4. *& in cap. Quanto num.* 2. *de his, quæ fiunt a Prælat. & in d. c. consuetudinis sub numer.* 5. cum allegatis per informantes.

16 Item ubi sumus in arduis, in quibus etiam debet intervenire consensus Capituli, Abb. *in d. cap. Cum omnes in* 2. *lect. col.* 3. *de const.* Jas. *in l. placet nu.* 11. *C. de sacrof. Eccles.* Henric. Boic. *ubi sup. nu.* 141. *Sicut etiam requiritur hoc casu in corrigendis excessibus, & exercenda jurisdictione*, ut latè Gabr. qui alios allegans de communi testatur *cons.* 36. *de crimin. in fin.* & fuit aliàs tantum in una *Carthaginen.* Jurisdictionis coram Illustr. Cardinali Lancelloto: *Alius etiam datur casus, in quo requiritur consensus, ubi agitur de præjudicio Ecclesiæ*, Abb. *in cap. Cum dilectus n.* 11. *de consuet. & in d. c. Quanto sub n.* 8. Henric. Boic. ubi supra *n.* 142.

17 Ex his concluserunt Domini, Episcopum, adhibito tamen consilio Capituli, posse condere statuta, etiam non expectato assensu, dummodo non agatur de præjudicio Ecclesiæ, vel de communiter tangentibus Episcopum, & Capitulum, vel non simus in arduis, in quibus casibus debet intervenire consensus Capituli.

Et hoc quando uti Ordinarius procedit. In his verò, 18
quæ vigore Concilii Tridentini uti edis Apostolicæ delegatus facere potest, nullam habet communionem in Capitulo, nec indiget aliqua statutorum editione, &c.

CONSULTATIO CLXXXI.

An, & quomodo sit necessarius Episcoporum consensus in erectione Monasteriorum?

LIcèt tàm de jure communi, quàm ex dispositione 1
S. Concilii Tridentini, atque ex Constitutionibus Apostolicis in fundatione novorum Conventuum requiratur Episcoporum licentia; nihilominus quia potest dari eventus, quod illi absque justa causa recusent ejusmodi consensum præstare; ideò promptum, & canonicum remedium est, quod Romano Pontifici nuncietur, quodve de ipsius licentia fiat erectio, ut in simili rescripsit Alex. III. *in c. Nullus laicus* 17. *de jurep. in fin.* ibi: *Et si quis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur, & quod offerendum est, tunc ejus licentia offeratur*. Quod ibidem dixit, ac probè confirmat Abb. *in princ.* ubi *n.* 2. quærit, an possit etiam recurri ad Archiepiscopum, & affirmativè respondet, cum hac verò differentia, quod in Archiepiscopo est dubium, an ipse possit licentiam dare, supplendo negligentiam, vel improbitatem Episcopi, an solum possit eum compellere, ut consentiat, qua de re ait esse varias opiniones; verùm rectè concludit respectu Papæ, rem prorsus carere difficultate, quod nimirum cognita injustitia denegationis consensus fundationi Ecclesiæ, vel reservationi jurispatronatus, possit Episcopus vel a Superiore compelli, vel ipse Superior consentire debeat, ut plenè, ac splendidè probat Lambert. *de jurepatr. lib.* 1. *p.* 2. *qu.* 1. *art.* 2. *n.* 1. *cum seqq.* & Viv. *eod. tract. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 22. Quare Doctores communiter firmant, quod si is, cujus consensus ad aliquem actum requiritur absque justa causa eum deneget, potest Judicis authoritate ad consentiendum compelli, vel illius consensus per Superiorem suppleri, ut fusè comprobat Marant. *resp. ult. num.* 3. *p.* 4. dixitque Rota coram Mantic. *dec.* 238. *n.* 9.

In hac autem materia posse Ordinarios gravare bene 2
cognovit Gregorius XV. dum in sua Constitutione 31. *§. fin.* disposuit, quod si a decretis, per Ordinarios in hisce causis faciendis appellari contigerit, causa fundationis Monasterii devolvatur ad S. Congregationem, cujus proindè munus est cognoscere de gravamine, ac de justitia denegationis consensus, & prævia ista cognitione, licentiam dare, supplendo Episcopi defectum.

Ad cognoscendum verò, utrum Episcopi injustè de- 3
negent licentiam nec ne, perspici debet, an ipsi observent ea, quæ ab Episcopis prudenter in hujusmodi negotiis se gerere volentibus observanda esse monet Vener. *lib.* 1. *exam. c.* 10. *num.* 6. Primò scilicèt, si Religiosi, qui petunt fundationem sint bonæ ædificationis. Secundò, si in Civitate sit penuria Religiosorum secundum ejus amplitudinem. Tertiò, quam utilitatem dicti Religiosi afferre possint. Quartò, si possint commodè sustentari sine aliorum detrimento, ad quod potissimum Constitututiones Pontificiæ tendunt, ut patet ex earum lectione, atque advertunt Cesped. *de exempt. Regular. quoad Monast. ædificat. cap.* 1. *dub.* 4. *per tot.* Lezan. *in Sum. v. Monasteria, num.* 7. Donat. *in prax. p.* 2. *tit.* 1. *de ædif. Monast. q.* 27. *n.* 2. ac alii.

Præterea quando ex attestationibus clarissimorum vi- 4
rorum, qui optimè sunt informati constat de commoda sustentatione, dissensus aliorum Regularium non potest attribui, nisi æmulationi, cui S. Congreg. providere omnino debet, & in dubio pro fundatione rescribere, cum ex ea notabile cultus divini augmentum resultet, quod cæteris considerationibus præponderare debet, ut optimè in fortioribus terminis, quod non sit attendendus dissensus Ecclesiæ Cathedralis asserit Butr. *in cap. cum olim num.* 15. *de consuetud.* & firmavit Rota coram Seraph. *dec.* 847. *n.* 3. *& dec.* 257. *nu* 25. *p.* 7. *rec.* Durum enim valdè esse negare hanc spiritualem consolationem Civitati enixè supplicanti, ut proindè omnia facienda sint, quæ cæteris non nocent, & aliis prosunt, juxta textum in *l.* 2. ibique Bart. *vers. Ad hujus autem, ff. sol. matr.* Imol. *cons.* 17. *n.* 18.

CON-

CONSULTATIO CLXXXII.

An præsentia, seu cooperatio trium Episcoporum sit de forma substantiali consecrationis Episcopalis, vel saltem sit ritus, aut solemnitas ejusmodi, cujus omissio actum invalidum reddat?

Et quatenus istiusmodi Episcopalis consecratio valida non fuerit, quid circa gesta per Episcopum, præcipue in spectantibus ad Ordines, & Sacramentalia dicendum sit, ac quomodo consulendum animabus, atque conscientiis?

1 AD primum. Duæ sunt Theologorum sententiæ. Altera affirmat. Altera negat. Practicè verò, & quod attinet ad rem nostram non sufficit examinare utra earum speculativè sit probabilior, & vera. Quamquam enim plurimi docent inter duas opiniones probabiles arbitrium esse in praxi adhærere laxiori, idque non modò si hæc sit probabilior, sed etiam si minus probabilis: attamen hanc doctrinam limitant plerique speciatim Aversa, Theologus gravis & accuratus 1. 2. *disp. 9. q. 4. art. 2. n. 4.* ut non procedat, quando si fortè illa opinio strictior, a qua in praxi recedimus, esset vera, & ex isto errore quantumvis materiali, proficisceretur majus malum, quàm ex obligatione eam sequendi, si fortè esset falsa. Nam tunc obligamur sequi in praxi illam ut tutiorem. Exempli causa si Medicus dare potest medicinam ægroto, quæ secundùm alteram opinionem probabilem est salutaris, secundùm alteram est noxia vel imbecillis, ac potest adhibere cum aliquo majori incommodo aliam medicinam, quæ certò salutem affert, tenetur profecto hanc adhibere. Quia si fortè reipsa vera esset opinio, quod prima medicina sit noxia, vel imbecillis, sequeretur ex ea majus damnum quàm ex obligatione adhibendi secundam. Atqui quod valet in medicinis corporalibus, valet in spiritualibus, hoc est in illis Sacramentis, quæ sunt immediatè, vel mediatè ad salutem æternam necessaria, necessitate non tantum præcepti, sed etiam medii, a qua non excusat ignorantia invincibilis vel probabilis. Adeòque in his Sacramentis, si illa opinio probabilis, quam quisque in praxi sequitur, forsitan esset falsa, itaut Sacramentum reipsa non conficeretur, ex hoc errore, quantumvis materiali, suscipiens in æterna salute detrimentum acciperet.

2 Ex his autem Sacrameatis necessariis necessitate medii habent alia necessitatem hanc immediatè, alia mediatè. Quæ habent enim immediatè sunt Baptismus, & Pœnitentia, atque ideò dicuntur Sacramenta mortuorum, quia scilicet peccatori conferunt primam gratiam. Quæ verò habent necessitatem medii mediatè continentur in duplici ordine Sacramentali, nimirum in Presbyteratu, & Episcopatu. Nam Presbyteratus est necessarius necessitate medii ad conficiendum validè Sacramentum Pœnitentiæ. Episcopatus verò ad conferendum validè Presbyteratum. Quamvis ergo in collatione aliorum Ordinum, in quibus cessat hæc ratio, liceat sequi in praxi opinionem probabilem speculativè, relicta alia probabili, cui adhrendo certius conficeretur Sacramentum, in his tamen duobus Ordinibus, in quibus ex errore quantumcunque materiali, imminet tantùm periculi, nec probabiliorem quidem licet sequi, sed solùm tutiorem.

3 Verùm tamen est, in iis, quæ sunt necessaria necessitate medii non teneri nos semper in praxi sequi opinionem tutissimam. Nam in multis casibus obligatio sequendi opinionem tutissimam inferret majus damnum, quàm sit illud, quod imminet ex libertate eam non sequendi. Cùm enim in hac vita nemo posset esse certus, quod ipse sit in statu gratiæ, si teneretur semper adhibere media tutissima, hoc ipsum præceptum esset ferè impossibile, ac proindè non prodesset ad consequutionem salutis æternæ, sed noceret, tanquam occasio frequentissima peccandi. Obligaret quippè hominem, & præsertim infirmos, ut assiduè conarentur elicere novos ac novos perfectæ contritionis actus, semperque confiterentur iterum atque iterum sua peccata, quia sic magis ac magis imminueretur formido, ne fortè peccata essent illis adhuc remissa ex aliquo defectu in Confessionibus jam peractis. At hęc obligatio esset planè difficillimę observationis, adeòque frequentissimæ violationis, ac proindè periculum ejusmodi violationis, quod ex tali obligatione immineret, esset majus, quàm illud aliud periculum, quod per eam arceretur. Voluit ergo Deus, ut adhibita quadam morali diligentia, ad nihil ulterius teneamur.

4 Hoc idem habet locum in opinionibus circa valorem Sacramentorum. Sunt enim aliquæ opiniones strictæ, & scrupulosæ, contra quas militat ipsa Doctorum cohors, ac rationum momenta, ita quod teneamur eas sequi, etiam si agatur de illis Sacramentis, quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem. Quia cùm status gratiæ, ut dixi, sempermaneat in incerto ex multis aliis capitibus illa peculiaris incertitudo, quæ resultat ex eo, quod fortasse tales opiniones possint esse veræ, non auget moraliter illam dubitationem, quæ aliunde semper est inevitabilis, & ex alia parte obligatio universalis sequendi semper opiniones tutiores, afferret majus periculum peccandi per ejus violationem. Quare licèt aliqui putent ad valorem Confessionis requiri dolorem ortum ex amore Dei super omnia, tamen, ut docet Card. de Lugo *disp. 7. de pœnit. sect. 13.* non tenetur ægrotus nec in mortis quidem articulo sequi hanc strictiorem sententiam; nam contraria benignior habet pro se ferè omnes Doctores post Concilium Tridentinum, & solidissimas rationes ad usum communem fidelium, quem incredibile est permitti a Deo, & ab Ecclesia, si traheret illos in æternam ruinam.

5 Utraque igitur opinio tàm requirens, quàm non requirens essentialiter ad consecrationem Episcopalem tres Episcopos, præcisa dispensatione Apostolica, defenditur ab eximiis Doctoribus. Priori videtur favere Bellarminus *lib. 4. de not. Eccles. cap. 8.* & latè ac strenuè eam propugnat *disp. 243. in 3. p. cap. 6.* Vasqu. Theologus, quo superiorem antiquitas vix habuit, parem certè hæc ætas non vidit, ac quidam alii apud Dianam *p. 6. resol. 31.* Posteriorem verò tuetur Paludanus, S. Antoninus, Silvester, & Armilla apud Vasquez, quamvis hi duo postremi non asserant id explicitè, item Turrecrem. *in can. Porrò dist. 66. num. 3.* Sanch. *tom. 2. conf. lib. 7. dub. 15. num. ult.* Granad. *in 3. p. controver. 9. tract. 1. disp. 3. §. 1. v. 7.* ac plures alii recentiores, quos refert, ac sequitur Diana *p. 12. resol. 27.* licèt non omnes ab eo citati videantur id affirmare. Insuper utraque habet pro se rationes probabiles.

6 Verò, quoniam incommodum, quod potest sequi ex obligatione adhærendi sententiæ strictiori, & iterùm consecrandi Episcopum sine tali solemnitate consecratum non videtur per se æquivalere periculo, quod oriretur ex libertate sequendi sententiam contrariam. Nam si fortè hæc sit falsa, ac proindè sint irritæ Ordinationes Presbyterorum habitæ ab Episcopo sic ordinato, erunt etiam irritæ omnes absolutiones a talibus Presbyteris impartitæ cum ingenti animarum pernicie. Ideò non puto licitum ejusmodi opinionem sequi. Unde hoc dubio ut certa ab incertis seperemus,

7 Dicendum est primò, quæstionem hanc non esse decidendam ex opinionum probabilitate. Cùm enim ex consecrationis Episcopalis validitate dependeat validitas Ordinationis Sacerdotalis pro Sacerdotibus ab eo Episcopo ordinatis, & ab his validitas Sacramenti, seu Sacrificii Eucharistici, necnon & Sacramenti Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis, quæ omnia ad salutem animæ recipientium, præclarè conferunt, aliqua necessaria sunt necessitate medii, nempè Sacramentum Pœnitentiæ in non habente contritionem, cætera, etsi non sint ita necessaria, tamen fideles eorum utilitate privari, & veram Eucharistiam non confici tàm grave inconveniens est, ut non debeat opinionum probabilitate reponi.

8 Itaque dicendum est secundò, certum esse, ac extra opinionem quod præsentia, seu cooperatio trium Episcoporum non sit de forma substantiali consecrationis Episcopalis, neque ritus aut solemnitas ejusmodi, cujus omissio actum invalidum reddat.

9 Probatur primò, examinando fontes, ex quibus derivari censetur hæc solemnitas assistentiæ trium Episcoporum. Derivant Authores primò hanc solemnitatem ex facto, & verbis D. Pauli 1. *ad Timoth. 4.* ubi ait: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*. Unde Doctoribus non paucis visum est Ordinationem Timothei in Episcopum non a solo Paulo, sed a cętu Presbyterorum, sive Episcoporum factam fuisse. Verùm ii convincuntur. Nam Apostolus seipsum clarè explicans 2. *Timoth. 1.* ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ubi solas suas manus nominat, & addidit particulam *per*, ut significaret per impositionem manuum Pauli tanquam per causam Sacramentalem instrumentariam Deum contulisse gratiam Timotheo. Quando verò loquutus fuit de impositione manuum Presbyterorum, non apposuit particulam *per*, sed dixit *cum impositione manuum Presbyteri*, ut accessoriam solemnitatem, & non Sacramenti ministerium demonstraret. Hinc Theodoretus in eundem locum sic dicta verba explicat: *Excites gratiam, quam accepisti per meam Ordinationem*, ac Theophylatus ibidem:

Cùm

Cùm imponerem ego tibi manus, quando Episcopum te fe-cebam, & conferebam. Et Ugo Cardinalis: *Quia Mi-nister fui tuæ consecrationis.* Item D. Th. *in Comm.* prio-rem illum locum 1. Timoth. 3. sic legit: *Cùm imposi-tione manus Presbyteri.* Et subjungit: *Alia litera habet manuum Presbyteri. Sed quæstio est. Cùm Episcopus de-beat ordinari a tribus, quare hìc dicitur singulari numero Presbyterii? Respondeo, hoc ideo dicit, quia etsi conveniant multi, tamen unus est principalis, & alii coassistentes. Tamen dici potest, quod tunc hæc constitutio nondum erat & tunc pauci erant Episcopi, qui non poterant congrega-ri.* Idem ferè habet eo loci Gulielmus Estius. *Quæritur*, ait, *quomodo hìc manuum impositio tribuatur Presbyterio, sive Episcoporum Collegio, cùm Paulus in 2. Epist. videa-tur eam soli sibi vindicare? Respondeo cæremoniam quidem impositionis manuum a pluribus fuisse adhibitam, sed so-lum Paulum ea peregisse, quæ Sacramento substantialia erant.* Quare Cajetanus explicans verbum *Presbyterii* dixit, *hoc est officii presbyteratus ad significandum impositionem non esse humanæ manus, sed manus sacræ, manus Sacerdotalis officii.* Ex quibus satis liquet juxta Apostolum solemnitatem hanc assistentiæ plurium Episcoporum non fuisse ab eodem adhibitam tanquam Ordinationi essentialem, sed ipsum Paulum solum ministrum fuisse Ordinationis Episcopalis, & collationis gratiæ in con-secratione Timothei.

10 Deinde hanc solemnitatem derivant Adversarii ex li-bro *Constit. Apostol.* Clementis primi, ac præsertim ex *lib. 8. c. 27. alias 33.* in quo sic legitur: *Ego Simon Ca-nanæus constituo a quot Episcopis debeat ordinari Episco-pus, scilicet a duobus, vel tribus Episcopis. Si verò ali-quis ab uno ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus est, tum ir, qui eum ordinavit deponatur. Quod si necessitas coegerit ab uno ordinari, quod propter persequutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.* At circa hoc statutum notandum est primò, quòd clarè apparet institutionem esse non a Christo acceptam, sed Apostolum Simonem Cananæum ejus authorem extitisse, alioquin ad instar Apostoli Pauli dixisset: *Præcipio non ego, sed Dominus.* Secundò, verbum *Deponatur* præsupponit Ordinem Epi-scopalem, qui ab uno Episcopo collatus fuerit, validè fuisse collatum. Tertiò, variatio numeri Episcoporum assistentium infert Constitutionem non versari circa es-sentialia, quæ non possunt variari. Quartò, idem in-fertur ex eo, quod statuit in casu necessitatis ab uno so-lo Episcopo consecrationem perfici posse, dumtodo ac-cedat commissio plurium Episcoporum, quæ Sacramen-ti essentiam supplere non potest.

11 Prætereà derivant hanc solemnitatem ex *Epist. 2.* Anacleti Papæ, quæ refertur *dist. 64. cap. Ordinationes Episcoporum, & 66. c. Porrò & dist. 76.* At manifestum est, non posse omnes illas cæremonias in eadem epi-stola præscriptas ad substantiam Sacramenti pertinere. Quinimmò fateri debemus non potuisse Jacobum a Pe-tro, Jacobo, & Joanne recipere Ordinationis Episcopa-lis Sacramentum. Nam vel solus Petrus fuit ab ipso Christo ordinatus Episcopus, & sic cùm solus Episcopus esset, solus potuisset consecrare primum Episcopum post ipsum. Vel quod verius est, omnes undecim Apostoli fuerunt ab ipso Christo Domino immediatè consecrati, & ordinati in Episcopos, ut tradit Glos. in illa verba 1. *Cor.* 12. *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos*, & docent Scholastici *in* 4. *d.* 24. Immò & Scholasticorum Magister D. Augustinus expresè respondit in *quæst. vet. & nov. Testam. q.* 97. his verbis: *Nemo ignorat Episco-pos Salvatorem Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquam in Cœlos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinavit in Episcopos.* Ex quo rectè infert Suarez *tract. de fid. disp.* 10. *sect.* 1. *ordinationem Jacobi in primum Hierosolymæ Archiepiscopum, quæ statim post Ascensionem a tribus Apostolis facta legitur, non fuisse propriam Episcopalem Ordinationem, sed designationem ejus ad Episcopatum Hie-rosolymitanum. In qua si fortè interceserit manuum impo-sitio a pluribus Apostolis non per modum consecrationis Episcopalis, sed cujusdam Ecclesiasticæ cæremoniæ fuit ad-hibita.* Et Glossa *ad d. cap. Porrò* verbum *Ordinatus* ita explicat, *id est ad certi loci administrationem electus* & in fine concludit: *Vel dic: Ordinaverunt, idest intonìza-verunt eum ad administrationem certi loci. Prius enim erat Episcopus sine titulo.* Ecce quàm perspicuè ex pri-mis illis fontibus liquet solemnitatem assistentiæ trium Episcoporum non esse ejusmodi, ut ejus omissio Ordi-nationem Episcopalem nullam, sive irritam reddat quoad Ordinis potestatem.

12 Postremò eadem solemnitas disertè præscribitur in Pontificali Romano, ex quo satis manifestè colligitur, quod non præscribatur tanquam de essentia consecratio-nis Episcopalis. Primò, quia ubique distinguit inter Epi-scopum consecratorem, & Episcopos Assistentes, illum ubique *Consecratorem*, hos non aliter appellat, quàm *As-sistentes*. Secundò, immò videntur potiùs nomine Assi-stentium indigitari, eò quod assistentiam præbeant Ele-cto, erga quem pluries assistentiam suam exercent, quàm erga Consecratorem. Unde statim sub initium sic loquitur: *Hora competenti Consecrator, Electus, Assisten-tes Episcopi, & alii.* Et perpetuò tribuit primum locum *Consecratori*, secundum *Electo*, tertium *Assistentibus*. Si enim Episcopi assistentiam suam præcipuè exhiberent Consecratori, aut si forent comministri Episcopalis con-secrationis cum ipso, deberent simul cum Consecratore nominari ante ipsum Electum ab ipsis consecrandum. Paulò post initium prosequitur Pontificale, dicens: *Ele-ctus medius inter Assistentes sibi Episcopos.* Et in fine con-cludit: *Consecratus Assistentibus suis pro more gratias a-git.* Ac denique juxta idem Pontificale Romanum om-nes fateri debemus, quod vel impositio manuum Con-secratoris non sit de essentia Ordinationis Episcopalis, vel saltem quod substantia consecrationis Episcopalis per eam solam non perficiatur essentialiter, sed quod præ-ter eam necessaria sit capitis, ac manuum inunctio cum forma præscripta verborum. Nam peracta impositione manuum, in qua constitit solemnitas assistentiæ trium Episcoporum, Consecrator tunc demum intonat hy-mnum *Veni Creator Spiritus*, consuetum in Ordinatio-nibus sacrum Carmen, quo completo statim ungit ca-put Electi, dicens: *Ungatur, & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Deinde ungit manus cum proportionata verborum forma. Quæ omnia nemo ne-gare potest luculenter supra cæteras cæremonias emi-care in materiam, & formam Sacramenti Ordinis Epi-scopalis. Unde ante modo dictas unctiones etiam post manuum impositionem non mutat Pontificale Electi no-menclaturam, sed persistit in eadem. Et quod amplius est *Consecrandum* appellat *§. Si plures sint consecrandi.* Ex quo apparet nondum esse consecratum, sed post-modum expeditis unctionibus tunc demum incipit *con-secratus* nuncupari.

Cùm ergo Assistentes Episcopi non cooperentur ad 13
dictas unctiones, nec proferant ulla verba, nequit dici, illos esse hujus Consecrationis Ministros, & minister-rium, quod exhibuerunt imponendo manus, consequen-ter dici debet non fuisse ab eisdem exhibitum tanquam a ministris Sacramenti, sed quale exhibere solent sim-plices Sacerdotes assistentes in Ordinatione Presbyteri, quando post impositionem manuum Episcopi, ipsi etiam Sacerdoti recentissimo manus imponunt. Quam sole-mnitatem certum est non esse necessaria ad valorem Ordinationis.

Secundò, probatur conclusio ex D. Dionysio *de Ec-* 14
clesi. Hierarch. par. 2. cap. 5. ubi describens ritum Or-dinationis Episcopi, Sacerdotis, & Diaconi, unius dun-taxat Episcopi ordinantis mentionem facit, & quoad hoc pariformiter loquitur de Ordinatione sive Episcopi, sive Sacerdotis, sive Diaconi, in quorum ultimorum or-dinatione omnes fatentur non esse necessarium interve-nire plures Episcopos.

Probatur tertiò, quia passim in Sacramentis unus mi- 15
nister sufficit, & in præsenti materia non adducitur prin-cipium theologicum, quo contrarium probari possit.

Denique probatur, quia in hac solemnitate plures 16
Pontifices dispensarunt, scilicet Gregorius Magnus cum Anglis, ut constat ex ipsius responsione in Regesto *Ep.* 12. Greg. XIII. cum Patriarcha Æthiopiæ, Pius IV. cum Indis, cum quibus passim dispensantur. Et quam-vis recentiores quidam Theologi, viri opinatissimi, qui hanc solemnitatem ad substantiam Sacramenti pertine-re asserunt, ut suam salvent opinionem, doceant, Pon-tificem usum fuisse dispensatione in jure divino Sacra-mentorum, tamen antiquiores dispensationem funda-runt in eo, quod dicta solemnitas non sit de jure divi-no. Quare D. Antonin. *p. 3. tit. 14. c. 16. n. 9.* sic ait: *Petrus de Palude de potestate Papæ dicit, quod numerus ternarius non est de substantia consecrationis, & quod est de institutione Ecclesiæ. Unde & Gregorius legitur dispen-sasse cum Anglis.* Et Contreras contrariæ sententiæ as-sertor fatetur, Pium IV. quando cum Indis dispensavit fuisse sequutum assertam doctrinam tanquam probabilem; sed fateri debuerat Pontificem suo facto eandem acceptas-se atque approbasse tanquam certam, ut inferius.

Et quia prælibata responsio D. Gregorii Papæ magnam 17
lucem afferre potest doctrinæ hucusque traditæ, ideò ejus verba integrè describere juvat, quibus interjiciam ali-quas annotationes. *Peto*, inquit S. Augustinus Anglo-rum Episcopus, *si longinquitas itineris magna interjacet*,

ut Epiſcopi facilè non poſſint convenire, an debeat ſine aliorum Epiſcoporum præſentia Epiſcopus ordinari? Reſpondet D. Gregorius. *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus Epiſcopus inveniris ordinare Epiſcopum non aliter, quam ſine Epiſcopis potes.* Non inquit Pontifex *diſpenſo*, aut *concedo tibi facultatem*, ſed quaſi diceret, quandiu tu ſolus Epiſcopus inveneris in Anglia, certum eſt te hac lege non teneri, quam obſervare non potes. *Nam quando de Galiis Epiſcopi venient, illi in ordinatione, Epiſcopi teſtes tibi aſſiſtent.* Hinc liquet, quod juxta D. Gregorii mentem, munus Epiſcoporum aſſiſtentium eſt, eſſe teſtes ordinationis, non miniſtros Sacramenti. Quod etiam munus tantummodo illis tribuit Canon Apoſtolorum *in Conſtit. Apoſtol.* Clementis Primi *lib. 3. cap. 22. Nam duorum*, inquit, *vel trium teſtimonium firmius, tutiuſque exiſtit.* Pergit D. Gregorius; *Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi tibi Epiſcopi longo intervallo minimè diſjungantur, quatenus nulla ſit neceſſitas, ut in ordinatione Epiſcopi non convenire poſſint.* Neceſſitatem allegat tanquam cauſam univerſalem, cur hæc lex non obliget; quam etiam allegat ſtatutum Simonis Cananæi ſupra a nobis relatum: *Cùm igitur Deo authore ita fuerint Epiſcopi in propinquis ſibi locis ordinati per omnia Epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus, vel quatuor fieri non debet.* Si ageretur de ſolemnitate ad eſſentiam Sacramenti requiſita, profectò non tàm indefinitè Pontifex loqueretur, & notandum, quod non dicit fieri non poteſt, ſed non debet. Concludit. *Certè enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quoque convocantur ut qui in via conjugii præceſſerunt in ſubſequenti quoque gaudio miſceantur. Cur non ergo in hac ſpirituali ordinatione, qua per ſacrum miſterium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati Epiſcopi gaudeant, vel pro ejus cuſtodia omnipotenti Deo præces pariter fundant?* En iterum qualia ſunt munia Epiſcoporum aſſiſtentium ex mente D. Gregor. nimirum gaudere in Epiſcopi ordinati profectu, & pro ejuſdem profectus cuſtodia Deum orare. Quæ longè inferiora ſunt quàm miniſterium inſtrumentale Sacramenti. Quod ſi dicti Epiſcopi præſtarent proculdubio ſapientiſſimus rituum Eccleſiæ doctor, atque promotor non tacuiſſet. Adſtipulantur noſtræ concluſioni præter ſuperiùs adductos, celeberrimi Doctores, nempè Laymann, Ugolinus, Photius, Valentia, Arcudius, & alii, quos citant, & ſequuntur Avverſa *de Sacram. Ordin. qu. 3. ſect. 2.* & Diana *in ſua 8. & 12. par. reſol.* quibus addo Gamacheum *de Sacram. Ordin. c. 9.* & & Quintanadvegnas loco infra citando. Idem alii clariſſimi quique ex antiquioribus, & ex optimæ notæ recentioribus docuerunt, ac tenent omnes ii, quibus antiqui Eccleſiæ mores, & doctrina arridet, teſtaturque Farin. *ad c. 1. ſeſſ. 23. S. Concil. Trid.* ubi ait, ſic declaratum fuiſſe a S. Congregatione, & a majori parte Theologorum, qui conſulti fuerant, atque ita Pium V. diſpenſaſſe. Ac noviſſimè illam tradit Cabaſutius *in notitia Concil. ad c. 4. Concilii Niceni* noſtram ſententiam compendio reducens his verbis: Quæſtio illuſtris eſt, an ſit de neceſſitate Sacramenti, an ſolùm de neceſſitate præcepti, ut tres hìc interveniant Epiſcopi? Tres ventilantur in hac re Theologorum ſententiæ. Contendunt aliqui hoc eſſe de Sacramenti neceſſitate, ut ſi ſecus fiat nihil agatur. Alii concedunt eſſe quidem de Sacramenti neceſſitate, non tamen abſolutè, ſed hac reſtrictione, ſi non fuerit ab Eccleſia diſpenſatum, ut ſecus fiat. Quo etiam modo docent plerique circa confirmationis Sacramentum eſſe de Sacramenti neceſſitate, ut adminiſtretur ab Epiſcopo, ubi tamen intervenerit Papæ, aut Concilii generalis diſpenſatio, poſſe ſimplicem Sacerdotem eſſe illius miniſtrum. Tertia demum opinio eſt, poſſe etiam citra diſpenſationem ſuſcipi validè ordinationem, & characterem Epiſcopalem, tametſi illicitè ab unico etiam Epiſcopo. Præcitatus quidem Anicetus Pontifex declarat ejuſmodi ordinationes viribus carere, atque irritas eſſe. Illius tamen Canonis gloſſa id exponit de exequutione officii, hoc eſt, ut non liceat ſic ordinato illa exequi, quæ ſunt muneris Epiſcopalis donec diſpenſetur.

Tertia hæc potior ſententia eſt propter illa, quæ ſequuntur argumenta. Primum enim Innocentius Papa *Ep. 22.* ad Bonifacium diſſidium componens Antiochenum, mandat eos, qui fuerant ab Evagrio Paulini in Sede Antiochena ſucceſſore ordinati, recipi cum ſuis ordinibus, & honoribus. Et tamen Evagrius contra Sacras Eccleſiæ leges fuerat a ſolo Paulino ordinatus Epiſcopus, ut fidem facit Theodoretus *lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 23.*

Syneſius perhibet de Siderio ſuperiùs memorato fuiſſe ab uno Epiſcopo Cyrinenſi Philone conſecratum Epiſcopum, neque id tamen obſtitiſſe, quominus magnus Athanaſius abſque nova conſecratione cum ipſo diſpenſaverit, eumque ad Eccleſiæ Metropolitanæ clavum admoverit. Ad hæc Synodus Regienſis cum præfato Armentario diſpenſavit, ut baptizatos, ſive neophytos confirmaret, cumque Ordinatis ab Armentario Clericis, ſi ſint alioquin vitæ inculpatæ, ut in Ordinum miniſterio retineantur. Apoſtolorum etiam præcitatus canon probat Epiſcopi conſecrationem a duobus Epiſcopis.

Simon Apoſtolus apud Clementem Papam *lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 27.* ſanxit, valere Epiſcopi ordinationem a duobus factam Epiſcopis, & hoc addit licere in neceſſitatis caſu Epiſcopum ab unico Epiſcopo conſecrari.

Item Dionyſius *lib. 1. hier. Eccleſ.* deſcribens Epiſcopi augurandi ritum, meminit unius duntaxat Epiſcopi conſecrantis.

Idque amplius inde confirmatur, quod fieri vix poterat, ut Apoſtoli totum terrarum orbem peragrantes, novaſque in provinciis, ad quas accedebant fundantes Eccleſias, copiam ſemper habere poſſent Epiſcoporum, quos paſſim conſtituerent, aut quorum ope novos Epiſcopos ordinarent.

Teſtatur Henriquez *Summ. ſua tom. 1. lib. 10. cap. 24.* Papam Gregorium XIII. diſpenſaſſe cum recente a ſe conſtituto Æthiopiæ Patriarcha è Societate Jeſu, ut ſolus ſine aſſiſtentibus Epiſcopis poſſet novos Epiſcopos conſecrare, ubicunque operæ pretium eſſet.

Quærenti Auguſtino Angliæ Primati quot ſint Epiſcopi neceſſarii ad novum Epiſcopum conſecrandum, reſpondet Gregorius Magnus *reſp. 8. ad interrogata Auguſtini* verbis quidem obſcuris, quorum tamen hic eſt genuinus ſenſus. Cùm ſit ſolus in Anglia Epiſcopus Auguſtinus, expectandos eſſe a vicina Gallia Epiſcopos, qui novos Epiſcopos ordinaturo Auguſtino aſſiſtant. Et poſtmodum adhibendos eſſe noviter ordinatos in Anglia Epiſcopos ad novam aliorum conſecrationem. Hactenus Cabaſutius.

Neque noſtræ doctrinæ obſtare debent Conciliorum 18
ac Juris Canonici decreta, in quibus irritæ pronunciantur Ordinationes Epiſcopi minus quàm a tribus Epiſcopis factæ. Nam juxta modum loquendi Canonum plerumque irrita dicuntur quæ licèt in foro conſcientiæ, & apud Deum in ſuo eſſe ſubſiſtunt, quia tamen a jure ſunt prohibita, & non valent ad producendos legitimos effectus, ideò vocantur irrita, & nulla. Cujus rei manifeſta ſuppetunt exempla. Concilium namque Nicænum loquens de ordinatione non ſubditi in Sacerdotem ab alieno Epiſcopo facta, *irrita erit*, inquit, *hujuſmodi ordinatio*. Et refertur, *c. Si quis auſus d. 71.* Item Concilium Calcedonenſe *act. 11. cap. 6.* ſtatuit irritam eſſe ordinationem ejus, qui abſolutè, ideſt, ſine aſſignatione Eccleſiæ ordinatur. Et tamen conſtat tales ordinationes revera ſubſiſtere, & non debere reiterari. Dicuntur verò uſitato Canonum more irritæ, quia ſic ordinatus manet ſuſpenſus, & quoad exercitium perinde eſt, ac ſi nulla, & irrita fuiſſet ordinatio. Atque ita in ſimili accipiendam eſſe vocem, *irrita*, & *vacua* dixit Gloſ. *in cap. Archiepiſcopus d. 66.* & ibi Turrecrem. *ac in cap. non debet dict. 65.* Quod eſt commune, & noviſſimè docet Haller. *de ſacr. elect. pag. 593. num. 19.* Eodemque modo explicanda ſunt jura, quæ dicunt ſi ordinatum non eſſe Epiſcopum, videlicet quoad exercitium, & dignitatem. Unde ordines ab eo Epiſcopo ſic conſecrato collatos exercere, aut ſacramentalibus ab eo confectis uti non liceat, & confirmati ab eo inhabiles ſint ad ea, ad quæ jure Eccleſiaſtico prærequiritur confirmatio. At nullo jure legitur, quod ſit irrita, vacua, aut exercitio carens conſecratio ſine cooperatione, & aſſiſtentia trium Epiſcoporum. Nam Simon Cananæus ſupra relatus non dicit propterea factum ſine decreto invalidum, & probat neceſſitatem talis decreti, ut fiat licitè, non autem ut fiat validè.

De extravag. *Injuncta de elect.* major eſt difficultas. 19
Adhuc tamen ſi illa irritam declararet conſecrationem, intelligenda eſt ſecundum interpretationem allegatam, nempè, ut in ordinum collatione conferret quidem characterem, non tamen exercitium, quia Papa non poteſt plus operari ſua authoritate, qua efficere non poteſt, ut ordines ab Epiſcopo ritè conſecrato collati non imprimant characterem, & juriſdictio exercita eſſet nulla in foro externo, ut illam Extravagantem intelligunt Navar. *in repet. cap. Accepta, de reſtit. ſpol. oppoſ. 8. n. 3.* Valerus *de differ. utriuſque fori, verbo obedientia, differ. 4.* non tamen in foro conſcientiæ propter inconvenientia urgentiſſima, tamen peccarent fortaſſe in eo foro ſic exercentes juriſdictionem, quod ſolùm voluiſſe aliquos exiſtimo.

Sed quia diſpoſitionem illius Extravagantis extendi ad 20
ſpiri-

ſpiritualia eſt ita probabile, ut non ſit omninò certum, ſicuti oportet eſſe id, quod pertinet ad æternam animæ ſalutem, ideò ſi cui omnia ſuperius allata infirma eſſe videant, medicinam propono illam, quam ſanandis ſimilibus infirmitatibus, ſed difficilioris curationis adhibuit Pius IV. literis datis apud S. Marcum die 11. Auguſti 1562. quarum tenorem ex P. Contreras exſcribit Diana *part.* 12. *reſ.* 47. In iis enim cum Pontifex intellexiſſet, aliquos Epiſcopos in Indiis non a tribus Epiſcopis, ſed ab uno fuiſſe conſecratos, & quidem ſine Pontificio verbo, vel ſcripto obtenta diſpenſatione, ita inquit: *Nos &c. omnes & ſingulos venerabiles fratres, & Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Indiis præfatis conſtitutos, qui hactenus prædicto numero Prælatorum competenti ad id non adhibito, aliàs tamen ritè ſuſceperunt, ab hujuſmodi exceſſu, ac ſuſpenſione, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis per eos propterea incurſis, Apoſtolica authoritate tenore præſentium abſolventes, ſecumque ſuper irregularitate, ſi quam inde contraxerint, & quod munere præfato ſic per eos ſuſcepto, ſuiſque & Presbyteratus ordinibus ac officio Pontificali uti, & in illis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, ac ſuis, & in Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præeſſe liberè, & licitè valeant, ex ſpecialis dono gratiæ diſpenſantes, &c.* Addenda erit ſimilis abſolutio a ſuſpenſione, & aliis cenſuris, & pœnis incurſis ob conſecrationem datam, vel acceptam literis Apoſtolicis promotionis, & confirmationis non præſentatis, ac diſpenſatio ſuper irregularitate, ſi quam inde contraxerint, pariter, & habilitatio, atque abſolutio a pœnis, de quibus in dicta Extravaganti *Injuncta*.

21 Moneo autem de hujus Pontificii Diplomatis exiſtentia, & veritate non eſſe dubitandum. Quandoquidem illud admittunt ii, qui contra noſtram ſententiam acerrimè pugnant, non admiſſuri certè, niſi ſibi de illius exiſtentia conſtitiſſet, de qua nec dubitandum eſt, quin inquiſitionem fecerint.

22 Verùm hæc omnia parum proderunt iis, qui Sacramenta pœnitentiæ attriti, & non contriti receperunt per juriſdictionem ex iis capitibus infectam, aut nullam. Ii enim, ſi peccata mortalia habuerint, nec iterum confiteantur Sacerdoti legitimam juriſdictionem habenti ſecundùm opinionem aliquorum, peribunt in æternum. Iis porrò imponere onus iterum confitendi omnia peccata a longo jam tempore confeſſa tàm difficile eſt, ut etiam, ſi nulla alia ratio ſuppetat, hæc difficultas efficaciter perſuadere videatur, certum omninò eſſe, quod Eccleſia velit in tali, & ſimilibus caſibus juriſdictionem ſupplere. Quam doctrinam ſi quis reſpuat, is conſilium præſtet. Ego enim nullum habeo, quo tot, ac tantis malis, atque periculis, & ſcandalis occurrere poſſim.

23 Hanc medicinam morbis iſtis non ſufficere cenſet P. Contreras a Diana *reſolutione illa* 47. relatus, ac proinde vult omninò Epiſcopos ab uno Epiſcopo conſecratos iterùm conſecrari ſub conditione. Quia, inquit, negari non poteſt, quin opinio docens tres Epiſcopos eſſe de ſubſtantia Pontificalis conſecrationis, præciſa Papæ diſpenſatione, ſit probabilis: quare ſi opinio de illius validitate non eſſet vera, obligaretur unuſquiſque ex charitate, vel ad ſe, vel ad proximum ad conſecrationem, ordinationem, & baptiſmum certum, & non tantùm probabilem. Quod eſt dicere, Pium IV. non adhibuiſſe Diplomate allegato certum remedium. Quod non habet Contreras pro inconvenienti. Quandoquidem ut ait, Pontifex non eſt loquutus ex cathedra, ſed cùm eſſet probabilis opinio, non eſſe de ſubſtantia Sacramenti tres Epiſcopos, voluit illam ſequi, ſicut Pontifices in diſpenſando ſuper matrimonio rato ſequuntur opinionem probabilem, cùm tamen non eam definiunt, ſed ſinant oppoſitam eſſe probabilem, ut eſt revera.

24 At hoc effugium præcluditur. Nam negari non poteſt, quin Pius IV. malè proviſerit in eo caſu adhibens remedium incertum, & tantùm probabile. Aut ſi illud licuit Pontifici in praxi ſequi, licet item cum Epiſcopo ſic conſecrato idem nunc ſequi in praxi. Nam quod dicitur non licere nunc propter inconvenientia ex incertitudine hujus conſecrationis provenientia, idem dicendum fuit Pio IV. Unde ut Pium IV. defendat, in eas anguſtias cogitur, ut fortuituis ſe committat, dicens fortè Pium IV. ita, ad evitanda ſcandala in Bulla dixiſſe, & tamen ſecretò juſſiſſe eum Epiſcopum iterùm conſecrari ſub conditione. Qua quidem reſponſione efficitur, ut Pio IV. ingens infortunium acciderit, nempè ut in eo Diplomate rem periculorum, & inconvenientium plenam docuerit, quàm ſucceſſores Pontifices ſecretæ illius juſſionis ignari ſequantur. Immò etiam ſequantur quicunque privati Epiſcopi, & Sacerdotes, ac Chriſtiani. Cùm enim ii Epiſcopi, in ſententia Pii IV. validè ſint conſecrati, licèt ſint ſuſpenſi, irregulares, aliiſque cenſuriis, & pœnis obnoxii, impriment ſanè characterem in iis, quos conſecraverint, aut ordinaverint, tribuendo propterea exercitium, & validè ſimul ac licitè juriſdictionem exercebunt ſic conſecrati & ordinati ab illis. Quia poſt extravagantem Martini V. *Ad evitanda ſcandala* ordinati ab excommunicatis, ſuſpenſis, aut aliarum cenſurarum Eccleſiaſticarum vinculo irretitis, immò & depoſitis, niſi ſint nominatim excommunicati, ſuſpenſi, depoſiti, aut nominatim contra eos cenſuræ latæ ſint, aut declaratæ, exequutionem Ordinum, & munia a juriſdictione procedentia validè ac licitè recipiunt, ut eſt communis doctrina, quam tradit inter recentiores Haller. *de Sacr. electi. pag.* 823. *n.* 2. *& pag.* 793. *n.* 7. ubi ibidem videtur eſſe dicendum de ordinatis ab hæreticis, & ſchiſmaticis, qui non ſunt nominatim excommunicati vel ſuſpenſi. Sed quia id perniciosum eſt, ideò cupio Conſtitutione ſpeciali ab ea extravaganti excipi.

Quod autem Contreras dixit, Pium IV. potuiſſe ita 25
diſponere, ſequendo opinionem probabilem, idque probat, quia Pontifices etiam in diſpenſando ſuper matrimonio rato ſequuntur opinionem tantùm probabilem, & non certam, non ſolvit difficultatem. Nam matrimonii rati diſſolutio, & quæ ex ejus diſſolutione ſequuntur formidinem habere poſſunt tranſgreſſionis præcepti de matrimonii indiſſolubilitate, & de adulterio, vel aliorum præceptorum, a quorum peccaminoſa violatione in praxi tutos certè reddit opinio probabilis, ac proinde ſine errore, atque periculo ſalutis æternæ licet eam opinionem ſequi. In conſecratione verò Epiſcopi, a qua pendet nonnulla ad ſalutem æternam neceſſaria neceſſitate medii, aut utilia utilitate maxima, ut eſt ordinatio Presbyterorum, quæ etiam ſi probabiliter fiat, niſi etiam fiat verè, itaut character conferatur, privantur fideles Sacramento Pœnitentiæ, quod habentibus peccata mortalia, & non contritis a tempore conſecrationis Epiſcopi quis dubitat neceſſarium eſſe neceſſitate medii? Privantur item Sacramento, & Sacrificio Eccleſiaſtico. Rurſus extrema unctione. Ac ſi Epiſcopi illi a Pio IV. ſic admiſſi alios Epiſcopos conſecrarint, iique alios, creverunt damna illa in immenſum, & ut uno verbo dicam deſiit apud innumeras gentes eſſe Eccleſia. Nam ut ait D. Hieronymus *epiſt.* 58 *adverſus Luciferianos cap.* 8. Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes, & ubi non ſunt Epiſcopi, ibi Eccleſiam eſſe non poſſe ex Irenæo, & Tertulliano probat Marianus Victorinus ad eum locum Hieronymi. Quod ſanè non eſſe intelligendum de præſentia corporali Epiſcopi, ſed de præſentia ejus pro poteſtate Ordinis, & ejus influxu docet Petrus Damiani *in libro, qui Gratiſſimus* inſcribitur *cap.* 29. Indeque confutat errorem illorum, qui docebant Ordinatos a Simoniacis non eſſe validè ordinatos, nec Sacramenta conficere, quod inde ſequeretur apud multos populos falſa eſſe præcipuè Sacramenta, nulla eſſe altaria, nulla templa, ſed ſolùm profanas menſas & domos: *Nunquid*, ait, *ſub illis tot milia hominum perire credenda ſunt, qui ab eiſdem Sacramentis gratiam non habentibus veri Sacramenti ſpecie deluduntur?* Hoc porrò ita intolerabile eſſe, & quod divina providentia permittere non poſſit exiſtimat Petrus Damiani, ut concludat: *Ergo divinæ pietatis injuria inevitabilis pereundi neceſſitas illis imponitur*. Quæ auditui ſaltem pavenda dicit. Atque hæc planè ratio cohibuit ſub Pontificatu Urbani VIII. doctiſſimos Conſultatores, ne manderetur iterum ordinari græcos Præsbyteros propter magnam alioqui dubitationem, quæ apparebat, An forma ſervata a Græcis eſſet valida?

Illuſtratur hoc totum exemplis. Erat tempore Pauli III. Summi Pontificis dubium, utrum Sacrum Chriſma poſſit confici ex balſamo Indico, de quo erant duæ opiniones ambæ probabiles, aſſerentibus quibuſdam illum balſamum eſſe verum balſamum, & idem cum Syriaco, quod, ut ſuppono ex Chriſti inſtitutione erat materia remota in Sacramento Confirmationis, aliis negantibus? Paulus III. re diligenter diſcuſſa, definivit poſſe hoc Sacramentum conferri chriſmate confecto ex oleo, & balſamo Indico, & conſequenter ſic collatum eſſe verum Sacramentum. Quæro jam ab Adverſariis, ſuppoſita ſententia, quæ docet de eſſentia Confirmationis eſſe balſamum, eſtne jam ampliùs probabilis tantum illa opinio, quæ aſſerebat balſamum Indicum eſſe verum balſamum, & idem cum Syriaco? Eſt certiſſima, & non ſolùm probabilis, quia ſi non ſit certiſſima, & excludens omnem formidinem oppoſiti, non poteſt eſſe certum, Sacramentum Confirmationis tali chriſmate collatum eſſe validum.

Præterea eſt probabilis opinio æquipollere illas voces in

nomine *Genitoris*, *Geniti*, & *procedentis ab utroque* his *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*. Si jam Pontifex declaret baptismum collatum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque*, esse verum baptismum, essetne ampliùs probabilis solùm illa opinio? Esset certissima. Sicut certissimum est non posse esse verum baptismum, nisi conferatur verbis æquipollentibus illis usitatis *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*.

26 Ne igitur in hanc malorum, & inconvenientium abyssum demergamur, cogimur fateri veram, & certam esse doctrinam, quam sequutus est Pius IV. nempè consecrationem ab uno Episcopo factam esse validam. Utque id fateamur, sufficit authoritas Pii IV. qui ut cæteri Pontifices nonnisi postremum a viris doctis diù examinatam in re tàm gravi disposuit sequendam. Idque ineluctabiliter tenere debent fideles, & pii quique, habentes de divina providentia sensus ac de ejus assistentia Ecclesiæ, & Summo Pontifici, quem errore tàm gravi, & tot tantorumque malorum gravido errare non permitteret.

27 Consentaneè ergo ad hanc doctrinam respondeo ad secundùm. Non videtur in præsenti casu urgere aliquod rationabile dubium, propter quod reiterari debeant vel Ordinatio Episcopi, vel Ordinationes aliæ ab eodem habitæ. Nam totum hoc dubium fundari deberet super opinione Doctorum adversus prædicta sentientium. Quę opinio quamvis comparatione facta ad alios Doctores, inter ipsos probabilis haberi possit; tamen facta comparatione ad Ecclesiæ Tribunal, quod doctrinæ a nobis explicatæ hactenus adhæsit, nostra doctrina certissima est. Etenim ex dictis satis apparet, quod Pontifices facto videntur approbasse eorum sententiam, qui tradiderunt plurium Episcoporum assistentiam non esse de necessitate Sacramenti, ac per consequens omne dubium amputarunt, quod ex opinione contraria oriri potuisset.

28 Confirmatur. Nam ante P. Vasquez non reperio Theologum aliquem, qui affirmaverit trium Episcoporum assistentiam esse de necessitate Sacramenti. Bellarminus enim, qui citatur, non aliud dicit, quàm quod ordinariè requirantur, neque sese amplius explicat. Et quamvis postmodum aliqui Theologi Patrem Vasquez sint sequuti, concertationes tamen similes ingeniorum non possunt efficere, quod doctrina, quæ tandiù in Ecclesia viguit, quamque Pontifices tuo facto approbarunt, postmodum reddatur dubia. Alioquin enim spatiosus aperiretur campus confusionis, præsertim circa validitatem Sacramentorum, maximè non iterabilium. Quo argumento utitur Tertullian. *lib. de præscript. adversus hæreses*, inquiens, *Qui estis? ubi tandiù latuistis?* Et Hilar. *lib. 6. de Trinit. Tardè venerunt pii isti Doctores*. Enimverò satis, ac plus satis studio partium undique hactenus est datum, satis turbarum in Ethica christiana excitatum. Et ignoscant mihi, rogo, Theologi, quos omnes omni culpa liberare non possum, ignoscant, aut magis agnoscant quod nunc dicam. Ut rabulæ quidam & latratores inter Jurisconsultos sunt, homines clamosi, turbulenti, & quibus omne cerebrum in lingua est, sic inter illos Theologos reperire est aliquos, qui caninam facundiam exercent, & nocent potiùs quàm docent. Incurrunt, perdunt, dissipant, & toti in eo ut litem ex lite ferant, ne coeat unquam & conspiret Christianum hoc corpus. Ita enim illorum plures ex absurditate, ambiguitate, atque diversitate opinionum quibus libri morales pleni sunt, sylvam opinandi sunt nacti, ut ingentia, innumeraque volumina circa res morales conscribillarint. Quæ quidem Scriptorum genera in tantam molem, & immensum chaos excreverunt, ut nullius hominis etiam longævioris vita sufficiat ad omnia ista farraginaria, & & rapsodmata, immò fimera, Augiæque stabula (ita enim quædam nominari merentur propter sordidam opinionem, qua fœtent farturam) non dicam legenda, sed lustranda. Verè hic locum habere potest illud Amelii paucis inversis. Doctrinam moralem multorum Camelorum onus esse, adde & carnificinam ingeniorum, & temporis voraginem, & studiorum sufflamen. Et, ut non solùm mireris, sed etiam obstupeas, quidam etiam sunt, qui, ut verbis Taciti utar. *lib. 2. Annal.* accendendis inter ipsos offensionibus callidi intendere vera solent, adgerere falsa, utrinque odiorum semina jacere; scriptionibus prensare modo hos, modò illos, itaque inter se utrosque committere, ut eis cum voluptate spectantibus, & ipsorum imprudentiam ridentibus se invicem conficiant.

29 Quod verò attinet ad Glossam, & Canonistas aliquos, qui in contrarium allegantur, vel intelligendi sunt de potestate jurisdictionis, ut supra notavimus, vel recolendum quod dicit in similibus Sotus *in 4. dist. 13. qu. 1. art. 8.* Quod quoties Glossatores isti in jus divinum falcem mittunt, toties cruentantur. Hinc sicut eorum opiniones non admittuntur, quando asserunt posse auferri ab Episcopo potestatem Ordinis validè consecrandi, aut solo verbo posse consecrari Sacerdotem, vel Episcopum absque materia, & forma Sacramenti, ita neque attendi debent in hac re. Atque ideò, non obstante dicta opinione, Petrus Arcudius in ritibus Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græce peritissimus, absolutè pronunciavit tàm Latinam, quàm Græcam Ecclesiam concorditer asserere tanquam certum, quod assistentiam plurium Episcoporum non sit de jure Divino. Ita *lib. de Concord. Eccles. Occid. & Orient. lib. 5. cap. 3.* apud Aversam loco citato. Nam in Ordinatione Græcorum Episcopi assistentes non imponunt manum super caput electi, neque ulla verba pronunciant, & tamen ab Ecclesia Latina pro veris habentur Episcopis, qui sic fuerunt ordinati. Unde cùm in Hispania ortum fuisset grave, & satis rationabile dubium, an quidam ad Episcopatum promotus validè fuisset baptizatus, resolutum fuit debere denuò sub conditione baptizari, ordinari, & consecrari; ita tamen quod trium Episcoporum assistentia non esset necessaria nec expediens, ne defectum suum propalaret, teste Quintanadvegna *tract. 6. singul. 2.* Ex quibus mero meridiè clarius est, præsentiam, seu cooperationem trium Episcoporum non esse de forma substantiali consecrationis Episcopalis.

CONSULTATIO CLXXXIII.

An parochiales conferendæ sint dignioribus, vel sufficiat, quod conferantur dignis?

1 REsolvendum est, parochialem conferendam esse in omnibus qualitatibus digniori, licèt alter fuerit tanquam dignus approbatus. Quare ad convincendam irrationabilitatem judicii Episcopi, sufficit, illum elegisse minus dignum in concursu dignioris, idemque ex clara dispositione Sacr. Concilii Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 18. §. Peracto perinde examine, ut ab examinatoribus renuncientur quotquot idonei judicati fuerint, &c. ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* Quod etiam statutum legitur in Constitutione 33. Pii V. *§. 7.* ibi: *Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis juxta ejusdem Concilii decretum, &c. quod si Episcopus minus habilem, posthabitis magis idoneis elegerit, possint rejecti a mala electione hujusmodi, &c. appellare, &c. & constito de priori eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo conferatur.*

Et in istis terminis, quod irrationabile dicatur judicium Episcopi eligentis dignum in concursu dignioris firmavit Rota *in Tuden.* Parochialis 28. Aprilis 1603. coram Cardinali Sacrato, ubi subjungitur, quod quidquid sit in aliis beneficiis, certum est in curatis ex idoneis magis idoneum esse eligendum ex dispositione Sacr. Concilii Tridentini, & Constitutione Pii V. respondetque objectioni præsumptionis pro judicio Ordinarii, & decisionibus Ravennaten. & *Pampilonen.* Parochialis, quæ solent in contrarium allegari, atque in Ripana Parochialis 1. Julii 1609. coram Ottembergo, ubi præter supradictam *Tuden.* etiam adducitur alia decisio in eadem causa coram Cardinali Pamphilio, & in Dertusen. Parochialis coram Gypsio, & dicta *Dertusen.* impressa est per Garz. *de benef. part. 9. cap. 2. sub num. 32.* ubi ante medium ponderatur non esse remissum arbitrio Episcopi, sed commissum ei tanquam bono viro, & inferiùs subjungit, quod si Episcopus posset pro sua voluntate eligere, sequeretur, quod facillimè eluderetur dicta Constitutio, & nunquam locus esset provocationi. Deinde in alia decisione in eadem causa sub numer. 33. inquit, Concilium non remittere simpliciter judicio Episcopi, sed intelligi de judicio justo, & rationabili, & quod ita demonstravit Pius V. in sua Constitutione, quale non est, servata forma per Concilium præscripta. Et in alia decisione coram Rubeo relata per Massobr. in prax. haben. concurs. ad Paroch. *requis. 5. dub 1. sub num. 52. ad fin. cum seq.* dicitur in concursu ad Parochiales, Episcopum eligere debere magis idoneum, quia Concilium Tridentinum non dat ei facultatem eligendi quem velit, sed quem magis idoneum judicaverit; quod judicium regulari debet juxta juris dispositio-

positionem. Quod etiam sentit Rot. *in rec. decis. 613. num. 5. part. 1.*

2 Idemque adverterunt Gonzal. *super reg. 8. Cancel. glos. 4. n. 136. & 142. cum seq.* Garz. *de benef. p. 9. c. 2. n. 229. & sub n. 251. & 252.* Genuen. *in man. Past. cap. 36. sub num. 50.* Campanil. *in diver. jur. can. rubr. 7. cap. 6. n. 75.* cum aliis adductis per Massobr. *d. requis. 5. dub. 1. n. 43.* & pluribus seqq. Jo: Fr. Leo *in Thesaur. form. Eccles. p. 2. c. 3. n. 37. in fin.* ubi refert resolutionem Sacræ Congregationis Concilii in una *Patavina.*

3 Quando autem omnes qualitates præponderant in uno quàm in alio, ex majori earum parte inducitur irrationabilitas judicii Episcopi, Rota in citatis decisionibus, & præsertim in *Tuden.* Parochialis, in qua fit mentio de majori ætate, de gradu doctoratus, de eadem diœcesi, de majori prudentia, & nobilitate, ac de majori doctrina. Et licèt examinatores utrumque approbent, nihilominus si referant sibi magis placere in lingua latina, & claritate lecturæ eum, quem Rota, junctis aliis qualitatibus jam dictis, præferendum duxit, utique Parochialis illi est conferenda. Sic etiam de diœcesano magis qualificato propter gradum Doctoratus, ætate provectiori, & ab omnibus approbato in concursu ulterius, asserit Rota in *Panormitana* Archipresbyteratus 3. Decembris *1619.* coram Buratto, & comprobant Gonzal. & Garz. locis allegatis.

4 Nec obstat, si alter sit ab examinatoribus approbatus. In concursu enim dignioris non sufficit ex jam dictis, & apertè hoc censuit S. Congregatio Concilii, dum sæpe rescripsit, ut examine peracto, Ipossit statui quis verè sit dignior judicandus. Si enim alter non fuisset approbatus tanquam dignus, non esset locus rescripto de statuendo quis dignior sit, cùm in dubio comparativum supponat suum positivum, Anchar. *cons. 215. numer. 6.* Rot. *in rec. decis. 569. numer. 4. in fin. part. 4.* Quare eadem Sac. Congregatio in una Bracharen. censuit ac declaravit collationem nullam, eò quia Parochialis non fuerit collata magis idoneo. Et in una Placentina declaravit, posse Episcopum Vicarios in Parochialibus deputare, donec conferri possint magis idoneis, servata forma decreti Concilii. Ac proinde Pius V. in sua Constitutione appellationem admisit in favorem magis idoneorum, & coram Judice appellationis iterùm concursum fieri mandavit, ut quis magis idoneus apparuerit, præferatur. Quod si non esset de essentia formæ in Concilio expressæ, frustra Pontifex id præcepisset, cùm sufficeret electio digni, omisso digniori.

5 Minus quoque excusari poterit irrationabilitas judicii Episcopi prætextu, quòd repertus idoneus esset magis dives, itaut possit faciliùs restaurare Ecclesiam ex bonis propriis. Nam hoc non relevat in jure, Ecclesia enim restauranda est ex redditibus ejusdem Ecclesiæ, & quatenus non suppetant, tenentur Parochiani hoc onus subire, ut expresè disponitur per S. Concilium Tridentinum *sess. 21. de ref. cap. 7.*

6 Præsertim quando magis idoneus est nobilis, cùm nobilis in concursu præferatur, ut in terminis fuit dictum in sæpè citata Tuden. Parochialis. Quia pro nobilibus semper præsumitur, ut post alios latè probat Tiraquell. *de nobil. cap. 20. numer. 20.* cum pluribus seqq. qui etiam *numer. 41.* ait, nobiles præsumi cæteris prudentiores, atque exercitatiores, ideòque majoribus beneficiis sunt honorandi. Et *num. 13.* dixerat, in quibuscunque artibus ac electionibus etiam beneficiorum Ecclesiasticorum, dignitatum, cæteris paribus præferendos. Quod facilius procedit, quando concurrunt tot aliæ qualitates præponderantes, & præcipuè literatura, quæ una cum nobilitate natalium magis attenditur in provisione beneficiorum, ut *in cap. De multa 28. ad fin. de præb.*

7 Atque ita frequenter censuit Sacr. Congregatio Concilii, præsertim in una Pistorien. die 7. Augusti *1649.* & in una Aretina die 9. Maji *1651.*

CONSULTATIO CLXXXIV.

An licentia alienandi data Rectori Ecclesiæ transeat in successorem?

1 REspondeo, transire; quia per mortem Pontificis, licèt expiret beneplacitum, secus tamen est post mortem partium. Et non expirare firmavit Rota coram Durano *decis. 397. num. 14. & seqq.* Nam eorum respectu est gratia facta, non facienda, licèt secus sit respectu Judicum, & exequutorum, quando est conditionalis, si in evidentem. At quando gratia est pura, Pontifex mandat exequi, non autem mandat fieri; atque adeò non expirat morte Papæ, ut dixit Rot. *decis. 336. n. 28. & 29. part. 4. tom. 2.* & in Tirasonen. servitii 2. Decembr. *1615.* coram Card. Sacrato, quæ est magistralis in hac materia.

Pro qua re facit simile de commutatione ultimæ voluntatis firmatum a Moneta *c. 8. num. 264. & seqq.* quod ubi aliquid conceditur per rescriptum gratiæ, & non est personale, non expirat per mortem impetrantis. Id autem, quod conceditur Rectori circa res Ecclesiæ, etiam si ejus persona sit nominata, & contemplata, non est personale, sed reale, ut latè comprobat Socin. *cons. 24. n. 2. & seqq. per tot. lib. 3.* 2

Accedit, quod in hujusmodi materiis attenditur sola utilitas Ecclesiæ, alia verò uti extranea non habentur in consideratione, ut monuit Cardin. Mantic. *decis. 101. numer. 5.* 3

Neque applicatur *c. Quoniam Abbas de offic. deleg.* Quia procedit in delegatione jurisdictionis, in qua consideratur persona potiùs, quàm dignitas, non autem ubi subjecta materia respicit principaliter dignitatem, ubi declarat *decis. num. 38.* & alii. 4

CONSULTATIO CLXXXV.

An Ordinarius possit in causa Canonizationis Sanctorum deputare in Judicem pro construtione processus super non cultu juxta decreta Urbani VIII. suum Vicarium foraneum?

REspondendum videtur, quod admisso etiam impedimento personali, non possit delegare Vicarium Foraneum, cùm literæ circulares impressæ libello Decretorum *pag. 58.* dicant in casu impedimenti posse delegare Vicarium Generalem, qualis non est Vicarius Foraneus ab Episcopo constitutus in uno loco, & Ecclesia tantum, sicut ex traditis *in Clement. 2. de rescript.* ab Anchar. *n. 2.* ubi etiam Franch. *in addit.* & Imol. *n. 18.* asserit Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 1. q. 29. n. 1. cum seq.* Nam ita restrictus non facit idem Consistorium cum Episcopo, prout ejus Vicarius Generalis secundum Glos. *in d. Clement. 2. v. Foraneus*, cum similibus ibidem relatis a Sbroz. *n. 2.* Immò neque sub prætextu dignitatis Episcopalis, quamvis enuncietur Episcopus electus, cùm agatur de causa fori Ecclesiastici non deleganda juxta decretum Concilii Tridentini, nisi nominatim designatis in Conciliis Provincialibus, & Diœcesanis, ut eo loco notat Barbos. *in collect. n. 2.* ex Joseph. Vveyms ad *Constitutiones 24.* ex antiquo jure desumptas, & per Tridentinum innovatas, *Constitut. 1. num. 11.* 1

Verùm dicendum est, posse hujusmodi Vicarium delegari. Nam literæ circulares non modò loquuntur de Vicario generali, sed etiam de quolibet in dignitate Ecclesiastica constituto, ibi: *Poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum generalem vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum.* Ac intelligendæ sunt duntaxat circa formam servandam in processibus informativis simili authoritate ordinaria conficiendis super sanctitate vitæ, ac miraculis servorum Dei defunctorum, cùm nihil prorsus disponat quoad formam processus particularis, deque illa plenè & sufficienter provisum fuerit tàm in novis decretis *pag. 10. §. Demum & seq.* quàm in novissimis *pag. 20. §. particularis*, tribuentibus jurisdictionem pro illius confectione Ordinario, seu Apostolicæ Sedis delegato. Nec propterea excludunt, quod ipsi Ordinarii alios sibi benevisos delegare possint, prout de jure illis permittitur tanquam Delegatis Principis, l. *A Judice, cap. Pastoralis de offic. deleg. c. Cùm causam in fin. de appel.* De qua re fusiùs Contelor. *de canon. Sanctor. c. 4. n. 21. & 23.* & sæpissimè dixit Rota, speciatim in relatione S. Raymundi *p. 1. art. 2. S.* Caroli Borromæi *par. 1. vers. Quia Mediolanenses*, passimque alibi. 2

Immò de jure nulla differentia considerabilis est inter Vicarium in uno loco deputatum, etsi foraneus dicatur, ac generalem, cùm uterque dicatur Ordinarius, & idem Consistorium faciant cum Episcopo, ut ex Cardinale *in Clem. 2. de rescript.* cæterisque adductis per Sbroz. allegata *quæst. 29. numer. 6. eod. lib. 1.* non obscurè liquet. 3

CONSULTATIO CLXXXVI.

An ossa servorum Dei, qui obierunt cum fama Sanctitatis debeant condi sub humo? Et quid de translatione in decentiorem locum?

1 PLaniſſimè juxta decretum Pii V. *in §. 6. Conſtit.* 5. relatum a Barboſ. *de univ. jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 28. *& cap.* 10. *prope fin.* 9. atque adeò debet doceri ubi, & quomodo illa ſervantur.

Hinc ſi ante decretalem Alexandri III. *in cap.* 1. *de reliq. & ven. Sanct.* Sola corporis elevatio ſupra terram per Epiſcopum facta importabat canonizationem, ut latè probat Garz. *de elevat. corp. Sanct. pag.* 36. *& ſeqq.* Molfeſ. *conſ.* 46. *nu.* 13. multò magis præſefert cultum, & venerationem translatio corporis in decentiorem locum, qui eſt ritus antiquarum canonizationum, quo Pontifex elevari mandabat corpus e tumba, ut probatur ex literis canonizationis S. Thomæ Cantuarienſis, quæ leguntur *tom.* 12. *annal.* Baron. ann. 1573. his verbis; *Mandamus quatenus corpus ejus, facta aliqua proceſſione aliquo ſolemni die, congregato Clero, & populo, in altari honorificè recondatis, aut ipſum in aliqua decenti capſa ponentes, prout convenit, elevatis in altum.* Et obſervat Phœbeus in ſua *diſſert. impreſſa*, poſt acta Canonizationis Sancti Petri de Alcantara, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *pag.* 349.

CONSULTATIO CLXXXVII.

An ex Reliquiis corporis cujuſpiam ſervi Dei, delatis ad exteras Civitates arguatur erga ipſas aliqua veneratio?

1 AFfirmo. Nam id præſefert venerationem impertiendam approbatis ab Eccleſia juxta animadverſionem Sixti V. *in §. 3. ſub verſ. ſed eam adhibendam ſuæ Conſt.* 83. ac proindè eſt planè contrarium decretis Urbani VIII. generaliter prohibentibus quodcunque præſeferens ac indicans venerationem & cultum. Quis enim poterit inficiari, quin dictum participium *Indicans* huic rei adaptetur, cum verbum *Indicare* ſignificet demonſtrare ex juribus congeſtis per Rebuff. *ſub initio l. indicaſſe* 197. *de verb. ſignif.* Ipſaque dictarum Reliquiarum petitio, & acceptatio in præfatis Civitatibus arguat eas deſideraſſe, ut venerarentur ac colerent tanquam Servi Dei illis noti, cumque ſanctitatis opinione defuncti.

CONSULTATIO CLXXXVIII.

An pavimentum ſupra ſepulturam tantiſper elevatum, ac epitaphium in lapide gemmato inciſum cum imagine picta prædefuncti cum fama Sanctitatis præſeferant, aut indicent venerationem cultus?

1 VIdetur reſpondendum affirmativè, ſi hæc omnia communiter fieri non ſoleant ab omnibus fidelibus. Porrò erectionem monumenti, quod *in l.* 2. *§. monumentum* 42. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* dicitur fieri memoriæ ſervandæ gratia in poſterum, Zimara *probl.* 6. relatus a Laurentio Bell. *in repet. c. Nullus §. Equidem n.* 47. 13. *q.* 2. inquit redolere quid perpetuum ac divinum. Idem eſto judicium de epitaphio, cum non ſit de more inſculptum in marmore, ſed in gemma, præſertim ſi qualitas inſcriptionis ſummam pietatem, certumque ad Superos tranſitum inſinuet legentibus ad venerationem, ſique imago depicta ſit Religioſi laici. Nam cùm inſolens ſit hujuſmodi imagines exponi ſupra monumentum, utique id venerationis excitandæ ſignum eſſe videtur. Siquidem Aloyſius Novarinus *in ſchediaſmate Sacroprophano lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 15. inquit, *mirum eſt quantas vires in hominum mente habere debeant Sanctorum imagines.* Quare dictis decretis Urbani prohibentur publicè exponi imagines defunctorum cum opinione Sanctitatis. Ex quibus idem obſervarunt Contelor. *de Canonizat. Sanct. cap.* 22. *num.* 9. Lauret. de Franch. *de cont. inter Epiſcop. & Regul. pag.* 242. Trullench. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 25. & pluribus aliis ſeqq. ac Barboſ. *de offic. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 97. *poſt num.* 18. *& in ſumm. Apoſtol. deciſ. collect.* 696. *n.* 1.

CONSULTATIO CLXXXIX.

An teſtes, qui induci debent ad probandum non cultum alicujus ſervi Dei, induci poſſint biduò poſt citationem?

1 REſpondendum videtur, non poſſe. Quia de jure debent prius nominari, ſicut *in cap. Dilectorum* 10. *v. Teſtes, qui fuerunt nominati, de teſtib. cogen.* notant Bald. & Bellam. *n.* 1. ac Barbat. *in c. Conſtitutus n.* 10. ibidemque Imol. *n.* 4. *de fidejuſ.*

At dicendum eſt, ſufficere quod ſint citati, ne dicantur 2
ſponte deponere. Ita Farinac. *de teſtib. q.* 89. *oppoſ.* 34. *n.* 8.

CONSULTATIO CXC.

An ſit neceſſe, quod Judex Remiſſorialis perſonaliter accedat ad Eccleſiam, ubi aliquis ſervus Dei dicitur ſepultus ad judicialiter inſpiciendum illius ſepulchrum, ibique viſa in actis redigendum, annotandumque?

AFfirmativam ſuadent Decreta Urbani VIII. Nam 1
cum loquantur de loco ſepulchri, ibi: *Ad horum hominum ſepulchra vetuit, &c.* res ipſa exigere videtur, ut locus ſepulchri ſubjectus ſit oculis Judicis ad text. *in l. ſi irruptione* 8. *§. Ad officium in fin. finium regundorum*, ubi Bald. *in princ.* & Florian. *n.* 2. notant, quod Judex debet perſonaliter accedere ad locum, & illi creditur in eo, quod videt: Quare nova decreta *pag.* 54. *ſub verſ. Magnoperè* monuerunt, ut exploretur in loco, ubi mortuus fuit, vel requieſcit ille, pro quo petitur Canonizatio. Etenim ocularis inſpectio judicis præferri debet cuicunque alii generi probationis ex Bald. *in l. contra negantem* 4. *n.* 10. *in fin. C. ad l. Aquil.* cum ſimilibus relatis a Hieronymo de Monte *in tract. finium regund cap.* 30. *a num.* 3. *ad* 6. Ideòque non videtur ſatisfactum menti Urbani VIII. per ſolum examen teſtium in loco diſtante a ſepulchro.

Tamen ſententia negativa eſt vera. Quippe tàm ex 2
forma Decretorum, quàm Remiſſorialium nullibi cavetur, quod hujuſmodi inſpectio ſuper non cultu requiratur, ſed ſolummodo exigunt carentiam cultus tàm circa ſepulchrum, quàm imagines illius, qui petitur canonizari. Quæ quidem omnimoda carentia pleniſſimè juſtificari poteſt per legitimum examen teſtium, firmantium amotionem cultus, omniumque venerationem indicantium, Judexque in ſua definitiva ſententia expreſſam relationem habeat non ſolùm ad eorundem depoſitiones, verùm etiam ad deducta, & probata in Proceſſu. Sufficit enim, quod ſententia ex actis ſit certa, *l.* 3. *C. de ſent. quæ ſint cert. quant.* Lanfranc. de Oriano *in c. Quoniam contra n.* 577. *de probat.* Alex. *conſ.* 109. *ſub numer.* 1. *vol.* 5. Vant. *de nullit. ex defect. proceſſ. numer.* 104. *&* 105. Scacc. *de ſent. & re judic. quæſt.* 15. *ſub numer.* 16. *&* 17. Quia ſatis certum dicitur id, quod habet relationem ad illud, quod eſt certum, & manifeſtum.

Neque ex novis decretis contrarium elicitur. Cum 3
ſolummodo loquantur de inſpectione oculari facienda in Proceſſibus, qui fieri conſueverunt ſuper ſanctitate vitæ ſervorum Dei, pro quorum canonizatione inſtatur. Quo caſu requirunt, ut exploretur in loco, ubi mortui ſunt, vel requieſcunt, ſi tum temporis adſit, & vigeat communis reputatio, & fama ſanctitatis eorundem, hominesque accedant ad illorum venerationem ſponte, vel arte, aut alia quavis diligentia humana.

CONSULTATIO CXCI.

An ſi corpus alicujus ſervi Dei ſepultum fuerit extra Eccleſiam, aut cœmeterium in loco inſolito, puta in Capella Valetudinaria, vulgò Infermeria, *eruatur exinde aliquid cultum ac venerationem præſeferens aut indicans?*

AFfirmandum videtur. Nam ut rectè notat Abb. *in* 1
rubr. de ſepult. numer. 3. locus ſepulturæ catholicorum eſſe debet in cœmeteriis Eccleſiarum, vel in ipſis Eccleſiis, & non alibi. Quod ex eo repetit Sebaſtian. Medices *de ſepult. quæſt.* 1. *numer.* 8. idem latiùs proſequens *quæſt.* 5. Quare dixerunt ſepulturam eſſe locum concavum in Eccleſiaſtico cœmeterio, quo corpus catholici conquieſcit, Hoſtienſ. *in ſumm. titul. de ſepult. numer.* 1. Abbas *dict. rubr. numer. etiam* 1. Cardinal. *in Clement. Dudum, §. Hujuſmodi, numer.* 2. *eodem tit.* aliique relati per Sebaſtian. Medic. *d. qu.* 1. *numer.* 1.

Nihilominus contrarium verum eſt. Nam licèt an- 2
tiquitùs propter augmentum Chriſtianæ Religionis locus quidam Sacer a Sanctis Patribus extra Eccleſias conſtitutus fuiſſet, quem Cœmeterium appellarunt, ut teſtatur Nicolaus *in cap. ſicut antiquitùs* 17. *q.* 4. Deinde dignitatis ergo in atriis, porticibuſque Eccleſiarum humari cadavera, & poſtea in eiſdemmet Eccleſiis permiſſum eſt, *cap. Præcipiendum, & cap. Nullus* 13. *qu.* 2. Ideò ſi corpus alicujus Servi Dei ad tollendam peni-

tus

tus dubietatem contraventionis Decretorum, omnemque ansam suspicandi de amotione cultus illi præstiti inhumatum fuerit propè Capellam Valetudinariam, ubi Sacrosanctum Missiæ Sacrificium celebratur, dicetur collocatum in loco pio, sacro, & religioso, cùm locorum appellatione veniant non solùm Ecclesiæ, & Monasteria, sed etiam Oratoria, Hospitalia, & his similia juxta opinionem, quam pluribus firmat Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *qu.* 22. *punct.* 3. *num.* 3. ac ideò congruat laudabili consuetudini universalis Ecclesiæ ex allegatis a Sebastian. Medic. *d. tract. q.* 9. *num.* 3. absque ulla eminentia vel ornatu, sed in fovea subtus terram solis lateribus complanata, utique nihil exinde potest argui, quod sit contra formam Decretorum.

CONSULTATIO CXCII.

An testes, qui simpliciter dixerint contenta in articulo esse vera, eadem minimè specificando, nec recensendo quid unusquisque sciret de visu, & certa scientia propria, vel de auditu alieno, ac eorum plerique se generaliter retulerint ad alias dicta, & aliqui testati fuerint de publica voce, & fama super non specificè priùs individuatis, admitti debeant?

1 VIdetur negandum. Est enim contra formam mandati Apostolici ex Remissoria, ibi: *Non quidem relativè ad aliam eorum depositionem, vel scripturam ipsis forte lectam, vel ostensam, sed per extensum de verbo ad verbum, itaut sit nova depositio, &c. diligenter examinetis.* Atque adeò eorum depositiones sunt habendæ pro irritis ac nullis ad textum *in cap. Cum dilecta* 22. *in fin. de rescript.* ibi: *Propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti ac juris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem.* Et *cap. Venerabili* 37. *de offic. deleg.*: ibi. *Quia videlicet Abbas contra mandati nostri tenorem processit, &c.* Quare Jurisconsultus *in l. Eum* 8. *§. si præter, ff. de transact.* dixit: *Si non de omnibus inquisierit quæ oratio mandat, &c. quamvis de quibusdam quæsierit transactionem esse irritam*, Glossaque dicto verbo *Irritam* addit totum haberi pro irrito, cum aliquid de faciendis omittitur. Præterea nec de jure admittitur depositio testis asserentis contenta in articulo esse vera, cum dicta sint excipienda ac scribenda per extensum, ut docent Jacob. Ægig. *de testib. num.* 25. & Bertachin. *in repert. verb. Testes deponunt.*

2 Verumtamen adverto, quod Remissoria solùm dicit, quod scribantur dicta testium non relativè ad aliam depositionem vel scripturam illis lectam, sed per extensum. Ideòque non prohibet, quin testis respondeat; articulum esse verum, cum id de jure licitum sit, & talis responsio probet Soccin. *cons.* 56. *n.* 12. *lib.* 4. Bald. *cons.* 10. *num.* 6. *lib* 5. Cassad. *decis.* 3. *num.* 9. *de prob.* Greg. XV. *decis.* 578. *num.* 3. & ibi Add. qui alios allegant, Burat. *dec.* 817. *num.* 4. Rot. *dec.* 371. *n.* 1. *p.* 2. *& decis.* 96. *n.* 1. *to.* 2. *p.* 4. *& decis.* 424. *n.* 8. *to.* 2. *p.* 5. *rec.* Quam opinionem admittit etiam Farin. *de testib. q.* 80. *n.* 102. si testis reddat rationem sui dicti, per quam cessat inconveniens, quia intelligitur ex ratione, an deponat ex propria scientia, vel ex auditu, aut quoquomodo. Quod verò ad eos, qui se referunt ad alia a se dicta contra formam Remissoriæ, si tamen fuerint iterùm examinati, & deposuerint relativè ad primum examen, fateor nihil probare, sed non inde sequi invaliditas processus. Idem assero de iis, qui testati fuerint de publica voce, & fama super non specificè priùs individuatis.

CONSULTATIO CXCIII.

An Regulares in causa canonizationis possint testimonium perhibere, non obtenta a suis superioribus licentia?

1 NOn posse videtur respondendum. Quia ipsi sunt mortui Mundo, *l. Deo nobis, C. de Episcop. & Cler. §. Illud, & §. Si quis autem, auth. de monach. cap. Placuit.* 16. *q.* 1. Et per se carent velle ac nolle, sicque eorum voluntas in totum pendet a voluntate Superioris, *cap. si religiosus, & cap. Si Abbatem, de elect. in 6. c. fin. de sepult. eod. lib.* Ex quibus rectè negant absque ejus licentia posse ferre testimonium, sicque examini se subjicere Joan. Fab. *in §. Testes autem n.* 3. *Instit. de testib.* Felyn. *in cap. Cùm nuncius sub n.* 3. *de testib.* Sicard. *in l. Quoniam liberi n.* 1. *C. eod.* inquiens ita se habere communem praxim, & alii quoque testantes de communi, quos refert, ac sequitur Farinac. *de testib. quæst.* 61. *oppos.* 14. *num.* 130. Et Cavalcan. *eod. tract. p.* 4. *num.* 29.

Et quidem hac in quæstione anceps olim fui. Non 2
enim desunt rationes, quibus adstruitur hujusmodi depositionem non solùm esse illicitam, sed etiam nullam, sive Regularis coactus deponat, sive etiam sponte. Quia cùm examinatio testium sit pars processus, atque adeò actus jurisdictionis saltem ex delegatione, aut mandato, non potest valere, nisi habeat fundamentum in jurisdictione, *cap.* 1. *de for. compet.* & notat ibi Gemin. *n.* 3. Quod adeò verum est, ut si Notarius extra judicium minet testes sine mandato Judicis, & decreto, eorum depositio sit, ut tradunt Maranta *de ordin. judic. tit. de testib. produc. num.* 6. Maschard. *de probat. in præfat. l.* 1. *quæst.* 5. *num.* 23. & 89. & Chartar. *decis. crimin.* 86. *num.* 9.

Cùm ergo Episcopus nullam habeat jurisdictionem cir- 3
ca exemptos Regulares, exceptis casibus in jure & in specialibus Constitutionibus Pontificiis expressis, & per consequens Regulares nullam habeant subjectionem ad Episcopos, sequitur, quod Episcopi non possint circa ipsos Regulares exercere actus jurisdictionales, & si exerceant, nulli sunt defectu jurisdictionis, qui est defectus omnium maximus quoad annullationem actus, ut firmant Curt. *cons.* 69. *in fin.* Decian. *cons.* 38. *numer.* 7. & *cons.* 360. *numer.* 1. Paris. *cons.* 204. *numer.* 102. *lib.* 2. Men. *cons.* 1080. *n.* 1. Vantius *tit. de nullit. defect. jurisd. n.* 2. & *seq.* ac omnes Juris periti passim. Quod perspicuum est ex multis juribus, quæ adducunt. Unde dicta examinatio ac depositio erit nulla, utpotè non fundata in debita jurisdictione.

Nec sufficit, quod Regularis non coactè, sed sponte 4
deponat, quasi per hoc consentiat in jurisdictionem Episcopi. Quoniam cum non habeat facultatem consentiendi, nulliter consentiret, etiamsi expressum exhiberet consensum. Agitur enim de interesse sui Superioris, cui non potest præjudicare. Hinc nemo sine licentia sui Superioris, potest in Judicem non suum consentire, ut docent communiter Doctores per celebres textus *in c. Cùm tempore, de arbitr. & in c. significasti de for. com.* ibique Joan. And. Butr. Abb. & Soccin. ac prosequuntur Rodriquez. *tom.* 1. *q. regul. q.* 36. *art.* 1. *& to.* 2. *q.* 63. *art.* 10. & Tamburin. *de jur. Ab. to.* 1. *disp.* 15. *q.* 12. *n.* 3. qui alios centuriatim adducunt. Quod a fortiori militat in Religiosis, quia non habent proprium velle aut nolle.

Neque juvat, si dicatur, quod concesso uno, censen- 5
tur concessa etiam omnia, sine quibus non perveniunt ad ipsum *l.* 1. *ff. de jurisd. omn. Jud. & l. Ad rem mobilem, §. Qui Procurat. ff. de procur.* Et proinde cum Episcopus habeat facultatem procedendi judicialiter, habebit etiam facultatem examinandi quoscunque, quorum examen sit necessarium pro terminanda illa causa.

Nam respondetur, quod censentur concessa sine præ- 6
judicio alterius, & ideò censetur concessum Judici posse examinare exemptos, sed cum licentia suorum Superiorum. Alioquin dicendum esset, quod posset in alieno territorio exercere jurisdictionem, quando hoc esset necessarium ad complementum judicii, ut citare, condemnare, & alios ejusmodi actus jurisdictionales.

In his principiis omnes consentire videntur. Attamen 7
ego verius existimo, quod ejusmodi licentiæ defectus nedum non annullat processum sed neque Religiosorum examen. Quia regulariter possunt examinari sine licentia juxta veriorem sententiam, quam probarunt Abb. *in c. Cùm nuncius n.* 4. ibique Aretin testans ita communiter servari in praxi n. 11. Felin. *n.* 13. *de testib.* Idem Abb. *in c.* 1. *n.* 17. *de juram. calumn.* cum aliis allegatis per Farinac. *de testib. q.* 61. *opus.* 14. *n.* 124. & 134. præsertim in causa pia, & de jure canonico, ut ibidem n. 127. & 129. in Superioribus, & Religiosis ejusdem monasterii, Rot. *in relat. S. Franciscæ Romanæ p.* 1. *ar.* 7. *§. fin. & S. Theresiæ p.* 3. *rubr. de mirac. art.* 2. Unde quod in causa Canonizationis hujusmodi licentia ex quadam concedentia ordinis regularis in dubio præsumitur, Aretin. *ind. c. Cùm nuncius n.* 13. Silvan. *cons.* 56. *n.* 17. *& seqq.* Guidop. *dec.* 517. traditque Contelor. *de Canoniz. c.* 28. *n.* 8. Rot. *in dd. relat. S. Franciscæ Rom. & S. Theresiæ locis adductis.*

Attamen hac in re cautio desideranda. Lucius Cassius, 8
Prætor, is, cujus tribunal propter nimiam severitatem apud Valer. Max. *l.* 3. *c.* 7. scopulus reorum dicebatur, quemque populus Romanus verissimum, & sapientissimum Judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset. Sic enim vitam hominum esse sciebat ut ad maleficium nemo conetur sine spe, atq; emolumento accedere.

Quod ille in malefic orum inquisitione, idem ego cre- 9
derem in exploratione testium observandum, scilicet *cum sint præmia falsi nulla, ratam debet testis habere fidem.* Quod ergo Imperator Hadrianus in re gravi, sed non perinde gravi, ut hæc ista, rescripsit: *Testibus se, non testimoniis creditorum, l.* 3. *§.* 2. & 3. *ff. de test.* idem hic

faciendum ſtatuo, memor temporis, in quod hæc incidunt, non illius eruditi, & omne quod fieri non poteſt reſpuentis, de quo Auguſtinus alicubi *l. 22. de Civit. Dei cap. 8. in princ.*

CONSULTATIO CXCIV.

An in cauſa Canonizationis ſint idonei teſtes religioſi ejuſdem Religionis, ſive Communitatis?

1 NEgandum videtur. Quoniam teſtes ejuſdem Univerſitatis non admittuntur in cauſa ardua, qualis eſt, ubi agitur de dignitate, Bald. *in cap. Cùm nuncius num. 1.* & Felin. *in cap. Inſuper n. 5. de teſtib.* Pariſ. *conſ. 138. n. 24. vol. 7.* Urſill. ad Afflict. *dec. 400. n. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 106. n. 11.* Farinac. *de teſtib. qu. 60. num. 521.* Caval. *dec. 143. n. 3.* Buratt. *deciſ. 53. n. 2.* Rot. *dec. 304. n. 11. poſt 2. vol. conſ. Farin.* Adde præſertim, quod moveri poterint ad ita deponendum ex affectione, quæ colunt memoriam Correligioſi, deſiderio conſequendi plura commoda ex illius Beatificatione. Ex quibus negant teſtes Univerſitatis integros eſſe, Butr. *d. cap. Cùm nuncius n. 33.* Abb. *d. cap. Inſuper n. 2.* ibique Decian. *num. 7. de teſtib.* & alii, quos cumulat Farinac. *d. qu. 60. num. 536.* teſtans de magis communi num. 538.

2 Nihilominus aſſerendum eſt. Ea, quæ dicta ſunt non concernere validitatem proceſſus, neque officere probationi. Quia quoad affectionem, ea purgatur per juramentum. Bald. *in d. c. Cùm nuncius*, & *in d. cap. Inſuper n. 5.* ac Felin. *n. 1. de teſtib.* Contelor. *c. 18. n. 7. de Canoniz.* ac Rot. *in relat. S. Tereſiæ art. 2.* Et quod ad intereſſe, illud non excludit teſtes Univerſitatis, niſi agatur de proprio ſingulorum ad textum *in d. cap. Inſuper*, ubi etiam Felin. num. 1. cum aliis allegatis per Farinac. *qu. 60. n. 456.* & *ſeqq.* Contelor. *d. cap. 18. n. 5.* & *6.* Gregor. XV. *deciſ. 340. n. 2.* & *ſeqq.* Rot. *deciſ. 290. n. 14. p. 5.* & *deciſ. 258. n. 16. p. 7. rec.* Agunt enim tantummodo de honore totius Ordinis, immò, & univerſæ Eccleſiæ, ut in puncto conſideravit Rot. *in relat. S. Andreæ Corſini p. 5. §. 2.* & aliàs ſæpè.

4 Præſertim ſi reddant rationem, Rota *dec. 144. n. 10. p. 4. div.* Et ſi ſint multi, & adminiculati dicto aliorum, ut firmat Rot. apud Gregor. XV. *deciſ. 340. n. 5.* & *ſeqq.* Buratt. *dec. 314. n. 5.* ibique Add. & *dec. 290. n. 13. p. 5. rec.* Ac quando agitur de geſtis in Monaſterio, & de perſonis degentibus intra clauſtra, ut in monialibus, ubi alii non interveniunt, ut per adductos a Farinac. *d. qu. 60. n. 539.* & *464.* Contelor. *d. c. 18. num. 4.* Rot. *in relat. S. Franciſcæ Romanæ rubric. de mirac. in vita ſub §. Quia ulterius*, S. Hiacynthi *rubric. de mirac.* & B. Ludovici Bertrandi *in miraculo multiplicationis panis*. Et attento numero ipſorum, ac ſuppletione ex dicto aliorum, intereſſe non habentium, ut per eundem Farinac. loco allegato num. 540. & 541.

4 Quod amplius confirmatur. Qui ſunt de Univerſitate poſſunt eſſe teſtes quoad ea, quæ concernunt Univerſitatem, etiam quando ex eorum depoſitione reſultat commodum Univerſitati, licet in conſequentiam ad ipſos quoque tale commodum perveniat, ut tradunt Decius *conſ. 342.* teſtans de communi Vivius *com. opin. 293. l. 2.* Petr. de Ben. *dec. 70. in fine*, aſſerens ita fuiſſe judicatum a Rota Bononienſi, Nell. a S. Gemin. *de teſtib. p. 1. n. 13.* Caſtr. *in l. ſed ſi hac §. Qui manumittitur, ff. de in jus voc.* Bartol. ibidem Bald. *in l. Si municipes, ff. quod cujuſque univ.* Angel. ibidem. Firmantque Cyn. *in l. Parentes, Cod. de teſtib.* Salycet. ibidem. Nec diſſentit Innoc. *d. cap. Cùm nuncius*, & *in cap. Inſuper de teſtib.* Sequiturque Aretin. *in §. Univerſitatis, Inſtit. de rer. diviſ.* ac concinit Franc. Curt. *de teſtib. concluſ. 3. n. 11.* Alberic. de Malet. *eod. tract. cap. 4. num. 71.* Lanfranc. *de Oran. eodem argum. n. 73.* Specul. *in d. cap. Cùm nuncius*, Aufrer. *de teſtib. num. 91.* aliique communiter cum Gloſs. Canonica ibidem, ac civili *in leg. Tantum, §. Univerſitatis, ff. de rer. diviſ.* & *in l. Idonei, ff. de teſtib.* & *in §. Cogitandum, auth. de monach.* & *in l. ſi municipes*, ſuperius adducta.

5 Ratio eſt, quia cauſa Univerſitatis non eſt cauſa ſingulorum communitatis, eadem *l. ſi municipes*, & *l. ſicut, §. 1. ff. Quod cujuſque univ.* Et ideò non debent qui ſunt de Univerſitate repelli a teſtificando, quaſi pro cauſa propria teſtificaturi ſint. Nam, ut ait Gloſs. *in dict. c. Nuncius, v. Repellendi: Qui dicit teſtimonium pro communitate, pro nullo de communitate dicit*, atque adeò nec pro ſe.

6 Unde admiſſo, quod teſtis idoneus ſit ille, cui nihil objici poſſit, non poteſt objici, quod quis ſit de Univerſitate, aut de monaſterio, de cujus intereſſe agitur. Nam non poteſt objici, quod de jure non objicitur. Non objicitur autem teſti, quod ſit de univerſitate, aut de Monaſterio. Quia hoc non obſtante jus decernit, quod poſſint teſtificari, & ideò non poſſunt ex hoc capite repelli, ſi aliàs ſint idonei. Neque eſt veriſimile, quod quis propter jura Univerſitatis, aut Monaſterii conſervanda pejerare velit, cùm ſoleat negligi, quod communiter poſſidetur, *l. 2. C. quando & quib. quar. par.* Advertit nihilominus Rota in relatione S. Andreæ Corſini §. 2. liberum eſſe Judici propter præſumptam affectionem, vel circumſtantias facti aliquid minus tribuere illorum depoſitioni, ſicut dicitur de teſtibus in cauſa ſuæ Univerſitatis, qui propter præſumptam illorum affectionem minus probant, Dec. *in cap. Inſuper n. 7. de teſtib.* Cravett. *de antiq. temp. p. 1. verſ. quod in libro n. 18.* Menoch. *de deb. caſ. 106. in princip.* & *n. 9.* Afflict. *dec. 400. n. 4.*

CONSULTATIO CXCV.

An literæ Remiſſoriales debeant præſentari omnibus, quibus directæ ſunt?

AFfirmativè videtur reſpondendum. Non enim clauſula literis expreſſa: *Ut vos vel ad minus duo ex vobis, &c. procedentes, &c.* reſpicit actum exhibitionis literarum faciendæ ſingulis, quibus nominatim directæ ſunt, vel ulteriorem proceſſum poſteà peragendum, cùm reſcriptum firmans juriſdictionem non dicatur de proceſſu, niſi poſt illius præſentationem ex traditis a Ludovico Gomez *in c. 1. n. 22. cum ſeqq. de reſcript.* Ea ratione, quia ubi non eſt judicium, non eſt proceſſus: judicium verò incipit a prima citatione, quæ fit poſt exhibitionem reſcripti, ſeu libelli, *§. fin. inſtitut. de pœn. tem. lit. G.* Nimirum ſi dictum participium *Procedentes* verificabile ſolùm eſt poſt completum actum præſentationis literarum continentium reſcriptum tribuens juriſdictionem Judicibus remiſſorialibus. Quare etiam Rebuff. *de nominat. q. ult. n. 2.* dixit poſt citationem non circumductam, ac litis conteſtationem, & non antea quem dici poſitum in Reſcripto. 1

Nihilominus hoc duplici ratione diluitur. Prima, quia in corpore ſingularium Remiſſorialium adeſt: *ut vos, vel ad minus duo ex vobis conjunctim ac ſimul vice noſtra procedentes, &c.* Virtute enim hujuſmodi clauſulæ *coram duobus* nedum ad exequutionem literarum procedi ſed etiam literæ ipſæ præſentari, negotiumque ritè ac rectè inchoari poterit, *c. Cùm plures de offic. deleg. in 6.* ibique docet Gloſs. *v. Inchoante*, inquiens Decretalem illam locum habere etiam dum negotium inchoatur. Idem firmat Jo: And. loquens de præſentatione reſcripti ſub num. 2. Archid. num. 1. Gemin. num. 8. & Franch. num. 3. Adſtipulatur Abb. *in c. Prudentiam 21. n. 3.* ac Bellam. *n. 5. de offic. deleg.* 2

Altera, quia ſententia oppoſita non procedit, quando exhibentur atteſtationes ſuper recuſationibus aliorum Conjudicum non comparentium. Nam ſi quatenus etiam ageretur de clauſula, *quod ſi non omnes*, de qua *in cap. Sciſcitatus 13. de reſcript.* & *in d. c. Prudentiam 21. de offic. deleg.* docto de recuſatione, vel impotentia aliorum, cæteris præſentari poterint juxta declarationem Gloſs. *in dict. cap. Cùm plures, v. Forma eod. tit. in 6.* Quod proſequitur Vant. *de null. ex def. juriſd. ordin. n. 279.* & *ſeqq.* Sanè multò magis id fieri poterit in vim clauſulæ, *ut vos, vel ad minus duo ex vobis, &c.* 3

Atque ita ceſſat obligatio, quod iſta clauſula reſpiciat proceſſum inchoandum poſt præſentationem literarum, ac addo, quod nedum reſpiciat ulteriorem proceſſum, ſed etiam illius initium, ſicque præſentationem reſcripti, ſeu literarum, quia de jure dicitur de proceſſu. Primò, ex ſententia Speculatoris *tit. de reſcript. per ſent. in princ. n. 5.* dicentis præſentationem reſcripti eſſe de proceſſu, ideòque per manum publicam redigendam in acta unà cum ipſo reſcripto. Id quod clariùs expreſſit Bald. *in c. Conſuluit 24. n. 14. de offic. deleg.* dicens nomine proceſſus totum contineri, hoc eſt proceſſum partium, & proceſſum Judicis, ac *in rubr. de jus voc. n. 2.* quod ſola libelli, ſeu reſcripti productio, atque receptio, quantum ad Judicem, eſt de proceſſu, licèt quoad partem non ſit de proceſſu, niſi poſtquam fuerit citata. Unde etiam Bartholom. Socc. ibi num. 3. & Marian. Socc. *in c. 1. n. 148. de libel. oblat.* inferunt judicium quoad Judicem incœptum dici per ſolam libelli oblationem. 4

Secundò, ſi ex d. Martini de Fano, quod approbat Speculator *tit. de Judic. deleg. §. reſtat n. 2.* & Jo: And. *ibi in addit. lit. E. v. Natura, verſ. Ex vi clauſulæ*, quando cauſa commiſſa eſt tribus, & unus eorum tempore commiſſionis non erat in rerum natura, ea valet quoad alios duos, ſive dicatur, ſive ſubintelligatur clauſula. *Quando ſi non omnes, &c.* Concinit Bald. *in d. cap. Prudentiam* 5

tiam n. 1. de offic. deleg. a fortiori ſanè id procedit quando adeſt clauſula, *ut vos vel ad minus duo ex vobis*, de qua *in d. cap. Cùm plures.*

6 Tertiò, ex limitatione regulæ ſtatutæ *in c. Uno, de offic. deleg.* quod ſcilicet poteſtas plurium delegatorum ſimpliciter expediret per mortem unius, ut minimè procedat, ſi in reſcripto adſit clauſula. *Quod ſi non omnes &c.* Fortiùs verò ſi adſit clauſula, *ut omnes, aut duo, &c.* Quod *in d. c. 1. v. Delegatorum* præ aliis notant Jo: Andr. n. 7. Cardin. *n. 1. q. 7.* & Imol. n. 5. Nam ſi vigore clauſulæ. *Quod ſi non omnes, &c.* mandatum Apoſtolicum tribus directum non expirat morte unius, ſed ſuſtinetur in ſuperſtitibus æquè ac ſi illi tantùm fuiſſent delegati, pari, immò majori ratione in his proceſſibus id operatur clauſula, *ut vos, vel ad minus duo ex vobis*, præſertim ubi doctum fuerit de recuſatione, vel impotentia aliorum.

7 Quartò, quia in formulario terminorum ſecundùm ſtylum Romanæ Curiæ impreſſo Romæ anno 158.. *pag. 7. rub. principium Regiſtri coram Commiſſario vigore literarum Apoſtolicarum* inter alia leguntur hæc verba: *Quas quidem literas Apoſtolicas idem D. N. principalis Reverendiſs. in Chriſto patri, & D. N. D. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo N. alteri ex Judicibus Apoſtolicis deſcripto, & nominato per præfatum D. N. Papam authoritate Apoſtolica cum illa clauſula quod vos, vel duo, aut unus veſtrum ſpecialiter deputato humiliter exhibuit, atque præſentavit.* Unde liquet praxim Curiæ admittere, quod ſtante dicta clauſula non ſit neceſſarium literas omnibus præſentare.

CONSULTATIO CXCVI.

An Urbanus VIII. in decretis ſuper non cultu voluerit dictionibus illis ſtatim, & omninò *aliiſque tollere facultatem deducendi jura, quæ habent nonnulli, ſe verſari in caſibus exceptis, vel alia de cauſa ſe non teneri ad amotionem cultus?*

1 REſpondetur negativè. Liquet ex eadem Conſtitutione *pag.* 12. illis verbis *Deque his, atque infraſcriptis omnibus, quæ in his decretis diſpoſita, & ordinata ſunt aliqua ſuboriente difficultate, Ordinariis locorum, & Delegatis Apoſtolicis quibuslibet omnem interpretandi facultatem ademimus, utique Seaem Apoſtolicam deſuper conſulerent, ab eaque reſponſum expectarent mandavimus eiſdem, &c.* Ex quibus clarè patet, quod fuit tantùm adempta facultas Ordinariis, & Legatis Apoſtolicis interpretandi, non autem parti jura deducendi. Nec hujuſmodi verba aliam interpretationem recipere poſſunt, cùm nunquam præſumatur Principem in ſuis Conſtitutionibus tollere jura tertii, *cap. ſuper eo, de offic. deleg.* Felin. *in cap. Cauſam, quæ num. 19. de reſcript.* Jaſ. *in l. 1. num. 21. ff. de Conſtit.* & alii relati a Rota, ſeu illius Adden. *ad dec. 666. num. 20.* cum pluribus ſeqq. *p. 4. tom. 3. rec.*

CONSULTATIO CXCVII.

An in cauſa Canonizationis poſſit quis eſſe Procurator, & teſtis?

1 NEgativè. Nemo enim in eadem cauſa poteſt eſſe principalis, & teſtis, ut neque Procurator, & teſtis ex congeſtis a Farin. *de teſtib. illat. 5. q. 60. num. 196.* Verùm ſi fuerit examinatus negari non poteſt, quin faciat ſaltem indicium, quodque cum aliis ſit conjungendus ad conſtituendam plenam probationem. Idem Farinac. *qu. 52. limit. 11. n. 261. cum ſeqq.*

CONSULTATIO CXCVIII.

An celebratio Miſſæ ſolemnis de Sanctiſſima Trinitate in gratiarum actionem ob aliquem prædefunctum cum fama Sanctitatis a Deo Eccleſiæ ſuæ elargitum, ac oratio panegyrica, quæ in ejus obitus die habetur, arguat aliquod genus venerationis, aut cultus?

1 REſpondetur non arguere. Quia Miſſa non celebratur in honorem Servi Dei, de qua tantùm loquitur Scacch. *de ſign. Sanct. ſect. 1. c. 8. lit. B.* ſed in honorem Sanctiſs. Trinitatis in gratiarum actionem. Quod ſicut licet pro quacunque alia gratia, vel beneficio accepto, ita etiam licere debet in hoc caſu, ut plenè Molfeſ. *conſ. 45. n. 49. & ſeqq.*

2 Et ita video practicari in ipſa Urbe in memoriam Pii V. nec immeritò. Quia non eſt credendum eſſe in Purgatorio, & indigere ſuffragiis Eccleſiæ illas animas, quas Sedes Apoſtolica præviis debitis diligentiis, & informationibus piè credit in Cœlum introductas, & per proceſſuum compilationem, quam pro ſua authoritate jam fieri mandavit, ſperat poſſe Sanctos declarari, & tanquam tales publicè coli.

Præter quod dici etiam poteſt, hanc Miſſæ celebra- 3
tionem non eſſe prohibitam per Decreta, quæ diſponunt tantùm de remotione Imaginum cum laureolis, vel radiis tabellarum, votorum, lampadarum, donariorum, & ſimilium, ſub quibus non poteſt comprehendi hujuſmodi Miſſa, attenta præſertim verborum adhibitorum ſignificatione, ſcilicet *non apponantur, amoveantur, vetuit appendi.* Quæ nullo modo congruè referri poſſunt ad Miſſæ celebrationem.

Nihilominus ad abundatiorem cautelam, ut eviten- 4
tur ſuper hoc diſputationes, atque ambages moneo, quod ab hac celebratione ceſſetur.

Idem eſto Judicium de oratione panegyrica. Nam non eſt prohibita in anniverſario cujuſcunque defuncti ac laudabilis viri. Quodque in honorem ſervorum Dei non canonizatorum liceat præclara ipſorum geſta ſcribere atque orationibus explicare variis exemplis fusè ac eruditè firmat Molfeſ. *d. conſ. 45. n. 51. & ſeq.*

CONSULTATIO CXCIX.

An etiam in cauſis Canonizationis Sanctorum exequutio Remiſſoriæ ſit legitima, quando forma illius non eſt ſervata in reſcribendo, quanta fides teſtibus, & juribus compulſatis ſit adhibenda, prout in literis remiſſorialibus ordinatum fuerat?

NEgativè reſpondendum eſt. Ita ex *cap. Cum dile-* 1
cta, ubi Doct. *de reſcript. & cap. Prudentiam*, ubi Abb. *n. 13.* & Dec. *n. 71. de offic. Deleg.*

Nec obſtat, quod ad validitatem proceſſus non per- 2
tineat omiſſio voti Judicum remiſſorialium, cùm de voto illorum non ſit judicandum, ſed ſecundùm formam proceſſus. Nam fruſtra in literis remiſſorialibus id ordinaretur, ſi non eſſet obſervandum. Et propterea cùm hoc fuerit expreſsè Judicibus mandatum, parere tenentur, ut tradit Salyc. *in auth. Apud eloquentiſſimum, Cod. de fid. Inſtrum.* quem ſequitur Sevarol. *de remiſſ. c. 38. num. 2.*

Quare licet Rota non teneatur judicare juxta vo- 3
tum Judicum: tamen ex hoc non ſequitur, quod forma data in literis remiſſorialibus non ſit ſervanda circa præſtationem talis voti, quod optima ratione requiritur. Quia examinator debet conſiderare vacillationem teſtium, ruborem, ceteraſque illorum qualitates, ac illas intimare Judici habenti judicare juxta Doctores *in cap. Quoniam contra*, ubi præſertim Deus *n. 217. & ſeqq. de probat.* & tradit Panuin. *de poteſt. Cap. Sed vac. qu. 10. p. 1. princip. n. 10.* Sevarol. *d. cap. 38. num. 2.* poſt Specul. *de teſtib. §. Nunc tractandum num 3.* & 4. ubi *n. 5.* aſſerit, quod is, qui teſtes, & inſtrumenta de mandato alterius recipit, debet reſcribere cujus authoritatis, cujus famæ, cujuſque conditionis ſint, deque aliis circumſtantiis monere, ac in actis inſerere quanta eis ſit fides adhibenda. Et *n. 6.* inquit, quod ad officium Receptoris teſtium pertinet diſcernere quanta ſit fides teſtibus præſtanda, idque Judici reſcribere.

Verùm quidem eſt juxta Specul. *ibidem*, quod ſi Ju- 4
dex hoc omiſerit, nihilominus poſt factam remiſſionem atteſtationum, hoc facere tenetur ad mandatum Judicis, ſive Superioris, cujus mandato teſtes recipit, non tamen proprio motu. Atque ita dicit ipſum fieri mandaſſe dum eſſet Tuſciæ in cauſa, quæ agitabatur inter Archiepiſcopum Ravennatenſem, & commune Forolivii, ac ſubdit, quod creditur fortè examinatori quoad hoc, etiam ſi ſolus ſit, propter mandatum ei factum, quia creditur in facto ſibi commiſſo. Item tradit *in tit. de Remiſſ. §. 5. n. 7.* Quod etiam diſtinguit Sevarol. *d. cap. 38. n. 3.*

Cùm igitur Judices remiſſoriales hanc declarationem non fecerint prout tenentur juxta formam præſcriptam in literis, vel teſtes, & jura fidem non merentur, vel ſaltem proceſſus eſt remittendus ad eoſdem, ut hujuſmodi declarationem faciant ex doctrina Speculatoris ſuper relata, & tamen loquitur in caſu, quo non fuerat ejuſdem declaratio in literis commiſſa.

Circa verò jura extrahenda ab Archiviis debent exa- 5
minari teſtes ſuper illorum legalitate, ac ſcripturarum recognitione ex illis extractarum, atque etiam conſtare quod concurrant ea, de quibus per Caputaqu. *dec. 41.* & *42. p. 1.* & Rota *dec. 135. n. 8. part. 1. rec.* & ſæpè alibi.

CON

CONSULTATIO CC.

Quomodo negativa cultus probetur?

1 NEgativa cultus universaliter, & ubique locorum coarctatur depositionibus testium per impossibilitatem illius existentiæ, nedum in loco, ubi requievit corpus prædefuncti cum fama sanctitatis, sed etiam extra illum, ubique locorum, dicendo aliter esse non posse, quia si secus esset ipsi testes tanquam bene informati sciviissent, vel audiviissent juxta praxim probandi negativam universalem, traditam a Bald. *in l.* 1. *n.* 7. quam Castr. pulchram, & elegantem appellat *C. de bonor. possess.* ac sequitur Decius *in cap. Tertio loco num.* 4. *de probat. & cons.* 534. *num.* 10. Angel. *in §. Hinc nobis num.* 37. *auth. de hæred. & falcid.* Alex. *consil.* 108. *n.* 10. *vol.* 2. *& cons.* 43. *num.* 18. *vol.* 4. Ruin. *cons.* 164. *n.* 7. *vol.* 4. Pacian. asserens communem *de prob. lib.* 1. *c.* 40. *n.* 15. *& seqq.*

2 Maximè quando testes sua dicta comprobant de publica voce, & fama, per quam optimè probari negativam universalem non coarctatam certis locis tradit Herculanus *de negat. n.* 209. Quia cùm negativa non coarctata certo loco, & tempore sit difficilis probationis, admittitur illius probatio per publicam vocem, & famam juxta Bart. *in l. De minore, §. Plurimum, n.* 25. *ff. de quæst.* dicentem famam probari posse negativè, & Bald. *in l.* 1. *n.* 10. *qu.* 5. *C. de testam.* ubi notat, quod communis opinio potest æquè probari in negativa, sicut in affirmativa. Quia fama indifferenter, & æquè capax est negativæ sicut affirmativæ. Quod repetit *in l. Cùm quidam, §. Quod dicitur in* 3. *notab.* ibique Angel. *n.* 4. & Castr. *n.* 8. *ff. de acquir. hæred.* ac tradit Pacian. *d. lib.* 1. *c.* 49. *n.* 5. cum pluribus seqq.

CONSULTATIO CCI.

An ex sola fide Ordinarii, qua testatur de non cultu cujuspiam servi Dei concedenda sit Remissoria in genere?

1 REspondendum existimo negativè. Nam non videtur satisfactum decreto Urbani VIII. requirenti, quod Ordinarius super non cultu juridicas susciplat probationes, & diligenti præhabita disquisitione ritè pronunciet; Decreto nullatenus contraventum esse, quodque ulterius ex processu seorsim transmittendo S. Congregationi constet Ordinarium ritè, ac rectè agnovisse atque pronunciasse.

Tum quia Ordinarius non per seipsum, sed ex juridicis probationibus procedere debet. Unde, ut juridicæ probationes desuper suspiciantur, erunt examinandi testes, citato Subpromotore fidei in partibus deputando, cùm hodie ex decretis Urbani VIII. & S. Congregationis judicialiter in hujusmodi causis procedatur.

2 Rursus, quia cùm debeat ulterius, præmissa diligenti discussione hujusmodi probationum, Ordinarius ritè pronunciare, decreto non esse contraventum, hoc non potest dici adimpletum, quando non est facta præmissa diligens disquisitio probationum, & deficit pronunciatio ritè facta, & sit judicialiter, citato Subpromotore, qui posset suas diligentias facere, & quæ sibi viderentur opponere.

3 Item quia deficit etiam processus sejunctus earundem probationum, ex quo Sacr. Congregatio videre possit, an Ordinarius ritè rectèque processerit. Quare cùm forma dicti Decreti non fuerit aliquo modo servata, nulla ratio dictæ fidei haberi potest. Ad destruendum enim quemlibet actum defectus formæ etiam in minima parte sufficit, Bald. *in l. Julianus, §. Si quis, ff. ad exhib.* Mohed. *dec.* 17. *de cauf. possess. & propr.* cum allegatis per Mant. *lib.* 2. *tit.* 4. *sub num.* 34. Debeatque forma præcisè observari, ut per Alex. qui concordantes adducit *l.* 1. *n.* 8. *ff. de lib. & posthum.* ac Rot. cor. Gregor. XV. *dec.* 518. *n.* 3.

4 Nec obstat, quod ex dicta fide habeatur effectus d. Decreti, qui est probatio non existentiæ cultus: defectus autem formæ ad certum finem requisitæ non obstat quando effectus ille obtinetur. Quia negatur, quod finis iste habeatur ex minus perfecta probatione eorum, quæ in dicta fide continentur, cùm probationibus inferioribus S. Congregatio non confiderit, sed desideraverit formalem probationem Ordinarii, & ulterius requisiverit etiam processum in Sacr. Congregatione discutiendum.

5 Et nihilominus, quando etiam huic fidei esset standum, illa non suffragaretur, quia possunt simul esse quod ante sepulchrum extarent lampades, & retinerentur Votivæ tabellæ, illæque eo temporis momento, quo facta est visitatio, vel paulò ante fuerint amotæ, ne viderentur ab Ordinario, & posteà vel fortè repositæ, ita ut fides veritatem contineat, & tamen decreto non sit satisfactum, de quo melius constitisset ex depositionibus testium cum debitis interrogatoriis examinatorum. Quia ipsi magis perfectè de eodem actu permanente fidem facere possunt, deponendo, an permissa unquam extiterint, & a quando tempore fuerint amota, quove recondita. Unde cùm nec præcisè, nec æquipollenter satisfiat dictæ formæ, illius defectus semper obstare debet, donec perfectè adimpleatur.

CONSULTATIO CCII.

An inquisitio generalis in materia Canonizationis aliquo in casu omitti possit?

1 NEgandum est. Quia decreta Urbani VIII. *pag.* 50. *§. Et propterea* statuunt, quod *nunquam debeat* omitti inquisitio in genere. Unde inferunt advertendum esse *quod non priùs conceditur commissio Inquisitionis specialis, quàm sit absoluta omninò Inquisitio in genere.* Id quod habetur ex antiqua praxi Ecclesiæ *cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanct.* ab Host. num. 5. Joan. Andr. num. 3. Butr. num. 4. Cassan. *in Catal. glor. mund.* 3. *p.* 3. *cons.* 50. Malvet. *de Canonizat. Sanctor. dub.* 4. *num.* 11. *tom.* 14. Castell. *eod. tract. q.* 8. *ar.* 1. ac repetita in Rituali Romano edito sub Leone X. quam pariter eadem decreta servari mandant *pag.* 18. *§. In processibus.* Debet itaque ex authoritate Apostolica præcedere dicta Inquisitio sumpta in genere.

2 Etenim decretum utens dictione *Nunquam*, quæ *tanquam*, *C. de postul.* Vulpel. *de præpos. ejusd. dict. pag.* 67. *n.* 3. & Barbos. *dict.* 241. *n.* 1. junctoque verbo *Debeat* reddit actum contrarium impossibilem de jure, Albertin. *in repet. cap. Quoniam q.* 5. *n.* 8. *de hæret. in* 6. Roland. *cons.* 2. *n.* 40. *vol.* 4. Rebuff. *de decim. quæst.* 10. *n.* 29. Gratian. *dec. Marchiæ* 51. *n.* 7. Atque adeò nullo modo poterit eidem decreto dici satisfactum per æquipollens, de quo idem judicium fieri valeat. Non enim poterunt loco inquisitionis generalis inservire processus antea confecti authoritate Ordinaria, si rectè consideretur, Ecclesiæ praxim exegisse duo contradistincta inter se, nempè denunciationem facti, quæ Romano Pontifici fiat a personis authenticis priusquam ponat causam inter Fratres, Inquisitionemque generalem de illorum consilio committat, ac subsequentem positionem facti ita denunciati inter Fratres gratia committendi viris consultis, ut Apostolica authoritate fiat Inquisitio in genere super fama tantùm, & non in specie juxta relata ab Host. *d. c.* 1. *num.* 3. cæterisque scribentibus in materia Canonizationis.

3 Nam dicti processus Ordinarii supplent duntaxat primum requisitum denunciationis facti explicandum a personis authenticis, non autem a quibuslibet. Tum quia nomen personæ authenticæ convenit Ordinario loci, qui præest jurisdictioni secundùm Glos. *in cap. Ut circa* 4. *de elect. in* 6. Tum quia Doctores loquuntur de facto authorato, qui æquipollere nomen authentici asseruit ex Budæo Rebuff. *in Constit. Regn. tom.* 1. *tract. de litig. oblig. art.* 1. *glos.* 7. *sub n.* 1. non autem de facto simplici, quod proindè solùm congruit Ordinariis habentibus jurisdictionalem authoritatem in locis, quibus præsunt, ideòque non possunt supplere secundum requisitum Commissionis emanandæ a Sede Apostolica primo loco super Inquisitione generali, & hac peracta postmodum super speciali.

4 Neque ad hoc satis videtur assertio Contelor. *de Canon. sanct. c.* 23. *n.* 6. quod processus in genere non sit necessarius, ubi notorium, & publicum est, illum de cujus canonizatione tractatur, objisse cum fama sanctitatis, & multis coruscasse miraculis. Nam cùm loquamur de notorio facti, intelligendus profectò est de concludenter probato ex circumstantiis loci, temporis, & aliis, quod scilicet ita factum fuerit. Quippè Baldus *in l. Ea quidem* 7. *n.* 45. *C. de accusat.* censet impossibile esse tale notorium probari, nisi concludenter ex illis probetur ipsum factum. Quia nemo censetur quid scire, nisi per veras causas illud cognoscat. Immò, ut idem ait Bald. *l. Cives* 11. *num.* 6. *C. de appell.* notorium facti nequit probari sine visu, si præsens sit, vel sine authentica scriptura, si præteritum. Quia memoria abstracta, & a visu amota non facit rem notoriam. Et hac de causa quodlibet notorium indiget formali probatione, nisi sit notorium facti permanentis, vel præsentis, quod per visum omnibus pateat sola inspectione secundùm animadversionem Baldi *in l. Emptorem n.* 1. *ff. de act. empt.*

Inve-

Inverisimilis quidem erit talis notorietas hoc casu, cùm agatur de probanda fama sanctitatis vitæ, ac miraculorum ex facti circumstantiis de præterito, quæ tunc non erant oculis videntium subjecta, sed soli memoriæ insita. Quæ Bald. *in cap. Tuæ sub n.* 1. *de cohab. Cler.* Rectè negat esse notoria, quia non subjacent visui, atque perfecta notitia rerum capiendarum intellectu notorium facit. Ideòque indigent formali probatione ex scripturis authenticis, in quantum defectum non potest subasserto prætextu notorietatis omitti inquisitio facienda super fama in genere ex speciali rescripto Sedis Apostolicæ. Maximè quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, *cap. Consuluit il* 1. *de appell.* Dec. *in cap. Cùm non ab homine* 74. *de Judic. & cons.* 606. *n.* 13. ubi post medium subdit, minimè standum esse dicto Imperatoris, attestantis factum esse notorium.

5 Hinc animadvertendum est ex praxi superiùs adducta non pervenirt ad Commissionem dictæ Inquisitionis generalis, nisi, ultra denunciationem facti habitam a personis authenticis, sicque facti authorati, non simplicis, præcedat fama continuationis, & crebrescentiæ miraculorum, quam Host. *d. cap.* 1. *n.* 3. *in fin. de reliq. & vener. sanct.* cæterique Doctores inquiunt attendendam esse a Romano Pontifice, antequam dictam Inquisitionem committat. Unde liquet solam allegationem notoriis non sufficere ad illius omissionem, cùm notorium, & fama provocent, non extrudant Inquisitionem, teste Bald. *in præcit. l. Ea quidem n.* 35. *C. de accus.*

6 Non propterea negamus validitatem Processuum, si deventum fuerit ad inquisitionem specialem non præmissa generali ex commissione Sanctissimi dispensativa a constructione processus in genere, cujus vigore per Sac. Rituum Congregationem tutò relaxatæ sint literæ remissoriales super Inquisitione speciali, omissa generali, sique prius eadem S. Congregatio ex processibus authoritate Ordinaria peractis, ac maturè discussis censuerit haberi omnia, quæ in Inquisitione generali desiderantur, ideòque illi æquipollenter satisfactum fuisse decreverit, decernendo posse, si Sanctissimo videretur, ad specialem per novas probationes deveniri, ut fuit resolutum in relationibus S. Caroli *rubr.* 8. *& S. Ignatii p.* 1. *rubr. de valid. proc. ac alibi.*

CONSULTATIO CCIII.

An literæ remissoriales in materia Canonizationis dirigi possint, ac debeant aliis, quàm Episcopis? Et an Canonicus Collegiatæ possit in hac re esse Judex remissorialis?

1 QUod ad primum attinet respondendum videtur negativè. Quia decreta Urbani VIII. *pag.* 37. *§. Hujusmodi* mandant literas remissoriales dirigi omninò debere Episcopis, si fieri potest. Quæ verba excludunt solùm casum naturalis impossibilitatis ejusmodi literis eis dirigendi, cùm dictio *omninò* habeat naturam præcisam ex Doctoribus adductis per Grat. *dict.* 150. *n.* 1. & Barbos. *dict.* 240. *n.* 13. *cum seqq.* Adeò ut Tiraquellus, ac Menochius ibi relati dixerint importare necessitatem, & exequutionem præcisam, ac Marescottus cum plerisque aliis *var. res. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 1. ei tribuerit vim decreti irritantis, de qua plenè etiam diximus aliàs. Nam certum est reddere processum nullum, quemadmodum dictio *nullo modo*, Gratian. *dec. Marchiæ* 31. *n.* 21.

2 Quare in illis Provinciis, in quibus plurimi extant Episcopi, ad quos ejusmodi literæ commodè dirigi possunt eis dirigi debent. Quia possibili posito in esse, sicut removetur virtus dictæ clausulæ, *si fieri potest*, ita prorsus excluditur contraria impossibilitas, dicente Baldo *in l. Testium* 13. *num.* 24. *C. de testib.* quod possibili posito in esse nullum sequitur impossibile *& in l. filius a patre, §. Si quis co n.* 1. *ff. de lib. & posth.* possibile dici quod fieri potest, licet non fiat.

3 Quod ad secundum etiam negativè. Nam in literis remissorialibus inferri solet rescriptum, quod inquisitio valeat committi aliquibus Episcopis, seu personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis. Atqui Canonicus Collegiatæ nec verè, nec impropriè poterit ad hunc effectum dici constitutus in dignitate Ecclesiastica. Quo circa Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *qu.* 5. *n.* 14. Massobr. *de synod. Diœces. cap.* 4. *dub.* 10. Genuens. *in practicab. Eccles. qu.* 612. *n.* 4. & Barbos. *de Canon. & Dignit. c.* 19. *n.* 10. negant Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ, quamvis peritissimum doctorem, posse constitui delegatum Papæ, vel Judicem synodalem, relata in eandem sententiam declaratione S. Congr. Concilii Tridentini.

4 Nihilominus ad primum dicendum est, tàm de jure, quàm ex forma novissimorum decretorum id legitimè fieri posse. Ita inquam de jure in propriis terminis rescripsit Honorius III. *in c. Venerabili* 52. *de testib.* ubi causam Canonizationis, seu de vita, & miraculis cujusdam Abbatis Cistercienses inquirendam mandavit Episcopo, & Capitulo Corisopitensi, & Abbatibus ejus Ordinis. Unde Hostiensis *in c.* 1. *sub n.* 5. *de reliq. & vener. Sanct.* cujus theoricam omniaque disposita in Rituali, seu Cæremoniali Romano edito sub Leone . eadem decreta *pag.* 28. *§. In processibus* servari mandat, docet tàm Episcopis, quàm aliis personis discretis, & incorruptibilibus alternativè posse neutiquam inquisitionem generalem, ibi: *Secundò, si continuetur supplicationis instantia, & miraculorum continuatio perdurare dicatur, consuevit hoc Romanus Pontifex ponere inter fratres, & aliquibus Episcopis Patriæ vel Conviciniæ illius, qui dicitur Sanctus, vel aliis personis honestis, discretis, & incorruptibilibus committere, ut inquirant de fama, & devotione populi, de miraculis, & aliis, quæ eidem sunt nuncianda in genere.* Verùm etiam Inquisitionem specialem, his verbis: *Quarto, si Inquisitio committenda videtur, iterùm scribit eisdem, vel aliis, quod veritatem inquirant primò de fama, secundò de vita, tertiò de miraculis exactè, diligenter, fideliter, & prudenter secundùm articulos, & interrogatoria, quæ sub Bulla sua transmittit.* Ex quo idem repetunt communiter scribentes, firmando causam a Summo Pontifice committi posse Episcopis, in quorum Diœcesi nati, seu versati sunt illi, de quorum Canonizatione agitur, vel aliis personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, quos censuit eligendos, ut, post antiquiores, tradunt Angel. Rocc. *de Canoniz. Sanct. c.* 34. & Contelor. *eod. tit. c.* 23. *n.* 11. & 13.

Sicque etiam dispositum legitur ex forma dictorum Decretorum, quæ *pag.* 37. *sub §. Hujusmodi* non simpliciter, & absolutè mandant literas Remissoriales dirigi Episcopis, sed conditionaliter *si fieri potest*. Particula namque illa, *si*, importat conditionem, maximè ubi respicit futurum, *leg.* 1. *& l. Quibus diebus, §. Quidam Titio, ff. de condit. & demonstrat.* cum similibus per Grat. *dict.* 239. *n.* 1. Et per Barbos. *d.* 264. *sub n. etiam* 1. sequentia autem verba *fieri potest* intelligenda sunt si moraliter, commodè, & opportunè, competenter, & congruè ac sine incommodo fieri poterit, sicut de verbis *cùm potuero* respondit Jurisconsultus *in leg. nepos Proculo* 125. ubi plenè Rebuff. *sub vers. Non absimile cum seqq. ff. de verb. signif.* Quod ad secundum persisto in sententia negativa, quam confirmo *cap. statutum* 11. *in* 6.

CONSULTATIO CCIV.

An examen, quod Decreta Urbani VIII. De Canonizat. Sanct. mandant fieri in aliqua Ecclesia, vel loco pio Deo dicato, fieri possit in sacello Palatii alicujus Principis?

CEnseo non posse. Quia hujusmodi sacella sita in ædi- 1
bus laicalibus recenseri non possunt inter Oratoria, & loca pia, de quibus loquuntur præfata decreta, cùm valeant redigi in usum profanum ex notatis per Henric. Boich. *in cap. Ecclesiæ num.* 1. *de Immunit. Eccles.* Abb. *in cap. fin. num.* 4. *de censib.* Castropal. *part.* 2. *tract.* 11. *disp. un. pun.* 6. *n.* 2. Clar. *in §. fin. qu.* 30. *n.* 7. Farinac. *q.* 28. *n.* 71. Ciarlin. *controv. for. lib.* 1. *c.* 198. *n.* 6. *& seq.*

CONSULTATIO CCV.

De citatione Subpromotoris fidei in materia Canonizationis requisita, nonnulla minimè spernenda.

EAm requiri ex forma conditionaliter expressa in li- 1
teris remissorialibus per hæc verba: *Citato tamen in omnibus, & per omnia uno ex Subpromotoribus fidei, &c. Et non aliàs aliter, nec alio modo* certum omninò est. Hæc enim inducunt formam præcisè implendam, Bart. *in l. De his* 6. *num.* 3. *ff. de transact.* Alexand. *cons.* 3. *num.* 5. *volum.* 5. Decius *cons.* 528. *num.* 13. Paris. *cons.* 19. *num.* 25. *vol.* 2. Ruin. *cons.* 192. *num.* 25. *vol.* 3. Decian. *cons.* 107. *num.* 7. *vol.* 2. Boer. *decis.* 243. *num.* 11. *circa med.* aliique passim. Immò esse resolutiva, & operari perinde ac si nihil actum esset, docet Glos. *in l. siquidem* 9. ubi etiam Bald. *n.* 3. *C. de except. cum vulgaribus.*

Ideò subpromotor est omnino citandus in singulis acti- 2
bus, ut legitimè fiant. Nec ad eorum validitatem satisfacit illius simplex interventus, sicut in specie declarant Jas. *in* 1. *lect. lib.* 1. *num.* 13. *ff. de jus. voc.* Gabr. *tit. de cit. concluf.* 1. *num.* 114. Odd. *de restit. in integr. p.* 1. *qu.* 34. *art.* 9. *num.* 48. & alii, quos refert ac sequitur Baron. *de cit. quæst.* 18. *num.* 23. Non enim defectus formæ mandati, seu judicialis decreti adimpleri potest per

æqui-

æquipollens ſecundum Bald. *in leg. Inſtitorem 29. n. 3. ff. ſi cert. pet.* Felin. *c. Cùm dilecta n. 11. de reſcript.* Soccin. *conſ. 24. n. 21. vol. 1.*

3 Idque confirmatur. Quia gravitas cauſæ ſuadet requiri formalem citationem Subpromotoris in quolibet actu, ut ad illum accedat paratus, & inſtructus, quid agere, dicere, ac opponere debeat, vel pro ipſa qualitate actus maturiùs, ac conſultiùs ſe gerat, vel pro veritate magis eruenda. Itaque ſola præſentia non ſupplet defectum citationis ad hoc requiſitæ juxta Bart. *in l. ſi furioſo 9. n. 6. in fin.* & Rip. *n. 12. ff. de re jud.* & clariùs per Bald. *in l. Cùm fratrem 9. n. 9. C. de his, quib. ut indign.* & *in lib. 1. n. 7. C. de ſent.* & *Interloc. omn. Jud.* Jaſ. *in d. l. 1. n. 12. ff. de in jus voc.* traditque Ruin. dicens communem *conſ. 102. n. 6. vol. 5.* Aſin. *in Prax. §. 7. c. 5. limit. 90. n. 14.* Merend. *contr. Jur. lib. 10. c. 6.* Ubert. *de cit. p. 1. c. 1. n. 32.* & Baron. *d. qu. 28. n. 26.*

4 Porrò negativa citationis probatur eo ipſo, quòd non reperitur exhibita in actis, Bald. *in cap. Bonæ il 1. num. 1. de elect.* Nec creditur Judici aſſerenti aliquem coram ipſo citatum fuiſſe ex doctrina Jo: Andr. *ad Specul. tit. de ſent. §. Ut autem*, Abb. *conſ. 90. n. 3. p. 1.* & *conſ. 84. n. 1. in fin. p. 2.* Boer. *dec. 235. col. pen.*

CONSULTATIO CCVI.

An exigentibus literis remiſſorialibus, quod deputetur Notarius publicus Apoſtolicus, ſive Eccleſiaſticus, ejuſmodi qualitas debeat probari in deputato in Actuarium cauſæ Canonizationis?

1 OMninò, Quippè indubitatum eſt, Notariatum, uti officium, quod non confertur a natura, ſed ſolo privilegio ab habente authoritatem creandi tabelliones, non præſumi, ſed probatum eſſe a producente Inſtrumenta, vel acta, Specul. *tit. de Inſtrum. edit. §. Reſtat*, Boer. *dec. 36. n. 7.* Rot. *dec. 703. n. 4. p. 2. rec.* cum latè congeſtis per Maſcard. *de prob. concluſ. 1097. n. 1.*

2 Nec refert, quod quiſpiam enuncietur Notarius. Quia in puncto juris verius eſt, quod literæ teſtimoniales ſuper hoc fidem non faciant, ſicut poſt Caſtr. *conſ. 394. n. 2. p. 1.* notat Dec. *in cap. 1. n. 53. de fid. Inſtr.* a quo non videtur recedendum in hac materia cæterarum graviſſima ex traditis a Jacobo de Belviſ. *in §. Sed inſtrumenta auth. de fid. Inſtr. collat. 6.* & Butr. *in d. c. 1. n. 4.* Quod ſaltem de notariis jam defunctis certum exiſtimo. In Notariis verò viventibus, quorum aſſertioni creditur de Notariatu, hanc probationem requiri firmat Coccin. *dec. 88. n. 4.* Probaturque talis ex fide legalitatis apponenda in fine proceſſus remiſſorialis, Felin. *in c. 1. num. 18. de fid. Inſtr.* Veſtr. *in prax. lib. 6. cap. 1. n. 8.* & *9.* Greg. XV. *d. cap. 38. num. 4.* Rot. *dec. 50. num. 5. part. 2. rec.* Ac ita per Italiam, & ferè per Univerſum Orbem practicari teſtatur Marſil. *in l. Si quis nec quæſtio n. 114. ff. de qu.* Maſcard. *de prob. concluſ. 1093. n. 5.* Vant. *de nullit. ex def. mand. n. 139.* Scacc. *de Judic. lib. 2. c. 41. n. 919.* & in terminis Rot. *in relat. S. Raymundi part. 2. art. 1.* & *S. Caroli rub. de valid. proceſ.* & notat Contelor. *de Canoniz. Sanct. c. 25. n. 33.*

Quin etiam ſatis eſſet aſſertio eorundem Notariorum, qui paſſim in iſtiuſmodi proceſſibus, ſe pro talibus enunciant, publicè ſe gerunt, ac ſubſcribunt, Maſcard. *concluſ. 1412. num. 4.* Rot. *dec. 4. de offic. deleg.* & *dec. 1. de offic. Vicar. in antiq.* & cor. Caputaq. *dec. 245. p. 2.* & cor. Creſcent. *deciſ. 15.* & cor. Puteo *dec. 183. lib. 3. in correct.* & cor. Seraph. *dec. 1223. n. 15. de probat.* & *in relat. S. Raymundi c. 2. ad finem*, ubi habetur talem eſſe ſtylum Rotæ. Quod etiam aſſerit Contelor. *d. cap. 25. n. 29.*

CONSULTATIO CCVII.

An omiſſio unius ex Interrogatoriis contra formam Remiſſoriæ inducat nullitatem totius examinis, illique omnem fidem adimat?

1 AFfirmativè ex ſententia Rotæ coram Merlino *deciſ. 434. n. 1.* & Burat. *dec. 160. n. 16.* ubi Addit. *num. 27.* ac alii notant diſcrimen inter Remiſſoriales, & alias. Idem advertit Cavaler. *dec. 354. n. 1. cum ſeqq.* Quod pariter obſervat Poſth. *de manutent. obſerv. 91. n. 22.* quibus præiverat Boccac. *de liter. Remiſs. cap. 9. n. 27.* Tametſi hoc a Gaillo *lib. 1. obſerv. 95. n. 7.* in controverſiam vocetur, inquiens cum ibi adductis, examen non eſſe nullum, ſed ad partis poſtulationem teſtis ſuper interrogatoriis omiſſis etiam poſt publicationem atteſtationum repeti poteſt.

CONSULTATIO CCVIII.

An Imagines, in quibus nulli ſunt radii, nulli ſplendores, nullum diadema, ſed duntaxat denotant aliquod peculiare ſignum ſanctitatis defuncti, ſint amovendæ?

AFfirmant Contelorius *de Canoniz. Sanct. cap. 22. n. 2.* 1
Nec immeritò, cùm ea, quæ narratio hiſtorica docet per auditum, tacens pictura per imitationem, oſtendat, ſicut ex Synodo Nicena *act. 4.* & ex Patribus egregiè petit Stephan. Duran. *de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. ſub num. 6.* Solet enim, teſte Gregorio Nyſſeno *in orat. de laud.* Sancti ac magni Theodori, pictura tacens in pariete loqui. Et authore S. Gregorio *lib. 9. regiſtri ep. 9.* pictura rationem libri habet, ut idcircò, quod Beda *lib. de Salomonis templo* notavit, pictura grecè zographia, quaſi viva ſcriptura dicatur. Immò tantò adverſanda eſt ejuſmodi pictura, quantò magis aculeum ſuum infigit quoties in oculos incurrit, quod poteſt momento perfici, & quoties libido tulerit iterari. Id quod non evenit in libri lectione, quæ ore emiſſa volat irrevocabilis, nec audienti per ſeipſam objicitur, niſi in tranſitu. Scitè Horat.

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Quod & voluit *can. 100.* Trullanus loquens de picturis ibi;

Corporis enim ſenſus ſua facilè in animam effundunt.

Hinc Imago, ad cujus pedes eſt aliquis genuflexus ſanctitatis, & cultus ſignum arguit, cum actus genuflexionis dicatur ſignum cultus externi, ac devotionis exterioris ex eodem Durant. *lib. 3. cap. 24. n. 19.* & Caſal. *eodem tract. c. 58. de cœrem. ſeu ritib.* Scacc. *de not.* & *ſign. Sanct. ſect. 10. cap. 1. lit. A.* Quare Honorius III. *in cap. ſane de celebrat. Miſs.* monet genua flectenda eſſe, cum oſtenditur, ac elevatur Euchariſtia. Et Turrecrem. *in c. Quoniam num. 1. de conſecrat. d. 3.* inquit orationem flexis genibus oblatam videri cum majori humilitate. addo, & devotione, quæ duplex eſt, alia interior, alia exterior. Quemadmodum enim authore Damaſceno *lib. 4. orthod. fid. cap. 13.* ex duplici natura compoſiti ſumus intellectuali ſcilicet, & ſenſibili, ita & duplicem devotionem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in mente interiori, & corporalem, quæ verſatur in exteriori corporis humiliatione. Exterior verò devotio fit propter interiorem, ut per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus alacri animo, & ſine cunctatione exequi, quæ ad Dei cultum pertinent. Unde proſternere ſe, & genua flectere ad exteriorem devotionem ſpectat. 2

Immò ſufficit, quod effigies ſit diverſa a ſepulchrali, 3
& picta modo inſueto ab Imaginibus repræſentantibus puram ac ſimplicem ſpeciem defuncti, ut ſit de prohibitis a Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. tit. de Invoc.* & *vener. Sanct.* ibi: *Statuit ſancta ſynodus nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, &c. ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem.* Quod repetunt Leo *in theſ. for. Eccleſ. p. 2. cap. 1. n. 20.* Piaſec. *in prax. Epiſc. p. 2. cap. 4. num. 16.* Philiac. *de offic. Sacerd. p. 2. tom. 1. l. 3. c. 9.* Trullench. *in Decal. lib. 1. cap. 9. dub 6.* & alii relati per Barboſ. *in collect. ad d. loc. Concilii n. 4.* Quicquid enim inſolitum eſt, grave etiam videtur exemplo, *l. 2. de quæſtion.*

Ut proinde Contelorius eodem in loco n. 2. abſolutè 4
neget licere in Templis, Oratoriis, Sacrario, vel alio in loco publico affigere imaginem defuncti non canonizati, nec beatificati. Ratio eſſe poteſt. Quia ejuſmodi affixio inſtituta fuit ab Eccleſia venerationis gratia, ut eruditè probat Duran. *d. c. 5. prope n. 6. fin.* atque adeò tanquam ſignum venerationis non eſt permittenda priuſquam ſummus Pontifex eam conceſſerit *ex cap. 1. de reliq.* & *vener. Sanct.* ibique Doctores communiter.

Verùm Contelorio hac in parte gravatè aſſentior. Nam 5
Tridentinum, & decreta Urbani prohibent duntaxat Imagines inſolitas, ſive venerationem præſeferentes. Non igitur ſimplices puraſve. Quod quidem uſu comprobatur. Nec verum eſt, quod quando pictura hominis defuncti eſt diverſa a figura ſepulchrali, ſolùm defuncti effigiem repræſentare, reputetur figura inſolita, ac proindè cadens ſub prohibitione Concilii Tridentini. Nam Concilium loquitur de imaginibus jam receptis, quæ pingi ſolitæ uno modo cum tali habitu, vel tali diſpoſitione, non debent pingi diverſo, & novo modo. Super quo extat etiam Conſtitutio Urbani VIII. edita anno 1642. id expreſsè in exequutionem Concilii jubentis; non autem loquitur de imaginibus novis, quæ aliàs cum debito decore nullumque

qua sanctitatis signum præferentes pictæ exponuntur. Aliàs dicendum esset, quod post Concilium nunquam licuerit aliquam novam picturam, quæ non esset prius expositа, exponere.

CONSULTATIO CCIX.

An ex processionibus habitis publico decreto, aut voto arguatur aliqua veneratio in prædefunctum cum fama sanctitatis?

1 AFfirmativæ sententiæ subscribo. Nam Sanchez in Decal. *lib. 2. cap. 43. n. 8.* prohibitum esse inquit non Canonizatis offerri votum publicum, quale esset alicujus Civitatis, vel loci alicujus. Quia hoc ad cultum publicum pertineret, ex quo idem reassumit de Molfes. *conf. 45. num. 73.* subdens, id potissimum locum habere quando accederet celebratio Missæ ac divini officii, quæ cultum publicum respiciunt, cùm fiat nomine Ecclesiæ. Et speciatim quòd processionum usus consistens in publicis precibus ad gratias reddendas denotet cultum, & venerationem perspicuè colligitur ex traditis per Durant. *de ritib. Eccles. lib. 2. c. 10.* & Casal. *de veter. Ritib. c. 40. de Procession.* ac alios, qui id argumentum latissimè versant.

CONSULTATIO CCX.

An, & quomodo in compulsorialibus forma requisita in cap. fin. de fide instrum. sit observanda in materia Canonizationis?

1 REspondetur. Debet constare, ipsamet originaria diligenter inspecta fuisse per Judices antequam jusserint exemplari, juxta verba dicti *cap. fin. Ea diligenter inspecta.* Quibus prepensis Abb. num. 2. vehementer invehitur in praxim Notariorum dicentium se inspexisse, cùm hoc spectet ad Judicem, quamquam & ipsi possint unà cum illis inspicere, sicut ibidem subdit Felin. num. 11. admonendo Judicem, ut priusquam mandet exemplum fieri, debeat cognoscere de justitia rei, quodque inspectionem nequeat alteri committere. Idem volunt eo loco Hostien. num. 7. Jo: Andr. n. 9. Bellam. n. 3. Cardin. n. 2. Imol. n. 1. & 8. ac Jo: de Anan. n. 2. Atque ideò Butrius num. 2. asseruit, quod ipse Judex debet simul cum Tabellione diligenter inspicere. Quod repetit Contelor. *de Canoniz. sanct. cap. 24. n. 12.*

2 Verùm notandum est, id procedere quando Jura debent extrahi ex rogitibus, & scripturis prædefunctorum juxta *d. cap. fin.* non verò quando agitur de scripturis exhibitis a Notario, & personis viventibus. Quo casu nulla solemnitas requiritur ex allegatis per Contelor. *dict. cap. 24. num. 19.* Mantic. *dec. 306. n. 7.* Rota *dec. 679. num. 2. & 4. p. 2. rec.* Habentur enim pro originalibus exempla data a Notario rogato, Contelor. loco alleg. n. 22. Gratian. *discept. for. cap. 682. num. 13.* Seraphin. *dec. 1448. n. 1.* Coccin. *dec. 367. n. 1.* Rot. *d. dec. 670. n. 1. & 2. dec. 301. n. 1. p. 2. rec.*

3 Nec etiam procedit in Notariis, qui tanquam successores in officiis demortuorum deputati sunt ad transumptanda illorum instrumenta. Quia pariter nulla requiritur solemnitas, Bald. *in auth. Si quis in aliquo num. 5.* Alex. *n. 4.* & Jason. *num. etiam 5. C. de edend.* Firmatque Felin. *in dict. cap. fin. num. 7. de instr.* ac resolvit Rot. *decis. 544. num. 1. & 2. part. 4. div. & decis. 271. num. 5. & 465. num. 1. dict. 1. & dec. 27. num. 1. & dec. 145. n. 2. p. 2. rec.* ac tradit Contelor. *ubi sup. n. 20. 22. & seqq.*

4 Ac propterea nihil refert quod Judex non inspexerit, sed satis est, quod coram eo compulsantur jura, ubi non agitur de illis renovandis propter vetustatem. Ita *ex dict. cap. fin.* tradit Rota *dec. 347. num. 5. part. 8. recent.*

CONSULTATIO CCXI.

Utrùm originalia debeant recognosci?

1 AFfirmantibus calculum adjicio. Omnia enim jura recognosci debent, Gonzal. *super regul. 8. glos. 64. num. 12.* Vestr. *in prax. lib. 6. cap 1. num. 14.* Caputaquen. *dec. 9. num. 2. & dec. 5. cum seqq. part. 3.* Put. *dec. 440. num. 3. lib. 2. in correct.* Burat. *dec. 290. n. 4.* cum aliis per Contelor. *cap. 24. num. 38.* Maximè quia debet probari, depositiones exemplandas, ritè scriptas olim fuisse a Tabellione publico, ac esse in forma authentica ex trâditis ab Innoc. *cap. 1. num. 2.* ibique etiam Butr. *n. item 2. & in c. fin. n. ultim.* ac Bellam. *n. 28. de fid. Instrum.* Quod etiam asserit Host. *in cap. significavit n. ult. de test.* Coccin. *dec. 80.* & Contelor *dict. cap. 24. num. 36.*

Nulla tamen recognitio requiritur quando exempla 2
dantur a Notario rogato. Quia per solam exhibitionem a scribente, dicitur facta ab eodem recognitio, ut per Contelor. *loco cit. n. 19.* ac Seraph. *dec. 1028. n. 8.* & Buratt. *dec. 290. n. 10.*

CONSULTATIO CCXII.

An sit legitima collatio scripturarum, quæ facta est a solo Notario deputato in causa Canonizationis?

NEgativè. Quia vel simul cum Judice fieri debet 1
ex sententia Baldi dicentis *in auth. Si quis in aliquo, num. 22. Cod. de eden. Quod si Notarius publicus transcribens lecto Instrumento cum exemplo simul cum Judice, & viso in omnibus concordare mandato Judicis, transcribat in publicam formam.* Concinunt Salycet. *ibi. num. 7.* Riminald. jun. *cons. 405. num. 8. volum. 6.* Vestr. *in praxi lib. 6. cap. 1.* Rot. *dec. 357. sub init. part. 4. div.* Vel adhibito alio Notario ad id specialiter deputato juxta formam, quam referunt Specul. *tit. de Instrum. edit. §. ostenso, n. 4.* & Contelor. *c. 24. n. 35. de Canon. Sanctor.*

Sufficit nihilominus in Instrumentorum exemplis, da- 2
tis a Notario rogato ipsum attestari, quod facta collatione concordat cum originali. Unde non est necessaria hæc particularis collatio, nisi tantum, quoad scripturam aliorum, Specul. ubi supra cum aliis hac in re per Contelorium adductis loco allegato, ubi subdit sufficere collationem, & auscultationem integri processus remissorialis, & compulsorialis, quæ fit in fine.

CONSULTATIO CCXIII.

An exemplatio jurium fieri debeat cum annotatione temporis, anni, mensis, atque diei, cum testibus, ac nomine Notarii?

ET hic affirmativam amplector. Ita planè notatur 1
per Adden. *ad Abb. in c. Albericus lit. A. de testib.* & Contelor. *cap. 24. n. 37. de Can. Sanct.*

CONSULTATIO CCXIV.

An testium depositiones solummodo receptæ ad perpetuam rei memoriam probent in causa Canonizationis?

DE jure non probant, *cap. Quoniam frequenter*, ubi 1
Host. *num. 1.* ac cæteri Canonistæ *ut lit. non contest.* cum aliis copiosè congestis a Farinac. *de testib. qu. 16. num. 2.*

Verùm quando testes recepti, & examinati sunt jus- 2
su Ordinarii ad instantiam Postulatorum super sanctitate, & miraculis cujuspiam Servi Dei, ut ritè loco, & tempore possit instari apud Sedem Apostolicam pro beatificatione, & Canonizatione, non est simpliciter examinatio ad perpetuam rei memoriam, sed assumptio informationis ex officio facienda extrajudicialiter, sicut olim ex stylo observabatur, sufficiebatque per actionem popularem sine ullius citatione, cùm id jure cautum non reperiatur, cùm non agatur de ullius præjudicio, Covarr. *pract. qq. 21. n. 8.* Castell. *de Canonizat. art. 8. in fin.* & complures alii apud Contelor. *eod. tract. c. 24. n. 17. & cap. 26. n. 41. & 48.* Atque in hoc minimè repugnant decreta si non tanquam acta, saltem tanquam jura, Canonizationi potest pro legitimis probationibus inservire.

Et in omnem eventum facit, quod etiam testes examinati ad perpetuam rei memoriam admittantur, probentque in materia Ecclesiastica, in qua summariè, ut hìc, & lite non contestata, proceditur ex plenè deductis per Farinac. *de testib. qu. 76. n. 21. 30. & 32.*

Præterea rectè procedit hoc argumentum. Testes sunt 3
nulliter examinati: Ergo non probant. Sed non consequitur, quod processus sit invalidus, Rot. *decis. 679. n. 1. p. 2. rec.* Quia testes ex quovis capite nulliter examinati possunt repeti. *Clem. 2.* & ibi Glos. *v. Ritè, de testib.* Gabr. *tit. de testib. concluf. 21. n. 46. & 87.* Contelor. *d. cap. 25. n. 83.* Cavaler. *dec. 425. n. 2. & dec. 254. sub princ.*

CON-

CONSULTATIO CCXV.

An teſtes inducti, & examinati ad probandam legalitatem teſtium defunctorum ſint rejiciendi?

1 AFfirmativè reſpondendum videtur. Quia ſublato principio, tolluntur omnia inde principiata, ſeu quæ poſt principia ſunt ex Bald. *in l. unic. num. 3. C. de latin. libert. tollen.*

2 Attramen dicendum eſt, id non deſtruere validitatem proceſſus. Et quatenus iidem teſtes non facerent probationem, ſaltem inſervirent pro efficaci adminiculo, ut regulariter omnes teſtes informiter examinati Gloſs. *in cap. Cùm olim 1. de privil.* Caputaq. *dec. 208. num. 10. part. 1.* Seraph. *dec. 585. num. 1.* Eorumque dictum adminiculatur depoſitione teſtium defunctorum, qui cùm non poſſint repeti, faciunt quidem plenam probationem etiamſi nulliter fuiſſent examinati, ſaltem ex æquitate, Farinac. *de teſt. quæſt. 72. num. 120. & quæſt. 74. num. 101.* Maſcard. *de probat. tom. 3. concluſ. 103. num. 10.* Greg. XV. *dec. 434. n. 5.* & ibi Add. *n. 18.* Rot. *dec. 587. n. 4. p. 2. rec.*

CONSULTATIO CCXVI.

Sintne teſtes vocati neceſſariò monendi?

1 REſpondeo. Monitio neceſſariò præcedere debet adverſus teſtes examinandos per textum *in cap. 1.* ibi: *Diligenter moneas, & cap. Super eo*, ibi: *Monendi ſunt, non cogendi, de teſtib.* cum utrobi notatis per Canoniſtas. Id quod etiam firmat Specul. *tit. de teſt. §. de teſtium compoſ. num. 6.* Gail. *pract. obſerv. lib. 2. obſerv. 10. num. 9. & 10.* ac Farinac. *de teſtib. q. 78. n. 55.*

2 Modus autem monendi ac citandi teſtes ſufficit, quod ſit juxta ſtylum, qui ſervatur in Tribunali Exequutoris, vel in loco, ubi agitur judicium, qui planè attendendus eſt Gregor. XV. *dec. 352. n. 8. & dec. 484. num. 9.* ac Rot. *dec. 464. n. 3. p. 4. rec.*

CONSULTATIO CCXVII.

An ſint dicendum, quod unuſquiſque teſtis juraverit per diem ante ſuum examen juxta ſtylum Curiæ Romanæ?

1 AFfirmandum videtur. Ita teſtatur Saluſt. *in prax. Auditoris Cameræ lib. 2. c. 13. num. 7.* Ridulphin. *item in prax. part. 1. cap. 11. n. 81.* ad textum *in l. Jurisjurandi*, ibi: *Priuſquam perhibeant teſtimonium, C. de teſtib. cap. Fraternitatis 17. in fine*, ibi: *receptis prius ab ipſis ſecundum formam recipiendorum teſtium juramentis*, extra *eodem*. Idque videtur S. Congregatio ſentire per dictionem *prius* expreſſam in Remiſſoria, ibi: *Accepto prius in manibus veſtris juramento de veritate dicenda*. Nam ſi prius, ergo non ſimul cùm ipſo examine. Ratio eſt perſpicua, quia teſtis jurare debet utraque parte præſente ad text. *in l. ſi quando 18. verſ. & alteratura parte præſente*, juncta Gloſs. *Voluerit, C. de teſtib.* cum aliis conſtipatis a Farinac. *eod. tract. qu. 74. n. 42.* Neutra tamen præſente debet illius examen recipi, ſed ſecretò, prout omnes tradunt *in l. Si quando*. Habetque Farinac. *ubi ſupr. n. 34. & qu. 80. oppoſ. 37. n. 93.*

2 Id tamen ceſſat in partibus. Quia illarum Judices non tenentur ſtylo Romanæ Curiæ, ſi ipſis ſpecialiter non mandetur: non enim eſt ſtylus generalis, ut teſtantur Doctores citati, atque adeò non eſt attendendus in proceſſibus extra eandem Curiam peractis, Farinac. *de teſtib. qu. 74. num. 26.* Nec ſecuudùm jura prædicta requiritur, quod juramentum præcedat ex intervallo diei, vel alterius longioris, aut brevioris temporis, ſed ſatis eſt, ſi præſtetur immediatè ante depoſitionem, ut timore juramenti teſtis veritatem dicat, Abb. *in cap. de teſtib. num. 8.* & ibi Felin. *n. 6. de teſtib.* Bald. *in d. l. Jurisjurandi num. 1.* Salyc. *ſub n. 2.* Myſinger. *obſerv. 79. n. 4. & ſeqq.* Unde major profectò erit religio teſtis erga juramentum, ſi illi exhibeatur ſtatim ante depoſitionem, quàm ſi fuerit ei delatum ex intervallo. Quia tunc non eſt tanta præſumptio, quod in actu examinis cogitaverit de juramento, ut benè advertit Felin. *in d. cap. de teſtib. n. 5.* dicens hac ratione conciliari opiniones Doctorum in ea quæſtione, an ſufficiat, quod teſtis juraverit incontinenti poſt depoſitionem, ſcilicet quod ſi juraverit ſpontè. & nullo interrogante ſatisfactum dicatur, eo quod ſi præſumptio, quod quando depoſuit cogitaverit de juramento præſtando, & ideò propter reverentiam præſumatur verum dixiſſe, ſicut ſi prius præſtitiſſet; ſecus ſi juraverit ad requiſitionem alterius, cùm non vigeat talis præſumptio, quod in depoſitione cogitaverit de juramento præſtando. Quod benè comprobat Mynſiger. *d. obſerv. 77. num. 3. & 4.* & favet Bald. *in d. l. Jurisjurandi n. 2.* aſſerens, quod tunc valet teſtificatio, quando juramentum interponitur incontinenti, eo quia eſt connexum cum ipſa, & depoſitio eſt quodammodo informata religione jurisjurandi. Atque ideò quod valeat juramentum præſtitum in ipſo actu examinis reſolvit Rota *deciſ. 533. n. 9. & 11. apud Poſtib. de manut.* Remiſſoria verò per illam dictionem *prius* non præſcribit præcisè dictum ſpatium unius diei, ſed intelligi poteſt de momento temporis immediatè ante examen. Mandat autem jurari ante examen ad excluſionem opinionis Doctorum aſſerentium ſufficere etiam jurari poſt depoſitionem, ut apud Farinac. *de teſtib. d. qu. 74. n. 32.* Ac proinde verba Remiſſoriæ intelligenda ſunt de prioritate ordinis in actu examinis juxta notata *in d. l. Jurisjurandi*, ut ſcilicet prius excipiatur juramentum, deinde examen, non autem de prioritate temporis per diſtincta intervalla, ac pluralitates actuum, adeòut illis ſatisfactum intelligatur ubi conſtat juramentum prius receptum, & examen illicò ſubſequutum, Alciat. *reg. 5. præſ. 42. n. 3.*

Stylus itaque fori Judicis exequentis Remiſſoriam, ut 3
immediatè ante examen teſtes jurent poſt aliud præcedens juramentum, eſt hac in re attendendus. Sicque ceſſat inconveniens illud, nimirum, quod pars adverſa debeat eſſe præſens juramento, non autem examini. Nam quiſquam poteſt ſanè eſſe præſens præſtationi juramenti, quod antecedit, & non aſſiſtere examini ſubſequenti, cum ſint actus diſtincti, ut firmat Farinac. *ead. qu. 74. num. 44.*

CONSULTATIO CCXVIII.

An ſingilatim a quolibet teſte recipi debeat juramentum de veritate dicenda, vel ſufficiat, quod pluribus in turba feratur, ab eiſque in ſimul præſtetur?

NEgandum videtur. Nam expreſsè id prohibetur *in* 1
c. Venerabili, ibi: *Si examinare ſingillatim curetis, de teſtib.* cum ibidem notatis per Gloſs. ac Doctores allegatos a Farin. *qu. 80. oppoſ. 38. ſub num. 94.* Conſtans enim ſententia eſt, juramentum teſtis eſſe principium examinis, idque referri ad tempus, quo illud præſtatur, Fenſon. *ad Stat. Urb. lib. 1. c. 71. n. 24.* Saluſt. *in prax. lib. 3. c. 7. n. 38.* & Lucas de Pet. *etiam in prax. lib. 2. cap. 1. num. 5.*

At contrariæ ſententiæ me ſubſcribo. Etenim *cap. Ve-* 2
nerabili prohibet ſimul examinare plures teſtes in propriis hiſce terminis proceſſus Canonizationis, ut etiam per Rot. apud Buratt. *dec. 555. num. 19.* Doctores verò ſuperiùs adducti loquuntur de examine, ne contingat teſtes hoc pacto deponere ſub eadem formalitate verborum, propter quod rejicerentur, non autem de juramento, circa quod nulla repugnantia, ut duo ſimul jurent dicere veritatem de eo, ſuper quo interrogantur. Atque ita poſſe fieri docet etiam Contelorius *de Canon. cap. 25. num. 65. in fin.* Inſuper modus iſte poſſet ſuſtineri ex ſtylo fori, ubi compilatur proceſſus.

CONSULTATIO CCXIX.

An teſtis iterùm examinatus, iterùm jurare debeat?

AFfirmativam partem tuemur. Nam regula quod 1
idem teſtis pluries examinatus debeat in quolibet examine ſuum juramentum iterare, *cap. Fraternitatis in fin.* ubi notant omnes *de teſtib.* cum ſimilibus a Farin. deductis *quæſt. 74. eod. argum. num. 47.* procedit etiam ſi primò juraſſet dicere veritatem ſuper articulis, & tota cauſa ſecundùm Bald. *d. cap. Fraternitatis ſub num. 1.* cui adhæret Farin. *loco allegato num. 52.*

Nihilominus id procedit, atque idem textus loquitur 2
quando teſtis examinatur ſuper noviter datis articulis, & in diverſa inſtantia, ut plenè per Farinac. *d. quæſt. 73. num. 51. & ſeq.* non autem ubicunque dimidiatum fuit examen propter multitudinem articulorum, ut in hac materia Canonizationis contingit. Præterea id non impugnat validitatem proceſſus, ſed reſtringitur ad nullitatem examinis.

CON-

CONSULTATIO CCXX.

An omnes teſtes examinari debeant ſuper omnibus articulis in Remiſſoria tranſmiſſis?

1 REſpondendum videtur affirmativè. Ratio eſt unica, quia obſervari debet forma in Remiſſoria præſcripta. Quemadmodum in re propoſita arguit Bellam. *in c. Per tuas* 48. *n.* 14. *de teſtib.* Omne enim expreſſum in Remiſſoria dicitur eſſe de forma mandati, cujus inobſervatio vel in minimo totum annullat, *cap. Venerabilis* 37. *de offic. deleg. l. Eum* 8. *§. ſi Prætor, ff. de tranſact.* per quam Rota coram Merlino *dec.* 434. *num.* 1. Cavaler. *dec.* 254. *num.* 2. Buratt. *dec.* 10. & alibi paſſim dicit, examen teſtium eſſe nullum in totum ſi prætermiſſum fuerit aliquod ex Interrogatoriis tranſmiſſis cum Rotulo, quod pariter animadvertit Boccac. *de liter. remiſſ. cap.* 9. *num.* 29.

2 Attamen negamus. Quia verba indefinita Remiſſoriæ non æquipollent univerſali, ut evenit ubicunque non militat eadem ratio, Bart. *in l.* 1. *§. ſed incertum n.* 2. *ff. de ventr. in poſſ. mitt.* Gratian. *diſcept. for. cap.* 341. *num.* 7. & 10. Eadem autem ratio planè non concurrit, ubi non omnes teſtes informati ſunt de omnibus articulis, ſed aliqui de omnibus, aliqui de pluribus, & aliqui de uno tantùm. Ac propterea licet examinare unumquenque ſuper iis tantùm, de quibus eſt informatus, cùm idem ſit de articulis, ac de interrogatoriis, quæ non omnia pro omnibus dantur, ſed ſingula ſingulis referendo, ut per Contelor. *de canon. c.* 25. *n.* 82. & 87. Nec S. Congregatio per ſuam Remiſſoriam credi poteſt, quod velit arctare, ut proceſſus reſponſionibus inutilibus impleatur, ac expenſarum indiſcreta multiplicatione Poſtulatores gravarentur, ut fieret profectò ſi teſtis informatus duntaxat de uno miraculo, interrogandus eſſet ſuper tota vita. & virtutibus Servi Dei, quem non cognovit, & ſuper aliis miraculis ſibi ignotis reſponderet ſe neſcire, eandem crambem recoquendo cùm tædio ſcribentium, degentiumque.

Ac præſertim ſi teſtes, qui fuerunt examinati ſuper aliquibus tantùm articulis limitatè, ac diſcretivè inducti fuerint ſuper illis, qui verò ſuper omnibus, inducti fuerint ſuper omnibus. Vel ſi in articulis in Remiſſorialibus inſertis, & per S. Rituum Congregationem admiſſis adſint proteſtationes Procuratoris, illos exhibentis non ſe adſtringendi ad onus ſuperfluæ probationis, aliæque clauſulæ, præſervantes facultatem addendi, & minuendi tàm in principio dictorum articulorum, quàm in fine.

3 Prior namque clauſula, *non ſe tamen adſtringens, &c.* appoſita in principio, vel in fine libelli, ſeu Capitulorum, in quibus plura ſeparatim deducuntur, operatur quod non ſit neceſſe omnia probare, ſed ſolum neceſſaria, Bart. *in l. Divus num.* 5. *de re jud.* Felin. *in c.* 2. *num.* 33. *de reſcript.* & *in cap. licet* 8. *num.* 41. & *ult. de probat.* Marian. Soccin. *in cap. Dilecti art.* 13. & *in cap. Significantibus art.* 12. *de libell. oblat.* Quare tradunt conſilium, quo uti debeant boni, practici, & cauti Advocati, ut ſcilicet in principio, vel fine libelli, ſeu poſitionum, aut Capitulorum ponatur ſimilis clauſula, ſeu proteſtatio. Quod admonet Hoſt. *in d. cap. licet num.* 6. Jo: Andr. *n.* 10. Abb. *n.* 8. & 30. *de probat.* & *in cap. Dilecti* 6. *n.* 16. *de judic.* Add. ad Rot. *dec.* 7. *n.* 2. & 3. *de reſcript.* in antiquis.

4 Altera verò *ſalvo, &c.* præſervat facultatem addendi, vel minuendi, Ang. *in l. Jus civile* 6. *num.* 8. *ff. de Juſt.* & *jur.* Adeout ſic proteſtatus non cenſeatur agere connexim, ſed diviſim, nec ſe adſtringere ad probandum omnia, Bald. *in l. Neſennius num.* 8. *ff. de neg. geſt.* & *in repet. l. Edita num.* 6. & *ſeq. C. de eden.* Jaſ. *in §. Omnium num.* 160. *Inſtit. de action.* Felin. *in cap. Inter dilectos n.* 9. *de fid. Inſtr.* & *in cap.* 2. *n.* 32. *de reſcr.* Ruin. *conſ.* 19. *num.* 15. *vol.* 4.

5 Et præcipuè quia cùm de jure nullibi cautum, neque ex forma Remiſſoriæ decretum reperiatur, quod teſtes examinentur ſuper omnibus articulis, non ſunt neceſſariò ſuper illis examinandi ad textum *in lallam*, ubi Gloſs. & communiter Doctores, *C. de collat. c.* 2. *de ſed. vac.* cum ſimilibus, ac fuit conſideratum in relatione S. Franciſci Xaverii *rub. de valid. proceſ. verſ. ſecunda difficultas.*

CONSULTATIO CCXXI.

An atteſtationes teſtium, qui fuerunt examinati non ſervata forma juris, & Remiſſoriæ, ſint penitùs reſpuendæ?

NEgo. Sed conjungendæ ſunt cum aliis ritè, ac rectè examinatis ad corroborandas probationes ex regula, quod teſtes, etiam nulliter examinati, faciunt adminiculum, Caſſad. *dec.* 3. *n.* 2. *de dilat.* Gregor. *dec.* 562. *num.* 4. & *dec.* 66. *n.* 1. & *dec.* 113. *n. item* 1. *part.* 2. *rec.* Caputaq. *dec.* 206. *part.* 2. Coccin. *dec.* 173. *n.* 4. & ſpeciatim reſolutum fuit in relationibus S. Raymundi *part.* 1. *art.* 2. & S. Caroli *part.* 1. *verſ. Quia Mediolanenſes.* 1

CONSULTATIO CCXXII.

An alicujus ſit momenti examen teſtis, qui repentino deliquio, & ſuprema infirmitate correptus examen perficere non potuit, ſed poſt aliquot dies obiit?

REſpondetur, depoſitionem ejuſmodi teſtis immaturæ morte præventi, licet imperfectam eſſe admittendam ad probandum. Teſtes enim mortui licet nulliter examinati facere fidem deciſum refert Surdus *deciſ.* 103. *num.* 2. Mohed. *dec. ult. num.* 3. & 5. *de teſtib.* Gregorius XV. *deciſ.* 434. *num.* 5. aliique ibidem relati, Beltr. *in addit. ſub num.* 18. 1

Certitudo verò mortis ejuſdem teſtis plenè, & efficienter probatur ex aſſertione Judicum, & Notarii in fine examinis ipſius teſtis. Si enim mors probatur per duos teſtes, Maſcard. *de probat. part.* 2. *concl.* 1071. *num.* 2. immò in læviſſimis præjudiciis ab unico ex traditis per Sebaſt. Medic. *in tract. Mors omnia ſolvit. p.* 1. *n.* 79. & per productionem alicujus inſtrumenti, in quo fit mentio de aliquo per dictionem, *quondam*, ut ſubdunt iidem Medic. num. 93. Maſcard. *concl.* 1072. multò magis adhibenda eſt Epiſcopo, & duobus aliis Judicibus, ac Notario publico, illam aſſerentibus cum cauſis, & circumſtantiis, ex quibus mortis certitudo in dubio veriſimillima redderetur, Maſcard. *d. concl.* 1072. *n.* 6. 2

CONSULTATIO CCXXIII.

An Monaſteria Regularium, atque etiam Collegia Societatis Jeſu teneantur ad ſolutionem taxæ Seminariorum tàm reſpectu reddituum Abbatiarum iis Collegiis, ac Monaſteriis unitarum, quàm reſpectu reddituum aliorum bonorum, quæ ab ipſis poſſidentur?

GRavis eſt hæc quæſtio cum propter privilegia Patrum Societatis, aliorumque Regularium, tum propter præjudicium Seminariorum, quorum erectio, & conſervatio præcisè demandatur a S. Concilio Tridentino, quæ hiſce temporibus difficillima redditur ob multiplicitatem unionum Abbatiarum, & beneficiorum ad favorem Regularium, & ob paupertatem Epiſcopatuum, ac Clerici ſæcularis. Ideòque conſideranda videntur infraſcripta. 1

Equidem quod ad primam partem dubii pertinet reſpectu Abbatiarum, Collegii Societatis unitarum reperiuntur in propriis terminis duæ inter ſe pugnantes reſolutiones Sacr. Congregationis Concilii. Altera favorabilis Societati in una Bracharenſi per literas ejuſdem Sacr. Congregationis die 26. Aprilis 1597. ſcriptas, abſque tamen expreſſione alicujus præcedentis diſcuſſionis, ut in libris ejuſdem Sacr. Congregationis legitur. Ac propterea in hoc advertendum eſt, quod ab informantibus pro Collegio in ſummario num. 3. addita fuerunt verba, quæ non leguntur in originali, nec in tranſumpto, ab Eminentiſſimo D. Cardinali Præfecto ſubſcripto, ut ex eo liquet. 2

Perilluſtris, &c. De contributione ad Seminarium iſtius Civitatis pro Eccleſiis S. Stephani de Baſtucos, & ejus annexa S. Pelagii Collegio Patrum Societatis Jeſu per Sedem Apoſtolicam unitis, dictorum Patrum a contributione Seminarii privilegiis Apoſtolicis exemptorum minimè utique ad ipſum Seminarium eſſe contribuendum. Ideòque amplitudo tua, ſive ejus Vicarius nullam hac de re moleſtiam ipſis Patribus exhibeat, & ſequeſtrum ſuper dictarum Eccleſiarum fructibus relaxatum, tollat. Romæ die 26. *Aprilis* 1597. *pag.* 502. *col.* 2. *lib.* 6. *liter.* 3

Contraria verò facta legitur in Camerinenſi, prævia propoſitione in S. Congregatione anno 582. & ſic poſt privilegia eidem Societati a Gregorio XIII. conceſſa, tenoris ſequentis. 4

Reverendiſſime, &c. Cum libellus tuus, in quo petis declarari,

clarari, an Collegium Romanum Jesuitarum debeat ex fructibus Abbatiæ Clarevallis, quam istic possidet, contribuere Seminario tuo Camerinensi, propositus fuisset in S. Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, ea censuit Collegium ad contributionem solitam in Seminarium teneri, &c. Romæ die ultima Januarii 1582. *lib.* 4. *pag.* 66. *col.* 2.

6 Concinit alia declaratio S. Congregationis Episcoporum in terminis Ordinum Mendicantium tenoris hujusmodi.

7 *In Hieracensi* 1593. *Sac. Congregatio Episcoporum censuit, Monasteria Monialium, etiam Ordinis Mendicantium teneri contribuere Seminario, quando beneficia sunt eis unita.*

8 Atque ita contra Patres Prædicatores, Mendicantes ad instantiam Patrum Societatis pro Seminario Romano fuit pronunciatum in Tribunali Eminentissimi D. Cardinalis Vicarii cum approbatione in Signatura Sanctissimi, & exequutione subsequuta. Quæ sanè debent omnes Mendicantes afficere, Dec. *cons.* 35. *num.* 5. Aym. *cons.* 62. *num.* 11. *ad fin.* Rot. *dec.* 121. *n.* 28. *p.* 1. *div.* Et ab eo, quod in Curia Romana geritur, omnes aliæ Regiones, & diœceses normam, & exemplum sumere debent, ut in simili dixit Rot. *part.* 6. *rec. dec.* 288. *num.* 21.

9 Hanc doctrinam firmarunt in terminis Mendicantium Barbos. *in Collect. ad cap.* 18. *num.* 28. 30. & 44. ejusdem Concilii ex mente Sell. *in select. Canon. c.* 10. *n.* 19. 25. & *seq.* Bonfadin. *in Thes. Eccles. resol.* 32. *num.* 9. Novar. *in Lucern. Regul. v. Mendicantes num.* 42. qui alios adducunt.

10 Authoritati assistunt rationes. Nam Abbatiæ, sive beneficia unita transeunt cum onere sibi adhærente, & annexo, ac sine præjudicio Seminarii, ad cujus favorem jam vigore Concilii Trident. obligata erant, *cap. Pastoralis de decim. cap. Quia Monasterium de Relig. domib.* & ponderavit idem Bonfadin. ubi supra num. 15. Protritum enim est, quod res cùm suo onere ad quemcunque vadat, pertranssit, etiamsi transeat ad privilegiatum, ut post Duegn. *reg.* 100. *n.* 14. Aymon. *cons.* 217. *num.* 5. docet Bellet. *disq. Cler. part.* 1. *de exempt. Cler. §.* 8. *n.* 8. & censuit eadem S. Congregatio in allegata Camerinensi, dum utitur verbo *solitam*, & magis clarè in Burgensi die 23. Maji 1574.

11 Hinc autem est, quod ex Abbatiis, quæ conceduntur Eminentiss. Cardinalibus solvitur eadem taxa Seminariis, non obstantibus eorum ampliss. privilegiis, ut sæpiùs declaravit Sac. Congreg. Concilii, & noviss. ad instantiam eorundem Patrum Societatis in una Romana die 3. Febr. 1646. Quod etiam declaravit S. Congreg. Episc. & Regul. nominatim in una Assisien. die 20. Septembris 1583. in una Cæsenaten. die 22. Decemb. 1599. & 10. Julii 1600. & 3. Septembris 1601. ac 31. Maji 1602. passimque alibi. Et anno 1610. eadem S. Congreg. Concilii declaravit, etiam ex beneficiis, quæ Domini Cardinales, & Camerales possident, esse contribuendum Seminario.

12 Secunda ratio est, quia cùm hujusmodi taxa Seminarii in unionibus specificè non derogetur, utique censetur dictum jus eidem Seminario præservatum, tanquam adherens ipsis Abbatiis, & beneficiis ex theorica Abbat. *in cap.* 2. *num.* 5. *de relig. domib.* & firmat Rot. coram Duran. *dec.* 92. *n.* 7. & 9. *ubi num.* 10. assignat rationem, quod Diplomata hujusmodi unionum sunt strictè interpretanda. Cùm his concordat *decis.* 18. *n.* 8. coram eodem, & *dec.* 770. *num.* 5. *part.* 4. *div.*

13 Et licèt verbum, *Incorporamus*, soleat denotare unionem accessoriè, & extinctivè factam, attamen quia magis substantiam, & mentem attendere debemus, quàm unicum verbum, præsertim ubi alia quoque verba contrarium ostendunt, concludendum videtur, unionem æquè principaliter factam esse, utque etiam in dubio præsumitur, Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. glos.* 5 *§.* 7. *num.* 134. Duran. *dec.* 331. *num.* 6. Castropal. *part.* 2. *tract.* 14. *disp.* 6. *punct.* 1. *num.* 11. Cavall. *dec.* 330. *num.* 3. Adeòut dicenti contrarium incumbat onus probandi, Rota *part.* 2. *div. decis.* 114. *num.* 4. & 5. *num.* 10. & *seq.* Et ad effectum cognoscendi, an unio sit accessoriè, vel æquè principaliter facta, attenduntur conjecturæ, Anchar. *cons.* 114. *num.* 2. & 3. Felin. *in cap. Translato* 3. *num.* 7. Caval. *dict. dec.* 330. *num.* 2. Qua de re Mantic. *decis.* 224. *num.* 3.

14 Utcumque autem sit, unionem sine præjudicio tertii semper intelligendam esse passim traditur a Doctoribus, & a S. Rota Romana. Ita Coccin. *dec.* 157. *n.* 9. Seraph. *dec.* 1420. *numer.* 18. & *seq.* Duran. *dec.* 14. *n.* 8. Rot. *dec.* 730. *n.* 1. *p.* 3. *rec.* & *p.* 5. *tom.* 2. *dec.* 451. *n.* 7. & *seq.* & *dec.* 462. *n.* 6. & *seqq. p.* 4. *div. dec.* 690. *n.* 1. Atque nulla est difficultas quando datur compatibilitas oneris cum unione. Quia hoc casu res semper transit cum onere suo, etiamsi unio esset accessoriè facta, ut in puncto Seraphin. *d. dec.* 1420. *n.* 20. & *seq.* loquens de pensione, quæ non extinguitur, si beneficium ea gravatum uniatur. Quia licet titulus extinguatur, remanet tamen fructus cum suo onere penes eos, in quorum gratia facta est unio, Rota *d. dec.* 690. *n.* 1. & *dec.* 730. *num.* 5. & 6. & *d. dec.* 451. *n.* 7. ubi quod unio non tollit jus percipiendi partem fructuum ex beneficio unito, & num. 9. & 16. ubi quod tale onus censetur præservatum, etiamsi id expressum non fuerit, ut *dec.* 462. *num.* 3. ubi sequuta fuit decisionem Seraphini, ubi num. 7. ait, quod ideò unio non tollit jus exigendi pensionem, nec alia jura compatibilia cum unione, & n. 9. firmat, quod hæc præsertim procedit accedente observantia, quæ demonstrat qualis fuerit unio, ut per Gonzal. *d. §.* 7. *n.* 135. Duran. *ea dec.* 331. *num.* 6.

Et hac ratione adhærentiæ, atque annexionis rei eadem S. Congregatio sæpiùs declaravit, decimas solvi debere a Regularibus, etiam Mendicantibus ex bonis, quæ ad illos devenerunt. Eo vel maximè quando ex multiplicitate acquisitionum, eorum privilegia, ut in hoc casu, reduntur nimis læsiva tertio. Quia in re nullum habent privilegium, ne quidem spero habituros. Privilegium enim foret non privilegium. 15

Idque præcipuè verum est in unione illarum Abbatiarum, in quibus non legitur facta extinctivè cum suppressione tituli, sed tantummodo cum suppressione præcedentis status, & observantiæ Regularis, ut in illa Ordinis Cistercienss Cathacensis diœcesis tertiò discussa in S. Congregatione Concilii, ibi: *Ordinem, ac omnem statum, observantiam, & essentiam regulares Apostolica authoritate supprimimus.* Quod quidem planè remansit justificatum ex eo, quod dicta Abbatia continuavit sub eodem nomine S. Leonardi, & in eadem obedientia erga Ecclesiam Cathedralem Cathacensem mediante solutione cathedratici, & ceræ, ut liquet ex libro antiquo ejusmodi solutionum, quæ eidem Ecclesiæ annuatim fiunt. Istæ enim excludunt unionem fuisse extinctivè factam cum suppressione tituli, ut firmat Felin. *in cap. Translato n.* 4. *in fine*, Rot. coram Durano *dec.* 322. *n.* 6. 16

Essentialis autem differentia, quæ uniones æquè principaliter, & accessoriè factas distinguit illa est, quod prima conservat utrumque titulum, & duas quodammodo dignitates sub uno Prælato constituit, ita ut commoda utriusque habeat firmis tamen remanentibus privilegiis, præeminentiis, dignitatibus, nominibus, titulis, ac juribus utriusque Ecclesiæ, Anchar. *cons.* 114. *n.* 2. Cavaler. *d. dec.* 330. *n.* 1. & Mantic. *dec.* 224. *num.* 3. Secunda verò, nomen, & titulum beneficii extinguit, adeò quod efficiatur pars, & prædium Ecclesiæ, cui unitur, Felin. *in cap. Cum in nostra num.* 30. *de rescript.* Caval. *in allegata decis. num.* 5. & Mantic. eo loco *n.* 3. 17

Nec observantia interpretativa requiritur, quod sit præscripta, cùm sufficiat, si ita aliquando fuerit observatum, etiam unica vice, Buratt. *decis.* 679. *num.* 9. & *decis.* 647. *num.* 11. & 12. Et liber Ecclesiæ probat, Felin. *in cap. Ad audientiam* 13. & *num.* 14. *de præscr.* Caval. *dec.* 75. *num.* 2. & *decis.* 648. *num.* 3. & 4. Rot. *part.* 1. *recent. dec.* 195. *num.* 2. Et in quocunque casu, quo ejus probatio admittenda non esset, saltem pro adminiculo, ac præsumptione deservit, Genua *de script. priv. tit. de libr. monast. lib.* 5. *fol.* 264. Et de scriptura extracta ab Archivio, quod adminiculum præstet, ac præsumptionem boni juris, plurimumque operetur, resolvit Rot. *decis.* 45. *num.* 35. *part.* 5. adeòut sufficiat ad dandum juramentum suppletorium. Gen. *loc. cit. num.* 1. post Surd. *cons.* 245. *num.* 19. Licèt verius sit ejusmodi libros plenè, ac concludenter probare ex adductis, quibus addo Gen. *eo loco num.* 6. Præsertim si sint libri Ecclesiæ Cathedralis, Rot. *part.* 5. *dec.* 45. *num.* 2. Gen. *d. lib.* 5. *tit. de libr. Cathedr. for. Eccl. fol.* 169. Et multò magis si fuerint extracti ex Archivio ejusdem Ecclesiæ. Quo casu sine dubio probant, *d. c. Ad audientiam de præscript.* ac fusè Gen. *d. tit. de lib. monast. num.* 10. 18

Quod si replicetur, non sufficere inter non subditos; respondetur adhuc inter non subditos probare, stante temporis antiquitate, librorum pluralitate, Archivii robore, aliisque adminiculis, Gen. *tit. de libr. ration. in Archid. repet. lib.* 5. *num.* 19. *fol.* 25. Rot. *in Barchinonen. Jurisdictionis* 4. Julii 1646. coram Bichio, & *dec.* 45. *num.* 29. & 30. *part.* 5. *recent.* & *num.* 14. ubi maximè stante verisimilitudine, Rot. *de comm. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *per tot.* & *num.* 18. Ac etiam quia multæ ex partitis descriptis in dictis libris verificari possunt, Burlatt. *cons.* 330. *n.* 102. Gen. *d. tit.* 19

de

de libr. monaſt. num. 9. Idque etiamſi agatur contra nominatos in eiſdem libris, & ab eis cauſa habentes ex notatis per Gen. modò adductum num. 7. Et præſertim ſi ſuper ejuſmodi libris jam fuerit aliquando judicatum. Sententiæ enim per appellationem ſuſpenſæ, habent pro ſe boni juris præſumptionem, Rot. *dec.* 250. *num.* 2. *par.* 1. *rec.* & *p.* 2. *dec.* 92. *num.* 2.

20 Neque obſtat clauſula ſublata, & decretum irritans. Quia data compatibilitate onerum cum unione ex jam adductis abſque alia expreſſione, ſi quoad ea non eſt locus privilegio, minus locus eſſe poteſt dictæ clauſulæ ſublatæ, & decreto irritanti, Beltram. *ad Gregor. deciſ.* 283. *num.* 5. Rota in Legionen. beneficii 4. Julii 1640. coram Ghislerio.

21 Hoc idem confirmatur ex ſententia Rotali, in qua dictum Collegium condemnatur ad eandem ſolutionem. Et ideò licet pro parte Collegii dentur atteſtationes extrajudiciales Rectorum, quod non ſolverunt; nihilominus eliduntur ex dicta ſententia, & libro antiquo, & ex ſupradicta forma unionis.

22 Quare cùm nedum Abbates antequam beneficia, vel Abbatiæ fuerint Regularibus unitæ, verùm etiam iidem Regulares, jam ſolverent Seminarii taxam, illud manutenendum eſt, cùm in fortioribus terminis quando aliqua taxa ſolvitur ex bonis, nimirum pro Seminario, vel decimis, ſi poſteà bona tranſeunt ad exemptos, adhuc datur manutentio in illa exactione. Quia ex variatione rei poſſeſſoris non variatur jus actoris juxta *dec.* Guidop. 629. *per tot.* quam in terminis decimarum amplexa eſt Rota *dec.* 341. *num.* 1. & *dec.* 562. *num.* 1. *par.* 1. *rec.* & apud Poſth. *de manut. dec.* 455. *num.* 2. & in Hiſpalen. decimarum 19. Junii 1648. coram Meltio, ubi agebatur contra Patres Dominicanos, & in Toletana decimarum 15. Junii ejuſdem anni coram Eminentiſſimo Celſo, ubi agebatur contra Patres Ordinis Redemptionis Captivorum, & in altera Toletana decimarum 21. Junii 1649. coram Eminentiſſimo Otthobono, ubi agebatur contra Equites de Calatrava, qui omnes prætendebant exemptionem.

23 Quod verò ſpectat ad alia bona a Monaſteriis, ſive Collegiis poſſeſſa S. Concilium Tridentinum eo cap. 18. ſub principio excipit quidem redditus bonorum Regularium Mendicantium. Verùm iſta exceptio intelligenda videtur de redditibus proportionatis ad neceſſariam ſuſtentationem Regularium, non autem de illis, quæ ſuperſunt. Ita firmat præ cæteris idem Barboſ. *in collect. ad d. cap.* 18. *n.* 30. & 31. & cenſuit eadem S. Congreg. in ſequentibus declarationibus.

24 *In Bracharenſi* 1573. *Sacra*, &c. *cenſuit*, *Monaſteria non eſſe exempta a contributione Seminarii ex eò quod in illis lectiones grammaticæ*, & *caſuum conſcientiæ quotidie habeantur*, *ſed tantum impenſarum eſſe rationem habendam*, *de reliquis contribuendum ad ratam*, *lib.* 1. *decret. pag.* 149.

25 Idem antea declaraverat in nna Nucerina menſe Nov. 1567. Idem contra Monachos S. Benedicti in Attrebatenſi die 17. Septembr. 1594. Idem in Conſtantienſi Monaſterii S. Galli pariter ordinis S. Benedicti die 22. Junii 1624. ut videre eſt *in lib.* 1. *lit. pag.* 169. *col.* 2. Et in terminis Regularium Ordinis Captivorum, qui inter Mendicantes enumeratur a Paulo V. in ſua Conſtitutione 60. cenſuit eadem S. Congr. in hunc modum.

26 *In Ulyſbonenſi die* 11. *Maji* 1576. *Sacra*, &c. *cenſuit*, *Monaſteria Religionis Captivorum teneri contribuere Seminario pro fructibus*, *qui ſuperſunt*, *lib.* 1. *pag.* 215.

27 Prætereà ponderandum eſt, quod privilegia Regularium, ac præſertim Societatis Jeſu, ex multiplicatione unionum, ab bonorum acquiſitorum hiſce temporibus effecta ſunt Seminariis nimis læſiva, atque adeò non ſunt obſervanda. Textus eſt *in cap. Suggeſtum*, *de decim.* ubi poſt Gloſ. *v. Privilegia in fin.* notant Doctores, concinitque *cap. Nuper eodem tit.* cum ibidem notatis, & tradit Gloſ. *in cap. Dilecti* eodem argumento, atque habetur ex *cap. Quid per novale*, ubi etiam Gloſ. *de verb. ſignif.* ac ſtabiliunt Rebuf. *de decim. quæſt.* 14. *num.* 45. Menoch. *conſ.* 156. *num.* 9. *lib.* 2. Tambur. *de jur. Abb. diſput.* 17. *quæſt.* 5. *num.* 11. Caſtropal. *tom* 2. *tract.* 10. *diſp.* 13. *punct.* 13. *num.* 1. aliique. Et hinc eſt, quod Gabriel. *conſ.* 26. *lib.* 1. ac Rot. *deciſ.* 477. *par.* 4. *recent.* cum aliis, dum dicunt, Patres Societatis, alioſque Regulares gaudere privilegiis Mendicantium, nituntur in ſola quantitate reddituum proportionata neceſſariæ ſuſtentationi, prout aliàs etiam fuit, partibus auditis, latè diſcuſſum in Romana hæreditatis de Gualtrinis anno 1634. & 1635.

28 Et ex eodem motivo *c. Suggeſtum* cum ſimilibus Sac. Congr. Concilii poſt maturam diſcuſſionem, partibus ſæpiùs auditis, cenſuit in Gneſnenſ. ſeu Poloniæ die 17. Junii 1645. ab eiſdem Patribus, aliiſque Regularibus Mendicantibus, non obſtantibus eorum privilegiis, ſolvendas eſſe decimas, quæ a laicis ſolvebantur priuſquam bona in ipſorum proprietatem fuerint translata. Quam declarationem poſtea Sanctiſſimus Brevi Apoſtolico approbavit, confirmavitque cum effectu ſubſequuto.

Nec exemptio Regularibus conceſſa in Conſtitutione 29
Pii V. ſuffragatur. Nam a Gregorio XIII. anno 1573. fuit ad terminos S. Concilii redacta, prout in libris ejuſdem S. Congregationis annotatum reperitur, & ſignatè *lib.* 1. *decretorum pag.* 144. *col.* 2. & *pag.* 462. *col. itidem* 2. Quod etiam firmavit Rota *dec.* 628. *num.* 2. *part.* 3. *recent.* & in Licienſi 15. Januarii 1618. coram Coccino, & in Tarentina 5. Decembris 1620. coram Queypo, & in Vercellenſi 15. Januarii 1646. coram Reverendiſſimo Cerro, Decano his verbis: *Denique non obſtat privilegium ſan. mem. Pii V. in Bullar. tom.* 2. *conſtit.* 41. *§.* 2. *num.* 14. *ultimo loco exhibitum. Quia ultra quod in eo deficit eadem expreſſa derogatio d. cap. Nuper*, *de decim. hujuſmodi privilegium fuit revocatum*, & *ad terminos juris*, *ac Concilii Tridentini redactum per Conſtitutionem Gregorii XIII. in eodem Bullario d. tom.* 2. *conſtit.* 9. *per tot. Quod perinde eſt*, *ac ſi non emanaſſet*, *ut in eiſdem ferè terminis de eodem privilegio dixit Rota in una Pampilonen. decimarum* 18. *Decembris* 1615. *coram bon. mem. Coccino*, *quæ eſt deciſio* 728. *num.* 1. *part.* 3. *recent. Quæ Conſtitutio Gregoriana non evitatur allegando*, *eam*, *non fuiſſe in tempore promulgatam*, *nec uſu receptam. Quia tanquam promulgata inter alias Bullas Pontificias circumfertur*, *ut videre eſt loco ſupra citato. Quod autem ſit uſu recepta firmavit Rota coram bon. mem. Coccino dec.* 278. *n.* 1. *par.* 3. *rec.*

Conſer in hunc locum quæ dixi *conſult.* 42. *num.* 8. 30
pro abrogatione ejuſdem Conſtitutionis Pianæ, & videbis quicquid ad favorem ſuarum Religionum aliqui Regulares hac in re errore ſucceſſorio comminiſcuntur, vi ſua ruere. Exemplum ſit, quod ait Lantuſca in ſuo Theatro *v. Canonica portio*, ubi re inanem, verbis ſubdolam affert ſententiam quandam ab R. P. D. Baranzono prolata in cauſa quartæ cujuſdam legati pro fabrica contra Parochum S. Angeli in foro piſcium. Sed pudeat, viros ſupra vulgus ſapere cupientes adeò etiamnum præjudiciis infantiæ ſuæ adhærere. Scire enim debuerat Lantuſca, ab illa ſententia Parochum appellaſſe ad ſacram Rotam tanquam adverſus injuſtitiam, *cap. Cum ſpeciali*, *§. Porrò*, *cap. Suggeſtum*, *de appell.* & docent Doctores *in rubr. de appell. num.* 6. Eſt autem notiſſimi juris, quod appellatio ſuſpendit ſententiam, & rem judicatam, *cap. Venientes de jurejur.* ubi Doctores, & *cap. Paſtoralis*, *§. Præterea*, *de offic. deleg.* & notavit in ſpecie Abb. *in cap. fin. num.* 6. *de ſequeſtr. poſſeſſ.* Rota coram Mantic. *dec.* 68. *num.* 4. & coram Pegna *deciſ.* 1009. *num.* 7. & coram Merlino *dec.* 316. *num.* 6. & propterea cum Parochus interpoſuerit appellationem, debet cauſa remanere in eo ſtatu, in quo erat ante ſententiam, *leg.* 1. *ff. ad Turpul.* & *leg. un. ff. nihil nov. appel. pend.* & *leg. appellatione*, *Cod. de appellat.* Ita quod hac de re non ſit amplius neceſſe, ut hoc loco laboremus. Satis enim eſt, Adverſarios niti vel privilegiis abrogatis, vel ſententiis infirmis. At opponunt alteram Conſtitutionem ipſius Gregorii XIII. editam anno 1575. ejus vero Pontificatus tertio, in qua primæ derogatur. Ea legitur in Bullario Rodriquez. Sed quantæ fidei ſit id Bullarium in hac materia vel ex eo dignoſcitur, quod de illa neque in Bullario Cherubini, neque in Archivio Apoſtolico, neque authenticè conſtat. Quinimmò Navarrus, qui vixerat anno 1586. teſtatur illam non emanaſſe, neque publicatam fuiſſe, ut legere eſt apud ipſum *in Man. cap. ult. num.* 291. Credo rarum eſſe regeſtum, in quod hæc nova Conſtitutio relata eſt, difficiliùſque inventu, nec vulgo habetur, ſed tanquam faſti olim a Pontificibus, aut libri Sybillini a Decemviris cuſtoditur. Habes hic, lector, ſpecimen arcani Adverſariorum, id eſt media, ac modos, quibus opiniones ſuas longè, latèque diſſeminare, incautis obrepere, eoſque ſupplantare poſſent. Verùm hac de re in ſecundo tomo, annuente Deo, cùm de quarta legatorum agetur, plura ventilabimus.

Motivum verò, quod Abbatiæ unitæ, uti antea Or- 31
dini Monachorum, ſint exemptæ ab hujuſmodi contributione, ceſſare videtur ex declarationibus relatis, dum in terminis Ordinis S. Benedicti, quæ eſt principalis inter duodecim Congregationes Monachales, & ex declaratione in Peruſina, in Brixienſi, & in Eugubina 1577. in ſpecie Canonicorum S. Salvatoris qui pariter ſunt ex dictis duodecim Congregationibus fuit declaratum, teneri. Etenim non legitur in Concilio Trident. expreſsè exemptas a taxa Seminarii, quare ab illius contributione

exemptæ dici non possunt. Nec communicatio privilegiorum comprehendit hujusmodi immunitatem, sicuti non comprehendit exemptionem a decimis, Cavaler. *dec.* 247. *num.* 10. Coccin. *dec.* 259. *n.* 3. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *disp.* 15. *qu.* 18. *num.* 34. *& seqq.* juncta decisione Rotæ in Valentina decimarum 28. Novembris 1603. cor. Lancelloto.

32 Et sanè fuere quemadmodum olim, ita nunc quoque privilegiorum abusus, atque ingentia incommoda exorta. Nam primò, in omni genere privilegiorum id cernitur. Realia enim, dum per familias, & successiones traduntur, paulatim eo tendunt, ut Principem non agnoscant, nulla in re obtemperent. Personalia minus diurna sunt, sed multitudine vilescunt, & in quos nimia congeruntur, ferè præcipitant, & mole sua opprimunt. Remunerativa minus invidiosa sunt, sed ingratos, & superbos ferè efficiunt. Nec dicere vereor, omnium, quæ a ducentis annis Ecclesiam Catholicam Romanam concussérunt turbarum originem a privilegiis multis, magnisque manasse.

33 Quamobrem maximè cavenda sunt ea, quæ odiosa vocant, hoc est, quæ aliorum juri derogant. Ea verò, quę cum mutatione rerum ex justis redduntur injusta omninò tollenda fecerunt hoc Imperatores etiam in privatis possessionibus. Statuit Constantinus, ne ad munera Fiscalis possessor obligaret, *l.* 11. *tit.* 25. At hoc privilegium Valens sustulit eodem loco. Honorius, & Theodosius declaraverunt, non esse sordida illa opera; Theodosius tamen, & Valentinus iterùm restituerunt.

34 Itaque in articulo tàm gravi, ac præjudiciali Seminariis expedire saltem videtur, ut consulto Sanctissimo, aliqua determinatio Apostolica sequatur, prout in similibus fuit ab eadem S. Congreg. Concilii observatum. In hac enim difficultate hoc quidem certum omninò est, posse Summum Pontificem Regularium privilegia ex justa causa revocare, abrogareque, idque etiam si essent remuneratoria, hoc est concessa intuitu meritorum, ut communiter docent, Glos. *in d. cap. Suggestum, de decim. & in auth. Ut Judex, §. Quod autem*, Jas. *in l. Si ex toto, ff. de leg.* 1. *& in l. si ex hoc jure num.* 54. *ff. de just. & jur.* Castr. *in l. Digna vox C. de legib.* Bald. *in l. Donationes, C. de donat. inter vir. & uxor.* Alex. *cons.* 16. *n.* 3. *vol.* 3. Dec. *cons.* 335. *numer.* 2. Ofasch. *dec.* 90. *n.* 15. Ilsern. *in cap.* 1. *de prohib. feud. alien.* Peregr. *lib.* 1. *de jur. Fisci tit.* 3. *numer.* 67. Bellug. *in specul. Princ. rubr.* 11. *numer.* 5. Roland. a Vall. *cons.* 1. *numer.* 158. *& seqq. volum.* 2. Menoch. *cons.* 156. *numer.* 48. Tapia *in l. ult. ff. de const. Princ. par.* 2. *capit.* 9. *numer.* 42. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 33. *numer.* 3. Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 37. *num.* 9. Et desumitur ex *l. Ex facto, ff. de vulg. & pupil. substit.* ubi etiam alii Doctores, *& l. Cùm quis ff. de solut.*

35 Etenim privilegiorum promulgatio ad Principem pertinet, *l. leges, l. humanum, l. fin. C. de legib.* cujus verò est promulgare, ejus etiam est abrogare, *l. Nihil tàm naturale, ff. de reg. jur. l. Si quis in princ. ff. de legat.* 3. Nam quod Principum decreto impendere licet, eorumdem auctoritate tollere non licet? Tum quia Principes jura positiva, qualia in ejusmodi privilegiis continentur, tollere potest, *§.* sed *naturalia, instit. de jur. nat. & gent. cap. Præposuit extra de concess. præbend. Clem.* 2. *cum Glos. de Immunitate Ecclesiæ dict. leg. Digna vox, C. de legib.* Item quia privilegia debent regulari a potestate jurisdictionali concedentis, quæ cum debeat semper respicere bonum communitatis, privilegia quoque ex natura sua, & in virtute concessionis debent remanere subordinata eidem potestati secundùm exigentiam boni communitatis. Et ideò quando ita exigit bonum commune, possunt revocari. Nam sicut Princeps non potest facere aliquid contra exigentiam boni communis, ita quando concedit aliquod privilegium semper censetur concedere sub tacita conditione, quod eatenus valeat, quatenus non sit præjudiciale bono communi *d. l. Ex facto, ff. de vulg. & pupil. substit.* & notat Thomas Delbene *de Parlam. dub.* 7. *sect.* 3. *numer.* 1. Unde quando bonum commune exigit revocari privilegium, quia incipit esse præjudiciale, tunc potest revocari in virtute tacitæ conditionis, quæ afficit concessionem. Ac postremò, quia Summus Pontifex non potest suos successores obligare, nec in aliquo derogare illorum potestati. Nam causam ab eo non tradunt, sed singuli habent authoritatem immediatè a Christo, nec per parem obligantur, *l.* 4. *& 6. ff. de recept. arbitr. l. Est receptum* 14. *de jurisdict.* pacto enim antecessoris non ligatur successor, & resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis, *l. lex vectigali, ff. de pignorib.* atque adeò potest abrogare illis privilegia, quæ planè sunt revocabilia, etiam absque causa concedente, vel ejus successore, quando sunt concessa subditis, ut desumitur ex *cap. Clericis, §. Non obstantibus, de immun. Eccles. & c. fin. in fin. de sent. excom. & d. cap. Suggestum de decim.* ubi Gloss. *& l.* 2. *C. de priv. scol.* docetque Glos. *in cap. Decet, v. Mansurum de reg. jur. in* 6 Butr. *in cap. Novit. de judic.* Panorm. Felin. & alii ibid. Rip. *lib.* 2. *de resp. cap.* 6. *numer.* 12. Martin Laudens. *de privil. notab.* 34. Afflict. *dec.* 128. Grammat. *dec.* 56. *num.* 5. Castal. *de Imper. quæst.* 55. Vivius *dec.* 207. *num.* 1. *lib.* 1. & cæteri communiter.

Neque obstat, quod beneficium Principis debet esse 36
permanens, *d. c. Decet, de reg. jur. in* 6. Unde etiam ejusmodi privilegia cùm sint gratiæ factæ a Summis Pontificibus, debent esse permanentia, præsertim cùm habeant quandam rationem remunerationis, cùm non soleant concedi, nisi benemeritis. Quoniam hoc intelligitur solùm quoad quandam decentiam, non quoad necessitatem, ut optimè notat Glos. *in d. reg. Decet*. Quandoquidem potest Princeps etiam post jus quæsitum revocare privilegia concessa subditis vel a seipso, vel a suis prædecessoribus, ut notant Peregrin. *de jure Fisci lib.* 1. *tract.* 3. *num.* 19. Covar. *lib.* 3. *var. capit.* 6. Unde Glos. *v. Mansurum* ait, quod Princeps privilegium per se concessum diminuere, vel moderari, & etiam in totum tollere potest. Quod probat *ex cap. Quia sæpè de elect. & ex d. c. Clerici, de immunit. Eccles. & cap. fin. de sent. excomm.*

CONSULTATIO CCXXIV.

Cùm in dignitatibus Ecclesiasticis exigatur gradus Doctoratus, quæritur, *An sufficiat, quod hujusmodi gradus sit ab aliquo collatus vigore particularis privilegii, an potiùs requiratur, ut sit receptus in aliqua publica Universitate?*

PRo affirmativa sententia sic primò argumentor. Qui- 1
cunque moribus, & facundia excellit, is ex Juliani Imperatoris constitutione ad gradum Doctoris admittitur *l. Magistros* 7. *C. de Profes. & Medic.* Circa privilegiatum, sive ut ajunt Bullatum Doctorum, & morum, & facundiæ excellentiam ponimus. Siquidem si utroque destitutus titulum obtinuerit, non ex eò quod privilegiatus Doctor, sed togatus asinus est, rectè privilegiis Doctorum privabitur. Nam & Jurisperitorum communi calculo, si ritè, rectèque in Academiis promotum morum, & facundiæ elegantia non commendet conclusum extat propter apparentem insufficientiam Doctoratus insignis spoliari posse *arg. l.* 1. ubi Bart. *C. de Profes. & Medic.* Jacob. Benius *p.* 2. *in proœm. de privil. Jurisconsult.* Nec Doctor indoctus frui debet privilegio Doctorum, Tolosan. *lib.* 18. *de Republ. cap.* 9. *num.* 9.

Postea, si Imperator, sive Pontifex facultatem alicui 2
dare potest, utique is illam rectè exercere poterit. Sunt enim hæc consequentia, concedere quod fas, id exercere nefas dici nequit. Atqui nemo dixerit Imperatori hanc facultatem tribuere fas non esse, Sixtin *c.* 2. *n.* 23. *de Regal.* Quod præter quotidianam experientiam probatur rescriptis Imperatoris, quibus cavetur instar sacrilegii esse disputare de principali judicio *l.* 3. *C. de crim. sacrileg. l.* 5. *C. de divers. rescript.* Fas itaque, & erit alicui hanc facultatem in eum, qui moribus, & doctrina sufficientem sese præbet, exercere.

Deinde non ignoti juris est, quod dubitare, an is di- 3
gnus sit, quem elegerit Imperator, non liceat, *d. l.* 3. *C. de crim. sacrileg.* Privilegiatum autem Doctorem eligit Imperator, etsi non per se, per alium tamen, qui vice ipsius fungitur. Nam cùm, ut ait Seneca *de consol.* numeris Principis totus innitatur Orbis, unius autem ingenium tantæ molis capax non sit, invicem curarum alios, qui in quibusdam partitionenem earundem cum ipso instituerent, vocari necesse fuit. Quod exemplo Academiarum demonstrari potest, quæ quia Princeps omnibus locis adesse nequit, *d. l.* 7. *C. de Professoribus, & Medicis*, ipsius authoritate Doctores creant Doctores, ait Tolosanus *d. lib.* 18. *cap.* 9. *num.* 8. privilegiare ad Pontificem, & Imperatorem origine pertinet, & Universitates privilegia tantùm eorum authoritate concedunt.

Denique. Id vel maximè juris ratione congruit, quæ 4
non curat medium, dummodo rei effectum habeamus, *l. In conditionibus, ff. de condit & demonstr.* Dec. *cons.* 227. Medium est scientiæ probatio, quo scilicet promotum dignè gradum susceperisse clarescit. Nam actus ille, qui in renunciatione publica suscipitur, non dat scientiam, vel peritiam, sed solummodo eam probat ait Coras. *lib.* 1. *tit.* 6. *inspect.* 11. *num.* 129. *de comm. Doctor. opin.*

De

De hac itaque tanquam effectum cum per medium probationis ab habente privilegium promanantis constare satis superque possit, nescio an strictè eam, quæ ab Universitatibus impertiri solet, requirere necesse sit. Atque hanc opinionem tenet Georgius Marra, egregius Theologus, ac Juris interpretes.

5 At verò tenendum est cum negativa, quam magnò consensu Doctores decidunt, ut apparet ex iis, quos citat Matth. Coler. *par. 2. cap. 3. nu. 13. de proc. exequut.* Benius ubi supra *num. 6.* & Roland, *lib. 1. cap. 14. num. 8. de commiss.* Ratio præcipua est, quia hi non præsumuntur habere talem scientiam, quia non sunt publicè examinati. Requiritur enim examinatio super scientia, argum. *d. l. 3. C. de Profes. & Med.* Menoch. *lib. 2. qu. 126. num. 18.* Hinc Julianus *in d. l. 7.* voluit, ut judicio Ordinis promovendus decretum Curialium mereatur optimorum consensu conspirante.

6 Confidunt igitur Principes Professoribus Universitatum, tanquam Præceptoribus, qui ingeniorum scholasticorum possunt esse justi æstimatores vel ex frequentia colloquutionis, & auditionis illorum, vel examine, quod habere debent antequam testimonium dent eruditionis. Hinc ejusmodi examen, vel inquisitio promovendi ad gradum magisterii, seu Doctoris triplex solet fieri. Primum fit a Præceptoribus propriis, qui promovent, seu præsentant insigniendum Universitati juxta *l. Nemini, C. de Advoc. div. judic.* Secundum fit publicè, exposito promovendo certamini literario in scholis, ut intelligatur quæ ejus facundia, quantave ei insit doctrina. Tertium fit ab Ordine Professorum Collegii, vel studii generalis per textum *in d. l. 7. & l. si quis 10. Cod. de Profes. & Med.* Panorm. *ad cap. 3. num. 17. de sent. & re jud.* Formam videtur descripsisse Constantinus scholis literariis ex forma promovendorum in schola officiorum, *l. 1. C. de Offic. Magistr. offic.*

7 Hinc Julius III. refert in sua Constitutione edita 6. Februarii 1552. quæ incipit, *Cum sint*, in Bullario Cherubini abusum, quem emendavit, quod multis juris Civilis, & Canonici ignari ad Doctoratus gradum aspirantes indebitè sub prætextu, quod in aliqua Universitate Studii generalis operam dando in tantùm profecerint, quod idonei existant, licentiam a Sede Apostolica obtinerent, vel extorquerent, ut ab aliquo Prælato, seu a persona, in dignitate Ecclesiastica constituta, etiam de propriis extorquendo insignia Doctoratus in Romana Curia suscipere valerent. Et ejusdem licentiæ prætextu examine ad id requisito, & aliis necessariis desuper minimè adhibitis contra Sacrorum Canonum statuta, & juris dispositionem in illius Doctoratus dignitatis opprobrium se ad illius gradum faciebant promoveri, unde gradus ex præmissis vilescebat. Hoc autem emendans disponit Summus Pontifex neminem de cætero in Urbe creare posse Doctorem, nisi a Collegio Advocatorum Consistorialium, non obstantibus privilegiis, & licentiis in contrarium concessis.

8 Revocavit & Pius V. Kal. Junii ann. 1568. Constitutione sua, incipiente, *Quamvis a Sede*, idque propter omissam necessariam, in gradibus concedendis, examinationem, facultates Comitum Palatinorum, & aliorum gradus concedendi, & simul voluit ab illis doctoratos, vel graduatos non gaudere privilegiis graduatorum, quoad dignitates, aut alia beneficia. Idipsum, & in Concilio Trid. constitutum *sess. 22. cap. 2. de reform.* & alibi.

9 Causa magna est, quia Rempublicam, atque Ecclesiam fallunt, & in magna re. Gradus enim illi dantur, ut Ecclesia idoneos habeat Doctores, qui hæresibus resistant, infideles convertant, & credunt tum Principes, tum Episcopi Academiis, a quibus sine gravi scelere falli, & irrideri non possunt.

10 Atque hanc sententiam amplexa est S. Congreg. Concilii in una Elnen. die 17. Januar. 1643. in qua declaravit requiri, quod gradus Doctoratus sit receptus a qualibet Universitate publica. Quod item censuit S. Congreg. Episcoporum, & Regularium pro electione in Vicarium Capitularem die 19. Augusti 1667.

Ex quibus facilè diluuntur argumenta pro contraria sententia deducta.

CONSULTATIO CCXXV.

An Clericus, qui nupsit viduæ, & soluto matrimonio, habitum clericalem reassumpsit, quique fuit a Sede Apostolica creatus Prothonotarius Apostolicus honorarius, gaudeat privilegio fori?

VIdetur affirmativè respondendum. Nam licet bigamia illi obstaret uti Clerico solum tonsurato, quod verè tamen non obstat, quia non est vera bigamia, quia privat Clericum privilegio fori. Rot. *dec. 311. nu. 5. par. 3. recent.* sed est tantùm bigamia interpretativa, quæ oritur ex unico matrimonio contracto cum vidua, quæ non privat, ut benè distinguit Clar. *in prax. §. fin. qu. 36. num. 2. & 8.* & præsertim quando fuit reassumptus habitus clericalis cum authoritate Episcopi, quo casu multò magis dicendum est, privilegium clericale ab eo fuisse retentum, & ulterius dispensatum ad minores Ordines juxta sententiam Doctorum, quos refert Garz. *de benef. par. 6. cap. 6. num. 3.* & Ugolin. *de offic. & potest. Episc. cap. 57. §. 4. num. 1.* 1

Tamen illi obstare non potest, uti Prothonotario Apostolico, etiamsi concedamus, quod ageretur de vera bigamia. Nam privilegium fori, quod competit ratione Clericatus, est distinctum, ac diversum ab eo, quod competit ratione Prothonotariatus, qui concernit officium, & munus tabellionatus, nec aliquam habet connexionem cum Clericatu, sed emanat a diversis causis traditis per Lotter. *de re benef. lib. 2. quæst. 28. n. 33. & seqq.* Ac proinde pœna privationis, quæ in primo casu duntaxat est implicita, non potest extendi ad casum, de quo agitur, ubi hujusmodi pœna implicita non reperitur. In pœnalibus enim non est facienda extensio a persona unius qualitatis ad aliam habentem diversam qualitatem; nec est imponenda pœna privationis, nisi in casibus a jure expressis, Pegna *dec. 594. n. 6.* Fontanel. *dec. 56. num. 14. & seqq.* 2

Quod autem Prothonotarius gaudeat privilegio fori Ecclesiastici nedum quoad civilia, sed etiam quoad criminalia, firmat Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 23. nu. 36. & cap. 39. num. 65. & in collect. ad cap. 11. de reform. sess. 24. Concilii Tridentini num. 8.* quibus in locis refert in Sac. Congregatione sæpiùs fuisse resolutum, Prothonotarium honorarium tàm in civilibus, quàm in criminalibus gaudere fori privilegio etiamsi alicui Ecclesiæ non sit adscriptus, illique inserviat. Idem probat Lotter. *d. qu. 28. num. 39.* ubi dicit, Prothonotarios honorarios indistinctè foro Ecclesiastico subjici, quamvis non participent de commodis, aliisque prærogativis Ordinis Clericalis, cùm habeant dignitatem Ecclesiasticam, quæ sufficiens est, ut absque aliis requisitis Clericatus quis foro Ecclesiastico subjiciatur. 3

At nihilominus tenendum est, non gaudere. Nam bigamia non solùm impedit, ne possit quis ad Ordines promoveri, sed si fuisset jam promotus, scilicet Clericus conjugatus, privatur eo ipso omni privilegio Clericali, & foro laico omninò subjicitur, ac prohibetur deferre habitum, & tonsuram clericalem, *cap. unde bigam. in 6.* neque potest exercere Ordines minores ex officio, neque potest esse Ecclesiæ ædituus, seu sacrista, Trid. *sess. 23. cap. 16. in fin. de reform.* Et hæc procedunt in omni bigamia vera, vel interpretativa, Gloss. & Gemin. *in d. cap. un.* & ibi Jo: Monach. traditque Sylvest. *v. bigamus num. 8.* 4

Quod verò attinet ad Prothonotarium, Sac. Congregatio Concilii in una *Toletana* die 9. Julii 1626. & 27. Martii 1632. declaravit, quod Prothonotarii etiam non participantes fori privilegio gaudeant si in habitu clericali incedant, etiamsi Ecclesiæ non inserviant. At bigamus prohibetur deferre habitum, & tonsuram clericalem, ut dictum est. Unde eadem Sac. Congregatio in una *Forilivien.* die 15. Junii 1629. censuit, hujusmodi Prothonotarios non gaudere, si omninò incedant ut laici, maximè si uxorem ducant. Verùm quidem est, quod cœlibes ex Constitutione 10. Leone X. quæ incipit *Regimini §. 4.* cui per Concilium Tridentinum non fuit quoad hoc derogatum, gaudent privilegio, & immunitate clericali, licet non sint in sacris, nec beneficium habeant, nec alicujus Ecclesiæ servitio sint deputati, nec re ipsa inserviant, haud secus ac si essent clerici beneficiati, vel in sacris Ordinibus constituti. Quod declaravit etiam Sacra Congregatio Concilii die 11. Julii 1626. Participantes verò gaudent etiam de jure Concilii Trident. *sess. 24. capit. 1.* Quia censentur actu servire. 5

Atque ita etiam recentissimè declaravit in utroque casu S. Congreg. Immunitatis in una *Tortonen.* die 10. Decemb. 1658. 6

1658. Cùm enim quæreretur, an Clericus Prothonotarius Apoſtolicus, qui uxorem viduam duxit gauderet privilegio fori? S. Congregatio reſpondit, *non gaudere*. Idem declaravit in Tolentina 25. Septembris 1668. & 18. Decembris ejuſdem anni. Quod etiam tenet Pereir. *de man. Reg. p. 2. cap. 26. num. 16.*

CONSULTATIO CCXXVI.

In cap. 4. ſeſſ. 22. de reform. S. Concil. Trid. ita decernit. Quicunque in Cathedrali vel Collegiata Sæculari, vel regulari Eccleſia divinis mancipatus Officiis in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis fuerit conceſſum. Nunc quæritur, an hoc decreto comprehendantur Monaſteria Regularium, ſive Religioſi clauſtrales?

1 NON comprehendi tenuerunt Tabiena *v. Electio* 1. *nu.* 5. Rodriqu. *to.* 2. *qu. regul.* 52. *art.* 5. Portell. *v. Electio n.* 2. aliique recentiores, qui innituntur declarationi S. Congreg. Concilii, quæ, teſtante Bellarmino *ad d. ſeſſ.* 22. *cap* 4. declaravit dictum decretum non loqui de Eccleſiis Regularium. Declaratio verò eſt hujuſmodi. *Sacra, &c. die* 22. *Maji* 1577. *cenſuit. Si Conſtitutionibus Religionis caveatur etiam ſacris non initiatum poſſe quemlibet profeſſum habere vocem in Capitulo, non prohiberi a Concilio Tridentino, quin eam habeant etiam quod in ſacris non ſint; quoniam dictum decretum Concilii ſeſſ.* 22. *capit.* 4. *non comprehendit monaſterium Regularium. Sed Eccleſiæ Regulares, de quibus ibi eſt ſermo, ſunt Cathedrales, ut Pampilonenſis, Calaguritana, &c. vel Collegiatæ Regulares, ut ſunt multæ in Hiſpania.*

2 Idem declaravit pro Regularibus clauſtralibus anno 1581. ut habetur *lib. 6. memorialium pag.* 64. nimirum: *Stando il Capitolo* 4. *della ſeſſ.* 22. *del Concilio di Trento; Quicunque in Cathedrali, &c. ſi deſidera ſapere, ſe in queſto Capitolo ſiano compreſi i Religioſi clauſtrali, o nò, e di ciò ſe ne ſupplica, &c. Sac. Congregatio Concilii cenſuit, dictum decretum cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *non loqui de Monaſteriis Regularium.*

3 Idipſum etiam declaravit in una *Raguſina* die 1. Maji 1607. ex lib. 11. decretorum pag. 1. nempè. *Sacra, &c. ſæpiùs declaravit cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *quo ſtatuitur neminem in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia debere vocem in Capitulo habere, niſi ſit conſtitutus ſaltem in ordine ſubdiaconatus, non vindicare ſibi locum in Monaſteriis Regularium.*

4 Verùm tenendum eſt, hoc decreto Concilii comprehendi etiam Monaſteria Regularium, ſive Religioſos clauſtrales, ſi in Conſtitutionibus Religionis aliter expreſsè non caveatur. Tum quia decretum abſolutè loquitur de omnibus Eccleſiis Collegiatis, etiam Regularibus. Tum quia hæc videtur eſſe omnium Religionum praxis. Cui ſententiæ ſuffragatur Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. Hinc votum datum ab eo, qui non eſt in ſacris, invalidum eſſe ajunt Lezan. *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 4. Cuch. *lib.* 4. *de elect. num.* 76. Novar. *in Lucern. Regul. tit. Electores nu.* 1. Tambur. *de jur. Abb.* Jo: Honor. *ſum. in decret. tit.* 6. *de elect. num.* 11. & alii non pauci, ac declaravit S. Congregatio Concilii, ut habetur ex *lib. memorial.* 191. *pag.* 288. *& lib. decretor.* 19. *pag.* 56. Cùm enim expoſitum fuiſſet, quod quidam Sacerdotes, & Clerici in ſacris fratrum tertii Ordinis S. Franciſci Congregationis Galliæ prætendentes virtute Concilii Tridentini, quod *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. diſponit, ut ſequitur: *Quicunque in Cathedrali &c.* ſupplicat humiliter EE. VV. pro parte Superiorum dicti Ordinis Procurator Generalis pro opportuna declaratione, an ſcilicet dictum cap. Concilii det vocem in Capitulis eam aliundè non habentibus, & an Regulares Mendicantes comprehendantur in dicto *cap.* cùm Bellarminus in *d. cap.* & Rodericus *tom.* 2. *quæſt.* 52. *art.* 5. aſſerant non comprehendi, afferantque declarationes Sac. Congregationis de anno 1570. & 1576. & pro gratia, &c. *Die* 1. *Februarii* 1653. *Sacra, &c. cenſuit, cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *comprehendere etiam Regulares mendicantes; itaut Regulares, qui non ſunt in ordine Subdiaconatus vocem habere non poſſint in Capitulis, & actibus capitularibus, ſi in Conſtitutionibus ejuſdem Religionis aliter expreſsè non caveatur.*

5 Quod recentiſſimè eadem S. Congregatio iterùm declaravit in una Præmonſtratenſi, in qua quærebatur, an profeſſi Ordinem Præmonſtratenſem, ſed in Ordine Sacro minimè conſtituti poſſint in electione vocem habere? Et quatenus negativè reſponderetur, quæritur,

6 An pœna nullitatis electionis, & privationis vocis activæ, & paſſivæ contra admittentes ad ſuffragia ſerenda prænarratos profeſſos in ordine ſacro non conſtitutos, ſtatuenda ſit, ut petitur?

S. Congreg. &c. die 23. *Jan.* 1666. *reſpondit ad primum negative. Ad ſecundum affirmative.* 7

Prima igitur ſententia limitanda eſt, atque accipienda, quando ſtatutum Religionis expreſsè concederet Regularibus, qui ſacris initiati non ſunt, ut vocem habeant in Capitulo. Quia Concilium non comprehendit talem caſum ex dicta Congregatione Concil. die 22. Martii 1577. Oportet tamen quod ſtatutum ejuſmodi ſit confirmatum a Papa in forma ſpecifica, aliàs non valeret. Quia de jure ii, qui non ſunt in ſacris vocem in Capitulo habere nequeunt, *Clem. Ut ii de ætat. & qualit.* Non levis momenti hoc loco ſeſe offert. 8

CONSULTATIO CCXXVII.

An, qui ſaltem in ſubdiaconatus ordine conſtitutus non eſt, poſſit conſuetudine præſcribere, ut vocem in Capitulo habeat?

PArtem negativam tuetur Donat. *tract.* 4. *quæſt.* 6. *n.* 5. & de Canonico in Sacris non ordinato Selel. *in ſelect. can. cap.* 2. *num.* 3. apud Barboſam *ad cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *Concil. Trid. num.* 4. *de reform.* ubi ait, id fuiſſe deciſum ſub die 20. Aprilis 1602. & cenſuit Sacra Congregatio Concilii in una *Patavina* die 2. Aprilis 1640. in qua dixit non promoto ad ordines ſacros non ſuffragari conſuetudinem ad effectum habendi vocem in capitulo etiam Collegiatæ. Rationes poſſent eſſe, tum quia conſuetudo non datur contra S. Canones Tum quia *in Clem. ut ii, de æt. & qual.* & in d. loco Concilii dicitur, quod non ſubdiaconi non habeant vocem, etiam ſi hoc ab aliis liberè conceſſum fuerit. Tum etiam quia Concilium Trident. habet decretum irritans, contra quod non valet conſuetudo. 1

Verùm pars affirmativa tenenda eſt, quam etiam tenet Gloſs. *in cap. Ex eo* 32. *de elect. in v. Electionibus*, ubi manifeſtè docet per illum textum non fuiſſe abrogatam legitimam conſuetudinem, eamque valere, ſi legitimè fuerit præſcripta, ac proindè derogare legi, *cap. fin. de conſuetud.* ubi Panorm. *num.* 9. Quod autem conſuetudine poſſit abrogari lex etiam irritans, ſi conſuetudo ſit rationabilis, & legitimè præſcripta pluribus docet Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſput.* 3. *part.* 4. *§.* 2. *nu.* 5. Nam quod per legem juſtam tolli poteſt, poteſt quoque tolli per conſuetudinem juſtam, quia conſuetudo legi æquivalet. 2

Idem cenſuit eadem Sacr. Congregatio die 8. Martii 1664. in una *Romana Aſſiſtentiæ*. Cùm enim quæreretur, an Canonici minoribus ordinibus tantùm initiati, qui ex diſpoſitione juris communis, & Tridentini vocem in Capitulo non habent, ſaltem poſſint ipſi Capitulo aſſiſtere atque intereſſe. Sacra, &c. cenſuit negativè. Cùmque iterùm die 7. Septembris ejuſdem anni proponeretur, an ad id conſuetudo ſufficeret? *Sacra, &c. reſpondit, ſufficere, ſi ſit legitima*. Et cùm tertiò proponeretur die 20. ejuſdem menſis Septembris. *Sacra, &c. cenſuit, ex documentis hactenus deductis non conſtare de legitima conſuetudine.* 3

Sed, ut ingenuè dicam, in hac parte affirmativa non acquieſco, valdè enim addubito. Nam mihi ejuſmodi conſuetudo non videtur rationabilis. Eſt enim diminutiva cultus divini, quia retrahit Clericos a ſacris Ordinibus ſuſcipiendis contra mentem *d. Clement. ut ii.* Ideò enim ibi atque in Tridentino ſtatutum eſt, ne ullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat, niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus, ut ad ſuſcipiendos ſacros Ordines propenſiùs inducatur. Eſt igitur hæc conſuetudo irrationabilis, atque adeò corruptela, & proindè extirpanda, cùm nunquam poſſit eſſe legitima, & præſcripta. 4

CONSULTATIO CCXXVIII.

Utrum renunciationes, & donationes factæ, præſertim à minori, inter vivos omnium bonorum ante ſuſceptum habitum regularem ſub conditione, ſequuta profeſſione, non aliter, nec alio modo, poſſint infra duos menſes proximos ante profeſſionem emittendam ad præſcriptum Sac. Concilii Trid. revocari, & ad favorem monaſterii vel alterius perſonæ fieri?

POſſe revocari, atque adeò ſecundam donationem eſſe validam reſolvendum videtur. Nam cùm ſit indubitatum, quod hujuſmodi prima donatio ſit facta intuitu profeſſionis in Religione. & quidem conditionaliter, utique ante ſubſequutam profeſſionem poteſt revocari. Tum ex 1

eo, quod

eo, quod donatio ista censeri debet causa mortis, & ita sit quandocunque revocabilis; cùm professio Religiosa sit quædam mors civilis, ut opportunè firmat Rota *in Romana donationis de Melchioritis* die 16. Martii 1620. cor. Buratto. Tum etiam quia illa verba *sequuta professione* habent vim conditionis suspensivæ, hoc enim est de natura ablativi absoluti, Purpur. *cons.* 492. *num.* 22. Rimin. Jun. *cons.* 339. *numer.* 60. & *seq. vol.* 3. Ofasch. *dec.* 455. *num.* 5. & 6. Adeò quidem, ut interim donatio nullum effectum obtineat, possitque quandocunque revocari, ac liceat de ea pœnitere. Quod perspicuè docet Bart. *in l. sub conditione*, *ff. de solut.* Et Magistrum sicuti Rimin. *eod. loco num.* 61. Purpur. *ibid. nu.* 2. Ofasch. *ubi supra num.* 6. Honded. *cons.* 18. *num.* 35. *lib.* 2. Gratianus, qui in hanc rem plurima collegit *in discept. for. c.* 856. *num.* 18. accuratè autem atque uberrimè Menoch. *cons.* 388. *nu.* 14. & *seqq.* & paucis omnium optimè expressis Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 41.

2 Ita pariter si facta esset alienatio feudi, vel emphyteusis, reservato beneplacito Domini directi, aut alienatio bonorum Ecclesiæ, vel facta concordia in beneficialibus, reservato assensu Apostolico, ante obtentum hujusmodi assensum, vel beneplacitum, licita est pœnitentia, Abb. *in cap. super eo*, *de condit.* & *appos.* Put. *dec.* 334. *lib.* 1. Achill. *dec.* 2. *de pact.* Rot. *decis.* 624. *in fin. par.* 4. *rec.*

3 Et sanè si donans voluerit, quod, sequuta professione, donatio firma remaneat, & ampliùs non possit revocari, & annullari in futurum, clarè ex hoc sequitur, quod ante professionem emissam, non solum effectus donationis fuit in suspenso positus, itaut interim nullum effectum obtinuerit, quod sufficeret ad inducendam conditionem suspensivam juxta Menoch. loco adducto num. 19. verùm etiam, quod usquequò professio emissa fuerit, possit revocari. Argumentum est a contrario sensu, quod est validissimum in jure, habetque locum tàm in contractibus bonæ fidei, quàm stricti juris, Bald. *in l. Tendit*, *C. de act. empt.* Roman. *cons.* 339. *num.* 1. Bero. *cons.* 140. *num.* 14. *lib.* 2. Mantic. *de tac.* & *ambig. lib.* 2. *tit.* 14. *n.* 8.

4 Idem etiam ostenditur attenta subjecta materia, & natura dotationis factæ propter ingressum Religionis, de cujus natura est, quod contineat conditionem suspensivam. Quia ingressus dicitur causa finalis, Menoch. *d. cons.* 388. *nu.* 22. ubi statuit, quod ista donatio non potest dici pura, ut est illa facta sub conditione resolvenda, sed verè conditionalis, ex qua jus non confertur, nisi post mortem civilem ipsius donantis, quæ a pari procedit cum morte naturali, Bald. *in auth. Eo decurrente in fin. C. de donat. ante nupt.* quod clariùs explicat Aretin. *cons.* 11. *n.* 2. Id, & similia repetit Less. *d. cap.* 41. *n.* 13. Ricc. *in prax. resol.* 152. *num.* 2. & stabilitur a Rota *dec.* 587. *num.* 4. *par.* 1. *rec.* & *in Romanis Domunicularum* 4. Decembris 1609. coram Ottembergo.

5 Deinde hæc donatio, dato, quod sit valida, non potest, quin habeat implicitum statum validitatis, & invaliditatis, pendere a futuro eventu emittendæ professionis, & quidem dubio tàm ex parte Religionis, quæ potest donantem non admittere ad professionem, quàm ex parte donantis, in cujus arbitrio est, illam non emittere. Et ideò cùm non sit alteri jus perfectè quæsitum, resque sit adhuc integra, licita est revocatio, & pœnitentia, ut scitè expendit Menoch. *sub num.* 26. & 34.

6 Nec obstat juramentum. Quia ista donatio tanquam inter vivos, & non causa mortis habet duos defectus, nimirum insinuationis, & interventus Curatoris. Juramentum enim non supplet duos defectus, nisi fuerint expressi in Instrumento, & super illis præstitum. Ita Seraph. *decis.* 1184. *num.* 14. & *seqq.* Maximè quod minor est inhabilis ad donandum etiam cum decreto Judicis, & aliis solemnitatibus, nisi integretur persona ex juramento, Honded. *cons.* 42. *lib.* 1. & aliis, quos appositè ad rem nec uno loco adducit Gratian. *discept.* 333. *num.* 10. *tom.* 2. & *discept.* 955. *num.* 28. & nos commodius infra.

7 Item quia est conditionalis conditione suspensiva, quo fit, ut interim sit revocabilis, Menochius sæpiùs adductus *d. num.* 19. & *seqq.* Rota *in eadem Romana de Melchioriis* dicta die 10. Decembris.

8 Minus obstat, quod in eodem Instrumento dicatur prima donatio irrevocabilis. Nam, ut effugiatur contrarietas in Instrumento, ipsa irrevocabilitas debet referri tantum ad alios casus non expressos. Non solùm quia posteriora verba semper sumenda sunt pro consonantia, & declaratione anteriorum; sed etiam quia in contractibus rei veritas potiùs quàm scriptura attendi debet, ut disertè ait textus *in l.* 1. *C. plus val. quod agit.* & invo-

lucrum verborum negligentia, seu errore Notarii conceptum non debet nocere partibus, juxta *l. Si librarius*, *ff. de reg. jur.* & *l. Errore*, ubi Castr. *nu.* 1. *C. de testam.* Præsertim quando donans esset minor, quo casu eo magis attendenda est veritas rei gestæ, quæ satis hic dilucidatur ex facto ipso, quo donans voluit reservare sibi facultatem revocandi donationem quandocunque, & quousque esset subsequuta sua professio in Religione. Quare verba illa intelliguntur, purificata conditione, quæ potest adjici etiam donationi inter vivos puræ, meræ, & simplici, ut firmat Menoch. toties allegatus num. 31. & 43. Quod confirmatur ex verbis illis: *Non aliter*, *nec alio modo*, quæ inducunt conditionem suspensivam, & removent aliàs consensum ab actu, Verall. *dec.* 205. *p.* 1. Rot. *div. dec.* 654. *par.* 1. & cor. Papa Gregorio *dec.* 192. *num.* 1. & *seq.*

Et esto, quod prima donatio fuerit inter vivos, & irrevocabilis, adhuc quidem benè subsistit secunda donatio, quia prima fuit ipso jure nulla, & propterea non potuit impedire effectum. 9

Primò, quia tempore primæ donationis donans erat minor, & ideò nullo modo potuit donare donatione pura, simplici, & irrevocabili, quæ dicitur inter vivos, etiam cum decreto Judicis, juxta textum *in leg. si quando*, *ff. Cum autem*, *C. si ma. fact. alien. fact. sine decret. rat. hab.* Roman. *cons.* 166. *num.* 2. Menoch. *loco allegato num.* 7. Gratian. *discept.* 975. *num.* 28. *lib.* 1. 10

Secundò, quia eadem donatio nunquam fuit insinuata, & tamen insinuatio ad perfectionem hujusmodi donationis erat necessaria, etiam si facta fuerit intuitu emittendæ professionis. Etenim ante insinuationem licet pœnitere ex prolixè deductis a Gratiano proximè citato, & ex sententia Rotæ in allegata Romana Donationis. 11

Prætereà, quia fuit omnium bonorum, non reservata facultate testandi, Clar. *§. Donatio qu.* 19. Quod etiam advertit Rota in eadem Romana donationis die 10. Decembris 1621. 12

Postremò, quia ejus effectuatio fuit collata ad tempus professionis, & sic tempore inhabili, cùm paria sint aliquid fieri tempore inhabili, & conferri in tempus inhabile. Unde cùm sequuta professione donans esset incapax ad donandum, cùm tunc omnia sua jura essent acquista Monasterio, satis superque comprobatur invaliditas dictæ primæ donationis ad tradita per Garz. *de benef. par.* 11. *cap.* 11. *num.* 20. 13

Et hæc planè sententia videtur omninò conformis dispositioni, & menti S. Concilii Tridentini. Quia cùm ad consulendum libertati professentis *sess.* 25. *cap.* 16. *de regul.* disponat, quod non possit sortiri effectum donatio, aut renunciatio, nisi post factam professionem, inducit profectò conditionem suspensivam, de cujus natura est, quod actum ita suspendat, ut sine ullo effectu remaneat, Bart. *in l.* 1. *num.* 3. *ff. de condit.* & *administ.* Grat. *cons.* 81. *n.* 7. *lib.* 2. cum aliis superiùs adductis. 14

Quod etiam demonstratur ex eodem Concilio *d. cap.* 16. Ubi expressè cavetur, ne ex bonis ingressu aliquid tribuatur Monasterio ante professionem præter victum, & vestitum, ne hac occasione inde discedere nequeat. Itaque Concilium intelligendum est de conditione suspensiva, non autem resolutiva, cùm non possit dici esse acquisitum dominium in præsens Monasterio. Nam per conditionem resolutivam statim intelligeretur acquisitum dominium mediante donatione taliter facta, & postea veniret rescindenda, si non sequeretur professio, ut post Decianum, & alios firmat Menoch. *d. cons.* 388. *nu.* 16. quod tamen est directè tàm contra verba Concilii, quàm contra ejus mentem, & rationem, ne scilicet impediatur libertas donantis quominus liberè discedere possit a Religione. 15

Comprobantur omnia. Quia si diceremus esse translatum statim dominium, tunc ista donatio esset invalida tanquam contra verba expressa Concilii, & contra illius mentem. Ideòque faciendo interpretationem pro validitate actus, dicendum est fuisse appositam conditionem suspensivam, & per consequens ante emissam professionem esse licitam pœnitentiam, & posse revocari primam donationem, ut explicatè tradit Purpur. Ofasch. Riminald. Honded. & alii, quos magno in hanc rem numero adducit Grat. *d. cap.* 856. *num.* 18. & nos supra probavimus. 16

Atque ita etiam declarasse S. Congregationem Concilii testatur Gallemart. in eundem locum *sess.* 25. *cap.* 16. *de regul.* in hæc verba: *Si donatio, vel renunciatio facta fuerit intuitu Religionis ingrediendæ tunc tanquam facta in fraudem hujus Canonis videtur subesse huic dispositioni ex sententia S. Congregationis.* 17

CONSULTATIO CCXXIX.

An Clerici penſiones Eccleſiaſticas obtinentes ſi adſcribantur militiis regularibus, tempore novitiatus, ut penſionibus frui valeant, teneantur incedere in habitu Clericali ad formam Conſtitut. 92. Sixti V. an verò ſufficiat geſtare inſignia, ſeu numiſmata prædictarum Religionum?

1 CAſus hic videtur expreſsè deciſus in prædicta Conſtitutione Sixti, ubi poſtquam demandatum fuerat Clericis, ut geſtarent habitum Clericalem cum aliis, ibi præſcriptis, ſub pœna privationis beneficii, & penſionum *ſub §. 5.* Pontifex mandat, hoc non habere locum reſpectu Militum quarumcunque militiarum, & officialium Romanæ Curiæ, ſubditque hæc verba: *Sed iis permittimus, ut regulari habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt convenienti, &c. abſque alicujus cenſuræ, vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu licitè uti valeant.*

2 Neque obſtare videtur una conſideratio deducta ex illis verbis. *In habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt*, quaſi quod vigore præfatæ Conſtitutionis requiratur profeſſio, ad hoc, ut Milites poſſint, geſtando habitum ſuæ Religionis, eximi a præcedenti diſpoſitione generali reſpectu Clericorum volentium lucrari penſiones.

3 Nam Conſtitutio non loquitur de formali profeſſione, quæ fit a Regularibus etiam Militibus, ut dixiſſet Militiæ, in qua profeſſi ſunt, ſed loquitur de profeſſione, hoc eſt de Inſtituto, quod Equites amplexi ſunt, ſive de Inſtituto, quod tanquam proprium profitentur, ut latinè ſonat verbum illud *Profiteor* apud Tullium *or. 5. in Verrem*, & in *Piſonem*, paſſimque alibi. Unde profiteri artem vulgatum eſt. Inde profeſſores, qui artes liberales profitentur, quorum nomine neque medicus, neque philoſophus, neque Juſperitus contineri traditur *in l. 1. cum ſeqq. ff. de var. & extraord. rubr. de profeſſor. & medic. lib. 10. C. Sed & argentariorum*, & aliorum omnium vitæ generum profeſſio dicitur *in l. 6. §. Prætor, ff. de edent. l. 2. in fin. C. de Epiſc. & Cler.*

4 Et quod hoc modo ſint intelligenda verba Sixti, clarè colligitur ex eo, quod in eadem Conſtitutione Pontifex ſub eadem ſtructura verborum, & ſub eadem diſpoſitione loquitur de Officialibus Romanæ Curiæ, ac de Equitibus Militiarum. Et tamen certum eſt, quod reſpectu Officialium Romanæ Curiæ nulla eſt applicabilis, aut practicabilis regularis profeſſio. Quare ſuccedit regula, quod ſicut reſpectu dictorum Officialium intelligitur verbum illud *Profeſſi ſunt* pro inſtituto ſuſcepto, ita quoque reſpectu Militum Religioſorum ad textum in *l. Jam hoc jure, & in l. Lucius, ff. de vulg. & pupil.* traditque Caſtill. *controv. lib. 5. part. 2. cap. 97. cum ſeq.* Grat. *diſcept. 70. num. 39.*

5 Ponderandum autem eſt, quod intellectus contrarius, non ſolùm eſſet contra generalem obſervationem Militiarum regularium, in quibus ſtatim ac quis recipitur ad Novitiatum, induitur inſignibus ejuſdem Militiæ regularis, ſed quod magis eſt, totum id, quod Sixtus V. in memorata Conſtitutione conceſſit in favorem Militiarum, retorqueretur in odium, cùm ab eis tolleret id, quod omnibus Regularibus de jure Canonico eſt conceſſum, ut ſcilicet tempore Novitiatus, etiamſi veſtibus clericalibus non induantur, ſed propriis illius Regulæ, quam amplexi ſunt, penſionibus fruantur, expreſsè habetur *cap. Beneficium 4. de Regular. in 6.* ibi: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt infra probationis annum alicui conferendum.* Nomine autem beneficii venire penſionem tradunt abſque dubio Doctores communiter, inter quos Sanch. *in decal. tom. 2. lib. 7. cap. 4. n. 13.* Gig. *de penſionib. qu. 19. n. 1.* cum aliis recenter adductis a Tondut. etiam *de penſionib. toto cap. 69.*

6 Nec obſtat, quod prædicta poſſunt verificari intra tempus probationis ad formam Concilii *ſeſſ. 25. cap. 16. de regul.* non autem quando novitiatus prorogaretur. Quia ſuppoſita legitima ac indubitata facultate prorogandi novitiatum, etiam in hoc tempore prorogato militat præfata diſpoſitio *d. cap. Beneficium*, ut in his terminis ex doctrina Sanchez *ibidem libr. 5. cap. 4. num. 21.* Mirand. *in man. Prælat. tom. 1. quæſt. 25. art. 11.* firmat idem Tondut. *loco allegato num. 12. cum ſeqq.* etiamſi plures annos novitiatus duret, ut conteſtatur Bartholom. de Vecch. *in prax. admitt. novit. diſp. 8. dub. 7. num. 4.*

7 Prædictis addo, quod ſicuti certum eſt, Equites poſſe frui penſionibus poſt profeſſionem, geſtando proprium militarem habitum, ita & eo magis hoc dicendum eſt de tempore novitiatus, in quo mitiùs ex ſupra allegatis proceditur cum quibuſcunque Regularibus. Inde Doctores omnes, qui de hac Conſtitutione loquuntur, generaliter concludunt, quod Equites admiſſi ad Religionem, & geſtantes habitum proprium, fruuntur penſionibus abſque ulla diſtinctione, ante, vel poſt profeſſionem. Quod benè demonſtrat Scortia *in ſelect. ad d. Conſtit. cpit. 148. §. 5.* Lezan. *tom. 2. in ſum. cap. 5. n. 37.* Rodriqu. *tom. 2. quæſt. 76. art. 2.* P. Mendo juſto tractatu *de privileg. milit. regul. diſqu. 12. num. 14.* Unde hujuſmodi Clericum non privari ipſo facto neque penſione, neque privilegio fori, licèt incedat enſe, habituque militari indutus declaravit S. Congreg. Concilii die 20. Auguſti 1633.

CONSULTATIO CCXXX.

An terminorum inculcatio in cauſa Canonizationis ſit admittenda?

NON admittitur a Veſtr. *in prax. lib. 6. cap. 2. num. 5.* a Saluſt. etiam *in prax. lib. 1. cap. 34. ſub nu. 1.* ac a Poſth. *de manut. obſerv. 97. num. 26.* 1

Sed dicendum inculcationem terminorum non invalidare proceſſus, quando ad illos non requiritur citatio, ſintque præparatoria judicii, utputa ſi fuerint in primo actu proceſſus inculcati termini receptionis literarum, deputationis Notarii, & Nuncii cum præſtatione juramenti loci, atque horarum, &c. Vide Rot. apud Burat. *dec. 506. num. 1.* Vant. *de nullit. num. 59.* Atque in his ordinem ſervari nulla exigit neceſſitas, Bald. *l. Qui crimen 3. num. 15. Cod. de iis, qui accuſ. non poſſ.* Alex. *conſ. 137. num. 2. vol. 2.* Vant. *num. 47.* Veſtr. *ubi ſupra in fin.* Carpan. *in Stat. Mediol. part. 1. cap. 1. num. 113.* Rot. *deciſ. 24.* apud Poſth. *de manut.* præſertim extra Curiam, ubi non ita exactè termini ſervantur, Verall. *dec. 249. num. 2. p. 3.* 2

CONSULTATIO CCXXXI.

An conſtare debeat, Notarios deputatos pro collatione proceſſus facienda una cum Actuario, juraſſe in manibus Judicum?

DIcendum. Juramentum hujuſmodi non requiritur per remiſſoriam, ſufficitque juramentum præſtitum in aſſumptione Notariatus pro omnibus actibus, qui geruntur authoritate notariatus. 1

CONSULTATIO CCXXXII.

An debeat conſtare, quod collatio cœpta in præſentia Judicum coram iiſdem fuerit continuata, & terminata?

NEgo. Quia pro actus validitate præſumptio juris eſt, quod fuerit ritè ac legitimè facta, itaut contrarium dicens probare debeat, Alciat. *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 34.* 1

CONSULTATIO CCXXXIII.

An Portitor Proceſſus teneatur jurare, quod fideliter illum Romam deferat?

REſpondeo. Remiſſoria non exigit juramentum, ſed fidelitatem. De jure autem quatenus requireretur, ſufficeret, quod dictus eſſet juratus a Notario ſine alia verborum adjunctione ex allegatis per Farinac. *de teſtib. quæſt. 64. num. 74.* & Contelor. *cap. 25. nu. 63. & ſeqq. de canon. Sanct.* Quæ opinio ab omnibus recepta eſt, ſi concurrat præſentia Judicis, Farinac. *loco allegato num. 78.* Seraph. *deciſ. 857. num. 25. & deciſ. 1288. num. 2.* Burat. *dec. 148. num. 3.* Rot. *dec. 718. num. 16. & 17. tom. 3. part. 4. rec.* 1

CONSULTATIO CCXXXIV.

An conſtare debeat de actuali obſignatione proceſſus, illiuſque conſignatione Portitori?

REſpondetur, Etiamſi non conſtet, non propterea id vitiaret proceſſus validitatem. Pro ipſorum autem verificatione ſufficit, proceſſum fuiſſe delatum Romam fideliter ſigillatum, & in nulla parte ſuſpectum, ut per Contelor *cap. 25. num. 21. de Canoniz. Sanct.* Adde, & ſolemniter apertum. 1

CON-

CONSULTATIO CCXXXV.

An processus subscribi debeat in fine per Judices?

1 DIco. Hujusmodi subscriptionis defectus non reddit illum invalidum. Non enim id jubetur per Remissoriam. De jure autem in actibus judicialibus sufficit attestatio Notarii de præsentia Judicis, & de actibus per illum gestis, Glos. *in cap. Quoniam contra v. Duos*, & ibi Doctores *de probat.* Buratt. *dec. 606. num. 12.*

CONSULTATIO CCXXXVI.

An liceat pingere Imaginem cum revelationibus?

1 COntelorius *de Canon. Sanct. cap. 22. sub num. 2.* inquit, quod sapiat cultum pingere imaginem cum Revelationibus, seu alio peculiari signo, denotante, Deum ostendisse sanctitatem defuncti.

2 Ajo tamen. Id non est absolutè verum. Quia revelationes non sunt absolutè signa sanctitatis, nec approbatur ille, cui factæ sunt pro Sancto, ut idem Contelorius firmat *c. 2. num. 18.* Nam factæ quoque leguntur Sybillis, ac plerisque aliis, ut per S. Thom. 2. 2. *q. 2. art. 7. ad 3.* Et quatenus etiam in se essent signum sanctitatis, non propterea id apud aliquas gentes pro signo sanctitatis recipitur. In hoc enim attendenda est mens, & intentio incolarum, qui, si non habuerint aliquid pro signo sanctitatis, & ob id cessent a veneratione atque cultu, non est cur attendatur, si idem apud alios reperiatur pro sanctitatis signo, præsertim in iis, quæ possunt esse & non esse argumenta sanctitatis. Quicquid enim recipitur per modum recipientis recipitur.

CONSULTATIO CCXXXVII.

An, ut concedi debeat Remissoria in genere, docendum aliquid sit de continuatione, & percrebrescentia famæ miraculorum?

1 ANte concessionem Remissoriæ in genere continuationem ac percrebrescentiam miraculorum præcisè requirit Hostien. *in cap. 1. n. 3. de reliq. & vener. Sanct.* ibi: *Et famam attendere, & utrum miracula crebrescant, & continuentur antequam inquisitionem committat*, &c. ac *num. 5.* ibi: *Si continuentur supplicationum instantiæ, & miraculorum continuatio perdurare dicatur, consuevit Romanus Pontifex ponere inter fratres, & aliquibus Episcopis patriæ, vel convicinæ illius, qui dicitur Sanctus committere, ut inquirant de fama, & devotione populi, miraculis, & aliis, quæ eidem nuncianda sunt in genere, & non in specie.* Cùm quo sentiunt cæteri, ac nuperrimè Rocca *de Canoniz. Sanct. cap. 34. art. 2.*

2 Dicendum atque notandum est. Requisitum percrebrescentiæ famæ sanctitatis, & continuationis miraculorum ab Hostiensi desideratum ante commissionem Inquisitionis generalis fundatur in eo, quod suo tempore confundebatur terminus primæ commissionis pro introductione causæ cum commissione Inquisitionis, ut elicitur ex verbis superiùs allegatis. Quodque ita absque distinctione inter primam commissionem, & inquisitionem generalem procedebatur antiquitùs, habetur ex cœremoniali Romano sub Leone X. *lib. 1. sect. 6. de Canoniz.* in principio. Idcircò mirum non est, quod idem Hostiensis adeò enixè insinuet hoc requisitum percrebrescentiæ ante Inquisitionem, cùm perinde est ac si dixisset ante commissionem causæ.

3 Quamobrem cùm hodiè juxta novissima decreta procedatur distinctè inter primam commissionem causæ, & concessionem Remissoriæ, & antequam obtineatur commissio, verificari debeat satis exactè ejusmodi requisitum percrebrescentiæ famæ sanctitatis, & miraculorum, ut *pag. 28. circa fin.* ibi: *Nam si perdurabunt miracula*, &c. *tunc Summus Pontifex committit causam*, idque si factum fuerit in causa, necessarium profectò minimè erit, quod eadem percrebrescentia iterum probetur post causæ commissionem ante concessionem Remissoriæ, cùm satis superque sit juxta mentem Hostiensis id factum fuisse ante commissionem. Nec aliud exposcunt decreta, requirentia solùm, quod post commissionem fiat processus super adimpletione eorumdem decretorum, consistente in processu super non cultu, vel super casu excepto, ut in illis habetur *pag. 29.* & clariùs *pag. 37.*

4 Immò nec practicari posse probationem percrebrescentiæ post causæ commissionem ante concessionem Remissoriæ, attenta expressè prohibitione, quod postquam Sedes Apostolica manus appposuerit, non possit Ordinarius ampliùs in causa quoquomodo se ingerere, nec aliquem processum conficere, sed formari debeat per eum, cui Summus Pontifex, vel Sacra Rituum Congregatio hujusmodi facultatem delegaverit, liquet *pagin. 61.* initio.

Quod sanè jure cautum est. Nam per appositionem 5
manus Summi Pontificis adimitur penitus facultas cuicunque inferiori, ne ampliùs in eadem re quicquam agat, *cap. Ut nostrum*, & ibi Glos. *v. Revocamus*, *de appel. & cap. Licet*, *de offic. legat.* Probantque Gabr. *cons. 166. num. 6. lib. 1.* Æneas de Falcon. *de reservat. quæst. 4. eff. 1. num. 4.* Gasp. de Petr. *eod. tract. quæst. 10. n. 1.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 52. num. 31.* Lancell. *de attent. par. 2. cap. 10. num. 10.* Ac firmavit Rot. *dec. 4. de testib. in novis*, & *dec. 33. eod. tit. in antiq. & dec. 570. num. 4. part. 1. recent. & decis. 343. num. 6. part. 6.* & in Lucana *Capellaniæ 28. Aprilis 1656. §. Quod autem coram* Reverendissimo Bevilaqua, censuitque Sacra Rituum Congregatio in una Papien. Beatificationis, & Canonizationis servi Dei Alexandri Sauli, proponente Eminentissimo Cardinali Azolino, qui dignus majoribus suis invidiæ felicitate materiam dedit, calumniæ sanctitate subtraxit. Cujus mentem S. D. N. Clemens IX. vix ad Pontificatum evectus, ac de magnitudine Imperii, suaque modestia differens, tantæ molis capacem in partem curarum vocavit.

CONSULTATIO CCXXXVIII.

An probare negativam cultus sit onus Postulatorum?

VIdetur affirmativè respondendum. Etenim Urba- 1
nus VIII. jussit libello decretorum *pag. 11.* processum, licet instructum super beatificatione, seu canonizatione, ulteriùs non prosequi, nisi Postulator prius per legitimas juridicè susceptas probationes circa personam ejus, de quo beatificando, seu canonizando agitur, docuerit omninò servatam extitisse formam præcedentis decreti super non cultu, & Ordinarius, aut ad hoc specialiter Delegatus a Sede Apostolica, diligenti præhabita disquisitione, circa eandem personam ritè pronunciaverit, supracitato decreto nullatenus contraventum esse.

Hinc sequitur, oneratse Postulatorem, ut negativam 2
cultus tanquam principium suæ intentionis fundandæ concludenter probaret in forma juridica, licèt probatio esset difficilis, sequendo dictum Baldi *in repet. leg. Cum mulier 48. num. 36. ff. solut. matr.* quod scilicet, ubi negativa est principium, & origo fundandæ intentionis, incumbit probatio neganti. Qui propterea *in l. hoc jure utimur 10. num. 1. ff. de verb. oblig.* dixit; intentans negativam debet eam liquidò probare, & regulam statutam a Bartolo *in leg. in illa stipulatione 8. num. 5. ff. de verb. oblig.* quod ubicunque negatio est causa intentionis alicujus, sive agentis, sive excipientis, ei, qui negat, incumbit onus probandi, sequuntur Angelus *in leg. Si quis 4. numer. 1. Cod. de Fabricens. lib. 11.* Bellam. *in repet. capit. Romana numer. 15. de for. compet.* & alii constipati ab Herculano de negativa *num. 2.* subdens *numer. 16. ac 17.* procedere sive negativa circumscribi possit, sive non, quia Doctores indistinctè loquuntur, & difficultas minuere potest jus probationis ordinariæ, non autem tollere. Potest enim esse possibile, quod aliquæ Reliquiæ alicubi venerentur. Nam, ut rectè inquit Bald. *in l. Si reus 73. num. 4. ff. de Procurat.* argumentum sumptum a possibili solvitur per contrarium possibile.

Dico tamen. Forma per Urbanum VIII. præscripta, 3
ad cujus observantiæ probationem astringitur Postulator, minimè videtur exposcere, quod in omnibus Orbis terrarum partibus ex sola possibilitate, quod adsint particulæ corporum, seu reliquiæ, probetur negativa cultus. Nam hoc nedum esset difficile, sed omninò impossibile. Negativa enim pura, simplex, & non coarctata probari nequit, *l. Actor*, & ibi Adden. *ad Glos. v. Dic melius*, *Cod. de probat. cap. Accusator 6. quæst. ult.* ubi pariter Glossa. Ratio solidissima ea est, quia cùm natura sit universale principium rerum existentium, non entium verò nullæ sint causæ, nulli effectus, qualitates nullæ, consequens est, quod non possit suppeditare prædicata, & probationes super eo, quod non existit. Ita nominatim philosophantur ac probant Hostien. *in sum. tit. de probat. num. 2.* Specul. *eod. tit. ac nu.* Bald. *in d. l. Actor*, *C. de probat. num. 11.* & *13.* ibique Salyc. *n. 1.* & *4.* & *13.* Roman. *l. In illa stipulatione n. 22. ff. de verb. oblig.* Idque multis stabiliunt Abb. *in c. Bonæ memoriæ 1. n. 13. ad fin. de probat.* & ibi Anan. *n. 7.* Butr.

num. 44. Jo: Andr. *num.* 43. *& ſeq.* quod graviſſimè iterat *in regul. Sine poſſeſſione ſub num.* 8. *de regul. jur. in* 6. Et ratum habet Rip. *in cap. Cùm Eccleſia Sutrina num.* 74. *de cauſ. poſſeſſ. & propr.* traduntque Aretin. *conſ.* 83. *num.* 9. *ad fin. & num.* 10. Oldrad. *conſ.* 224. *num.* 21. *& conſ.* 254. *num.* 14. Alex. *conſ.* 65. *num.* 2. *lib.* 1. ac prolixiſſimè Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 36. *a num.* 6. *ad* 14. *& cap.* 37. *a num.* 1. *ad* 24. Diſertè ac ornatè Farinac. *qu.* 65. *num.* 221. ubi ex variis Doctoribus oſtendit, hanc eſſe opinionem communem abſque ulla controverſia.

4 Adeò quidem ut ſi teſtes de tali negativa non coarctata loco, & tempore depoſuerint, redderentur de falſo ſuſpecti, *d. cap. Cùm Eccleſia Sutrina*, ubi Gloſ. *v. Negativam*, & ibi Rippa *num.* 77. *& ſeq.* Specul. *de probat. §. Probare ſub num.* 2. Idem planè voluit Soccin. *eo cap. ſuper his num.* 94. *de teſtib.* & Pacian. *d. c.* 36. *n.* 8. *& 9.*

5 Ex quibus Doctores firmant, quod ſimilis negativa tranſfert onus probandi in affirmantem, Roman. *d. l. In illa ſtipulatione nu.* 22. Soccin. *eo cap. Super his n.* 94. Abb. *eodem cap. Bonæ memoriæ num.* 14. Jo: Andr. *in alleg. regul. Sine poſſeſſione num.* 7. *&* 8. Aretin. *d. conſ.* 93. *n.* 9. *&* 10. Cravet. *conſ.* 1. *n.* 9. *& ſeq. lib.* 1.

6 Ac licet nonnulli teneant, quod negativa etiam impoſſibilis probanda ſit per negantem, quando eſt fundamentum ejus intentionis. Tamen magis communis opinio eſt, quod, ſtante impoſſibilitate, actor relevetur ab onere probandi ex adductis. Præſertim quando præſumptio ſtat pro negante, ac ubi viget decretum Urbani, cujus contraventio non præſumitur, ut egregiè Bart. *ea l. In illa ſtipulatione num.* 9. *&* 10. ibi: *ut ſi dico me non deliquiſſe*. Et ex quo in locis, in quibus probatur exiſtentia reliquiarum, & imaginum concludenter probatur negativa cultus, & poſitiva obſervantia Decreti per remotionem ſingnorum præ ſe ferentium venerationem ſtatim ac illud emanaverit.

7 Nititur porrò contraria opinio in eo, quod ſibi debeat imputare Actor, qui hujuſmodi negativam facti vagam, & indeterminatam propoſuit pro ſuæ intentionis fundamento. Ideòque non poſſe illum ex impoſſibilitate excuſationem mereri cenſuerant Abb. *in dict. cap. Bonæ memoriæ num.* 14. Gemin. *in cap.* 1. *num.* 3. *de confeſ. in* 6. Imola *cit. l. In illa ſtipulatione nu.* 5. Pariſ. *conſ.* 138. *num.* 2. *lib.* 4.

8 Unde non videtur applicabilis quando non allegatur hujuſmodi generalis non cultus pro intentionis fundamento, ſed agitur de obſervantia formæ ſuper non cultu; præſcripta per Urbanum VIII. Quæ propterea non eſt intelligenda adeò generaliter, & effrænatè, quod nullis locorum limitibus coarctetur, ne aliàs ejus exequutio reddatur prorſus impoſſibilis. Lex enim, ſeu Conſtitutio non debet eſſe inutilis, nec cenſendum eſt, quod velit arctare ad impoſſibile, *c. Erit autem* 4. *diſt. l.* 1. *§. dies autem iſtos, ff. quando appellandum ſit, l.* 2. *in fin. C. commun. de leg.* benè ad rem Joan. Andr. *in præcit. reg. ſine poſſeſſione num.* 8. Roman. *conſ.* 410. *num.* 1. & Calderin. *conſ.* 6. *Qui fil. ſint legit.*

9 Poſito igitur, quod ex forma decreti non ſit probanda negativa cultus in omnibus Orbis Terrarum partibus ex ſola poſſibilitate, quod alicubi extent particulæ reliquiarum, ſeu effigies, quibus adhibeatur veneratio, ſequitur ſatis ſuperque eſſe, quod probetur non cultus ſepulchris, in quibus ſunt recondita corpora, necnon reliquiis, ubi eæ reperiuntur, ſeu imaginibus iis in locis, in quibus veriſimiliter cultus exhiberetur. Ac proinde dicendum eſt abundè ſatisfieri in eo caſu, dum reſpectu ſepulchri non poterit haberi probatio intuitiva, ſi fortè ageretur de ſervis Dei, quorum corpora cremata fuerint, & cineres in mare projecti, ac reſpectu nonnullarum reliquiarum, quæ potuerint reperiri, necnon Imaginum concludenter probetur, quod eæ cuſtodiantur privatim ſine aliquo cultu.

10 Etenim cùm agatur de negativa qualitatis, nempè cultus, ea ſanè non poteſt concludentius probari, quàm per inſpectionem ſubjecti, ut rectè docet Rip. *in d. cap. Eccleſia Sutrina num.* 85. Butr. *in cit. cap. Bonæ memoriæ nu.* 58. Bald. *in d. l. Actor num.* 23. & ibi Salyc. *n.* 1. Felin. *cap. In noſtrum num.* 7. *de teſtib.* Martin. de Fan. *in tract. Qualiter negativa probetur nu.* 4. *&* 5. Pacian. *de probat. lib.* 1. *c.* 41. *n.* 7. *& cap.* 44. *n.* 12. Qui ponunt exemplum de teſtibus deponentibus aliquem non habere lanceam in manu, ex quo dicunt negativam ejuſmodi qualitatis directiſſimè probari.

11 Eòque præſertim dum teſtes ultra depoſitionem de viſu reliquiarum, & imaginum abſque cultu arctarent quominus ipſi ſciverint, eò quod videlicet is fuiſſet veriſimiliter præſtitus in iis partibus, in quibus fuerant commorati. Rectè enim probatur negativa per teſtes, quibus oppoſita affirmativa veriſimiliter non poterat eſſe occulta, ut dicit Gloſs. *in l.* 1. *§.* 2. *v. An non, ff. de itin. act. priv.* Bart. *in ſæpè citata l. In illa ſtipulatione num.* 11. Bald. *in l.* 1. *nu.* 8. *C. de bon. poſſ.* Felin. *in cap. Tertio loco n.* 5. *de probat. & in cap. In materia n.* 8. *de teſtib.* Rip. *cit. c. Cùm Eccleſia Sutrina num.* 81. Abb. *in d. c. Bonæ memoriæ n.* 13. *&* 16. ibidemque Butr. *n.* 53. Idipſum aſſerunt Pariſ. *conſ.* 162. *num.* 14. *lib.* 4. Ruin. *conſ.* 155. *num.* 2. *lib.* 5. Alciat. *reg.* 3. *præſumpt.* 20. & Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 40. *n.* 18.

Hinc etiam ſequitur, quod quando adhiberi non poterint certæ, & concludentes probationes non cultus per primum modum ex tribus relatis a Baldo *in Margar. Innocent. v. Negativa*, nimirum per Inquiſitionem ſepulchri, quæ eſt ſpecies probationis cæteris excellentior, oportet recurrere ad probationes ſubſidiarias, nimirum ad præſumptiones, & veriſimilitudines, atque ad publicam vocem, & famam. Quæ in hac materia tàm difficili, ac interdum ex particularibus facti circumſtantiis ferè impoſſibili, ſunt omnino admittendæ. Sic de præſumptionibus ac veriſimilitudinibus docèt Bald. proximè adductus, *& in l. Actor n.* 25. *C. de probat.* Bart. *ea l. In illa ſtipulatione n.* 11. ac Doctores ſuperiùs allegati. Et de publica voce, & fama tradunt congeſti ab Herculano *de negativa num.* 309. *cum ſeqq.* & a Paciano *d. lib.* 1. *c.* 49. *n.* 6. quam per duos teſtes ſufficienter probari dicit Gloſ. *in l.* 3. *§. ejuſdem v. Confirmat, ff. de teſtib.* Bart. *in l. De minore, §. Plurimum* 19. *ff. de qu.* cum aliis cumulatis per Farinac. *de teſtib. qu.* 47. *n.* 208. Atque admitti in iis, quæ ſunt difficilis probationis firmant DD. Conſule Herculan. *de negativa n.* 309. *& ſeqq.* 12

Regula verò Baldi de poſſibili deſtruente contrarium poſſibile intelligenda eſt de his, quæ ſemper ſunt actu, non de his, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe. In prioribus enim, dato poſſibili, deſtruitur contrarium. Quia ſi poſſibile eſt, Solem eſſe, impoſſibile eſt, non eſſe. In poſterioribus autem dato uno poſſibili, non deſtruitur contrarium. Quia ſi poſſibile eſt hominem currere, poſſibile eſt etiam non currere. Unde in his id dicitur probatum, quod eſt magis poſſibile juxta doctrinam Ariſtotelis *l.* 2. *de Interpret. cap.* 3. Boetii, aliorumque expoſitorum. Quare, licèt poſſit eſſe, quod reliquiæ in locis fidelium venerentur, non idcircò tollitur, quod hoc etiam fieri nequeat, ſed datur poſſibilitas ad utrumque, & ſic intrat, quod inter hæc duo poſſibilia, id, quod magis poſſibile eſt, ſit eligendum. Hoc autem eſt in cultu, ſuper quo habentur teſtes allegantes optimam rationem, in nullis partibus reliquias venerari propter obſervationem decretorum Urbani VIII. 13

CONSULTATIO CCXXXIX.

An, ſi teſtes tantùm dixerint: Et de omnibus, & ſingulis fuit, & eſt publica vox, & fama, publicum, & notorium eorum dictis aliqua ratio habenda ſit?

NEgandum videtur. Nam aſſertæ publicitatis rationem non reddunt, quàm reddere debent, etiam non interrogati, ut inquiunt Alex. *conſ.* 25. *nu.* 6. *vol.* 4. & Herculan. *de negat. n.* 312. Nec relevat deciſio Rotæ in Toletana Decimarum 2. Martii 1648. coram Veroſpio, cùm ſupponat teſtes ibi publicè audiviſſe id, quod depoſuerant in ſpecie. Non enim ſenſus poterat decipi circa proprium ſubjectum auditus. Verùm hoc caſu ſi teſtis in genere ſolùm dixerit, de omnibus, & ſingulis extare publicam vocem, & famam, non autem publicè audiviſſe quid certum in ſpecie, ut ſaltem pro ratione in tali ſpecifico conſiderabili ſit ſubjectum proprii auditus, nil probat. 1

Nihilominus dicendum eſt. Quod ad cauſam ſcientiæ ſpectat, dum agitur de materia dependente a ſenſu corporis, non a judicio intellectus, non eſt defectus conſiderabilis, nec vitians depoſitionem, ſi teſtis, non interrogatus omiſerit reddere cauſam ſui dicti, ut benè Caſſad. dicens, ita ſervare Rotam *dec.* 3. *n.* 3. *&* 9. *de probat.* Caputaq. *dec.* 7. *p.* 2. Gregor. XV. *dec.* 272. *nu.* 2. & ibi Add. *n.* 10. Cavaler. *dec.* 234. pariter *num.* 2. & in citata *Toletana Decimarum* cor. Veroſpio. 2

Neque obſtat, quod hoc procedit, uti teſtes publicè audiviſſe dixerint, cùm vera ratio hujus opinionis, quod non ſit opus redditione rationis, dum teſtes de ea non fuerint interrogati, ea ſit, quod ubi probandum eſt aliquid, quod eſt objectum ſenſus, neceſſaria non eſt rationis redditio, ſi teſtis non fuerit interrogatus, & contrarium procedit in objecto, quod non eſt viſibile, ſed ſolùm intelligibile, dum tali caſu non creditur teſti, niſi per cauſas facti, ut ſcitè poſt Innocentium ratiocinatur Baldus 3

in

in l. Solam. num. 1. *C. de teſtib.* & poſt alios Caſſad. *cit. deciſ.* 3. *num.* 10. Unde parum refert, quod teſtis dicat, eſſe publicum, & notorium, vel publicè audiviſſe, cum utroque caſu objectum ſit notum per ſenſum exteriorem, & generatim de fama dicit Caſſad. *ubi ſupra*, cujus verba ſunt ejuſmodi: *Sed fama, quæ eſt objectum, ſit nota per ſenſum corporeum exteriorem, ſcilicet per auditum, non per interiorem.* Ergo probat ſine cauſa. Atque ita eſt.

CONSULTATIO CCXL.

An probet teſtis publicam vocem, & famam ſi utatur ſolo verbo temporis præſentis: Eſſe?

1 NIhil probare dicendum cenſeo, dum non percutit tempus præteritum ante introductionem cauſæ, Caputaquen. *deciſ.* 9. & 413. *p.* 1. Seraph. *deciſ.* 296. *num.* 2. Gregor. XV. *dec.* 359. *num.* 8. & 382. *num.* 2. & 498. *num.* 12. Burat. *dec.* 78. *num.* 6. Rot. *dec.* 325. *num.* 5. *p.* 2. *rec.* cum quibuſdam aliis. Etiamſi ad aliam interrogationem ſubdiderit eandem publicam vocem, & famam *A* tempore martyrii, ſive obitus ſervi Dei, & circa, fuiſſe ſemper firmam, & conſtantem, non evanuiſſe, ſed perduraſſe, & adhuc durare. Nam illa dictio *A* ſumenda eſt loco dictionis *poſt* ſecundum expoſitionem Gloſ. *in l. nomine, v. ab initio, C. de Decurion. lib.* 10. quam probarunt Tiraquel. *de retract. lign. §.* 1. *gloſ.* 11. *num.* 53. Surd. *dec.* 282. *num.* 8. Gratian. *diſcept.* 161. *num.* 6. Cened. *ſing.* 1. *num.* 24. Ac proinde certum initium non ſtatuit.

2 Id tamen removetur, ſi teſtis reſponderit, quod fama fuerit ſemper firma, & conſtans *A* tempore martyrii, ſive obitus. Quia includit totum tempus ante motam litem, cum iſta dictio *A* quanquam ſtet excluſivè, attamen denotat, & quodammodo tangit terminum *a quo* ex traditis per Barboſam *dict.* 1. *num.* 11. Ac licet aliquando accipiatur pro *poſt*, hoc nihilominus intelligitur ad effectum, ut non comprehendat ipſum terminum a quo, ſicuti declarat Surdus modò adductus. Quoties autem teſtis comprehendit tempus ante motam litem benè probat famam, etiamſi non utatur termino *fuit*, & *eſt*. Ita Gregor. XV. *dec.* 273. *nu.* 1. Ubi autem in depoſitione teſtium adſunt verba, denotantia continuationem temporis auditus ipſius teſtis, depoſitio ſuper fama benè concludit, nec obſtat defectus ſpecificationis temporis præteriti. Qua de re multa omnino inſigniter habet Martinus Andr. *dec.* 45. *numer.* 4.

CONSULTATIO. CCXLI.

De probatione famæ in materia Canonizationis Sanctorum?

1 SIt prima concluſio. In antiquis, & multò magis in antiquiſſimis teſtes de fama deponentes plenè probant ex concluſione in jure receptiſſima, quam pluribus firmat Felin. *in c. Veniens* 1. *num.* 16. *de teſtib.* & *in cap.* 2. *num.* 49. quamque ſequitur Rota, ut per Bellam. *deciſ.* 70. *n.* 3. Verall. *dec.* 344. *n.* 3. & *dec.* 347. *n.* 4. *p.* 3. & *dec.* 171. *num.* 7. *p.* 1. Eandem amplexa eſt ſæpiſſimè Sac. Rituum Congreg. ac ipſa Rota in cauſis Canonizationum præſertim S. Hiacynthi, S. Raymundi, B. Joannæ de Cruce, ac ſervorum Dei Petri Regalati, & Gregorii Decimi. Unde proinde ſufficiant ſexaginta anni juxta deciſionem Verall. *nu.* 3. & *deciſ.* 298. *p.* 3. & prout Rota cenſuit etiam in pleriſque cauſis Canonizationis, ſpeciatim in relatione B. Thomæ de Villanova *tit. de fid. ſub init.* & in relatione B. Petri de Alcantara *in primo miraculo poſt mortem*. Quod proſequitur Caſtell. *de cert. glor. Sanct. c.* 6. *num.* 2. & articulo maturè diſcuſſo, firmavit Sac. Congregatio in cauſa dictæ ſervæ Dei B. Joannæ de Cruce.

2 Secunda concluſio. Ad probandam famam in antiquis duo teſtes ſufficiunt. Ita Clarus, qui teſtatur de communi *in. pract. crim. q.* 6. juxta Gloſ. *in l.* 4. *§. Ejuſdem, ff. de teſtib.* Capel. Toloſ. *deciſ.* 309. Dec. *conſ.* 262. *num.* 4. teſtans etiam de communi, & plures alii, quos refert ac ſequitur Borrel. *in ſum. dec. tit. de probat. nu.* 46. *vol.* 2. Prout certi juris eſt, quod duo teſtes ſufficiunt in omni negotio, *l. Ubi num.* 2. *de teſtib. c. Omni negotio, extra eod. tit.* Quæ regula procedit in omni materia, & ad quodcunque probandum, Abb. *in c. Super eo* 2. *de teſtib.* Soccin. jun. *conſ.* 31. *nu.* 5. *lib.* 2. Rot. *dec.* 5. *num.* 3. *de reſcrip. in nov. & dec.* 26. *n.* 1. *p.* 1. Et fuit reſolutum a S. Rituum Congregatione in eadem cauſa B. Joannæ de Cruce, ac alibi ſæpè.

3 Tertia concluſio. Teſtes deponentes de publica voce, & fama in antiqnis probant, etſi non interrogati rationes non reddant a quibus audiverint, ac etiamſi cauſas, inditia, vel conjecturas non exprimant, vel a quibus audiverint. Quia, reprobata opinione Bartoli ac ſequacium *in l. De minore, §. Plurimum, de quæſt.* ſufficit, quod teſtes dicant publicè audiviſſe, ac deponant de publica voce, & fama ſecundum opinionem Baldi communiter receptam *in c. Per ſuam de probat.* & *in c. Propterea, de teſtib.* Non enim eſt neceſſe, quod teſtis reſpondeat per verba juris, ſed optimè ſatisfacit explicando circumſtantias facti, ex quo jus reſultat, juxta inſignem theoricam ejuſdem Bartoli, exemplificantis in poſſeſſione & in mutuo *in l.* 1. *num.* 10. & 13. *ff. ſi cert. pet.* Quam commendat ibidem Bald. *num.* 5. dicens, non exigi, quod teſtis ſciat perſpicaciter definire, cum id pertineat ad Doctores. Idem docent Alex. *nu.* 15. Fulgoſ. *num.* 10. Roman. *num.* 7. Aret. *num.* 6. Nell. *de teſt. num.* 165. Sicut in definitione miraculi non exigi, quod teſtis deponat de eo, prout eſt miraculum, ſed prout ex eo probatur miraculum, dicunt Malvet. *de Canoniz. dub.* 3. *num.* 71. ac Molpheſ. *conſ.* 46. Et hanc ſententiam ſequitur Rot. *dec.* 3. *num.* 4. *de probat* Verall. *dec.* 7. *p.* 2. & *dec.* 289. *p.* 3. & fuit ab ea deciſum in pluribus cauſis Canonizationum, relatis *dec.* 357. *part.* 2. *recen.* & *dec.* 337. *num.* 7. & *dec.* 48. *num.* 1. *vol.* 4. Farinacii, ac cenſuit Sacr. Rituum Congregatio in d. cauſa B. Joannæ de Cruce.

Contraria verò procedunt in fama moderna, in qua 4
teſtes tenentur reddere rationem, & ſpecificare cauſas, & perſonas, a quibus audiverint, ſecus verò in antiquis ex ſupra deductis.

Nec in probatione famæ requiritur, quod teſtes de- 5
ponant per verba *fuit*, & *eſt*, ſed ſufficit, quod deponant, ita publicè audiviſſe ſuo tempore, ut firmant jura, & deciſiones allegatæ. Et contraria habent locum in probatione immemorabilis. De Monte *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. *v. Memoria*: ubi teſtis debet deponere de quadragenaria, & concludere, quod ejus tempore ſemper fuit, ac eſt publica vox & fama, ſecus verò quando verſatur in antiquiſſimis, in quibus nec teſtes poſſunt deponere, quod ſemper fuit, nec requiritur ex firmatis.

Et quia in prædictis præcipuè conſiſtit ſubſtantia pro- 6
bationis famæ in antiquis, ut plenè diſcuſſis omnibus cenſuit eadem S. Rituum Congregatio in dicta cauſa B. Jonnæ de Cruce, ideò reliqua omittamus.

CONSULTATIO CCXLII.

An cum interrogatorium ſit inſertum in Remiſſoria ſuper quidditate, & circumſtantiis miraculi, ſi ſuper eo non fuerint interrogati teſtes deponentes ſuper miraculis, proceſſus reddatur nullus ex inobſervantia Remiſſoriæ?

PArs affimativa aſſerenda videtur. Unde duplex nul- 1
litas inſurgit. Altera quidem ob inobſervatam formam Remiſſoriæ, mandantis ſingulos teſtes primo loco examinari juſta interrogatoria, adeò ut omiſſio cujuslibet interrogatorii reddat examen nullum, omnimodam fidem teſti adimendo ex traditis a Bellam. *cap. Per tuas* 40. *num.* 13. & 14. *de teſtib.* Cujus dicta probavit Rot. coram Mellino *dec.* 434. *num.* 1. Burat. *dec.* 100. *num.* 10. ubi Add. *num.* 27. & Cavaler. *dec.* 254. *num.* 2. atque notatis a Boccac. *de liter. remiſſ. c.* 9. *num.* 27. & Poſth. *de manut. obſer.* 91. *nu.* 22. Qui ponderant, quod Judex remiſſorialis non habet facultatem alterandi formam ſibi præſcriptam in Remiſſoria. Qua ratione in teſtibus remiſſorialibus ob defectum poteſtatis in examinatore ceſſat altercatio Scribentium, num probent teſtes non examinati ſuper omnibus Interrogatoriis datis a parte, cujus meminit Farinac. *de teſtib. quæſt.* 73. *nu.* 3. *cum ſeqq.* Quod etiam animadvertit Ridolphin. *in prax. Judic. p.* 1. *c.* 11. *n.* 107.

Altera verò ob inexplicatam eſſentiam miraculi cum 2
neceſſariis illius requiſitis cauſa dignoſcendi ex hoc, an ipſe teſtis intelligeret quidditatem, & qualitatem materiæ contentæ in articulo de miraculis, ſuper qua fuerat inductus, ac erat examinandus. Non enim teſtis poteſt deponere de aliquo ſpeciali, niſi intelligat, ac ſciat quid illud ſit in genere juxta Bart. *in l.* 1. *num.* 10. *ff. ſi cert. pet.* & alios, relatos a Farinac. *d. q.* 73. *num.* 38. Quare Molpheſ. *conſ.* 46. *n.* 62. refert ex notoria praxi Curiæ Romanæ, teſtes in cauſis Canonizationum interrogandos eſſe, ut deponant quid ſit miraculum, quid ſanctitas, quid beatitudo.

Verùm hæc facilè diluuntur. Quia ex omiſſione In- 3
terrogatoriorum non infertur ad invaliditatem proceſſus, immò nec ad nullitatem examinis, Alex. *conſ.* 172. *num.* 9. *lib.*

9. *lib.* 2. Greg. XV. *dec.* 331. *num.* 17. ibique Add. *num.* 22. & *decis.* 351. *num.* 46. Rot. *decis.* 663. *num.* 12. *p.* 4. *rec.* Etiam si omissio facta sit ex negligentia, immò & dolosè, Alex. *d. cons.* 172. *num.* 9. censuitque Rot. *dec.* 512. *num.* 8. *tom.* 2. *p.* 5. *rec.* Sed sunt repetendi ut probent Seraph. *dec.* 897. *n.* 9. Gregor. XV. *dec.* 331. *num.* 17. ubi Add. *num.* 22. Opportunè in hanc rem Contelor. *cap.* 25. *num.* 81. *de Canoniz.* Cumque hac juris dispositione censendum est, vel S. Congregationem convenire, dum jubet examinari super Interrogatoriis.

4 Nec obstat, quod non fuerint interrogati de miraculi quidditate. Quia ejusmodi Interrogatorium, esto, quod requiratur juxta praxim quando testes deponunt in genere, facta fuisse miracula, omninò tamen impertinens est, ubi testes de propria scientia, & de facto ab se viso, & cognito deponunt. Ad testes enim pertinet deponere, ita factum fuisse, ad Judicem autem judicare, an tale factum sit miraculum, quod non est perceptibile testium sensu, sed per rationem, ut quid dependens a judicio intellectus. Pulchrè Abb. post Innoc. *in c. cum causam* 2. *num.* 9. & Felin. *n.* 3. *de testib.* Idem prosequitur Castel. *de Canoniz. qu.* 7. ac Rot. *dec.* 233. *n.* 6. *p.* 3. *rec.* & in relationibus S. Andreæ Corsini *p.* 3. §. 2. & S. Elisabeth *par.* 3. *tit. de miracul. in genere*. Quo pacto S. Congregatio in eodem Interrogatorio tribuit Judicibus facultatem utendi interogatoriis ad illos transmissis eorum arbitrio, inspecta scilicet qualitate testium, prout ipsis expedire videtur.

5 Objecto igitur saltem procedere quando testes deponunt de miraculis in genere, non autem in specie secundum declarationem Mar. Soccin. *in cap. Qualiter & quando num.* 583. *de accus.* & Troyl. Malvet. *de Canoniz. dub.* 3. *num.* 71. *tract. to.* 14. distinguentium duos casus. Aut enim agitur de probandis miraculis in genere, id-est quempiam perpetrasse miracula, seu opus miraculosum, & tunc quia agitur de principiis, seu quidditate ipsius rei, testis debet directè interrogari, & a priori respondere quid sit miraculum, reddendo causam scientiæ. Aut agitur de probandis miraculis in specie, & tunc quia testis deponens de miraculo non deponit de eo prout est miraculum, sed prout ex eo probatur miraculum, sufficit, quod a posteriori interrogetur de facto applicabili ad ejus sensum, ut deponat de actibus excedentibus vires, ac potentiam naturæ, ex quibus per necessariam consequentiam, & ratiocinationem deducatur miraculum, reddendo rationem sui dicti & causas scientiæ juxta formam dicti Interrogatorii. Quia non est necesse, quod testis deponat per verba juris, sed sufficit, quod deponat per verba facti, ex quibus jus illud resultat, Bart. *in lib.* 1. *num.* 10. & 13. Bald. *num.* 5. Rom. *num.* 7. & 8. Salyc. *num.* 5. Aretin. *numer.* 4. & 6. Alex. *num.* 15. Fulgos. *num.* 10. & Jas. *num.* 14. *ff. si cert. pet.* Nell. *de testib. num.* 165. Merlin. *decis.* 576. *n.* 3. & *dec.* 600. *n.* 5.

6 Ac præterea non est simpliciter necesse interrogare de quidditate nominum Juris, ut quid sit consuetudo, quid notorium, quid fama, quid possessio, quid miraculum, & id genus alia, sed sufficit, quod ex redditione rationis ostendant, se intelligere quid ea sint juxta allegata per Farinac. *de testib. q.* 73. *num.* 43.

CONSULTATIO CCXLIII.

An Procurator causæ Canonizationis jurare debeat de calumnia?

1 AFfirmat Contelorius *de Canoniz. Sanct. c.* 25. *num.* 54. per textum *in c.* 1. §. *Propter omissum*, *de Juram. cal. in* 6.

2 Sed respondetur primò. In hac materia non cadit calumnia, cùm calumniari dicatur quis in criminalibus, vel civilibus, qui per fraudem, moram, & frustrationem litibus vexat, Mascard. *de probat. tom.* 1. *concl.* 253. *n.* 9. & 10. Rot. *dec.* 45. *n.* 8. *p.* 1. *rec.* Secundò. In causis spiritualibus non esse locum tali juramento, *cap.* 2. *de jur. calum.* Et contraria dispositio textus *in cap.* 1. §. *Quamvis*, *eod. tit. in* 6. loquitur, quando in causa spirituali ageretur de interesse partium. Tertiò. Non est præstandum quando non petitur, *d. cap.* 1. *de jur. cal. in* 6. Vestri *in prax. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 3. Greg. XV. *dec.* 157 *n.* 1. Ideòque omissum non vitiat, Add. ad Gregor. *d. dec. n.* 73. Rot. *dec.* 131. *n.* 5. penes Zacch. *de obl. Cam.* Quartò. Non esse petendum, nec præstandum coram Judice exequente Remissoriam, qui non est Judex causæ, sed coram S. Congregatione, quæ illud non exigit per sua decreta.

CONSULTATIO CCXLIV.

E quibus præcipuè probetur cultus immemorabilis, qui est unus ex casibus exceptis in decretis de Canonizatione Sanctorum?

DEcreta super non cultu quatuor casus excipiunt, 1
nempè cultum, qui probatur per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilis temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel per longissimi temporis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii.

Differendum nunc est de cultu immemorabili, cujus 2
actus positivi ex hisce vel similibus deducuntur. Nempè ex magnificentia sepulchri, ex spontaneo concursu, ac libera veneratione ipsius cum oblatione tabellarum, inchoata statim ab obitu, & semper continuata, ac in dies aucta, ex lampadibus continuò atque assiduè ante illud ardentibus, ex celebratione Missarum ad altare servi, vel alibi, ex officio proprio ejusdem, ex liraniis, ex anniversaria solemnitate a die obitus cum celebratione Missæ de Sanctissima Trinitate, nec non ex cultu ejus imaginum cum laureolis publicè expositarum pariter a tempore immemorabili, ex sanctitatis fama, ex Beati aut Sancti cognominatione, hujusque generis haud pauca. Quæ omnia ad aliud referri non possunt, nisi ad cultum publicum, qui Sanctis exhiberi solet ex Scacch. *de not. & sign. Sanct. sect.* 10. *cap.* 1. *lit. B.* cui præiverat Contelor. *de Canoniz. Sanct. c.* 22. *num.* 7. atque ex aliis, præsertim ex Rota *in relat. B. Andreæ Corsini* post Lezanam *cons.* 1. *n.* 23.

Equidem venerationis, & cultus signum præsefert ele- 3
vatio, & magnificentia ornatus sepulchri, quæ concedi non solet, nisi beatificatis, Canonizatis, ut admittunt Castell. *de certit. glor. Sanct. tit. de dilig. antiq. serv.* §. 1. *num.* 41. ac Rota frequenter, speciatim autem *in relat. Canoniz.* Hieronymi Æmiliani *rubr. De concursu ad Sepulchrum*, §. *Quantum verò*.

Item retentio Tabellarum votivarum penes sepul- 4
chrum, in quibus exprimuntur miracula, & gratiæ obtentæ a Christi fidelibus per merita, & intercessionem Servi Dei, de quibus ultra descriptionem deponant testes de immemorabili illarum retentione de visu, ac certa scientia a tempore tuæ recordationis, ac de auditu a suis majoribus, & senioribus, recensentibus statim post obitum Servi Dei illas visas, ac retentas fuisse. Hæc enim retentio Tabellarum votivarum ad sepulchrum est argumentum publicæ venerationis, ut pluries censuit Rota, & in primis *in Relat.* S. Hyacinthi, *vers. Isti: miraculis*, S. Caroli *p.* 2. *arg.* 14. & S. Ignatii *rubr. de Temper. vers. Quintò continuata*, traduntque Contelor. *de Canoniz. Sanct. cap.* 14. *num.* 41. & *cap.* 22. *num.* 4. & Scacch. *sect.* 9. *cap.* 8. *in* 5. *assert.* Quodque semper fuerit habita in maxima consideratione multitudo Tabellarum & donariorum pro argumento Sanctitatis, ex quo propemodum impossibile sit tot fideles in eadem re deceptos fuisse, firmavit Rot. *in relat.* S. Andreæ Corsini apud Lezan. *d. cons.* 1. *num.* 226. Melius enim omnibus quàm singulis creditur. Quippè singulis decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. Et licet Viguer. *in instit. theol. tit. de virt. fid. c.* 10. §. 1. ac Molfes. *cons.* 45. *n.* 33 affirment, posse vota in signum miraculi circa sepulchrum privatim retineri, concedunt tamen omnes publicam præsefferre venerationem, ubi affiguntur, sicut advertit Contelor. *cap.* 22. *num.* 4. & patet ex ipsis decretis, in quibus prohibentur similes tabellæ votivæ, tanquàm indicantes venerationem, cultum.

Necnon antiquissima Epitaphia, quæ penes sepulchrum 5
conspiciuntur ac Inscriptiones diversi generis, in quibus ultra expressionem diversorum miraculorum continetur sublimitas virtutum, ac perfectionis asserta in illic sepulto, tanquam vera entitas Sanctitatis in eis consistens, denotant signum venerationis, & cultus, ut inquiunt S. Dionys. *de divin. nomin. c.* 12. D. Thom. 2. 2. *q.* 31. *art.* 8. *ad* 1. Innoc. *in c.* 1. *n.* 1. & communiter scribentes *de reliq. & vener. Sanct.* inter quos Scacch. *sect.* 1. *c.* 2.

Ita etiam retentio plurimarum, & quidem antiquissi- 6
marum lampadum ad sepulchrum assiduè ardentium cultum ostentat. Hæc enim lumina esse inditia divini, ac fine materia luminis dati expositi Germanus Patriarcha Constantinopolitanus *in Synod.* 7. *œcum. act.* 4. Et hac fortasse de causa jugem eorum alimoniam in locis, in quibus Sanctorum corpora conquiescunt præscripsit D. Gregorius, piam liberalitatem in Divos etiam Magnus *epist.* 83. *lib.* 7. qui Basilicæ D. Petri prædia cum olivetis num. triginta quinque & fermè totidem Basilicæ S. Pauli donavit.

donavit. Vide Durantum *de ritib. Eccleſ. Cathol. lib.* 1. *c.* 8. ubi concinnè in hanc rem plura adducit. Legendus etiam in eandem ſententiam Jacobus Middendorpius *de Academ. Orb. Chriſt. lib.* 1. *de Veſta*. Inde enim venerationem, & cultum deducit Scacch. *ſect.* 10. *cap.* 1. & ſupponunt Decreta prohibentia retentionem lampadum, ac Tabellarum votivarum ante ſepulchrum, & Imagines eorum, qui non verſantur in aliquo ex caſibus exceptis in eiſdem decretis. Idem docent Contelor. *d. cap.* 22. *num.* 2. ac cenſuit Rot. *in relat.* B. Andreæ Avellini *p.* 2. *cap.* 4. *de venerat. reliq. verſ. Illud autem*. Eſtque contra Turrian. *de fid. diſp.* 17. *dub.* 10. & Molfeſ. *conſ.* 45. *num.* 33.

7 Similiter immemorabilis, aſſiduuſque ac in dies percrebreſcens ad ſepulchrum concurſus populi, interceſſionem ſervi Dei piè ac jugiter implorantis cum orationibus, oblationibus, & elargitionibus eleemoſynarum, genuflexionibus, auditionibus Miſſarum, quæ ibidem quotidiè celebrari ſolent, aliiſque frequentiſſimis actibus publicæ venerationis, & cultus, prout conſuevit exhiberi canonizatis, vel beatificatis publicum cultum refert. Receptum quippè eſt ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine præclarum inde Sanctitatis, publicę venerationis, & cultus argumentum deſumi, ſicuti ex ſententia D. Auguſtini *lib.* 12. *de civit. Dei*, cujus ſit mentio *in c. Quando Epiſcopus &c. Ut patet diſt.* 24. inquiunt Jo: Andr. *in cap. Ad Apoſtolicam de regular.* Bellarm. *de Sanct. beat. cap.* 10. Panvin. *in relat. S. Bonav. p.* 1. *art.* 9. Rot. *in relat.* S. Caroli, & S. Ignatii, & S. Franciſci Xaverii, S. Andreæ Corſini, B. Paſchalis Baylon, B. Cajetani Thienæi, B. Felicis a Cantalicio, B. Andreæ Avellini, B. Aloyſii Gonzagæ, ac ſervorum Dei Gregorii Papæ X. Pii Papæ V. & Hieronymi Æmiliani. Quia fit in loco publico, & cum occulto quodam impulſu, quo Deus movere ſolet hominum corda, ut venerabundi accedant ad oſtendendam ſervi ſanctitatem. Quod elicitur ex Clem. *Cedit. de Judæis & Sarrac.* in qua ſtatuitur, quod Principes Chriſtiani compeſcere debeant Sarracenos ſibi ſubjectos ab invocatione publica nominis Machomet, quam facere ſolent ad ſepulchrum ipſius, eo quod ſit cultus non debitus, niſi Sanctis.

8 Inſuper quotidianæ Miſſæ in honorem ſervi Dei ab immemorabili celebrari ſolitæ ſive ad altare contiguum ejus ſepulchro, ſive alibi præcipuum, ac peculiare publici cultus argumentum præſe ferunt. Nam cùm Miſſæ Sacrificium fiat nomine Eccleſiæ e D. Auguſtino *lib.* 22. *de civit. cap.* 10. relato per Auguſtinum *Triumph. de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 14. *art.* 5. *in reſolut.* proculdubio celebrari ſolet in memoriam illius, qui canonizatus, vel in ſanctitate comprobatus eſt ab eo, qui dicitur caput totius Eccleſiæ: Ideòque præcipuum venerationis, & cultus ſignum nuncupatur a Scacch. *ſect.* 1. *cap.* 8. & connumeratur inter illos ſeptem honores, quos Sedes Apoſtolica concedit his, quos in Sanctorum albo deſcribit, teſte Bellarmino *controv. tom.* 2. *lib.* 1. *de Sanct. beat. cap.* 7. Molfeſ. *conſ.* 56. *num.* 9. & Contelor. *d. cap.* 22. *num.* 2. & 3. Sic enim Felix primus apud Anaſtaſium Bibliothecarium Miſſas juſſit celebrari ad Martyrum memorias, quorum ideò diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in uno Codice nomina Romanam Eccleſiam ſervaſſe, ut ageret quotidianis diebus in eorum venerationem Miſſarum ſolemnia, legitur apud S. Gregorium *epiſt.* 29. *lib.* 7. Sic quoque Apoſtolorum Principes a Romano Pontifice cultos fuiſſe, dum ſuper eorum oſſa veneranda offert Domino Sacrificia, & tumulos Chriſti arbitratur altaria, ex D. Hieronymo adverſus Vigilantium *epiſt.* 53. *lib.* 2. Multus eſt in hac re Auguſtinus *tract.* 8. *in Jo: & ſerm.* 7. *de verb. Apoſt. & l.* 8. *de civit. Dei cap.* 27. ac ſæpè alibi. Item Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 6. Chryſoſtomus *hom.* 21. *in Act. Apoſt.* & quamplures alii ex Patribus, quos collegit Durantus *ubi ſupra lib.* 2. *cap.* 35. Atque hac permiſſa cultus ſpecie ſanctitatem Romualdi ab Eccleſia evulgatam ſexto poſt quam obierat anno in ejus vita prodidit B. Petrus Damiani *c.* 79.

9 Idemque communis Eccleſiæ conſenſus præterea convincitur ex lectionibus Officii cujuſpiam ſervi Dei per Summos Pontifices approbatis, in quibus habetur expreſſa mentio ejuſdem Sanctitatis, ac virtutum. Quarum approbatio uti facta ſimpliciter, eſt interpretanda ex certa ſcientia, & in forma ſpecifica, Abb. *in cap.* 1. *de confir. util. vel inutil.* ibique Dec. *num.* 11. Mandoſ. qui plures cumulat *ad reg.* 22. *quæſt.* 10. *n.* 10. ubi de communi, Rot. *deciſ.* 297. *n.* 19. *p.* 4. *rec. tom.* 2. Præſertim quod agitur de re, quæ ex diſpoſitione Alexandri III. *in cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanct.* fuerat Summo Pontifici reſervata, ut rectè diſtinguit Abb. loco allegato *numer.* 6.

Rurſus ſolemnis ritus, ac memoria anniverſaria ad ſepulchrum celebrandi in illius honorem Miſſam ſolemnem Sanctiſſimæ Trinitatis cum maximo populi concurſu tàm Civitatis, quàm etiam locorum vicinorum publicæ venerationis, & cultus argumentum exhibet, ut pluribus relatis comprobat Scacch. *ſect.* 10. *c.* 2. exemplificans in Miſſa SS. Trinitatis, quæ quotannis decantatur ad recolendam memoriam obitus Pii V. 10

Et quod ad Imagines ultra ſepulchralem, atque alias circa ſepulchrum, ac alibi in Eccleſia publicam venerationem, & cultum denotant multæ aliæ, ſi quæ ab immemorabili tempore in publicis locis pictæ reperiantur cum radiis, & ſplendoribus, ac titulo Beati, cùm hoc pacto ſint magis authenticæ, *l. Cenſus* 10. & ibi Gottifr. *v. Monumenta*, *ff. de probat*. Tria enim publicæ venerationis, & cultus ſigna beatificatis, & canonizatis propria in illis ponderanda ſunt. Primò, earum retentio in Eccleſiis, & locis publicis inter alios Sanctos. Nam hujuſmodi retentionem venerationis cauſa inſtitutam fuiſſe ab Eccleſia tradidimus alibi cum Bellarmino, Durando, ac quibuſdam aliis. Secundò, ex radiis, & ſplendoribus, quibus decorantur, ſicut Imagines Sanctorum, teſte eodem Duranto *lib.* 1. *cap. ac num.* 5. Tertio, inſcriptionibus, ac titulo beati. Id enim connumeratur inter illos ſeptem honores, quos Eccleſia tribuit Canonizatis, relatos a Bellarmino *contr. tom.* 2. *lib.* 1. *de Sanct. beat. cit. cap.* 7. Molfeſ. *d. conſ.* 46. *num.* 9. Contelor. *eo cap.* 22. *num.* 2. & 14. Harum autem antiquitas probatur vel ex depoſitionibus teſtium, vel ex inſcriptionibus, vel ex relationibus peritorum, quibus hac in re maximè deferendum eſt, *l. Si quis* 3. *C. fin. regund.* Rot. *deciſ.* 105. *num.* 8. & *deciſ.* 151. *num.* 14. *p.* 6. *rec.* Scacch. *de not. & ſign. Sanct. ſect.* 9. *cap.* 6. Quodque proinde dictæ Imagines non minus conferant ad probationem venerationis, & cultus, quàm ſcripturæ, habetur ex teſtimonio D. Gregorii *ep.* 9. *lib.* 9. relato *in cap. Perlatum, de conſecr. diſt.* 9. Et Imagines antiquas optimè conferre ad memoriam, & recordationem, habetur *in cap. Venerabiles d.* 3. ac plurimum iis deferri ad probationem rerum antiquarum, dixit Rota *dec.* 353. *num.* 66. & *ſeq. part.* 5. *rec.* Ut proinde non minus ex picturis, quàm ex ſcripturis, ac libris, aliiſque veterum monumentis validum deſumi argumentum Sanctitatis fuit obſervatum in Canonizatione S. Raymundi de Pennafort, cujus Sanctitatis non leve ſpecimen exhibuerunt antiquæ picturæ eum exprimentes pallio ſuæ Religionis ſubſtratum per maris undas, ad S. Franciſcam Romanam habuiſſe ſibi familiarem Angelum Cuſtodem fuit præcipuè probatum ex eo, quod a longiſſimo tempore ſic pingi conſueverat, & S. Iſidorum Agricolam Domino ſuo ſitienti excitaſſe fontem aquæ ſtimulo bovis, quem gerebat, fuit itidem probatum ex antiquis Imaginibus, id repræſentantibus, ut habetur ex relationibus eorundem, ac refert Scacch. *eadem ſect.* 9. *cap.* 6. Et licet ſecundum ſententiam citati Authoris ſimiles Imagines quantumvis pictæ cum præfatis ſignis, & collocatæ in locis publicis non præbeant argumentum ſufficiens ad Canonizationem, denotant nihilominus conceptum, & opinionem hominum, ſicque cultum ac venerationem, ut ait idem Scacchus *eo loco*. 11

Hunc eundem cultum abſque dubio indicat proceſſio ex earum genere, quas lætas dixit Durantus *de ritib. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 10. *numer.* 8. ſi quæ ab immemorabili ad Servi Dei honorem inſtituta fuerit, ut ex congeſtis Patrum teſtimoniis tradit Caſalius *de Sacr. rit. cap.* 38. *§. Quanto honore*. Qua de re nos quoque aliàs egimus. 12

Præterea publicæ venerationis argumentum denotat titulus Beati, quo ſervum Dei ultra Imagines & ſepulchrales Inſcriptiones communiter decoratur, etiam in Litaniis, in quibus ſemper verè Sanctos a fidelibus fuiſſe invocatos Gerundenſis, Aurelianenſis, Moguntini, Toletani, ac Braccarenſis Concilii ponderatis authoritatibus probat Bellarminus *de Sanct. beat. lib.* 1. *cap.* 19. Ac præcipuè ſi uti talem ab omnibus coli tradant Hiſtorici, quibus ſemper fuit adhibita fides, ut propterea junctis depoſitionibus ſuper Immemorabili pleniſſimam probationem faciant, *lib.* 1. *ff. de offic. Præf. Præt.* tenetque Abb. *in cap. Cùm cauſam* 13. *num.* 1. *de probat. & in cap. Inter dilectos num.* 13. *de fid. Inſtrum.* & ibi Felin. *num.* 12. & *in cap.* 2. *num.* 49. *de reſcript.* cum aliis teſtantibus de communi, copioſè congeſtis per Gaſpar. Kloch. *de contrib. cap.* 20. *num.* 483. & *ſeq.* & in terminis Contelor. *de canoniz. Sanct. cap.* 14. *num.* 10. Scacch. *ſect.* 11. *cap.* 6. Caſtell. eodem argumento *quæſt.* 7. *§. Quæro*, Panvin. *in relat. S. Bonav. p.* 1. *art.* 8. Rot. *in relationib.* S. Raymundi *p.* 1. *ar.* 5. & S. Hyacinthi *c.* 3. Præcipuè ſi hujuſmodi titulus ipſi adhuc viventi inditus 13

fuerit

fuerit. Ex hoc enim indubitatum ſanctitatis argumentum elicit Azor. *Inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 5. *c.* 6. Contelor. *ibid. numer.* 11. Nec videtur diſſentire Edinerus apud Baronium *§. ſiquid referam ſub anno* 1098. dum inter teſtimonia Sanctitatis Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi & id recenſet, quod vulgò quaſi a proprio nomine *Sanctus homo* nuncuparetur. Immò & ipſa aſſentitur Eccleſia, quæ inter præcipua Sanctitatis D. Bonaventuræ argumenta illud tetulit in Romano Breviario, quod a vivente D. Thoma Aquinate *Sanctus* fuerit appellatus, ut benè obſervavit Scacch. *ſect.* 1. *cap.* 7. *§. fin.*

14 Arguit itidem cultum publicum communis reputatio, ac publica vox, & fama Sanctitatis, atque miraculorum orta in vita, & ſtatim ab obitu continuata penes univerſum populum, pro Beato, ac Sancto venerantem ſervum Dei, illumque ac ejus interceſſionem in ſuis neceſſitatibus invocantem per aſſiduam a die obitus uſque in præſens ſeriem temporum. Hæc quidem publica vox, & fama legitimè probata ſufficit dum verſatur in antiquis juxta Innoc. *in capit. Veniens n.* 6. *de verb. ſignif.* Bald. *in leg. in ſuper num.* 2. *Cod. de rei vind. & in leg. Proprietatis num.* 4. *Cod. de probat.* Abb. *in cap. Inter dilectos num.* 6. *ff. de fid. Inſtr.* Felin. *in cap. Veniens* 1. *num.* 16. *de teſtibus, & in cap. Cùm cauſam nu.* 9. *de probation.* Bellam. *deciſ.* 70. Caſſador. *dec.* 2. *de probation.* Caputaq. *deciſ.* 344. *num.* 3. *&* 327. *num.* 4. *part.* 3. Seraph. *deciſ.* 449. *num.* 3. Put. *deciſ.* 62. *numer.* 4. *lib.* 2. in correctis. Et in terminis Canonizationis pleniſſimam probationem facere dixit Rot. *in relat.* S. Hyacinthi *v. nec prædictorum*, S. Raymundi *art.* 3. S. Andreæ Corſini apud Lezanam *d. conſ.* 1. *num.* 237. B. Philippi Benitii *in rubr. de fama Sanctitatis art.* 2. B. Cajetani Thienæi eadem *rub.* B. Franciſci Borgiæ *part.* 2. *art.* 1. & ſervorum Dei Gregorii Papæ X. *rubr. de Sanct. Vitæ in* 2. *arg.* Pii Papæ V. *part.* 3. *tit. de aliis Indit. Sanct.* ac Hieronymi Æmiliani *rubr. de obitu, concurſ. ad ſepulchr. & fama Sanct. §. Quantum denique.*

15 Signa quoque Sanctitatis eliciuntur ex corporis integritate, ac unione cum omnibus oſſibus, membriſque. Quod tanquam miraculum conſiderat Rot. *in relat.* B. Petri Regalati *tit. de frequentia populi*, & tanquam primum miraculum cenſuit S. Rituum Congreg. in relatione de B. Franciſco Xaverio habita in Conſiſtorio ſecreto a Cardinali a Monte *titul. de miracul. poſt mortem*. Idem tenet Contelor. *capit.* 14. *num.* 14. Scacch. *ſect. 9. cap.* 3. & alii quam plures ab iis adducti. Sic Bononiæ viſitur a ducentis ampliùs annis B. Catharina tàm integra, ut ſedeat perinde, ac ſi adhuc ſpiritum duceret, noviſque amiciatur veſtibus; cùm ei diù creverint ungues, creverintque crines, & præfecti plurimis etiam ad valetudinem profuerint. Aſſiſii adhuc pedibus ſuis inſiſtit corpus integrum Santi Franciſci. Oſtenduntur in Monte Falco terni ex carne globuli in S. Claræ Virginis corde, cœlitus nati, tanquam in conchylio gemmæ, & eo nomine ſunt quoque admirandi, quod evincant divinitùs Deum unum, & trinum eſſe. Nam ita ſunt æquales pondere, ut in trutina commiſſi tàm unus, quàm duo, quàm tres unius ponderis reſpondeant ex æquo.

16 Item Sanctitatem refert fragrantia, & odor corporis, adeò ut videatur odor non naturalis, prout dixit Rot. *in d. relat.* de B. Petro Regalato, & eadem S. Congregat. *in relat.* de B. Franciſco Xaverio *mirac.* 2. Quod Scacch. *ubi ſupra*, Contelor. *ibi*, & Caſtel. *qu.* 9. *princip. de Canoniz. num.* 3. ex pluribus S. Scripturæ ac Patrum locis comprobant.

17 Ex his, quæ dixi, quamvis multa ejuſmodi prætream, ſatis conſtare poterit de cultu immemorabili, deque caſu excepto.

Addam tamen hic alia.

1 CUm Urbanus VIII. declaraverit in materia Canonizationis immemorabilem curſum intelligi tempus centum annorum metam excedens, ſtatuendum primò videtur, requiri probationem talis exceſſus, ſicut ex declaratione prædicta ſupponunt Scacch. *de Canoniz. Sanct. ſect.* 10. *cap.* 1. *lit. C.* Lezan. *conſ.* 1. *ſub. num.* 56. & Bordon. *contr.* 13. *n.* 46.

2 Secundò, tempus excedens metam centum annorum, numerandum eſſe ſupra datam præfatorum decretorum, nempè diem 13. Martii 1625. ut Bordon. inquit *eod. loco*, & fuit expreſsè decretum a S. Rituum Congregatione die 23. Martii 1652.

3 Tertiò, non ſufficere probationem Immemorabilis cum ſolis requiſitis Gloſs. *in c.* 1. *v. Memoriam, de præſcript. in* 6. ſed ampliùs exigi probationem actuum poſitivorum evincentium alicui ſervo Dei publicè, hoc eſt nomine Eccleſiæ præſtitum fuiſſe ante diem 13. Martii 1525. cultum cum veneratione, quæ ſolis Sanctis exhibetur, & ab inde citra illum continuaſſe uſque in præſens juxta communem ſenſum Canoniſtarum *in c. Cùm vobis* 14. *de præcript.* quem Bellam. *ibidem* expreſſit *numer.* 6. 10. *ac* 12.

His prælibatis videtur dicendum, quod teſtes, qui deponunt ſuper ejuſmodi immemorabili de auditu a majoribus ſupra centum annos, ac legiſſe penes Hiſtoricos, non probant exceſſum metæ centum annorum, ſpecificatum ab Urbano in determinatione Immemorabilis. Nam cùm duplex ſit modus probandi centenariam, directus, & præſumptivus, ſicut colligitur ex Bald. *in auth. Quas actiones n.* 18. *C. de Sacroſ. Eccl.* Bellam. *d. cap. Cùm vobis num.* 12. & ibi Felin. *n.* 8. dicendum eſt, Urbanum exegiſſe directum tum ex regula, quod probatio numquam concludit per poſſibile, ſed per neceſſe ſecundùm Bald. *in leg. Ad probationem* 27. *numer.* 1. *Cod. de probat. & leg. multis* 17. *numer.* 2. *Cod. de liber. al. cauſ.* Præſertim quando agitur de probatione vera, qualem vel ipſa materia deſiderat, ut idem ait *in leg. Ad hoc* 4. *numer.* 5. *Cod. Unde legitimi*, & proſequuntur alii penes Raudenſ. *de analog. cap.* 25. *num.* 36. Tum ex qualitate cauſæ, in qua maximum deceptionis periculum verſatur, ſicque indiget majori diligentia circa modum probandi ex notatis per Gloſs. *in cap. Venerabili v. diligentia*, ibique Doctores communiter *de teſtibus*. 4

Quoniam præſumptiva probatio ſolùm admittitur ubi inquiritur de re modici præjudicii, ſecus ubi conſiderabile eſt grave, ac magnum præjudicium juxta diſtinctionem Bart. *in leg.* 2. *§. Si dubitetur n.* 2. & Bald. *n.* 3. *C. quemadmodum teſtam. aper.* Tum quia talis cultus deducitur pro cauſa materiali ad exceptionem a regula prohibitiva illius, qui propterea debet plenè, ac directè probari, non autem præſumptivè ex theorica Baldi *in l.* 1. *n.* 20. *C. de jur. fiſc. l.* 10. 5

Ideòque nequeunt profecto centenariam probare teſtes, qui ſunt minores ætatis annorum centum ſupra quatuordecim, ut ſcilicet, dempta pupillari ætate, valeant ex propria ſcientia deponere de actibus geſtis ſupra, & infra ſpatium centum annorum, ſicut pro certo ſupponunt in præcitato *cap. Cùm vobis, de præſcript.* Doctores, ubi licet Gloſ. *v. Centum* dixerit, impoſſibilem eſſe probationem centum annorum, eique adhæſerint Vicen. Jo: de Lignan. & Hoſtien. *n.* 1. rectiùs tamen, alii tale dictum improbarunt, animadvertendo non ſolùm poſſe centenariam probari per teſtes ætatis perfectæ, quorum poſſibilis exiſtentia, licèt riariſſima, nequit inficiari, ſed etiam per inſtrumenta, & confeſſionem alterius partis in totum, vel partim per inſtrumenta, partim verò per teſtes, adeò ut inſtrumenta ſuppleant, quod teſtibus per ætatem deficere poſſet. Iique ſunt Jo: Andr. *n.* 6. Bald *ſub. num.* 1. Butr. *num.* 7. *poſt. med.* Anchar. *num.* 1. Abb. *num.* 5. Imol. *n.* 3. Guidop. *num.* 3. Alex. de Nev. *n.* 19. & alii non pauci. 6

Quod ſi replicetur Bald. *in d. auth. Quas actiones*, & cum eo Felin. *in illo cap. Cùm vobis* ob maximam difficultatem inveniendi mortales tàm gravis ætatis, admittere etiam probationem præſumptivam per teſtes deponentes de fama, quæ per ſe multum operatur in factis antiquis præſertim notoriis, eiſque acceſſiſſe Pariſ. *in repet. ejuſdem cap. n.* 8. facillimè poterit reſponderi, intelligendos eos eſſe juxta diſtinctionem Bartoli ſuperiùs adductam, quando ſcilicet agitur de re modici præjudicii, cùm idem Bald. *in l. Non ignorat.* 9. *num.* 10. *C. de iis, qui accuſar. non poſſ.* declaraverit, probationes præſumptivas ſufficere in modicis præjudiciis. Sicque concludendum eſt hoc caſu, quo agitur de re ſummi momenti, cùm nihil graviùs detur in Eccleſia militante, requiri modum directum probandi centenariam ex certa teſtium ſcientia, nec ſufficere præſumptivam innixam ſoli auditui ab aliis. 7

E quibus patet, non benè poſſe prætendi, quod ad legitimam probationem exceſſus metæ centum annorum ſatis ſit modus ordinarius probandi immemorabilem de viſu per quadraginta annos, & ab inde ſupra de auditu a majoribus, quamvis plerique dixerint, eam plus temporis continere, quàm centenariam. Nam contrarium veriùs ſtatuit communis aſſertio Canoniſtarum cum Gloſ. *in d. cap. Cùm vobis, v. Centum annorum*, ac multis tuetur Aym. *de antiq. temp. p.* 4. *§. Abſolutis ex num.* 2. *ad* 9. Quare Barboſ. *in collect. ejuſdem cap.* dixit, communiter operari per dictum Gloſſæ, quod præſcriptio centenaria ſit potior immemorabili, nec hujus probationem ſufficere, ubi lex requirit probationem centum annorum, 8

norum, & Rota coram Seraph. *deciſ.* 1141. *num.* 10. admiſit pro conſtanti, quod probatio Immemorabilis ſit debilior probatione centenaria.

9 Nihilominus eſto, quod centenaria ſit major Immemorabili, cùm contrarium, quod nempè Immemorabilis ſit potior centenaria, utpotè comprehendens non ſolùm centum, ſed etiam mille annos, immò tempus infinitum dixerint relati per Molin. *de primog. Hiſpan. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 46. & nos infra, & noviſſimè continuata temporum ſerie uſque in præſentem diem; attamen cultus non modò immemorabilis, ſed etiam ultra centum annos formaliter, ac luculentiſſimè probatur ex teſtium depoſitionibus, Hiſtoricis antiquis, & modernis, Imaginibus, aliiſque *in præcedente Conſultatione deductis.*

10 Quatenus verò exceſſus Centenariæ, & Immemorabilis venerationis, & cultus alicui ſervo Dei exhibiti numerandus eſſet ante publicationem Decretorum anni 1625. juxta aſſertam interpretationem Sac. Rituum Congregationis, cùm potiùs attendenda videantur poſteriora decreta anni 1634. in quibus declaratur tempus longiſſimum, illiuſque immemorabilem curſum, indefinitè exceptuatum in præcedentibus annis 1625. eſſe tempus, centum annorum metam excedens, nihilominus concludenter probari poteſt dictus exceſſus nedum ante annum 1525 ſed etiam longè prius ex ponderatis in antedicta Conſultatione.

11 Item non requiritur ſpecifica probatio actuum poſitivorum in particulari, unde ortum habuit Immemorabilis exhibitio publicæ venerationis, & cultus, ſicut in ſimili reſpondit Oldrad. *conſ.* 244. *num.* 13. & *conſ.* 254 *num.* 15. Jo: Fabr. *in §. Ex non ſcripto num.* 9. *Inſtit. de jure nat.* & latiùs Decian. teſtans de communi *conſ.* 51. *numer.* 35. 37. & 109. *vol.* 2. ſed ſufficit, quod teſtes deponant in genere, Rot. *dec.* 702. *num.* 3. *part.* 1 *dec.* 512. *num.* 16. *part.* 5. *tom.* 2. & *deciſ.* 56. *num.* 15. *part.* 7. *rec.* vel ſanè probatio actuum poſitivorum ante centum annos, quatenus requireretur, plenè probari etiam poteſt ex pluribus congeſtis in dicta præcedenti Conſultatione.

12 His poſitis aſſero. Immemorabilis ejuſmodi planè ac formaliter probatur ex teſtibus ſufficientis ætatis, nimirum excedentibus annum quinquageſimum quartum, ac deponentibus ſecundum omnia requiſita per Gloſſ. *in cap. unic. v. Memoria, de præſcript. in* 6. Primò nempè ita vidiſſe per quadraginta annos, & ampliùs. Secundò: Nil unquam vidiſſe vel audiviſſe in contrarium. Tertiò: Fuiſſe ac eſſe publicam vocem, & famam, communem reputationem, & antiquam traditionem. Quartò: Non extare contrarii, ſeu initii memoriam. Porrò hæc eſt praxis probandi Immemorabilem, & centenariam tradita a Canoniſtarum Principe Innoc. *in cap. Veniens* 34. *numer.* 1. & 4. *de verb. ſignif.* Quam uti communiter approbatam ſectatur Rot. *dec.* 512. *numer.* 12. & 13. *part.* 5. *tom.* 2. & *dec.* 56. *num.* 3. & *deciſ.* 317. *num.* 3. *part.* 7. *rec.* ac ſæpè alibi. Et in terminis Canonizandorum in relat. S. Hyacinthi *v. Nec præfatorum fides*, & S. Raymundi *articul.* 3. Maximè verò cum eorum depoſitiones fuerint adminiculatæ multiplici teſtimonio, ac authoritate Hiſtoricorum probatæ fidei, Imaginibus, aliiſque in ſuperiori Conſultatione libratis, ex quibus deducitur plena, & concludens probatio Immemorabilis, & Centenariæ venerationis.

13 Hinc trado, quod poſteriora Decreta non derogarunt immemorabili, quæ de jure perfectiſſimè probatur per teſtes deponentes cum requiſitis adductis. Quoniam verò graviſſima erat inter Doctores concertatio, utrum immemorabilis poſſit dici probata quoties apparet de initio, & varii variè id uſurpabant. Nam plerique innixi authoritate dictæ Gloſſæ, recenſentis inter cætera requiſita immemorabilis iſtud, quod non extet initii memoria, dixerunt, & præ aliis Prob. *ad Monach. nu.* 25. deſtructam iri prorſus immemorabilis ſubſtantiam, conſtito de initio, idemque arbitrati ſunt Alex. *conſ.* 16. *num.* 15. & *ſeq. lib.* 5. Oldrad. *conſ.* 254. *num.* 15. Put. *dec.* 427. *num.* 2. *lib.* 2. Buratt. *dec.* 551. *num.* 1. Alii verò quamplures contrarium tenuerunt quoties initium ſit ſuprà centum annos, nempè Innoc. *in d. cap. Veniens num.* 2. Butr. *in cap. Quid per novale num.* 15. *de verb. ſignif.* ac latè Gabr. *de præſcript. concluſ.* 1. *num.* 78. Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 61. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 9. *num.* 119. cui ſententiæ adhæſit Rot. *deciſ.* 124 *num.* 2. & 491. *num.* 4. *part.* 3. *rec.* & in Bononienſ. Archipresbyteratus 13. Martii 1648. coram Cardinali Corrado. Quinimò non defuerunt Doctores, putantes longiſſimum, & immemorabile tempus eſſe minùs centum annis propter dies hominum valdè abbreviatos, inter quos præcipuus eſt Cravet. *de antiq. part.* 4. *d.* §. *Abſolutis num.* 8. Menoch. *conſ.* 2. *num.* 308. & *ſeqq. de arbitr. caſ.* 3. *num. fin.* ubi de veriori Cavalc. *deciſ.* 17. *n.* 9. *part.* 2. Ricc. *in prax. noviſſ. probat. Juriſp. reſol.* 70. *circa fin.* & in puncto Bonac. *to.* 2. *ad* 1. *præc. Decal. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 2. ſentiens, dicta prima decreta excipientia longiſſimum temporis curſum benè poſſe intelligi de quadraginta annis, quamquam alii dicant requiri centenariam. Aliqui aſſeruerunt tempus longiſſimum, & antiquiſſimum eſſe 30. annorum Quamplus 70. Nonnulli 90. Multi 56. annorum eſſe antiquum refert Menoch. *de arb. loc. cit.* ac Maſcard. *de prob. concluſ.* 103. *num.* 3. & *ſeq. ubi num.* 9. recenſet, quod Rota aliquando tenuerit, tempus 70. annorum eſſe antiquiſſimum, & Cephal. *conſ.* 483. *num.* 14. ait, tempus 84. annorum eſſe antiquum, Soccin. *jun. conſ.* 22. *num.* 18. *vol.* 1. quod tempus triginta, & quadraginta annorum ſit longiſſimum, Soccin. ſen. *conſ.* 83. *num.* 7. *vol.* 1. Laderch. *conſ.* 127. quod tempus 50. annorum eſt antiquum, Burat. *dec.* 376. *num.* 4. ubi Adden. quod ſententia dicitur longiſſimo tempore lata ſi ante 40. annos promulgata fuerit.

Jure igitur, ac meritò Urban. VIII. aptum ac con- 14
gruens rei præſenti exiſtimavit haſce controverſias dirimere, declarando, quod longiſſimum, & immemorabile tempus in propoſito cenſeatur illud, quod metam centum annorum excedit, & ſic approbando dictam ſecundam opinionem, quod tantum tempus dicatur immemorabile, quantumvis ſuprà illud doceatur de initio dum aliàs, retenta dicta prima opinione, impoſſibilis omninò foret probatio immemorabilis cultus, cùm cujuſvis ſervi Dei ſit certa dies obitus, ſic initium venerationis. Eatenus autem cenſetur exegiſſe exceſſum centum annorum, quatenus neceſſarium duxit evellere diſſidium Authorum, eorumque opinionem, qui tenebant ſufficere brevius annorum ſpatium, utpotè tutam in re adeò gravi. Atque id eſt, quod tradunt Scacch. *de not.* & *ſign. Sanct. ſect.* 10. *cap.* 1. *lit. C.* Lezan. *conſult.* 1. *nu.* 36. rectè advertens, quod ſtante hac declaratione non poteſt ſuſtineri ſententia Bonacinæ ubi ſupra, ſed requiritur tempus centum annorum. Quod etiam obſervat Bordon. *contr.* 16. *num.* 26.

Ac præcipue cùm probatio immemorabilis ſecundum plures graveſque Authores ſit excellentior, & majoris virtutis quàm centenaria, utpotè ſub ſe continens omne tempus. Quod nominatim tenent Felin. *in cap. ad Audientiam num.* 27. & *in cap. Cùm vobis num.* 3. & *in cap. Si diligenti*, ibique Cardinal. *nu.* 7. *de præſcript.* Covar. *in cap. poſſeſſor. p.* 2. §. 3. *num.* 9. Molin. ſuperiùs adductus *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 46. ubi reſpondet ad Gloſſ. *in citat. cap. Cùm vobis de præſcript.*

Itaque nullatenus credendum eſt, quod dicta poſte- 15
riora decreta voluerint a medio tollere hanc formam probationis adeò in jure privilegiatam per ſimplicem declarationem, quæ cum ea benè ſe compatitur. Nam Immemorabilis nunquam cenſetur ſublata, niſi ei fuerit expreſsè derogatum, Alex. *conſil.* 60. *num.* 3. *lib.* 1. & *conſil.* 16. *num.* 26. *lib.* 5. Abb. *conſ.* 64. *num.* 95. Neque etiam id poteſt efficere ſimplex declaratio, quæ novam diſpoſitionem non inducit, ſed ſolùm quid in præcedenti fuerit actum oſtendit, Bald. *in l.* 1. *Cod. de teſtam. manum.* Decius *in l. Edita num.* 17. *C. de eden.* cum aliis per Gabr. *de reg. Jur. concluſ.* 3. *num.* 1.

Nec idcircò applicabilis eſt Gloſ. *in d. cap. Cùm vo-* 16
bis, *v. centum annorum*, *de præſcript.* Adverto enim in textu expreſsè caveri, quod adverſus Eccleſiam Romanam nonniſi centenaria præſcriptio currat. Unde dicta Gloſſa, licet agnoſcat impoſſibilitatem, ex quo teſtes habere debent ſaltem centum, & quatuordecim annos, adhuc tamen concludit non eſſe recedendum a verbis, & probandam eſſe centenariam, eò quod ita placuit legislatori, quæ præciſa diſpoſitio in hoc caſu non concurrit, ſed, ut dictum eſt, ſimplex declaratio circa tempus Immemorabile.

Cæterùm etiamſi ad formam Decretorum adimplen- 17
dam non ſufficeret ſola probatio Immemorabilis cum requiſitis Gloſſæ, ſed exigeretur centenaria, ea non deficeret in hac materia. Nam licet propter difficultatem, immò impoſſibilitatem rei non poſſint reperiri teſtes annorum 114. qui directè deponant de viſu per totum centenarium, tamen pro eo tempore, quod excedit hominum memoriam, etiam contra Eccleſiam Romanam, admittitur probatio præſumptiva per famam, ut optimè monet Baldus *in auth. quas actiones numer.* 17. & 18. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quem ſequuntur, & comprobant Felin. *in d. cap. Cùm vobis numer.* 8. Bellam. *numer.* 10. *cum ſeq.* dicens cum Lignano, ac Hoſtienſi, quod teſtes debent deponere de poſſeſſione a centum

centum annis, & circa. Idem asserunt Dec. *in c. Cùm dilecta numer.* 21. *de confir. util. vel inutil.* Anchar. *in c. un. sub fin. de præscript. in* 6. & ibi Lap. Abb. *num.* 8. Cravett. *de antiq. temp. part.* 4. §. *materia singularitatis testium num.* 42.

18 Probationem autem per famam in antiquis excedentibus hominum memoriam, & metam centum annorum admitti, etiam in rebus arduis, ultra Doctores suprà allegatos, qui loquuntur adversus Ecclesiam Romanam, in his terminis probandæ famæ, sanctitatis, & miraculorum, non obstante, quod priùs dixerit, Canonizationem esse unam de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi possint, firmat Castellin. *de Canonizat. quæst.* 7. *princip.* §. *In contrarium facit*, prout universum in quacunque materia, ubi agitur de rebus, quæ metam humanæ memoriæ excedunt, famam plenè probare dicunt Gratian. *cap.* 918. *num.* 15. Cassad. *dec.* 2. *num.* 5. *de probat. & decis.* 353. *numer.* 81. *part.* 5. *recent.*

19 Ac propterea cessat illatio, quod centenaria improbabilis sit, nisi per testes ætatis annorum 114. Nam cùm ex duobus modis probandi centenariam, directo nempè, & præsumptivò, prior sit difficilis, immò impossibilis, quia nemo tàm diutiùs vivit, ut reddere queat causam scientiæ de tanto tempore per sensum corporis ex Baldo, proculdubio sufficit præsumptivus per publicam vocem, & famam, quæ in factis multùm antiquis, & excedentibus hominum memoriam, aut si mavis spatium centum annorum ratione difficultatis, obtinet locum, ac vicem plenæ probationis juxta receptissimam sententiam, quam tuetur Baldus *ibid. eo num.* 18. *& in l. Conventiculam* 15. *num.* 8. *C. de Episcop. & in l. Proprietatis num.* 2. *Cod. de probat.* Angel. inquiens, quod si volo probare, quod ista domus fuerit Dantis Poetæ, vel alterius defuncti jam a centum annis, sufficit, quod probetur de fama *in leg. At qui natura* 19. §. *Cùm me absente num.* 2. *ff. de negot. gest.* referendo ita judicatum fuisse Paduæ in quadam ardua quæstione, ubi cùm ageretur de probando facto a 200. annis, probatio per famam satis fuit ad victoriam causæ. Idem repetit in *l. quidam in fuo* 27. *sub numer.* 5. *ff. de condit. institut.* & ex eo Dec. *in cap.* 1. *num.* 44. *de appell.* Jason. *in repet. l. Admonendi num.* 242. *& 246. ff. de jurejur.* Quod anteà asseruerat Butr. *in cap. Veniens* 1. *num.* 10. ibique Abb. Felin. ac cæteri *de testib.* Tenetque Barbatia, qui pro obtinentibus ab antiquo castra, & loca a Romanis Pontificibus respondit, sufficere probationem per famam, nec aliud esse necessarium. Ita *cons.* 41. *numer.* 4. *vol.* 1. *& cons.* 6. *num.* 5. ac latius *num.* 19. *&* 22. *vol.* 2. subdens *num.* 27. Juspatronatus 200. annorum, quòd non potest directè probari, plenè tamen, ac sufficienter justificari præsumptivè per famam. Similia repetit *cons.* 8. *num.* 3. *& seqq.* item *cons.* 18. *num.* 75. *eod. vol.* 2. *& consil.* 55. *num.* 12. *vol.* 4. cum aliis congestis per Mascar. *de probat. par.* 1. *conclus.* 103. *num.* 12. *&* 13. nimirum, quod Centenaria probatio per testes annorum quinquaginta quatuor deponentes cùm prænotatis requisitis Glosiæ dicatur plena, & concludens probatio.

20 Nec locus est replicationi, quod præsumptiva probatio per famam solùm admittatur in modicis præjudiciis. Nam quod plenè probet in factis antiquis, in quibus agitur de gravi præjudicio secundùm magis communem inquiunt Doctores apud Aym. *de antiq. temp. part.* 1. §. *Viso in hac num.* 1. *& part.* 4. §. *Materia ista num.* 41. Et Mascard. *concl.* 105. *num.* 3. Quod potiori jure procedit, quando fama adminiculatur aliis probationibus, seu urgentissimis præsumptionibus, ac conjecturis. Quia tunc in factis antiquis, & in causis arduis plenam probationem inducit, ut docent Barbat. *d. cons.* 8. *num.* 12. *vol.* 2. ac alii ab Aymone deducti *ead. p.* 1. *n.* 3. firmatque Rot. *dec.* 117. *num.* 3. *p.* 7. *rec.*

21 Minus quoque subsistit, quod Decreta Urbani exigant directam probationem Immemorabilis ac centenariæ exhibitionis cultus; quin potiùs liquet contenta fuisset plena probatione, prout legitimè fieri posset atque deberet. *Nam pagin.* 10. §. *Demum & seq.* postquam Pontifex expressè prohibuerit Ordinariis, aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatis, in hujusmodi causis se intromittere antequam plenè doctum fuerit de paritione eorumdem decretorum, solummodò dicit: *nisi postulator priùs per legitimas juridicè susceptas probationes, &c. præscriptam in præfato nostro Decreto formam omninò servatam extitisse docuerit.* Idque clariùs expressit verbis illis prohibentibus ipsi S. Rituum Congregationi, se ingerendi in prosequutione, ac discussione hujusmodi causarum priusquam de illorum paritione doctum fuerit per particularem, & authenticum processum ab ipso Ordinario, aut Sedis Apostolicæ specialiter Delegato conficiendum, scilicet: *Nisi priùs in ipsa S. Rituum Congregatione alio sejunctim oblato authentico processu ex eo Ordinarium aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatum rite, & recte, ut præmittitur, cognovisse, aut pronunciasse præfato Decreto nequaquam contractum esse plene constiterit.* Porrò verba illa: *Per legitimas juridice susceptas probationes docuerit*, expressa in priori prohibitione, tum illa: *Plene constiterit* subjecta in subsequenti, optimè verificantur in plena probatione Immemorabilis, & centenariæ exhibitionis cultus præsumptivè facta per famam sufficienter probatam cum suis requisitis, sicque obtinentem locum, & vicem plenæ probationis, uti prædictum est.

Et sanè verisimile non arbitror, quod rejecta hac validissima, & a Doctoribus communi ferè calculo approbata probandæ Centenariæ ratione, voluisse Decreta præscribere directam probationem Centenariæ, quæ de sui natura saltem secundùm ea, quæ communiter accidunt, est impossibilis, cùm exigat testes, quorum ætas superet quartum decimum annum suprà centesimum: *Quoties enim quisque*, ait D. Hieronymus *Ep.* 21. *lib.* 1. *aut centenariam transgreditur ætatem, aut non ad eam sic pervenit, ut pervenisse pœniteat.* Et inter innumeros, quos centesimum annum, vel excessisse, vel attigisse recenset, vix quatuor enumerat Phlegeton. Tralian. *in lib. de mirab.* Quod si etiam fabulosas excipias narrationes paucos in longævorum censu reperies apud Plinium, illum historiæ naturalis Prothonotarium *lib.* 17. *cap.* 48. & Lucian. in suo de *Macrob. Opusculo*. Reliqua geras existimo. 22

CONSULTATIO CCXLV.

De aliquibus verbis Decretorum Urbani VIII.

QUeritur primo, de verbis illis aut per communem &c. Intelligenda sunt de Ecclesia universali in Petri soliditate firmata, unumque corpus mysticum plurium membrorum compositione sub ejusdem Spiritus unitate conflatum, cujus caput visibile est Summus Pontifex, & pro qua solùm Dominus rogavit, ne deficeret, adeòut nequeat errare, *c. Ita Dominus* 17. cum Gloss. *v. Nec portæ d.* 19. *c. loquitur Dominus* 18. ubi etiam Gloss. *v. Unum corpus* 24. *quæst.* 1. Habeturque *in Clem.* 1. §. *Verum de exess. Prælat.* cum similibus, hoc est de universa Congregatione fidelium in symbolo Apostolorum dicta *Unam sanctam* Ecclesiam juxta expositionem Nicolai I. *in c. Ecclesia* 8. *de consecrat. dist.* 1. & Joannis XXII. *in extravag. unic. v. Cùm itaque de celebr. Mis.* inter Communes, ac Gloss. *Extravag. Suscepti regiminis, v. Ecclesiis de elect. & extravag. Execrabili v. Universali, de præb. & dignit.* Deque hac communi omnium fidelium assertione loquitur Baron. *Annal. tom.* 7. *ad ann.* 526. ibi: *Sed majorem sibi vindicat fidem, quod communi assertione ab omnibus fidelibus traditur, quàm quod in uno, vel altero Cod. legitur.* Ideòque verba prædicta rectè exposuit de consensu universali Bordon. *controv.* 13. *de Canoniz. Sanct. nu.* 46 subdens talem consensum universalem habendum esse pro vero, cùm impossibile sit, quod universa Ecclesia, in qua neque macula, neque ruga est, possit errare. Idemque suppositi Scacch. *de Sign. not. & Sanct. sect.* 1. *c.* 7. *lit. D.* ac quidam alii. Nam profecto communis consensus totius Ecclesiæ non potest esse, nisi a Deo. Quod autem est a Deo, infallibile, & certissimum est. Nulla enim potentia humana potest efficere, quod omnes homines id ipsum dicant. 1

Nilominus dico, ex his dumtaxat posse inferri, quod cultus cuipiam servo Dei exhibitus non sit ampliandus ad universam Ecclesiam ultrà loca particularia, in quibus hactenus fuit exhibitus, prout fieri consuevit in Indultis Beatificationis, aut venerationis, quæ Sedes Apostolica, ut plurimùm, limitatè concedit ad certa loca, vel ad certas personas, vel juxta certam formam, referente Hostiense *in cap.* 1. *num.* 9. *de reliq. & vener. Sanct.* exemplum Caroli Magni, qui ex tolerantia Romanæ Ecclesiæ, tanquam Sanctus veneratur in sola Capella Aquisgrana, & non in aliis Ecclesiis. Quod repetunt Jo: Andr. *num.* 5. & Cardin. *num.* 6. Ac proinde ritè dici potest, quod immemorabili tempore communiter fuerit præstitus, limitatè verò in certis locis, ut animadvertit Scacch. *sect.* 9. *c.* 6. *& sect.* 10. *cap.* 4. Nam, ut idem ait *sect.* 1. *cap.* 7. quando alicui prædefuncto Sanctitatis titulus concessus est, aut publica veneratio, & cultus ab antiquo, licet post tempora Alexandri III. exhibitus fuerit ab aliqua Ecclesia particulari, seu pluribus, elicitur sufficiens argumentum Sanctitatis ad effectum Beatificationis, & Canonizationis. 2

Item

3 Item ex his tantùm probari omnes alias Ecclesias esse quasi membra, nec in decreto Urbani VIII. potest vel debet intelligi de Ecclesia universali. Quia necessariò supponeret Canonizationem solemniter celebratam, quæ fit nomine Ecclesiæ universalis, non autem celebrandam. Quod confirmat textus *in d. cap. loquitur Dominus* 24. *quæst.* 1. ibi, *Episcopatus unus est, tamen a singulis in solidum pars tenetur. Quia licèt alii Episcopi non sint vocati in plenitudinem potestatis, sunt tamen vocati in partem solicitudinis dominici gregis cap. Decreto, & c. Qui se scit.* 2. *quæst.* 6. Idem deducitur ex citato Baronio, qui non idcircò negat fidem Codicis particularis, sed non esse tantæ fidei affirmat. Ita sanè Concilia provincialia obligant tantùm in Provincia, *cap.* 2. *de consuet. in* 6. universalia verò omnes Christianos in toto Orbe. Nec proinde sequitur Provincialia non habere authoritatem, sed non tantam. Et hanc opinionem frequenter sequuta est Rota, & S. Rituum Congregatio post decreta Urbani in Canonizat. S. Andreæ Corsini, cui fuerat præstitus cultus in Diœcesi Fesulana, & in Religione Carmelitarum, ut in ejus *relat. part.* 4. *§. Primo verò*. Et licet detur traditio universalis, ut *in cap. Illa est* 12. *d.* tamen si traditio observetur in tota Ecclesia, necessariò provenit vel ab ipsis Apostolis, vel a Conciliis universalibus, ut ibi prosequitur D. Augustinus, & Baronius ad *annum Christi* 102. *numer.* 11. ubi, de Canonibus Apostolorum. Queritur Secundò,

An verba illa Aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta in *eisdem Decretis apposita respiciant servos Dei, qui obdormiverint in Domino ante tempora Alexandri III. ad Pontificatum evecti nonis Septembris* 1159.

1 REspondeo affirmativè juxta animadversionem Scacch. *de not. & sign. Sanct. sect.* 1. *cap.* 7. ut scilicet quod ad illorum dumtaxat Sanctitatem, & venerationem in Ecclesia militante standum sit testimoniis Sanctorum scriptorum, cujus rei exemplum patet ex decreto Gelasii *in c. Sancta Romana Ecclesia* 3. *dist.* 15. ibi: *Item vitas Patrum Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus cum omni honore suscipimus*. Secus verò quoad servos Dei, mortuos post tempora dicti Pontificis, qui *c.* 1. *de reliq. & vener Sanctor.* voluit, quod singula quæ ad venerationem, & cultum spectant, pendeant a sola authoritate sedis Apostolicæ ad hoc, ut omnis errandi ansa penitus a mente fidelium elidatur. Quare idem Scacchus loco allegato loquens de titulo sanctitatis jam ab antiquis temporibus alicui servo Dei defuncto post Alexandrum III. concesso per aliquam Ecclesiam particularem, vel in Litaniis, vel in Officio divino, sive per recitationem Horarum Canonicarum ad illius honorem, sive per aliquam commemorationem in anniversario die obitus ejusdem, inquit, solùm summum inde elici posse, dummodo Episcopi non temerè, sed juridicè ad hoc processerint, examinatis meritis talis defuncti, cui titulus Sanctitatis tribuitur, utpotè quia præcesserit inquisitio de vita, & moribus illius, fueritque adhibita sententia Synodi diœcesanæ, quæ non aliter super præstatione cultus, ac venerationis emanaverit, quàm per vota, & suffragia totius Cleri, & singulorum de corpore illius Ecclesiæ, perque actum publicum, & solemnissimum. Unde liquet non posse casum exceptum firmari ex libris, & scripturis Patrum, Scriptorumque illustrium, si agatur de veneratione, ac cultu cujuspiam servi Dei, qui obierit post tempora Alexandri III. Præsertim si nullus ex libris, & scriptis exhibitis eum habeat authorem, qui Patris, aut viri sancti nomen in Ecclesia promereatur.

2 Ac insuper præallegata verba intelligenda sunt de cultu publico ejus, qui per antiquam traditionem Ecclesiæ militantis Patrum, virorumque sanctorum scriptis firmatam, vel per universalem dictæ Ecclesiæ consensum probatus fuit sanctus. Quoniam hujusmodi probatio æquivalet Canonizationi, cum antiquitùs non requireretur ea forma Canonizationis, quæ recepta fuit post decretum Alexandri II. sicut in proposito arguunt Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst.* 25. *art.* 6. *disp.* 55. *sect.* 2. Sanch. *in Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. Baldell. *tom.* 2. *disp.* 12. *num.* 26. *& disp.* 13. *num.* 4. ac Lezan. *cons.* 1. *num.* 35.

3 Verumtamen moneo, hactenus dicta procedere quando agitur de probanda formali Canonizatione, ut distinguendo tradit Scacch. *eadem sect.* 1. *cap.* 7. quando agitur de probandis actibus particularibus exhibitæ venerationis, & cultus, ad hoc, ut inde eliciatur argumentum ad effectum Canonizationis plenam, & indubiam fidem adhibendam esse Chronicis, Scriptoribus, atque Historicis inquit idem Scacch. *sect.* 11. *cap.* 6. probatque Gratian. *cap.* 893. *num.* 6. Contelor. *de Canoniz. Sanct. cap.* 14. *numer.* 10. Castell. *de Canoniz. quæst.* 7. ac Rot. *decis.* 212. *num.* 8. *part.* 6. *rec.* & in Papien. fructuum 15. Januarii coram Ghislerio, *& in relat.* servi Dei Gregorii Papæ X. *tit. de jurei. §. Tertium*, *& in relat.* Petri Regalati *tit. de fam. §. Quod attinet ad Scriptores*, S. Andreæ Corsini *cap.* 1. *de venerat.* S. Hyacinthi *fol.* 28. *v. nec prædictorum fides*, S. Raymundi *p.* 2. *artic.* 2. passimque alibi.

Quod sanè procedit etiamsi aliqui ex iis impressi fuerint infrà centesimum, cum sit attendendum tempus, quo libri fuerunt conscripti, ex quo in hac materia nomine librorum non veniunt magis libri impressi, quàm aliæ scripturæ quoquomodo appareant, & antiquitatem redoleant, ut dicit Abb. *in cap. cum causam num.* 1. & ibi Host. *num.* 2. & Jo: Andr. *num.* 3. *de prob.* 4

Sed etiamsi ejusmodi libri non essent in publicis Archiviis custoditi. Quia versatur in antiquis, & in causis modici præjudicii, quales dicuntur eæ, in quibus non agitur de interesse alicujus, licet aliàs sint gravissimæ per text. & Gloss. *in cap. Cùm causam, de probat.* ubi egregiè Panormit. *num.* 1. ita loquitur: *Dic ergo, quod aut agitur de nullius præjudicio, & tunc scripturæ librorum non authenticorum, vel scripturæ lapidum faciunt fidem. Pone exemplum. Si dubitetur, an Ecclesia fuerit consecrata, vel infans baptizatus, vel quid simile. Idem puto si factum sit antiquissimum, & agatur de modico præjudicio. Non enim mandatur hìc de libris repertis sub custodia publica, & fideli, sed indistinctè per libros antiquos, qui, cùm agatur de modico præjudicio, nec versetur interesse bursale, non est verisimile, quod quis scripserit falsum.* Idipsum tradunt ibi Host. *num.* 5. Jo: Andr. *num.* 10. referens, se legisse in una legenda, quod S. Hieronymus fuit Cardinalis, & habuit titulum S. Anastasiæ. Qua de re alibi, ac cæteri omnes, nominatim Bellam. *decis.* 70. *in fin.* Rot. *decis.* 718. *num.* 2. *part.* 4. *div.* & latissimè *dec.* 353. *num.* 23. *cum seq. part.* 5. *recent.* & in terminis plenè Castell. *de Canoniz. quæst.* 7. *princip. sub fin.* Panvin. *in relat.* S. Bonaventuræ *part.* 2. *art.* 8. eadem Rot. *in relat.* S. Hyacinthi *cap.* 3. S. Raymundi *part.* 2. *articul.* 3. B. Andreæ Corsini *part.* 4. *§.* 1. apud Lezan. *consil.* 1. *num.* 237. & S. Ignatii *tit. de Temper.* & sacr. memor. Pii V. *part.* 1. *§. Cæterum*. 5

Et in omni quidem rigore, quotquot Deo filios per doctrinam procreant, dici possunt eorum Patres. Id quod etiam Philosophis ex usu fuit. Apud eos enim erudire, erat generare, ut notavit Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Stro. & lib.* 5. *cap.* 2. Itaque nomen Patris Ecclesiæ in quosvis Ecclesiasticos Doctores cadit, in rigore loquendo. Usus tamen receptus non fert, ut quicunque Sacri Doctores nomine Patrum Ecclesiæ insigniantur; sed necesse est, eos & antiquitate, & doctrinæ redundantia præcellere, nec esse pulveri scholastico addictos. Idcircò enim Doctores, qui scholastici passim dicuntur inter Patres Ecclesiæ non numerantur. Quia neque adeò antiqui sunt, neque eam solidæ Doctrinæ, qua præcelluere simplicitatem tenuerunt, quæ a philosophico scribendi modo esset aliena. Quin potiùs eo acumine, & Philosophorum propria spinositate scripserunt, adhibita accuratione metaphysica, & dialectica, ut eorum doctrina aliud esse non videatur, quàm philosophia christiana, ab illa quidem inani philosophia, quam Apostolus fugillabat longè differens; sed tamen longè alterius rationis, quàm sit scribendi modus a Patribus adhibitus, plenus majestatis, & dignitatis.

Quòd vetustas requiratur in scriptoribus, qui Patrum denominatione sint honestandi, consentaneum videtur Anastasio Sinaitæ, qui S. Cyrillum Alexandrinum duobus ferè sæculis ab ipso abjunctum, habuit pro ultimo eorum, qui suo tempore Patres haberentur. Id enim esse videtur, quod dixit *cap.* 7. S. Cyrillum fuisse omnium Patrum signaculum. Doctores ergo omninò multos, qui a tempore S. Cyrilli ad ipsum Anastasium floruerant, quia vix plusquam sæculo uno, atque dimidio antecesserant non habuit pro Patribus. Consultò omisimus inter hujus denominationis conditiones, doctrinam sanam, & ab hæresi, ac erroribus damnatis alienam. Quantavis enim sit antiquitas, nisi vel errores, quibus scriptor aliquis sordet, fuerint materiales, & per ignorantiam invincibilem contracti, cujusmodi complices sunt Arnobii, atque Lactantii; vel nisi bona multa exoleris jam erroribus, a

qui-

quibus nihil ultrà sit timendum, ab authoribus adjuncta, suadeant authores illos retineri, & bonis tantùm probatis, deferri authoribus tanquam Patribus, ut in Tertulliano, ac Origene factum videmus. Nisi, inquam, ista interveniant, antiquitas sola non afficiet, ut Patres habeantur authores, vel suspecti, vel apertè reprobi quoad doctrinam. Testes Bertamus, & Abelardus.

6 Præsertim verò si non solùm habeantur Scriptores suprà centesimum annum, qui de cultu testantur, sed etiam infrà ac in idem Authores universi consentiant. Certa quippè apud homines ea sunt, quæ negari sine pervicacia, & stultitia non possunt. Præclarè itaque Joseph 1. *contra Appion. lib.* illud veritatis historiæ signum certum esse dixit, si de iisdem rebus eadem omnes conscribant. Et certè si in duorum ore, vel trium stat omne verbum, cur adversus hanc legem pluribus testibus rem eandem olim gestam contestantibus fidem abrogabimus? Præsertim cùm testimonia ex vetustate desumpta, ut Fabius ait, criminibus odii, gratiæque careant. Ex quibus propterea satis probatus remaneret casus exceptus juxta præscriptum Decretorum, etiamsi alia deessent. Unde multò magis concurrentibus testibus, quorum dicta, licèt non excederent tempus eorum memoriæ, benè tamen conjungi possent cum traditionibus Historicorum, ut ad probandam centenariam admitti hujusmodi conjunctionem testium, & scripturarum dixit Abb. *in cap. Cùm nobis num. 6.* quod etiam tradidit *in d. cap. causam num. 2. de probat.* & ibi Host. *num.* 12.

7 Item si inter Scriptores plerique sint Archiepiscopi, vel Episcopi, sicque connumerandi inter Patres, & quidem gravissimos, ac fide dignos, cùm illos Christus posuerit regere Ecclesiam suam, ut habetur Paulus *ad Ephes. cap.* 4. & ad Corinth. *cap.* 12. & *Act. cap.* 20. Sive sint aliqui Principes, quibus idcircò omnimodam fidem adhibendam esse inquit Scacch. *dict. cap. 6.* Ac maximè si ex prædictis Historicis nonnulli fuerint coætanei servi Dei, quapropter eis multum deferendum esse in recensendis actibus, ex quibus fama Sanctitatis, & virtutum alicujus Servi Dei elicitur, notat Scacch. *dict. sect.* 11. *cap. 6. §. Cùm verò*. Quippè qui, attenta eorum antiquitate ac gravitate, meritò Patres appellari possunt.

8 Equidem tanta semper magni nominis Historicis ab Ecclesia fides habita est, ut Theodorum Mopsuestenum non prius illa damnaverit in Synodo V. œcumenica, quàm recitarentur ea, quæ contra ipsum in historicis scriptis continebantur, ut luculenter habetur *collat. 5. sub princ.* ac lecta S. Svithberti vita per Marcellinum conscripta, cujus meminit Voss. *de histor. latin. cap. 29. lib.* 2. illum Sanctorum numero insigni Canonizatione adscripserit Leo III. ut testatur S. Sudgerus tum temporis scriptor apud Surium, quem referunt ac sequuntur Azor. *institut. moral. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. Contelorium *de Canonizat. cap. 3. numer.* 4. Bellam. *de Sanct. beat. lib.* 1. *cap.* 8. Immò etiam Sacra Rota cum aliàs sæpè, tum disertissimè mota est ad promovendam Canonizationem ex solis monumentis de vita Canonizandorum *in relat.* S. Hyacinthi *fol.* 4. & 22. S. Franciscæ Romanæ *part.* 2. *artic.* 12. ubi pleræque aliæ numerantur.

9 Nec ideò dicta decreta discretivè excipientia illos, qui per Patrum, virorumque Sanctorum scripta coluntur, restringenda sunt ad eos, qui obdormiverunt ante tempora Alexandri III. quive Sancti nomen promerentur. Etsi enim Gratianus probaverit decretum Gelasii, non tamen inde sequitur, quod soli Hieronymo, cæterisque primitivæ Ecclesiæ Sanctis Doctoribus relatis in eo decreto sit danda fides exclusivè quoad alios non canonizatos. Ad hoc enim, ut alicujus doctrina sit approbata non est necesse, quod persona sit canonizata secundùm Turrecr. *in d. cap. Sancta Romana Ecclesia num.* 15. exemplificantem in Magistro sententiarum, & aliis, sed sufficit esse Authorem Catholicum, cui communiter sit habita fides ex sententia Innocentii I. *in cap. de quibus d.* 20. ubi præscribit sequentem ordinem observandum, quando aliqua dubietas occurrit in decisione causarum, ut scilicet primo loco recurrendum sit ad Sacram Scripturam, secundò ad Canones Apostolorum, tertiò ad Canones Conciliorum, quartò ad Decretales Summorum Pontificum, cæteraque Sedis Apostolicæ determinationes, quintò ad dicta Sanctorum PP. sextò ad Chronicas, & historias Catholicas, & fide dignas, seu Scriptorum Catholicorum. Atque ex hoc Gemin. ibi *num.* 1. & Præpos. *num.* 3. inferunt, quod Scripturæ catholicæ, & libri scripti a veris Catholicis possunt allegari pro jure in causis decidendis. Quod sensit quoque Turrecr. *d. cap. Sacrosancta Romana Eccles. sub num.* 10.

Non itaque censendum est, Gelasium voluisse rejicere aliorum Scriptorum monumenta, qui sanctè ac fideliter scripsissent. Siquidem, & ibi legendos decrevit libros orthodoxorum, qui in nullo a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fideli prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius gratia Dei usque ad ultimum vitæ suæ spiritum participes fuere. Immò cùm vitas Sanctorum virorum sine probabilibus authoritatibus in Ecclesia non esse legendas statueret Adrianus Papa, illicò addidit, quod ab orthodoxis titulatæ, & suscipiantur, & legantur apud Ivon. *decr. lib.* 2. *cap.* 126. Quare ii omnes, qui secundum fidem defuncti sunt, & in pace Ecclesiæ quieverunt, possunt, etiamsi minùs aptè, tamen absque labe, accenseri Patrum Sanctorum Cathalogo. Videatur Can. *de loc. theol. lib.* 11. *cap.* 4. ubi de authoritate historiæ breviter, ac solidè agit, & *cap.* 5. ubi contrarias objectiones excutit. De quare nos in tomo secundo fusiùs, & diligenter. Queritur Tertiò,

Quomodo verba illa: Vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur, *intelligenda sint?*

1 RRespondeo, esse intelligenda de tolerantia cultus publici, & venerationis, non simplici, sed admixta cursui temporis immemorabilis, quod metam centum annorum excedat, sicque positivè supra integrum sæculum pateant actus formales tolerantiæ, quæ propterea dicitur activa, non passiva juxta declarationem ejusdem Urbani VIII. in literis editis 5. Julii 1634. ibi: *Insuper longissimum tempus, illiusque immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto intelligi declaravimus esse tempus metam centum annorum excedens*. Sicut in terminis dictorum verborum inquit Scacch. *de not.* & *sign. Sanct. sect.* 10. *cap.* 1. *lit. B.* & *C.* Quare perperam existimavit Bonacina *tom.* 2. *ad* 1. *præcept. Decal. disp.* 3. *quæst.* 1. *punt. ac num.* 2. sufficere tempus triginta, vel quadraginta annorum, quem ideò castigant Baldell. *disp.* 3. *sub. num.* 4. *tom.* 2. & Lezan. *cons.* 1. *num.* 36. additurque etiam cum Scacch. *ubi supra lit. C.* non sufficere dictam tolerantiam circa quemcunque cultum, sed illam circa requiri celebrationem die festi, Officii divini, ac Missæ, quæ neque minoris temporis, quàm excedenti metam centum annorum requirunt.

2 Hinc profectò probata remaneret immemorabilis scientia ac tolerantia Ordinariorum circa actus formales, & specificos publicæ venerationis, & cultus ultrà centum annos alicui servo Dei exhibiti, si ipsi viderint, solverint ac permiserint, immò etiam per semetipsos illum exhibuerint, capellam, ut sepulchrum servi Dei honorificè constructum, ac veneratum frequentantes, videntes, atque audientes populum ibi alta voce recitantem orationes in illius honorem, necnon Missas proprias quotidie de eo celebrari solitas, & annotatas in libris antiquis, & modernis Ecclesiæ una cum illarum fundationibus intereſsentes cum Clero universo Civitatis vel loci anniversariis festivitatibus, ac solemnibus processionibus fieri solitis in ejusdem honorem cum delatione reliquiarum ipsius, inspicientes ejus Imagines in Ecclesiis, locisque publicis, ac in ipsis altaribus, pictas, vel sculptas inter alios Sanctos cum radiis, laureolis, splendoribus, diadematibus, & coronis, titulo Beati, ac Sancti, aliisque signis venerationem, & cultum præferentibus, ac verisimiliter legentes, vel ab aliis audientes apud Scriptores, & historicos nomen servi Dei titulo sanctitatis, beatitatis, aliisque veneratione redolentibus decorari. Cùm enim enim scientia præsumatur eorum, quæ publicè fiunt, Rot. *dec.* 533. *num.* 4. *part.* 1. *rec.* perneceſse fatendum est, ipsos Ordinarios sciviſse, ac toleraſse, immò & exhibuiſse servo Dei publicam venerationem, quæ fit nomine Ecclesiæ tàm ratione loci, quàm ratione formæ. Certa quippè juris præsumptio est, Episcopum censeri informatum de his omnibus, quæ fiunt in sua diœcesi, Rot. *dec.* 233. *num.* 2. *part.* 4. & *dec.* 30. *numer.* 11. *part.* 6. *rec. cum concord.* & sic curæ sibi impositę, cujus meminit Leo Papa *Ep.* 5. *in princ.* ac proprię denominationi satisfacere, quam benè ad rem examinat D. Augustinus *de Civitat. lib.* 9. *cap.* 15. & Rot. *dec.* 236. *num.* 3. & 4. *part.* 6. *rec.* Ex qua quidem scientia, ac tolerantia juncta immemorabili, ac centenariæ exhibitioni cultus concludenter justificatæ resultat haud dubiè casus in decretis exceptus.

CON-

CONSULTATIO CCXLVI.

An prophetia, ſive revelationes præſtent ſolidum ſanctitatis argumentum?

1 NEgant Philoſophi, ac nominatim Artephius, Rogerius Baco, & Pomponatius, aliique peripatetici, ſecundum quorum ſententiam omnis prophetia, ſive revelatio, ſive vaticinatio, ſive divinatio, ſive exceſſus, ſive linguarum interpretatio, ſive artium inventio, ſive ſcientiarum indagatio, & denique omnis effectus in hoc mundo inferiori inventus, qualiſcunque ſit, habet cauſam naturalem, fitque a Deo & intelligentiis, non tamen immediatè, ſed mediantibus corporibus cœleſtibus. Quare & eſt donum Dei, & intelligentiarum, licèt non ſecundùm illum modum, juxta quem concedit noſtra Religio. Quoniam hæc, vel aliqua fiunt vel immediatæ a Deo, vel ab Angelis, non concurrentibus motibus corporum cœleſtium.

2 Hoc autem ex ſignis, & cauſis contendunt oſtendere. Primò quidem, quoniam Aſtrologi ex motibus ſyderum ſciunt prædicere futura. Sic Haly Ebenragel ex nativitate pueri, ut ipſe refert *in lib. de nativitat.* ſcivit prædicere Regi, quod ejus filius nuperrimè natus prophetiam enunciaret, ut planè evenit. Nam puer, vocato patre, illi denunciavit deſtructionem ſui Regni, & gentis. Idem ajunt de puero illo nato ante bellum Saguntinum, qui prædixit crudeliſſimum exitum Saguntinorum, quemadmodum refert Eutropius, Valerius Maximus, ac alii plures. Quod tribus modis potuiſſe contingere affirmant. Uno modo, quod hæc facta non ſint mediantibus ſimulacris, ſed quod virtus cœleſtis moverit membra, & organizationes illas, & cauſaverit talem ſonum, qui revera non eſt vox, cum ſit abſque imaginatione animæ, ut contingit in fiſtulante: aliquando enim talia organa ſic mota videntur eſſe animata & habere loquutionem, patetque ex adductis a Valerio Maximo *lib. 1. cap. de miracul.* ubi narrat, ſtatuas emiſiſſe voces per aera auditas. Secundo modo poteſt id contingere per ſimulacra tantùm voces repræſentantia, non autem res. Ita ruſticus, literarum ac linguæ latinæ prorſus ignarus recitans orationem Dominicam, nullum ſanè verbum, quid ſignificet intelligit. Sicque verificatur illud, quod idem Valerius Maximus dicit *loc. alleg. de prodig.* nempè bello Punico ſecundo conſtit Gneo Domitio bovem dixiſſe, *Cave tibi, Roma*. Item & illud Eutropii *cap. 1. lib. 6.* ubi ait, quod inter cætera portenta, quæ in toto orbe facta ſunt, bos in ſuburbano Romæ ad arantes loquutus eſt: fruſtra ſe urgeri, non enim frumenta, ſed homines brevi defuturos. Similiter & illud Plinii *cap. 5. & 21. lib. 10.* ac energumenorum quando loquuntur græcè, vel latinè. Poſſunt enim habere ſolùm ſimulacra vocum, non rerum. Tertio modo id fieri poteſt, ut & vocum, ac rerum ſimulacra habeant, idque dupliciter. Vel quod res ipſis repræſententur, non intelligant tamen quid illæ ſic repræſentatæ importent, veluti contigit in ſomnio Pharaonis. Habuit enim ſimulacra vocum, quoniam ipſi retulit Joſeph quid ſomniavit, & ſimulacra rerum, quoniam videbat vaccas illas pingues, & macras, neſciebat tamen quam ſignificationem haberent. Vel etiam eſſe poteſt, ut præter vocum ſimulacra, & rerum ſimilitudines habeant etiam illarum ſignificationem ſicuti Ezechiel Propheta habuiſſe dicitur, Joſeph, ac multi alii. Verùm quibuſvis modis hæc fiant, non eſſe negandum ajunt, quin fiant ab Intelligentiis una cum corporibus cœleſtibus tanquam illarum inſtrumentis, hæcque ab ipſis intelligentiis intelligi ſecundùm tamen modum illis convenientem. Et quamquam hæc in nobis ſint ſecundùm placitum, non tamen aufertur, quin ab eis intelligantur. Nec quia ſunt cauſæ actuum provenientium a voluntate, & ab intellectu aufertur liberum arbitrium; nam cum libertate voluntatis ſtat, quod Deus concurrat ad actum voluntatis.

3 Deinde probant, quia Philoſophi determinant de prophetia, ut Plato, Ariſtoteles, Avicenna, Averroes, Hippocrates, Galenus, aliique innumeri. At non determinant, niſi per cauſas, & ſigna, & rationes naturales.

4 Poſtremò, quia non fiunt ejuſmodi revelationes ac vaticinia in hominibus, niſi ſecundùm certas diſpoſitiones naturales, ut puta in iis, qui abundant humore melancholico, ut ait Ariſtoteles *lib. 1. probl. 30. p.* Undè Conciliator ibi refert, quod cum eſſet quædam ruſtica, omninò literarum ignara, quæ congruè latinè, & græcè, loquebatur, poſteàquam medici purgaverunt illius humorem melancholicum, omnium oblita eſt. Et quod majus videtur 4. *Reg. 3.* ſcribitur de Heliſæo, qui Regi quærenti reſponſum dare non potuit, niſi vocato pſalterio, quaſi non fuerit aptus prophetare, niſi priùs paſſus fuerit exceſſum, qui per pſalterium provocatus eſt. Quod apertè confirmat Ariſtoteles *loc. citat.* & Plato in Phedrone ac alibi. Nec etiam fiunt hujuſmodi mirabiles operationes niſi ſtatutis temporibus, ac in locis determinatis. Unde Prophetæ magis inveniuntur in Ægypto, & in Judæa, & in partibus Orientalibus, quàm alibi, quæ omnia demonſtrant, id provenire ex complexione ac naturali diſpoſitione.

Aſſignant his omnibus cauſam finalem, præſertim 5
Averr. *in lib. de divinit. per ſomn.* & Avicenn. *in 6. natural.* Divina etenim providentia rebus in eſſe productis tribuit, ut in ſe habeant ea, ſine quibus in eſſe ſervari nequeunt, ſicut in humano corpore poſuit membra, quibus ſumitur, & decoquitur cibus, ſine quo mortalis vita non conſervatur. At genus humanum non poteſt abſque ſocietate conſervari. Unus enim homo ſibi non ſufficit in neceſſariis ad vitam, unde naturaliter eſt animal politicum, ut 4. *Ethic.* habetur. Societas autem conſervari non poteſt abſque juſtitia; juſtitiæ autem regula eſt prophetia; nam invalidum, & infirmum eſt humanum conſilium. Quare natura pro hominum regimine Prophetas producit juxta locorum, ac temporum exigentiam.

Adducunt & probabilitatem. Nam ſi brutis data eſt 6
vis cognoſcendi futuras tempeſtates, imminentia pericula, cæteraque ad vitæ utilitatem ſpectantia, quantò magis hoc debuit dari ipſis hominibus, qui magis Deo ſunt ſimiles, ejuſque magis amici, cùm ſolus ipſe Deum, & juſtitiam religioſè colat?

Eſſe autem erroneam hanc opinionem non arbitror 7
longa probatione indigere. Non enim videtur poſſibile, pueros illos ſic loquutos fuiſſe. Nam Ariſtoteles 11. *part. problem.* 27. quærens, cur eſt, quod aliqui pueri ante ætatem loquantur? Reſpondet, quod hi pueri dicunt ea, quæ audiverant. Igitur loquuti ſunt præcedente ſenſu exteriori. Unde non potuerunt loqui, niſi prius audiverint tales voces aut in totum, aut in partem. Confirmatur, quia loquutio fit ab anima imaginante. Imago autem, ſive phanthaſia eſt motus factus a ſenſu ſecundùm actum, ut dicitur 2. *de anim.* Quare nemo poteſt loqui, niſi præceſerit actus ſenſus exterioris. Rurſus, ſi quis loqui poſſet, non præcedente ſenſu exteriori, tunc non omnis ſurdus eſſet mutus. Quod eſt contra Ariſtot. *de ſenſ. & ſenſat.* contra experientiam, & contra rationem. Nam auditus eſt ſenſus diſciplinæ. Nullus autem loquitur aliquo idiomate, niſi illud addiſcat, alioquin idiomata non eſſent ad placitum, ſed ſecundùm naturam, quod eſt apertè falſum, quia ſi habet loquutionem ſine auditu, ad hoc ergo quod loquatur non indiget auditu. Præterea ſi quis loqueretur abſque auditu, haberet ſonorum ſimulacra, non præcedente auditu. Ergo non eſt verum, quod deficiente ſenſu, deficiat etiam diſciplina, quæ eſt circa ipſum ſenſum, atque adeò cæcus poterit diſcurrere de coloribus, reclamante Ariſtotele, & tota philoſophia.

Neque iſta ſimulacra fieri poſſunt a virtute cœleſti. 8
Nam etiam fiunt a virtute ſenſuum, & objectorum. Igitur non erunt ejuſdem ſpeciei. Quod videtur falſum. Habent enim conſimiles rationes. Nam bos quando dixit: *Cave tibi, Roma*, idem ſignificavit, quod ſignificaſſet vox prolata ab homine. Quippè juxta Commentar. *comm. 45. lib. 8. phyſ.* genita ex putredine, & propagatione non videntur eſſe ejuſdem ſpeciei, & 7. *metaphyſic.* Ariſtoteles vult, quod domus non poteſt fieri a caſu, ſed tantùm ab arte. Multò magis eloquutio non videtur poſſe fieri, niſi ab anima imaginante, ac proinde non a virtute corporum cœleſtium.

Deinde quoniam ejuſmodi loquutio, ſive ſonus cùm ſit 9
ſignificativus, vel ſignificat naturaliter, vel ad placitum. Non poteſt ſignificare naturaliter; nam verba illa: *Cave tibi, Roma*, ſi purus alienigena audiviſſet, non intellexiſſet. Quæ autem naturaliter ſignificant, apud omnes eodem modo ſignificant. Neque ad placitum, quia quæ purè naturaliter fiunt, non videntur ad placitum ſignificare.

Ulterius cùm Intelligentia, & corpus cœleſte non ma- 10
gis reſpiciant idioma latinum, quàm græcum, aut hebraicum, cur eloquutio facta eſt latina? Item cur magis per iſtum bovem, quàm per alium? Cur magis ad hunc hominem, quàm ad alterum, & magis in hoc loco, & tempore, quàm in alio?

Minus etiam Intelligentiæ mediantibus ſuis inſtrumen- 11
tis, ſcilicet corporibus cœleſtibus poſſunt imprimere in

intellectu humano plenam prophetiam, nimirum quoad receptionem ſpecierum repræſentantium, & interpretationem, non præcedentibus ſenſibus exterioribus. Nam Averroes *in lib. de divinat. per ſomn.* ait, quod licet ſine primis propoſitionibus id fieri poſſit, non tamen abſque præparatione imaginativæ motæ a ſenſibus exterioribus. Inſuper ſequeretur, quod non tantùm hoc poſſit contingere in practicis, verùm etiam in ſpeculativis. Non enim videtur major ratio de illis, quàm de iſtis. At hoc eſſet contra Averroem, qui ait, quod ſi quis haberet hujuſmodi cognitionem, eſſet æquivocè homo cum aliis hominibus.

12 Denique ſequeretur prophetiam eſſe naturalem, & non donum Dei. Quod fuit error atque hæreſis Montani, qui dixit, Prophetas non eſſe loquutos per Spiritum ſanctum, ſed fuiſſe arreptitios. Itidem ſequeretur, quod in die Pentecoſtes Apoſtolis non fuiſſet miſſus Spiritus ſanctus in forma ignis, ſed hoc factum fuiſſet ex virtute cœleſtium corporum. Quandoquidem corpora cœleſtia poſſunt dare diverſitatem linguarum, & prophetiam. Quare nedum hæc opinio eſt contra Religionem Chriſtianam, verùm etiam contra philoſophiam, præcipuè peripateticam.

13 At nihilominus, ut omnis de hac difficultate dubitandi occaſio præcidatur, aſſero, ſententiam relatam ex parte recipiendam eſſe, ex parte verò rejiciendam. Divus namque Thom. *in quæſt. diſputat. de veritat. quæſt.* 12. *& in* 2. 2. *quæſt.* 172. ſequens magiſtrum ſuum Auguſtinum, vult, prophetiam aliquam eſſe naturalem, illamque dumtaxat, quæ eſt de rebus, quæ fiunt per cauſas ſecundas, atque etiam mobiliter, non autem neceſſaria, & infallibilis, ſed ut in pluribus veritatem continet, ut eſt natura rerum naturalium. At de his, quæ ſunt fidei, quæque excedunt curſum naturæ nullo pacto poteſt eſſe prophetia ſecundum naturam, & omnium etiam illorum, quæ infallibiliter fiunt, ſed hæc eſt a ſolo Spiritu ſancto, licet non repugnet in ſui miniſterium uti Sanctis Angelis. Quare quæ dicta ſunt, & prophetata de Salvatore noſtro per Prophetas minimè in cauſam naturalem referri poſſunt, ſed ſolùm præconizata fuere per Spiritum ſanctum per ora Prophetarum. Quapropter conceſſa illa naturali prophetia, non deſtruitur noſtra Religio, eò quod ad ea, quæ ſunt fidei, naturalis prophetia ſe extendere nequit. Siquidem neque ea, quæ ſunt fidei in cauſis naturalibus continentur. Prophetia namque naturalis ex communi omnium conſenſu, non poteſt ſe extendere, niſi ad ea, quæ ſunt ſecundum naturam. Neque ſequitur, quod illa interpretatio multarum linguarum tradita ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes non ſit tradita a Spiritu ſancto. Nam illud nullo modo poteſt referri ad cauſam naturalem multis ex cauſis. Primò quidem, quia licet aliquæ ſive fabulæ, ſive hiſtoriæ, tradant, aliquos ex natura habuiſſe intelligentiam omnium, vel ſaltem multarum linguarum, immò & intellexiſſe voces avium, tamen quod tot viri in una & eadem hora, ut habetur *Act.* 2. æqualiter illam recepiſſent, non eſt veriſimile, neque poſſibile ſecundum naturam, cùm eſſent, & diverſarum ætatum, ac diverſarum complexionum: Philoſophi enim iſta referunt ad complexiones, & corpora cœleſtia. Secundò, quia tunc in eodem loco erant congregati Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, Capadociam, Pontum, & Aſiam, Phrigiam, & Pamphiliam, & Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani, Judæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes, & tamen nullus illorum accepit illam diviſionem linguarum, niſi eſſet Apoſtolus. Quomodo igitur per naturam illa diſcretio fieri potuit? Tertio, quia Apoſtoli per ſolam impoſitionem manuum dabant Spiritum ſanctum. Quis igitur niſi pluſquam fatuus hoc poſſe referri in cauſam naturalem dicere audeat? Quartò, quia prophetia non eſt continua, ſed ad tempus. Apoſtoli autem poſtea quam receperunt linguarum interpretationem, nunquam illam amiſerunt.

14 Nec obſtat, quod nullus videtur habuiſſe prophetiam a Spiritu ſancto, niſi fuerit & amicus Dei, & illuminatus per fidem. Quoniam Spiritus ſanctus non videtur poſſe habitare in infideli. Sed D. Auguſtinus *lib.* 18. *de Civitat. cap.* 23. loquens de vaticinio Sybillæ Erithreæ teſtatur, illam quædam de Chriſto manifeſta conſcripſiſſe. Hæc autem Sybilla fuit Gentilis, ac proinde non videtur eſse mota a Spiritu ſancto. Aut igitur quæ facta ſunt in Chriſto, naturaliter facta ſunt, aut etiam naturalis prophetia ſe extendit ad ea, quæ ſunt ſupra naturam.

15 Reſpondeo cum D. Thoma locis allegatis nimirum Sybillas, & hujuſmodi alios habuiſſe quidem donum Spiritus ſancti, quale eſt prophetia, ut duæ Catholicæ Eccleſiæ columnæ Petrus & Paulus conteſtantur. Nam de facto in Propheta novæ ſpecies generantur, & nova phantaſmata, vel a Deo, vel ab Angelis ex juſſu Dei, tumque illa phantaſia non eſt motus factus a ſenſu ſecundum actum. Non tamen habuiſſe Spiritum ſanctum. Non ſemper enim cum aliqui ſive Gentiles, ſive Chriſtiani peccatores moti fuerint a Spiritu ſancto, non tamen Spiritus ſanctus in illis habitavit. Etenim non habitat, niſi in habente donum charitatis. Legitur namque quod Balaam fuit propheta, quin tamen malus fuit, & Matth. 7. dicitur ex perſona damnatorum: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Et ad Corinth. 1. 13. *ſi habuero prophetiam &c., charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

16 Atque ex his licèt Delrius *diſqu. magic. lib.* 4. *qu.* 3. *ſect.* 1. & Scacc. *de not. & ſign. Sanct. ſect.* 8. *c.* 4. *lit. C.* negent, revelationes præſtare ſolidum ſanctitatis argumentum, idque etiamſi probabiliter conſtet immiſſas a Deo. Quia in iis non conſiſtit ſanctitas, nec perfectio chriſtiana, nec iſtæ per ſe nos faciunt Deo gratiores, aut proximo utiliores. Quare plura de viſis ac monitis per quietem, vel in ſomniis apud Ethnicos referunt Tull. *lib.* 1. *de divinat.* Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 7. Plin. *hiſt. natur. lib.* 2. *cap.* 20. Macrob. *de ſomn. Scip. lib.* 1. *cap.* 3. & Alex. *gen. dier. lib.* 3. *cap.* 26. aliique non pauci.

17 Nihilominus aſſero cum D. Auguſtino, D. Thoma, ac Toſtato, revelationes divinas eſse ſignum ſanctitatis, cùm fiant a Spiritu ſancto, quarum meminit Contelor. *de Canonizat. cap.* 14. *num.* 29. Quod indubiè procedit, quando concurrunt alia ſanctitatis argumenta, ex quibus perneceſse dignoſcatur, revelationes verò eſse a Deo, nempè puritas vitæ, ac morum integritas, miraculorum frequentia comprobata, ut diſtinguendo tradit Scacc. loco allegato, & fuſiſſimè Larrea *in tract. ſeu conſult. deciſ. de revelat.* impreſso poſt 2. *tom. dec. Granat. num.* 6. *& ſeqq.* Prima enim commendatio revelationis authoritas debet eſse revelantis, & ut rectè animadvertit D. Gregor. *ad* 1. *cap. Ezech.* prima radix prophetiæ ipſa eſt perſona Prophetæ. Quam propterea oportet curare primùm, ac altè in animorum quaſi terram depangere, quo alacriùs ab ea doctrinæ fructus expectentur, tum bonitate, tum perennitate præſtantes. Tria igitur examinanda. Res revelata, circumſtantiæ revelationis, perſona, cui fit revelatio. Nec eas eſse inter ſomnia, & melancholicas interiores apparitiones connumerandas indicat claritas intelligentiæ, & certiſſima viſio eorum, quæ ſignificant juxta celebrem diſtinctionem Cajet. *in* 2. 2. *quæſt.* 172. *art.* 1. *in corp.* Qua de re luculenter Zacch. *in qq. medico leg. lib.* 4. *tit.* 1. *numer.* 23. *& ſeq.* ac recentiores alii. Quomodo autem revelationes a malo, & bono Angelo diſcernendæ ſint docet D. Gregorius 8. moral. 13. Idem oſtendit Pererius *lib.* 1. *in Daniel.* & Petrus Tyræus ex profeſso. Legendus quoque Cajetanus adductus *artic.* 3. Benedictus Arias Montanus *præludiis in Prophetas*, Joan. Petrus Oliverius *lib. de Prophetia*, Franciſcus Ribera *in Prophetas*, Delrius eo loci *cap.* 1. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. Chriſtophorus Caſtrius *in Iſagoge ad Propbet. lib.* 3. *cap.* 6. Antonius Fernandius *comment. in viſion. vet. teſtam. prælud.* 6. Legito etiam Eminentiſs. de Moura *opuſc.* 2. *de Incant. ſect.* 2. *cap.* 3. *numer.* 19. Raphael. de la Torre *de Relig. tom.* 2. *quæſt.* 95. *artic.* 3. *diſput.* 3. Souſam *in aphr. inquis lib.* 1. *cap.* 39. *numer.* 12. Gravinam, qui de hac re juſtum librum conſcripſit *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 3. Simanch. *de Cath. inſt. tit.* 21. *numer.* 25. Sybillam *in ſpec. peregr. qq. decad.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 2. Henric. de Firmaria *lib. de quat. indiſtinct.* Ægyd. Carler. *par.* 1. *ſport. fragm. in princip.* Hieronym. de Ferrar. *in compend. revelat.* Jo. Franciſcum Picum *lib. ult. de prænot.* Ribadeneir. *lib. de tribul. cap.* 15. Delgat. *lib.* 1. *de auct. S. Script. cap.* 11. & alios.

18 Verùm ego addenda exiſtimavi, quæ de diſcernendis viſis & revelationibus veris a falſis, ſcripta ſunt apud ſanctos Patres, & recentiores Theologos.

19 Et primùm quidem S. Chryſoſtomus *hom.* 28. 1. *Cor.* 12. tradit regulam cognoſcendi ſpiritus Divini in iis, quibus ſupernaturale aliquod, & extraordinarium lumen ineſſe videtur: *Dæmonis*, inquit, *eſt proprium perturbationem, furorem, & multam caliginem infundere: Dei autem illuminare, & prudenter edocere ea, quæ opus ſunt.* Cui addit & alteram huic conſentaneam: *Eos, qui Dæmone ſuggerente, vaticinantur, non intelligere quæ loquuntur: qui autem Divino ſpiritu afflati prædicunt futura, omnia,*

omnia, ut decet, noverunt: illi servi Diaboli sunt, os tantum, non autem intelligentiam rebus, quas promunt, accomodantis: hi autem domini sunt dicendorum, & tacendorum: illi mente commoventur, & necessariò compelluntur, & trahuntur tanquam furiis perciti. Quod confirmat in primis Apostoli testimonio 1. *Cor.* 12. qui obscurè quidem, verè tamen hoc exprimit, cùm ait, *De spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres, scitis enim cum gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes; arreptitii enim homines trahebantur ad Idola, quæ jam obmutuerant ob Christi Domini adventum, & illis colligabantur, ut opera, & dicta eorum Idolis adscriberentur, sicque in honore apud eorum cultores haberentur Idola. Hi autem, veri videlicet Prophetæ, non ejusmodi sunt, sed sobria mente, modesta, & firma non necessitate detenti, sed potestate in honore habiti, propterea Jonas fugit: propterea Ezechiel rejectus est; propterea Hieremias relictus. Deus autem non necessariò eos impellit, sed consilio, admonitione, minis, neque mente obscurat.* Quibus omnibus tanquam certis indiciis discernitur spiritus diabolicus Prophetarum falsorum a spiritu divino, qui residet in Prophetis sanctis, ipso initio Prophetiæ, & ante omnem eventum: ad hoc enim datur donum discretionis spirituum: non enim est necessarium hujusmodi donum ad dijudicandum spiritum, postquàm res, quæ futura prænunciabatur, evenit, vel non evenit.

20 Hæc S. Chrysostomi doctrina videbitur fortassis alicui in suspicionem diabolicæ fraudis vocare horrores quosdam, & exanimationes aliquorum, qui quo tempore vel visum aliquod supernaturale patiuntur, vel beneficium aliquod, aut animæ, aut corpori salutare divinitùs accipiunt, quasi numine correpti in terram corruunt semimortui, præsertim, cùm id multis arreptitiis accidere solere constet ex Euangelio, & quotidiana experientia, de qua ego etiam testor ex mihi delegato officio exorcistæ, quo hic Romæ fungor. Verùm non ita est, & S. Chrysostomus loquitur de discrimine vatum, & Prophetarum; In scripturis autem sacris passim legimus ad aspectum Angelorum turbari sanctos viros, & trementes cadere super terram, ut accidit Tobiæ *lib. Tob. cap.* 12. non remanere in homine fortitudinem, marcescere, nec habere quicquam virium, ut de se testatur Daniel *c.* 10. *Cùm vidissem Angelum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.*

Observavi etiam in historiis Ecclesiasticis ante vera miracula sanitatis divinitùs tributæ, tremores, & exanimationes aliquando contingere. Affero unum duntaxat exemplum ex scriptis S. Augustini *sermon. de diverss.* 131. depromptum. Scribit enim sibi a quodam oblatum libellum recuperatæ sanitatis per miraculum, in quo ille sic loquebatur: *Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco ubi est memoria gloriosissimi Martyris Stephani. Die autem Dominico Paschæ, sicut alii, qui præsentes erant, viderunt, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subitò cecidi, alienatus autem a sensu, ubi fuerim nescio: post paululum assurrexi.* Si igitur accidit aliquando dubitatio; an ex Deo sit aliquid, quod ejusmodi sit, non ex uno, sed ex multis indiciis, quod physionomi faciunt, de re universa cognoscendum est. Eandem historiam refert S. Augustinus *lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 8. & meminit prolapsionis in terram, & exanimationis tàm hujus ipsius, quàm sororis ejus ante acceptum sanitatis beneficium.

21 Idem etiam S. Chrysostomus author est, Deum nonnunquam magno strepitu excitato homines esse alloquutum, (*namque ideo,* inquit, *in caligine cum terroribus, Deus Hebræis legem tulit, qui illis utpotè ferocioribus, & effrenioribus, humano quodam terrore opus fuerat. Contra verò Apostolis, ut virtute subimioribus, & doceri facilibus se se placidissimè infundit in die Pentecostes; in quo sonum quidem exaudiri Deus voluit, sed propter Judæos, qui si post illa prodigia dicebant adhuc Apostolos musto plenos, quid dicturi fuissent, si nihil hujusmodi accidisset?*

22 Sanctus Gregorius *lib.* 1. *dialog. cap.* 10. præclarum & ipse in ejusmodi rebus pronunciatum scriptum reliquit, sunt ejus hæc verba: *Mens, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutem scilicet, & humilitatem: quæ si utraque perfectè in una mente conveniunt, liquet, quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferat.*

Addatur Humilitati charitas, de qua sic scribit S. Chrysostomus: *Omnem speciem boni, quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem & Diabolus introducit ad seditionem, ut inter bonum verum, & bonum simulatum confusio fiat, solam autem charitatem sancti Spiritus non potest Diabolus imitari.*

Sanctus Bernardus *sermon. de multiplic. utalitat. ver-*

bi Dei, præceptum utilissimum tradit eadem hac de re: *Sapientia, quæ a Deo est*, ait S. Jacobus *cap. 3. primum quidem pudica est, deinde pacifica: omnem ergo cogitationem, in qua hæc duo non concurrunt, a Dei sapientia alienam esse ne dubites: eam ergo, quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit apertè, sed virtutis prætendit imaginem, tum demùm a Deo esse noveris, si pacifica sit, si Prælati tui, atq; spiritualium fratrum approbatur judicio, quoniam non faciet Dominus verbum, quod non revelaverit servis suis, ut dicitur Amos 3.*

Duo etiam scriptores inter Teologos nobiles hac de re scribunt, Joannes Gerson libro de probatione spirituum, & in altero de distinguendis veris a falsis visionibus, & Joannes de Turrecremata in prologo defensionis revelationum S. Birgittæ. Prior hæc habet: *Multis rationibus utuntur Sancti Patres, ad probandos spiritus, si ex Deo sint.*

Prima ratio est Scriptura sacra, cui quæ consona sunt, 23
ea demum vera sunt, & a Deo.

Secunda ratio est interna inspiratio, qua certior fit ani- 24
ma, utrum ex Deo sit aliquid, an ex Diabolo: de qua S. Augustinus lib. 6. confess. cap. 13. scribit, S. Matrem Monicam dixisse solitam, se nescio quo sapore, quàm verbis explicare non poterat, discernere, quid interesset inter Deum revelantem, & animam suam somniantem.

Tertia ratio pertinet ad officium hierarchicum: est enim 25
in Ecclesia donum discernendorum spirituum, & qui Ecclesiam, ejusque Pastores legitimos aderunt, præsertim verò Pastorum Principem Romanum Pontificem, Christi Vicarium sine dubio, quinam spiritus ex Deo sint, certissimè cognoscent.

Quarta ratio est eruditio Theologica, & exercitatio assi- 26
dua in spirituali pugna, & virtutum actionibus; qui enim usu proprio, cum doctrina conjuncto, didicit ea his, quæ passus est, facilè & in semetipso, & in aliis, quinam spiritus excitetur, intelligit.

Quinta ratio est ipsa vita ejus, qui spiritu aliquo impellitur, (a fructibus enim ait Dominus Matth. 7. cognoscetis eos,) ad quam utilia præcepta præscribit, quæ hoc carmine indicantur.

Quis, quid, cui, quare, tum qualiter, unde require.

Quis; considerandum est, an qui visum aliquod pati- 27
tur, sit sani, & integri sensus, atque judicii. Ob id minimè audiendi sunt phrenetici, cardiaci, zelotypi, iracundi, invidi, & his similes, qui aut mente quasi capti, aut animo sunt perturbato. Pervidendum simul, an qui loquitur sit novitius in fidei zelo; novitius enim fervor facilè errori obnoxius est, si rectore caret, quod maximè accidit adolescentibus, & fœminis, quarum est ardor nimius, varius, præceps. Observanda personæ conditio, mores, quibus rebus assueta fit, quorum utatur familiaritate, dives ne sit, an pauper: nam dives latentis superbiæ, & voluptatis suspecta est: simulationis, & fallaciæ pauper. In primis autem providendum, ne lateat interna superbia, quæ etiam ex humilitate, ciliciis, rebusque omninò contrariis exsistit. Dominatur porrò hæc vel orationi, vel voluntati; rationi quidem quando mordicus hæret quis suæ sententiæ, voluntati verò, quando difficulter obtemperat; & hæc posterior faciliùs curatur.

Quid; vera ne sint omnia, quæ dicuntur spiritus im- 28
pulsu; nihil enim falsi subesse potest rebus, aut enunciationibus omni ex parte veri, & spiritus Diabolicus ita tectus est, & fallax, ut aliquando falsitatem unam, qua hominem in fraudem impellat, sexcentis & amplius veris rebus contegat. Ideò Christus Dominus *Matth.* 20. Dæmonibus, etiam cùm testimonium veritati dabant, & pythonissis Apostolus silentium indixit, *ut Act.* 16. Num in viso illo, quod ostenditur, insit sapientia, quæ desursum est, quæ ut docebat S. Jacobus *c.* 3. est pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, judicans sine simulatione. An item visum illud atque doctrina superet communem intelligendi modum in sacra scriptura traditum, aut ratione morali vel naturali comprehensum: si enim non superat, supervacaneum videtur. Adsit denique rei, quæ revelatione explicatur, testis Moyses, & Helias, hoc est lex, & Prophetæ.

Cui; observandum etiam est cuinam aperiat vita, & 29
revelationes suas is, qui illas accipit: & magnoperè cavendum est illi, qui consulitur, ne laudet; multò magis ne exaltet consultorem, arguat potiùs, increpet, efficiatque, ut ingrediatur communem viam moneat, ne altum sapiat, *ad Roman. c.* 11. Producat Sanctorum exempla, qui hujusmodi visa contempserunt, qualis fuit S. Augustinus, S. Bonaventura, & alii multi. Quod si dicas cum Apostolo 1. *Tessal.* 5. spiritum nolite extinguere, ajo, hac ratione

non extingui ſpiritum, ſed probari, & Spiritum ſanctum, qui ſe humilibus hominibus libenter adjungit, exercitatione humilitatis non fugari.

30 Quare, obſervandus eſt etiam viſionis finis proximus, remotus, apertus, occultus, nam initia aliquando bona infeliciſſimos exitus habent. Cognoſcenda eſt mens aperientis viſum, quid nimirum ſpectet, num gloriolam aucupari, an accipere conſilium in re dubia, alterius ſaluti conſulere, an quærere quæ ſua ſunt, *ut ad Philipp.* 2. & ſiquidem conſilii capiendi cauſa moveatur, an adeat virum peritum hujuſmodi rerum, an ſit facilis ad obtemperandum; & in ore, & conſcientia patris ſpiritualis acquieſcendum; non enim eſt diviſionis auctor Deus, ut conſulenti oſtendat, & conſultori contraria. Adhibeatur igitur duplex cautela; prior eſt, ut moneatur conſultor, non ſolùm ſuſpenſum tenere judicium exemplo Ambroſii, & Luciani presbyteri, ſed etiam cum Petro dicere: *exi a me, Domine, quia homo peccator ſum*, ut habetur Lucæ *cap.* 4. Poſterior eſt, quemadmodum de ſomniis facimus, ut viſa nec rejiciantur omninò, nec admittantur, ſed recognoſcantur, & examinentur.

31 Qualiter; hoc eſt, quæ ſit vitæ ratio ejuſmodi hominis, privata, an publica, ſecreta, an aperta, actuoſa, an contemplationi dedita; ſit ne amans externæ cujuſdam pietatis potius, quàm ſolidæ religionis. Si fœmina eſt, quomodo agat cum ſpirituali patre, an neſciat ab ejus latere nunquam diſcedere; delectetur ne ſermocinationibus, & nugis; denique ſit ne ex illis, quæ ſemper diſcunt, nec unquam ad ſcientiam veritatis perveniunt.

32 Unde; obſerva unde nam veniat ſpiritus, aut quò vadat: nam Bernardus adeò in rebus ſpiritualibus expertus, ſe id neſcire teſtatur, cùm tamen ex motu cordis ſancti Spiritus præſentiam ſæpè cognoverit. Planè in diverſis ſpiritus multa inſpirationum ſimilitudo reperitur. Spiritus eſt Deus, Angelus, Diabolus, ſpiritus humanus, etiam ſpiritus eſt, tàm rationis, quàm ſenſus. Quare difficillimum eſt, tàm multos diſcernere; præſertim cum tàm difficilè ſenſum a conſenſu diſtinguamus.

33 Idem Gerſon in altero libro adfert ſimilitudinem monetæ aureæ, quam quinque indiciis dijudicandam cenſet: Pondere, inquit, flexibilitate, durabilitate, configuratione, colore. Revelationi, aut viſioni humilitas dat pondus, diſcretio flexibilitatem, patientia durabilitatem, veritas configurationem, charitas colorem. Multa in hanc ſententiam habet Caſſian. *collatione prima c.* 20. ubi etiam affert dictum Domini, quo nos jubet eſſe probos trapezitas.

34 Joannes autem de Turrecremata ſic breviter ſcripſit de divinis revelationibus, eas firmas cenſeri, & veras. Primò, quando judicio magnorum virorum approbantur. Secundò, ex parte effectus, quando nimirum in animo ejus, cui revelatio fit, augetur devotio, humilitas, charitas, & aliæ virtutes. Tertiò, ex parte materiæ, cùm in omnibus dictis ejus veritas reperitur. Quartò, ex parte formæ, cùm adeſt conformitas cum ſacra Scriptura. Quintò, ex parte perſonæ, cùm cernitur approbata ſanctitas.

CONSULTATIO CCXLVII.

Quanto temporis ſpatio proceſſus particularis de Canonizatione, authoritate Apoſtolica demandatus, abſolvi debeat, ut ſit legitimus, validuſque?

1 SPatio novem menſium reſpondendum videtur, ſubintelligendo in Remiſſorialibus tàm de jure civili per textum *in l.* 1. *C. de dilat.* quàm de jure canonico *in §. ſpatium §. ſui verò* 3. *qu.* 3. Idque non ſolùm a die expeditionis ad hoc attendendæ ex mente Innoc. *in cap. Ultra tertiam ff. num.* 3. *de teſtib.* & traditis a Boccac. *de lit. remiſſ. c.* 7. *n.* 4. cujus etiam meminit Farinac. *de teſtib. quæſt.* 77. *num.* 138. & Ridolph. *in prax. p.* 1. *cap.* 12. *num.* 247. ac deciſis per Rotam coram Paleot. *dec.* 668. *num.* 3. *lib.* 3. *div.* ac Buratt. *dec.* 105. *num* 2. ſed etiam a die præſentationis in partibus ipſarum remiſſorialium, ſicut ex notatis per Gloſs. *in c. de cauſis* 4 *v. Certum terminum*, ac Dec. *n.* 33. *de offic. Deleg.* & cenſuit Alex. Stiat. *in prax. Judic. cap.* 6. *num. item* 6. relatus a Farinac. *eod. num.* 137.

2 Sed hæc ſententia in cauſis Canonizationum improbatur. Quoniam in illis ceſſat omninò ratio coarctandi ſpatium temporis in dilationibus probatoriis elicita ex verbis *d. l.* 1. & *l. ſive pars, C. de dilat. ac l. Properandum in princ. C. de Judic.* ne ſcilicet lites penè fiant immortales. Quod ſanè eveniret, ſi pendente dilatione ob negligentiam partis in uſu Remiſſoriæ, tandiu conquieſceret officium Judicis in perniciem alterius, ut benè advertunt Severol. *de remiſſor. cap.* 27. *num.* 2. Bellam. *deciſ.* 427. *ſub princ.* & 744. *num.* 4. Granat. ad Veſtrium *l.* 6. *cap. fin. num.* 20. ac firmavit Rot. *in Barabaſten. Decimarum* 25. *Junii* 1640. *coram Carillo §. ultim.* Nulli enim ex cauſis Canonizationis præjudicium infertur. Quia non agitur de præjudicio alicujus certæ, vel incertæ perſonæ. Atqui cùm ſint adeò graves, & arduæ, ut ſint de majoribus, quæ proponi poſſint inter Chriſtianos ſecundùm Gloſſ. *in cap. un. v. Sedis Apoſtolicæ, de reliq.* & *vener. Sanct. in* 6. Hoſt. *in cap.* 1. *num.* 10. *eod.* idcircò in eis pertractandis ſumma cum diligentia, & maturitate eſt procedendum, ut reſpondit Innoc. III. *in c. Venerabilis* 52. *de teſtib.* Quia ut notat Gloſſ. *v. diligentia*, circa majora majus periculum vertitur, ideò cautiùs eſt agendum. Idem luculenter exprimit Malvet. *de Canonizat. dub.* 3. *num.* 65. *tract. tom.* 14. Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p.* 2. *art.* 4. *in princ.* Celeritas enim infamis naufragiis in hoc mari. Nam qui cupit feſtinat, qui feſtinat evertit. Omnia non properanti clara, certaque ſunt, feſtinatio improvida eſt cæca. Itaque verè dictum. Nihil magni diſcriminis conſiliis tàm inimicum, quàm celeritas. Ita quod huc verè ſpectet vetus illud Octaviani ſimul, & Titi ſymbolum, quo antiqui delphinum anchoræ alligabant, celeritatem cum mora connectentes. Et quidem deliberandum aſſerunt prudentes diù in iis, quæ nonniſi ſemel ſtatui poſſunt.

Igitur ex tarditate in procedendo melius videtur ſatisfactum præſcripto juris, & novorum Decretorum, ſi in eis diſcutiendis longiores dilationes concedantur ad textum *in cap. Induciæ* 3. *q.* 3. Quia tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agamus, & æquo pendamus libramine, ſicut *ex in cap. Penderet.* 50. *d.* inquiunt Specul. *tit. de appell. §. nunc breviter num.* 5. Anchar. *conſ.* 36. *n.* 2. & 3. Rota *dec.* 197. *num.* 56. *p.* 1. *rec.* Ac proindè Bordon. *contr.* 13. graviter ac dignè pronunciavit in hujuſmodi cauſis negotium diù eſſe differendum, ut diuturna temporis maturitate interpoſita cum majori circumſpectione ac diligentia deducatur ad ſuam perfectionem, quod planè amplexus eſt Lezan. *conſult.* 1. ac prudentiſſimus quiſque. Et ſpeciatim quod temporalis ac rigoroſa dilationum probatoriarum determinatio, de qua in ea *lib.* 1. *C. de dilat.* temperanda ſit in cauſis, in quibus majus periculum vertitur, rectè cenſuerunt Butrigar ibi *v. modo quæro*, & Cym. *num.* 1. adeò ut longiores concedi debeant dilationes ſecundùm Gloſ. *in c. fin.* ac Doctores communiter *de dilat.* Id quod approbat Abb. *in cap.* 1. *num.* 2. *eod. tit.* Bart. *in l.* 2. *n.* 3. *ff. de re judic.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *conſ.* 59. *num.* 18. & expreſsè determinavit Sixtus V. in Diplomate Canonizationis S. Didaci die 5. Julii anno 1588. Magnorum enim operum conſilia lenta dies perficit, non impetus, ac nihil æquè pernicioſum, quàm momenta rerum momento peragi. 3

His additur primò, diſpoſitionem *d. lib.* 1. *C. de dilat.* limitari non ſolùm in cauſis, quæ cognoſcuntur in Auditorio, ſeu Conſiſtorio Principis, in quibus fatalia non currunt, ſed inſtantia perennatur per textum perſpicuum *in l. fin. §. ſi tamen*, & *in auth. ſed & hir*, *C. de temp. appellat.* habeturq; *in cap. Eique, §. ſed & lis* 2. *q.* 6. verum etiam in illis, quarum commiſſio ſpectat ad Principem, ipſeque hujuſmodi negotiorum audientiam vice ſua ſacris Faſtigiis commiſit, *lib.* 3. *C. ubi Senator. vel Clariſ.* Quia perindè eſt ac ſi Princeps cognoſceret. Adeòut ſicut fatalia non currunt, & inſtantia non perit coram ipſo, ita nec coram ejus Delegato, ut ibi notat Gloſ. *v. Fatalium*, Salyc & Fulgoſ. *in princ.* ac Angel. *in ea l' fin. §. Si tamen*. Cauſæ autem Canonizationum vice ac nomine Summi Pontificis cognoſcuntur in Congregatione Sacrorum Rituum, a cujus ſupremo oraculo pendent omnes illius reſolutiones juxta præſcriptum Decretorum *pag.* 61. *§. Decreto.* 4

Deinde tempora dilationum determinata *in d. lib.* 1. non præfigi abſolutè ab ipſa lege, ſed ſolùm injungi Judicibus, ut juxta locorum diſtantias, aliaſque urgentiſſimas, ac legitimas cauſas partibus petentibus concedant dilationes. Sicque requiri miniſterium Judicis & petitionem partis, quemadmodum ponderando verba præciſa *d. l.* 1. notant ibi Bald. & Salycetus *n.* 1. Siccardus *n.* 4. ac repetit idem Baldus *in l.* 1. *n.* 2. *C. intra cert. temp. C. in l. fin. ſub n.* 21. *ff. de fer.* ac proſequitur Felin. *in c. licèt cauſam numer.* 14. *de probat.* Alex. *conſ.* 181. *num.* 5. *lib.* 6. Vant. *de nullit. ex defect. proceſſ. num.* 42. Luc. Pet. *in prax. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 7. Scacc. *de Judic. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 59. Unde Specul. *tit. de cit. §. nunc de temp. n.* 3. *in fin.* & *tit. de dilat. §. fin. n.* 11. teſtatur generalem Eccleſiæ & cauſarum conſuetudinem non ita rigoroſè obſervare ſpatia hujuſmodi dilationum, addens in puncto Remiſſorialium ita ſe vidiſſe practicari in Rotæ Au- 5

tæ Auditorio *tit. de appell. §. nunc breviter num. 6.* ac referens dum ipse esset Auditor Rotæ similes exceptiones sæpiùs fuisse propositas, sed rarò admissas, sicque Clement. IV. Summum Pontificem ipsis Auditoribus servari præcepisse, cujus meminit Cassad. *dec. 9. num. 1. de appell.* Qui sanè stylus tàm in ipso Rotæ Auditorio quàm in S. Rituum Congragatione adhuc observatus videtur omninò retinendus in causis Canonizationum, ac eò magis in processu, in cujus Remissoria nullus præfigitur terminus, prout nec etiam in novissimis Decretis Urbani VIII. adamussim continentibus reliqua omnia, quæ ultrà veterem praxim observari voluerunt, quod tamen verissimiliter actum fuisset, si de jure absque alia hominis expressione dilationes Remissoriales fatalium periculo subjicere voluissent, sicut in plerisque casibus pro rerum qualitate ac contingentia leges, & canones fecisse refert Jo. And. *in addit. ad Specul. eo tit. de dilat. §. 1. n. 27. lit. H.*

6 Postremò ex dispositione *d. l. 1.* non inducitur nullitas actorum propter lapsum temporis, sed solùm Judex potest devenire ad expeditionem causæ, si pars sit negligens in usu Remissoriæ, ideòque probationes posteà factæ sunt validæ ex receptissima Doctorum sententia, quam egregiè omnino tuentur Bart. *ad l. In crimen n. 1. ff. ad l. Jul. de adult. & in l. fin. 14.* Bal. *n. 11.* & Jas. qui *n. 52.* hanc conclusionem pulchram compellit, *ff. de fer.* ipse Bald. *in l. Cùm a nobis n. 3.* & Salyc. *n. 1. C. de dilat.* Habetq; suffragantes Card. *c. In causis n. 2. de testib.* Butr. & Abb. *in c. licèt causam n. 17.* Felin. *n. 14. de probat.* Quam doctrinam amplexi sunt Marant. *in spec. p. 6. ar. 3. n. 13.* Vant. *ubi sup. n. 44.* Scacc. *loco alleg. lib. 2. c. 3. q. 1. n. 58.* ac latè Cassad. *ea dec. 9. de appell.* Quod a fortiori procedit, quando res est integra, & nemini fit præjudicium, Bellam. *dec. 339. n. 1. & dec. 432. in fin. & 439. n. 1. & dec. 744. n. 7.* At in causis Canonizationum non agitur de alicujus personæ vel fidei præjudicio secundùm Troyl. Malvet. *d. dub. 3. n. 68. tr. tom. 14.* & Contelor. *de Canoniz. c. 18. n. 26.*

7 Et quamquam Sevarol. *de Remiss. c. 24. n. 2.* quem sequuntur Farinacius, aliique recentiores, velit, quod ubi non fuit per Judicem assignatus terminus, intelligatur data dilatio legalis, tamen non idcircò videtur inferri ad nullitatem processus facti post terminum elapsum, sed solùm quod per Judicem procedi valeat ad expeditionem causæ, non obstante concessione Remissoriæ, prout disertissimè declarat Bellam. *dec. 427. in fin.* juxta quam decisionem intelligendus est Sevarolus, qui ea duntaxat innititur.

8 Immò quatenus de juris rigore locus esset *d. l. 1. & l. fin. C. de dilat.* ille tamen aliquando penitùs cessaret, scilicet primò ratione infirmitatis, aliorumque impedimentorum Judicis subrogari, propter quæ ex authentico documento formiter exhibendo in processu appareat per aliquot menses dilatam ac intermissam fuisse prosequutionem processus. Certum quippe est terminum fatalem dilationum probatoriarum, licèt præscriptum ab homine, non currere in præjudicium partis impeditæ culpa vel facto ipsius Judicis, sicut per textum *in auth. Item si appellat. & l. fin. §. Illud, C. de temp. appellat.* tradunt Bald. *in d. l. 1. n. 4. Cod. de dilat.* Salyc. *in d. auth. Item si appell. n. 1. & 2. & in d. §. Illud n. 4.* Specul. *tit. de appell. §. nunc breviter n. 7.* ibique Jo: And. *in addit. lit. A.* Cassad. *d. dec. 9. n. 5. de appell.*

9 Secundò, ex interventu Subpromotoris in omnibus, & singulis actibus processus citati, & præsentis, ac non contradicentis, sed tacitè consentientis, subscribendo se cuilibet actui, & examini peracto cum interrogatoriis sibi transmissis per Reverend. Fidei Promotorem. Ad hoc enim, ut validæ essent probationes receptæ post lapsum termini ab homine præfixi sufficeret sola interessentia non contradicentis secundum Angel. *d. l. fin. n. 5.* Fulgos. *sub n. 1.* & latiùs Jas. *n. 15. & 46. ff. de fer.* Ratio est Bart. *d. l. 1. n. 6.* Quia quando Judex facit actum, qui potest esse præjudicialis, & displicere parti præsenti, debet pars expressè contradicere, aliàs videtur consentire, ac sibi præjudicat. Ideòque tradit praxim menti tenendam, ut nimirum scribatur in actis parte præsente, & contradicente. Concinit planè Felin. *in c. de causis 4. n. 5. de offic. deleg.* aliisque relatis animadvertit Scacc. *de Judic. lib. 2. c. 3. n. 88.*

CONSULTATIO CCXLVIII.

Quando concedenda, vel deneganda sit nova Remissoria in causis Canonizationis?

1 OBstare videntur duæ regulæ, ne concedatur nova Remissoria.

Altera, quod dum Remissoria fuit semel concessa, non 2
solet iterùm concedi. Ita Oldrad. *cons. 311. n. 11.* Bellam. *cons. 36. num. 11.* Rot. *dec. 29. de judic. in antiq. & dec. 76. de testib. in nov.* Anton. Augustin. *epit. tit. de Remiss. §. 8.* Vestr. *in prax. lib. 6. cap. ult. n. 3.* ibique Gravat. *in addit. n. 18. 20. & 22. lit. F.* Sevarol. *de Remiss. cap. 7. num. 2.* Boccac. *de lit. remiss. cap. 3. num. 42. & cap. 4. num. 8.* Scacc. *de Jud. lib. 2. c. 8. num. 780.* Farinac. *de testib. qu. 77. cap. 1. num. 30.* Rot. coram Gregor. XV. *dec. 367. num. 2.* ubi Add. *num. 4.* Buratt. *dec. 780. num. 1.*

Et quamvis fatear, hanc regulam, uti fundatam in 3
præsumptione calumniæ, limitari, ea cessante, ex annotatis a Sevarolo, a Farinacio, & Scaccia citatis, & præter cæteros admittunt Casador. *dec. 3. n. 2. de dilat.* Rot. cor. Verospio *in Hieracen. Jurispatronatus 5.* Junii 1517. Burat. *dec. 68. n. 2.* Add. ad ejus *dec. 23. lit. A. & B.* ac Beltram. *in addit.* ad Greg. XV. *dec. 414. n. 13.* Attamen deducenda est aliqua justa causa, ob quam submoveatur asserta præsumptio ex mente Rotæ in decisionibus congestis per Burat. *dec. 816. n. 1. & dec. 824. n. 6.* quam etiam expressit Ridolphin. *in prax. Judic. par. 1. cap. 12. n. 139.* Cujusmodi profectò esset impedimentum ex facto testium vel Judicis, vel ejus, qui priorem Remissoriam obtinuit. Quod ponderavit Vestr. eo *n. 3.* Sevarol. *dict. cap. 6. n. 2.* Boccac. *cit. cap. 3. n. 27.* Farinac. *eod. n. 35.* & Scacc. *alleg. cap. 8. n. 827.*

Vel si prima Remissoria fuerit obtenta a Procurato- 4
re non benè tunc de omnibus substantialibus & necessariò probandis instructo. Ut puta si in articulis multa defuerint tàm quoad virtutes, quàm quoad miracula, vel nimis confusè articulata, vel penitùs omissa, licèt relevantissima. Adeò quod cùm meliores ac diversi formandi sint articuli, nec tacitè, nec expressè contenti sub primis, locus sit concessioni secundæ remissoriæ, Casador. *d. dec. 3.* Boccac. *de remiss. cap. 4. n. 53.* Ridolphin. *loco alleg. n. 126.* Burat. *dec. 824. n. 4.* Quin satis etiam foret quod in substantialibus sint partim novi, & partim antiqui. Attentis enim qualitatibus adjectis non dicuntur iidem, ut subdit Ridolphin. *n. 228.* & decisum fuit coram Greg. XV. *dec. 495. n. 2. & 3.* Hoc autem casu si secunda peteretur a Procuratore melius informato super materiis relevantibus, & necessariò probandis concedenda est secundùm decisionem Putei 4. *de dilat.* quam sequuti sunt Boccac. *d. cap. 4. n. 49.* & Farinac. *eod. n. 35.*

Vel si testium depositiones fuissent vigore primæ Re- 5
missoriæ nulliter, ac non ritè exceptæ ad tradita per Vestr. *d. n. 3.* Sevarol. *eod. c. 6. n. 3.* Boccac. *ibid. n. 36. & c. 9. n. 28.* Farinac. *ea qu. 77. c. 1. sub n. 32.* & Scacc. *d. n. 282.* Ideoque Rota censuit secundam Remissoriam minimè denegandam esse, quando datur de nullitate examinis facti vigore primæ, nempè *dec. 11. de probat. in nov.* cor Burat. *& dec. 824. n. 8.* cor. Cavaler. *& dec. 425. n. 2.* cor. Merlino *& dec. 462. n. 3.* coram Pirovano in Conchen. Decimarum 15. Januarii 1619. relata per Add. ad Greg. XV. *d. dec. 364. n. 4.* prope finem.

Quin etiam eadem Rota firmavit secundam Remisso- 6
riam non denegari, si magis dilucidè, explicitè, ac individualiter secundò articuletur, ac proponatur id, quod antea confusè, genericè, vel non ita luculenter, & specificè articulatum fuerat, ut legitur apud Coccin. *dec. 23. num. 2.* Cavaler. *dec. 469. num. 2. cum seqq.* Burat. *d. dec. 824. num. 3.* Merlin. *dec. 456. num. 7. & dec. 656. num. 3. & dec. 849. num. 2. cum seq.* & Manzenedum in Ravennaten. census 8. Junii 1618. cujus mentio fit per Add. ad Greg. XV. *ea dec. 364. num. 4.* & per Add. ad Burat. *d. dec. 824. lit. A.*

Ac præsertim si Pontifex in commissione causæ sua 7
manu signata S. Rituum Congregationi expressè mandaverit, ut quatenus ad confirmationem probationum in processibus jam factis, vel aliàs expediret, aliquid addere, vel alios processus conficere, quascunque literas Remissoriales, & Compulsoriales super eisdem articulis, vel additionalibus, seu aliis de novo ac ex integro dandis, prout magis expediens visum foret, decerneret, ac relaxaret, & processus illarum vigore conficeretur. Suo namque rescripto Princeps, & præcipuè Papa potest etiam post publicatas ac didicitas attestationes iterùm Remissoriam concedere, novamque testium productionem, atque examen jubere, ac mandare. Id quod optimè notarunt Specul. *tit. de testib. §. Satis utiliter n. 6.* Butr. *in c. Fraternitatis sub num. 14.* & ibi Marian. Soccin. *num. 122. & 155. & 179. Extra eod. tit.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 34. num. 5. & 6.* Port. *concluf. 39. limit. 16. & 35.* Gaill. *pract. observ. lib. 1. observ. 105. 10.* Gabr. *tit. de testib. concl. 21. num. 103. & seqq.* ac Farinac. *eod. tr. quæst. 75. c. 4. n. 225. & 227.*

Eòque magis si commissio emanaverit ex certa scien- 8
tia, prævia causæ cognitione, & post plenam ac distinctam

ctam illius relationem factam in Congregatione habita coram Sanctiſſimo, ac ulterius fuerit munita clauſula *non obſtantibus &c.* quemadmodum declarant Specul. *eod. §. num. 6.* Butrius *loco allegato n.* 14. ac ibi, Soccin. *numer.* 118. & Pariſ. *num. 59. extra de teſt.* de quorum mente firmant Campeg. *regul.* 268. *fall.* 58. Gabr. *d. concl.* 21. *num.* 57. & cum aliis Farin. *dict. q.* 75. *c.* 4 *n.* 229.

9 Præterea ſi nedum teſtes non fuerint ſufficienter interrogati ſuper articulis, & præcipuè de miraculis, aliiſque rebus antiquis, quarum probatio nititur ratione publicæ vocis & famæ, ac traditione Hiſtoricorum, verum ſi etiam pro majori parte articulorum totum eorum examen prætermiſſum fuerit. Nam hoc caſu etiam poſt publicationem teſtes recipiendos, & examinandos, remiſſoriamque concedendam eſſe inquiunt Sevarol. *de remiſſ. c. 6. num.* 3. Bocac. *d. cap.* 4. *num.* 49. Farinac. *cad. quæſt.* 77. *n.* 35. Ratio eſt, quia ex teſtibus jam examinatis, etiamſi non plenè & concludenter probarent, oritur fumus veritatis materiæ articulandæ, excludens omnem calumniæ ſuſpicionem. Sic Rot. coram Caſſad. *d. dec.* 3. *num.* 2. Caputaq. *dec.* 208. *num.* 19. *p.* 1. *ac deciſ.* 56. 60. & 62. *par.* 3. Put. *dec.* 398. *num.* 1. & *ſeq. lib.* 3. *in Correct.* Gregor. XV. *dec.* 163. *num.* 1. ubi Add. *num.* 10. & *dec.* 365. *num.* 4. *ac dec.* 562. *num.* 2. ibique etiam Add. *num.* 6. Burat. *dec.* 64. *num.* 2. & 3. *ac dec.* 273. *n.* 3. & 4. & *dec.* 824. *num.* 8. coram Innoc. X. in Burgen. ſeu Toletana pecuniaria 4. Maji 1620. & cor. Card. Veroſpio in d. Hieracen. Juriſp. 6. Junii 1617. & coram Manzanedo *deciſ.* 661. *n.* 2. *p.* 2. *rec.*

10 Similiter ſi examinandi ſint alii teſtes noviter reperti graviſſimi, & meliùs informati. Tunc enim concedenda eſt Remiſſoria, quæ aliàs deneganda foret, Bellam. *dec.* 624. *n.* 1. Sevarol. *eod. c.* 6. *n. item* 6. Ridolphin. *in prax. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 125. Rot. *dec.* 154. *num.* 4. *p.* 4. *rec.*

11 Et tandem concedenda eſt, quando petitur ad corroborationem, & confirmationem antiquarum probationum, Dec. *in cap.* 1. *num.* 42. *de prob.* Butr. *in cap. Fraternitatis num.* 56. & ibi, Felin. *num.* 11. *de teſtib.* & proſequuntur Gabr. *eod. tract. concluſ.* 21. *num.* 38. Gaill. *lib.* 1. *obſerv.* 105. *num.* 9. Ridolphin. *d. cap.* 11. *num.* 134. Afflict. *dec.* 216. *num.* 4. Surd. *dec.* 126. *n.* 10. Gregor. XV. *dec.* 272. *num.* 9. & *deciſ.* 581. *n.* 72. & *deciſ.* 583. *num.* 5. ibique Additionator *lit. D.*

12 Præcipuè tamen notandum eſt, præſumptam calumniam ceſſare univerſaliter in cauſis Canonizationis, in quibus non agitur de alicujus præjudicio, ſicut in terminis inquiunt Bellam. *dec.* 671. Caſtell. *de Canoniz. ſanct. q.* 7. *princ.* & *q.* 8. Contelor. *eod. tit. cap.* 8. *n.* 26. & *cap.* 24. *n.* 17. Rota *in relat. S. Raymundi par.* 1. *art.* 1. & S. Franciſcæ Romanæ *par.* 1. *art.* 6. ubi aſſeritur, ita ſæpè deciſum, firmatque Simonet. *in relat.* S. Franciſci de Paula *pag.* 44. ſubdens hoc fundamentum eſſe clariſſimum, & tollere omnem difficultatem. Siquidem cùm calumnia deducatur ex eo, quod quis in alterius detrimentum velit judicium protrahere, & artem facere cauſidicinam, quando tamen inter mortales eſſe quoque deberent lites mortales. Textus eſt rotundiſſimus *in §. quia verò, auth. de teſtib.* notatque Bellam. *conſil.* 36. *num.* 3. & *deciſ.* 427. *num.* 1. ac Sevarol. *d. cap.* 6. *num.* 9. planè id omnino deficit in cauſis Canonizationis, in quibus non ſolùm conſiderari nequit alicujus præjudicium, ſed potius ſummopere deſideratur cunctatio in procedendo, ut in cauſis tanti momenti maturiùs, & cautiùs librari omnia poſſint, quemadmodum habetur *in cap. Venerabili*, & ibi Gloſ. *v. diligentia, de teſtib.* & *c. Ubi periculum, de elect. in* 6.

13 Altera autem eſt, quod publicato proceſſu, vel didicitis teſtificatis, nequeunt aliis teſtes produci & examinari ſuper eiſdem articulis ob præſumptum timorem ſubornationis. Quæ tàm de jure civili ſtatuitur *in §. Quia vero auth. de teſtib. auth. Et qui ſemel, C. de probat.* quam de jure Canonico *in cap. Conſtitutus* 2. *verſ. Nondum, cap. Ex tenore, verſ. Cùm atteſtationes,* & *cap. Veniens, verſ. Et eorum, de teſtib.* & *in Clem.* 2. *in princ. eod. tit.* traduntur Doctoribus relatis per Gabr. *tit. de teſtib. concluſ.* 21. *num.* 1. *cum ſeqq.* Farinac. *eod. tract. quæſt.* 75. *cap.* 4. *numer.* 58. & Cavalc. *de reprobatione teſtium cap.* 4. *num.* 281. ac edocetur a Rota deciſionibus, quarum meminit Ridolph. *in prax. d. p.* 1. *cap.* 12. *num.* 122.

14 Quam neque inficior præcipuè limitari, ſi teſtes fuerint nulliter ac non ritè recepti, vel examinati, ſicut arguendo a contrario ſenſu ex verbis dictæ Clementinæ 2. *de teſtib.* dixerunt ibi Gloſ. *verſ. Ritè*, Vitalin. *num.* 11. Cardinal. *num.* 1. & 2. Anchar. *num.* 11. & Imol. *n.* 1. Doctoreſque communiter, quos ſingillatim enumerat Gabr. *dict. concl.* 21. *num.* 19. Farinac. *ea quæſt.* 75. *cap.* 10. *num.* 358. quibus accedant Cavalc. *d. par.* 1. *num.* 189. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 34. *num.* 13. Theſaur. *deciſ.* 28. *num.* 2, Idque frequenter approbavit Rota, præſertim *deciſ.* 13. *de teſtib. in nov.* & *deciſ.* 1. *de probat. in antiq.* & *deciſ.* 47. *lib.* 3. *par.* 1. *div.* Caſſador. *dec.* 3. *num.* 2. *de dilat.* Peregrin. *deciſ.* 213. *num.* 1. Caputaq. 208. *n.* 19. *p.* 1. Seraph. *dec.* 585. *num.* 1. Gregor. XV. *deciſ.* 163. *num.* 1. ubi Add. *num.* 10. Caval. *dec.* 425. *ſub num.* 2. & ſæpè in aliis, quas refert & ſequitur Merl. *dec.* 676. *num.* 4. Paria enim ſunt aliquid non fieri, vel minus legitimè fieri. Quare Menoch. *d. q.* 34. *num.* 14. dedit pro cautela, quod prius inſtet, ac faciat per Judicem nulla declarari acta priora. Nam tunc erit locus novæ teſtium productioni. Quod probarunt etiam Caval. *d. p.* 4. *n.* 191. & Addit. ad Buratt. *d. dec.* 108. *lit. A.*

Itidem ſi priores articuli fuerint confusè formati, ita 15
ut plenam inſtructionem ſortiri non voluerit is, qui didicit teſtificata ſuper eis, ut ſcripſerunt relati a Gabr. *d. concluſ.* 21. *num.* 82. & a Farinac. *d. q.* 75. *cap.* 4. *num.* 170. ſpeciatim Butr. *in cap. Fraternitatis num.* 13. & 14. *col.* 10. & *in cap. Series col. fin.* & *in cap. Ex tenore n.* 8. *de teſtib.* Admiſitque Rot. coram Cavaler. *d. dec.* 469. *num.* 3. Buratt. *d. deciſ.* 824. *n.* 3. *p.* 4. *recent.* & *dec.* 183. *n.* 2. *cum ſeq.* & *p.* 6. *deciſ.* 266. *n.* 13. ac in Faventina beneficii 22. Junii 1644. cor. Reverendiſs. Cerro ejuſdem S. Rotæ Decano, doctrina & pietate clariſſimo.

Rurſum ſi poſt publicationem teſtium examinatorum 16
de veritate facti inducantur examinandi principaliter ſuper publica voce & fama, ſecundùm limitationem communiter admiſſam a Canoniſtis in præcitato *cap. Fraternitatis*, & præ cæteris ab Aretin. *n.* 62. *cum ſeqq.* & a Felin. *n.* 4. *de teſtib.* ac traditam a Gabr. *d. concl.* 21. *n.* 12. & a Farinac. *d. q.* 75. *c.* 4. *n.* 174.

At, niſi admittatur nullitas prioris examinis, vel de- 17
ceatur, priores articulos fuiſſe confusè formatos, aut novum examen reſtringatur ad articulum famæ, quatenus in primo fuiſſet omiſſum, ſtandum erit regulæ excludendi novam teſtium productionem.

Limitatur etiam hæc regula primò, ex natura cauſæ. 18
Quia ſi poſt publicatas, & didicitas teſtificationes conceditur nova Remiſſoria, novumque admittitur examen in cauſis beneficialibus, Marian. Soccin. *in d. cap. Fraternitatis num.* 180. *de teſtib.* & Gabr. *eod. tract. concl.* 21. *num.* 102. ac Farinac. *d. q.* 75. *cap.* 4. *n.* 177. Menoch. *de arbitr. d. lib.* 1. *q.* 34. *n.* 7. Alex. Stiat. *in prax. cap.* 18. *n.* 53. Et in cauſis matrimonialibus, *cap. Sejes* ubi Gloſ. *v. juri contraria cap. Ex tenore*, & *cap. Cùm in tua de teſtib.* firmatque Port. *concl.* 39. *lib.* 1. *fall.* 23. Gail. *lib.* 1. *cap.* 105. *n.* 5. *obſerv.* 107. *num.* 12. & *obſerv.* 112. *num.* 6. & latè Farinac. *d. q.* 75. *cap.* 13. *num.* 383. & *ſeqq.* Item in cauſis religioſis, Felin. *in cap. Fraternitatis num.* 9. *de teſtib.* Covar. *pract. qq. cap.* 18. *num.* 6. Farinac. *ubi ſupra cap.* 4. *n.* 178. Ac in omnibus cauſis Eccleſiaſticis, Caputaq. *deciſ.* 50. *num.* 5. & 6. *par.* 3. Gregor. XV. *deciſ.* 583. *num.* 6. & ibi Add. *lit. D.* ac Rot. in Mediolanen. bonor. 31. Maji 1596. coram Card. Pamphilio; ſanè multò magis id locum habere debet in cauſis Beatificationum, & Canonizationum, quæ ſunt ex majoribus, quæ proponi poſſint in Eccleſia Dei, Gloſ. *in cap.* 1. *v. Sedis Apoſtolicæ, de reliq.* & *vener. Sanct.* ut meliùs, ſecuriùs, firmiùs, recta, apertaque via incedatur, probe turque. Qua de re nos alibi latiùs.

Poſtea, quia cauſas Canonizationum æquiparari om- 19
ninò criminalibus firmat Caſtell. *d. qu.* 7. *princip. ſub §. Quæro quid ex cap.* 1. *de reliq.* & *vener. Sanct. in* 6. Hoſt. *in d. cap.* 1. *num.* 10. *eod.* Contelor. *de Canoniz. cap.* 9. *num.* 1. & *cap.* 25. *num.* 34. Malvet. *eod. tit. dub.* 4. *num.* 1. & *ſeqq.* In cauſis autem criminalibus etiam poſt publicatas atteſtationes admittitur novum examen. Quia nunquam concluditur in cauſa. Port. *d. concl.* 39. *fall.* 33. Gabr. *eod. concl.* 21. *num.* 95. & latè Farin. *d. q.* 75. *cap.* 4 *num.* 188. & *cap.* 14. *num.* 47. & *ſeqq.* Gaill. *d. obſerv.* 107. *n.* 11. *l.* 1.

Inde etiam quando priores Remiſſoriæ emanarunt, 20
teſteſque in earum exequutionem recepti, & examinati, eorumque dicta publicata fuerunt ante nova decreta, & ſic eo tempore, quo in cauſis Canonizationum abſque ulla telæ judiciariæ obſervatione, ſed ſolùm ad informationem extrajudicialem procedebatur, & teſtes examinabantur gratia ſimplicis notitiæ ad perpetuam rei memoriam ex traditis per Bellam. *in cap. Venerabili* 52. *n.* 26. *de teſtib. ac deciſ.* 672. *per tot.* & *dec.* 673. Caſtell. *d. q.* 7. *§. Juxta præmiſſa cum ſeqq.* & *q.* 8. *princ. §. Quæro*, Contelor. *cap.* 24. *num.* 17. & *cap.* 25. *n.* 40. ac præcipuè *n.* 43. Panu. *in relat.* S. Bonavent. *p.* 2. *art.* 10. & aliàs ſæpè deciſum fuit a Rota in pleriſque Relationibus, tum in primis S. Hyacinth. *c.* 2. S. Raymundi *p.* 1. *ar.* 1. S. Andreæ Corſini *p.* 3. *§.* 1. S. Franciſcæ Romanæ *p.* 1. *art.* 6. B. Thomæ de

mæ de Villanova *rubr. de valid. proceſſ.* poſt Contelorium, B. Aloyſii Gonzagæ *rubr. de proceſſu Romano*, ac B. Paſqualis Baylon rub. de actis in proceſſu Villæ regalis, *§. fin.* poſtquam Urbanus VIII. ſequendo contrariam opinionem Auguſtini Triumphi *de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 16. *art.* 1. quod ſcilicet Papa in eis debeat ordinem judiciarium ſervare, eas ad judicialem ordinem redegit, ſtatuitque, ut Promotor fidei in uno quoque actu citetur, tanquam pars formalis. Ac proindè poterit ex hoc prætendi novæ teſtium productioni aut conceſſioni alterius Remiſſoriæ non obſtare publicationem prioris examinis, olim facti ad perpetuam rei memoriam, dum cauſa non pertractabatur more judiciali, quodve teſtificata tunc fuerint didicita ex adductis per gloſſam, Speculatorem & alios, relatos a Gabriel. *d. concl.* 21. *n.* 87. *cum ſeqq.* & a Farinac. *d. q.* 75. *cap.* 4. *n.* 231.

21 Ac licèt pro negativa, quod neq; examinatis, & publicatis teſtibus, receptis ad perpetuam rei memoriam, poſſint alii teſtes produci per Baldum *in auth. Sed & ſi quis n.* 16. Salicet. & Caſtr. *n.* 1. *Cod. de teſtib.* Add. ad Bart. *in l. Aquilia lit. D. ff. ad l. Aquil.* Aretinus in ſuperiùs *alleg. c. Fraternitatis n.* 20. & 35. teſtans de veriori, quando teſtes fuerunt examinati ex parte Actoris, firmatque Viv. *opin.* 896. *n.* 3. aſſerens eſſe communem, Gabr. *d. concl.* 21. *n.* 89. & 90. Scacc. *de Judic. l.* 2. *d. c.* 8. *num.* 221. dicens verum hoc eſſe de mente Speculatoris *tit. de teſte §. Nunc ſub n.* 5. Ea ratione, quia hujuſmodi teſtes dicuntur recepti ad deciſionem cauſæ æquè ac ſi recepti fuiſſent in ipſo judicio ordinario, ideòque militat eadem ratio ſuſpicionis in inducente. Nihilominus perſiſtendum eſt in contraria ſententia ex congeſtis per Butr. *in d. c. Fraternitatis n.* 14. Abb. *n.* 4. Imol. *num.* 13. Marian. Socc. aſſerentem de communi *n.* 131. & 169. ac Specul. Gabr. & Farin. ſuperiùs allegatos. Et contraria fortaſsè locum habent poſt noviſſima decreta de Canonizatione Sanctorum, quo tempore judicialiter proceditur, ut dictum eſt.

22 Deindè ſi unico contextu petatur Remiſſoria ad novum teſtium examen, & compulſoria ad productionem inſtrumentorum ac jurium, Hiſtoricorumque extractionem. Tunc enim poſt publicationem teſtes admittuntur ad examen, quando unà cum teſtibus producenda & compulſanda ſunt inſtrumenta & jura ex *cap. Series*, ibi: *Tàm teſtes offerens, quàm publicum inſtrumentum*, quo loci Bald. *ſub num.* 1. Butr. *n.* 2. Imol. *n. itidem* 2. & 5. Aretin. *n.* 14. & Felin. *n.* 5. *de teſtib.* ac Butr. *in eod. cap. Fraternitatis n.* 14. Abb. *n.* 11. Marian. Socc. *num.* 174. & Felin. *n.* 8. ac ſuffragantur Roman. *ſing.* 81. *n.* 1. & alii plures apud Gabr. *d. concl.* 21. *n.* 90. Menoch. *de arb. lib.* 1. *q.* 34. *n.* 16. Port. *d. concl.* 39. *fall.* 51. & Farin. *ea q.* 75. *cap.* 4. *n.* 165.

22 Pariter ſi ad probandam vitæ excellentiam, heroicitatem virtutum, atque miracula, aliave antiquiora, in cauſa inducendi, & examinandi ſint teſtes perſonaliter de publica voce & fama. Cùm enim in illa & traditione Hiſtoricorum nitatur fermè hæc univerſa probatio, admittitur novum examen etiam poſt publicatas aliorum teſtificationes. Ita *in d. cap. Fraternitatis* communiter limitant Doctores, & præ cæteris Aret. *n.* 61. & *ſeq.* ac Felin. *num.* 7. aliique per Gabr. *ubi ſup. nu.* 112. & *ſeq.* Port. *loc. cit. fal.* 52. & Farinac. *ib. c.* 4. *n.* 174.

23 Sic quoque ſi inſtituendæ ſint probationes noviter repertæ tàm per ſcripturas, & Hiſtoricos antea penitùs omiſſos, quàm per teſtes meliùs informatos, & præcipuè de publica voce, & fama non obeſt publicatio prius examinatorum, Gabr. adductus *n.* 135. Port. *fal.* 54. Gaill. *obſerv.* 107. *n.* 10. Farin. *alleg. n.* 190. & *cap.* 15. *num.* 435. Ridolph. *d. p.* 1. *c.* 11. *n.* 125. Gregor. XV. *deciſ.* 583. *n.* 4. Rot. *deciſ.* 154. *n.* 4. *p.* 4. *rec.*

24 Aut quia in exequutionem novæ Remiſſoriæ alio modo & magis ſpecificè ac dilucidè articulandæ ſint materiæ, quæ prius articulatæ fuerant adeò genericè, atque confusè, ut etiam poſt didicita juſtificata non potuerit ſuper eis haberi plena inſtructio. Unde cùm articuli non dicantur iidem, ſed novi ac diverſi, attentis qualitatibus & circumſtantiis non contentis ſub prioribus ex neceſſitate probationis, ſed ſubſtantificantibus materias in eis contentas, utique admittitur novum examen, Abb. *eo c. Fraternitatis n.* 4. ibique Butr. *n.* 13. & 14. Marian. Soccin. *n.* 168. *de teſtib.* Idem Butr. *in d. c. Series col. fin.* & *in c. ex tenore n.* 8. Imol. *col.* 2. Aret. *num.* 1. Joan. de Annan. *n.* 3. Felin. *ſub n.* 4. *eod. tit.* Quod confirmant quamplures apud Gabr. *d. concl.* 21. *n.* 82. nec aliter ſtabiliunt Roder. Suar. *allegat.* 5. *n.* 4. Guttier. *pract. qq. lib.* 1. *quæſt.* 71. *n.* 1. Farinac. *d. quæſt.* 75. *cap.* 4. *n.* 170. Ridolphin. *in prax. p.* 1. *cap.* 12. *n.* 126. Et eſt perſpicuum apud Cavaler. *deciſion.* 469. *n.* 3. Buratt. *dec.* 824. *n.* 3. Duran. *dec.* 236. *num.* 3. Rota *in recent. deciſ.* 183. *n.* 2. & *ſeqq. p.* 4. *dec.* 266. *n.* 13. *p.* 6.

Itidem ſi in prioribus etiam articulis plurima prætermiſſa fuerint quoad materias & miracula antiqua, multaque alia ſupervenerint, quæ ex integro articulanda erunt. Quare cùm formandi ſint novi articuli nec tacitè, nec expreſsè comprehenſi ſub primis, concedenda eſt nova Remiſſoria, & admittendi ſunt teſtes ad novum examen, non obſtante publicatione antiquorum. Quia ſuper articulis noviter dandis teſtes non poterant divinare, nec examinari, Bart. *in auth. At qui ſemel num.* 24. ibique Bald. *col.* 2. *C. de probat.* Abb. *d. cap. Fraternitatis num.* 8. Imol. *n.* 8. & latè Soccin. *num.* 21. *de teſtib.* Port. *d. concl.* 39. *fall.* 27. Ridolphin. *d. c.* 11. *n.* 126. & confirmant Mantic. *dec.* 374. *num.* 4. Burat. *deciſ.* 173. *n.* 3. & *ſeqq.* ubi Add. *lit. C.* & *deciſ.* 392. *n.* 2. & *ſeq. ac deciſ.* 824. *n.* 4. Atque ſatis eſt, quod articuli ſint partim novi, & partim antiqui, Port. *eo loco n.* 58. Gabr. *ib. n.* 36. Ridolph. *d. cap.* 11. *num.* 128. Gregor. XV. *dec.* 494. *n.* 2. & 3. Quin ſufficit relevantia unius articuli, ut concedatur ſuper omnibus, Caſſador. *deciſ.* 5. *n.* 6. *de ſequeſtr. poſſeſſ.* & *propriet.* Rota coram Seraphin. *dec.* 1364. *n.* 3. Greg. XV. *deciſ.* 124. *n.* 3. & *deciſ.* 403. *n.* 7. Burat. *deciſ.* 246. *num.* 10. ibique Add. *lit. A* plures alios adducens, item *deciſ.* 273. *num.* 8. & *deciſ.* 392. *n.* 5. & *deciſ.* 791. *num.* 3. & *deciſ.* 824. *n.* 1. Quibus adſtipulatur Cavaler. *deciſ.* 59. *num.* 1. & *deciſ.* 232. *numer.* 1. & *deciſ.* 289. *num.* 2. Martin. Andr. teſtans de ſtylo Rotæ *deciſ.* 38. *numer.* 4. & *in rec. deciſ.* 677. *numer.* 1. *par.* 1. *deciſ.* 661. *num.* 4. *par.* 2. & *deciſ.* 43. *num.* 1. *par.* 5. & *deciſ.* 177. *num.* 1. & *deciſ.* 315. *num. quoque* 1. *par.* 6.

Sive cùm agatur de materiis antiquiſſimis, quarum probatio inſtituenda eſt per famam extra requiſita Immemorabilis per Gloſ. *in cap.* 1. *v. Memoria*, *de præſcript. in* 6. ſine quibus nunquam dici poteſt fuiſſe legitimè articulata, Buratt. *deciſ.* 163. *num.* 4. nec idcircò unquam excluſa, ſed ſemper admittenda illius probatio etiam poſt publicatas atteſtationes, Rota coram Caputaq. *deciſ.* 227. *n.* 4. *p.* 1. Buratt. *deciſ.* 392. *n.* 3. & Manzaned. *deciſ.* 677. *n.* 4. *p.* 1. *rec.*

Necnon ſi ſuper multis articulis prioris Remiſſoriæ teſtes nullo modo appareant interrogati: Ac propterea cùm nihil depoſuerint, nequeunt dici didicitæ teſtificationes, ſicque admittendi ſunt alii teſtes ad novum examen, Gabr. *d. concl.* 21 *num.* 119. & *ſeq.* Port. *cad. concl.* 39. *fall.* 40. Farinac. *cit. q.* 75. *c.* 4. *n.* 200. Ridolph. *d. c.* 11. *n.* 129. & 130. Greg. XV. *dec.* 83. *n.* 4.

Vel ſi ſuper multis aliis articulis teſtes interrogati dixerint ſe nihil ſcire. Unde eorum publicatio non obſtat, quin alii poſſint examinari, Gabr. *loco alleg. num.* 110. Port. ibid. *limit.* 39. & alii, quos congerit Farinac. ubi ſupra *n.* 201.

Ac ſimiliter ſi teſtes, licèt ritè examinati, minus tamen perfectè ac plenè interrogati fuerint ſuper articulis, quibus reſponderunt, cum ratione ſcientiæ, ac præſertim publicæ vocis & famæ, non prohibeantur iidem, ac multò minus alii teſtes poſt publicationem examinari, ſicut de ejuſdem teſtibus repetendis *in cap. Cum in tua* docent ibi Gloſ. Hoſt. *num.* 2. & 3. Bald. *num.* 1. & 2. Joan. Andr. *n.* 6. Felin. *ſub princ.* & *n.* 2. ac cæteri Canoniſtæ *de teſtib.* largiter conſtipati per Farinac. *eod. tract. quæſt.* 66. *p.* 8. *num.* 280. Et de aliis noviter inducendis inquiunt adducti per Gabr. *eo loco n.* 20. per Port. *d. concl.* 39. *fall.* 2. & per Farinac. *d. q.* 75. *c.* 4. *n.* 202.

Poſtremò, admittitur novum examen poſt publicatas atteſtationes quando teſtes, atque probationes, inſtituendæ ſunt ſuper notorio, Marian. Socc. *d. c. Fraternitatis n.* 170. *de teſtib.* Campeg. *eod. tract. reg.* 268. *fall.* 55. Farinac. alios referens *d. q.* 75. *c.* 4. *n.* 171. Inde enim notorietas Sanctitatis & virtutum ſervi Dei redditur certa, patens ac manifeſta. Porrò Notorium facti dicitur publica, ſeu famoſa inſinuatio, loquutio, vel proclamatio communis ex evidentia facti, ſeu rei proveniens, & in quo fama publica ſuum præbet adminiculum, & ipſa rei evidentia proteſtatur, ita ſe exhibens hominum conſpectui, ac ſcientiæ, ut omnes, vel major pars hoc ſciant, vel omnibus ſcire volentibus notum eſſe poſſit, vel de quo negans convinci poſſit per aſsertionem majoris partis aſſerentium, nulloque modo celari poteſt, vel inficiari, Gloſ. *in cap. Veſtra* 7. *v. Notorium circa med.* ibique Bald. *num.* 3. & Abb. *num.* 14. *de cohab. cler.* & *mul.* Specul. *tit. de notor. §. Jam. de notor. num.* 3. Bald. *in lib. Ea quidem* 7. *num.* 18. *C. de accuſ.* Alber. *in Dict. v. notorium facti*, Anton. Roſell. *in repet. cap. Manifeſta* 2. *quæſt.* 1. *num.* 153. Sum. Angel. *p.* 2. *v. Notorium*, Sylveſt. *eod. v. n.* 1.

Hujuſmodi autem notorietas probanda eſt primò, ex pluribus teſtibus, aſſerentibus famigeratam ſervi Dei ſanctitatem ubique, & per omnium ora ſemper celebratam fuiſſe, ac in præſens celebrari. Notorium enim conſtitui-

tur a tota, vel majori parte populi, Specul. *d. §. num.* 5. Bald. *loco alleg. n.* 18. *& in cap. Tua 7. num.* 11. *de Cohab. Cler. & mul.* Butr. *tract. de notor. art.* 2. *num.* 13. *tom.* 4. Et quando eſt ſuper actu de præterito, olim quidem neceſſario, ſed hodie contingenter ad illius eſſentiam, & probationem, ſatis eſt, quod a vulgo memoriæ receptum ex manifeſtis quodam principiis, & tunc non negabilibus procedat ſecundum Baldum, exemplificantem in eo, quod Alexander fuit magnus Capitaneus, & ſimilibus *in d. l. ea quidem num.* 18. *C. de accuſat.*

32 Secundò, quia in notorio facti tranſeuntis, & reiterationem non habentis, ex quo ſemel publicè actum, & ab initio notorium fuit, adhuc per continuam hominum memoriam, & ſcripturarum teſtimonium, atque Hiſtoricorum conſtantem ac ſucceſſivam traditionem notorium reputatur. Quia aliquando fuit in conſcientia populi. Speculat. *d. §. Jam de notorio n.* 8.

33 Tertiò, quod in antiquis notorium nedum inducitur per famam, Bald. *conſ.* 204. *num.* 6. *vol.* 3. Dec. *in cap.* 1. *num.* 46. *de appell.* Sed etiam probatur per famam, Butr. *in cap.* 1. *de fid. Inſtr. ac d. tract. de notor. art.* 4. *num.* 44. Becc. *eod. cap.* 1. *n.* 45. *de appell.* Aretin. *conſ.* 37. *col.* 3. Rot. *deciſ.* 6. *n.* 5. *de except. in novis*. Ubi ſubditur, hujuſmodi famam probari per binos teſtes, quam ſequitur Maſcard. *de prob. p.* 2. *concl. mihi* 1101.

34 Tandem, quia, reliquis ceſſantibus, ad hujuſmodi notorietatem conſtituendam ſatis eſſet, agi de præclarè geſtis cujuſpiam ſervi Dei. Facta namque ac dicta illuſtrium virorum aliis adeò nota præſumuntur, ut allegatio ignorantiæ facilè non admittatur, Abb. *in cap. Tua* 3. *num.* 2. *de ord. cognit.* Jaſ. *in l. ſi res obligata n.* 42. *de leg.* 2. Unde Plin. *in panegyr.* ad Trajanum pulcherrimè dixit: *Habet hoc primùm magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur, Principum verò non modò domus, ſed cubicula ipſa, intimoſq; receſſus recludit, omniaque arcana noſcenda fama proponit, atque explicat.* Eandem ferè ſententiam legere licet apud Plutarc. ad Trajanum ipſum ſic graviter monentem: *Quiſquis, ait, ſibi vitam & mores egregiè excolere debet, quo prorſus omni nota, vituperationeque careat, quando præſertim eorum, qui Reipublicæ præſunt non modo ſingula verba, nec res tantum publicitùs geſtæ animadverti notarique ſolent, ſed virtus quoque, joci ſimul & feria quoque domus ipſa, familia, &c. curioſiùs conquirunt.* Quibus præclarè item de more præiverat Seneca ad Neronem: *Tibi non magis quam ſoli latere contingit. Multa contra te lux eſt; omnium in iſtam converſi ſunt oculi. Prodire te putas? Oriri. Loqui non potes, niſi ut vocem tuam, quæ ubique ſunt gentes, excipiant.* Idem habet Claudianus ad Honorium patris nomine, ac Juvenalis, & alii, experientia firmatum.

CONSULTATIO. CCXLIX.

An ſtandum ſit ſimplici enunciativæ Commiſſionis non inſertæ in literis Remiſſorialibus?

1 QUi negativæ ſententiæ ſubſcribunt moventur, quod cùm procedatur in cauſis Canonizationum jure delegato per Summum Pontificem, cui ſoli fuerunt reſervatæ *in c.* 1. *de reliq. & vener. Sanct.* nec Judices delegati in Curia Remiſſorias concedant, niſi ſpeciatim hoc fuerit eis demandatum a Papa, ut Sevarol. *de remiſſ. c.* 3. *n.* 5. & in Auditoribus Rotæ ante Innocentianam expreſſit Pavin. *de Offic. & poteſt. Cap. ſede vac. q.* 2. *p.* 1. *princ. n.* 10. *tr. tom.* 13. *p.* 2. planè fatendum eſt non poſſe ſtari ſimplici enunciativæ Commiſſionis dum Doctores conveniunt, quod minimè ſtandum ſit Cardinali etiam Legato aſſerenti ſe habere Commiſſionem a Papa in his, in quibus requiritur facultas peculiariter conceſſa. Quia non veniunt ſub generali commiſſione, Bald. *in l. ſi qua per calumniam* 22. *n.* 7. his verbis: *Si quid autem prætenditur ex ſpeciali commiſſione non jure ordinario, oportet, quod de commiſſione probetur, C. de Epiſcop. & Cler. & in addit. ad Specul. tit. de Legat.* ibi: *Opportet, quod appareat hoc ſibi fuiſſe conceſſum per tenorem literarum D. Papæ.* Idem aſſerit Hoſt. *in c.* 1. *n.* 19. & Jo. Andr. *num.* 1. *de offic. legat. in* 6. firmatque Butr. *in c. Quod ſuper* 7. *n.* 4. & ibi Imol. *n.* 3. Abb. *num.* 5. & Felin. *n.* 9. *de fid. Inſtrum.* Ac proſequitur idem Abb. *in cap. Quoad translationem* 4. *num.* 10. *de offic. legat. & in cap. Ad eminentiam* 20. *num.* 2. *de ſent. excommun. & conſ.* 94. *num.* 3. *p.* 2. Anchar. *in Clem.* 1. *de probat.* Gemin. *in cap. eos qui, §.* 1. *n.* 4. *& conſ.* 62. *num.* 8. Luculenter item hoc docet Roman. *in l. ſciendum* 30. *num.* 58. *ff. de verb. oblig.* Dec. *in l.* 1. *num.* 18. *& 19. C. de mand. Princip.* Rebuff. *in l. un. n.* 2. *C. de ſuper in dictis lib.* 10. & inculcat non ſemel Corneus, præſertim *conſ.* 154. *n.* 18. *vol.* 1. Capell. Tholoſ. *dec.* 464. *ſub num.* 1. & Gabr. *tit. de probat. concluſ.* 3. *n.* 10.

Quare Specul. *tit. de legato, §. ſupereſt. num.* 16. conſu- 2
lit, ut in his, quæ gerunt ex ſpeciali commiſſione manu publica inſeratur publicus tenor illius. Idipſum ibi teſtatur obſervari Joan. Andr. *v. ſpecialiter lit.* ſubdit propterea Baldus *in addit. Igitur ſufficit, quod in literis Cardinalium tenor Papalis conceſſionis inſeratur.* Et hoc etiam animadverterunt Butr. *d. cap. quod ſuper num.* 4. Imol. *n.* 3. & Felin. *num.* 9. *de fid. Inſtr.* Sicque reſpectu cauſæ efficientis nempè juriſdictionis deficeret commiſſio Summi Pontificis. Quippè pro juriſdictione delegata non præſumitur, cùm ſit ſtrictè accipienda, *text. in cap. Super eo, de offic. Deleg.* & ibidem Doctores.

Verùm, quæſtio hæc licèt vehementer agitetur, nos 3
tamen cum communiori cenſemus in his etiam, quæ indigent ſpeciali facultate ſtandum eſſe aſſertioni Cardinalis de Commiſſione ſibi data per Papam, ubi ſimul hæ circumſtantiæ concurrunt. Nempè, quod Papa ſit præſens, ad quem facilis poſſit haberi recurſus pro verificatione aſſertionis. Rurſus, quod aſſertio ſit de re veriſimili. Ac poſtremò, quod non ſit præjudicialis tertio. Sic tradunt Imol. *in cap. Quod ſuper his num.* 5. & ibi Felin. *num.* 12. *de fid. Inſtr.* Qui ulterius tenent, idem procedere etiam in Auditoribus Sacri Palatii. Conſentit Jo. Andr. *ad Specul. eo tit. de legato §. ſupereſt, v. Specialiter*, ac Speculator ipſe *de probat §. Videndum reſtat n.* 3. ubi quod jura, quæ in contrarium allegantur, procedunt in Legato de latere in remotis partibus agente, qui aſſerat ſibi aliquid fuiſſe ſpecialiter commiſſum, ut plenius explicat Gabr. *de prob. concl.* 3. *num.* 15. 18. & 20. Altograd. *conſ.* 22. *num.* 46. *cum ſeqq.* Cohel. *de notit. Cardin. privil.* 29. & diſcuſſo articulo, firmavit Rot. *deciſ.* 630. *num.* 2. *par.* 4. *rec.* & in Barchinonen. Juriſdictionis 4. *Julii* 1646. *Confirmatio*, & 8. *Aprilis* 1647. coram Bichio.

Porrò in hac re omnia præaſſerta concurrunt, dum 4
literæ Remiſſoriales conceduntur per S. Rituum Congregationem in curia, citato, & audito R. P. D. Fidei Promotore. Unde reſultat nedum præſumptio veritatis antecedentis commiſſionis ex eo, quod propter Papæ præſentiam, facilemque ad eum recurſum nemo præſumitur mentiri, ſed etiam approbatio ipſiuſmet Fidei Promotoris, qui citatus, & auditus nihil opponit.

Item eadem Commiſſio eſt valdè veriſimilis tum ra- 5
tione materiæ, tum ratione ſubjecti, nempè Sac. Congregationis, cui ſimiles Commiſſiones ex inſtituto diriguntur, ut in his terminis ratiocinatur Rota *d. dec.* 630. *n.* 3. *par.* 4. *rec.*

Sicut etiam benè concurrit poſtremum requiſitum, 6
quod non agatur de re præjudiciali tertio, ut alibi diximus & quatenus de eo quoque ageretur, ſtandum eſſe aſſertioni Cardinalis factæ in præſentia Papæ de negotio ſibi commiſſo, cenſuit Rota coram Put. *dec.* 3. *ſub princ. l.* 1. cor. Caputaq. *dec.* 95. *n.* 1. *p.* 1. & aliis allegatis per Altograd. *cit. conſ.* 22. *n.* 47.

Et quidem Cardinali ſimpliciter aſſerenti ſibi aliquid 7
eſſe a Papa commiſſum plenam fidem adhibendam eſſe, licèt literas ſuæ Commiſſionis vel mandati non oſtenderit, diſertè tradunt, atque explicant per textum literalem in *cap. Nobiliſſimus d.* 97. Bald. *in l. Exemplo* 7. *num.* 8. *C. de probat. & in l. Juriſjurandi n.* 10. *C. de teſtib.* Jaſ. *conſ.* 82. *n.* 13. *& ſeq. & conſ.* 102. *n.* 1. *& 2. vol.* 1. & alii penès Maſcard. *de probat. concluſ.* 140. *n.* 1.

Quod eo faciliùs in enunciativa S. Rituum Congrega- 8
tionis Summum Pontificem repræſentantis admittendum eſt, cùm in diſpoſitione novorum Decretorum *pag.* 24. *§. Permittit*, omnia decreta, omneſque ejus reſolutiones ſint referendæ Sanctitati ſuæ, adeò ut in unoquoque negotio illius ſuprema determinatio ſemper ſit reſervata, donec ſit facta relatio, ut decernitur *pag.* 61. *§. Decreta*. Ex hoc enim ſequitur omnia geſta, vel enunciata per Sac. Congregationem cenſeri approbata per Sanctitatem ſuam, cui de remiſſoria, & omnibus in ea contentis relatio facta cenſetur.

CONSULTATIO CCL.

An officium Vicarii, cui delegata eſt cauſa Canonizationis expiret poſt obitum ſui Epiſcopi?

STatim expirare tradit Sbrozius *de offic. Vicar. lib.* 3. *qu.* 1
44. *n.* 1. *ad text. Clem. fin. de procurat.* cum ſimilibus. Idque etiam quoad cauſas inceptas, vivente eodem Epiſcopo. Adeòut poſt illius obitum eas non poſſit proſequi ac explere is, qui deſiit eſſe Vicarius juxta Bald. *in addit. ad Specul. tit. de Judic. ordin. & in l. Aliquando num.* 8. *ff. de offic. Proconſ.* cui adjungo Archidiaconum *in cap.* 1. *num.* 2. *de offic. Vicar. in* 6. Gloſ. *in d. Clem. fin. v. Conteſtata*, & ibi Card. *n.* 5. ac Imol. *num.* 17. *de procurat.* Bero.

in c.

in capit. quoniam Abbas 14. *num.* 100. *de offic. deleg.* Bertach. *de Episcop. l.* 4. *p.* 7. *quæst.* 6. *num.* 4. Rebuff. *in prax. benef. p.* 1. *tit. forma Vicariatus num.* 162. Franc. Marc. *decis.* 1120. *n.* 1. *p.* 2. Et proindè in ipso funditùs cessat omnis facultas prosequendi ac conficiendi processum, licèt inchoatum in vita sui Episcopi.

2 Dico tamen. Si Vicarius ante obitum sui Episcopi cœperit in causam procedere, haud dubiè, re non integra, prorogatur ac perpetuatur sua jurisdictio, *cap. Gratum. §. nos autem, de offic. Deleg.* Gloss. *v. Quasi cœptum*, Abb. *n.* 1. & 3. Felin. *num.* 5. Item *cap. si Delegatus* 7. *eod. tit. in* 6. Habetque Jas. *in l. more majorum num.* 58. ibique Dec. *n.* 42. *ff. de jurisd. omn. Jud.* ac resolvit Caputaq. *decis.* 128. *par.* 2. & Rot. *decis.* 9. *de dol. & contum. in antiq.* Et in terminis quod sola citatio expedita, licèt non exequuta sufficiat, censuit in relatione S. Hyacinthi *cap.* 2. *in princ.* ac tenet Contelor *de Canoniz. Sanct. cap.* 25. *n.* 3. Quod sequuta est Sac. Rituum Congregatio in Lepolien. servi Dei Joannis de Ducla.

3 Si quis autem roget. Quidnam si ejusmodi Vicarius transiisset in Vicarium Episcopi successoris? Respondeo in jure negativam receptiorem ac veriorem esse, quod scilicet delegatio facta Vicario Episcopi sub nomine officii non transeat in successorem. Quia tale munus ei non competit jure proprio, sed alieno, ac propterea penitus expirat morte illud concedentis, ut inquiunt Bart. *in l. more majorum* 5. *n.* 19. & ibi Fulgos. *n.* 15. Roman. *num.* 8. Jas. *num.* 65. Caccialup. *num.* 35. Dec. *num.* 54. & Curt. Jun. *nu.* 102. *ff. de jurisd. omn. Judic.* Repetitque idem Bart. *in l. quod Principi* 56. *n.* 7. ubi etiam Barbat. *in addit. lit. C. de legat.* 2. ac sequitur Gemin. *d. cap. Statutum num.* 8. & 11. asserens communem *de rescript. in* 6. Panorm. *d. cap. Quoniam Abbas num.* 11. *cum seq.* Imol. *n.* 18. & 19. Felin. *sub n.* 7. Dec. *n.* 42. & *seq.* ac Bero. *n.* 100. communem appellans *de offic. Deleg.* Cardin. *d. Clem.* 2. *n.* 6. Imol. *num.* 11. & 12. Eandem agnoscit Capra *in repet. num.* 18. *de rescript.* Crot. *cons.* 102. *num.* 14. Ponticul. *cons.* 127. *n.* 3. Mantic. *de conject. lib.* 8. *tit.* 17. *n.* 3. Sebast. Medic. *tr. Mors omnia solvit concl.* 31. *n.* 33. & *concl.* 110. *n.* 204. Borgn. *dec.* 40. *num.* 22. *p.* 1. qui non solùm testatur de communi, & magis recepta, sed ita etiam Romæ ac Papiæ judicatum fuisse. Nec diffitetur Achill. *dec.* 3. *n.* 1. & 2. *de offic. Vicar.*

CONSULTATIO CCLI.

An mulieres in causis Canonizationis admitti possint pro testibus?

1 QUod mulieres jure canonico repellantur a testificando in causis criminalibus ob earum gravitatem ex communiori ac veriori sententia, quam probant *c. Mulierem juncta Glos. v. Nec testis* 33. *q.* 5. & *cap. Forus in fin.* juncta etiam Gloss. *v. Fœmina de verb. signif.* Gloss. *in c. Quoniam* 3. *v. Mulieres*, Bald. *n.* 3. Butr. sub *num.* 6. Abb. *n.* 2. Imol. *n.* 2. Henric. Boich. *num.* 4. ac Felin. *num.* 1. & *in cap. Tam literis* 33. *de Testib.* contestatur Speculat. *tit. de testib. §.* 1. *n.* 83. & alii congesti per Farinac. *eodem tract. q.* 59. *cas.* 1. *n.* 1. subdens *n.* 3. non esse ab ea recedendum. Causa autem Beatificationis & Canonizationis æquiparatur criminali ob maximum periculum, quod in ea versatur.

2 At dicendum est. Licèt causas Canonizationum summa cum diligentia pertractandas esse dixerit Honorius III. *in cap. Venerabilis* 52. *de testib.* tamen probationes in illis parificandas esse probationibus causarum civilium ex Malvetio ac Panvino docuit Contelor. *cap.* 18. *num.* 25. Vel sanè in illis ad testificandum admitti Mulieres, sicut de jure Canonico in criminalibus læsæ majestatis, hæresis, simoniæ, aliisque exceptis testantur relati per Farin. *de testib. q.* 58. *n.* 10. *qui etiam q.* 59. *num.* 31. & *seq.* tanquam testes eas admittit in gravioribus causis. Et quamquam *n.* 37. referat contrarium tenentes ac dicat, quod crederet contrariam opinionem in causis arduis veriorem, tamen stabilit opinionem affirmativam, quod sint idonei testes etiam in causis gravioribus de communi ac magis communi, quodque ab ea nec in consulendo, nec in judicando sit recedendum. Id firmavit Rota in mulieribus, & monialibus etiam dependentibus in causa B. Joannæ de Cruce, *versic. Attamen*, ac censuit S. Rituum Congregatio cum aliàs, tum præcipuè in causa Petri Regalati, ac dictæ servæ Dei Joannæ de Cruce.

CONSULTATIO CCLII.

An indulgentiæ concessæ die anniversario cujuspiam servi Dei visitantibus ejus altare, sive Cappellam respiciant publicam venerationem ac solemnem cultum ab Ecclesia concedi solitum Sanctis Canonizatis, aut alias ab Apostolica sede in sanctitate comprobatis?

AFfirmativè. Ita declaravit Bonifacius VIII. in con- 1
cessione Indulgentiarum accedentibus ad Basilicam Principis Apostolorum de Urbe *in extr. Antiquorum de Pœnit. & remiss.* ibi: *Ut autem Beatissimi Petrus, & Paulus Apostoli eo ampliùs honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Urbe devotiùs fuerint a fidelibus frequentatæ*. Quod ibi etiam notat Gloss. *v. Confitebuntur ante med. sub vers. Peregrinatio verò*, inquiens, quod ex hujusmodi concessione Sancti honorantur, & Deus in ipsis se reputat honorari, gaudent non solùm Apostoli, sed totus etiam cælestis exercitus, & confunditur diabolus & Angeli ejus, traduntque etiam Card. de Lugo *de pœnit. disp.* 27. *sect.* 8. *n.* 130. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 132. Ubi quod si Indulgentia concedatur visitantibus talem locum, seu Ecclesiam, intelligitur de religiosa visitatione, quæ fit ad colendum Deum in se ipso, vel in alio Sancto. Idem habet P. Amicus, theologus arduus, & operosus optimè de posteritate meritus tot voluminibus editis *tom.* 8. *Theol. disp.* 29. *sect.* 5. *præsertim n.* 92. *vers. Ratio*, quod mens concedentis est, ut per hujusmodi indulgentias colantur Sancti, vel Beati cultu scilicet publico, ac instituto, seu authoritate publica summi Pontificis, ac nomine Ecclesiæ, ut notant Bellarmin. *controv. tom.* 2. *lib.* 1. *de Sanct. beat. cap.* 10. Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 43. *sub num.* 3. Bonac. *in* 1. *præcept. Decal. q.* 1. *pun.* 2. *n.* 2. Baldell. *tom.* 2. *disp.* 12. *sub num.* 1. inferens propterea *num.* 5. quod Sedes Apostolica in honorem Sanctorum, seu in sanctitate comprobatorum statuere ac decernere consuevit, nedum quod in eorum honorem Ecclesiæ & altaria, in quibus sacrificia Deo offeruntur, & officium celebratur, ædificentur & consecrentur; verùm etiam quod omnes verè pœnitentes & confessi, qui tali die accesserint ad visitandum eorum Ecclesiam certas Indulgentias consequantur. Additque *n.* 17. hæc esse signa & argumenta cultus publici præcepti, aut permissi solis Sanctis canonizatis, aut ab Apostolica Sede in Sanctitate comprobatis. Idipsum asserit Palaus *to.* 4. *tr.* 24. *disp. un. pun.* 7. *sub n.* 8. inquiens causam seu finem, quo movetur summus Pontifex ad Indulgentiarum concessionem præcipuè desumi ex promotione honoris, & cultus Dei ac Sanctorum.

Ratio est, quia, ut ait Bolognin. *de Indulg. sub num.* 2
10. *tr. to.* 14. *fol.* 142. Indulgentia conceditur, ut magis honoretur Deus in Sanctis suis, & in constructione, & visitatione Ecclesiarum seu Basilicarum, & sic in commemoratione virtutum ac meritorum suorum. Quia sicut quando expenditur thesaurus temporalis propter gloriam Principis, augetur & honor, & gloria illius Principis, ita etiam honor & gloria est æterni Principis, quando aperitur thesaurus Ecclesiæ, qui sanè thesaurus, quem Christus Ecclesiæ militanti acquisivit ex sanguine suo, & qui per Indulgentias aperitur ac dispensatur, constat nedum ex meritis Christi, sed etiam ex persequtionibus, & passionibus Martyrum, ac satisfactionibus superabundantibus aliorum sanctorum insimul coadunatis, quæ ne remaneant irremunerata sunt causæ remissionis aliorum peccatorum, & docuit Clemens VI. in extravag. Unigenitus de pœnitentiis, & remiss. aguntque Canonistæ *in cap. Indulgentia eod. tit.* 6. & *in clem.* 1. *de reliq. & vener. Sanct.* Anton. Rosell. *de Indulg. n.* 90. *tr. d. tom.* 14. dicens quod Dei misericordia, Christi mors, & passio ac effusio sanguinis ejus, Sanctorumque merita sunt, quæ faciunt remissionem, quia hic est thesaurus Ecclesiæ, idemque repetit *n.* 109.

CONSULTATIO CCLIII.

An Episcopus possit visitare Ecclesias & domos Parochiales Regularium?

POtest ex Trid. *cap.* 7. *sess.* 7. *de reform.* & ex Constitu- 1
tione Greg. XV. *de exempt. privil.* Ita Sac. Congreg. Concilii in una Augustana 15. Junii 1652. in qua censuit Episcopum posse visitare nedum Ecclesiam Parochialem in concernentibus curam animarum, & administrationem sacramentorum, necnon personam illam exercentem, verùm etiam ædes Parochiales, & renuentes compellere etiam per censuras. Quod confirmavit 27. Julii ejusdem anni.

CONSULTATIO CCLIV.

An fratres Sacerdotes profeſſi Ordinum militarium poſſint conſequi, & retinere beneficia ſæcularia cum cura & ſine cura, necnon Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus abſque diſpenſatione Apoſtolica?

1 NEgativè, idque aſſumo ex Trident. *c.* 10. & 11. *ſeſſ.* 14. *de refor.* Sicque reſolvit S. Congreg. ejuſdem Concilii die 15. Junii 1652. in una Portugallen. in qua cenſuit fratres Sacerdotes profeſſos Ordinum militarium Chriſti, S. Jacobi, & de Avis in dicto Regno exiſtentium eſſe incapaces abſque diſpenſatione Apoſtolica ejuſmodi beneficiis atque Canonicatibus. Sunt enim veri Religioſi, atque adeò ejuſmodi beneficiorum incapaces. Quare indigent diſpenſatione Apoſtolica, ut alibi copiosè probavimus.

CONSULTATIO CCLV.

An pecunia, quæ loco Victualium ex conſuetudine Epiſcopo viſitanti præſtatur, poſſit ab eo applicari præbendis Canonicalibus Eccleſiæ Cathedralis, eo quod propter illarum tenuitatem adhuc Canonici non reſederunt, nec horas Canonicas recitarunt?

1 REſpondeo, non poſſe, ſed indigere facultate Sedis Apoſtolicæ, quæ ex voto Sac. Congregationis Concilii denegata fuit Epiſcopo Nuceriæ Paganorum die 15. Junii 1652.

CONSULTATIO CCLVI.

1 AN attenta diſpoſitione S. Conc. Trid. *cap.* 3. *ſeſſ.* 25 *de refor.* poſſit Epiſcopus delegare facultatem Vicariis foraneis concedendi literas monitoriales pro rebus deperditis ſeu ſubtractis? Reſpondeo negativè, ſed tantùm Vicariis generalibus. Et ita cenſuit S. Congreg. Concilii die 15. Junii 1653. Imò Fagnan. *in cap. Quoniam de offic. deleg. num.* 43. refert, eandem S. Congregationem die 8. Febr. 1590. declaraſſe non licere Epiſcopo hanc facultatem alteri, quàm Vicario generali delegare, neque ſpecialiter. Eſt contra Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 96. *num.* 9. cujus opinionem Nicolius *p.* 2. *lucubrat. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 21. quam etiam retulit *inſtoſcul. v. Monitorium n.* 5. probabilem cenſet, quod ſcilicet talis delegatio ſpecificè fieri poſſit etiam Vicario foraneo ex decreto quod adducit tenoris ſequentis: *S. Congregatio Concilii die* 7. *Septembris* 1630. *cenſuit, poſſe Epiſcopum Malleacen. loci Ordinarium pro literis monitorialibus, & dimiſſorialibus prædictum officialem, adminiſtratorem foraneum ſubdelegare. Facultatem verò benedicendi vaſa, in quibus intervenit unctio, ſtante diſtantia & navigationis periculo concedi poſſe a Sanctiſſimo ad decennium accedente tamen conſenſu ipſius Epiſcopi.* Verùm hæc declaratio eſt in caſu particulari, cauſa rationabili exiſtente ob remotiſſimam diſtantiam ab Ordinario. Quare a priori ſententia non eſt recedendum tanquam juri conſentanea.

CONSULTATIO CCLVII.

1 AN decretum fel. rec. Urbani VIII. *de Monaſt. erect. §.* 14. *Bullar. nov. tom.* 4. *pag. mihi* 143. prohibens recipi Monaſteria, ſeu Conventus, in quibus duodecim ſaltem Religioſi ſuſtentari non valeant, adjecta pœna ſubjectionis Juriſdictioni Ordinarii loci, ſit correctorium ſeu abrogatorium Conſtitutionis ſel. rec. Greg. XV. in ordine 31. *eod. tom.* 4. *pag.* 138. abſolutè prohibentis erectionem Monaſteriorum, ſeu Conventuum, in quibus duodecim ſaltem Religioſi de redditibus, & eleemoſynis conſuetis ſuſtentari non poſſint, itaut aliàs erectio quamvis ex pio legato facta, cenſeatur prohibita, & indigeat diſpenſatione Apoſtolica? Reſpondeo, non eſſe abrogatorium. Ita S. Congr. Concilii die 13. Aprilis 1652. in libello interceſſione Card. Pamphilii ad eandem S. Congregationem remiſſo.

CONSULTATIO. CCLVIII.

An Judex, ad quem poſſit ſub pœnis & cenſuris petere a Notario Judicis, a quo nedum copiam actorum, verùm ad inſtantiam partis, & expenſis ipſius Notarii prætendere, ut ipſa originalia transferantur, & ubi contingat dubitari de exemplo, collatio fiat, parte vocata, & præſente?

1 IN hac re obſervandum eſt decretum S. Congregationis Epiſcoporum & Regularium die 16. Octobris 1560. a Quaranta *v. Archiepiſcopi authoritas*, relatum fol. mihi 70. quod confirmavit S. Congreg. Concilii Trid. 21. Martii 1643. in una Vercellen. ex *cap.* 20. *ſeſſ.* 24. *de refor.* juncto *cap.* 6. *ejuſdem ſeſſ.*

CONSULTATIO CCLIX.

An quoties per Judicem appellationis ſuſpenduntur cenſuræ prolatæ per Judicem inferiorem, ſi Eccleſiaſtici illis irretiti, durante ſuſpenſione, excedant actus exerceri prohibitos ſub pœna irregularitatis, in illam incidant?

1 NEgativè. Ita cenſuit S. Congregatio Concilii ex *c.* 3. *ſeſſ.* 25. & *ex cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *de reform.* in d. Vercellen. die 2. Martii 1643. eſt enim notiſſimi juris quod appellatio ſuſpendit ſententiam, & rem judicatam, *cap. Venientes de jurejur.* ubi Doctores, & *c. Paſtoralis §. Propterea de offic. deleg.* & notant in ſpecie Abb. *in cap. fin. num.* 6. *de ſequeſtr. poſſeſſ.* Felin. *in rub. de appel. num.* 4. Lancell. *de atten. p.* 2. *cap.* 12. *in præf. num.* 118. Rot. cor. Mantica *dec.* 99. *num.* 7. & cor. Merlino *dec.* 316. *n.* 6. Et propterea cum habentes intereſſe interpoſuerint appellationem, debent remanere in eo ſtatu, in quo erant ante ſententiam, *l.* 1. *ff. ad Turpil.* & *l. un. ff. nihil nov. appel. pend.* & *l. appellat. C. de appell.*

CONSULTATIO CCLX.

1 AN examen factum ſine examinatoribus ſynodalibus in collatione Parochialium Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, ſeu laicalis, vel mixti, quando plures præſentantur, ſit contra diſpoſitionem Conc. Trid. *c.* 18. *ſeſſ.* 24. *de refor.* Reſpondeo, examen eſſe nullum, quando plures præſentantur. Et ita reſolvit S. Congr. ejuſdem Concilii in d. Vercellen. die 21. Martii 1643.

CONSULTATIO CCLXI.

1 AN quando Ordinarius ſuſpendit aliquem vigore *cap.* 1. *ſeſſ.* 14. *de reform.* teneatur exprimere delictum, & cauſam ſuſpenſionis ipſi reo, ſi illam judicialiter petat? Tenetur exprimere non parti, ſed Superiori. Atque ita cenſuit S. Congregatio Concilii in eadem Vercellen. die 21. Martii 1643.

CONSULTATIO CCLXII.

An alienatio, ſeu donatio in Clericum ſæcularem, ſeu Regularem vel locum pium cenſeatur facta in potentiorem, itaut bona ſic alienata, vel donata gaudeant Eccleſiaſtica immunitate?

1 REſpondeo, prævia declaratione Epiſcopi ſuper fraude, quoad exemptionem, quando fieri dubitat Ordinarius, negativè, quia fraudolenta. Ita S. Congregatio Concilii in illa Vercellen. 21. Martii 1643. ex *c.* 20. *ſeſſ.* 23. *de refor.*

CONSULTATIO CCLXIII.

An donatio, quam facit laicus pio loco, ut effugiat ſolutionem onerum, & ſibi reſervet ad vitam penſionem ferè æquivalentem fructibus, ſubſiſtat, itaut bona donata ab oneribus extraordinariis ſint immunia?

1 REſpondeo non eſſe in potentiorem, & gaudere, ceſſante fraude juxta deciſiones Rotæ in Brundu-ſina cor. Pegna, & Albanen. cor Merlino, ac decretum S. Congregationis Conc. in citata Vercellen. die 21. Martii 1643. ex eodem *cap.* 20. *ſeſſ.* 23. *de refor.*

CON-

CONSULTATIO CCLXIV.

An Ordinarius possit Regularibus degentibus absque licentia Sedis Apostolicæ in Hospitiis non approbatis prætextu negotiorum, & litium præcipere, ut revertantur ad claustra sub pœna Apostasiæ, vel alia?

1 AFfirmativè. Ita elicitur ex Tridentino *sess. 6. cap. 3. de reform.* & *sess. 25. cap. 14. de regul.* juncto *cap. 4. vers. non licet, eadem*, ac etiam ex Constit. Urbani VIII. *de Apostat.*

CONSULTATIO CCLXV.

An liceat Episcopo punire Regulares prohibita, vel indecentia in Ecclesiis suorum Ordinum committentes circa Missæ sacrificium?

1 AFfirmativè. Ita resolvit Sacra Congregatio Concilii in eadem Vercellen. die 21. Martii 1643. ex *cap. unic. sess. 22. de observat.* & *evit.* juncto *cap. 14. sess. 25. de regul.* In d. enim Concilii loco Episcopi constituuntur, quoad exemptos Delegati Sedis Apostolicæ in ordine, ac exequutione illius decreti, & proinde authoritate Apostolica poterint punire Regulares committentes abusus, & quæ dedecent celebrationem Missarum, cum ibi eis facultas data sit, ut statuant, compellant censuris, puniantque.

CONSULTATIO CCLXVI.

An liceat Episcopo ex causa sibi bene visa benedictionem prædicandi in propria Ecclesia dandam regularibus limitare ad tempus, & absolute datam revocare, vel Regularibus professionem fidei emittere, nolentibus illam denegare?

1 REspondeo, posse, si ita expedire judicaverit. In hoc tamen cautè procedat, quare licentiam absolutè datam non potest limitare ad tempus absque causa. Quod censuit Sacra Congregatio Concilii in sæpè allegata Vercellen. die 21. Martii 1643. ex Trident. *cap. 2. sess. 25.* & *cap. 4. sess. 24. de refor.*

CONSULTATIO CCLXVII.

An liceat Regularibus in propriis Oratoriis, vel in propris Ecclesiis extra tempus Adventus, & Quadragesimæ sermonem habere absque benedictione Ordinarii?

1 REspondeo, non licere. Ita resolvit Sacra Congregatio Concilii in præallegata Vercellen. die 21. Martii 1643. *ex cap. 4. sess. 24. de refor.*

CONSULTATIO CCLXVIII.

An Regulares obloquentes de Ordinario in suis sermonibus, quos habent in Oratoriis, vel in propriis Ecclesiis, possint ab eodem Ordinario puniri?

1 REspondeo, posse juxta mentem Sacr. Congregationis Concilii expressam in dicta Vercellen. die 21. Martii 1643. *ex cap. 3. sess. 6.* & *c. 14. sess. 25. de Regul.* juncto *cap. 2. sess. 5.*

CONSULTATIO CCLXIX.

1 CUM Canonici cujusdam Cathedralis in vim prætensæ consuetudinis immemorabilis deputent, seu nominent sex Canonicos supranumerarios in eadem Ecclesia, qui, ut supponitur, non tenentur Ecclesiæ, nec choro inservire, & in eorum deputatione renunciant cuicunque juri, quoad perceptionem distributionum quotidianarum; cùmque iidem Canonici occasione vacationis unius ex dictis Canonicatibus deputare intendant Sacerdotem Parochum, dubitatur, an sit permittendum? Respondeo, posse id permitti, cùm non sit incompatibile. Atque ita censuit Sacra Congregatio Concilii in una Fulginaten. die 14. Martii 1648. ex Trident. *cap. 17. sess. 24. de refor.*

CONSULTATIO CCLXX.

1 LEctor Regularis a pluribus annis moralem Theologiam piè, ac laudabiliter legit Clero totius Diœcesis. Cumque ex redditibus mensæ Episcopalis, & mensæ Capitularis beneficiatorum, & aliorum beneficiorum Diœcesis ob illorum tenuitatem non possit quid recognitionis assignari Conventui dicti Regularis pauperrimo, quæritur, an Episcopus ex pœnis, & mulctis portionem aliquam deducere, & assignare possit? Quatenus sit locus pius, & pauper, potest Episcopus aliquid ei de mulctis, & pœnis impertiri. Ita enim censuit S. Congregatio Concilii in una Fulginaten. die 14. Martii 1648. Ex Trident. *cap. 3. sess. 25. de reform.*

CONSULTATIO CCLXXI.

SAcerdos, ordinatus ad titulum Canonicatus, in summa paupertate constitutus se obligavit in forma Camer. Apostolicæ solvere suo Capitulo creditori sc. 500. pro quorum satisfactione idem Capitulum prætendit sibi retinere nedum redditus Canonicatus, sed etiam distributiones quotidianas, quæ ratione servitii percipiuntur. Ideò quæritur, an hujusmodi distributionibus pro sustentatione necessariis possit dictus Canonicus privari vigore debiti? Respondeo, non esse privandum distributionibus quotidianis, cùm non habeat aliud, unde vivere possit. Quod etiam censuit Sac. Congregatio Concilii 14. Martii 1648. in una Romana ex Trident. *cap. 12. sess. 24. de ref.* 1

CONSULTATIO CCLXXII.

AN monialibus, quæ hucusque recitarunt Officium juxta Breviarium suorum Ordinum, liceat eo uti? Respondeo, posse uti. Ita declaravit Sacr. Congregatio Concilii die 1. Decembris 1570. & 14. Martii 1648. in una Canarien. in Indiis. 1

CONSULTATIO CCLXXIII.

AN Clerico, cui ex privilegio *cap. Odoardus, de solut.* fuit assignata congrua pro sua necessaria sustentatione, ne cum dedecore Ordinis mendicare cogatur, sit ea congrua in tot bonis suis stabilibus assignanda, an vero bona omnia distrahenda cum onere creditoribus dictam congruam solvendi? Respondeo posse assignari aliquod stabile ejus vita durante. Ita censuit S. Congregatio Concilii in una Romana die 14. Martii 1648. *ad cap. 2. sess. 21. de refor.* 1

CONSULTATIO CCLXXIV.

AN præbendati, qui sunt adstricti certis temporibus intereſſe Choro, dum ex consuetudine antiqua canunt in Organo cum Cantoribus, possint percipere distributiones quotidianas, quæ inter assistentes Missis, ac Vesperis dividuntur? Respondeo affirmativè, dummodo fiat pro majori cultu, de consensu Episcopi, rarò, non abutantur, & non voluntarie. Ita censuit Sacra Congregatio Concilii in una Spoletana die 17. Augusti 1647. 1

CONSULTATIO CCLXXV.

AN Generales Ordinum possint propria authoritate celebrari facere in Monasteriis aliarum Civitatum, Provinciarum, & Regnorum etiam extra Italiam quantitatem Missarum, pro quibus uni tantùm Ecclesiæ fuerunt elargitæ eleemosynæ? Respondeo, non posse, & tanquam abusum esse tollendum. Ita declaravit Sacra Congregat. Concilii in una Regularium die 17. Augusti 1647. ex decreto super *celebr. Missar.* Docent enim communiter Doctores accipientem stipendium pro Missis teneri sub mortali celebrare in Ecclesia, aut altari designato. Nam quando dans eleemosynam eligit certum locum, sive Ecclesiam, sive Altare, cùm sit indubitatum, quod tanquam intellectuale operans operatur ex fine, necesse est, quod in tali electione habeat propositum aliquem finem, ratione cujus velit celebrari potius in hac Ecclesia, aut in hoc altari, quàm in alio. Et cùm clarè constet de ejus voluntate, quòd celebretur in tali Ecclesia, vel altari, jam etiam constat, quod celebrans annexum habet onus, & proinde cum hoc onere, seu lege transeat ad ipsum, *l. is, cui opus, ff. de nov. oper. nunc.* & *l. si convenerit, §. si fundus, ff. de pignorat. act.* & *c. ex literis de pignor.* & *c. Tua*, & *c. penult. de usur.* Cum ergo celebrans acceptet eleemosynam transeuntem cum suo onere & lege, pacto tacito se adstringit ad servandam talem legem, & subeundum onus. Et ideò dato etiam, quod dans eleemosynam non respexisset ad aliquam causam particularem, tenetur implere id, ad quod se adstrinxit, cùm de jure naturali sit implere obligationes susceptas. 1

Quod

2 Quod eo vel maximè procedit quando fuit per se primò contemplatus locus, & celebratio commissa fuit iis, ad quos pertinet Ecclesia ratione loci. Et ideò tàm emolumentum, quàm onus remanet addictum loco juxta *l. Annua §. Titia, de leg. & l. 2. ff. de reb. dub.* ac notant Menoch. *præsumpt.* 502 *num.* 21. *lib.* 4. & Rot. *dec.* 574. *num.* 8. *p.* 1. *div. & dec.* 130. *num.* 6. cor. Durano, & *in Vollaterana Capellan.* 7. Maji 1607. coram Lancelloto. Unde cùm dispositio sit certa respectu loci, & possit in ipso impleri, non potest alterari, & ad alium locum transferri, ut tradunt Bald. *in l. si quis n.* 9. *C. de Episcop. & Cler. & in l. fin. num.* 57. *Cod. de his, quæ pœn. nom.* Imol. *in cap. Nos quidem n.* 23. *de testam.* Navar. *cons.* 8. *num.* 10. *etiam de testam.* Præsertim quia est tantum electum ministerium inservientium Ecclesiæ, quatenus sunt destinati servitio talis Ecclesiæ non autem personæ. Ideòque non debet celebratio sequi personas juxta ea, quæ prosequuntur Bart. *in l Pater, §. Tusculanus, ff. de leg.* 3. Soccin. *in d. l.* 2. *num.* 14. *ff. de reb. dub.* Menoch. *præsumpt.* 112. *num.* 7. *lib.* 4. & Rot. *dec.* 309. *num.* 10. *p.* 6. *rec.*

3 Nec obstat, quod Superiores Regulares possint suis subditis præcipere applicationem sacrificiorum in beneficium alterius Conventus, ut tenent Sanchez *lib.* 6. *sum. cap.* 2. *num.* 9. 56. & 57. Ludovic. a Cruce *in Bull. compos. disp.* 3. *dub.* 12. *num.* 10. Garzia *in sum. tom.* 3. *de Euchar. diff.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *num.* 3. Marchin. *de Ordin. tom.* 3. *par.* 2. *cap.* 33. *num.* 10. Quart. *in rubr. Miss. in append. de sacrif. q.* 2. *punct.* 15. Quia inquiunt, Monasteria Religionis, tanquam membra ejusdem corporis sub eodem capite debent sibi invicem subvenire.

Nam id verum est, quoad eos Religiosos, qui non accipiunt eleemosynas pro missis. Hi enim, cùm habeant liberam applicationem sacrificiorum, potest Superior illa uti in commodum Religionis juxta obligationem, quam implicitè habent iidem Religiosi. Cùm enim debeant tanquam membra ejusdem corporis sibi invicem inservire, possunt Superiores determinare servitium, quod hic, & nunc censetur expediens, & obligare subditos ad illud exhibendum. Si autem loquamur de Religiosis, qui accipiunt eleemosynas pro missis vertendas in beneficium Monasterii, non poterunt Superiores præcipere applicationem in commodum alterius Monasterii. Quia potestas Superiorum est intra terminos rationis, nec se extendit ad irrationabilia. Non est autem rationabile, quod Superiores incommodo afficiant unum Monasterium, ut aliud commodum percipiat. Et subintrat regula juris, quod nemo locupletari debet cum alterius jactura, *cap. Locupletari de reg. jur. in* 6. Et facit etiam *cap. Apostolicæ de donat.* ubi Monasterium locupletari non debet cum jactura Ecclesiæ Cathedralis. Deinde non est secundum ordinem charitatis plus diligere proximum, quàm seipsum, sed solum sicut seipsum, atque adeò nec pati jacturam, ut proximus locupletetur. Quod autem non est secundum ordinem charitatis, neque est secundum regulam, & ideò non potest præcipi a Superioribus.

CONSULTATIO CCLXXVI.

1 A Viro pio laico fuit constructa authoritate Episcopi Ecclesia parochialis cum assignatione dotis scutor. quinquaginta annuorum, necnon domus pro habitatione Parochi, & utensilium, ac paramentorum eidem Ecclesiæ necessariorum reservato sibi, ac suis Jurepatronatus. Cui Ecclesiæ idem Episcopus pro commodiori sustentatione Parochi assignavit etiam primitias fructuum, qui ex bonis intra limites Parochiæ existentibus percipiuntur. Hodie quæritur a moderno Episcopo, an fundator ex dispositione S. Concilii cogi possit ad augendum dictam dotem usque ad annua scuta centum? Respondeo non posse cogi. Et ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Asten. die 15. Decembris 1646. *ad cap.* 13. *sess.* 24. *de ref.* Sufficit enim, quod assignata sit congrua secundum consuetudinem loci, & qualitatem personarum, quæque talis esse debet, ut ex ea quis possit commodè sustentari. Glos. *in c. un. v. Absque penuria, de stat. Regul. lib.* 6. Rebuff. *de congrua qu.* 8. *n.* 78. Tunc autem augeri debet, quando cum imputatione primitiarum, non autem oblationum, non ascendit ad ducata quinquaginta juliorum undecim pro quolibet, Rota apud Mantic. *dec.* 269. *num.* 1. Non enim habenda est ratio oblationum, quia sunt incertæ, cùm pendeant ex libera offerentium voluntate, & ideò ad certam summam redigi non possunt, quod in primitiis dici non potest, Oldrad. *cons.* 118. Anchar. *in Clem. un. col. pen. de conc. præb.* Felin. *in c. Ad aures num.* 38. & 39. *de rescript.* Put. *dec.* 169. *num.* 3.

CONSULTATIO CCLXXVII.

1 AN Clerici, & Sacerdotes subjecti jurisdictioni Abbatum, qui sunt intra Diœceses Ordinariorum teneantur observare Constitutiones synodales earundem Diœcesum, adeòut controvenientes puniri possint pœnis in eisdem Constitutionibus expressis, nec dicti Abbates, seu illorum Vicarii facere possint edicta, vel ordinationes ipsis Constitutionibus adversantes? Respondeo, teneri ad observantiam Constitutionum synodalium, nec posse facere edicta contraria. Ita censuit S. Congregatio Concilii in una Burgi S. Sepulchri die 15. Decembr. 1645. *ad c.* 2. *sess.* 24. *de ref.* Quia sunt de Diœcesi.

CONSULTATIO CCLXXVIII.

1 QUA pœna, & a quo sit puniendus Sacerdos regularis, qui absque prævia Ordinarii approbatione confessiones personarum sæcularium audit, eo quod in S. Concilio nulla legitur pœna adjecta, nec a quo sit inferenda? Respondeo, posse puniri ab Episcopo pœnis etiam censurarum. Et ita declaravit S. Congreg. Concilii in una Neapolit. die 14. Aprilis 1646. *ad c.* 15. *sess.* 23. *de ref.*

CONSULTATIO CCLXXIX.

1 PRO illegitimo ex soluta quæritur, an dispositio Sac. Concilii *c.* 15. *sess.* 25. *de ref.* locum habeat, dum illius pater fuit simplex Cappellanus ad nutum amovibilis, & non titulatus in Ecclesia, in qua idem illegitimus obtinere debet beneficium, & an saltem sit locus dispensationi? Respondeo posse cum illo dispensari. Ita censuit Sacra Congregat. Concilii in una Hispalen. die 14. Aprilis 1646.

CONSULTATIO CCLXXX.

1 VAcantibus quatuor beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis, fuit de illis provisus ab eadem Sede Apostolica quidam vir dignus. Cùm autem Episcopus eadem beneficia, uti seminario erigendo unita, contulerit magistris ejusdem Seminarii, ideò quæritur, an unio beneficiorum, ut supra facta, sustineatur? Respondeo negativè. Et ita censuit S. Congregatio Concilii die 4. Februar. 1648. *ad cap.* 18. *sess.* 23. *de ref.*

CONSULTATIO CCLXXXI.

1 AN renunciatio facta a Novitio coram Vicario foraneo sine licentia Episcopi sit valida? Respondeo, non esse validam. Et ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Sarzanen. die 4. Februarii 1648. *ad cap.* 16. *sess.* 25. *de regular.*

CONSULTATIO CCLXXXII.

1 OCcasione decreti post maturam discussionem a Sacr. Congregatione Concilii editi jussu sanct. mem. Urbani VIII. die 17. Novembris 1635. fuit firmatum decretum san. mem. Clementis VIII. sub die 12. Martii 1596. & 20. Junii 1599. de novitiis ad habitum regularem, & professionem admittendis in Conventibus tantummodo designatis, restringi ad Conventus intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium. Hodiè Regulares extra Italiam pro quiete conscientiarum quærunt, an decreta generalia ejusdem Clementis VIII. postea die 25. ejusdem mensis Junii edita absque aliqua restrictiva, necnon confirmatio eorundem decretorum generalium ab eodem Urbano pariter facta sine restrictiva in decretis de Regularibus apostatis, & ejectis extendantur ad Conventus etiam extra fines Italiæ existentes? Respondeo, non comprehendere Regulares extra Italiam. Ita declaravit S. Congregatio Concilii die 4. Februarii 1648. in una Regularium S. Dominici in Gallia.

CONSULTATIO CCLXXXIII.

1 AN Episcopus, qui nunquam adhuc egit cathedraticum, possit pro præterito tempore, & in futurum illud exigere? Respondeo, de jure cathedraticum deberi. Ita censuit Sacr. Congregat. Concilii in una Albiganen. die 3. Decembris 1644. ad *cap.* 3. *sess.* 24. *de ref.*

CON-

CONSULTATIO CCLXXXIV.

1 IN qua quantitate & qualitate monetæ possit exigi cathedraticum? Respondeo juxta dispositionem juris, nisi adsit particularis consuetudo in Provincia. Ita etiam declaravit eadem S. Congregatio Concilii in præcitata Albiganen. die 3. Decembris 1645.

CONSULTATIO CCLXXXV.

1 AN exactio cathedratici sit facienda a toto Clero, an verò a beneficiatis tantummodo? Respondeo, faciendam esse a beneficiatis, & ab Ecclesiis tantùm. Ita censuit Sacra Congregatio Concilii in eadem Albiganen. die 3. Decemb. 1644.

CONSULTATIO CCLXXXVI.

1 AN Regularis, qui habet votum in capitulo generali, & ob paupertatem non valet personaliter ad locum Capituli valdè distantem se transferre, possit per procuratorem in dicto Capitulo votum dare? Respondeo, causas deductas non sufficere. Ita censuit S. Congregat. Concilii in una Bulgariæ die 3. Decemb. 1644. *ad cap. 6. sess. 25. de Regul.*

CONSULTATIO CCLXXXVII.

1 QUA pœna puniri possint Parochi, qui matrimonia celebrant temporibus ab Ecclesia prohibitis? Respondeo, puniri posse arbitrio Episcopi. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Bosnen. die 3. Decemb. 1644. *ad cap. 10. sess. 24. de ref. matrim.*

CONSULTATIO CCLXXXVIII.

1 AN electio, seu approbatio Examinatorum Synodalium sustineatur, si non fiat per vota secreta? Respondeo, sustineri arbitrio Episcopi. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Fulginaten. die 3. Decemb. 1644. *ad cap. 18. sess. 24. de ref.*

CONSULTATIO CCLXXXIX.

1 ANno 1624. die 7. Septembris S. Congregatio Concilii jussu fel. rec. Urbani VIII. prohibuit sub gravibus pœnis quibuscunque Regularibus, cum derogatione omnium, & quorumcunque privilegiorum, ne alienarent bona immobilia, aut mobilia pretiosa, ac ne census perpetuos, seu vitalitios super iisdem bonis imponerent absque ipsius S. Congregationis expressa licentia. Post cujus decreti emanationem Generalis Theatinorum obtulit eidem S. Congregationi libellum tenoris sequentis: Generalis Theatinorum Regularium exponit humiliter, qualiter ejus Religio nullo unquam tempore possedit bona aliqua immobilia, animo ea retinendi, cùm id expresse prohibeant Constitutiones ejusdem Religionis: a tali enim possessione voluntariè abstinet, ut eò liberiùs, & promptiùs paupertatem Christi Domini imitetur. Et licet stabile quoddam Panormi eidem Religioni relictum non alienatum sit, hoc fuit inopia emptorum, multitudine litium. Nunc verò temporis Præpositio Domus ejusdem Civitatis injunctum est a Capitulo generali, ut quàm citissimè quocunque modo illud vendat, & quocunque pretio. Quapropter humiliter eadem Religio postulat ab hac S. Congregatione declarari, non comprehendi sub prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis, promittendo, prout opus est nunc, & in futurum juxta formam Constitutionum ejusdem Religionis firmiter observaturam supradictum Institutum, nec ullo unquam tempore recepturam, seu acceptaturam bona aliqua immobilia titulo, vel eleemosynæ, vel emptionis, vel quocunque alio, nisi ad effectum ea vendendi, vel pro usu fabricæ Ecclesiæ, seu Monasterii, & in tantum intendit tale decretum gratiosum sibi suffragari, in quantum hujusmodi Institutum est servatura. Super qua petitione factum fuit decretum tenoris sequentis.

2 Sacra Congregatio censuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum quandiù Institutum superiùs propositum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis.

3 Cùmque reiteratè ad eandem S. Congregationem relatum fuerit, Superiores dictæ Religionis vigore hujusmodi declarationis absque licentia ejusdem S. Congregationis imponere census perpetuos super quibusdam bonis immobilibus suorum Monasteriorum, quod ex dicto decreto repugnat menti S. Congregationis, quæ alienationem immobilium concessit ad tuendam observantiam ejusdem Religionis Instituti, quod est non retinendi immobilia, non autem, ut impositiones censuum sint permissæ non sine præjudicio ejusdem Religionis, & Instituti per contraventionem decreti Sacr. Congregationis, ideò quæritur, an iidem Superiores id facere possint? Respondeo non posse. Atque ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Theatinorum die 5. Novembris 1644.

CONSULTATIO CCXC.

QUidam Ordinarius declaravit excommunicatum in 1
vim Bullæ Cœnæ Domini Generalem, & Procuratorem Generalem cujusdam Religionis. Cumque Generalis qui erat excommunicatus toleratus opponeret in Capitulo generali dicto Procuratori, qui erat excommunicatus evitandus, non posse ad suffragium admitti, Procurator in eodem Capitulo hoc idem objecit Generali, exhibendo instrumenta, ex quibus constabat eundem Generalem declaratum fuisse excommunicatum & non absolutum. Quapropter Definitorium ipsius Capituli congregati, quod differri non poterat, declaravit, neutrum habere posse suffragium pro majori ipsius Capituli validitate, & excommunicationis reverentia. Cùm autem ab hujusmodi declaratione Definitorii uterque appellaverit, protestando de nullitate Capituli, & transactis quindecim mensibus fuerit judicatum a Judice competenti, dictum Generalem invalidè excommunicatum; ideò pro sedandis dissensionibus, quæritur, an d. declaratio Definitorii cum celebratione Capituli subsequuta de jure subsistat? Respondeo Capitulum sustineri. Ita declaravit S. Congreg. Concilii in una Portugallen. die 5. Novemb. 1644. *ad c. 3. sess. 25. de ref.*

CONSULTATIO CCXCI.

AN facultas Episcopis concessa a Sacr. Concilio Tri- 1
dent. *cap. 6. sess. 24. de ref.* sit per Bullam Cœnæ Domini revocata, itaut nequeant amplius suos subditos a delictis in dispositione ejusdem Bullæ comprehensis absolvere? Respondeo esse revocatam. Ita sæpè declaravit Sacra Congregatio Concilii, ac præsertim die 5. Novembris 1644. ad instantiam nonnullorum Episcoporum. Atque ita etiam fuit resolutum tum alias, tum præcipuè in Congregatione habita jussu Clementis VIII. ac Pii V. a cujus tempore Bulla Cœnæ Domini semper est eadem. Est contra Pasqualigum, & quamplures alios ab ipso relatos *quæst. mor. can. 93. num.* 1. Item contra Delbene ac alios benè multos, quos idem adducit *de offic. S. Inquisit. p.* 1. *dub.* 55. *n.* 8. ubi licet fusè, ac solidè eorundem opinionem non omninò improbabilem compellat, affirmatque proinde posse Episcopos illam tutiùs sequi in regionibus ab Urbe distantibus. Quod an rectè inferatur, alii dijudicent. Si enim per clausulam Bullæ Cœnæ Episcopis revocata est facultas absolvendi ab hæresi, reliquisque in ea contentis, ut ex Doctoribus, ex authenticis Cardinalium declarationibus, ex Pio V. Gregor. XIII. Clem. VIII. & ex supremo Generalis Inquisitionis Prætorio, adde & ex Sacr. Rota Romana cor. Merlino 25. Maji 1628. sæpè pronunciatum esse *dub.* 55. *n.* 16. fatetur; utique omnibus Episcopis ejusmodi facultatem ademptam esse necessariò fatendum est.

Tenendum igitur omninò ut certum, facultatem Epi- 2
scopis concessam a Sac. Concilio Trident. esse per Bullam Cœnæ Domini revocatam, itaut nequeant amplius ubilibet, etiam in regionibus ab Urbe distantissimis degentes, suos subditos a delictis in dispositione ejusdem Bullæ comprehensis absolvere, nec possint sine peccato amplius de hac re dubitare, *l. 4. C. de Sum. Trin. & fid. Cath.* Quare hodie frustra laborant viri doctissimi in astruenda contraria sententia, quæ olim ac nuper a Supremis Tribunalibus Urbis, atque a praxi explosa est. Sæpè enim Suprema, ac Romana Inquisitio declaravit, quod Episcopi, & Inquisitores judicialiter procedentes, & in forma judicii ex observantia S. Romanæ, & universalis Inquisitionis, ac scientibus, & consentientibus pro tempore Summis Pontificibus possent absolvere duntaxat in utroque foro coram Notario, & testibus a censuris Ecclesiasticis Hæreticos, & Apostatas pœnitentes, & ad gremium S. R. E. redeuntes, & volentes abjurare publicè, vel secretò, non obstante reservatione contenta in literis Apostolicis in die Cœnæ Domini legi solitis. Ita die 8. Julii 1588. pro Archiepiscopo Bisuntino, die 8. Junii 1596. pro Archiepiscopo Spalatensi,

die

die 6. & 14. Maji 1595. pro Archiepiſcopo, & Inquiſitore Taurini. Quæ quidem reſervatio quoad Ordinarios, & Inquiſitores operatur ſolùm, ut non poſſint, Hæreticos hujuſmodi reddire volentes, ad pœnitentiam, in foro conſcientiæ tantùm abſolvere. Ita die 9. Maji 1696. Nec poſſunt ex vi verborum Concilii Tridentini *in cap. liceat*, dictos Hæreticos abſolvere in foro conſcientiæ. Ita die 21. Auguſti 1609. Nec talem facultatem abſolvendi ab hæreſi habent etiam in caſibus occultis. Ita die 7. Junii 1617.

3 Hodie igitur Hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos ſponte comparentes poteſt tàm Ordinarius, quàm Inquiſitor recipere, & Eccleſiæ Catholicæ ſecretò in utroque foro reconciliare, injunctis pœnitentiis ſalutaribus; ſæcus verò in foro conſcientiæ, quod neuter ipſorum poteſt, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, quæ Inquiſitoribus rarò, vel nunquam conceditur, cùm eis ſit prohibitum Confeſſiones Sacramentales audire. Conceditur tamen iis facultas deputandi alios, qui abſolvant. Ita eadem S. Romana Inquiſitio dicta die 6. & 14. Maji, & die 15. Julii 1595. ac ſæpè alibi. Legendus Suarez *de fid. cap. 21. ſect. 40. num. 50. de cenſur. diſp. 21. ſect. 3. num. 5. & de pœnit. diſp. 30. ſect. 2. num. 11.* qui unus omnium inſtar, tanquam Theologorum Delius Apollo noctem contrariæ opinationis expellit. Siquidem caſus Bullæ Cœnæ ſunt ſpeciali modo reſervati. Tum quia ſeorſim ab aliis reſervantur. Tum quia quotannis innovatur reſervatio. Tum quia, ut dicta reſervatio effectum habeat, revocantur omnes facultates, indulta, & privilegia abſolvendi ab ipſis. Ergo, ut ab illis abſolvatur, eſt neceſſaria ſpecialis conceſſio, & expreſſio. Nam generale non tollit ſpeciale juxta *cap. 1. de conſtit. in 6.* ſed ſpeciale derogat generali, *l. in toto jure ff. de regul. jur. & l. Sanctio, ff. de pœn. & cap. 1. & cap. Paſtoralis, §. Quoniam de reſcript.* Et ideò non poteſt generalis conceſſio abſolvendi a reſervatis prævalere contra ſpecialem reſervationem. Et cùm hi caſus ſint ſpeciali nota digni non veniunt in generali conceſſione juxta regulam juris.

CONSULTATIO CCXCII.

1 AN Confeſſores tàm ſæculares, quàm regulares poſſint virtute ſuorum privilegiorum abſolvere a caſibus, & cenſuris reſervatis Epiſcopo? Reſpondeo, non poſſe. Ita pluries declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Sacri Concilii Tridentini, nominatim die 7. Decembris 1646. quæ Eminentiſs. Cardinali Archiepiſcopo Neapolitano hunc in modum reſpondit. *Queſta S. Congregaz. ha più volte dichiarato con ordini eſpreſſi di Clemente VIII. adi 11. di Gennaro del 1601. e adi 26. di Novembre del 1602. di Paolo V. adi 7. di Gennaro del 1617. e di Urbano VIII. di Novembre del 1628. che tutte le facoltà di aſſolvere da' caſi riſervati, o riſervandi dagli Ordinarj, ovvero compreſi, o da comprendersi nella Bolla* in Cœna Domini implicitè, vel explicitè, *ed altri riſervati ſolamente alla ſanta Sede nel medeſimo decreto di Novembre del 1602. conceſſe a' Secolari, o Regolari, Congregazioni, Confraternità di qualunque prerogativa, o ſpecialità* etiam neceſſariò exprimenda, *ſono ſtate annullate, ed eſtinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle ſuddette Conſtituzioni. E che in vigore delle confermazioni, eſtenſioni, o comunicazioni ottenute dopo, o da ottenerſi per l' avvenire ſotto qualſivoglia ampliſſime clauſule non s' intenda mai rinnovata la ſuddetta facoltà, riſervando ſolo gl' Indulti conceſſi ſpecialmente fuori d' Italia, o dentro di Roma, quanto a' caſi riſervati alla Santa Sede non compreſi nella ſuddetta Bolla. Onde venendo rappreſentato alla Santità di Noſtro Sign. da Voſtra Eminenza con ſua lettera de' 4. di Agoſto precedente, che in coteſta Città, e ſua Dioceſe alcuni Confeſſori Secolari, e Regolari ſenza giuſtificare con quali facoltà, aſſolvano di fatto dalle cenſure, e caſi ſuddetti, ed in oltre diſſeminando opinioni erronee, aſſeriſcono, che per poter aſſolvere validamente da' caſi riſervati all' Ordinario baſti d' aver dimandata al medemo la facoltà, ancorchè ricuſi di concederla. Queſti Eminentiſſimi miei Signori di commiſſione eſpreſſa di Sua Beatitudine mi hanno impoſto di ſcriverle, che coll' autorità, che a tale effetto ſe le comunica in virtù d lle preſenti, e ſot to le pene, che giudicherà iſpedienti, faccia intendere a tutti i Confeſſori di coſtì, ſiano quanto ſi vogliano privilegiati, ed eſenti, che ouninamente ſi conformino con i ſuddetti decreti, e non ardiſcano di contravenire ſotto qualſivoglia preteſto, o caſo* etiam *di preciſa neceſſità, fuorchè in* articulo mortis *con reincidenza*, ſi convaluerint. *Dichiari ſimilmente annullati tutti gli Oracoli, ed Indulti Apoſtolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, ed a gli altri, che pretendano d' averne Breve, o Bolla in forma ſpecifica dopo l' ultima Conſtituzione di Urbano prefigga un termine perentorio di tre meſi ad eſibirle a queſta S. Congregazione, altrimente vuole, e dichiara Noſtro Signore che s' intendano decaduti, e privati di eſſi* eo ipſo *ſenz'altra intimazione. Finalmente, che dopo d' aver fatto notificare coſtì dove, e come ſtimerà eſſer di biſogno, che quelli, che dimandano all' Ordinario la facoltà di aſſolvere, e non l' ottengono, non poſſono valerſene, ella dichiari incorrere nella ſoſpenſione dall' udir le Confeſſioni Sacramentali quelli, che pubblicamente difenderanno la dottrina ſuddetta, ovvero preſumeranno temerariamente di aſſolvere, ancorchè loro ſia ſtata denegata, o non conceſſa la facoltà dagli Ordinarj. Così V. Em. reſti ſervita di fare, che puntualmente ſi eſeguiſca, con dar quì diſtinto avviſo dell' operato, ed io le bacio umilmente le mani. Di Roma a' 7. di Decembre del 1646.*

Id autem quoad caſus reſervatos, eſt contra nonnul- 2
los Regulares recentiores, nominatim contra Baunium *p. 1. theol. mor. tr. 4. de Sacram. pœn. qu. 33.* qui malè pro ſe adducit Rodriquez, Suarez, & Laymanum, cùm in his terminis non loquantur. Item contra Brunum, *de privil. tr. 5. cap. 2. oppoſ. 2.* Quintanadvegnam *tom. 1. ſingul. tr. 3. ſingul. 15. & ſeqq.* ac Leandrum, *de cenſur. tract. 2. de excomm. diſp. 17. §. 2. qu. 79. v. Sed adhuc*, Horum autem motiva non difficilè diluit Paſqualigus *in qq. moral. jurid. qu. 177. num. 7.* ubi omninò frivola appellat, quæque craſſa, ac ſtolida cenſeo. Hinc communiter Doctores, qui poſt hæc decreta ſcripſerunt, negant, poſſe Regulares abſolvere a reſervatis Ordinario. Iique in primis ſunt vir doctrina, pietate, & ab animi candore P. Candidus, S. Palatii Apoſtolici olim Magiſter *tom. 1. diſquiſ. 22. de cenſur. art. 51. in fin.* Donatus, Miranda, Lezana, & alii.

Atque id ita verum ac certum eſt, ut nequeant Re- 3
gulares abſolvere a reſervatis Ordinario in propria Eccleſia, ſeu Conventu. Nam Confeſſarius nequit aliquem abſolvere, niſi in ipſum habeat juriſdictionem, aut ordinariam, aut delegatam, uti decernit Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7. de Sacram. pœn.* Quia abſolutio eſt per modum judicialis ſententiæ, quæ ſolùm in ſubditos ferri poteſt. Regulares autem, licet exempti, & in loco exempto, non habent juriſdictionem in ſubditos Epiſcopi quoad caſus reſervatos, nec ipſi iiſdem ſubjiciuntur quoad eoſdem caſus. Quæ quidem locum habent etiam quoad illa Monaſteria, in quibus reſident Ordinum capita, ſive Generales, ac quovis alio nomine nuncupentur, de quibus diſponit idem Trident. *ſeſſ. 25. cap. 11. de Regul.* Nam militat eadem ratio.

Nec obſtat, quod poſſunt abſolvi in aliena Diœceſi, 4
ergo etiam in loco exempto, Suarez *de legib. lib. 13. c. 32.* Nam de conſuetudine quoad Sacramentum pœnitentiæ ſubduntur Ordinario illius, & proinde ſubjiciuntur omnibus Confeſſariis, quibus ſubjiciuntur ſubditi illius Diœceſis, & abſolvi poſſunt. Hæc autem ſubjectio deeſt reſpectu Regularium, quamvis eorum Monaſteria & Eccleſiæ ſint loca exempta.

Quod verò ad cenſuras eſt expreſsè contra Megalam 5
p. 1. inſtit. lib. 6. cap. 3. num. 10. & Dian. *p. 3. tr. 2. de dub. Regul. reſ. 13.* quorum opinio non eſt amplius tenenda, nec tanquam probabilis haberi poteſt. Nam in Decreto Clem. VIII. non venit in conſiderationem caſus, ſive cenſura, cùm materialiter ſe habeant, ſed ipſa reſervatio, quæ eſt ratio, ob quam revocata ſunt privilegia tàm Regularium, quàm aliorum, ne poſſint ſe immiſcere quoad abſolutionem ab iis, quæ Epiſcopi ſibi reſervant.

Quare die 30. Januarii 1659. Congregatio Generalis 6
S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habita coram S. D. N. ad quem duntaxat fidei controverſia, & morum univerſalis Eccleſiæ pertinet definire, propoſitionem hanc: *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, neque nova indigent Epiſcoporum approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo authoritas iſta ipſis indulta non fuerit*, ita qualificavit, cenſuravitque. *Quoad primam partem eſt falſa, & ſaluti animarum perniciosa. Quoad ſecundam partem eſt falſa authoritati Epiſcoporum, ac Sedi Apoſtolicæ injurioſa.* Et inter opiniones damnatas in eadem Congregatione Generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis coram eodem S. D. N. feria 5. die 24. Septembr. 1665. hæc legitur. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

CON-

CONSULTATIO CCXCIII.

1 DUbitatur aliquando inter Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & earundem Beneficiatos, an & quomodo dicti Beneficiati possint Synodo Diœcesanæ interesse? Respondeo tanquam singulos, & vocatos ab Episcopo posse intervenire in Synodo, & in loco juxta præscriptum Pontificalis. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii die 5. Novemb. 1644. *ad cap. 2. sess. 24. de ref.*

CONSULTATIO CCXCIV.

1 AN supposita taxa pro Seminario cum solutione continuata ultra triginta annos, teneantur Hospitalia, & Confraternitates ad illius solutionem in futurum? Respondeo, Seminarium esse manutenendum. Hospitalia enim, & Confraternitates hujusmodi non sunt merè laicalia, & ex solutione tot annorum præsumi, vel quod bona sint Ecclesiastica, vel quod aliquod beneficium sit eis unitum. Ex lapsu enim temporis talia præsumuntur. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Tudertina die 5. Novemb. 1644. *ad cap. 18. sess. 23. de ref.*

CONSULTATIO CCXCV.

1 AN ab Episcopo hujusmodi Hospitalia, & Confraternitates compelli possint remediis censurarum Ecclesiasticarum, sequestrationis fructum, & similium, non obstantibus inhibitionibus Judicum eorundem Hospitalium & Confraternitatum? Respondeo, posse. Atque ita resolvit S. Congregatio Concilii in eadem Tudertina die 5. Novembris 1644.

CONSULTATIO CCXCVI.

1 AN Confratres Ordinum Mendicantium impediri possint ab Episcopis, quominus eleemosynas quærant in ipsamet Diœcesi, in qua illorum Conventus existunt? Respondeo, non posse impediri in locis, in quibus habent Conventus. Et ita censuit Sacra Congregatio Concilii in una Regularium die 5. Nov. 1644. *ad cap. 9. sess. 21. de ref.*

CONSULTATIO CCXCVII.

1 AN Religiosi peccarent, si omitterent in Canone Missæ commemorationem pro Episcopo loci, vel in ejus loco ponerent Superiorem Religionis?

2 Respondeo affirmativè. Ita respondit Sacra Congregatio Concilii in una Hispaniarum, consulta a Nuncio Apostolico, dixitque eos mortaliter peccare, cùm sit ad unguem observandum Missale, nec in collectis Missæ posse aliquid addere sub eadem pœna, præter orationem solitam pro Rege, & ejus prole, atque exercitu.

CONSULTATIO CCXCVIII.

1 AN possit dici satisfeciisse *Can. Omnis*, qui a Dominica Palmarum per totam octavam Paschatis extra Parochiam propriam sine sui Parochi licentia communicavit? Negativè. Ita respondit Sacra Congregatio Concilii in una Brixien. die 17. Maji 1598.

CONSULTATIO CCXCIX.

1 AN per licentiam concessam alicui Regulari sub his verbis, nempè, ut alium quemcunque Religiosum Ordinem modò approbatum, & in quo regularis vigeat observantia, ingredi, & in eo professione emissa remanere possit, liceat huic Regulari ingredi aliquem ex Ordinibus militaribus?

2 Respondeo non licere ingredi militares, nisi exprimatur. Ita declaravit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium die 7. Novemb. 1585. ad instantiam Societatis Jesu. Et ita ex praxi Sacr. Congregat. observatur omninò.

CONSULTATIO CCC.

1 AN liceat Episcopis tolerare, quod debitores non solventes habitent assiduè in Ecclesiis, & earum domibus ad effectum gaudendi immunitate Ecclesiastica?

2 Respondeo, esse licitum talibus debitoribus ad Ecclesias confugere ad effectum evadendi laicos Birruarios, sed non ad hoc, ut ibi diu morentur, & propterea ab Episcopis esse licentiandos, ut in aliam partem proficiscantur, & ita scriptum fuit Archiepiscopo Rossanensi per literas Cardinalis Alexandrini die 20. Julii 1592. nomine S. Congregat. Episcop. & Regul.

CONSULTATIO CCCI.

AN Archiepiscopus possit per appellationem cognoscere de causis cognitis ab Ordinariis & Abbatibus nullius Diœcesis, sitis intra Provinciam? 1

Respondeo, si tales Ordinarii & Abbates non sunt immediatè subjecti Sedi Apostolicæ de jure Metropolitanus poterit de eorum causis cognoscere per appellationem eodem modo, quo facit de causis Episcoporum suffraganeorum, salvis tamen indultis, & privilegiis, ac præscriptionibus dictorum exemptorum, si quæ habent. Atque ita censuit S. Congregat. Episcop. & Regular. in una Salernitana die 10. Maji 1586. 2

CONSULTATIO CCCII.

AN Episcopo, seu potius Custodibus, sive Communitati sæculari liceat visitare, & administrationem revidere Montis Pietatis erecti ad effectum, ut singulis annis frumentum pauperibus, aliisque indigentibus personis mutuò detur, cujus quidem Montis administratio consuevit dari laicis? Respondeo, Episcopo licere visitare, & providere, non ideò tamen esse exclusos Custodes, sive Communitatem sæcularem. Ita declaravit S. Congreg. Concilii in una Fulginaten. die 24. Februarii 1652. *ad cap. 8. & 9. sess. 22. de ref.* 1

CONSULTATIO CCCIII.

AN renunciatio patrimonii donati, ad cujus titulum promotus fuit ad Ordines sacros, si fiat absque licentia Episcopi post obtentum beneficium Ecclesiasticum sufficiens, sustineatur? Respondeo negativè. Et ita declaravit Sacr. Congregat. Concilii in una Aquilana die 24. Febr. 1652. *ad cap. 2. sess. 21. de ref.* 1

CONSULTATIO CCCIV.

AN admitti possit Regularis pro visitandis Sanctorum Apostolorum liminibus? Respondeo etiam negativè. Ex declaratione S. Congregationis Concilii die 24. Febr. 1652. in una Colonien si. 1

CONSULTATIO CCCV.

CUM Episcopus tanquam vicinior Ecclesiam parochialem Religionis Jerosolymitanæ visitaverit, & decreta nonnulla adimplenda jusserit, quæ concernunt curam animarum, Sacramentorum administrationem, cultum altarium, restaurationem Ecclesiæ ferè destitutæ, redditionem administrationis per confratres Societatis ibidem erectæ, quæritur, an Episcopo in dicta visitatione licuerit hujusmodi decreta facere, & an sint exequutioni demandanda, non obstante allegata exemptione ejusdem Religionis? Respondeo, licuisse in concernentibus curam animarum. Ita declaravit Sacr. Congregat. Concilii die 24. Febr. 1652. in una Vulturarien si ex *cap. 8. sess. 7. de refor.* & ex Constit. Gregor. XV. *de privil. exempt.* 1

CONSULTATIO CCCVI.

AN liceat Regularibus commoranti per aliquot dies in eorum conventu, ibique defuncto omnia Sacramenta administrare, & in sua Ecclesia dare sepulturam? Respondeo, non licere absque licentia Parochi, cui quarta funeralis debetur. Ita declaravit S. Congregat. Concilii in una Ripana 3. Febr. 1652. *ad cap. 11. sess. 25. de ref.* 1

CONSULTATIO CCCVII.

AN Episcopo ex eo, quod ex inveterata consuetudine soleat per edictum publicum monere Confratres Sodalitatum, *ut processionibus publicis* interfint, liceat renuentes interesse pœnis in edicto publicato expressis punire? Respondeo, supposita consuetudine, posse sub pœnis eos cogere, etiamsi simus in facultativis. Et ita etiam censuit S. Congregat. Concilii in una Alexandr. 3. Februar. 1652. ad *cap. 13. sess. 25. de regul.* Verùm cùm in una Urbinaten. quæreretur, an stante obligatione inducta ex Synodo provinciali Urbinat. quod Confraternitates laicales interesse debeant *omnibus processionibus ordinariis*, quatenus ab Archiepiscopo vocentur, 1

tur, & ſtante conſuetudine interveniendi *omnibus proceſſionibus*, poſſint ab Archiepiſcopo compelli per edictum ad interveniendum d. proceſſionibus, ne aliàs d. Synodus & conſuetudo reddantur eluſoriæ non ſine maximo divini cultus diſcrimine Sacr. Congregat. Concilii die 10. Martii 1663. reſpondit non poſſe cogi ad *cap. 13. ſeſſ. 25. de reg.* vide Sayr. *dec. 5. de off. Ord.* & Quatant. *v. Præcedentia in fin.*

CONSULTATIO CCCVIII.

1 CUM quædam Eccleſia Collegiata ſit merè receptitia & non numerata, creveritque numerus participantium uſque ad quinquaginta, adeòut redditus ſingulorum participantium quotidie intereſſentium horis & officiis divinis non ſufficiant pro eorum congrua ſuſtentatione ſpatio duorum menſium, propterea Epiſcopus de conſenſu participantium quærit, an de jure poſſit dictum numerum reducere in futurum ad quadraginta, qui ordine antiquitatis in Sacerdotio ſubintrent in locum deficientium? Reſpondeo, nihil eſſe innovandum, monendumque Epiſcopum, ne ad titulum tàm modicum promoveat ad ſacros ordines. Et ita cenſuit Sacr. Congregat. Concilii in una Converſanen. pro Eccleſia Collegiata Terræ Turi die 3. Februar. 1652. ad *cap. 2. ſeſſ. 21. de ref.*

CONSULTATIO CCCIX.

1 IN quadam Congregatione, ſive Religione extat Conſtitutio Apoſtolica authoritate confirmata, diſponens, quod in Procuratorem Generalem eligatur is, qui ſaltem per annos viginti in dicta Congregatione vixerit. Quæritur, an is, qui in Congregatione vixit per annos viginti tantum incœptos, poſſit licitè, & valide in Procuratorem Generalem eligi, itaut non ſit neceſſarius vigeſimus annus completus? Reſpondendum videtur, non requiri annum completum, quia in favorabilibus annus incœptus habetur pro completo, *l. ſi ita fuerit, in princ. ff. de manum. reſt. l. 1. §. quibus, ff. de ſucceſ. edict.* Felin. *in cap. Cùm vigeſimum, num. 7. de off. deleg.* Grat. *diſcept. 607. num. 6.* ac alii. Et in electionis ſpecie, pro qua ſtatuitur certum tempus, quod ſufficiat eſſe incœptum tradit Gloſ. *in c. Cùm in cunctis, v. exegerit, de elect. & in Clem. Generalem, de ætat. & qual.* Ricc. *in collect. cap. 860.* Campanil. *in diverſ. jur. cap. 6. num. 2.* Barboſ. alios referens *de poteſt. Epiſcop. allegat. 61. num. 22.* ubi ſic intelligendum ait Sacr. Concilium Tridentinum exigens certam ætatem in collatione Ordinum.

Et ita ut non obſtet, ſi ætas adjecta ſit in accuſativo cum verbo habere, quod complementum ſignificat ex Bart. *in l. ſi cui legatur ſub num. 1. de legat. 1.* cum aliis. Nam id procedit, ubi materia eſt odioſa, prout in caſu Bartoli, in quo agebatur de gravando hærede ad præſtationem legati, vel ubi cum expreſſione temporis in accuſativo juncta eſt alia dictio importans, ac denotans temporis perfectionem; aliàs ſine hujuſmodi dictionibus inſpicitur ſubjecta materia, quæ ſi favorem contineat, ſufficit ætas inchoata. Ita diſtinguit Sylveſt. *v. Ætas, qu. 2. num. 4.* Lezan. *q. reg. v. Annus num. 8.* Hanc autem perfectionem non importat dictio illa *ſaltem*, neque verbum *habere*, cùm ex communi uſu loquendi habere dicatur viginti annos, qui agit annum vigeſimum, quia in hac materia attenditur communis uſus, Gratian. *d. diſcept. 657. num. 8. & 9.* At tenendum eſt requiri annum completum. Quod etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Congregationis Montis Virginis die 3. Februar. 1652. ad *cap. 6. ſeſſ. 25. de Regular.* Id autem in jure firmiſſimum cenſeo. Nam ille dicitur per annos viginti in Religione vivere, qui complevit annum vigeſimum. Siquidem vivere annum vigeſimum dicit vivere ſupra talem annum, & ipſum excedere, qui enim non excedit, annum vigeſimum non vixit. Hoc enim modò loquendi requiruntur anni tanquam numerabiles, annus autem incœptus, & non completus non poteſt numerari pro uno anno, & ideò non facit numerum cum cæteris completis, *l. Anniculus, ff. de v. ſignif.* Quod etiam expreſsè deducitur *a l. 1. ff de manumiſs.* ex qua manifeſtè habetur, quod ut quis non ſit minor aliquo determinato anno debet agere ſaltem diem ultimum illius anni. Idem etiam habetur ex *l. denique, §. minorem, ff. de minoribus.*

2 Cui doctrinæ non obſtat, quod in favorabilibus, præſertim in ordine ad dignitatem annus incœptus habeatur pro completo, *l. Ad Rempublicam, ff. de mun. & honor.* Et proinde non erit minor annis viginti, qui vigeſimum attigit? Reſpondeo, id verùm eſſe quando favor eſt merus favor, & reſpicit ſolùm commodum perſonæ. Secus autem quando habet annexam adminiſtrationem publicarum rerum, ut ipſe Ulpianus in citata lege limitat. Ita enim ſubdidit, *ſed in his honoribus, in quibus Reipublicæ quid eis non committitur. Cæterum damno publico honorem ei committi non eſt dicendum.* In caſu autem noſtro agitur de adminiſtratione totius Religionis, ex qua dependet bonum commune ipſius, & ideò juxta citatum textum lex prædicta non habet locum, ſed debet expectari annus completus.

Et hæc ſtatuo contra Novarium, Didacum de Narbona, Portellum, Zerolam, Henriquez, Sà, Azorium & alios, quorum fundamenta ex adductis facilè diluuntur, atque elicio ex Gloſſ. *in d. Clem. generalem v. In decimo octavo de ætat. & qual.* Abb. *in cap. cum in cunctis num. 6. de elect.* Felin. *in d. c. cum vigeſimum num. 1. de offic. deleg.* Corneo *conſ. 213. num. 7. vol. 1.* Gutierez, Molina, Leſſio & aliis, præcipuè ex Rot. *dec. 26. de reſcript. in nov.* & Bellam. *dec. 726.* 3

CONSULTATIO CCCX.

AN, & quomodo Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, necnon Sacramentum Extremæ unctionis adminiſtrandum ſit condemnatis ad triremes, dum ad mortem infirmantur? Reſpondeo, poſſe, conditionibus tamen infraſcriptis. Videlicet, ut miniſtrentur quando hujuſmodi condemnati infirmantur ad mortem, & quando triremes ſunt in portu; & quod Sacramentum Euchariſtiæ prius conficiatur in Miſſa, quæ celebretur in terra, cùm in mari, vel in flumine non ſit permiſſum celebrari, nec confici, illudque afferatur per proprium Parochum, vel per alium Sacerdotem de illius licentia, & in burſa collo appenſa, ac cum debita decentia præſcribenda, adſitque ſcala tuta, per quam commodè idem Sacerdos poſſit ſine aliquo periculo triremes aſcendere. Id ipſum cenſuit Sacra Congreg. Concilii in una Viterbien. die 18. Martii 1651. *ad cap. 6. ſeſſ. 13. de aſſerv. Euch. Sacram.* Eſt contra Paſqualigum & Doctores ab ipſo relatos *de Sacrif. Miſſ. tom. 1. tr. 1. q. 471. n. 3. & q. 472. n. 1. & ſeq.* 1

CONSULTATIO CCCXI.

AN ad effectum obtinendi beneficia, & Eccleſiaſticas dignitates, in quibus ex diſpoſitione S. Concilii, & Sacrorum Canonum requiritur gradus Doctoratus in jure Canonico, vel in Theologia, intelligatur duntaxat de inſignitis d. gradu in aliqua publica Univerſitate approbata, non autem de graduatis a Comitibus Palatinis, vel ab aliis ſimilibus privilegia habentibus? Reſpondeo intelligi de doctoratis approbatis in Univerſitate. Ita declaravit S. Congregat. Concilii in una Papien. die 27. Julii 1652. 1

CONSULTATIO CCCXII.

VIgente conſuetudine in quadam Eccleſia Collegiata, ut a Capitulo nominentur duo ex Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, quorum alter confirmatus ab Epiſcopo præficitur regimini, & adminiſtrationi Eccleſiæ Campeſtris eidem Capitulo, maſſæque Capitulari Apoſtolica authoritate unitæ, qui hac de cauſa apud d. Eccleſiam continuò reſidet, & unà cum Sacerdotibus ad nutum amovibilibus ibidem miſſas oblatas, & horas Canonicas certis diebus celebrat. Quæritur, an iſtius Canonici reſidentiæ adeò obſtet Sacr. Concilium, ut non ſit toleranda? Reſpondeo, Concilium obſtare. Ita declaravit Sac. Congregatio Concilii in una Vercellen. die 15. Octobris 1644. *ad cap. 11. ſeſſ. 24. de reform.* Licèt aliqui teneant, quod ſolùm reprobetur a Concilio conſuetudo, quæ ſine cauſa inducitur, ut videre eſt apud Rot. *dec. 426. n. 5. in noviſ.* Ricc. *dec. 498. num. 2.* Bonac. *de hor. can. diſp. 2. q. 3. punct. 6. num. 4. & ſeq.* non verò, quæ eſt in ſervitium Eccleſiæ, Navar. *l. 3. conſ. 8. & in cap. Ad audientiam de Cler. non reſid.* 1

CONSULTATIO CCCXIII.

QUidam Regularis fuit receptus ad novitiatum, & anno ſequenti profeſſionem expreſſam emiſit. Verùm quia tempore receptionis exhibuit fidem ætatis annorum quatuordecim completorum, quam poſt quatuor annos notificavit ſuo Superiori, fuiſſe erroneam, cum revera tempore ingreſſus haberet tantummodo ætatem annorum tredecim, itaut profeſſio emiſſa fuerit ante annum 16. Cùmque tempore profeſſionis id tacuerit propter 1

pter parentes, animo tamen cum effectu profitendi, in quo adhuc perseverat. Quæritur, an hujusmodi professio possit convalidari cum absolutione a quacunque pœna incursa etiam respectu antianitatis, & pro ipso intercedunt ipsimet Superiores Regulares, attestantes de ejus meritis, & bonis qualitatibus? Respondeo esse validandam, quatenus opus sit, prout etiam censuit Sacr. Congregat. Concilii in una Mantuana die 15. Octobr. 1644. ad *cap.* 5. *sess.* 25. *de regul.* Requiritur tamen nova acceptatio Prælati, sicut quando matrimonium fuit irritum ob aliquod impedimentum, requiritur novus consensus utriusque. Contrarium sentit Navarr. *lib.* 3. *de Regul. cons.* 35. *num.* 3. & *cons.* 46. *n. item* 3. Sed est pro foro interno.

CONSULTATIO CCCXIV.

1 AN postquam Regulares sunt approbati ab aliquo Ordinario pro audiendis confessionibus sæcularium, si transferantur ad commorandum de familia in aliis Monasteriis sui Ordinis extra Diœcesim, in qua fuerunt approbati, possint ibidem audire confessiones subditorum dictæ Diœcesis absque approbatione, & licentia Ordinarii Diœcesis, in qua commorantur de familia? Respondeo non posse. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Regularium die 15. Octobris 1644. ad *cap.* 15. *sess.* 23. *de refor.* & Congregatio S. Inquisitionis die 30. Januarii 1659. & contra recentiores, eosque Regulares, nominatim verò contra utrunque Rodriquez, Mirandam, Bejam, Peregrinum, Dianam, Bordonum, quos audacter sectatur Pasqualig. *in qq. moral. can. cent.* 2. *quæst.* 198. *num.* 8.

CONSULTATIO CCCXV.

1 AN oblati Regularium, qui clausträliter vivunt, quique seipsos, & omnia bona sua præsentia & futura in forma juris valida obtulerant, si objerint, & sepeliantur in sepulchro Religionis, possit Episcopus prætendere ibidem sepeliri non posse, non vocato Parocho, & in illius præjudicium? Respondeo, oblatos, sive Tertiarios gaudere. Ita censuit Sacra Congregatio Concilii in una Gravinen. die 15. Octobris 1644. *ad cap.* 11. *sess.* 24. *cap.* 13. & *sess.* 25. *de ref.* Qua de re extat privilegium Papæ apud Rodriq. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 63. *ar.* 2.

CONSULTATIO CCCXVI.

1 AN in Vicarium Capitularem eligi possit non Doctor, rejectis aliis in utroque jure Doctoribus? Respondeo, non posse, ac proinde si eligatur, electionem esse nullam. Quoties enim ommittitur graduatus, cùm haberi possit, & eligitur carens tali titulo, electio est irrita, utpotè facta contra formam præscriptam a Tridentino, & sic Superiori devolvitur. Ita Genuensis, Quaranta, & alii, quibus accedit declaratio Sacræ Congregationis, præsertim in una Creten. die 15. Octobris 1644. *ad cap.* 16. *sess.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCXVII.

1 AN *cap.* 10. *de duellis*, *sess.* 25. *de reform.* locum habeat in eo, qui absque assignatione loci ad Monomachiam, & absque vocatione patrinorum in primo iræ impetu, in rixa calore iracundiæ alium vulnerat, itaut propterea hoc casu is privari non debeat Ecclesiastica Sepultura? Respondeo, non habere locum, & ideò non privari sepultura Ecclesiastica. Ita censuit S. Congregatio Concilii in una Segobien. die 15. Octobris 1644. Non enim est duellum, si non est assignatum tempus, & locus etiam in terminis Constitutionis Clementis VIII. Vide Cherubinum *in d. Constitut. Schol.* 1. ac Bonac. *tom.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 48. *num.* 14. Idque etiam si assignetur locus. Et sit incontinenti.

CONSULTATIO CCCXVIII.

1 AN Clerici ritus Græci in Italia commorantes, allegantesque consuetudinem, debeant ad Ordines Sacros admitti absque sufficienti titulo beneficii, seu patrimonii, non obstante dispositione S. Concilii? Respondeo negativè. Ita censuit S. Congregatio Concilii in una Siciliæ die 17. Novembris 1650. *ad cap.* 2. *sess.* 21. *de ref.* Hanc verò consuetudinem in Regno Siciliæ non extare retulerunt eidem S. Congregationi Archiepiscopus Messanensis, aliique Episcopi.

CONSULTATIO CCCXIX.

AN liceat Episcopo conferre eodem die quartum Ordinem minorem, & Ordinem Subdiaconatus? Et quid si dictos Ordines suscipiens in iis ministraverit? Respondeo, non licere, & si ordinatus ministraverit, esse locum dispensationi saltem ad cautelam. Et ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Ravellen. die 12. Novembris 1650. *ad c.* 11. *sess.* 23. *de ref.* & praxis Pœnitentiariæ se habet, quod sic ordinatus sit irregularis ex *cap.* 2. *de eo, qui furtivè ordines suscepit*, ubi Glos. *v. de nostra licentia*, Panorm. *n.* 1. traditque Tolet. *in sum. lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 1. ac Leo *in prax. Pœnit. p.* 3. *de irregul. §. ex crimine fol. mihi* 350. Quamvis alii velint, quod suspensionem incurrat. 1

CONSULTATIO CCCXX.

AN a Tribunali Nunciaturæ relaxari possint inhibitiones ad favorem Regularium delinquentium, ac degentium in Monasteriis & Conventibus, in quibus non degunt saltem duodecim Religiosi contra dispositionem S. Concilii, & declarationes ejusdem S. Congregationis? Respondeo, non posse Nuncium inhibere in Monasteriis post decretum erectis. Ita resolvit S. Congreg. Concilii in una Sypontina die 12. Novembris 1666.

CONSULTATIO CCCXXI.

AN Canonici & Beneficiati pro Missa Conventuali, pro qua emolumentum & distributiones recipiunt, possint aliam eleemosynam recipere, & Sacrificium alteri applicare? Respondeo negativè. Ita declaravit Sac. Congreg. Conc. in una Eluen. die 4. Maji 1646. ad *cap.* 2. *sess.* 25. *de refor.* Quia fundatores non ita præcisè intendunt cultum Ecclesiæ, quin etiam exprimant aliquo modo intendere etiam fructum divinorum officiorum pro se & suis. Et quia Capitulum regulariter habet aliquas obligationes, ideò Missa Conventualis solet regulariter applicari juxta Capituli applicationem, & proinde non remanet libera applicatio. Præterea quia Canonici & Beneficiati percipiunt fructus Canonicatuum, ac Beneficiorum sub onere inserviendi Ecclesiæ in celebratione divinorum officiorum. Hoc enim onus est annexum beneficio, & ideò illud suscipiunt eo ipso, quod acceptant beneficium. Quia cùm beneficium detur propter officium, trahit secum hanc obligationem. Celebratio autem divinorum officiorum debita Ecclesiæ ratione beneficii non importat solas Horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem, tanquam partem præcipuam. Et ideò ratione officii exhibendi Ecclesiæ in orando, tenentur etiam celebrare Missam Conventualem, illamque applicare, pro quibus distributiones, & emolumentum percipiunt. Quod autem Missa Conventualis pertineat ad officium, & sit pars illius, tradunt Glos. *in Clem.* 1. *de celebr. Miss.* Navar. *de orat. cap.* 2. *n.* 29. ubi ponit Missæ officium tanquam partem divini officii. Officium namque divinum, ut nunc sumitur, est illud, quod est institutum publico ritu in Ecclesiis peragendum ad colendum Deum, & orandum pro populo. Siquidem ad hunc finem institutæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ cum proventibus Ministrorum. Præcipua autem pars cultus divini est Sacrificium. Et ideò nomine officii divini principaliter venit obligatio Sacrificii conventualiter exhibendum. Unde quando tempore interdicto prohibentur officia divina, veniunt ea omnia, quæ propria sunt cujusque Ordinis tàm Sacri, quàm ex minoribus, ut tradunt Navar. *c.* 27. *Man. n.* 171. Henriq. cum Covar. *lib.* 13. *sum. cap.* 44. *sub init.* & *in com. lit. A.* Ugolin. *de censur. tab.* 5. *c.* 5. *§.* 2. *n.* 2. Sayr. alios citans *lib.* 5. *item de censur. n.* 2. *c.* 5. *n.* 4. & *cap.* 14. Et proinde venit etiam Missa. Quare officium divinum comprehendit servitium Ecclesiæ, & cultum Dei, ut constat ex omnibus his actibus. 1

Adesse autem in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis obligationem cantandi quotidie Missam Conventualem tradunt communiter Doctores, præsertim Glos. *in c. cùm creatura de celebr. Miss. ubi* Abb. Jo: And. & cæteri Canonistæ, & prosequuntur quamplures apud Dian. *p.* 10. *tr.* 27. *resol.* 40. & Hurtad. *p.* 1. *moral. tr.* 2. *c.* 7. *n.* 301. Idque sub mortali. Quia est de materia gravi, & quæ omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui maximè detraheretur, immò plus, quàm si non celebrarentur Horæ Canonicæ, cùm major sit cultus Sacrificii, quàm Horarum Canonicarum. Stante autem gravitate materiæ, consurgit gravis obligatio. 2

CON-

CONSULTATIO CCCXXII.

AN ſaltem debeatur diſtributio ex maſſa communi. Affirmativè ex reſolutione ejuſdem S. Congregat. in d. Elven. die 23. Februarii 1647.

CONSULTATIO CCCXXIII.

AN poſſit deputari Regularis, licet Theologus inſignis, ſua vita durante, ad præbendam Theologalem in Eccleſia Cathedrali per Epiſcopum erigendam ex redditibus propriis ſuæ menſæ Epiſcopalis? Reſpondeo: Id non debet concedi in titulum, ſed poterit Epiſcopus uti opera talis Theologi ſua vita durante. Si verò erigatur præbenda de proprio, tunc poterit concedi. Ita etiam cenſuit S. Congregat. Concilii in una Montis Faliſci die 23. Febr. 1647. *ad cap.* 1. *ſeſſ.* 6. *de ref.*

CONSULTATIO CCCXXIV.

QUidam in teſtamento mandavit ſuo hæredi, ut poſt mortem in ſuffragium animæ ſuæ duo milia Miſſas celebrare faceret in duabus Eccleſiis Terræ domicilii ad altare in una ex dictis Eccleſiis a teſtatore erectum, & ad altare privilegiatum exiſtens in alia nullo tempore præfixo. Cùm autem in prima Eccleſia Sacerdotes quotidianis obligationibus eſſent adſtricti, & in altera ad dictum altare privilegiatum quotidiè Miſſæ eſſent celebrandæ ex piis defunctorum relictis, & ex devotione Sacerdotum ad illam confluentium, itaut hæres non poſſit etiam ſpatio unius anni Miſſas demandatas ad altaria expreſſa celebrare facere, ideò pro celeriori ſuffragio fecit in eodem tempore in dictis duabus Eccleſiis celebrare Miſſas, quæ celebrari potuerunt, reliquas verò in Eccleſiis Regularium extra locum ad altaria privilegiata, quæritur, an Rectores dictarum Eccleſiarum expreſſarum poſſint dictum hæredem cogere, ut omnes dictæ Miſſæ in ſuis Eccleſiis celebrare faciat? Reſpondeo, poſſe cogi ad celebrandum juxta mentem teſtatoris. Et ita etiam cenſuit S. Congreg. Concilii in una Bononien. die 23. Februarii 1647. Quod etiam docent Graff. *p.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 9. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 24. *qu.* 6. Fagundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 1. Palaus *p.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 1. *pun.* 6. *num.* 27. Quia hæres facit contra obligationem in re gravi, nec adimplet voluntatem teſtatoris. Eſt contra Bonacinam, Navarrum, Fraxinellum, & Garziam *in ſum. tr.* 3. *diffic.* 11. *dub. ult. num.* 11. qui vult teneri ad compenſationem per alia opera ſatisfactoria, non autem ad repetendum Sacrificium.

CONSULTATIO CCCXXV.

AN Regulares poſſint in ſuis Eccleſiis, etiam contradicente Epiſcopo, petita ab eo, & non obtenta licentia prædicare? Reſpondeo, non poſſe contradicente Epiſcopo, niſi ex legitima conſuetudine. Et ita declaravit S. Congreg. Concilii in una Forolivien. 9. Februar. 1647. ad *cap.* 4. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ac tenent Piaſec. *in prax. p.* 3. *art.* 6. *n.* 9. Franciſc. Leo *in theſ. for. Eccleſ. p.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. contra Peyrinum *in privil. Minim. tom.* 1. *conſtit.* 2. *Gregor. XIII. §.* 2. *num.* 21. & Dianam *p.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 58. qui cenſet ſpeculativè loquendo Prædicatores regulares poſſe, etiam contradicente Epiſcopo, prædicare in ſuis Eccleſiis dummodo non prædicent illa hora, & tempore, quo Epiſcopus prædicare voluerit. Item contra Mirandam *in man. Præl. tom.* 1. *qu.* 50. *ar.* 3. *concl.* 1. Villabobum *in ſum. tom.* 2. *tract.* 35. *diff.* 6. *num.* 4. ac alios Authores Regulares, quos minus rectè ſequutus eſt Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. p.* 3. *alleg.* 76. *n.* 20.

CONSULTATIO CCCXXVI.

QUidam Vicarius generalis obtinuit a Sede Apoſtolica facultatem faciendi omnes benedictiones fieri ſolitas ab Epiſcopo, in quibus non adhibetur oleum ſacrum. Quæritur, an abſente Epiſcopo, poſſit benedicere Moniales, habentes requiſitas qualitates in conſecratione, & velatione earundem? Reſpondeo negativè, niſi ſuffragetur facultas in ſpecie. Et ita cenſuit S. Congregat. Concilii in una Piſana 9. Februar. 1647. *ad c.* 17. *ſeſſ.* 17. *de regular.* Et ejicitur ex Gloſ. *in cap. Aqua* 9. *de conſecr. Eccleſ. vel alt. v. Conſecrationis.*

CONSULTATIO CCCXXVII.

AN ſubcollector ſpoliorum percipere poſſit diſtributiones quotidianas, dum ratione officii ſubcollectoris choro non aſſiſtit? Reſpondeo negativè. Ita pluries declaravit S. Congreg. Concilii, præſertim in una Caſſanen. die 9. Februar. 1647. *ad cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *de reſor.* Conſtitutio verò Sixti V. eſt localis. Quod etiam cenſuit eadem S. Congreg. in una Mediolanen. 1663.

CONSULTATIO CCCXXVIII.

AN Epiſcopus poſſit cogere Clericos non habentes beneficium, nec officium Eccleſiaſticum ad intereſſendum proceſſionibus, & obedientiam ei præſtandam? Reſpondeo, non poſſe, niſi ſint præſentes, & adſit conſuetudo, & ſic cumulativè. Ita declaravit S. Congreg. Concilii in una Caſertana die 19. Jan. 1645. *ad cap.* 12. *ſeſſ.* 25. *de regul.* & cenſuit etiam S. Congregat. Epiſcop. in una Panormitana die 23. Novemb. 1592.

CONSULTATIO CCCXXIX.

AN Judices laici poſſint decreta interponere in contractibus Virginum, ſive puellarum in Monaſteriis exiſtentium pro educatione abſque aliqua Epiſcopi licentia? Reſpondeo, non poſſe, ſed requiri licentiam Epiſcopi ad alloquendum, quæ non debet negari. Et ita quoque cenſuit S. Congregat. Concilii in una Anconitana die 18. Nov. 1645. *ad c.* 16. *ſeſſ.* 25. *de Regul.*

CONSULTATIO CCCXXX.

AN Regii Capellani majores poſſint prætendere, ut omnes Capellani vulgò nuncupati *delli Preſidj*, e *Fortezze* ſint exempti a juriſdictione Epiſcoporum Diœceſanorum, & ſubjecti ſuæ juriſdictioni, adeòut hujuſmodi Capellanis a quocunque Ordinario ad confeſſiones approbatis demandare adminiſtrationem omnium Sacramentorum abſque alia approbatione, ſeu licentia Epiſcoporum Diœceſanorum valeant? Reſpondeo, non poſſe, niſi hujuſmodi Capellani majores habeant privilegia Apoſtolica in contrarium. Quare Ordinarii uti debent jure ſuo. Atque ita etiam declaravit Sacr. Congregat. Concilii in una Brunduſina die 18. Novemb. 1645. *ad cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *de ref.*

CONSULTATIO CCCXXXI.

AN examinatores tàm ex Capitulo, quàm ex Clero deputati in Synodo, qui non ſunt Doctores, debeant denuò deputari ex diſpoſitione S. Concilii? Reſpondeo, electionem hujuſmodi ſuſtineri tanquam de magis idoneis. Ita etiam cenſuit S. Congregat. Concilii in una Fulginaten. die 18. Novemb. 1645. *ad cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de ref.*

CONSULTATIO CCCXXXII.

AN poſſit denegari copia appellationis, & aliorum decretorum ſynodi? Reſpondeo, copiam eſſe dandam legitimis perſonis. Et ita declaravit S. Congregat. Concilii in eadem Fulginat. die 18. Nov. 1645.

CONSULTATIO CCCXXXIII.

INfirmo exiſtente Parocho, fuit ab eodem interim ad ſuam curam ſubrogatus Parochus vicinior. Cùmque idem Parochus infirmus objerit, & ad curam parochialis vacantis non eſſet aliquis deputatus, dictus Parochus vicinior incautè continuaverit in functionibus parochialibus, & ſignanter contractui unius matrimonii interfuerit, quod poſtea denuò ſupponitur contractum, ſeu ratificatum. Quæritur, an incurrerit in pœnas? Reſpondeo eſſe abſolvendum, & diſpenſandum. Et ita cenſuit S. Congregatio Concilii in una Eugubina die 18. Novembris 1645. *ad c.* 1. *ſeſſ.* 34. *de ref. matr.* contra plures Theologos aliter ſentientes nominatim, Suarez *tom.* 4. *diſp.* 26. *num.* 6. & 9. Ratio eſt, quia facultas quoad ea, quæ non pendent in conſervari a voluntate concedentis, quæque ſunt effectus juriſdictionis, & poteſtatis publicæ, ſeu voluntatis concedentis, ut informatæ publica poteſtate, & juriſdictione extinguitur morte ipſius. Nam exigunt continuum influxum conſervativum facultatis, cum de ſe non ſubſiſtant. Quando enim effectus non eſt perfectus, & dependet in conſervari a cauſa, ea ceſſante, ceſſat effectus, *l. fin. ſub init. ff. unde liberi,*

beri, & l. Sancimus, C. de admin. tut. & notant Tiraqu. 4. *tract. ceſſante cauſa limit.* 12. *num.* 2. Gam. *dec. Luſit.* 27. *num.* 4. Valaſch. *conſ.* 57. *num.* 1. Surd. *conſ.* 250. *n.* 24. Molin. *de rit. nupt. lib.* 3. *q.* 25. *num.* 34. Giurb. *ad conſuet. Meſſan. cap.* 6. *gloſ.* 2. *num.* 6. *p.* 1.

2 Atque hoc modo regula illa: *Facultas expirat morte concedentis verificatur.* Eam tradunt, ac deſumunt Doctores ex *l. locatio* 4. *ff. locatio*, & *ex l. Uxorem* 41. *§. Scævola ff. de legat.* 3. & *l. Mandatum* 15. *C. Mandati*, & *ex l. Centeſimis*, *§. fin. ff. de verb. oblig.* Item ex *cap. Si gratioſe de reſcript. in* 6. ubi Anchar. *num.* 6. Franch. *n.* 9. Gemin. *num.* 3. Et exornant Felin. *in cap. Ex literis num.* 10. *de conſtit.* Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. in proœm. §.* 1. *num.* 9. Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 15. *num.* 2. & Rota *in Bononien. Parochialis die* 18. *Martii* 1613. *coram Veroſp.* quæ eſt *deciſ.* 489. *num.* 4. apud Farinac.

3 Cùm itaque deputatio, de qua agimus, indigeat conſervari a facultatis continuatione, ſitque actus non hominis, ſed juriſdictionis, & publicæ poteſtatis, extinguitur morte concedentis. Denique cùm per mortem Parochi Parochia tranſeat in alterius regimen, atque adeò deputatio dependeat ab alterius voluntate, ceſſat, niſi ab hac eadem voluntate manuteneatur.

CONSULTATIO CCCXXXIV.

1 IN quadam Eccleſia Cathedrali uſus antiquus inolevit ab immemorabili tempore, ut Canonici, quibus diebus habetur concio in ipſa Eccleſia, audiendo concionem in habitu Canonicali lucrentur diſtributiones, quæ dantur matutino intereſſentibus, licèt recitationi dictæ Horæ matutinæ non interfuerint. Quæritur, an dicta conſuetudo eos excuſet in conſcientia ab onere reſtituendi? Reſpondeo, non excuſare. Ita quoque reſolvit S. Congreg. Concilii in una Vicentina die 7. Februarii 1643. *ad c.* 12. *ſeſſ.* 24. *de ref.* Qui enim non interſunt divinis officiis amittunt ipſo facto ante ullam Judicis ſententiam diſtributiones, *cap. un. de Cler. non reſid. in* 6. & colligitur ex Tridentino loco citato.

CONSULTATIO CCCXXXV.

1 AN Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ, qui ex diuturna infirmitate habet vocem adeò debilitatam, ut canere non valeat, poſſit miſſis Conventualibus eidem injunctis per alium Canonicum ſubrogatum ſatisfacere, & diſtributiones quotidianas percipere? Reſpondeo non poſſe, ſed debere intervenire. Et ita etiam cenſuit S. Congregat. Concilii in una N. die 7. Februarii 1643. *ad c.* 12. *ſeſſ.* 24. & *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *de ref.*

CONSULTATIO CCCXXXVI.

1 AN Epiſcopus poſſit præſcribere numerum Monialium in Monaſteriis Regularibus ſubjectis abſque interventu Superiorum Regularium, & quatenus præſcriptio fuerit facta a ſolo Epiſcopo, teneantur illam obſervarè? Reſpondeo negativè. Ita videtur cenſuiſſe S. Congreg. Concilii in una Marchiæ die 7. Februar. 1643. *ad cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de regul.*

CONSULTATIO CCCXXXVII.

1 AN liceat Confratribus Societatum, abſque præcedenti legitima facultate juris ſepeliendi, & abſque interventu ipſius Parochi ſepulturam defunctis dare in ſuis Oratoriis? Reſpondeo, non licere. Ita declaravit S. Congregatio Concilii tùm aliàs, tùm præcipuè in una Nullius 17. Auguſti 1652. *ad cap.* 13. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Conceſſa enim Capella, vel Eccleſia non intelligitur conceſſum jus funerandi, niſi expreſsè fuerit conceſſum, Archid. *in cap.* 1. *de pact. in* 6. Bonifac. *in Clem. Dudum*, *§. hujuſmodi*, *num.* 11. *de ſepult.* Quare tàm ipſi ſodales, quàm alii ſepeliendi ſunt in Parochia, ſi non eligant ſepulturam, Petr. de Ubald. *de Canon. Epiſcop. cap.* 11. Nec poſſunt aliquid ſtatuere in præjudicium Parochiæ, nempè, quod Sodales ſepeliantur in ſuo Oratorio. Siquidem nec privilegium Principis intelligitur cum præjudicio tertii, *l.* 2. *§. Si quis a Principe*, *ff. ne quid in loco publico*, & *ex regula l. Id quod noſtrum*, *ff. de regul. jur.* Ita quod niſi Parochiani eligant expreſsè ſepulturam, vel eam habeant de familia, ſepeliendi ſunt in Parochiali Eccleſia.

2 An verò ſufficiat facultas, ſive licentia tacita ſepeliendi in ejuſmodi Oratoriis? Affirmat Rota *p.* 1. *diverſ. deciſ.* 122. & 123.

CONSULTATIO CCCXXXVIII.

1 REgulari fuit reſervata annua penſio ſcutorum centum ſuper redditibus cujuſdam menſæ Epiſcopalis. Quæritur, an pro rata dictæ penſionis teneatur contribuere Seminario dicti Epiſcopatus? Reſpondeo teneri. Ita cenſuit S. Congreg. Concilii in una Tropien. die 17. Auguſti 1652. *ad cap.* 18. *ſeſſ.* 23. *de ref.*

CONSULTATIO CCCXXXIX.

1 AN in Eccleſia Collegiata poſſit abſque privilegio, ſeu legitima licentia præcedente Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervari? Reſpondeo negativè abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, niſi fuerit Parochialis. Ita etiam declaravit S. Congregat. Concilii in una N. die 7. Septembris 1652. *ad c.* 3. *ſect.* 13. *de Sanctiſſ. Euchar. Sacram.* Quare licentiam Ordinarii Euchariſtiam in ejuſmodi Eccleſiis aſſervandi eſſe nullam declaravit eadem S. Congregat. anno 1509. apud Genuen. *in prax. cap.* 92. Deſumitur ex *cap. Tribus*, *§. Tanta*, & *ex cap. Presbyter de conſecr. d.* 2. ac tradit Abb. *in cap. officium*, *de offic. Archipr.* Gloſs. *in cap. Permittimus*, *de ſentent. excommun.* Epiſcopus enim nequit diſpenſare ſupra canones, *cap. Quod ſuper his*, *de major.* & *obed.*

CONSULTATIO CCCXL.

1 AN Canonici inſervientes alternatim per mediariam, ut vulgò vocant, ſi non inſerviant per novem menſes integros faciant fructus ſuos? Reſpondeo negativè pro eo tempore, quo non reſident. Et ita cenſuit Sacra Congregatio Concilii in una Aſſiſien. die 7. Septembris 1652. *ad cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *de reform.* ac patet ex alibi dictis in hanc rem.

CONSULTATIO CCCXLI.

1 AN decretum S. Concilii *cap.* 7. *ſeſſ.* 25. *de regular.* ubi de electione Abbatiſſæ circa annos ſaltem quinque profeſſionis habeat locum in Monaſterio noviter erecto? Reſpondeo, habere locum. Tum quia generaliter loquitur. Tum etiam quia in eo militat major ratio deputandi provectam, ut novæ Moniales melius inſtrui poſſint. Quare cenſeo in hoc caſu eſſe diſpenſandum, facto verbo cum Sanctiſſimo. Ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Carpentoraten. die 14. Novembr. 1643. *ad d. locum Concilii*.

CONSULTATIO CCCXLII.

1 AN Epiſcopus, qui ob tenuitatem reddituum etiam de conſenſu S. Congregationis Epiſcoporum non retinet Vicarium poſſit exequi literas Apoſtolicas Vicario directas? Reſpondeo negativè cum S. Congregatione Concilii in una Aquilana die 14. Novemb. 1643. *ad cap.* 5. *ſeſſ.* 22. *de refor.* eſt contra Sbrotium *de offic. Vicar. qu.* 236. *num.* 6. *lib.* 2.

CONSULTATIO CCCXLIII.

1 QUidam poſtquam fuerat a ſuo Epiſcopo Diœceſano in examine pro Ordinibus ſacris ſuſcipiendis reprobatus, ſibique propterea denegatæ literæ dimiſſoriales, ab hac denegatione appellavit ad Metropolitanum, a quo dictas literas dimiſſoriales obtinuit, quarum vigore fuit a quodam Epiſcopo titulari promotus ad Ordines Sacros. Cumque redierit ad ſuam Diœceſim, in qua celebrabat, habita de hoc notitia per Epiſcopum Diœceſanum, qui illum reprobaverat, juſſit tanquam malè promotum ad divina non admitti. Ideò quæritur, an verè fuerit malè promotus, & quatenus malè promotus, an dictus Epiſcopus Diœceſanus poſſit illum diſpenſare ab irregularitate incurſa, & rehabilitare ad Ordines, & beneficia? Reſpondeo fuiſſe malè promotum, cùm literas dimiſſoriales Archiepiſcopus concedere non potuerit, ſed concedendæ fuiſſent a ſuo Ordinario ex traditis a Gavanto *in man. Epiſc. v. Archiepiſcopus n.* 28. & *ſeqq.* & Quarant. *eodem v. n.* 30. & 33. Quod videtur etiam diſpoſitum a Tridentino *in cap.* 1. *ſeſſ.* 14. *de reform.* ibi: *nulla contra ipſius voluntatem conceſſa licentia de ſe promovendo*, *&c. ſuffragetur*. Quę verba intelligenda eſſe etiam de licentia Metropolitani declaratum fuiſſe a S. Congregatione tradit ibidem Farinacius in ſuis Gloſſis. Unde ab irregularitate per eundem ex hac cauſa incurſa Apoſtolica diſpenſatione indigere videtur ex Sylveſtro *in verb. diſpenſatio ſub num.* 12.

CON-

CONSULTATIO CCCXLIV.

1 SUpponitur ex consuetudine immemorabili, quod in visitationi cujusdam Diœcesis solvantur Episcopo visitanti etiam vecturæ equorum. Cùmque his temporibus omnia Episcopis controvertantur, ideò quæritur, an possit concordare cum subditis, qui una vice aliquam summam considerabilem persolvere consentiunt cum liberatione in futurum ab hujusmodi onere, ita tamen, ut dicta summa integrè convertatur in emptionem bonorum stabilium pro augmento dotis mensæ Episcopalis, quæ habet tenuissimos redditus? Respondeo, non posse absque facultate Apostolica, quæ deneganda videtur, cùm a Sacro Concilio Tridentino *cap.* 13. *sess.* 24. *de reform.* Episcopo visitanti recipere permittantur duntaxat victualia, quorum appellatione non veniunt, nisi expensæ victus, ut tradit Zerola *in prax. v. Visitatio*, §. 6. *dub.* 1. & 3. ubi addit subditos non teneri illi administrari equitaturas. Nec attendenda videtur consuetudo etiam immemorabilis pro dicto Episcopo allegata, cùm illi in eo Concilii loco sit expressè derogatum.

CONSULTATIO CCCXLV.

1 AN liceat Canonico Theologo Ecclesiæ Cathedralis obtinere insimul lecturam in Universitate ejusdem Civitatis, & ulterius Capellaniam unius ex Monasteriis Monialium ipsius civitatis? Respondeo negativè, quia habet curam animarum annexam. Ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una Pisana die 16. Maji 1648. *ad cap.* 17. *sess.* 24. *de refor.*

CONSULTATIO CCCXLVI.

1 AN Canonico lectori primario Sacrorum Canonum liceat nedum fructus suis canonicatus, verùm etiam distributiones quotidianas percipere quamdiù in eadem lectura continuaverit? Respondeo negativè quoad distributiones *ex cap. fin. de magistr.* Quod etiam declaravit S. Congregatio Concilii in una Elboren. die 16. Maji 1648. *ad cap.* 1. *sess.* 5. *de refor.*

CONSULTATIO CCCXLVII.

1 URbanus VIII. sel. rec. post discessum a dominio Reipublicæ Venetæ Patrem Societatis Jesu absque aliqua sæcularizatione, & mutatione Ecclesiarum, quæ a dictis Patribus possidebantur, deputavit donec aliud providere duxerit Administratorem regiminis earundem Ecclesiarum tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, concedendo eidem Administratori liberam facultatem, & authoritatem omnia, & singula gerendi, & faciendi, quæ pro cura, regimine, & administratione illarum duxerit necessaria, & opportuna, prout idem Administrator pacificè, ac privativè quoad omnes Ordinarios hucusque administravit. Cùm autem quidam modernus Episcopus prætextu dispositionis Sacri Concilii visitaverit nonnullas capellas campestres, quæ ab eisdem Patribus in illius Diœceſi possidebantur, præcipiendo Capellanis earumdem, ne Missas celebrent antequam Missa Ecclesiarum Parochialium celebretur; ideò quæritur, an dicto Episcopo competat jus, ut supra visitandi hujusmodi Capellas, & an eidem licuerit præcipere, ut supra Capellanis earundem Capellaniarum? Respondeo ad primum negativè, quatenus Ecclesiæ sint regulares. Ad secundum etiam negativè. Idem censuit Sacr. Congregatio Concilii in una Tervisina die 17. Aprilis 1649. ad *cap.* 8. *sess.* 7. *de refor.*

CONSULTATIO CCCXLVIII.

1 AN ex Sacro Concilio *cap.* 11. *in fin. sess.* 24. teneantur Canonici Ecclesiæ Cathedralis inservire Episcopo Pontificalia celebranti in eadem Ecclesia, vel alibi in sua Diœceſi, & an dicti Canonici, ut supra inservientes amittant distributiones? Ad primum respondeo, teneri. Ad secundum lucrantur distributiones in Ecclesiis Civitatis. Ita etiam declaravit Sac. Congregat. Concilii re semel, ac iterùm discussa in una Imolen. die 17. Aprilis 1649. *ad d. cap.* 12. *sess.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCXLIX.

1 AN Monachus, hæres institutus, possit de licentia Superiorum Regularium acceptare, & habere usumfructum bonorum hæreditariorum pro suis religiosis necessitatibus, non obstante dispositione Sacri Concilii *c.* 2. *sess.* 25. *de Regular.* Verba autem institutionis sunt hujusmodi: *Con questo però, che l' usofrutto de' miei beni stabili, e se moventi spettino al P. N. e non al Monastero, il quale pretendendo conseguire l' usofrutto predetto, in tal caso dichiaro averlo per non scritto erede, ma s' intenda fatto luogo a' sostituti, che susseguentemente dichiaro.* Respondeo negativè. Ita etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in una N. die 17. Aprilis 1649. Est contra Pasqualig. *quæst. moral. jurid.* 9. *numer.* 1. & 5. Ratio autem, qua movetur est. Quia inquit ipse, quod legatum cedat in usus personales Religiosi est voluntas testatoris, qui talem legem rebus suis imposuit. Et proindè voluntas Religiosi volentis retinere talem usum, non est voluntas propria ipsius, sed est voluntas testatoris. At hæc ratio frigida, & inepta est. Quia censetur testator nolle nisi quod justum est, & proinde in sua dispositione se conformare dispositioni juris, *l. cum de lanionis*, §. *Item*, *ff. de fund. instruct.* & notant Cravet. *cons.* 250. *num.* 1. Mantic. *de conject. ultim. vol. lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 15. ac Rota *dec.* 697. *num.* 18. coram Merlino: itaut nemo præsumatur disponere de rebus suis, nisi secundùm leges, quæ de illa materia disponunt, ut docent Natt. *consil.* 49. *num.* 22. Surd. *cons.* 347. *n.* 24. Bec. *cons.* 35. *num.* 11. Non autem conformatur juris dispositioni, quod Religiosus possit habere usumfructum legatorum, cum id repugnet Concilio Tridentino *dict. sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* quod ita interpretata est ejus Sacra Congregatio, ut illum nequeat habere etiam de licentia sui Superioris Regularis, licèt in ordine ad Religiosos usus. Ex impedimento enim legis redditur caduca voluntas testatoris, atque adeò etiam voluntas Religiosi eam exequentis. Voluntas enim testatoris legibus interdicta non est servanda, §. *fin. instit. de legat.* & §. *disponat. auth. de nupt.* neque potest dominari, nisi sit legitima, *l. cum quæstio in fin. Cod. de legib.* quia non potest privata dispositio dispositionem legis immutare, *l. nemo potest*, *ff. de legat.* 1.

CONSULTATIO CCCL.

1 AN Parochus duarum Ecclesiarum in eadem Civitate existentium insimul æquè principaliter unitarum possit ex dispositione S. Concilii residere in altera ex dictis Parochiis sibi benè visa? Respondeo affirmativè, si æquè principaliter, aliàs in digniori, vel frequentiori. Ita censuit S. Congregatio Concilii in una Rheginen. die 17. Aprilis 1649. *ad cap.* 1. *sess.* 23. *de refor. cap. Extirpandæ*, §. *qui verò*, ibique Abb. *n.* 5. *de præb.* Gonzal. *Glos.* 6. *n.* 268. quemadmodum contingit in Episcopis, qui si sunt plurium Civitatum, seu locorum semper in nobiliori Civitate, ac in frequentiori loco habitare coguntur, *cap. Episcopi*, *d.* 80. *cap.* 1. *de privil.* & *excess. privil.* Leo Papa I. *ad Episcop. Afr. epist.* 85. *cap.* 5. Idque non solùm in gratiam dignitatis Ecclesiæ, ne scilicet ob loci angustiam vilescat, *cap. Episcopi*, & *c. præcipimus* 16. *quæst.* 1. Verùm etiam in favorem animarum, ducto argumento vulgari axiomate, quo cavetur salutem plurium semper debere præferri.

CONSULTATIO CCCLI.

1 AN benedictio contrahentium matrimonia possit a Parochis fieri extra Ecclesiam, sed potiùs sit præcisè facienda in Ecclesia? Respondeo, faciendam esse in Ecclesia. Et ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Brittinorien. die 7. Aprilis 1649. *ad cap.* 1. *sess.* 24. *de ref. matrim.*

CONSULTATIO CCCLII.

1 QUædam puellæ novitiæ anno probationis completo cum propter acerbissimas Civitatis seditiones redditus Monasterii adeò fuerint diminuti, ut pro sustentatione Monialium tunc professarum non sufficerent, de licentia in scriptis Ordinarii, sub cujus jurisdictione extat dictum Monasterium, coactæ fuerunt ad proprias domus se conferre. Rebus verò pacatis ad idem Monasterium de licentia ejusdem Ordinarii redierunt. Quæritur, an admitti possint ad professionem absque alio probationis anno? Respondeo, posse admitti arbitrio Ordinarii, dummodo habeant alia requisita, ut supponitur.

tur. Ita etiam censuit Sacra Congregatio Concilii in una Neapolitana die 17. Aprilis 1649. *ad cap. 16. sess. 25. de regular.*

CONSULTATIO CCCLIII.

1 QUidam obtinens præbendam canonicalem, monitus ab Ordinario ad residendum, prætendit excusari ex eo, quod inservit in Officio Cancellarii Præsidi cujusdam Regni, ideò quæritur, an ex S. Concilio admitti possit dicta excusatio? Respondeo negativè. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Usselen. die 17. Aprilis 1649. *ad cap. 12. sess. 24. de refor.*

2 Nec obstat, quod aliqui asserant Reges, ac Principes, habere privilegia a Sede Apostolica, ut Episcopi, & alii Clerici, qui illis inserviunt in aliquo officio, non teneantur residere, possint percipere fructus beneficiorum. Et propterea illos excusant a residentia Jo. Selv. *de benef. p. 4. qu. 6.* Cevall. *in commen. quæst. 585. num. 7.* Petr. Gregor. *de benef. cap. 7. num. 9.* Boer. *decis. 17.* Rebuff. *in concord. tit. de collat. §. 1. & in auth. quomodo oportet Episcop. collat. 5.* Unde in auth. *de sanctiss. Episcop. collat. 9.* conceditur Episcopis, ut in Curia per annum possint commorari, & ultra etiam si Imperator dederit facultatem. Nam respondeo primò. Si Principes habuerunt talia privilegia, fuerunt jam revocata per Concilium Tridentinum, & Constitutionem Pii IV. ut docet Garz. *de benef. p. 3. cap. 2. num. 390.* Deinde id debet intelligi, quando absque alicujus sive Episcopi, sive Clerici præsentia Regnum commodè non posset administrari. In tali enim casu Pontifex potest eis dare licentiam, ut propter bonum commune Regni absint a sua Ecclesia. In authenticis allegatis non est facienda vis. Nam cùm residentia Episcoporum, & aliorum Clericorum sit res spiritualis, Princeps de hac materia nihil statuere potest. Leges enim civiles loquentes de Clericis, & rebus spiritualibus nulla vim habent ex Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ de constit. n. 40.* Garz. *tr. de ult. fin. n. 158.* Surd. *lib. 3. cons. 301. nu. 43.* Bero. *lib. 1. cons. 31. num. 22.* Ruin. *lib. 4. cons. 113. num. 7.* Castald. *tr. de Imper. qu. 101. num. 1.* & constat ex *dict. c. Ecclesia, & cap. Bene quidem d. 96. & cap. Cùm laicis, de reb. Eccles. non alien.*

CONSULTATIO CCCLIV.

1 AN ea, quæ a S. Concilio decernuntur spectare ad Episcopum antiquiorem, absente Metropolitano, ut in *cap. 2. sess. 24.* & in aliis, censeantur spectare ad Episcopum antiquiorem ex suffraganeis, non autem ad Episcopum exemptum, quamvis antiquiorem, qui, cùm non sit suffraganeus, eligit intervenire in Concilio Provinciali dictæ Metropolis? Respondeo, spectare ad antiquiorem suffraganeum, non autem ad exemptum, quamvis antiquiorem: Ita declaravit S. Congreg. Concilii in in una Brugen. die 17. Aprilis 1649 *ad cap. 2. sess. 24. de reform.*

CONSULTATIO CCCLV.

1 AN, & quando Regulares teneantur ad solutionem decimarum? Hac in re ita censuit S. Congreg. Concilii in una Polonien. seu Cracovien. decimarum die 17. Junii 1645. Sacra, &c. iterùm, atque iterùm auditis Regularibus, & præcipuè Patribus Societatis Jesu, eorumque juribus, ac privilegiis maturè discussis, censuit ab eisdem Patribus, & aliis Regularibus solvendas esse Parochis, & aliis Beneficiatis decimas, quæ solvebantur a laicis priusquam bona in ipsorum Patrum Societatis Jesu, & aliorum Regularium proprietatem fuerint translata, firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis. Quod etiam renovavit in una Ripana die 16. Martii 1647. ac sæpè alibi, additque etiam non obstante Constitutione Gregorii XIII. quæ fuit redacta ad viam juris. Est contra Peyrinum, Henriquez, Portellum, Fagundez, & alios, quorum doctrinam sæpè etiam hac in re repudiavit Rota. Quia, si, ut ipsi Regulares ajunt, hoc privilegium est reale, res transit cum onere suo.

CONSULTATIO CCCLVI.

1 AN monasteria consequi possint dotes novitiarum in anno probationis decendentium, eo non completo, professione tamen ante obitum in articulo mortis per easdem novitias emissa? Respondeo negativè quoad dotem. Si verò hujusmodi novitiæ convaluerint iterùm profiteri debent. Et ita etiam censuit S. Congreg. Concilii in una Ordinis S. Francisci Min. Observ. die 20. Martii 1649. *ad cap. 15. sess. 25. de Regular.*

CONSULTATIO CCCLVII.

AN carceres Episcopales possint ab Episcopo fabricari, seu fabricatas restaurari ex pœnis, ac mulctis? 1
Respondeo, non posse. Ita censuit S. Congreg. Concilii in una Nicien. die 29. Martii 1649. *ad cap. 3. & 14. sess. 25. de refor.* Ad id enim Episcopus tenetur de suo.

CONSULTATIO CCCLVIII.

AN Ecclesia existens in possessione percipiendi decimas frumenti, & aliarum frugum, quæ ex prædiis colliguntur, si in eisdem prædiis loco frumenti, & aliarum frugum seminetur, ut vulgò dicitur *il grano turco, oriso*, possit decimam percipere? Respondeo, non solum posse, sed etiam deberi. Et ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una Civitate die 20. Martii 1649. *ad cap. 12. sess. 25. de reform.* Quando enim fit mutatio circa fundum decimatorium, decimantur fructus, qui loco priorum succedunt, ut deciditur *in cap. Cum in tua, & cap. Commissum de decimis* docent de Butr. Abb. & alii *eo loco*, traditque Monet. *de decim. cap. 4. numer. 15.* Rota *in Conchen. Decimarum de Laxara 12. Decembris coram Justo, & dec. 666. num. 1. p. 1. rec.* Et facit, quod quando fundus subjectus servituti quoad quotam fructuum transfertur ab uno genere ad aliud genus fructuum, debetur eadem quota de fructibus, qui noviter colliguntur, ut tradunt Glos. *in l. certo generi, ff. de servit. rustic. præd.* Bart. & alii benè multi, ac firmat Jas. *in l. si fundum, §. Qui fundum, ff. de legat. 1.* Capiblanc. *de offic. Baron. prag. 11. n. 61.* Quia censentur dicti fructus subrogati in loco priorum. Quare cùm Parochi habeant fundatam intentionem quoad omnes decimas cujuscunque fundi decimalis existentis intra limites propriæ Parochiæ, *c. Quoniam a nobis, & c. Cùm contingat de decim.* ubi Glos. *verb. de jure communi, & c. Ad decimas de restit. spol. in 6. & c. Statuimus 26. q. 1.* ac resolvit Rot. *in Hispalen. juris nominandi 4. Julii 1612. & in Comen. decimar. 17. Novembris 1606.* coram Damasceno, *& decis. 667. p. 2. in posth.* apud Farinac. statim consurgit in illis jus ad novos fructus, præsertim cùm sint subrogati loco priorum.

Quod adeò certum existimo, ut si etiam adsit consuetudo, quod de certo genere fructuum non solvatur decima, sit tamen solvenda, quandò fundus subjectus decimis transfertur ad fructus, de quibus non solvitur. Quia consuetudo est stricti juris, *l. 1. §. si quis hoc interdicto, ff. de itin. actuque privato*, Bart. *ibid.* Alex. *cons. 122. in fin. vol. 1.* Natt. *cons. 555. num. 5.* Ludovis. *decis. 162. num. 6.* Et proindè non extenditur ad causam diversam, *l. Quod meo, §. fin. de acquir. possess.* & notant Becc. cum Jasone, & Natta *cons. 99. num. 18.* ac Surdus *cons. 308. num. 6.* Est autem diversa ratio quando fundus jam subjectus decimis transfertur ad fructus, de quibus consuetudo obtinuit, quod non decimentur, ac de fundo solito hos fructus ferre. Nam in hoc casu consuetudo fecit fundum de subjecto decimationi non subjectum, & ideò fructus non decimantur. At in nostro casu fundus est subjectus decimationi, & ideò fructus, ad quos convertitur non eximuntur a decimatione. Quia sequuntur naturam fundi. Consuetudo enim, quæ abrogat unam legem non abrogat aliam. Est autem diversa lex, quæ præcipit solvi decimas de omnibus fructibus ab ea, quæ præcipit solvi decimas de subrogatis fructibus; quando fundus de uno genere ad aliud genus frugum transfertur. Nam hoc specialiter sancitur *dict. cap. Commissum de decim.* Illud verò *in c. Non est, in c. Pervenit*, & in aliis *eod. tit.* Et ideò licet consuetudo induxerit, quod de aliquo genere frugum non solvatur decima, non ob id erit inductum, quod non solvatur, quando fundus decimatorius transfertur ab illo genere frugum, de quo solvitur ad aliud, de quo non solvitur. 2

CONSULTATIO CCCLIX.

AN obtinens beneficium simplex de Jurepatronatus laicorum, cum quo fuit ordinatus donec provideatur de alio beneficio Curato ad suam congruam sustentationem cum pacifica possessione, & fructum perceptione subsequutis, an inquam ex dispositione Sac. Concilii dicatur primum beneficium simplex vacare ipso jure absque alia sententia privationis? Respondeo affirmativè. Et ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una Fesulana die 30. Januarii 1649. *ad c. 17. sess. 24. de reform.* 1

CONSULTATIO CCCLX.

1 AN Coadjutores, quando interveniunt Canonici coadjuti, possint capitulis interesse? Respondeo, non posse. Ita resolutum fuit a S. Congregatione Concilii in una Narnien. die 5. Maji, & 22. Septembris 1646.

CONSULTATIO CCCLXI.

1 QUidam Vicarius Generalis Apostolicus per mortem Episcopi fuit, sede etiam vacante, deputatus Vicarius capitularis, & administrator mensæ Episcopalis, cujus officii vigore univit nonnulla beneficia simplicia cuidam Ecclesiæ Parochiali pauperi ejusdem Diœcesis cum clausula citra præjudicium obtinentium, & dummodo juri Episcopali nihil detrahatur, cui unioni Capitulum postea suum præstitit consensum. Quæritur, an hujusmodi unio, necnon possessio per Parochum post mortem obtinentium de consensu moderni Episcopi capta sustineatur? Respondeo negativè ex defectu potestatis Vicarii, & defectu consensus in ipso actu unionis. Et ita etiam censuit S. Congreg. Concilii in una Licien. die 30. Januarii 1649. *ad cap. 5. sess. 21. & cap. 13. sess. 23. de reform.* & tenent Bursat. *lib. 2. cons.* 185. *num.* 14. Rebuff. *in comp. alien. nu.* 15. & est juxta doctrinam, quam tradunt Imol. Butr. & alii *in cap. Cum nos de his, quæ fiunt a Prælatis*, dum volunt, quod consensus qui importat solemnitatem, requiratur in ipso actu. Quod est contra Boer. *decis.* 345. *num. 3.* Hojed. *de incomp. benef. part. 2. cap. 3. num. 9.* Gabriel. *consil.* 200. *num. 7. lib. 1.* Sanchez *lib. 7. summ. cap. 29. num.* 165. ac Rotam *decis. 133. num. 9. par. 2. divers.*

CONSULTATIO CCCLXII.

1 MAnsionarius cujusdam Ecclesiæ Cathedralis, qui alternis hebdomadis, & singulis diebus festis, necnon in hebdomada majori interesse tenetur divinis officiis in choro, & aliis functionibus Ecclesiasticis, obtinere prætendit etiam Canonicatum Collegiatæ ejusdem civitatis, qui habet onus interessendi horis Vespertinis omnibus diebus Dominicis, necnon Missis cantatis certis diebus cujuslibet mensis, ac nonnullis aliis diebus festis, & præcipuè in benedictione candelarum, palmarum, & in omnibus functionibus hebdomadæ majoris. Quæritur, an hujusmodi Canonicatus ex dispositione Sacri Concilii *ad cap. 17. sess. 24. de reform.* possit retineri cum dicta mansionaria, non obstante asserta consuetudine? Respondeo, non posse obtineri absque dispensatione Apostolica. Ita etiam censuit Sacra Congregatio Concilii ad eundem locum in una Urbevetana die 19. Junii 1649.

CONSULTATIO CCCLXIII.

1 AN dispositio Sac. Concilii *cap. 13. vers. Ad hæc in posterum sess. 24. de reform.* locum habeat in dignitate principali Ecclesiæ Collegiatæ curam animarum annexam habentes, & annuum valorem ducatorum centum non excedentes? Respondeo, habere locum. Quod etiam declaravit S. Congregatio Concilii in una Aquilana die 19. Junii 1649.

CONSULTATIO CCCLXIV.

1 AN Abbas regularis non benedictus possit suis subditis regularibus Ordines minores conferre? Respondeo, posse quatenus habeat privilegium. Et ita censuit S. Congregatio Concilii in una Panormitana die 16. Martii 1647. ad *cap. 10. sess. 23. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXV.

1 AN Ordines minores per hujusmodi Abbatem non benedictum collati non suis subditis sint invalidi? Respondeo, Abbatem habentem privilegium non posse conferre primam tonsuram, & ordines minores, nisi suis subditis regularibus, non autem aliis. Idem censuit S. Congregatio Concilii in eadem Panormitana die 19. Martii 1647.

CONSULTATIO CCCLXVI.

1 AN dictus Abbas non benedictus conferens Ordines minores non subditis in loco exempto, existente in Diœcesi Episcopi, possit ab eodem Episcopo diœcesano de hujusmodi collatione puniri? Respondeo, posse puniri juxta præscriptum Sacrorum canonum. Et ita etiam censuit S. Congreg. Concilii in dicta Panormitana eadem die 16. Martii 1647. De hac materia ita etiam reperio decisum. *Die 13. Novembris 1641. S. Congregatio Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, utraque parte informante re, & scriptis, ac rationibus hinc inde deductis maturè examinatis, inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1582. coram bon. mem. Cardinali Seraphino de ordine felic. rec. Clementis Papæ VIII. factæ, necnon declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis dictæ decisioni conformibus, subsequutis, censuit, improbata opinione contraria, Abbates regulares Benedictinos ejusdem Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut Instituti, habentes etiam jura Episcopalia, usumque mitræ, & baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonsuram, & minores Ordines conferendi, non posse dictam tonsuram, vel minores Ordines, nisi suis subditis Regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel instituti, & etiamsi habeant literas dimissorias Superiorum suorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt. Et multò minus personis sæcularibus etiam habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis. Ac propterea inhibet Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, ut in futurum concedere non audeant supradictas literas dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab iis recipi. Quod si secus fiat, tàm concedentes, quàm ordinantes a collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem S. Congregationis reservatas. Quam declarationem fel. rec. Urbanus VIII. die 17. Januarii 1642. ad se delatam approbavit, & inviolabiliter observari jussit.*

Sed hic queritur, cur non imposuit suspensionem etiam ipsis Ordinatis, sicut imposuit Concilium Tridentinum *sess. 14. de reform. cap. 2.* ordinatis ab Episcopis titularibus absque dimissoriis? 2

Respondetur, Abbates sicut, & alii Sacerdotes non sunt ministri Ordinarii Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, sed tantum esse possunt ex privilegio Summi Pontificis quoad confirmationem, & Ordines minores. Privilegium autem concessum Abbatibus intra alicujus diœcesis fines consistentibus conferendi primam tonsuram, & Ordines minores est restrictum ad suos subditos Regulares tantùm. Ergo si conferant aliis, id faciunt sine privilegio ad hoc essentialiter requisito, & per consequens ordinatio nulla erit, etiam quoad substantiam. Unde non mirum, si non suspendantur ab Ordinibus, quos nunquam receperunt. Quia privatio præsupponit habitum. Et ex eadem ratione non imponitur privatio privilegii clericalis sicut *sess. 7. cap. 10.* quia similiter nec istud unquam habuerunt. Sunt tamen pro excessus qualitate arbitrio Judicis puniendi.

Nec obstat, quod aliquando Sacra Congregatio facto verbo cum Sanctissimo rehabilitaverit hujusmodi promotos absque reiteratione ordinationis. Quia tunc adhuc non erat reprobata contraria opinio, & per consequens Ecclesia extendendo privilegium, supplebat jurisdictionem. Hodie verò eadem est ratio de Abbatibus regularibus, ac de Prælatis sæcularibus, qui non sunt Episcopi consecrati. Si enim non sunt consecrati Episcopi, & conferant Ordines etiam minores, ordinatio nulla est, quolibet privilegio non obstante. Idem est de dimissoriis, ex Tridentino *sess. 23. cap. 10.* & resolvit Sac. Congreg. in una Nullius 1598. & in una Gravinen. die 26. Augusti 1616. 3

Quare cùm ante supradictum decretum quæsitum fuisset in Sacra Congregatione Concilii, an Generalis Silvestrinorum possit suis subditis Regularibus primam tonsuram, & minores Ordines conferre, Sacra Congregatio, re accurato studio semel atque iterùm discussa, censuit non posse, & sic ordinatos characterem non recepisse. Cæterùm agendum esse cum Sanctissimo D. N. Gregorio XV. ut eidem in Monasterio Sancti Silvestri de Monte Fano, vel Sancti Benedicti de Fabriano, Camerinen. diœcesis residenti, de speciali gratia concedere dignetur hanc facultatem, quam ex longissima consuetudine exercuit conferendi primam tonsuram, & quatuor Minores Ordines suis subditis Regularibus, atque Ordines perperam collatos secretò repetendi. Quod cùm Sanctissimo per Illustrissimum Prosperum Fagnanum tunc Secretarium die 29. Januarii 1622. relatum esset, Sanctitas sua benignè annuit. Quod refert idem Fagnanus *in cap. Quanto de consuet. nu. 42. in fin.* 4

Rursus die 4. Aprilis 3637. eadem Sacra Congregatio Concilii censuit, Ordinatos ab Abbate titulari Montis Regalis in Sicilia tàm sæculares, quàm Regulares esse 5

iterùm

iterùm ordinandos . Quia Ordines nulliter fuerunt collati ex defectu poteſtatis tàm reſpectu Ordinum ſacrorum, quàm minorum. Et die 5. Aprilis 1636. quod Abbas finito officio non poteſt conferre Ordines minores , licet ſit Procurator generalis in Curia . Negatio enim præpoſita verbo *Poteſt*, cùm ſit negatio potentiæ, reddit actum de jure nullum, Bonacin. *de Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 4. num. 7.*

6 His tamen non obſtantibus S. Congregat. Concilii die 26. Junii 1655. declaravit , ſic ordinatos ab hujuſmodi Abbatibus non eſſe iterum ordinandos , ſed tantùm a Sanctiſſimo rehabilitationem obtinendam.

CONSULTATIO CCCLXVII.

1 QUidam Canonicus Cathedralis Eccleſiæ impetravit menſe Aprilis a Sede Apoſtolica Archidiaconatum ejuſdem Eccleſiæ vacantem. Eodem verò menſe alter ab eadem Sede Apoſtolica impetravit Canonicatum præfati Canonici, uti reſervatum per aſſequutionem dicti Archidiaconatus. Hodie inter Capitulum, & eundem Archidiaconum dubitatur , an prædicto Archidiacono , qui uti Canonicus inſervivit Eccleſiæ uſque ad tempus poſſeſſionis captæ Archidiaconatus debeantur diſtributiones quotidianæ , an potius uſque ad diem datæ impetrationis dicti ſui Canonicatus? Reſpondeo, deberi uſque ad tempus adeptæ poſſeſſionis , ſi per ipſum non ſteterit . Et ita etiam cenſuit Sac. Congregatio Concilii in una Piſaurien. die 16. Martii 1647. *ad cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXVIII.

1 QUædam menſa Epiſcopalis ex conſuetudine recipit tertiam partem decimarum, oblationum, & priorum legatorum , quæ fiunt Eccleſiæ Cathedrali . Cùmque fuerit donatum ſacrario ejuſdem Eccleſiæ quoddam Olivetum, & Societati ſanctiſſimi Sacramenti, quæ in eadem Eccleſia congregatur, fuerint legata ſcuta centum auri, quæritur, an ex dicto oliveto , & legato eidem menſæ Epiſcopali debeatur portio conſueta ? Reſpondeo, non deberi. Ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii in una Signina die 16. Martii 1647. *ad cap. 3. ſeſſ. 25. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXIX.

1 AN Abbas regularis, qui, ut ſupponitur , eſt nullius diœceſis , & exercet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in locis ſibi ſubjectis poſſit in eiſdem locis propria authoritate Pontificalia exercere ? Reſpondeo affirmativè ad formam privilegiorum Benedictinorum , & non communicantium. Ita quoque declaravit S. Congregatio Concilii in una Papien. die 3. Junii 1651. *ad cap. 5. ſeſſ. 6. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXX.

1 AN dictus Abbas poſſit examinare teſtes pro probando ſtatu ſuorum ſubditorum matrimonia contrahere volentium cum cæteris , itaut illorum atteſtatio debeat ab Ordinario admitti? Reſpondeo etiam affirmativè . Idipſum cenſuit Sacra Congregatio Concilii in eadem Papien. dicta die 3. Junii 1651. ad *cap. 1. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* Nam facultas iſta pertinet ad Ordinarium loci . Unde non ſolùm Epiſcopus , ſed quicunque alius , qui in locis exemptis habet juriſdictionem ordinariam venit appellatione Ordinarii , ut obſervant Zabarel. *in Clem. Quia regulares, num. 11. de ſuppl. negl. Præl.* Abb. *in cap. Ut forma num. 6. de ſent. excommun.* Dec. *conſ. 121.* Bellar. *conſ. 30.* Mynſinger. *in cap. Poſt ceſſionem num. 2. de probat.* Pariſ. *lib. 3. de reſign. quæſt. 11.* Navar. *conſ. 9. de privil.* Cocchier. *de juriſdict. ordin. in exempt.* & ideò poteſt ea exequi , quæ Ordinariis comittuntur.

CONSULTATIO CCCLXXI.

1 AN ſit revocandum decretum ab Epiſcopo editum circa proceſſionem in die feſto Sanctiſſimi Sacramenti faciendam in Eccleſia Archipresbyterali cujuſdam Caſtri ſuæ diœceſis , non autem in Eccleſia Regulari Mendicantium? Reſpondeo, non eſſe revocandum, prout nec revocavit Sacra Congregatio Concilii in una Hipporegien. die 3. Junii 1651. *ad cap. 13. ſeſſ. 25. de Regular.*

CONSULTATIO CCCLXXII.

AN Moniales ad habitum , & profeſſionem in Monaſteriis Regularibus ſubjectis admitti poſſint, tanquam ſi Epiſcopus , & eo abſente , vel impedito illius Vicarius, vel alius ab eo deputatus earum voluntatem, & conditiones exploraverit? Reſpondeo, non poſſe. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Lectoren. die 16. Decembris 1645. *cap. 17. ſeſſ. 25. de reform.* 1

CONSULTATIO CCCLXXIII.

TEſtator in teſtamento, quod condidit ita diſpoſuit : Item *voglio , che in detta mia Cappella ſi abbia da dire ogni giorno una Meſſa per il Cappellano da ellegerſi da Monſignor Veſcovo pro tempore*. Cujus diſpoſitionis vigore quæritur, an ex dictione illa *pro tempore* Capellanus cenſeri debeat perpetuus, an potius amovibilis? Reſpondeo, non eſſe amovibilem, neque annualem, ſed perpetuum. Ita etiam cenſuit S. Congreg. Concilii in una Gravinen. die 16. Decembris 1645. 1

Idque ex Felino *in cap. Excommunicamus num. 1. de hæret.* ubi notat *ex §. moneantur* , quod officio quædam ſunt temporalia , quædam perpetua , etſi quæ ſunt ad beneplacitum habentur pro perpetuis per textum valdè notabilem *in l. Juriſperitus in princ.* ibique Bartol. *ff. de excuſ. tut.* Ideòque talis pendente officio, conveniri poterit ſicut perpetuus juxta ea, quæ tradit Bartol. *in leg. pupillo, §. ſiquis ipſi, ff. de nov. oper. nunc.* Et ad hoc vide notabilem Gloſſam, quam notat Gemin. *in cap. fin. v. perpetuus de reſcript. in 6. & in Clem. Etſi principalis de v. Officialis de reſcript.* ibique Abb. Bald. *in l. beneficium , ff. de conſtit. Princip.* & Cardinal. *in Clem. 1. qu. 10. de elect.*

CONSULTATIO CCCLXXIV.

AN Dignitates , quæ ſunt de corpore Capituli teneantur exactionem , aliaque onera ſubire , ſicut Canonici ? Reſpondeo affirmativè . Ita etiam cenſuit S. Congregatio Epiſcopor. & Regular. in una Bovinen. 9. Decembris 1625. Immò cum in S. Congregatione Concilii in una Curzolen. quæreretur , an Archidiaconus , qui officium Vicarii Epiſcopalis ſive Capitularis exercet, teneatur, uti Capitularis, & participans de menſa Capitulari, quando eſt electus , acceptare officium Procuratoris , ſeu Oeconomi Capitularis pro exigendis livellis, eleemoſynis, aliiſque redditibus ejuſdem menſæ Capitularis , & aſſiſtere negotiis ejuſdem Capituli , prout faciunt alii Capitulares electi , Sac. Congregatio die 29. Martii 1653. cenſuit, teneri , quia Officium Vicarii eſt voluntarium , Procuratoris verò ſive Oeconomi eſt debitum, cùm ſit de Capitulo, ac de menſa participet ex *cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.* Equidem ubi eſt emolumentum, ibi debet eſſe onus , & qui lucrum amplectitur , onus ſubire tenetur, *l. unic. §. Pro ſecundo in fin. & §. Ne autem, C. de caduc. tollen.* Sicut è contrario ad quem ſpectat onus debet ſpectare emolumentum, *leg. Manifeſtiſſimi, §. pen. in fin. C. de furt. cap. ultim. de his, quæ fiunt a Præl. regula Qui ſentit. lib. 6.* Ac decidit Paulus *in l. ſecundùm naturam, ff. de reg. jur.* An autem id procedat in dignitatibus , quæ ex ſententia in judicatum tranſacta declaratæ fuerint immunes ab hujuſmodi oneribus, negativè reſpondit S. Congreg. ſuper Epiſcop. in Caſtellaten. 29. Aug. 1672. ſed eſſe manutenendas id ſua poſſeſſione & audiendas in petitorio. 2

CONSULTATIO CCCLXXV.

AN Eccleſia Parochialis de jurepatronatus pro duabus partibus laicorum , & pro una juriſpatronatus Eccleſiaſtici ſit providenda de Rectore per examen concurſus , ſervata forma a Sacro Concilio præſcripta *ad cap. 18. ſeſſ. 24. de reform.* Reſpondeo affirmativè cum S. Congreg. Concilii in una Cæſenaten. die 29. Martii 1653. Quamquam Fagnanus *in cap. Cum propter de Jurep. a num. 21.* afferat partem negativam. 1

CONSULTATIO CCCLXXVI.

AN per affinitatem ſupervenientem ex illicita copula diſſolvantur ſponſalia de futuro contracta? Affirmativè in gradibus a Concilio reſtrictis. Et ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Melevitana die 29. Martii 1653. *ad cap. 4. ſeſſ. 24. de reform. matrim.* 1

CONSULTATIO CCCLXXVII.

1 AN clericus, habita licentia ab Ordinario, querelandi malefactores in foro laicali citra pœnam sanguinis, si querelet, & indicia, ac probationes submineret ad probandum delictum, incurrat irregularitatem, sequuta mutilatione delinquentis querelati? Respondeo affirmativè. Et ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in una N. die 4. Februarii 1651. *ad cap. 6. sess. 24. de reform.* Nam actionem criminalem de delicto, quod mortem, vel mutilationem meretur clericum sine peccato, & irregularitatis nota instituere non posse, conveniunt Doctores apud Suar. *de censur. disp. 47. sect. 3. num. 10.* & Avil. etiam *de censur. p. 7. disp. 5. dub. 10.* Licet accusator protestetur, velle se criminis vindictam citra pœnam mortis, & mutilationis. Cùm enim Judex postulatus secundùm leges judicare soleat, & debeat, protestatio illa actionis accusantis de crimine, quod pœnam sanguinis meretur, est contraria facto, ideòque inutilis. Idque assumo *ex cap. Prælatis de homic. in 6.*

CONSULTATIO CCCLXXVIII.

1 AN clericus pro delicto in personam conjunctam commisso, habens licentiam ab Ordinario querelandi, si non querelet, sed tantummodo prosequatur accusationem, & submineret indicia in foro laicali, insistendo pro punitione, incidat in irregularitatem, sequuta mutilatione? Respondeo item affirmativè juxta declarationem Sac. Congregationis Concilii eadem die 4. Februarii 1651. Quia censetur petere pœnam, quæ propter delictum a lege reo imponitur, cooperaturque ad mortem, seu mutilationem alterius in judiciis criminalibus, *c. His, a quibus d. 23. qu. 8. ex Concil. Tolet. 11.*

CONSULTATIO CCCLXXIX.

1 AN canonicus Ecclesiæ Cathedralis in Subcollectorem deputatus teneatur tempore Synodi assistere Episcopo? Respondeo, teneri. Ita resolvit Sacra Congregatio Concilii in una Montis Pelusii die 4. Februarii 1651. Quin etiam in una Gajacen. die 21. Martii 1654. censuit, Episcopum posse cogere etiam clericos subcollectores, ut Synodis interfint, & ad publicas processiones accedant.

CONSULTATIO CCCLXXX.

1 ORta controversia super solutione quartæ funeralis inter Parochum, & Moniales Monasterii Ordinis S. Claræ Apostolica authoritate anno 1632. ac proinde post Concilium Tridentinum erecti sub regimine fratrum Reformatorum S. Francisci, quæritur, an dicta quarta sit a dicto Monasterio solvenda? Respondeo, non teneri, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium. Ita pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii, nominatim in una Albiganen. die 16. Martii 1652. *ad cap. 13. sess. 25. de reform.*

Si quidem quamvis de jure communi dicta Quarta spectet ad Episcopos, aut Parochos, *ut in Clem. Dudum, §. Verum de sepult.* stantibus tamen amplissimis privilegiis, ac exemptionibus per Summos Pontifices Religionis Franciscanæ concessis, in quibus expressè Fratres S. Francisci eximuntur a solutione cujuscunque quartæ funeralis, illa nullatenus debetur, *uti in Constit. 4.* Clementis Quarti, *Const. 6.* Sixti Quarti *Bullar. p. 1. Constit. 11.* Pii V. *Bullar. p. 2.* necnon *in Const.* Julii Secundi cum expressa derogatione dictæ *Clem. Dudum*, secundùm quas fuit ita pro fratribus prædictis pluries in Rota resolutum, & præcipuè in Licien. quarta funeralium 25. Januarii 1618. coram Coccino, & in eadem Licien. 27. Junii 1642. coram Royas. Et certi juris est per privilegium Papæ Religionem posse eximi ab omni solutione quartæ funeralis, *cap. privilegia 3. d. c. Officii, de testam.*

CONSULTATIO CCCLXXXI.

1 AN Adjuncti, a capitulo electi teneantur jurare, & quando, & quomodo, & ubi, atque in cujus potestate? Respondeo: tenentur jurare, nisi adsit legitima consuetudo in contrarium, in loco capitulari, statim sequuta electione. Ita etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Majoricen. die 16. Martii 1652. *ad cap. 6. sess. 25. de refor.*

CONSULTATIO CCCLXXXII.

AN a decretis in visitatione factis detur appellatio? 1
Non datur quoad effectum suspensivum, Lancel. *de attent. & innov. appell. pend. limit. 18. nu. 6.* Rugin. *de appell. §. 2. cap. 3. num. 46.* & Marches. *de commiss. p. 1. cap. 6. num. 78.* Et declaravit S. Congregatio Concilii in una Januen. die 4. Februarii 1651. *ad cap. 10. sess. 24. de reform.* Ratio est, quia quando agitur de cultu divino, ac aliquid decernitur favore Ecclesiæ, & ipsius divini cultus, tunc ne interim diminuatur vel pereat, ab iis decretis, ut a decretis per modum provisionis non datur appellatio suspensiva, Rebuff. *tract. de sent. provis. in præf. num. 37. & 38. tom. 1.* In visitatione autem agitur de cultu divino, & favore animarum.

CONSULTATIO CCCLXXXIII.

AN electio ad canonicatum facta de clerico, qui non 1
incessit in habitu, & tonsura sustineatur, sitque confirmanda? Respondeo affirmativè ex declaratione S. Congregationis Concilii in una Cremen. die 16. Martii 1652. *ad c. 12. sess. 24. de reform.* Adhuc enim est clericus, talisque semper habendus quousque ab Ordinario aliter declararetur.

CONSULTATIO CCCLXXXIV.

QUidam clericus obtinens simplex beneficium cùm 1
non incederet in habitu, & tonsura, eo privatus fuit a suo Ordinario nulla præcedente declaratione, a quo alteri collatum fuit. Detecto postea, quod clericus privatus revera incesserat in habitu, & tonsura, fuit post triennium ei restitutum beneficium. Cumque hodie alter clericus dicto beneficio, ut supra provisus, instet ad alios Ordines promoveri, quæritur, an id sibi liceat, eo quod dubitatur ex provisione dicti beneficii, uti spectantis ad collationem Papæ, dictum provisum remansisse excommunicatum, ac proinde non posse promoveri. Respondeo, licere ex hoc capite. Et ita etiam censuit Sac. Congregatio Concilii in una Ravellen. die 19. Mart. 1651. ad *c. 11. sess. 23. de ref.*

CONSULTATIO CCCLXXXV.

AN Episcopus possit cogere clerum totius Diœcesis 1
ad interessendum processioni in die solemnitatis corporis Christi. Respondeo negativè. Ita quoque censuit S. Congregatio Concilii in una Forosempronien. die 4. Maji 1652. *ad c. 13. sess. 25. de reg.*

CONSULTATIO CCCLXXXVI.

CUm Sacra Congregatio Concilii sæpiùs censuerit, 1
distributiones quotidianas deberi canonico injustè carcerato, tempore quo detentus fuit in carceribus, nunc quæritur, an hujusmodi distributiones debeantur etiam postquam carceratus ab eisdem carceribus solutus, dum revocationem sequestri super dictis distributionibus tempore carcerationis debitis procurat? Respondeo, non deberi. Ita quoque declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Oppiden. die 4. Maji 1652. *ad cap. 12. sess. 24. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXXXVII.

AN Confraternitates Ecclesiasticæ, dum Episcopus 1
earum Ecclesias, & Oratoria visitat, teneantur pro rata cum Rectoribus Ecclesiarum Parochialium contribuere cibariis, & victualibus Episcopo visitanti præstari solitis? Respondeo, teneri; sed videatur consuetudo. Ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una Dertonen. die 4. Maji 1652. *ad c. 3. sess. 24. de reform.*

CONSULTATIO CCCLXXXVIII.

CUm a S. Concilio *c. 13. sess. 23. de reform.* demande- 1
tur promotos ad Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad ulteriorem Ordinem ascendere non permitti, nunc quæritur, an is, qui ad Subdiaconatum ordinatus, ut puta, uno anno quatuor temporibus Quadragesimæ, possit anno subsequenti eisdem quatuor temporibus Quadragesimæ ad Diaconatum promoveri, eo quod intelligendus est annus naturalis, qui esse non potest, cùm non sit integer lapsus, dum futuro anno festum Paschatis celeriùs quàm in anno superiori celebratur? Respondeo affirmativè, ac proindè sufficere

annum

annum Eccleſiaſticum. Ita cenſuit, ac declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Cervien. die 16. Novembris 1652. in eundem locum Concilii. Et ita etiam declaraſſe Sixtum V. teſtatur S. Congregatio Epiſcop. in una Carpen. die 6. Decembris 1588. & in una Cæſenaten. die 15. Aprilis 1597.

CONSULTATIO CCCLXXXIX.

1 QUuid agere debeat Epiſcopus, ſi in ſua Diœceſi omnes canonici, vel eorum major pars prætextu officii Subcollectoris prætendant exemptionem a ſua juriſdictione? Reſpondeo, faciendum eſſe verbum cum Sanctiſſimo tanquam in caſu particulari. Ita etiam cenſuit S. Congreg. Concilii in una Anagnina die 16. Novembris 1652. *ad cap.* 10. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCXC.

1 AN Regulares de licentia ſuorum Superiorum poſſint recipere Ordines etiam ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi non exiſtunt monaſteria, in quibus ordinandi degunt? Poſſe, quando Epiſcopus eſt impeditus. Ita cenſuit S. Congreg. Concilii in una Regularium die 16. Novembris 1652. *ad cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de Regular.*

CONSULTATIO CCCXCI.

1 QUidam Ordinarius decrevit ſub cenſuris, & aliis pœnis, Canonicos, & Beneficiatos Eccleſiæ cathedralis celebrare debere ſingulis diebus Miſſam Conventualem, etiamſi hactenus feſtis tantùm diebus celebrare conſueverint. Quæritur, an hoc decretum ſit ſuſtinendum? Reſpondeo, quoad ad miſſam teneri quolibet die, quod verò ad pœnas eſſe moderandas. Et ita etiam cenſuit S. Congreg. Concilii in una Tuſculana die 16. Novemb. 1652. *ad cap. unic. de evit. & obſer. ſeſſ.* 22. Adeſt enim in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis obligatio cantandi quotidie miſſam, ut alibi diximus.

2 Verùm cùm hæc obligatio habeat originem ex inſtitutione humana, humano atque adeò morali modo eſt accipienda, & propterea poterit ceſſare ex rationabili cauſa, ſicut ceſſant aliæ hujuſmodi obligationes. Et ita obſervant Suarez. *diſput.* 80. *de Euchar. ſect.* 2. Coninch. *de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *nu.* 203. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 3. *nu.* 5. Quart. *ad rubr. miſſal. par.* 1. *proœm. dub.* 1. *& alii*. Unde ſi occurreret conſecratio Epiſcopi, adventus Principis, aut Epiſcopi, aut quid ſimile, quando Miſſa Conventualis non poſſet commodè anticipari, omitti poſſet ſine peccato. Immò contingere poteſt, quod moraliter fiat impoſſibile, præſertim ubi numerus inſervientium non eſt magnus. Fieri enim poteſt, quòd aliqui infirmentur, alii deſtinentur negotiis neceſſariis, atque adeò non adſit numerus ſufficiens pro hujuſmodi functione.

CONSULTATIO CCCXCII.

1 AN Conſervatores Regularium in cognoſcendis cauſis eorundem Regularium habeant juriſdictionem privativè quoad Nuncium Apoſtolicum, habentem poteſtatem Legati de latere? Reſpondeo, non habere juriſdictionem privativè quoad Nuncium. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Florentina die 16. Novembris 1652.

CONSULTATIO CCCXCIII.

1 AN in Eccleſia per Communitatem de licentia Epiſcopi Diœceſani ob anguſtiam antiquæ Eccleſiæ cathedralis conſtructa, nullo tamen jure ſepeliendi reſervato, poſſit ab eodem Epiſcopo demandari, ut ſepeliantur cadavera defunctorum abſque conſenſu dictæ Communitatis, non obſtante decreto poſt plures annos a dicta conſtructione, Epiſcopo inaudito, per Viſitatorem Apoſtolicum emanato, ut capitulum dictæ Eccleſiæ debeat ſepultura aſſignare cum participatione ipſius communitatis? Reſpondeo affirmativè. Ita etiam reſolvit Sacra Congregatio Concilii in una N. die 23. Aprilis 1651.

CONSULTATIO CCCXCIV.

1 CUM S. Congreg. Concilii ſæpè cenſuerit licentiam a S. Concilio *cap.* 16. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* requiſitam in donationibus, & in renunciationibus Novitiarum non poſſe regulariter concedi a Vicario per Epiſcopum ad regimen Monialium deputato, niſi fuerit eidem conceſſa ſufficiens facultas, ideò dubitatur, an ex tenore deputationis, in qua fuit conceſſa omnimoda poteſtas cognoſcendi omnes, & quaſcunque cauſas, etiam civiles cum omnibus annexis, connexis, emergentibus, & dependentibus, necnon faciendi omnia, quæ juxta formam Sacrorum canonum, & S. Concilii Tridentini facienda ſunt, eliiciatur ſufficiens facultas ſaltem per æquipollens? Reſpondeo affirmativè. Atque ita cenſuit etiam S. Congreg. Concilii in una Neapolitana die 23. Aprilis 1641. ad dictum locum Concilii.

CONSULTATIO CCCXCV.

1 AN a S. Concilio *cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *de reform.* prohibeatur cathedratici ſolutio Epiſcopo facienda? Reſpondeo, non prohiberi. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una N. ad dictum locum die 23. Aprilis 1651.

CONSULTATIO CCCXCVI.

1 GUbernatores cujuſdam Hoſpitalis Expoſitorum, aſſerentes Sacerdotem ibi in confeſſarium deputatum cum approbatione Epiſcopi hucuſque puellis expoſitis adminiſtraſſe omnia Sacramenta, & coram eo celebrata fuiſſe matrimonia præviis denunciationibus in Eccleſia ipſius Hoſpitalis, quærunt, an hujuſmodi matrimonia coram eodem Sacerdote celebranda ſint, & non coram Rectore Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites dictum Hoſpitale exiſtit? Reſpondeo, matrimonia hujuſmodi eſſe celebranda coram proprio Parocho, non autem coram capellano. Ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Eugubina die 23. Aprilis 1651. *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* Et ita etiam fuiſſe judicatum in Curia Neapolitana teſtatur Genuen. *in prax. cap.* 50. *num.* 2.

CONSULTATIO CCCXCVII.

1 AN Epiſcopus in Monaſteriis Monialium Regularibus ſubjectis explorare debeat voluntatem puellarum ibidem pro educatione exiſtentium, quando habitum monialium poſteà recipere volunt, eo quod in ingreſſu pro educatione voluntates exploraverit, & an Superiores Regulares id permittere renuentes poſſit coercere, & quibus pœnis? Reſpondeo, poſſe atque debere etiam per cenſuras. Ita declaravit S. Congregatio Concilii in una Forolivien. die 23. Julii 1650. *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCXCVIII.

1 AN Archipresbyter Eccleſiæ cathedralis, qui actualem curam animarum exercet dicatur reſidere ad effectum perceptionis reddituum, ſi reſideat in ſuburbiis parum a civitate diſtantibus? Reſpondeo negativè, ſi non ſint in finibus Parochiæ, ſeu intra limites, intra vel extra civitatem, quia in civitate tenetur reſidere. Ita etiam declaravit S. Congreg. Concilii in una Tragurien. die 23. Julii 1650.

CONSULTATIO CCCXCIX.

1 AN dictus Archipresbyter, ſi ſuo Parochiano vita functo Sacramenta non adminiſtraverit, jus ei competat cantandi miſſam, & alias functiones funerales faciendi, ac emolumenta ex eis percipiendi? Reſpondeo affirmativè, ex declaratione S. Congregationis Concilii die 23. Julii 1650. in eadem Tragurienſi.

CONSULTATIO CCCC.

1 AN occurrentibus duobus funeralibus eodem tempore, dictus Archipresbyter eligere poſſit Sacerdotem ſibi beneviſum, qui in altero ex dictis functionibus celebret? Reſpondeo etiam affirmativè. Et ita cenſuit eadem Sacra Congregatio in dicta Tragurien. die & anno præfatis.

CONSULTATIO CCCCI.

1 CUM, quidam gravi morbo oppreſſus, fuerit a Sede Apoſtolica proviſus de canonicatu in Eccleſia cathedrali, dictoque morbo durante poſſeſſionem cœpit per procuratorem abſque eo quod ex cauſa ejuſdem morbi unquam perſonaliter inſervierit, ſed ſolùm in ultima hebdomada Junii veſperas, & miſſam per alium canonicum celebrare fecerit. Excitatur nunc dubium, an ei debeantur quotidianæ diſtributiones a tempore poſſeſſionis, ut ſupra captæ?

captæ? Reſpondeo, deberi. Ita etiam cenſuit Sac. Congregatio Concilii in una Sarſinaten. die 23. Julii 1650. *ad cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCII.

1 AN ad Scholaſteriam obtinendam quis debeat eſſe doctor, vel licentiatus? Reſpondeo affirmativè in cathedralibus. Et ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Elven. die 17. Januarii 1643. *ad capit.* 12. *ſeſſ.* 23. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCIII.

1 AN Vicarius Generalis, qui intervenit examini poſſit præter Examinatores interrogare examinandos, etiamſi anteceſſores fortè id non fecerint? Reſpondeo, poſſe interrogare juxta declarationem Sacræ Congregationis Concilii in una Januen. die 14. Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCIV.

1 AN Examinatores Synodales poſſint etiam non vocati accedere ad examen, an potius diſpoſitio S. Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* quod tres ex ipſis per Epiſcopum eligantur, locum habeat etiam in examine ad confeſſiones, & ad Ordines? Reſpondeo, ad primum non poſſe. Ad ſecundum, non habere locum. Et ita etiam cenſuit Sac. Congregatio Concilii in eadem Januen. die 14. Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCV.

1 AN Epiſcopus, vel Vicarius Generalis teneatur dare literas approbationis iis, qui fuerunt ab Examinatoribus ad Ordines, confeſſiones, & ad curam animarum approbati, quamvis certus in conſcientia credat, hujuſmodi approbatos eſſe minus idoneos? Reſpondeo, non poſſe reprobare approbatos, ſed ex illis eligere quem maluerit ad præſcriptum Concilii. Et ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in dicta Januen. eadem die 14. Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCVI.

1 POſita Conſtitutione ſan. mem. Greg. XV. *de exempt. privil.* an Epiſcopus, qui poteſt punire, & corrigere delinquentes circa clauſuram Monialium etiam Regularibus ſubjectarum circa adminiſtrationem bonorum, & circa acceſſum ad monaſteria, & colloquia cum Monialibus, poſſit ad effectum probandi hujuſmodi delicta examinare moniales, & alias perſonas intra ſepta degentes ex officio? Reſpondeo, poſſe in utroque caſu. Et ita etiam declaravit Sac. Congregatio Concilii in una N. die 14 Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCVII.

1 AN Regulares, qui occaſione recitandi Roſarium in ſuis Eccleſiis exponunt ſacra myſteria, & faciunt pias exhortationes, teneantur petere benedictionem ab Ordinario loci? Reſpondeo, teneri. Ita etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in una N. die 14. Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCVIII.

1 AN Regulares, qui ob occupata, devaſtata, vel combuſta ab hæreticis propria Monaſteria ſe conferunt ad aliam civitatem, poſſint ordinari ad titulum paupertatis, etiam ſi careant Monaſteriis, & Conventibus, præſertim ſi hujuſmodi Regulares ſint in ordine Subdiaconali, vel Diaconali jam conſtituti? Reſpondeo, non poſſe, quia carent conventu in illa Diœceſi. Quod etiam cenſuit Sac. Congregatio Concilii die 14. Auguſti 1643.

CONSULTATIO CCCCIX.

1 AN Sacerdotes, vel clerici non habentes beneficia Eccleſiaſtica teneantur intereſſe proceſſionibus, & Epiſcopo Pontificalia exercenti aſſiſtere? Reſpondeo, non teneri, niſi ex legitima conſuetudine fuerit præſcriptum. Ita etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in una Iſernien. die 18. Julii 1643. *ad cap.* 13. *ſeſſ.* 25. *de regul. & cap.* 5. *ſeſſ.* 6. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCX.

1 CUM aliàs S. Congregatio Concilii cenſuerit in Vicarium capitularem eligi poſſe etiam aliquem extra capitulum, ſi tamen quis de gremio capituli reperiatur habilis, iſtum cæteris paribus eſſe præferendum, ideò quæritur quomodo intelligenda ſint verba illa *cæteris paribus* ita ne, ut ſi in Capitulo adeſſet habilis eligi poſſit, etiamſi alius extra capitulum eſſet magis habilis? Reſpondetur, eſſe præferendum. Ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii in una Neritonen. die 18. Julii 1643. *ad cap.* 16. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXI.

1 AN Fratres Sanctiſs. Trinitatis captivorum comprehendantur in decreto S. Concilii *cap.* 9. *ſeſſ.* 21. *de reform.* innovato in conſtitutione ſan. mem. Pii V. quæ eſt tertia in ordine, non obſtantibus privilegiis Ordini conceſſis ab Innoc. III. & Clem. IV. ſuper eleemoſynis quærendis? Reſpondeo, comprehendi. Et ita fuit reſolutum a S. Congregatione Concilii die 15. Februar. & 21. Auguſti 1642. ac 20. Junii 1643. ad *dict. cap.* 9. *ſeſſ.* 21. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXII.

1 IN erectione Eccleſiæ collegiatæ circa adminiſtrationem curæ animarum habentur hæc verba: *Archipresbyter principaliter, & Canonici tanquam ejus coadjutores curam animarum exerceant.* Cùmque oriatur dubietas circa exercitium curæ per canonicos adminiſtrandæ, ideò quæritur, An canonici ad hujuſmodi curam animarum exercendam teneantur ſemper, an verò in defectum tantummodo Archipresbyteri, hoc eſt, quando ipſe Archypreſbiter legitimè abeſt, aut verò impeditur, aut etiam plures Parochiani eodem tempore ſimul egent opera, & adminiſtratione Parochi, nec eorum neceſſitas dilationem patitur? Reſpondeo, canonicos teneri in caſibus expreſſis, & ſimilibus. Atque ita etiam cenſuit Sacra Congregatio Concilii in una nullius S. Ediſti die 11. Junii 1644. *ad cap.* 3. *ſeſſ.* 7. *& capit.* 4. *ſeſſ.* 21. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXIII.

1 AN in Diœceſi, in qua ſunt duæ cathedrales unitæ, ſint deputandi in qualibet civitate Examinatores Synodales diſtincti ab illis, qui deputantur in altera civitate? Reſpondeo affirmativè. Ita etiam declaravit S. Congreg. Concilii in una Valven. & Sulmonen. die 3. Septembris 1650. *ad cap.* 1. *ſeſſ.* 6. *& cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXIV.

1 AN Epiſcopus pro cauſis Diœceſanorum unius Diœceſis deputare debeat Vicarium Generalem in illa Diœceſi? Reſpondeo etiam affirmativè ex declaratione ejuſdem S. Congregationis in eadem Valven. & Sulmonen. die, & anno, ut ſupra.

CONSULTATIO CCCCXV.

1 AN clerici unius Diœceſis delinquentes debeant ibidem carcerari, & non tranſportari ad carceres alterius Diœceſis? Reſpondeo, non eſſe tranſportandos. Ita etiam reſolvit eadem S. Congregatio in d. Valven. & Sulmonen. ubi ſupra.

CONSULTATIO CCCCXVI.

1 QUidam Epiſcopus juxta præſcriptum Sac. Concilii *cap.* 18. *ſeſſ.* 23. *de reform.* & decreti Conſiſtorialis erexit ſolemniter, & publicè Seminarium cum interventu majoris partis capitularium Eccleſiæ cathedralis, & cleri civitatis, & Diœceſis, ac Magiſtratus ipſius civitatis. Nonnulli poſt effectuationem ſequutam ſe oppoſuerunt hujuſmodi erectioni, allegantes taxam duorum cum dimidio pro centenario eſſe exceſſivam, attenta tenuitate redituum beneficiorum ejuſdem Diœceſis. Quæritur, an hæc taxa fieri potuerit? Reſpondeo, potuiſſe. Ita etiam cenſuit S. Congregatio Concilii in una Fulginaten. die 3. Septembris 1650. ad dictum locum Concilii.

CON-

CONSULTATIO CCCCXVII.

1 MOtus quidam Episcopus pastorali zelo, & necessitate ob imperitiam Confessariorum, decrevit congregationi casuum conscientiæ singulis mensibus habendæ interesse debere omnes Confessarios tàm sæculares, quàm Regulares; cùmque Regulares renuant, ideò quæritur, an possit illos cogere, ut interfint, & renuentes privare facultate audiendi confessiones? Respondeo, si sint Parochi, posse cogi de jure. Sic in Urbe omnes Parochi, etiam Regulares tenentur. Et ita pluries declaravit Sac. Congregat. Concilii, præsertim in una Forosempronien. die 3. Septembris 1650. *ad cap.* 1. *sess.* 5. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXVIII.

1 SAcra Congregatio Concilii die 11. Julii 1649. censuit quendam Clericum in ætate sexdecim annorum constitutum, & a patronis laicis præsentatum ad canonicatum fundatum, & dotatum in Ecclesia Collegiata, postea in cathedralem erecta posse ab Episcopo ad dictum canonicatum instituti, si ab eodem Episcopo tempore præsentationis, & instantiæ pro institutione habenda nondum erat facta assignatio, & distributio Sacrorum Ordinum. Nunc quæritur, an isti Canonico, ut supra instituto, si inserviat debeantur distributiones quotidianæ? Respondeo affirmativè. Et ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una S. Miniati die 3. Septembr. 1650. *ad cap.* 4. *sess.* 22. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXIX.

1 AN Canonici, qui spontè per tres menses continuos abfuerunt a servitio Ecclesiæ, & a choro, dictoque tempore Canonici, & Dignitates præsentes adimpleverunt onera etiam Missarum singulis canonicis assignatarum, lucrari possint redditus, an potius debeantur unà cum distributionibus canonicis, qui onera adimpleverint? Respondeo distributiones deberi præsentibus, fructus autem absentibus. Et ita etiam censuit S. Congreg. Concilii in una Casertana die 3. Septembris 1650. *ad c.* 12. *sess.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXX.

1 AN deputatis in Synodo Diœcesana tantùm quinque Examinatoribus Synodalibus, ex quibus tres fuerunt adhibiti in concursibus Parochialium habitis, an, inquam, hujusmodi concursus sint invalidi? Respondeo, esse invalidos. Ita etiam censuit S. Congregatio Concilii in una Umbriaticen. die 4. Septemb. 2655. *ad c.* 18. *sess.* 24. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXXI.

1 AN elapso anno post Synodi celebrationem, morte sequuta unius ex dictis quinque examinatoribus, concursus habiti cum tribus ex iisdem quatuor Examinatoribus superstitibus fuerint validi? Respondeo, non esse validos. Ita etiam censuit in eadem Umbriaticen. ut supra. Nullam enim habent jurisdictionem, sed celebrari debet nova Synodus, vel obtineri facultas a S. Congregatione Concilii.

CONSULTATIO CCCCXXII.

1 AN elapso anno a celebratione dictæ Synodi concursus habiti Sede vacante per Vicarium capitularem Examinatoribus Synodalibus non adhibitis, sint validi? Respondeo, esse invalidos. Ita declaravit Sac. Congregatio Concilii in eadem Umbriaticen. die & anno, quibus supra.

CONSULTATIO CCCCXXIII.

1 AN Episcopo per Sedem Apostolicam notoriè suspenso possint illius subditi cum literis dimissorialibus capituli Ecclesiæ cathedralis validè ordines recipere ab Episcopo viciniori? Respondeo affirmativè; si declaratus fuerit suspensus per declarationem; nam etiam si esset notorium quatuor, vel quinque personis non sufficeret. Quod etiam censuit S. Congreg. Concilii in una Flandriæ die 15. Novembris 1653. *ad cap.* 10. *sess.* 7. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXXIV.

1 TRes clerici a suo Episcopo reprobati in examine ad Ordines Sacros fuerunt absque dimissoriis ipsius Episcopi ad eosdem Ordines sacros ab Episcopo alterius Diœcesis promoti, unus ad titulum beneficii eadem die promotionis erecti redditus scutor. decem cum onere missarum. Alii duo ad titulum Capellaniarum redditus scutor. 40. ab eodem alienæ Diœcesis collatarum per duos dies ante promotionem ad dictos Ordines. Cùmque proprius Episcopus prætendat tàm dictum Episcopum ordinantem, quàm clericos ordinatos incidisse in pœnas expressas in *cap.* 8. *sess.* 23. *de reformat.* innovante *cap.* 2. & 3. *de temp. ordinat. in* 6. Ideò quæritur, an verè incurrerint? Respondeo incurrisse. Et ita etiam censuit Sacra Congregatio Concilii in una Sarzanen. seu Brugnaten. die 4. Augusti 1654. *ad dict. capit. Concilii.*

CONSULTATIO CCCCXXV.

1 AN clericus in minoribus ordinibus constitutus, qui dimisit habitum clericalem, possit absque licentia Episcopi illum reassumere, quando adest constitutio Synodalis prohibitiva, ne reassumatur absque dicta licentia? Respondeo affirmativè. Et ita declaravit S. Congregatio Concilii in una N. die 4. Augusti 1654. ad *cap.* 6. *sess.* 23. *de reform.* ac decisum in Curia Archiep. Neapol. ut fatetur Ricc. *par.* 2. *dec.* 167. Concilia enim Synodalia non possunt condere leges contrarias juri communi. Quod habetur *ex cap. Quod super his, de major. & obed. & cap. fin. de offic. Archipresb.* Nam potestas legislativa horum Conciliorum est inferior potestate Pontificis, ac proinde non potest ipsi contraire. Contrairet autem si faceret legem contrariam juri communi.

CONSULTATIO CCCCXXVI.

1 AN clericus, cui auctoritate Apostolica fuit reservata pensio annua ultra scut. 60. cum indulto, seu dispensatione non incedendi in habitu, & tonsura, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis desuper emanatis, gaudere debeat privilegio fori, etiamsi in habitu, & tonsura prædictis non incedat, nec Ecclesiæ inserviat? Respondeo etiam affirmativè juxta declarationem Sacr. Congr. Concilii in una die 4. Augusti 1654. *ad cap.* 6. *sess.* 23. *de ref.* Quia cùm supradicta sint de jure positivo canonico, potest Pontifex super eis dispensare.

CONSULTATIO CCCCXXVII.

1 AN Episcopus possit etiam pœnis censurarum punire, & corrigere Equites Jerosolymitanos degentes extra claustra in propriis domibus, si tempore Paschali juxta præceptum Ecclesiæ non sumant Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, non obstantibus illorum privilegiis? Respondeo, posse tanquam delegatum. Ita etiam resolvit S. Congreg. Concilii in una N. die 4. Augusti 1654. *ad cap.* 3. *sess.* 6. *de reform.*

CONSULTATIO CCCCXXVIII.

1 AN eosdem Equites corrigere, & punire possit Episcopus, si eodem tempore Paschali retineant in propriis domibus mulierculas amicorum, illas post dictum tempus dimittendo, ne dicto tempore Paschali molestentur a Parochis pro sumendo hujusmodi Sacramento? Respondeo, etiam posse tanquam delegatus. Quod declaravit S. Congregatio Concilii in eadem N. die & anno, quibus supra.

CONSULTATIO CCCCXXIX.

An in casu necessitatis, ex quo primus Conventus extra Civitatem erectus fuerit consensu Regularium, ibi præexistentium, indeque demolitus ob causam publicam, possit transferri intra Civitatem absque alio eorumdem Regularium consensu?

1 REspondendum censeo non posse. Quia cùm Regulares non præstiterint suum consensum per constitutiones Apostolicas requisitum, nisi contemplatione fundationis faciendæ extra civitatem, ex qua non oriebatur ipsis considerabile præjudicium, non debet iisdem Mendicantibus præjudicare, prout certè notabiliter præjudicaret per hanc conventus in civitatem introductionem, præsertim ob nimiam propinquitatem aliorum Monaste-

riorum, unde non poteſt ſervari ſpatium tercentum cannarum determinatum per Clem. IV. & ad favorem Fratrum Minorum, necnon Carmelitarum, & Prædicatorum reintegratum per Julium II. non obſtante reductione ad centum quadraginta nonnullis Religionibus per eundem Clementem facta, ſicuti utriuſque privilegii tenorem referunt Rodriquez *qu. regul. tom.* 1. *quæſt.* 49. *art.* 5. *per tot.* Mirand. *in Man. Prælat. quæſt.* 33. *art.* 4. Caſſarub. *in comp. privil. Mendic. verb. ædificare num.* 9. Pellizar. *in man. regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *ſect.* 3. *num.* 53. *& c.* 7. *ſect.* 2. *n.* 98.

2 Neque dicatur, quod iſte ſit caſus neceſſitatis, ac proinde intrare poſſit opinio nonnullorum tenentium, quod in translatione, quæ fit de uno ad alium locum ejuſdem civitatis, non ex mera voluntate, ſed ob cauſam neceſſariam non ſint ſervandæ præfatæ conſtitutiones.

3 Nam præfatum privilegium Clementis VI. determinans diſtantiam cannarum expreſsè prohibet etiam tranſlationem a loco diſtanti ad locum, qui ſit infra dictum ſpatium, ut videre eſt penes Rodriq. *loco citato*, & advertit etiam Mirand. *d. qu.* 33. *art.* 4. *in princ.* ac optimè, diſtinguendo inter translationem, quæ fit ſimpliciter de uno ad alium locum, intra eandem civitatem, & ad alium locum, qui ſit cæteris Monaſteriis magis propinquus, unde ipſis oriri poſſit præjudicium, concordat opiniones contrarias Lezan. *in ſum. v. Monaſteria nu.* 33. in fine, dicens, quod primo caſu non intrant conſtitutiones, ſecundo verò intrare quidem, quia militat illarum ratio motiva. Quod latiſſimè proſequitur Donat. *in prax. rer. Regul. tom.* 1. *par.* 2. *de Monaſt. ædif. tr.* 1. *qu.* 26. *n.* 6. *&* 7. ubi plures in hanc rem declarationes S. Congregationis adducit.

4 Et profectò aliàs facilè poſſent præfatæ conſtitutiones eludi, ſi unicuique Ordini Mendicantium poſt acquiſitum locum in aliqua civitate diſtantem a cæteris Monaſteriis juxta præſcriptum conſtitutionum Apoſtolicarum foret licitum ſe transferre ad alium quemcunque intra eandem civitatem, non habita ratione diſtantiæ, vel majoris propinquitatis.

5 Quare ad hoc abſurdum evitandum omninò videtur tenenda hæc opinio, quod ubi translatio prætendatur ad locum intra cannarum numerum cæteri Mendicantes ſe poſſint opponere. Et Doctoribus, qui ſtant pro contraria, poteſt reſponderi, quod loquuntur de conſtitutionibus poſterioribus, nempè Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. requirentibus conſenſum cæterorum Regularium priùs exiſtentium in locis, quotieſcunque aliquis Ordo de novo vult inibi conventum fundare. Quæ duo privilegia eſſe inter ſe diſtincta, & ad diverſos fines conceſſa rectè notavit Rota in Januen. privilegiorum 28. Jun. 1649. §. *Quoniam cum ſeqq.* coram Cardinali Corrado, in qua firmatur in hac materia duplicem vigere prohibitionem. Alteram generalem Sacrorum Canonum, & Conciliorum, qua vetitum eſt novas Eccleſias, ſeu Monaſteria, in quibuſvis civitatibus, vel locis ædificari cum præjudicio jurium aliorum, ibid. exiſtentium, ut habetur *in c.* 1. *de exceſſib. Prælat. in* 6. & in Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 2. *in fin.* de qua quidem diſponunt præfatæ Conſtitutiones Clementis, Gregorii, & Urbani. Et in hoc caſu puto procedere declarationes S. Congregationis Epiſcop. & Regular. quibus ſtatuit ſub decretis ſuper erectione novorum Conventuum non comprehendi translationem ejuſdem Conventus, dummodò a primo totaliter Religioſi diſcedant, prout in una Carmelitarum Diſcalceatorum die 4. Auguſti 1625. in una Capuccinorum die 13. Septembris 1641. & in una Montis Virginis die 6. Decembris ejuſdem anni.

6 Alteram ſpecialem ex peculiaribus privilegiis ſingulorum Ordinum, & Religionum, quibus per Summos Pontifices fuit prohibitum Monaſteria fundare infra certa præſcripta ſpatia ab aliis ibidem jam erectis, ac inſtitutis diſtantia. Atque iſtam benè deciſio ſtabilit non proceſſiſſe ex eadem ratione præjudicii cæterorum, ut quidam aſſerunt, ſed ex alia diverſa, & particulari, nempè ad evitandas æmulationes, jurgia, & ſcandala, quæ ex vicinitate oriri poſſent, ut legitur in iiſdem Conſtitutionibus, ac diſertè explicat D. Bonaventura *in apologet. q.* 7. *to.* 2. Quodque Doctores qui tenuerunt Conſtitutiones non comprehendere caſum translationis ab uno ad alium locum ejuſdem Civitatis loquantur de generalibus, non autem de particularibus, præſcribentibus ſpatia, patet ex ratione, quam reddunt, quod ſcilicet talis mutatio non eſt præjudicialis, niſi per accidens ob majorem propinquitatem. Hæc enim non fuit conſiderata per dictas Conſtitutiones generales, ſed benè ac principaliter per Indulta ſpecialia, quæ ipſi unicè ac potiſſimum proſpicere voluerunt, ut jam dictum eſt.

7 Neceſſitati verò translationis propter devotionem veteris Monaſterii ſatis commodè poteſt occurri erigendo novum Conventum in alio ſuburbio, cum eadem diſtantia.

CONSULTATIO CCCCXXX.

An Canonico Eccleſiæ Collegiatæ debeantur diſtributiones, quamvis non ſit Sacris Ordinibus initiatus, ſtante decreto S. Concilii Tridentini ſeſſ. 22. *cap.* 3. *verſ. Quicunque, de reform.?*

REſpondeo deberi, cum in obtinente Canonicatum in Collegiata non requiratur, niſi quod habeat quatuordecim annos. Immò diſtributiones debentur etiam canonico in cathedrali pro medio tempore, uſquequò Ordines ſuæ præbendæ annexos ſuſceperit. Quod etiam quoad utrumque declaravit S. Congreg. Epiſcop. & Regular. in una Anconitana 20. Julii 1583. 1

CONSULTATIO CCCCXXXI.

Cui nam competat jus eligendi presbyteros, & Clericos amovibiles in Eccleſia Parochiali?

HOc jus eligendi miniſtros neceſſarios ſpectat ad Parochum, ſive ad Vicarium perpetuum, idque facere poteſt ſine licentia, vel conſenſu Ordinarii. Ita Lapus *allegat.* 5. *num.* 2. *& allegat.* 78. *num.* 8. Cardinal. *in Clem.* 1. *quæſt.* 11. ubi etiam Imol. *num.* 8. ante finem *de Offic. Vicarii*, Butr. *conſ.* 3. *num.* 3. *& conſ.* 51. *nu.* 5. Pariſ. *conſ.* 50. *num.* 6. *& 7. lib.* 4. 1

Quod ſine dubio procedit, quando hujuſmodi deputatio non eſt facta perpetuò, ſed ad tempus, Cardinal. Imol. & Butr. locis præallegatis. Et multò magis ſtante obſervantia per plures annos continuata, tàm reſpectu Parochi, vel Vicarii præſentis, quàm ejus anteceſſorum, Lap. *d. alleg.* 78. *num.* 9. Rota *dec.* 4. *de conceſſ. præbend. in noviſſ. & in Raguſina Juriſdictionis* cor. Remboldo, de qua Poſth. *tract. de manut. dec.* 285. *n.* 6. 2

Et licèt aliqui teneant in ejuſmodi electionibus requiri licentiam, ſeu conſenſum Ordinarii, ii tamen loquuntur, quando talis electio fit in perpetuum, non autem ad tempus, Cardinal. *d. Clem. quæſt.* 11. Butrius *d. conſult.* 3. *num.* 3. *& d. conſult.* 51. *num.* 5. cum aliis ſupra allegatis. 3

Ad probandam autem obſervantiam ſufficit, quod teſtes dicti Vicarii, vel Parochi ſint, parte adverſa non citata, examinati, quia in hac re non proceditur via judiciali, ſed ſola facti veritate inſpecta, & ſine ſtrepitu, & figura Judicii. Unde non ſolùm non ſunt neceſſariæ ſolemnitates Juris Civilis, ſed ſufficit quomodolibet eſſe notam veritatem facti, ut probè Rom. *conſ.* 497. *nu.* 9. Dec. *conſ.* 449. *num.* 14. *& ſeq.* & in his terminis firmavit Rot. *in recent. dec.* 380. *num.* 2. *par.* 3. quod ſi teſtes præfati ſint Sacerdotes, & deponant de facto proprio, eis plena fides adhiberi debet, & multò magis, quàm fidei Magiſtratus, vel Cuſtodum Sodalitatum ſæcularium, atteſtantium de eorum electione, & approbatione Epiſcopi, Aym. *conſ.* 169. *num.* 3. Rot. *diverſor. deciſ.* 750. *num.* 9. *part.* 1. *& deciſ.* 630. *num.* 1. *& 2. part.* 3. *recentior.* Gregor. *deciſ.* 346. *num.* 10. *& poſt* 2. *vol. conſ.* Farinac. *deciſ.* 349. *num.* 7. *& in Toletana Matrimonii* 10. Decembris 1622. cor. Merlino, & in aliis. 4

Nec attendi debet fides Epiſcopi, ſi atteſtetur approbaſſe dictos presbyteros uti præſentatos a Magiſtratu, vel Sodalitate, quia, etiam ſi hoc eſſet verum, tamen talis præſentatio, & confirmatio non potuit præjudicare ipſi Vicario, aut Parocho, dum non conſtet de ejus ſcientia, & patientia, immò reclamaverit ſtatim ac id ſciverit, Rot. *deciſ.* 17. *num.* 6. *& ſeq. part.* 2. *diverſ. & deciſ.* 165. *num.* 6. *part.* 4. *& dec.* 409. *num.* 3. *part.* 2. *recentior.* & coram Mantic. *deciſ.* 207. *numer.* 6. *part.* 9. & in fine, & poſt *tract. de manut. dec.* 46. *num.* 8. Præſertim ſi aſſerta præſentatio, & confirmatio dederit cauſam liti, *d. deciſ.* 165. *num.* 6. Gregor. *dec.* 4. *num.* 2. *& dec.* 569. *num.* 4. 5

Quia cùm ad Parochos, ſive ad Vicarios perpetuos ſpectet dirigere officiaturam Eccleſiæ tanquam Superiores in illa, debent habere facultatem admittendi miniſtros ad hoc munus pertinentes. Hinc etiam deducitur, quod debeant habere vim coercitivam. Nam conceſſa authoritate, conceditur etiam vis coercitiva, ſine qua authoritas exerceri, non poteſt, *l. Is, ff. de juriſdict. omn. Jud. & l.* 3. §. *fin. ff. de pen. leg. & l. Veteres, ff. de itin. actuq. priv.* ubi Gloſ. Bart. habeturque *cap. ſuſpicionis de offic. deleg.* & tradunt Cujac. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus*, Faber. *in l. Nemo poteſt, ff. de reg. jur.* Alciat. *lib.* 2. *paradoxorum cap.* 1. *num.* 2. & alii. 6

Et 7

7 Et proinde poterint cogere Capellanos, ut assignata hora celebrent, & alia munia obeant, ad quæ tenentur secundum ipsorum præscriptionem. Quod si detractent obedire, poterint eos expellere, cum sint amovibiles.

8 Quòd si Magistratus, vel Sodales impedierint Parocho, ne fungatur suo officio juris parochialis, planè incurrerint excommunicationem 17. Bullæ Cœnæ Domini, inflictam contra usurpantes jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, spectantes ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque beneficiorum, quasi ad se pertineant, Navar. *c.* 27. *n.* 21. Cajetan. *v. Excommunicatio* 5. *cap.* 27. & Bonacin. *disp.* 1. *qu.* 18. *part.* 2.

CONSULTATIO CCCCXXXII.

An dos Monialis, quæ transit ad secundum Monasterium, debeat remanere apud primum, in quo professionem emisit, vel potius sit restituenda unà cum fructibus a die translationis decursis secundo Monasterio, tàm quoad usumfructum, quàm quoad proprietatem? Et an mobilia, & census habiti atque empti per Monialem, dum in primo Monasterio commorabatur, fuerint acquisiti eidem primo Monasterio, vel potius secundo unà cum eorum fructibus decursis?

1 QUoad primum dicendum videtur, quod dos Monialis translatæ unà cum fructibus decursis a die translationis, cùm isti, tanquam accessorii ad dotem, sequantur ejus dominam, *l. dotis fructus, ff. de jur. dot.* debent quoad usumfructum, & proprietatem restitui per primum Monasterium secundo, ad quod licitè, & de licentia Sedis Apostolicæ fuit translata. Ita *cap. Quod a te, de Cler. conjug.* ubi Glos. *v. Redire*, Angel. *in sum. v. Monasterium num.* 6. & in terminis consuluit Socin. sen. *vol.* 2. *cons.* 222. *num.* 3. ubi testatur de communi tàm in judicando, quàm in consulendo etiam respectu proprietatis. Quod repetit *vol.* 4. *cons.* 52. *num.* 12. Dotes enim deferuntur Monasterio uti bona accessoria ad personas Monialium in illud ingredientium, Soccin. *ibidem num.* 3. Quoties autem bona tacitè, vel expressè dantur accessoriè ad personam, revocantur, recedente persona, Abb. *in d. cap. quod a te num.* 8.

2 Unde satis perspicuè Bald. *novel. de dot. part.* 1. *numer.* 9. dicit, quod si Monialis è Monasterio exiret de licentia Superioris ad effectum transeundi ad aliud Monasterium, tunc deberet cum Moniali transire quoque dos, & *num.* 11. quod secus esset, si non fuisset aliquid assignatum pro dote, sed per vitam simplicis donationis.

3 Et quatenus admitteretur ex hoc casu intervenire donationem, dotes intelliguntur donatæ Monasterio cum conditione, si Moniales in eo permanserint ad instar dotis datæ marito, quousque permanserit mulier in matrimonio, *cap. Nuper de donat. inter vir*, & *uxor. leg. unic. §. Cum illud, Cod. de re uxor. act.* traditque Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 1. *num.* 22. & *seq.* Ac etiam ad instar hæreditatis paternæ, relictæ filio, cui postea renunciat Monachus effectus. In quo casu, si post sequutam professionem promoveatur ad Episcopatum, potest sibi vindicare a Monasterio hæreditatem, ut expressè fuit dispositum in Concilio generali relato *in cap. Statutum est un.* 18. *quæst.* 1. Donasse enim videtur Monachus sub conditione illa, nisi ad Episcopatum assumatur, aut alio legitimo modo Religionem deserat, Glos. *in d. cap. Statutum est, v. Restituat.* Audiendus in hanc sententiam, Menoch. *de arbitr. centur.* 5. *cas.* 436. *num.* 12. *cum seq.* & *cons.* 584. *num.* 14. *vol.* 2. Natta *cons.* 580. *per totam* & egregiè Marant. *part.* 3. *controv. jur. resp.* 55. ubi refert Sanch. *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 32. *qu.* 1. *num.* 4. & alios quamplures.

4 Rationem autem hujus doctrinæ assignat Molphes. *cons.* 1. *a num.* 18. *volum.* 1. *ad consuetud. Neapol.* & *cons.* 39. *vol.* 2. & *cons.* 1. *num.* 1. *in addit.* Quia magis verisimile est, quod Monachus per renunciationem bonorum, Monasterio factam voluerit prospicere primariò suæ personæ, in consequentiam verò Monasterio, in quo se usque in finem vitæ perseveraturum sperabat.

5 Quadrat huc maximè illud axioma, expressam scilicet illius existimari voluntatem, secundum quam, si interrogatus fuisset, respondisset ad textum *in leg. mulier* 22. *ff. ad Senatusconsult. Trebel.* Certum enim est, quod, si Monachus, aut Monialis, dum tempore ingressus in monasterium dant illi aliqua bona, & dotes, interrogentur, an si licito modo exire contigerit a Religione, vel Monasterio, vellent magis hæreditates, & dotes suas remanere apud Monasterium, quàm apud seipsos? Uti-

que responderent, quod prima charitas incipit a seipsis, *cap. Nisi specialis 3. de auctorit. & us. pall.* Marant. *d. p.* 3. *resp.* 55. *num.* 20. Et sic talis censetur fuisse voluntas donantis, qualis responsio, quæ daretur, ut rectè Rota *par.* 1. *rec. dec.* 10. *num.* 8. & *part.* 4. *divers.* apud Farinac. *dec.* 662. *num.* 3.

Ex quibus patet non obstare opinionem Doctorum, 6
scribentium, quod dotes Monialium intelliguntur donatæ Monasterio cum illa conditione, si in eo professionem emiserint. Etenim nulla ratione fulcitur, & inverisimilia docet. Quia contrariatur dictamini ordinatæ charitatis, & naturæ, quæ initium ducit a persona propria, ut dictum est. Habebit tamen locum dicta opinio, si fortè è Monasterio exirent modo illicito, & sine authoritate. Tunc enim puto, quod per solam professionem emissam acquirantur, sicuti si mortuæ fuissent in Monasterio, in quo professæ sunt. Par nempè ratio abeuntis est, scilicet illicitè, atque obeuntis, Marant. *d. resp.* 35. *num.* 35.

De jure igitur veniunt restituendæ dotes, secundo Mo- 7
nasterio ex adductis. Et eo vel maximè, si hujusmodi translatio facta fuerit, ut translata perfectiùs Deo inserviret, ideòque non debet esse onerosa secundo Monasterio, *cap. Si quis rapuerit* 27. *quæst.* 1. Socin. sen. *dict. cons.* 22. *num.* 3. Dos enim datur pro oneribus matrimonii tàm carnalis, quàm spiritualis, debetque esse apud eum, qui onera sustinet, Greg. XV. *dec.* 63. *num.* 4. & 6. & *dec.* 468. *num.* 3. & 4. Quandoquidem recipitur a Monasterio solùm pro alimentis, & vitæ suffragio, *dict. dec.* 63. *num.* 9.

Nihilominus contrarium planè tenendum est, nempè 8
quod Moniales translatæ non deferant secum dotes traditas primo Monasterio, si voluntariè transeant ad aliud, sive ejusdem, sive diversi Ordinis. Ita tenent Navar. *comment.* 4 *ad Regular. num.* 34. Roderic. *q. regul.* 79. *art.* 2. *tom.* 2. Sanchez *in decal. lib.* 7. *cap.* 32. *num.* 12. Faust. *in thes. relig. lib.* 5. *qu.* 375. Bonac. *de clausur. qu.* 2. *punct.* 9. *§.* 4. *diffic.* 2. *prop.* 2. *num.* 6. Tambur. *de jur. Abb. disp.* 21. *quæst.* 7. *num.* 3. & declaravit sæpissimè S. Congr. Episcop. & Regular. præsertim in una *Viterbien.* die 2. Augusti 1580. in una *Neapolitana* sub die 20. Julii 1583. in una *Paduana* die 20. Martii 1601. & in una *Fratrum Carmelitarum Discalceatorum* sub die 3. Augusti 1635. ac præcipuè si transferantur ad Monasterium a se fundatum. Ita in una *Urbinaten.* die 22. Novembr. 1580. & censuit etiam S. Congr. Concilii in una *Neapolitana* his verbis: *Ad sedandas lites, & controversias inter Moniales unius, & ejusdem Monasterii, quarum aliquæ ab eo, prætextu novum construendi Monasterium, egredi pertentant, supplicatur declarari, An Moniales professæ in uno Monasterio, & transeuntes de licentia Superioris ad aliud novum Monasterium ejusdem Ordinis occasione strictioris observantiæ, vel regulæ, possint secum ad dictum novum Monasterium deferre dotes, primo Monasterio acquisitas tempore inibi emissæ professionis? Die* 27. *Junii* 1637. *S. Cong. Em. D. Card. Conc. Interpretum, secundum ea, quæ proponuntur, censuit, Monialem professam in uno Monasterio, si ad aliud Monasterium etiam strictioris observantiæ ex legitima facultate transire voluerit, dotem priori Monasterio solutam secum deferre non posse, sed eidem priori Monasterio remanere debere.*

Ratio est. Quia Monialis profitendo transfert omnia 9
sua jura in Monasterium juxta *auth. Ingressi, C. de Sacros. Eccles.* & tradunt communiter Doctores, nominatim Jas. *ib. n.* 2. ac firmat Bald. *in cap. In præsentia de probat.* Butr. & Joan. Andr. *ibidem*, ac cæteri antiqui & recentiores. Unde etiam transfert in Monasterium jus proprium, quod habet ad dotem, idque virtute substantialis professionis, prout consistit in emissione votorum, atque adeò, cùm dos sit incorporata Monasterio, sicuti alia bona, censetur eodem jure facta inalienabilis ac cætera bona Monasterii, ad quæ Monialis nullum jus habet, ac proinde neque ad dotem.

Quæ quidem sententia ita est indubitata, ut etiam 10
extendi debeat ad denegationem alimentorum, quando Monialis voluntariè se transfert ad alterum Monasterium. Nam onus alendi se habet ut modus. Tunc autem solùm, non impleto modo, resolvitur acquisitio, quando per acquirentem stat, quod non impleatur, *l. Quæ sub conditione, §. quoties, ff. de condit. instit.* & *l. Pater, §. Tusculanus, ff. de l.* 3. Quando autem Monialis voluntariè transit ad aliud Monasterium, non stat per primum Monasterium, quin adimpleatur onus alendi.

Deinde onus alendi Monialem non oritur ex dote, sed 11
ex natura professionis. Eo ipso enim quod per professionem transfert seipsam in potestatem Monasterii, & se constituit sub illius dominio, acquirit jus ad alimenta, & Monasterium contrahit debitum alendi. Quivis autem eos alere tenetur, quos recipit in suam potestatem,

& quorum opera poteſt ad libitum uti *l. Cum pluries, §. Cum tutor, ff. de adminiſtr. tut. & l. In rebus, §. poſſunt, ff. commod. & l. penult. ff. de oper. libert. & l. unic. §. ſed ſimus, Cod. de lat. liber. tol. & l. Item ſervi in fin. ff. de edil. edict. & l. divortio, §. fin. ff. ſol. matr.* Quod planè conſtat in Religioſis, qui non ſolvunt dotem Monaſterio, a quo acceptantur. Cùm igitur Monialis, tranſiens ad aliud Monaſterium, ſe ſubtrahat a poteſtate primi, reſolvitur illius obligatio quoad præſtanda alimenta, & contrahitur ab alio Monaſterio, nec primum tenetur reſtituere dotem, quia non ſuſtinebat onus alendi ratione dotis.

12 Atque ita declararunt in eadem Neapolitana Præſules ab Urbano VIII. deputati ad cognoſcendam, definiendamque cauſam vertentem inter Moniales S. Joannis Baptiſtæ Neapolis, & alias quindecim Moniales ex dicto Monaſterio egreſſas. Qui cùm diu negotium alimentorum examinaſſent, rationeſque, & jura ab utraque parte allata accuratè perpendiſſent, poſt repetitas Congregationes, demum die 16. Novembris 1638. decreverunt a Monialibus Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ non deberi alimenta dictis Monialibus egreſſis. Quod decretum idem Urbanus die 12. Junii 1640. authoritate Apoſtolica confirmavit. Deputati autem fuerunt M. A. Maraldus, Franciſcus Paulucius, & Cæſar Fachinettus, nunc Eminentiſſimus Cardinalis, vir dignus majoribus ſuis, juſtitia, gravitate, prudentia Princeps.

13 Quod ſanè ſecus dicendum eſt de Moniali, quæ tranſfertur ad aliud Monaſterium ad agendam pœnitentiam: ſive enim ſecundum Monaſterium coactè recipiat, ſive libenter, tenetur illi primum Monaſterium ſubminiſtrare alimenta, ut deſumitur ex *cap. De lapſis 16. q. 6. & cap. ſi quis requirit 27. q. 3. & auth. de ſanctiſs. Epiſcop. §. penult.* Nam per hanc translationem non fit membrum ſecundi Monaſterii, ſed perſerverat monialis primi Monaſterii; non enim emittit novam profeſſionem, per quam ſolvatur vinculum reſpectu prioris Monaſterii, & contrahatur reſpectu poſterioris. Unde ſecundùm praxim, & decreta S. Congregationis tàm Concilii, quàm Epiſcop. & Regular. in nullo unquam caſu poteſt primum Monaſterium reſtituere dotem, quia eſt jam incorporata bonis Monaſterii, quæ ſine beneplacito Apoſtolico alienari non poſſunt. Sed ſolùm primum Monaſterium tenebitur in aliquo caſu ſubminiſtrare alimenta.

14 Nec juvat adverſarios argumentum petitum a dote pro matrimonio. Quia dos in matrimonio datur pro compenſandis oneribus matrimonii, nec tranſit abſolutè in poteſtatem mariti, ſed uxor retinet jus ad ipſam. At dos Monialis tranſit abſolutè in poteſtatem Monaſterii, nec datur pro onere alimentorum, ſed pro ſubminiſtranda ope ad alendum, nec Monialis retinet aliquod jus ad ipſam, & ideò in hac dote non valet, quod ibi debeat eſſe; ubi ſunt onera.

15 Quo item pacto declinatur id, quod adducitur de uſufructu. Nam cùm dos tranſeat in propietatem Monaſterii, & Monialis per profeſſionem abdicet a ſe omne jus ad ipſam, & transferat in Monaſterium, uſusfructus quoque incorporatur bonis Monaſterii, nec pertinet aliquo modo ad Monialem, nec ipſam ſequitur.

16 Ad ſecundum certum videtur, quod mobilia & redditus, aliaque bona acquiſita, ſeu empta per Monialem tempore, quo erat in primo Monaſterio, debentur ſecundò una cum fructibus reddituum decurſis, cùm iſti tanquam acceſſorii naturam bonorum reſtituendorum aſſumant, *l. Cum quis, ff. de cond. cauſ. dat. non ſequut.* Cùmque omnia ſint donata & empta cum eleemoſynis elargitis, atque receptis pro ſecundo Monaſterio erigendo, illi debentur, Bald. *conſil. 311. lib. 3.* ubi ſi Abbas S. Petri fecerit ædificare hoſpitale ſub nomine S. Antonii, donata dicto hoſpitali, & acquiſita pro eo, debentur, & acquiruntur dicto hoſpitali S. Antonii. Et in terminis monachi exequutoris, ſive hæredis inſtituti pro diſtribuendis bonis pauperibus conſuluit idem Bald. *conſ. 352. n. 2. lib. 1.* per text. *in l. ſi quis ad declinandum, C. de Epiſc. & Cler.*

17 Et profectò cùm hæc bona acquiſita ſint tanquam acceſoria perſonæ, ſequi debent perſonam translatam, Hoſt. *in d. c. Quod a te n. 4. de Cler. conjug.* ibique Butr. *n. 9.* Jo: Andr. *n. 7.* Anchar. *n. 9.* Imol. *in Clem. 1. n. 38. de ſtat. Monach.* Menoch. *de arb. d. cent. 5. caſ. 436. num. 13.* Mandel. *conſ. 712. n. 2. vol. 4.* Tranſeunt enim in conſequentiam ad perſonam ſub tacita conditione perſeverantiæ in Monaſterio, Gloſ. *in d. cap. Quod a te in fin.* Cardinal. *ibid. oppoſ. 4.* Abb. *n. ult.* Natt. *conſ. 180. n. 8* Roſel. *v. Religio 4. n. 12.* Nam obvenerunt Monialì contemplatione ingreſſus in ſecundum Monaſterium, Soc. *d. conſ. 222. n. 3.* Nicol. de Ubald. *de ſucceſ. ab inteſt. p. 2.* ubi *de ſucceſ. regular. num. ultim.* Redoan. *de ſpol. Eccleſ. q. 8. n. 79.* Tappia *in d. auth. Ingreſſi, v. ſua, cap. 6. n. 10. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Verùm, ablegatis reliquis ſententiis, illi adhærendum 18
eſt, quæ abſolutè docet, bona acquiſita remanere priori Monaſterio. Ita Lapus, Aretinus, Jo: Andreas, Cardinalis, Abbas, Ananias Henr. Boich. Bellamera, Imola, Molina, Azor, Sanchez, Suarez, & alii apud Capyc. *deciſ. 193. nu. 30. p. 2.* & Palaum *p. 3. op. moral. tr. 16. diſp. 3. de obligat. relig. pun. 17. §. 2. n. 3.*

Deſumitur *ex §. ſi quis autem, & §. Si verò relinquens,* 19
auth. de monach. collat. 1. & ex § Si Monachus 1. auth. de Sanct. Epiſcop. & ſuffragatur ratio. Quia per profeſſionem omnia jura profitentis transferuntur in Religionem, ut dicebamus, & conſequenter omnia bona ipſius, vel quæ de præſenti poſſidet, vel quæ ſi poſtea obveniunt, fiunt ſtatim propria Religionis. Itaque dum tranſit ad aliud Monaſterium, non trahit ſecum hujuſmodi bona. Neceſſarium enim eſſet, quod retineret aliquod jus ad ipſa, ratione cujus adhærerent perſonæ, & ipſam ſequerentur.

Hinc facilè objecta diluuntur. Ad illud enim, quod 20
hujuſmodi bona acquirantur primo Monaſterio ſub tacita conditione, quod Monialis perſeveret in Monaſterio, reſpondetur non habere locum quoad bona, quæ ratione Monialis acquiruntur a Monaſterio poſt illius profeſſionem; quia hæc acquiruntur ratione juris translati in Monaſterium, atque adeò non poſſunt ſubeſſe alicui conditioni impoſitæ tacitè a profitente. Deindè bona & jura omnia Monialis tranſeunt in Monaſterium ratione votorum. Hæc autem ſunt ex natura ſua abſoluta & perpetua. Siquidem conſtituunt ſtatum Religioſum. Igitur non poſſunt includere tacitam conditionem. Remaneret quidem apud Monialem aliquod jus ad eadem bona, ac proinde eſſent partim translata, & partim non translata in Monaſterium. Hoc autem eſſet contra naturam profeſſionis Religioſæ, quæ non reliquit profitenti aliquod proprium, nec velle proprium, aut nolle. Præterea tranſiens ad aliud Monaſterium non abſolvitur a votis eſſentialibus, ſed immutatur tantummodo ſecundum accidentalia. Itaque non poteſt transferre ad ſecundum Monaſterium bona, quæ ratione ſuæ perſonæ acquiſivit. Deberet enim recuperare primo. Repugnat autem, quod recuperet permanente ſtatu Religioſo ſecundum ſubſtantialia, quia reddit Monialem incapacem juris, & dominii.

Eadem facilitate diſſolvitur motivum de bonis acceſſo- 21
riis. Hæc quippe ſequuntur perſonam ratione connexitatis, quam habent cum ipſa. Connexitas autem conſiſtit in jure, aut etiam dominio, & poſſeſſione. Monialis verò profeſſa ſe ſpoliat poſſeſſione, dominio, & omni jure, omniaque transfert in Monaſterium. Quare non amplius pertinent ad ipſam, ac proinde nec amplius ſequuntur perſonam, quando tranſit ad aliud Monaſterium. Ita bona renunciata non amplius ſequuntur renunciantem, quia abdicavit a ſe omne jus.

Ad illud verò, quod hæc bona acquirantur contemplatione ingreſſus, non abnuimus, ſed tanquam occaſionis, non tanquam cauſæ finalis. Quia finis transferendi illa bona in ſecundum Monaſterium non eſt ingreſſus, ſed eſt illemet finis, quem habet votum paupertatis. Hic autem finis ſemper perſeverat quando Monialis tranſit ad ſecundum Monaſterium, quia non diſſolvitur ſtatus Religionis. Igitur non poteſt argui, quod ex ceſſatione finis reſolvatur acquiſitio.

CONSULTATIO CCCCXXXIII.

An Clerico abſenti debeantur immunitates a vectigalibus?

AFfirmativè. Ita declaravit Sac. Congregatio Immu- 1
nitatis ſecundò ac ſepiùs, præſertim in una Baſilien. die 25. Maji 1638. his verbis: *Sacra &c. cenſuit franchigiam deberi Clericis etiam abſentibus* Et in una Salernitana die 2. Julii 1630. cenſuit, *Oratorem, quamvis abſentem gaudere exemptione a gabellis & franchigia.* Et in una Tarentina die 2. Maji 1651. cum proponeretur, *che l' Arciveſcovo in riſpoſta del memoriale dato dal Chierico N. delle Grottaglie, che ſupplicava a dichiarare, ſe debba godere l' eſenzione del molino di cinque carlini per tumolo*, etiam *in tempo dell' aſsenza*, cauſa ſtudii, *dice, che li Dazieri ſono in poſſeſſo di non ammetter dette eſenzioni degli aſſenti, ſupponendo eſser privilegj perſonali, e che ſe tal volta le han conceſſo, l' han fatto per corteſia, e con cauſe ſpeciali, ed eſpreſſe di haver nella Terra perſone abilitate con le dottrine al ſervizio pubblico*, S. Congregatio reſpondit: *Clericum etiam abſentem gaudere exemptionibus.* Vide Vivium *deciſ. 88. n. 5.* & Carol. de Graſſ. *de effect. Cleric. eff. 3. n. 306.* fuitque aliàs deciſum in Audientia Apuliæ anno 1583.

CON-

CONSULTATIO CCCCXXXIV.

An Clericus, repertus in flagranti crimine adulterii in domo immuni contigua Eccleſiæ, poſſit ab Epiſcopo ſuis carceribus mancipari abſque præjudicio Immunitatis Eccleſiaſticæ, qua dicta domus gaudet?

1 POteſt. Ita Sac. Congregatio Immunitatis Epiſcopo Aretino petenti: *Se un Canonico ritrovato nella ſua caſa Canonicale contigua alla Chieſa* in flagranti *con una donna maritata ſi ſia potuto con la medeſima donna carcerare nelle carceri Veſcovali ſenza pregiudicio dell' Immunità Eccleſiaſtica* die 31. Auguſti 1649. reſpondit, poſſe ad correctionem.

CONSULTATIO CCCCXXXV.

An Carceratus infra ſpatium quadraginta paſſuum circa Cathedralem gaudere debeat immunitate, ſitque reſtituendus?

1 UTique, ſi adſit conſuetudo legitima. Ita declaravit S. Congregatio Immunitatis in una Interamnen. pro Petro Paulo Mangonio 17. Julii 1663. quam cauſam propoſuit R. P. D. Roccius, Principibus carus, & probatus, magnumque Pontificiæ laudis in Republica Eccleſiaſtica inſtrumentum. Vide Peregrinum *de Immun. Eccl. c. 4. n. 28.* Verùm eadem S. Cong. die 27. Januar. 1665. cognito per plurimos uſus, quod gravia inferat publicæ quieti Narnienſi Civitatis præjudicia plateam Eccleſiæ cathedralis ex quadam veteri conſuetudine haberi pro loco immuni, cujus ſecuritate quàm læpiſſimè abutuntur criminoſi, contumaces, & debitores maximo non ſine juſtitiæ detrimento, cenſuit ſi Sanctiſſ. D. N. placuerit, plateam eandem impoſterum pro loco immuni non habendam, & exiſtimandam, ac ad ipſam confugientes immunitate Eccleſiaſtica non gaudere, injungendumque Epiſcopo, ut triduo a publicatione hujus decreti, eam ut talem teneri curet, & mandet quibuſcunque non obſtantibus. Et facta relatione ſub die 21. Februarii 1665. Sanctiſſimus annuit, & ita exequi juſſit.

CONSULTATIO CCCCXXXVI.

1 AN clericus primæ tonſuræ, qui dimiſſo habitu clericali, quem geſtabat, inceſſit per octo annos circiter in habitu laicali, gerens ſe in omnibus pro laico, in quo etiam deliquit; cùmque Judex ſæcularis cœpiſſet contra eum informationem ſumere de delictis, de quibus erat diſamatus, habitum, & tonſuram clericalem ſtatim reaſſumpſit, & Eccleſiæ inſervire cœpit, antequam tamen coram Judice citatus fuerit, *an, inquam, privilegium clericale recuperaverit, non ſolùm quoad perſonam, ſed etiam quoad cauſam, & bona, itaut Judex laicus, qui cœpit inquirere, proceſſum proſequi non poſſit, nec contra ipſum, vel contra bona procedere?* Affirmativè. Ita cenſuit Sac. Congregatio Immunitatis in una Nicien. 22. Auguſti 1662. injunxitque Epiſcopo, ut procederet in cauſa. Quod etiam fuiſſe deciſum in S. Conc. Neapol. tradit Tap. *in conſt. de perſon. n. 37.*

CONSULTATIO CCCCXXXVII.

An balivi Curiæ ſæcularis inſervire teneantur Curiæ Epiſcopali?

1 AFfirmativè. In una enim Interamnen. die 31. Auguſti 1651. cum proponeretur a S. Conſultatione juſſu Sanctiſſimi in S. Congregatione immunitatis controverſia excitata inter Gubernatorem & Epiſcopum illius civitatis, prætendens idem Gubernator balivos ſui Tribunalis non debere inſervire Curiæ Epiſcopali, inſtans provideri, cùm ab Epiſcopo contrarium prætenderetur, S. Congregatio reſpondit, Balivos hujuſmodi teneri inſervire curiæ Epiſcopali, & contra impedientes procedendum etiam per cenſuras. Et meritò, quia curia ſæcularis, utpotè in ordine inferiori inſervire debet curiæ Eccleſiaſticæ, utpotè in ordine ſuperiori ex *cap. Princeps 23. quæſt. 5. & cap. Quoniam extra, de offic. Jud. Ord.*

CONSULTATIO CCCCXXXVIII.

An Clerici conjugati teneantur ad impoſitiones laicales, quæ ad capitationem imponuntur?

REſpondetur, probata legitima conſuetudine, non 1
teneri. Ita declaravit S. Congreg. immunitatis in una Caſſenen. die 9. Maji 1649. præcepitque Epiſcopo, ut eam conſuetudinem mandet ſervari. Ut autem in hac re procedatur in exequutionem decretorum S. Congregationis immunitatis, certum eſt, hujuſmodi clericos non eſſe exemptos ab oneribus realibus, ſed a perſonalibus duntaxat, quemadmodum determinavit eadem S. Congregatio tum alibi, tum præſertim in una Roſſanen. die 21. Januarii 1631. declarando, illa eſſe onera perſonalia, quæ perſonas adimplentur. Et quoad ſoculare, in quo præcipua laicorum cura conſiſtit, quamvis S. Congregatio alias in una Oppiden. die 17. Novembris 1654. declaraverit, onus ſoculare, non eſſe ſolvendum a clericis conjugatis, tanquam onus perſonale, nihilominus in aliis cauſis contrarium reſpondit, ut in una Cathacen. die 23. Maji 1647. & alibi pro eorum exemptione ſe fundavit in ſola conſuetudine, quæ ſi verè probetur ſervatis ſervandis, citatoque Fiſco ſæculari, obſervanda eſt, ut cenſuit in una Anglonen. die 22. Septemb. 1639. Immò paucis ab hinc annis, tenore ſupradictorum decretorum maturè perpenſo, auditiſque relationibus ferè omnium Regni Neapolitani Ordinariorum, & Eminentiſſimi Cardinalis Spinolæ tunc temporis Nuncii Apoſtolici hunc articulum noluit reſolvere in favorem Clericorum, nec poſteà voluit aſſiſtere Epiſcopo Opiden. pro ejuſmodi prætenſione cum Principe Cariati, inter quos compoſito factum eſt, ut hæc differentia finem acciperet.

CONSULTATIO CCCCXXXIX.

An Clerici juxta perſonarum diſtinctionem gaudere debeant immunitatibus?

REſpondeo, in hac re ſervandum eſſe ſolitum. Cùm 1
namque Epiſcopus Bovini exponeret S. Congregationi Immunitatis: *Che i nuovi Conduttori delle gabelle della farina, e del pane ſono entrati in pretenſioni di non dare per l'avvenire più, che dodici tumola di franchigia a ciaſcun Chierico ſenza diſtinzione di ſemplici Chierici di condizione ordinaria da' Sacerdoti, e perſone nobili, che vivono con famiglia, e ſervitori ſecondo la loro condizione, e grado. Parimente ſono entrati in pretenſione, che non ſi debba far buona a Chierici, ed Eccleſiaſtici franchigia per quelli, che ritengono a cuſtodire i loro animali, e lavorare i beni Eccleſiaſtici, e patrimoniali. In oltre pretendono, che queſti medeſimi operarj debbano pagare ogni meſe la gabella di un tumolo di grano chiamata del fuoco, che non ſervendo agli Eccleſiaſtici, e luoghi pii pagherebbero, intanto, che quando entrano a ſervire le perſone Eccleſiaſtiche, e luoghi pii per patto eſpreſſo vogliono il detto pagamento del fuoco, dal che le perſone Eccleſiaſtiche, e luoghi pii vengono indirettamente gravati del pagamento.* Sac. Congregatio eadem die 9. Maji 1659. reſpondit, ſervari ſolitum, & Epiſcopum non permittat aliquid innovari.

CONSULTATIO CCCCXL.

An Clerici conjugati teneantur ad ſolutionem donativi Regii?

DE hoc ſic habet. Cùm Epiſcopus Catacen. ſuppli- 1
caret S. Congregationi Immunitatis, *che gli ſi ordini quello dovrà fare co' Regii nell' eſazione del donativo, che fa il Regno al Re quanto a' Chierici conjugati, perche eſſendoſi ſtabilito, che ſi eſigga a carlini 39. per fuoco, ſecondo che i fuochi ſono numerati per tutti i luoghi, e trovandoſi, che in tutte le Terre i fuochi non ſono tanti quanti ſono numerati, e che molti di quelli ſono impotenti a pagare, ſi è determinato, che per i fuochi mancanti, e impotenti s' accreſca tanto più per fuoco a quelli, che ſono potenti ſecondo la roba da eſſi poſſeduta, nel quale accreſcimento crede ſiano compreſi i Chierici potenti, i quali vorrebbono pagare ſolamente i 39. carlini a fuoco, e non il detto accreſcimento per gl' impotenti, e mancanti, come è ordinato, ſenza eſſer eſſi intieſi. Al che dice riſponder la Città, che ſe eglino ſi ſentono gravati ricorrano a' Deputati per ottener lo ſgravio preteſo da eſſi. Di più avviſa, che avendo ordine da queſta S. Congreg. ſotto li 27. Mag. 1647. di far godre a' Chierici conjugati i lor beneficio* del Cap. unic. de Cler. Conjug. in 6. *mentre per legitima conſuetudine non ſiano in poſ-*

ſeſſo

ſeſſo di godere più, che eſſi allegano, non dover concorrere al detto donativo, non avendo mai pagato. Ma i Regii riſpondono ciò eſſer ſeguito, perchè mai più ſi è riſcoſſo per teſta, come ſi fa ora, che mentre i detti Chierici hanno pagate l' altre gabelle, e taſſe fatte per altri debiti communitativi, non devono eſſere immuni dalla detta taſſa del donativo. S. Congregatio Immunitatis 2. Maji 1651. reſpondit: *Foculare eſt onus reale, ideò Clericos conjugatos tenere, niſi concurrat legitima conſuetudo.*

CONSULTATIO CCCCXLI.

An Equites SS. Mauritii, & Lazari, ac S. Sthephani gaudeant exemptionibus?

1 HAc in re variant declarationes. Concilientur, ſi tempora diſtingues; ac privilegia, eorumque revocationes juxta rerum, locorum ac temporis circumſtantias conſiderabis. Etenim in una Camerinen. Communitatis Sancti Quirini, & Equitis Marcelli Religionis SS. Mauritii, & Lazari die 13. Auguſti 1647. S. Congregatio Immunitatis reſpondit, dictum Equitem non gaudere exemptione quoad bona patrimonialia ex revocatione Pii V. ſed tantummodo quoad bona Commendæ. In una *Fanen.* die 21. Junii 1664. S. Congregatio cenſuit, privilegium exemptionis Religionis S. Stephani non ſuffragari, attento Brevi Sanctiſſimi comprehenſivo etiam perſonarum Eccleſiaſticarum. In una *Mantuana* die 6. Octobris 1626. Sacra, &c. Epiſcopo, qui juxta præſcriptum Sacrorum canonum tueatur immunitatem Equitis Mondini S. Stephani a collectis, & impoſitionibus laicalibus. Et in eadem *Mantuana* die 22. Novembris 1626. Epiſcopo, qui omnino curet reſtitutionem ſoluti dicto Equiti cum expreſſione, quod indebitè fuit ſolutum, uti ab exempto, qui non poterat gravari pro ſuis bonis, & hujuſmodi declarationem inſerat in actis curiæ Epiſcopalis. Et die 2. Septembris 1656. S. Congregatio in cauſa ſæpiùs propoſita cenſuit, Equites S. Stephani quoad bona patrimonialia gaudere exemptione ab oneribus laicalibus. Sequuntur literæ ejuſdem S. Congregationis pro obſervatione prædicti decreti ſub die 4 Septembris. 1657. *Urbino Arciveſcovo. Avendo altre volte queſta S. Congregazione dichiarato, che i Cavalieri dell' Ordine di S. Stefano abbiano da godere l' eſenzione da' peſi laicali in quanto a' loro beni patrimoniali, ſarà cura di V. S. di procurare, che il medeſimo decreto ſi oſſervi a favore di Girolamo Stavolo Cavaliere del medeſimo Ordine, defendendolo da ogni moleſtia, che per ciò poteſſe patire ne' ſuoi beni patrimoniali, e me l' offero di cuore.* Ac in una Tudertina die 7. Martii 1651. S. Congregatio ſæpiùs cenſuit, Milites SS. Mauritii, & Lazari ex Conſtitutione Pii IV. gaudere exemptione ab omnibus oneribus, & impoſitionibus. Tandem die 28. Septembris 1666. reſpondit Equites S. Stephani non gaudere.

CONSULTATIO CCCCXLII.

An Magiſtratus, & Judices laici prætextu aſſertæ conſuetudinis reos, qui confugiunt ad Eccleſias, propria authoritate poſſint extrahere in caſibus expreſſis a Conſtitutione Gregoriana, petita dumtaxat, & non obtenta licentia Ordinarii, nec eidem facta exhibitione proceſſus minuſve conſtito coram eo de qualitate delicti, num ſit de exceptis a dicta Conſtitutione, vel ea non obſtante, Ordinarius valeat in extrahentes procedere ad cenſuras?

1 RReſpondeo negativè quoad Judices laicos, & Ordinarium poſſe procedere. Ita declaravit S. Congregatio Immunitatis in una Calaguritana die 31. Auguſti 1649. Eſt contra Gambac. Villadieg. Acugnam, Corream, Clarum, Covarruviam, alios. Forma enim Conſtitutionis Gregorianæ eſt nunc omninò ſervanda, licèt notoriè conſtet reum commiſiſſe delictum in illa exceptum, cujus probatio pro forma requiritur.

CONSULTATIO CCCCXLIII.

1 NUm eo caſu, quo reus extrahitur prævio judicio Ordinarii, recta via poſſit duci ad carceres ſæculares, ibique detineri pro utraque curia, donec per Ordinarium fiat plena probatio, an gaudeat immunitate, juxta conſuetudinem ſuppoſitam a laicis, vel, ea non obſtante, ſit ducendus ad carceres Eccleſiaſticos, ut præcipitur a Gregoriana? Reſpondeo non licere. Ita in eadem Calaguritana eodem die, & anno, quo ſuprà.

CONSULTATIO CCCCXLIV.

AN toleranda, vel potiùs cenſuris explodenda ſit 1
aſſerta conſuetudo, qua Judices laici reos confugientes ad loca immunia poſſe inde extrahere ajunt ſine licentia Ordinarii, ut donec diſcutiatur, an gaudeant immunitate, illos detineant in carceribus, & vinculis, ac militiæ ſæcularis aſſiſtentia cuſtodiant, ne, ut ipſi dicunt, interim aufugiant? Non eſt toleranda. Ita etiam eadem Sacra Congregatio in ſupradicta Calaguritana 31. Auguſti 1649.

CONSULTATIO CCCCXLV.

AN ſyndici Conventuum Ordinis S. Franciſci ex 1
Bulla fel. record. Clementis VII. gaudeant privilegio fori in cauſis tàm civilibus, quàm criminalibus, etiam motis ante inſtitutionem eorum Officiorum vigore ejuſdem Bullæ? Negativè, ſed tempore, quo erant ſyndici. Ita cenſuit Sac. Congregatio Immunitatis inſtante Commiſſario Generali Ord. Min. de Obſerv. die 31. Auguſti 1649.

CONSULTATIO CCCCXLVI.

An bona donata Clerico ſub conditione, quod ſi acquiſiverit beneficium Eccleſiaſticum, debeant reſtitui donatori, ſint immunia ab oneribus laicis?

AFfirmativè. Cùm autem propoſuiſſet Sac. Congre- 1
gationi Immunitatis: *D. Franciſco Gobbi da Città di Caſtello ordinato* in ſacris *à titolo di patrimonio conſtituito parte in un podere, e parte in due pezzi di terra donatigli a queſto effetto da un ſuo parente con condizione però, che attendendo egli beneficio Eccleſiaſtico ſufficiente a vivere i detti pezzi di terra tornaſſero al donatore, venendo hora eſecutato da' miniſtri della Città per lo dazio, e gabelle di detti beni ſotto preteſto, che egli ſia ſtato proviſto di beneficio ſufficiente, ſupplica per ordine opportuno, che gli ſia rimeſſa l' eſecuzione, e che ſia mantenuto eſente per l' avvenire com' è ſtato pel paſſato.* S. Congregatio decrevit, gaudere in omnibus die 31. Auguſti 1659.

CONSULTATIO CCCCXLVII.

An Epiſcopus poſſit ex legitima conſuetudine procedere etiam cenſuris Eccleſiaſticis contra laicos debitores locorum piorum, & beneficiatorum?

REſpondeo, poſſe. Ita S. Congregatio Immunitatis 1
die 8. Martii 1667. in una Caſtren. Equidem hæc conſuetudo fundatur in jure, nempè in *cap. Si Clericus laicum de for. comp. in fin.* ubi Gloſſ. & Bellam. *ibid. num.* 4. inquit, quod cum Philippus Rex Galliæ hujuſmodi conſuetudinem a ſuo Regno tollere voluiſſet, Prælati illam defenderunt: adeòut Rex mandaverit, illam ſervari. Vide Doctores apud Dianam *part.* 5. *trat.* 1. *reſ.* 7. & apud Cavalcan. *dec.* 45. *num.* 68. & *ſeq. part.* 1. Ratio eſt, quia agitur de fructibus rerum Eccleſiaſticarum, qui ſunt pars fundi, & dicuntur bona Eccleſiaſtica. Atque ita ſæpè judicatum fuiſſe teſtatur Cavalcan. loco allegato, & *dec.* 44. *num.* 1. & *ſeq.*

CONSULTATIO CCCCXLVIII.

An Clerici, eorumque bona poſſint repræſaliis pro debito Communitatis ſubjici?

NOn poſſunt. Ita S. Congregatio Immunitatis die 1
28. Julii 1648. Unde contra concedentes repræſalias adverſus perſonas Eccleſiaſticas, vel extendentes conceſſas fertur excommunicatio in *cap. un. de injur.* 6. Quare notandum, materiam eſſe ſacrilegium contra libertatem Eccleſiaſticam, & immunitatem a repræſaliis. Quod ad perſonas autem eſt univerſalis, ſi ſingulares ſint. Si verò ſit Univerſitas Eccleſiaſtico ſubjicietur interdicto. Item prohiberi exequutionem talis conceſſionis circa Eccleſiaſticos, aut bona eorum etiam per extenſionem. Ut ſi concedantur repræſaliæ contra civitatem, in qua ſunt Eccleſiaſtici, non debent exequutioni mandari circa illos, vel bona eorum. Eſt enim extenſio prohibita dicto *cap. unic.*

CON-

CONSULTATIO CCCCXLIX.

AN Episcopus procedere possit ad censuras contra Judicem laicum cogentem litigantes adire forum laicale in causis mixti fori ? Potest procedere , servatis servandis . Ita Sac. Congregatio Immunitatis die 14. Januarii 1653. In his enim non potest Judex Ecclesiasticus a sæculari impediri quominus de eis adversus laicos cognoscat . Ita Perez. *lib. 1. ord. tit. 3. lib. 6. fol.* 128.

CONSULTATIO CCCCL.

An Ecclesiastici cogi possint , ut vendant vinum proprium in locis destinatis ?

NOn possunt. Sacr. Congregatio immunitatis in una Conversanen. 14. Januarii 1653. Est enim contra libertatem Ecclesiasticam.

CONSULTATIO CCCCLI.

An patentati ab Episcopo sint exempti a repræsaliis tàm in persona , quàm in bonis ?

REspondeo, gaudere exemptione quatenus sint officiales , non verò simplices patentati . Ita Sac. Congregatio Concilii in una civitatis Plebis die 7. Martii 1651.

CONSULTATIO CCCCLII.

An domus Collegii de Propaganda fide gaudere debeat privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ quoad confugientes ?

AFfirmativè . Atque ita resolutum fuit a Sacr. Congregatione immunitatis die 8. Martii 1650.

CONSULTATIO CCCCLIII.

An Clerici in minoribus gaudeant immunitate bonorum sibi donatorum causa studii ?

GAudent tanquam bona Ecclesiastica . An verò ejusmodi causa cessaverit , debet cognosci ab Episcopo . Ita Sac. Congregatio in una Marsicana die 16. Januarii 1663. Est contra Riccium *part. 4. collect.* 901. Textus enim Bullæ Cœnæ Domini loquitur generaliter , ac proinde intelligitur de quibuscunque Ecclesiasticorum bonis , sive patrimonialia ea sint , sive donata , sive empta , aut quovis alio titulo quæsita. Quod docet Duard. ad dictum locum Bullæ , Filliuc. Reginal. Alter. Lessius , & alii , ac speciatim Diana *part. 1. trat. 2. res.* 42. ubi cum Duardo refellit Authores , qui consuetudinem Regni Neapolitani approbant, tuenturque.

CONSULTATIO CCCCLV.

AN cleri , qui vivunt in communi cum laicis possint cogi ad dividendum sua bona , ut collectetur portio eorundem laicorum ? Affirmativè , idque per Judicem Ecclesiasticum , etiam ex officio. Sacra Congregatio in eadem Marsicana die & anno, quo supra.

CONSULTATIO CCCCLV.

An Clericus conjugatus , qui habitum dimisit , & militiam exercuit possit habitum reassumere ?

POtest reassumere habitum , & ideò gaudere . Ita Sacr. Congregatio in una Recanaten. die 11. Dec. 1663 Quod etiam docet Cucchus , & Clarus *lib. 5. recept. §. fin. quæst. 36. num.* 5. aliique multi contra plures , ac speciatim Avendagnum *de exeq. mand. Reg. lib. 1. cap.* 22.

CONSULTATIO CCCCLVI.

AN domus Ecclesiæ , quæ inservit pro habitatione Sacristæ , etsi ab Ecclesia disjuncta , gaudeat immunitate ? Respondeo , gaudere . Ita S. Congregatio Immunitatis 28. Februarii 1661.

CONSULTATIO CCCCLVII.

An apothecæ unitæ palatio Episcopi , quod conjunctum est Ecclesiæ Cathedrali , & locatæ laicis gaudeant immunitate ?

REspondeo , apothecas locatas laicis habentes ingressum in platea, vel via publica non gaudere. Ita censuit eadem S. Congregatio Immunitatis die 28. Februarii 1662. in una Narnien.

CONSULTATIO CCCCLVIII.

AN domus contigua Ecclesiæ , quæque ultra januas in via publica , habet etiam egressum in choro ejusdem Ecclesiæ gaudeat immunitate ? Respondeo . Si est domus laicorum non gaudet. Ita declaravit S. Congregatio Immunitatis eadem die 28. Februarii 1662. in una Pennen.

CONSULTATIO CCCCLIX.

AN clericus , quamvis gauderet Immunitate , extractus tamen ex mandato laicali a loco immuni , & consignatus postea curiæ Episcopali , contravenerit obligationi de tuto carcere ? Respondeo , non contravenisse atque adeò non teneri ad pœnam . Et ita censuit S. Congreg. Immunitatis in una Baren. die 10. Dec. 1658.

CONSULTATIO CCCCLX.

AN Episcopus possit extrahere a loco immuni uxorem , sive filium Custodis Montis Pietatis , sive alios ad effectum illos examinandi tantùm , & cum intentione eos restituendi eidem loco immuni , eo quod uti informatis possit ab eis habere notitiam de fraudibus ab ipso custode in damnum grave ejusdem Montis commissis ? Respondeo in casu, de quo agitur nihil. Ita respondit S. Congr. Immunitatis Episcopo Perusino die 27. Novemb. 1654.

CONSULTATIO CCCCLXI.

AN solutio carolenorum 42. pro foculario impositio a Regiis sit personalis , non autem realis , itaut ab ea sint exempti clerici conjugati , & Diaconi selvagii ? Respondeo, esse exemptos , quia hujusmodi onus est personale. Et ita declaravit S. Congregatio Immunitatis 27. Novembris 1654. in una Oppiden. Quæ uti ultima declaratio attendenda est.

CONSULTATIO CCCCLXII.

AN causæ etiam mercedum motæ contra Sodalitates sæcularium erectas authoritate ordinaria spectent ad forum sæculare ? Negativè , sed spectant ad forum Ecclesiasticum , & proinde Episcopi eas tueri debent. Ita S. Congregatio Immunitatis in una Mediolanen. die 27. Nov. 1654. Et docent Novarius , Ricc. Peregr. apud Dian. *part. 4. trat. 1. res.* 37. Idque etiamsi authoritate Ordinarii non sint erectæ , quia sufficit, quod in illis opera pietatis exerceantur , cum hujusmodi privilegium non detur loco , sed causæ . Est contra Apont. *vol. 1. cons.* 18. Viv. *in addit ad dec.* 517. *num.* 40. & Gabr. *in com. opin. concl.* 5.

CONSULTATIO CCCCLXIII.

AN filii legitimi , & naturales clericorum gaudeant privilegio fori ? Gaudere , durante vita patris . Ita censuit S. Congregatio Immunitatis die 20. Aprilis 1654. in una Urbana , & docet Decian. *in tr. crim. lib. 4. cap. 9. num.* 49. Quia reputantur una , & eadem persona , *l. fin. C. de impub. leg. cum scimus , §. fin. Cod. de agric. & cens. l.* 10. Quod prosequuntur Carolus de Grass. Novarius , Squillantes, & alii .

CONSULTATIO CCCCLXIV.

1 AN domus parochorum, licèt non adhæreant Ecclesiis, sint immunes? Affirmativè. Quare S. Congreg. Immunitatis die 10. Dec. 1653. in una Forlimpopoli mandavit quod pro violata immunitate domus parochialis procedatur ad censuras.

CONSULTATIO CCCCLXV.

1 AN Episcopus possit carcerare Regulares renuentes, & impedientes extractionem rei a suis Ecclesiis? Non potest, sed, si eos carceraverit, debet eos consignare superioribus Regularibus, qui tenentur ipsos trasmittere ad Urbem, & interim facere certiorem Sac. Congregrationem Immunitatis. Ita resolvit eadem Sac. Congregatio in una Cathanen. die 16. Novembris 1655.

CONSULTATIO CCCCLXVI.

1 AN familiares, & Coloni Ecclesiasticorum teneantur jussi ire ad bellum, & servire in aliis functionibus pro servitio Principis, seu communitatis, & ad onera consistentia in solutione frumenti, & aliorum fructuum? Respondeo, Colonos habentes qualitates Coloniæ, & famulos Ecclesiasticorum non posse cogi ire ad bellum, nisi ex ingenti, & præcisa necessitate, nec ad solutionem oneris consistentis in frumento, vel imbottatus vini*, nec ad hospitationem militum in bonis Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum. Et ita declaravit Sacr. Congregatio Concilii pro parte Cleri Casalensis die 28. Augusti 1635. Cardinali Gypsio.

2 Sed an propriè dicantur Coloni, & proprias Coloniæ qualitates habeant illi, qui colunt agros, & vineas Ecclesiasticorum, appellanturque Coloni partiarii, vulgò *Mezaroli*, dividendo cum Dominis certam fructuum partem, itaut in prædicta Sac. Congregationis declaratione comprendi debeant? Sac. Congregat. Immunitatis aliàs respondit, Colonos partiarios Ecclesiasticorum dici etiam illos, quia vulgò vocantur *Mezaroli*.

CONSULTATIO CCCCLXVII.

1 AN familiares, qui actualiter inserviunt personis Ecclesiasticis, sint immunes? Istos gaudere iisdem immunitatibus a gabellis, quibus gaudent Ecclesiastici resolvit Sacr. Congregat. Episcop. 12. Martii 1602. in una Licien, & Sac. Congregatio Immunitatis frequenter.

CONSULTATIO CCCCLXVIII.

1 AN contra attentantes extrahere reum ab Ecclesia, effectu non sequuto, possit procedi? Videtur negativè respondendum, quia dictus actus non continet delictum consummatum. Quando autem imponitur pœna alicui delicto, id debet esse consummatum in actu externo, nec sufficit conatus, & attentatio, ut docent communiter Doctores. Verùm tenendum est, affirmativè, idque ob scandalum, & irreverentiam. Ita jussit Sacr. Congregatio Immunitatis Episcopo Asculano, ut procederet servatis servandis contra Baroncellum tanquam violatorem; quia manus injecerat in confugam attentando eum ab Ecclesia extrahere, tametsi non extraxerit. Quod etiam docent Peregrin. Mar. Ital. Farinac. & alii apud Dianam *part.* 1. *tr.* 1. *res.* 15. contra Gambacur. & alios nonnullos, ac eliicitur ex Constitutione Gregoriana, quæ comprehendit etiam attentantes.

CONSULTATIO CCCCLXIX.

1 AN delicta famulorum inservientium Colonis mensæ Episcopalis, sive Ecclesiasticorum commissa in possessionibus Ecclesiasticis cognosci debeant a foro laicali? Negativè, sed spectant ad curiam Ecclesiasticam. Ita Sac. Congregat. Immunitatis in una Auximana 25. Septembris 1663.

CONSULTATIO CCCCLXX.

AN delinquens prope Ecclesiam spe confugii gaudeat immunitate? Negativè respondendum videtur. Decretum enim est *cap. fin. de immunit. Eccles.* Eum, qui spe ad ædem sacram confugiendi deliquerit, jure asyli non adjuvari. Quia patratum facinus prævisò commodo indignum reum reddit. At respondeo gaudere: Ita censuit S. Congregatio Immunitatis in una Verulana 2. Maji 1651. mandavitque absolvi Cancellarios sæculares, qui ab Ecclesia confugam extraxerunt sub prætextu, quod non gauderet, cùm prope illam deliquerit. Est contra Gambacurt. Farin. Tanner. & plerosque alios. Ratio desumitur ex Constitutione Greg. XIV. quæ hunc casum non excidit. Ita etiam ante eam Constitutionem docuit Decanus, Suarez, & alii, & post illam Fagundez, Peregrinus, & communiter Doctores, & constat etiam ex sequentibus declarationibus ejusdem S. Congrationis in Mileten. die 4. Dec. 1629. Sac. Congregatio censuit, Oratorem gaudere immunitate Ecclesiastica etiamsi prope Ecclesiam homicidium commiserit. Et in Florentina die 11. Augusti 1631. Sacra &c. censuit, Oratorem gaudere debere immunitate Ecclesiastica, & maximè quia non fuit sequuta mors, etiamsi exiens ab Ecclesia deliquerit, & ad eandem posteà confugerit, sed locum esse posse concessioni, ex speciali gratia Sanctissimi, & in una Dertonen. 9. Septembris 1670.

CONSULTATIO CCCCLXXI.

AN Capella carcerum, vel contigua Carceribus gaudeat immunitate? Non gaudere resolvit Sacra Congregat. Immunitatis in una Tudertina 12. Junii 1663.

CONSULTATIO CCCCLXXII.

An Clerici conjugati possint exercere officia Magistratus Sæcularis, puta Syndici, Auditoris, Prioris, & id genus alia?

NEgativè. Hinc cum supplicaret Sac. Congregationi Immunitatis Doctor Giobbus Giobbi clericus conjugatus civitatis Castellanæ his verbis, *che si dichiarasse, ch' egli possa godere l'honore di Capo Priore, come godono gli altri Cittadini, non dandosi opera a negoziazione di sorte alcuna, ma solo si assiste al buon governo della Patria.* Vicarius generalis respondit libello supplici sibi transmisso, clericum conjugatum esse capacem officii, posseque eligi, & gaudere privilegio fori, si vacet negotiationi licitæ, nihilominus Sac. Congegat. rescripsit quod ab hujusmodi officiis abstineat die 2. Maji 1651.

CONSULTATIO CCCCLXXIII.

AN domus canonicales, sive beneficiatorum, quæ laicis locantur, gaudeant immunitate? In hac re in una Perusina die 14. Maji 1652. S. Congregatio Immunitatis petenti Gubernatori Perusino, *che avendo introdotto i Canonici, e Capellani beneficiati della Catedrale di Perugia di affittare le loro stanze della Canonica, e in particolare a' delinquenti, e a' debitori, che ivi si ricoverano per confugio, e nascendo di ciò inconvenienti si ricorre per opportuna provisione*, ita respondit, habitationes hujusmodi non locentur laicis, neque aliis. Atque ex his eliicitur, quod gaudeant, quamvis laicis non debeant locari. Vide Dian. *part.* 3. *tr.* 1. *res.* 71. ibique Decianum, Ambrosinum, & Bonacinam contra Peregrinum, & alios.

CONSULTATIO CCCCLXXIV.

AN stuprum voluntarium a laico commissum, sit mixti fori, vel præventione fiat de foro Ecclesiasticos? Respondeo negativè, sed spectare ad Judicem laicum. Ita censuit Sacr. Congregatio Immunitatis in una civitatis Castellanæ 14. Februari 1652

CONSULTATIO CCCCLXXV.

1 CONfraternitates aliquæ ſæculares habent ædiculas, in quibus confratres veſtibus ſe induere ſolent, ibique cruces, & alia ſupellectilia confraternitatis ſervare, quarum feneſtræ in clauſtrum Regularium proſpectum habent, & per eorundem Regularium Eccleſiam neceſſariò tranſire debent, qui volunt ad eas accedere, quarum occaſione nonnulli ſorum ſæculare ſubterfugientes aliquando ibi ſe recipiunt, ac etiam cum mulieribus pernoctant. Et cùm dicti Regulares prætendant Epiſcopum nullam poſſe ibi exercere juriſdictionem, ideò petitur quid in hac re ſit agendum? Reſpondeo, Epiſcopos in his caſibus habere juriſdictionem delegatam ex literis generalibus. Et declaravit Sacra Congregatio Immunitatis in una Ortonen. 14. Februarii 1642.

CONSULTATIO CCCCLXXVI.

1 AN clerici divites tempore penuriæ poſſint cogi ab Epiſcopo ad vendendum ſuum frumentum? Reſpondeo, ſtante neceſſitate poſſe cogi ad pretium honeſtum, idque authoritate Sedis Apoſtolicæ, *cap. Non minus de Immun.* licet de jure non cogerentur. Et ita cenſuit Sacr. Congregatio immunitatis in una Brunduſina 7. Aprilis 1641. Eſt contra Juriſconſultos, & aliquos Theologos, nominatim Ortiz, Salas, & Valerum, qui tenent poſſe cogi a magiſtratu ſæculari. Quod etiam aſſerunt Joan. de Hevia, & Bobadilla apud Dian. *part.*
2 1. *tr.* 2. *reſ.* 9. Sed perperam. Quia ſæculares nullam habent in clericos poteſtatem, eorumque legibus tenentur vi tantùm directiva, ac proinde cogendi ſunt a ſuo Judice. Vide Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 17. *num.* 45. Madium, & alios.

CONSULTATIO CCCCLXXVII.

1 AN clerici ſelvagii poſſint eligi in officiales ſive miniſtros Magiſtratus ſæcularis? Non poſſunt, quia ſunt immunes. Ita declaravit Sacr. Congregatio immunitatis eadem die 7. Aprilis 1641. in una Uritana, in qua juſſum fuit Vicario capitulari, ut tueatur exemptionem clericorum ſelvagiorum juxta decretum Gregorii XV. & non obediat hortatoriis.

CONSULTATIO CCCCLXXVIII.

1 AN quantitas grani, vini, olei, ac ſimilium, quæ datur pro eleemoſyna tàm ex parte dantis, quàm recipientis debeat ſolvere gabellam? Reſpondeo negativè. Ita cenſuit Sacra Congregatio immunitatis in una Camerinen. die 12. Decembris 1651. ſcilicet pro pane, carne, & ſimilibus diſtribuendis in eleemoſynas pauperum non eſſe ſolvendam gabellam. Et explicatiùs in una Oſcenen. die 12. Febr. 1658. nimirum gabellam non deberi pro Eleemoſynis tàm datis, quàm receptis.

CONSULTATIO CCCCLXXIX.

1 AN conductores bonorum Eccleſiaſticorum teneantur ex fructibus inde perceptis ad gabellam, non obſtante, quod iidem fructus percipiantur ab ipſis Affictuariis, qui ſunt perſonæ laicæ? Reſpondetur negativè, ſed hujuſmodi fructus gaudent exemptione a gabellis. Et ita cenſuit Sacra Congregatio Immunitatis in una Aſſiſien. die 4. Dec. 1657. Eſt enim privilegium reale.

CONSULTATIO CCCCLXXX.

1 AN clerici conjugati, qui ob paupertatem ſe exercent in agricultura, vel in alio opere non tamen ſordido debeant eſſe immunes a ſolutione capitationis, quæ imponitur perſonæ abſque ulla conſideratione bonorum? Affimativè, nempè gaudere tanquam bona Eccleſiaſtica. Et ita cenſuit Sac Congreg. Immunitatis in una Oppiden. die 7. Auguſti 1641. Quia his clericis licita eſt negotiatio honeſta victus cauſa, licet aliis clericis ſit interdicta, *arg. ex cap. Joannes, de cler. conjug.* Nec poſſunt cogi ad deſiſtendum per privationem privilegiorum clericalium, quibus gaudent. Quia nullibi id cavetur de clericis conjugatis, & rei licitæ operam dantibus. Videndus Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 36. *numer.* 26. contra Farin. & alios *num.* 25. relatos,

CONSULTATIO CCCCLXXXI.

AN Epiſcopus poſſit procedere etiam contra laicos 1
complices in delicto a clericis commiſſo? Reſpondeo, poſſe, ac debere cognoſcere de tota cauſa. Ita declaravit Sac. Congreg. Immunitatis tum in una Policaſtren. 30. Auguſti 1641. tum in una Urbevetana 19. Julii 1661. tum in una Ferentilli 28. Septembris 1666. ac ſæpè alibi. Idque ob cauſæ connexionem, & ne contrariæ ſententiæ proferantur, & quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum. Id ipſum docent Martha, Maynardus, Duard. Bellettus, & alii, quos ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 1. & *part.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 7. *tex. in cap. Quod in dubiis*, ubi Gloſſ. *de conſecrat.* & obtinere exiſtimant per text. *in cap. Per tuas extr. de arb.* Felin. *in cap. Placuit num.* 6. *de præſcript.* Hyppol. *ſing.* 180. *num.* 1. & *ſing.* 167. *num.* 1. & *conſ.* 67. *num.* 62. Anton. de Pratoveteri *in lib.* 1. *in fin. ff. quæ ſent. ſive appel. reſc.* Mar. Soc. *in cap.* 2. *col.* 3. *de mut. pet.* & *conſ.* 3. *col.* 6. Idemque tenuit Imol. *conſ.* 139. *col.* 3. aliis comprobat Hyppol. *loco cit.* ac teſtatur de praxi Arnon. *ſolidoq.* 57. Idque, etiamſi eſſet clericus primæ tonſuræ tantùm, qui gaudet privilegio clericali maximè quoad forum per textum *cap.* 2. *de for. comp.* ubi Jo: Andr. Butr. & Abb. traduntque Archid. & Jo: Andr. *in cap. nullus de temp. Ord. in* 6. Innoc. *in cap.* 1. *de apoſt.* & *in cap. novit. de judic.* Butr. *in cap. Cùm non ab homine eod. tit.* Hyppol. *d. conſ.* 59. *num.* 67. Unde ratione d. clerici omnes alii laici debent remitti ad Judicem Eccleſiaſticum, Marth. *ſing.* 143. Boſſius prolixè *tit. de for. comp. num.* 146. Eſtque contra Cevallos, Guttierez, Mexiam, Bonac. Francum, Covarruviam, Molinam, & Villadieg. præſertim verò contra Capyc. Jul. Clar. & Gail. *de pac. pub. c.* 1. *nu.* 29. dicentes hoc moribus noſtris non obſervari, & quemlibet ſuo Judici tradi. At falsò, ut ex adductis reſolutionibus. Quæ de re vide Ludovic. *dec. Luc.* 26. *num.* 18. *part.* 2. Decian. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 44. & Ambroſinum *de immun. cap.* 10. *num.* 5. ubi argumenta Molinæ ſolidè evertit. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 24. alioſque apud ipſum. Quod abſque dubio procedit, ſi Judex Eccleſiaſticus prævenerit.

CONSULTATIO CCCCLXXXII.

AN re confugientes ad Eccleſiam ob crimina excepta poſſint armata manu etiam cum fractura oſtii conventus Regularium juſſu, & cum aſſiſtentia Vicarii Epiſcopalis ab eodem conventu extrahi, ſi iidem Regulares extractioni ſe opponerent? Poſſunt. Ita cenſuit Sacr. Congregatio Immunitatis in una Conſentina, & Tropien. die 13. Julii 1642. 1

CONSULTATIO CCCCLXXXIII.

AN Capitanei, ſive Officiales militiarum locorum, 1
qui ſubjacent juriſdictioni temporali Epiſcoporum, gaudeant privilegio fori, ceu qui actualiter inſerviunt Epiſcopis? Non gaudent. Ita declaravit S. Congreg. Immunitatis in una Senogallien. 13. Julii 1642.

CONSULTATIO CCCCLXXXIV.

AN mancipia Turcica gaudeant immunitate Eccle- 1
ſiaſtica? Reſpondeo, gaudere. Ita Sac. Congregatio Immunitatis in una Licien. 13. Julii 1649. Quia privilegium immunitatis non eſt conceſſum intuitu perſonarum, ſed loci, ac proinde ad quaslibet perſonas extenditur, Bart. Bald. aliique innumeri apud Farinac. *de immunit. cap.* 5. *num.* 7. contra Gambacur. qui hanc ſententiam parum tutam appellavit.

CONSULTATIO CCCCLXXXV.

AN Epiſcopo liceat aperire, ac retinere furnum pro 1
abundantia? Reſpondeo, licere. Ita in una civitate Caſtellana cenſuit Sac. Congregatio Immunitatis die 29. Maji 1657.

CON-

CONSULTATIO CCCCLXXXVI.

AN & quomodo Tertiariæ gaudeant privilegio fori? Respondeo, hac in re Sacr. Congregatio Immunitatis die 10. Novembris 1638. inhærendo declarationibus Sacr. Congregationis Concilii Trident. censuit in una Interamnen. Tertiarias frui debere privilegio fori, si habitum assumpserint, & virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto, vitam elegerint, etiamsi in propriis, vel consanguineorum, seu affinium domibus habitent, & dictum habitum susceperint, & votum emiserint post litem motam. Quod etiam docet Pontius, Portellus, Cherubinus, & cæteri. Estque contra Barbosam, & alios apud ipsum, Carolum de Graff. ac Cevallos, 1

CONSULTATIO CCCCLXXXVII.

AN Magistratus sæculares, ut facilius exigatur gabella farinæ possint prohibere Ecclesiasticis, ne molant frumentum pro usu proprio, ac eorum familiæ, in propriis Molendinis, positis in eorum domibus? Non possunt, estque contra libertatem Ecclesiasticam, atque adeò acriter injungendum Episcopis, ut eam tueantur. Ita censuit S. Congregatio in una Ugentina die 3. Aprilis 1643. 1

CONSULTATIO CCCCLXXXVIII.

AN clerici conjugati gaudeant privilegio fori etiam in civilibus? Affirmant Doctores apud Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. num. 21. ex cap. un. de cler. conjug. in 5. & cap. 2. de for. comp.* Negant cæteri, quos ipse sequitur num. 22. & 23. Respondeo gaudere privilegio fori etiam in civilibus. Item & Canonis, attenta consuetudine, quæ non est improbanda. Ita censuit Sacr. Congregatio immunitatis die 3. Aprilis 1643. in una Policastren. Quod etiam tenent Specul. *in tit de comp. Jud. ad d. §. 1. num. 24.* Franc. *in d. cap. unic.* Cepol. *cons. crim. 10.* Mandos. ad Lap. *alleg. 40. & 118.* Borrel. *in specul. rub. 11.* Ricc. *part. 3. dec. 170. num. 1.* Anton. de Marin. *res. cap. 58. num. 2. ex* Trident. *sess. 23. cap. 6. de ref.* contra Pereiram, Corream, Antonium de Ballis, Dansam, Capoblancum, & alios. 1

CONSULTATIO CCCCLXXXIX.

AN violans immunitatem Ecclesiasticam possit absolvi virtute Jubilæi? Non potest. Ita declavit S. Congregatio Immunitatis in una Cathacen. die 3. Aprilis 1643. ut finit declaratum ab eadem Sac. Congreg. sub die 20. Aprilis 1673. his verbis. *I violatori dell' Immunità, libertà, e giurisdizione Ecclesiastica non ponno esser assolti* vigore Jubilæi *dalla scommunica, nella quale sono stati dichiarati incorsi, ma debbono onninamente ricorrere a questa Sacr. Congregazione, sopra le controversie jurisdizionali per ottener l' assoluzione, la quale non gli si concede senza soddisfazione della parte offesa secondo lo stile inveterato della medema Sac. Congregazione.* Quod etiam habetur epistola ejusdem Sac. Congregationis sub die 4. Febr. ejusdem anni data Episcopo Molphitensi tenoris sequentis. *Illustre, e molto Rev. Monsignor come fratello. La somma clemenza di nostro Signore atteſa l' atteſtazione di V.S. che 'l Capitan Giovanni Pisanello Napolitano abbia dato la libertà a Domenico di Alessio di Bitonto fatto da esso estrarre di Chiesa, che ne abbia ottenuto anche la remissione, condescende, che V. S. assolva* etiam *privatamente il suddetto Capitano, comunicandosele per la presente lettera la facoltà necessaria, stante che il rispetto di esser stato assolto* vigore Jubilæi *non deve in casi di violata immunità Ecclesiastica aversi in considerazione. E Iddio la preservi.* Poterunt igitur Confessarii, qui secus sentiebant, se conformare menti Sedis Apostolicæ, absque eo quod amplius laborent in interpretatione Bullæ Jubilæi cum periculo animarum. Et in Hieracen. *Essendosi esposto nella Sacr. Congregazione, che Domenico Stranges già Vicario foraneo nella Terra di S. Luca, Diocese di Gerace, espose altre volte, che D. Carlo Gambacorta, fratello del Duca d' Ardore, e altri estrassero dalla Chiesa banditi, gli fece subito decapitare, e perchè l' oratore cooperò alle diligenze fatte dal Vescovo in scommunicare i detti estrattori, il Duca fece carcerare, e dar lo sfratto a molti suoi Parenti, e poi carcerare esso medesimo con istrascinarlo con una corda al collo, avendogli in oltre dannegiato un giardino, e sacchegiata la casa. Onde scrittone al Vescovo* pro informatione *rispose, che il detto D. Carlo, e complici furono assolti con l' occasione del giubileo, avendone ottenuto la remissione della parte.* S. Congreg. respondit. *Absolutionem non suffragari. Ideò reaffigantur cedulones.* 1

CONSULTATIO CCCCXC.

AN qui ob rixam è fenestra domus immunis Ecclesiæ sclopeto occidit existentem in Ecclesia, gaudeat immunitate? Gaudet. Ita Sac. Congregatio Immunitatis in una Puteolana die 14. Junii 1661. Est contra Riccium, Delbene, Portellum, Megalam, Palaum, & alios. 1

CONSULTATIO CCCCXCI.

AN Laicus percutiens alium laicum in Ecclesia, incurrat aliquam excommunicationem? Respondeo, incurrere excommunicationem minorem. Ita censuit Sacra Congregatio Immunitatis in una nullius die 18. Julii 1628. 1

CONSULTATIO CCCCXCII.

AN concedenda sit absolutio in foro conscientiæ, & an etiam in foro exteriori iis, qui servatis servandis, fuerunt declarati excommunicati ob extractionem ab Ecclesia, quando extracti fuerunt ab eisdem, vel de eorum ordine occisi, seu ad mortem damnati, ex quo Ecclesia non potest reintegrari? In hac re Sac. Congregat. in una Oppiden. die 13. Dec. 1633. censuit, absolutionem in foro conscientiæ negari non posse, in foro autem exteriori fuit varia, sed pro majori parte Eminentissimi existimarunt, absolutionem quidem differri, sed non absolutè denegari, considerando circumstantias facti in casibus particularibus, ac propterea in casu, de quo agebatur, concessa fuit. At verò eadem S. Congregatio die 15. Martii 1661. hoc dubium ad Sacram Pœnitentiariam remisit. Ex quibus elicitur ejusmodi excommunicationem esse Summo Pontifici reservatam contra Dianam, & alios ab ipso relatos *par. 1. res. 43.* Quod ostendit perpetua praxis Sacr. Congregationis immunitatis. 1

CONSULTATIO CCCCXCIII.

AN clericus bigamus a Sede Apostolica dispensatus gaudeat privilegio fori? Respondeo, data dispensatione, gaudere. Ita Sac. Congregatio in una Mediolanen. die 11. Julii 1662. 1

CONSULTATIO CCCCXCIV.

AN in causis violatæ immunitatis Ecclesiasticæ possint Archiepiscopi procedere saltem in devolutivo in gradu appellationis a sententiis suorum Suffraganeorum? In hac materia Sac. Congreg. Immunitatis sub die 16. Octobris 1628. scripsit literas circulares Archiepiscopis Italiæ, quibus præcipiebatur, quod in iis causis ab eorum Curiis non relaxentur inhibitiones, nec ad aliquem actum procedatur, nisi priùs certiorata eadem S. Congregatione. Ita enim scripsit: *Quando si tratta d' appellazione, o di ricorsi di cause di violazione d' immunità, di libertà, e di giurisdizione Ecclesiastica, e di censure per dette cause fulminate, non dovrà V. S. permettere, che da cotesta sua Curia Arcivescovale si rilascino inhibizioni, nè si proceda ad atto alcuno, se prima non ne sarà dato ragguaglio a questa S. Congreg. sopra le controversie giurisdizionali, e da questi Eminent. miei Signori ricevutone l' ordine, che giudicheranno opportuno di darle. Così eseguirà V. S. inviolabilmente con far registrare la presente negli atti della Cancellaria di detta Curia Arcivescovale, e darne avviso alla medema S. Congregazione, il tutto sotto quelle pene, che a nostro Signore parerà di dare a' trasgressori, mentre &c.* Sed quoniam Archiepiscopi cum Panormitanus, tùm Messinensis suis literis conquesti fuere, sibi hoc modo secundas instantias auferri, Sac. Congreg. respondit sub die 6. Januarii 1629. mentem Sacr. Congregationis non esse, causas hujusmodi ad Romanam Curiam trahere, nec iis Curias Archiepiscopales privare, sed tantùm illas admonitiones, eaque consilia exhibere, quæ ad reintegrationem violatæ Immunitatis Ecclesia- 1

cleſiaſticæ opportuniora, magiſque neceſſaria judicaretur. Et licet aliquando ſimpliciter reſcriptum fuerit in ejuſmodi cauſis nullas dari appellationes, prout in una Marianen. 19. Maji 1648. attamen pluries cenſuit, Archiepiſcopos poſſe cognoſcere cauſas in devolutivo, nempè in una Cathacen. 30. Maji 1628. in una Acernen. Jun. 1636. & 8. Auguſti 1644. ac in una Beneventana 22. Novembris 1639. His tamen non obſtantibus eadem S. Congreg. re maturè perpenſa atque diſcuſſa, die 19. Julii 1661. reſolvit, ejuſmodi literas circulares ſervandas eſſe in omnibus, & per omnia.

CONSULTATIO CCCCXCIV.

An reductio cenſuum, aliorumque reddituum, per Magiſtratum ſæcularem facta, afficiat etiam Eccleſiaſticos.

1 NEgativè. Ita ſæpè declaravit Sac. Congregatio Immunitatis, præſertim in una Novarien. die 27. Novembris 1654. & in una Neapolitana die 23. Julii 1652. his verbis: *Sac. Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium ſuper Immunitate, & libertate Eccleſiaſtica, & controverſiis Juriſdictionalibus præpoſitorum, viſis Pragmaticis, ac præcipuè illa, quæ fuit ſub die 5. Septembris proximè præteriti publicata ſuper reductione ad quinque pro centenario annuorum reddituum, & Gabellarum cum Regio aſſenſu emptarum, ſive alio quocunque modo acquiſitarum &c. poſt maturam diſcuſſionem, facto verbo cum Sanctiſſ. D. N. Declaravit, & declarat omnes, & ſingulas prædictas pragmaticas, necnon quaſcunque alias ordinationes ſuper præmiſſis emanatas, & publicatas non comprehendiſſe, neque comprehendere, & non potuiſſe, nec poſſe comprehendere Eccleſias, Monaſteria, loca pia, nec perſonas Eccleſiaſticas, eorumque res, bona, jura, reddituſ, proventus, & gabellas ab eis, vel pro eis, ac eorum nominibus emptas, empta, vel ab aliis quovis titulo acquiſitas, & acquiſita, & quocunque modo ad eos, & eas, ac ea ſpectantes, & pertinentes, ac ſpectantia, & pertinentia, & propterea nullum ex dictis Pragmaticis, ac aliis quibuſcunque ordinationibus illarum fuiſſe, nec eſſe, neque inferri potuiſſe, nec poſſe præjudicium, ſed liberum illi fuiſſe, ac eſſe uti quibuſcunque juribus, ac cuilibet eorum competentibus perinde, ac ſi Pragmaticæ, atque ordinationes prædictæ non emanaſſent.*

2 *Inſuper pro exequutione hujus Decreti eadem S. Congregatio facto etiam verbo cum Sanctiſſimo injungendum cenſuit, ac injunxit omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis ac aliis Ordinariis inferioribus, quod eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & Piis locis, ac perſonis Eccleſiaſticis efficacis defenſionis præſidio in præmiſſis aſſiſtant, & contra quaſcunque perſonas, Collegia, civitates, Univerſitates, & loca, quantumvis alias exemptas, & exempta, & quovis privilegio, titulo, ac præeminentia ſuffultos, & ſuffulta, licet ſpecialiter, nominatim, ac individuè alias exprimendas, exprimenda contradicentes, & contradicentia, ac ſe opponentes, & ſe opponentia obſervantiæ, & executioni præſentis decreti, ſeu illam quomodocunque impedientes, vel differentes, ac ſuſpendentes, vel aliter quovis modo impugnantes, ſive illi parere, obſervare, ac exequi recuſantes & recuſantia procedant, ac procedere debeant ad declaratonem excommunicationis, ac interdicti, etiam generalis appoſitionem, affixionem, & publicationem, & ad alias quaſcunque pœnas a S. Conciliis, Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictas. Et ita declaravit, & declarat, non ſolum prædicto, ſed & omni alio meliori modo, &c.*

3 Porrò ejuſmodi Pragmaticæ, ſive ſtatuta in tali, ac ſimili caſu, licet non infringant, quoad verba libertatem Eccleſiaſticam, eam tamen infringunt quoad mentem, faciendo fraudem de perſona in perſonam. Eo vel maximè, quia nulla diſpoſitio generalis comprehendit caſus, vel perſonas in ſpecie privilegiatas, & generalis diſpoſitio non comprehendit, quod in ſpecie diſponi non poteſt, *L. Lucius, §. penult. ff. ad municip.* Ac proinde quemadmodum non poſſunt directè ita nec indirectè defectu poteſtatis afficere Eccleſias, & Eccleſiaſticos, ſeu illis præjudicia inferre. Abb. *in rep. cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtitut. num.* 41. Riminal. *conſ.* 267. *num.* 32. *vol.* 1. Laderchus *conſ.* 103. *num.* 9. *Pariſ. conſ.* 27. 63. *vol.* 2. & alii communiter. Quapropter in his caſibus poterit Epiſcopus ſic ſtatuentem cogere, ut declaret ſe in ſuo ſtatuto Eccleſias, & Eccleſiaſticos non comprehendere. Quod ſi ille facere renuerit, debet ipſe Epiſcopus propria authoritate illud tollere, ac declarare irritum atque nullum. Ita Felin. *in d. cap. Eccleſia S. Mariæ num.* 145. Sayr. *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 17. Alter. *lib.* 5. *etiam de cenſur. diſp.* 19. *cap.* 26. *dub.* 54. ac determinavit Sacra Congregatio immunitatis die 7. Dec. 1632. Eſtque contra Pereyram, Cuttelium, & complures alios, quos ſequitur Angujan. *de legib. tom.* 1. *lib.* 2. *contr.* 15. *num.* 33. & *ſeqq.* Princeps enim id nullo pacto ſtatuere poteſt abſque ſpeciali Summi Pontificis facultate, ſive approbatione quoad redditus, & credita ſpectantia ad Eccleſias, Monaſteria, loca pia, & perſonas Eccleſiaſticas, quorum juribus ſive ex contractu, ſive ex legum, aut ſacrorum Canonum diſpoſitione, vel aliunde provenientibus, nihil omninò detrahere, aut derogare poteſt, cum nullam habeant ſuper eis juriſdictionem, *d. cap. Eccleſia S. Mariæ*, ubi notant Doctores omnes *de conſtit.* Rebuff. *ad conſtit. Gall. lib.* 2. *de lit. ditat. ar.* 1. *gloſſ.* 1. *num.* 32. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 203. *num.* 20. *cum ſeqq.* Farinac. *quæſt.* 29. *ſub num.* 36. Faber. *in C. lib.* 1. *tit.* 9. *de fin.* 20. *num.* 9. Ac ideò ſub ejuſmodi verbis, licet univerſalibus, & ampliſſimis hæc non comprehendunt, Abb. *in cap. A nobis num.* 4. *de ſent. excomm.* Butr. *conſ.* 40. *ſub nu.* 1. Ruin. jun. *conſ.* 81. *num.* 16. & *ſeqq.* Honded. *conſ.* 3. *numer.* 17. & *ſeq. lib.* 5. & *conſ.* 20. *num.* 6. *lib.* 2. cum aliis congeſtis a Carol. de Graſſ. *de effect. cler. effect.* 2. *nu.* 10. & *ſeqq.*

Sed quoniam frequentibus Epiſcoporum relationibus 4
inſinuatur, edictorum hujuſmodi diſpoſitionem de facto contra Eccleſiaſticos æquè, ac laicos promiſcuè ſervari, ideò tenentur Principes ſeculares, a quibus emiſſa fuerunt, alio publico edicto declarare, perſonas, ac loca Eccleſiaſtica, eorumque reddituſ, & credita in eis non comprehendi ad *text. in cap. Statutum* 1. *de hæret. in* 6. utque tradunt Jo: And. *in cap. fin. ſub num.* 4. ubi Gemin. *num. item* 4. Ancharan. num. 1. Franch. *num.* 2. *de immun. Eccleſ. in* 6. Felin. *in dict. cap. Eccleſia S. Mariæ ſub num.* 109. *cum ſeq.* Butr. *d. conſ.* 40. *n.* 2. Surd. *conſ.* 301. *ſub num.* 45. *cum ſeqq.* ubi rectè firmat, quod licet ad Principem ſæcularem ſpectet providere circa politiam temporalem, & ea, quæ publicum bonum circa temporalia reſpiciunt, non tamen perſonas, & res Eccleſiæ, vel Clericorum attingere poteſt. Et proinde ad illius ſtatuti validitatem non ſufficit juſtitia cauſæ, ac bonum publicum, niſi etiam concurrat authoritas. Idem & docent alii relati per Carol. de Graſſ. *d. eff.* 2. *n.* 512. *cum ſeqq.* & nos alibi.

CONSULTATIO CCCCXCVI.

QUænam ætas requiratur ad obtinendum Canoni- 1
catum in Eccleſia Cathedrali, in qua nondum facta ſit diſtributio Ordinum? Reſpondeo, quando non eſt facta diſtributio, ſufficere, quod ſit conſtitutus in vigeſimo primo anno, ita quod poſſit infrà annum ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem promoveri. Et ita enim declaravit Sacr. Congreg. Concilii die 4. Auguſti 1654.

CONSULTATIO CCCCXCVII.

IN quadam Eccleſia erectæ fuerunt duæ Capellaniæ 1
ad nutum amovibiles cum dote ſcutorum ſeptuaginta quinque pro qualibet, & cum expreſſa conditione, quod Capellani omnibus, & ſingulis Horis Canonicis, & Miſſis Canonicalibus, & Conventualibus in d. Eccleſia celebrari ſolitis alternis hebdomadis, omnibuſque, & ſingulis proceſſionibus, &c. perſonaliter aſſiſtant, & aſſiſtere debeant, miſſaſque certis diebus celebrent. Quæritur, an dictæ conditiones ſint proportionatæ Capellaniis ad nutum amovibilibus? Reſpondeo, ſervandas eſſe conditiones in fundatione appoſitas, prout ſervari mandavit S. Congregatio Concilii in Romana Capellaniarum die 4. Auguſti 1654. ad *cap.* 5. *ſeſſ.* 25. *de ref.* Ejuſmodi enim onera adjiciuntur legato in vim conditionis, ſub qua relinquitur emolumentum percipiendum. Et proinde conditio eſt cauſa finalis diſpoſitionis, ut rectè obſervant Cravet. *conſ.* 59. *num.* 4. Faber. *lib.* 6. *C. tit.* 22. *definit.* 2. *num.* 3. & emolumentum in exequutione, ordinatur ad obtinendum finem, tanquam cauſa inductiva illius, qui in intentione fuit cauſa illius. Unde non adimplens conditionem, privatur relicto commodo, & perinde eſt, ac ſi deficeret conditio, aut in pendenti eſſet, ſiquidem eſt conditio reſolutiva, *lib.* 1. *C. de his, quæ ſub modo*, & notant Gloſſ. *ibid.* Cujac. *in parat. ibid.* Menoch. *conſ.* 79. *numer.* 5. & 17. Surd. *de alim.* 9. *quæſt.* 6. *num.* 13. & *qu.* 23. *n.* 7.

CON-

CONSULTATIO CCCCXCVIII.

An concedenda sit dispensatio, & absolutio a tribus votis obedientiæ, paupertatis, & Castitatis conjugalis in professione Ordinis militaris S. Jacobi emissis cum commutatione in aliud Suæ Sanctitati benevisum?

1 Respondeo, posse concedi in votis solemnibus, si adsit causa publica, & in votis simplicibus causa privata. Hinc in una N. Congregatio Concilii die 12. Decembris 1654. fuit pro affirmativa cum restrictione arbitrio Confessarii, qui causas examinet. Plerique enim dicunt, quod hujusmodi vota sint solemnia, ex quo approbata sunt a Sede Apostolica. Alii, quod sint vota simplicia. Omnes, quod requiratur causa ad dispensandum.

2 Et quidem quando Religio non est approbata a Summo Pontifice, ejus vota posse commutari etiam virtute Iubilæi certum puto. Quia cùm talis Religio non sit vera Religio defectu approbationis, nec etiam ejus vota erunt vera vota Religionis.

3 Quod verò spectat ad vota Religionis Ordinis Militarium, qui solùm servant castitatem conjugalem, ut sunt Ordines Sancti Jacobi, S. Stephani, Calatravæ, Alcantaræ aliique hujusmodi, quod sint reservata, & proinde non possint commutari nisi a Pontifice, & non virtute Jubilæi tenent permulti. Quorum fundamentum est. Quia tales Ordines sunt veræ Religiones.

4 At ego sentio, vota Religionis, seu Ordinis militaris posse dispensari ab Episcopo, & privilegiatis, atque adeò etiam commutari virtute Jubilæi. Nam solum votum Religionis verè, ac propriè dictæ est reservatum, atque adeò exceptum in Bulla Jubilæi. Ordines autem isti militares, ut magis communiter tradunt non sunt veræ Religiones. Et dato quod sint veræ Religiones, adhuc tamen vota, quæ in eis emittuntur, non sunt perfecta, cùm restringantur ad determinatam partem materiæ, unde vovent solùm castitatem conjugalem, & ideò non constituunt Religionem simpliciter, sed solùm secundum quid. Itaque reservatio non se extendit ad votum Religionis horum Ordinum. Nam non se extendit tanquam strictè accipienda ad votum Religionis imperfectum, & secundum quid, quale est hujusmodi. Quia non habet pro materia Religionem simpliciter, & perfectam, sed secundùm quid, & imperfectam.

5 Hinc si quis voverit paupertatem, & obedientiam posset ab inferiore dispensari, & votum commutare virtute Jubilæi. Quia tale votum non est votum Religionis, cum Religio constituatur per tria vota solemnia. Atque idem dicendum est de eo, qui votum emiserit assumendi habitum Religiosorum, qui in aliqua Congregatione vivunt cum aliquibus votis simplicibus, aut etiam votum assumendi habitum oblatorum. Quia non est votum veræ Religionis, cum tales personæ non sint verè Religiosæ, siquidem non emittunt tria vota solemnia.

CONSULTATIO CCCCXCIX.

1 An juxta consuetudinem introductam præbendati debeant lucrari distributiones quotidianas Horarum Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, etiamsi ad Chorum accedant, quando decantatur tertius Psalmus earundem Horarum? Et, an juxta consuetudinem introductam iidem præbendati assistentes Choro Horæ Tertiæ possint lucrari distributiones etiam Horæ Sextæ, & assistentes Horæ Sextæ distributiones etiam Nonæ, quamvis dictis Horis personaliter non assistant? Respondeo ad utrumque negativè. Sic etiam declaravit S. Congregatio Concilii in una Seguntina die 12. Decemb. 1654. *ad cap. 12. sess. 24. de reform.* Ad hoc enim, ut beneficiatus, sive præbendatus possit lucrari tuta conscientia integras distributiones debet interesse omnibus horis. Quare consuetudo, quæ alicubi posset vigere, ut distributiones integræ dentur iis, qui certis Horis interfunt, ac si omnibus essent præsentes, est invalida. Est contra Bertradum *cons.* 118. *num.* 6. *vol.* 6. Rochum de Curte *in cap. fin. de consuet. col.* 3. Duegnam *reg.* 206. Hojedam *de benef. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. Sed nostra sententia est vera, eamque amplectuntur Moneta *de distr. part.* 2. *quæst.* 3. *num.* 50. Navar. *cons.* 8. *de cler. non resid.* Rodriq. *in summ. part.* 2. *cap.* 34. *numer.* 2. Cardinal. *in Clem.* 2. *de æt. & qual. & ord. præf. qu.* 17. Herinch. Boich. *in cap. Quia nonnulli de Cler. non resid. in 6. numer.* 31. *& seqq.* Graff. *part.* 2. *dec. lib.* 3. *cap.* 15. *numer.* 12. Cenedo *pract. quæst.* 1. *num.* 39. Nam per talem consuetudinem divinus cultus notabiliter diminuitur, ideòque est reprobanda. Distributiones enim fuerunt introductæ ad augendum cultum divinum, ut sic faciliùs præbendati alliciantur ad assistendum divinis officiis, ut docent Abb. *in cap. licet de præb. notab.* 2. Rebuff. *in concord. Gall. rubr. de collect. §.* 1. *v. distributionum*, Steph. Durant. *de ritib. Eccles. cap.* 25. *num.* 4. Gig. *cons.* 144. *num.* 12. Navar. *de hor. can. cap.* 18. *num.* 10. 11. Paris. *volum.* 4. *cons.* 33. *numer.* 1. & constat *ex c. un. de cler. non resid.* ubi Gloss. *in princip.* & ex Constitutione Pii V. quæ est 138. in in Bullar. edita 1571. 12. Kal. Octob. Quare explodenda est opinio Cæsaris de Graff. qui *in dec.* 119. *num.* 8. sentit esse validam consuetudinem, qua clerici lucrantur omnes, & integras distributiones quotidianas, si divinis officiis certa quadam parte interfint.

CONSULTATIO CCCCC.

An tolerari possit consuetudo introducta non augendi distributiones quotidianas, quę pro quatuor Horis, Missa Conventuali, Vespere, & Completorio non excedunt quartam partem unius Julii, an potius Episcopus teneatur illas augere ex massa Capitulari usque ad tertiam partem, ne servitium Ecclesiæ negligatur? Respondeo, Consuetudinem non obstare. Ita censuit Sacr. Congregatio Concilii in una Seguntina die 12. Decemb. 1654. Quia, ut modò dicebamus, ejusmodi consuetudines diminuunt cultum divinum, atque adeò sunt invalidæ, ac reprobandæ. 1

CONSULTATIO CCCCCI.

An emissio votorum arguat cultum publicum, sitque contra decreta de Canonizatione Sanctorum? Quinam dicatur cultus privatus, quive publicus?

Affirmativè resolvendum videtur. Siquidem in iis decretis pag. 2. & 3. non solùm prohibetur, ne quorumvis hominum cum fama, & opinione Sanctitatis defunctorum imagines, & quodcunque aliud, venerationem, cultum præseferens, aut indicans in Oratoriis, aut locis publicis, vel privatis, sel Ecclesiis, apponantur, verum etiam dicta *pag. 3. Ad horum* specialiter vetitum legitur ad eorundem sepulchra, imagines, vel reliquias, tabellas votivas appendi, ac retineri. Quod repetitur in posterioribus decretis. 1

Nec suffragatur, quod aliquando ejusmodi tabellæ asservantur privatim in Sacrario interiori Ecclesiæ, vel Monasterii. Non enim inde evitatur cultus, saltem quoad eos, qui commorantur, quamvis in loco secreto dicti Sacrarii imago, vel reliquia, sive sepulcrum retineatur, utpotè permissa illorum arbitrio sepulchri, vel reliquiæ, sive immaginis contrectatione, inspectione, ac veneratione. Immò quatenus ejusmodi cultus exhibitio esset privata, adhuc tamen esset contraria decretis. Nam Urbanus VIII. generaliter vetuit tàm in locis publicis, quàm in privatis quemcunque cultum, & venerationem præseferens, aut indicans, ideoque non possunt ejus decreta restringi ad cultum publicum, dum expressè loquuntur de quocunque adhibito etiam in locis privatis. 2

Quæ sanè potiori jure procedunt in sepulchro posito in Ecclesia, quodque veneratur cultu privato. Nam hujusmodi cultus uti præstitus in loco publico, nempè Ecclesia, videtur habendus pro solemni, ac publico, sicque vetito ab Urbano, non autem pro simplici privato non vetito ex sententia Contelorii *de Canoniz. Sanct. cap.* 22. *numer.* 7. ibi: *Pro solemni autem, ac publico cultu intelligendus est ille cultus, qui fit prohibitus ratione loci, ut puta si fiat in loco publico, seu coram aliis.* Quod comprobat verbis *Clem.* 1 *de Jud.* subdens num. 8. quod licet scribentes interpretentur textum *in cap.* 1. & 2. *de reliq. & vener. Sanct.* prohibere cultum publicum, non secretum, hi tamen affirmant, publicum esse, habita ratione loci, in quo fit, prorsus rejecta opinione dicentium, nomen publicum intelligendum esse de cultu præstito a persona publica nomine Ecclesiæ. Cujus authoritate motus idem videtur astruere Scacch. *cap.* 20. *de not. & sign. Sanct. cap.* 1. *lit. A.* 3

Verùm in hac re ponderandum est, valdè differre emissionem votorum ab appensione, & retentione tabella-

bellarum votivarum vetita in dictis decretis. Nam votum illiuſque emiſſio nullatenus ſumi poteſt pro tabellis votivis. Quia ſynonymè accipitur pro precibus, & orationibus. Quod propterea per Magiſtrum ſententiarum, teſte D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 8. *art.* 1. *in corp.* definitur teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ Dei ſunt, fieri debet, non ſolùm per verba, & exteriora ſigna, ſed & per ſolam cogitationem, & interiorem teſtificationem conſiſtentem in ſolo propoſito voluntatis, ſicut paſſim legitur tàm in Sacra Scriptura, ut Levit. *cap.* 27. Eccleſiaſt. *cap.* 5. ac alibi, quàm apud Scriptores profanos, ut apud Virgil. *Ænead. lib.* 6. & 8. ac Tullium 6. *in Verrem*, & 1. *de legibus*.

5 Cùm ergo id verificari poſſit in privata, non in publica votorum emiſſione, ac nuncupatione per preces, & orationes fidelium alicujus ſervi Dei interceſſionem piè invocantium, proculdubio non eſt trahendum ad appenſionem, ac retentionem tabellarum votivarum. Aliud quippè eſt vota facere, & nuncupare, quæ, dum privato cultu fiunt, non prohibentur. Aliud verò eſt vota ſolvere ac reddere, quales ſunt appenſiones tabellarum votivarum, & his ſimilia vetita in dictis decretis, ut appoſitè explicat idem Tullius *lib.* 3. *de legib.* dicens: *Nonne animadvertitis ex tot tabellis pictis quam multi votis vim tempeſtatis effugerint?* Immò etiamſi intelligeretur de adimplemento per oblationem tabellarum, vel donariorum, non ideò indicaret cultum publicum, deficiente circumſtantia affixionis in loco publico, in qua conſiſtere publicam venerationem cenſuit Rota *in relat. S. Caroli part.* 2. *arg.* 14. traditque Contelor. *d. c.* 22. *n.* 4.

6 Minus etiam ejuſmodi exhibitio cultus publici deduci poteſt ex retentione imaginis, vel reliquiæ, ſive ſepulchri in ſacrario interiori. Cùm enim nihil poſitivè fiat, quod publicæ venerationis exhitionem inducat, nullum contraventionis inde emergit argumentum, atque adeò nihil ſupereſt ratione loci, quale eſt Sacrarium inferius, quod illius ſpeciem præſeferat. Siquidem decreta Urbani ſub §. *Poſtmodum verò pag.* 6. expreſsè permittunt retentionem, & cuſtodiam in ſecreto loco reliquiarum, tabellarum votivarum, imaginum, lampadum, & aliorum, quæ offeruntur in honorem defunctorum cum fama Sanctitatis, ibi: *Liceat Eccleſiaſticis perſonis &c. tabellas, & imagines, ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia, &c. recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia teneantur, in ſecreto aliquo ſeorſim ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidemque jam amota collocare, & aſſervare.* Idem repetunt *in ſeq. pag.* 10. Id, quod nec alienum videtur a decretis Sacr. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de invocat. Sanctorum*.

7 Nec ſubſiſtit, quod privata exhibitio cultus inde reſultans ſit etiam prohibita in decretis Urbani. Nam prætermiſſo, quod contrarium innuunt tàm verba prædicta, quàm multa alia ex toto illorum contextu deducibilia, reſpondetur, eſſe receptiſſimam Canoniſtarum, ac Theologorum ſententiam, quod defuncti cum fama, & opinione Sanctitatis poſſunt ante Canonizationem coli, ac venerari cultu privato, ſi ſcandalum populi non adſit, ut præ cæteris Innoc. *in cap.* 1. *in fin.* quem alii ſequuntur, præſertim Hoſtien. *num.* 11. Jo: Andr. *v. Publicè*, Butr. *uum.* 7. Abb. *num.* 3. *in* 2. *notab.* Card. *num.* 1. *in fin.* & Anchar. *nu.* 2. *de reliq. & ven. Sanct.* Gloſ. *in cap. un. v. Sedis Apoſtolicæ eod. tit. in* 6. D. Anton. *in ſum. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 8. §. 1. Auguſt. Trimph. *de poteſt. Eccleſ. quæſt.* 14. *art.* 15. Sylveſt. *v. Canonizatio*. Azor. *inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *qu.* 8. Alberic. *dict. v. Canonizatio*, Alberghin. *in man. Inquiſit. cap.* 30. *num.* 10. Bellarm. *controv. tom.* 2. *lib.* 1. *de Sanct. beat. cap.* 10. ac pluribus relatis comprobat Turrian. *de fid. diſp.* 17. *dub.* 9. & Molfeſ. dicens in hoc omnes convenire *d. conſ.* 45. *num.* 17. & *ſeqq.* addens *num.* 67. hanc eſſe notoriam praxim, & inveteratam conſuetudinem Eccleſiæ ab ortu ipſius continuatis temporibus obſervatam, & nunc pro lege ſervandam, docentque Sanch. *lib.* 2. *cap.* 43. *numer.* 4. *in decal.* & Contelor. *eo cap.* 22. *num.* 3. ac propterea reliquiis non canonizatorum, nec beatificatorum venerationem, & cultum privatum licitè exhiberi in ſpecie inferunt Bellarm. *d. cap.* 10. Sanch. eo loco *num.* 4. & Caren. *de offic. Sanctiſs. Inquiſ. part.* 2. *tit.* 17. §. 12. *num.* 57. & *ſeqq.* Fagund. *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 13. Suar. 3. *part. tom.* 1. *diſp.* 55. *ſect.* 1. & *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 11. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Portel. *in dub. regul. v. Reliquiæ in addit. num.* 11. Trullench. *lib.* 1. *in decal. cap.* 9. *dub.* 9. *num.* 2. & *ſeqq.* Delbene *de offic. S. Inquiſ. part.* 2. *dub.* 234. *ſect.* 1. *num.* 1. & alii paſſim.

Et quamvis decreta videantur loqui in parte prohibitiva etiam de cultu privato, attamen abſque violatione literæ reſtringi poſſunt atque debent ad publicum. Quia cùm cultus publicus poſſit dupliciter conſiderari, & ratione loci, quatenus fit in Eccleſia, vel aliis locis publicis, & ratione modi, puta ſi imagines pingerentur cum radiis, & laureolis, vel ſi recitarentur Horæ Canonicæ, aut Miſſæ celebrarentur etiam in locis privatis, cùm ſint actus non conceſſi, niſi Sanctis canonizatis vel beatificatis, ut ait Contelor. *cit. cap.* 22. *num.* 7. Quibus abuſibus occurrere volens Urbanus mentionem fecit nedum de locis publicis, ſed etiam de privatis. At non idcircò intellexit prohibere cultum privatum, ut patet ex eiſdem decretis, ibi: *Ac etiam privatis cum laureolis & radiis, &c.* Quod etiam voluit S. Concilium Tridentinum, dum prohibuit in Eccleſiis, aliiſque locis imagines inſolitas, quæ nimirum ponuntur ad inſtar Sancti canonizati, ut explicat Sanch. *eodem cap.* 45. *num.* 6. Qua in re conſentire Concilio decreta Sac. Inquiſitionis aſſerit Contelor. allegato *cap.* 22. *num.* 10. *in fin.* Etenim, ſi fuiſſet indiſcriminatim prohibitus quicunque cultus tàm publicus, quàm privatus, decreta ſibi conſentanea non eſſent, cùm, ut dictum eſt, expreſsè permittant retentionem tabellarum votivarum, aliorumque donariorum, quæ offeruntur pro beneficiis acceptis. Quod planè eſt ſpecies cultus privati. 8

Quare licèt Scacchus, & Contelorius, qui pro contraria ſententia ſolent allegari, diſtinguant cultum tripliciter, ratione ſcilicet loci, perſonarum, & ipſius cultus, qui præſtari ſolet ab Eccleſia Canonizatis, ac uterque aſſerat, quod ratione loci cultus eſſet prohibitus, nihilominus Scacchus *ſect.* 10. *cap.* 1. *lit. A.* reſtringit cultum publicum ratione loci, id eſt Eccleſiæ his verbis: *Ex hac publici declaratione quinam cultus privatus dicatur facilè colligitur, is nimirum qui præſtatur alcui defuncto a perſonis privatis, vel in privato loco, videlicet in propriis domibus, vel etiam in publicis, ut ſunt Eccleſiæ, Oratoria, vel ſimilia loca, dummodo ex ſua natura intra fines privati cultus ſe contineat, nec ſe extendat ad ea, quæ de genere cultus publici exiſtunt, qualis eſt, quem Eccleſia Sanctis canonizatis exhibere ſolet.* 9

Itaque cultus publicus ex textu *c.* 1. & *fin. de reliq. & ven. Sanct.* non dicitur ille, qui coram aliis in publico loco exhibetur, ſed ille, qui totius Eccleſiæ nomine, & tanquam ab ea inſtitutus alicui tribuitur, ut benè cenſuit Bellarminus, ſummus rerum Eccleſiaſticarum propugnator *lib.* 1. *Sanct. cap.* 10 vel, qui publico feſto, jejunio, voto inſtituitur, Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 5. Nam hæc ad publicum cultum ſpectant. Item vel ille, qui alicui defertur tanquam canonicè, & authoritativè inſtitutus, ſeu ſecundum illam formam, quam inſtituit Eccleſia pro honorandis Sanctis ac Beatis. Atque hoc pacto certum eſt, non poſſe deferri, niſi interveniat authoritas Sedis Apoſtolicæ, decernentis ipſum cultum, modum, & formam, qualis eſt cultus venerandi quotannis Sanctos, ac Beatos cum recitatione Officii, quo impleatur obligatio Horarum Canonicarum, ac Miſſæ celebratione. Qui modus inſtitutus eſt ab Eccleſia pro Canonico, & authoritativo ad venerandum eos, erga quos profitetur publicum cultum. Et hæc eſt duntaxat mens prohibitiva Sacrorum Canonum. Vel denique ille, qui inducit obligationem, non verò liberam, & ſpontaneam, ac privatam devotionem. 10

Atque ex his licèt cultu privato quempiam nondum in Sanctorum numero a Pontifice adſcriptum credere, & appellare Sanctum, ac ipſum invocare, etiam aliis audientibus, ſicut fecere D. Gregorius Nazianzenus in vita D. Athanaſii, & D. Baſilii, ac D. Hieronymus in vita D. Paulæ. Nam oramus publico in loco viventes, quamvis eos Sanctos eſſe nos lateat. Cur ergo non licebit defunctos orare, quos majori ratione Sanctos eſſe confidimus? Non licet tamen eum prædicare tanquam Sanctum in Sanctorum Catalogum a Pontifice coptatum. Rurſus licet ejus defuncti veſtes, vel truſtulum ſumere, ac manus, vel pedes oſculari, etiam aliis videntibus, dummodo tamen ſcandalum abſit. Quia licet hoc modo viventes, quos credimus Sanctos, venerari. 11

Hac de cauſa poteſt privatus in memoriam nondum Canonizati, vel Beatificati jejunare, aut ei votum offerre, ac in ejus natali die a ſervilibus abſtinere, idque etiam aliis ſcientibus, ut conſtat ex Caſſiano *collat.* 19. *cap.* 1. Bellarmino *ſupra*, Sanchez *allegato cap.* 43. *num.* 8. Nam quiſque poteſt ex privata devotione colere quem Sanctum in terris credidit, ac reddere il- 12

li honorem, quo dignus est. Neque in Ecclesia prohibet, cùm sit actus virtutis observantiæ, ut tradit D. Thom. 2. 2. *q.* 102. *ar.* 1. *in corp.* Non enim potest prohibere actus virtutum, tanquam eos, qui conducunt ad ultimum finem, ad quem ipsa debet dirigere, non autem impedire accessum. Unde non intendit impedire specialem fervorem privatæ devotionis erga prædefunctum cum fama Sanctitatis, non Canonizatum, aut beatificatum, præsertim, si miraculis claruerit, cùm talis fervor non sit, nisi ex speciali motione Spiritus sancti.

16 Ex quibus evertitur sententia Contelorii, quam ex parte sequi videbatur Scacchus locis adductis. Quæ tunc poterit procedere, quando juxta *d. cap. fin.* reliquias de novo inventas qui publicè venerari præsumeret, nempe illas, publicè exponendo, vel ostendendo absque authoritate Sedis Apostolicæ, quę sunt verba textus, quibus concinit mens decretorum super non cultu, quæ non fuit prohibere venerationem erga defunctum cum fama Sanctitatis, prodeuntem ex devotione privata fidelium, sed tantùm illam, ad quam invitabant Religiosi cum appositione signorum, quæ cultum, & venerationem publicam præseferunt, aut indicant, Sanctisque canonizatis exhibentur, ut luculenter alibi demonstravimus.

Finis Primi Tomi.

AUTHORIS PROFESSIO.

Quidquid hoc operis est, id volo in authoritate Ecclesiæ esse, Ut quicquid illa de eo per Judicem, Censorem, & Dictatorem Jnum, Quem Summum Pontificem credo, censuerit, judicarit, pronunciarit ratum, judicatum, sanctumque habeatur gratias Tibi, Domine, JESU.